S. EUSEBII

HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

OPERA OMNIA,

POST MONACHORUM ORDINIS S. BENEDICTI E CONGREGATIONE S. MAURI

SED POTISSIMUM JOANNIS **MARTIANÆI** HUJUS ORDINIS RECENSIONEM,
DENUO AD MANUSCRIPTOS ROMANOS, AMBROSIANOS, VERONENSES ET MULTOS ALIOS,
NEC NON AD OMNES EDITIONES GALLICANAS ET EXTERAS CASTIGATA,
PLURIMIS ANTEA OMNINO INEDITIS MONUMENTIS,
ALIISQUE S. DOCTORIS LUCUBRATIONIBUS SEORSIM TANTUM VULGATIS AUCTA,
INNUMERIS NOTIS, OBSERVATIONIBUS, CORRECTIONIBUS ILLUSTRATA,

STUDIO ET LABORE

VALLARSII ET MAFFÆII

VERONÆ PRESBYTERORUM,
OPERAM NAVANTIBUS ALIIS IN EADEM CIVITATE LITTERATIS VIRIS.
EDITIO PARISIORUM NOVISSIMA
EX SECUNDA AB IPSIS VERONENSIBUS EDITORIBUS CURIS POSTERIORIBUS ITA RECOGNITA,
ATQUE EX **RECENTIUS DETECTIS** SIC DITATA
UT PRÆSENS EDITIO, AMPLITUDINE SOLA, CÆTERIS OMISSIS EMENDATIONIBUS,
PRÆCEDENTES OMNES EDITIONES, ETIAM BENEDICTINAS,

tertia parte seu triente materialiter superet,

ACCURANTE ET AD ULTIMUM RECOGNOSCENTE J. P. MIGNE, *CURSUUM COMPLETORUM* IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS SEPTIMUS.

VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1845.

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.



Coll. 457 et 461, in titulo superiori : *Cap. II;* lege : *Cap. I.* — Col. 553, titulum superiorem lege sic : *Commentariorum in epistolam ad Ephesios lib. III. Cap. VI.*

Imprimerie de Vrayet de Surcy et Cie,
rue de Sèvres, 37, à Paris.

PRÆFATIO.

Ad eam jam devenimus editionis nostræ partem, qua Hieronymianarum Scriptionum absolvitur genus illud, quod est quidem pro divinarum, quas tractat, Litterarum summa dignitate cæteris præstantius omnibus: pro Auctoris autem incredibili eruditione ita excellit, ut si post hoc ferme biennium, ex quo ejus me totum devovi studio, palam profiteri quod sentio licet, aut me suscepti in his exornandis Commentariis negotii amor fallit, aut nemo umquam post homines natos, nec sacrarum arcana rerum altius investigavit, nec luculentius, ex tota antiquitatis memoria, atque omni disciplinarum genere exposuit. Quod si Veteris Instrumenti, quæ hactenus superioribus tomis recensuimus interpretamenta, tantam ejus provinciæ gloriam sustinuerunt: quæ Novi nunc exhibemus, nullis non numeris absoluta, præter eam laudem, id ferme etiam peculiare habent, quod paucis unumquodque opus, non jam dico mensibus, sed diebus fuerit absolutum, hicque integer tomus, si rationem una ineas, vix quatuor, aut quinque mensium labore constiterit. Tantum ille doctrinarum scatebat animus, et ψυχὴ ὑπερφρονέουσα λόγων. Qua quidem in re miraculi mihi instar est, quando ipse de se fatetur in Prologo alterius libri in Epistolam ad Ephesios, *interdum per singulos dies usque ad numerum mille versuum pervenire:* cum tanta dictandi alacritate, cui vix pares scribendo fuerint amanuenses, tantam et elocutionis castitatem, et sententiarum copiam æque atque delectum jungere potuisse.

Quæ hic itaque tomus complectitur sancti Patris opera, etsi non omnes, nobilissimas tamen Novi Testamenti partes edisserunt: Matthæi scilicet Evangelium; tum selecta quædam Lucæ capita, triginta novem Homiliis ex Origenis Græco Latine redditis; quatuor denique Pauli Epistolas, ad Galatas et Ephesios, Titum et Philemonem. Atque ut de singulis, quæ prædocere lectorem decet, exponam, et præcipue scriptionis tempus: Commentariorum in Matthæum, qui ex Scripturarum ordine primi occurrunt, quatuor libros S. Pater, cum subito ex Oriente Romam navigaturus Cremonensis Eusebius hanc sibi quasi sitarciam dari petiisset, vix quindecim dierum spatio, imminente jam Pascha, profudit, cum a trium mensium ægrotatione vixdum convalescere inciperet. Ex his facti circumstantiis, quas ipsemet in prioris prologo libri Auctor notat, manifeste licet colligere, ad quem annum, sive anni perexiguam partem elucubratio ista pertineat. Ea quippe trium mensium ægrotatio, quæ sub Quadragesimæ diebus illum utcumque respirare permisit, plane eadem est atque illa, quam in epistola in nostra recensione 71, ad Lucinium notat: *Ego longo tentus incommodo, vix in diebus Quadragesimæ respirare cœpi:* et multo luculentius in 73, ad Evangelum: *Post longam ægrotationem, vix in Quadragesimæ diebus febri carere potui, et cum alteri me operi præpararem, paucos dies, qui supererant, in Matthæi Expositione consumpsi.* Certis autem argumentis ex Hieronymianarum maxime rerum serie ostendimus in Chronologicis Notis ad eas epistolas, tres illos menses ab anni trecentesimi nonagesimi octavi primis, ut ita dicam, calendis, nisi si mavis a superioris Decembri, esse supputandos: ut sit adeo ejus anni Martio mensi ascribenda temporis epocha, cum et recreatus paulisper est S. Pater ab ægra valetudine, et omissa studia hisce dictandis in Matthæum Commentariis nimia aviditate repetivit. Pascha, quod jam imminere sibi dixit, eo anno Aprilis decima octava die contigit. Id porro ipsum ex Eusebii in Italiam adventu constituas: quem Romæ fuisse hoc ipso anno post medium, testatur Hieronymus epistola in nostra recensione 74, ad Rufinum, non illum Aquileiensem, sed qui Romanus presbyter vulgo audit: ubi, *Gaudeo*, inquit, *super testimonio erga me sanctitatis tuæ, et amore sancti Presbyteri Eusebii: nec dubito quin me publice prædicetis.* Sed et liquido constabit ex ipsiusmet Aquileiensis profectu Romam: libro enim tertio Apologiæ contra eumdem num. 24, post annum ex quo Rufinus isthuc pervenerat, advenisse Eusebius asseritur: *Paulinianus et Eusebius post annum vestræ navigationis profecti sunt.* Rufinum vero jam a superiore anno 397 post reditum e Palæstina, sub Siricio moratum Romæ esse, nihil est dubium, totaque gestorum ejus historia persuadet. Non est adeo cur aliquem moveat locus ille in caput II Matthæi, ubi se ait S. Pater Oseam prophetam ex Hebræo *nuper* edidisse, cum ante ferme sex annos opus

illud absolutum jam constet ratione hac nostra, quam ex ipsiusmet testimonio in Catalogo inimus. Vox enim est illa, *nuper*, tam apud Hieronymum, aliosque ejus ætatis Scriptores, indefiniti, vagique temporis, ut certum aliquod ex ea spatium, respectumque illum, quem Auctor in scribendo habuit, decernere omnino non liceat. Ambiguæ ejus significationis exemplum ex hiscemet in Matthæum Commentariis, lectoris sane dignum observatione proponam. Ad capitis XII versiculum decimum tertium, se ait S. Doctor, Evangelium Nazarenorum, *Nuper in Græcum de Hebræo sermone transtulisse*. Ut mihimutiu hic putes, sextum ab hoc annum designari necesse sit: siquidem eam ipsam interpretationem ex Hebræo memorat in Virorum illustrium Catalogo c. 2, quem anno nonagesimo secundo supra trecentesimum, nemine diffitente, adornavit. Verum quid, cum etiam illo Catalogi capite hoc *Nuper* adverbio utatur ad suæ tempus translationis significandum? *Evangelium*, inquit, *quod appellatur secundum Hebræos, a me nuper in Græcum Latinumque sermonem translatum est*. Quemadmodum supra, hic quoque si annos denotari velis, jam non sex annos, sed duodecim priori loco supputabis: atque adeo quocumque te modo torqueas, numquam eo devenies, ut certam ab ea nota temporis inire rationem possis. His igitur prætermissis, quæ plane immerito cl. Tillemontium movere: nunc obiter præstat, auctorem *Dissertationis de Fundamentis Christianæ Religionis* refellere, qui Hieronymum arbitratus est in ea fuisse sententia, ut doceret, ex apocrypho Jeremiæ libro, quem illi Nazarenæ sectæ Hebræus obtulit, Matthæi cap. XXVII versum nonum de triginta argenteis, quod pretium fuit appretiati, laudari. Neque enim ea mens Hieronymi fuit, qui se tradit vidisse quidem eum librum Jeremiæ falso ascriptum, in quo verba quæ Matthæus laudat, ad litteram inveniebantur; sed ad ejus sententiam quod attinet, tantum abest, ut ab illo putarit Apocrypho accepta, ut magis a propheta Zacharia desumi contendat. *Legi*, inquit, *nuper in quodam Hebraico volumine, quod Nazarenæ sectæ mihi Hebræus obtulit, Jeremiæ* APOCRYPHUM, *in quo hæc* (Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel, *etc.*) *ad verbum scripta reperi. Sed tamen mihi videtur magis de Zacharia sumptum testimonium: Evangelistarum et Apostolorum more vulgato, qui verborum ordine prætermisso, sensus tantum de Veteri Testamento proferunt in exemplum.* Ita plane et Origenes sensit: nec ferme dubito, quin ab illo, ut pleraque alia hujus Commentarii, S. Pater delibarit. Equidem cum illum recognosceremus, non minus multam in emendando ornandoque Hieronymi textu, quam in Origenianis laciniis, quas ille in sua transtulit, internoscendis exhibendisque industriam posuimus.

Subjungimus ad Scripturarum seriem Homilias triginta novem in Lucam, quas de Græco dudum laudati Origenis in Latinum Hieronymus explicavit, nosque ejus operum absolutissimæ Collectioni nunc primum junximus, ex Genebrardi editione huc ascitas, et plurium sane locorum instauratione illustriores. Ad Græcum earum exemplar quod attinet, jamdiu olim injuria temporum intercidisse, creditum est, cum recens illud repertum magna saltem ex parte a nupero Origenianorum Operum editore inaudimus. Homiliæ autem illæ, quæ *et diebus Dominicis dictæ* prænotantur, et lusus juvenilis ætatis a nostro habentur Interprete, tametsi unius Adamantii, non unius tamen sunt ejusdemque feturæ. Posteriores nempe sex, quæ cœptam Lucæ expositionem non continuant, nec prioribus triginta tribus, quæ rectum ordinem tenent, recta succedunt, ex alia Homiliarum strue videntur excerptæ. Cl. quoque Huetius multo ampliorem harum exstitisse congeriem ex eo probat, quod tomo XIII, in Joannem Auctor declarat, τὰ περὶ τῶν ἑκατὸν προβάτων ἔχειν εἰς τὰς κατὰ Λουκᾶν ὁμιλίας: *quæ ad centum ovium parabolam spectant, se in Homiliis in Lucam edisseruisse.* Cum enim in triginta novem his, quæ supersunt unice, nihil tale invenias, par omnino est credere alias, quæ ætatem non tulerint, et in quibus locus ille Evangelicus explicaretur, fuisse olim ab Auctore conscriptas. Quod porro ad earum interpretem Latinum spectat, ejusque interpretationis rationem, haud scio num calumniose Rufinus an vere S. Doctoris fidem in iis convertendis requirat, objiciatque multa ab eo vel addita fuisse pro lubitu, vel subtracta. Ejus hæc verba sunt Invectivarum libro secundo n. 26: *Secutus sum quod te videram in Homiliis secundum Lucæ Evangelium fecisse, ut ubi de Filio Dei in Græco non recte inveneras, præterieris, in illo loco ubi dicit:* Magnificat anima mea Dominum: et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo. *Nosti quia de anima, sicubi illa, quæ solent dici, non præterieris: sed ea*

adhuc, etiam ex te additis, quibusdam assertionibus, lucidius scripseris, ut in illo loco : Ecce ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit infans in utero meo : *ubi, dicis, quod non erat hoc principium substantiæ ejus, de tuo addidisti,* atque naturæ. Et paulo post : *De fide autem, id est, de Trinitate cum in aliquantis locis aliter invenisses, quæ tibi visa sunt, prætermisisti.* Equidem nobis, quod Græcus desit archetypus, haud est expeditum rem penitius agnoscere recteque, et ordine judicare: maxime vero cum nihil, quod peculiarem hanc objectionem spectat, sanctus ipse Pater æmulo obtrectanti reposuerit. Nihilo secius quod ait, supposuisse Hieronymum nonnulla, ubi de Joannis in Matris utero exsilientis anima sermo fuit, *quod non erat hoc principium substantiæ ejus*, et de suo addidisse *atque naturæ*, aut hæc hominis plusquam Vatiniana exercentis odia, calumnia est, aut quod suspicari malim, ab Hieronymiano exemplari sublata sunt postmodum verba illa, seu potius tota pericopa : nulla enim est ejus rei vola aut vestigium in totis quinque homiliis a septima ad duodecimam, in quibus aut ex proposito Evangelii textu poterat, aut pro re nata ejusmodi sermo incidisse. Et tamen ita sibi universa orationis series cohæret, ut ipse Origenes, nedum ejus interpres ab ea se disputatione cohibuisse videatur. Sed neque in cæteris, ubi peregrinis in locis Præcursoris ille saltus laudatur, invenire est eam sententiam : ut tandem subdubitarit Tillemontius, num hæ ipsæ sint, quas Hieronymus vertit, Rufinus suggillat, Homiliæ Origenis in Lucam. Verum nulla ejus dubitationis est ratio, consentientibus in ejus interpretationis germanitatem reliquis omnibus cum facti adjunctis, tum Veterum monimentis ac testimoniis. Jam vero tempus, quo versionem hanc suam adornavit S. Pater, in annum octogesimum nonum supra trecentesimum, verius quam ut vulgo obtinet, in superiorem, conjecerim. Hunc nempe videtur ipse indicare in Catalogo, ubi statim a Didymi libro de Spiritu sancto, quem pariter Latine reddidisse hoc anno, constituimus, versionem hanc Homiliarum memorat. Id ipsum innuit et præcedentium proxime Operum series, et præcipue de Locis, et de Hebraicis Nominibus libri, quos ad superiorem 388 diximus pertinere. Demum quod ipsemet in prologo hujusce interpretationis testatur, *Prætermisisse paululum Hebraicarum Quæstionum libros, ut ad arbitrium Paulæ et Eustochii lucrativis operis hæc, qualiacumque sunt, non sua, sed aliena dictaret.* Quo quidem in loco fallitur Tillemontius splendide, cum hac ipsa de causa indiligentiæ in suis recensendis ad ætatis prærogativam scriptis, Hieronymum accusat, quod pluribus interjectis post Quæstiones Hebraicas in Genesin libris, hasce demum Homilias non suo loco supputet. At cum ait Hieronymus, Quæstiones Hebraicas se paululum intermisisse, ut hisce interpretandis ex Adamantio vacaret : jam non, ut falso Tillemontius putat, Quæstiones Hebraicas in Genesin dixit, quas pridem vulgaverat, sed ἁπλῶς, *Quæstionum Hebraicarum libros*, puta in reliquam Scripturam, quod opus diu præ manibus habuit, et longæ moræ tædio fortasse etiam respuit. Hoc vero animadvertisse Tillemontium necesse erat, ne quod facere amat, diligentissimum scriptorem immerito redargueret incuriæ.

Gradum hinc facimus ad Commentarios in quatuor Pauli Epistolas, in quas scripsit unice S. Pater, recognoscendas. Aberrabant scilicet a vero longissime, qui totum fuisse abs Hieronymo Apostolum Commentariis illustratum, jam inde a Cassiodorii ætate arbitrati sunt : unde hic diu multumque in reliquis perquirendis frustra desudavit. Imposuit, opinor, studiosis viris locus ille prologi alterius libri in Epist. ad Ephesios, ubi absolute ait S. Doctor, *Pauli Epistolas conamur exponere :* ac de universis dictum acceperunt, quod ille de his modo quas habebat præ manibus, dixit. Accesserit ad fraudem faciendam falso in antiquis libris Hieronymo ascriptus *Commentarius in omnes Pauli Epistolas*, illa quæ est ad Hebræos excepta : quod tamen Opus tantum abest ut Hieronymi, quin immo sit infensissimi ejus hostis Pelagii nefarii hæresiarchæ, cujus ad declinandam invidiam nominis, Hieronymianum substituerunt librarii, quorum et vendibiliorem esse mercem intererat. Sed jamdudum fraude detecta, in postremum tomum inter supposititia amandatum est, nosque ibi suo recensebimus loco. His igitur quatuor duntaxat explicandis industriam suam probavit Hieronymus. Ab ea autem quæ ultimo loco erat ad Philemonem, initium scribendi fecit, ut morem Paulæ et Eustochio gereret : quæ, ut ipse tradit primis Commentarii verbis, recusantem se obnixe in Pauli Epistolas scribere, *saltem parvam, et quæ ut numero versuum, ita sensu quoque et ordine videbatur extrema, ut dissereret, coegerunt.* Brevem libellum una, ut par est credere, lucubratiun-

cula absolvit : statimque ad eam transiit exponendam, quæ Galatis inscripta est : *Pauci admodum*, ait ipse in prologo, *dies sunt, ex quo Epistolam Pauli ad Philemonem interpretatus, ad Galatas transcenderam.* Tribus opus istud libris comprehendit, in quibus ut sint sane omnia quæ auctor edisserit, utilia cum primis atque illustria, insignis ille præmonstrandus est locus, ubi ad cap. I, vers. 4, de עלם varia significatione et scriptura disputat : quo uno ab enormi luxatione nunc primum a nobis restituto, verus tandem, isque elegantissimus elucet S. Doctoris sensus, ejusque summa Hebræarum litterarum peritia contra æmulorum calumnias, quæ integris constant libris, asseritur. Rursus *post paucos dies* ab eo Commentario ad inscriptam Ephesiis Epistolam enarrandam, quemadmodum in præfatione testatur, se contulit. Hoc autem in opere ita sibi videtur perplacuisse, ut ex eo voluerit aliquando suam fidem, quæ favoris in Origenem notabatur ab æmulis, æstimari. Denique ad Titum quæ inscribitur, paulo post brevi Commentario exposuit. Tempus ipse designat ad capitis primi versum undecimum, ubi se ait : *Ante paucos menses tria volumina in Epistolæ ad Galatas explanatione dictasse.* Jam vero ex tota Expositionum istarum serie colligimus, ad eumdem omnes annum pertinere, cujus et paucos menses explevisse, subducta uniuscujusque ratione, compertum est. Qui autem his proprie fuerit, ex eo quem in Catalogo obtinent loco, ubi Quæstionibus in Genesim proxime præponuntur, facile intelligas. Eoque magis confirmes testimonio quod habes in cap. v Epist. ad Ephesios, ubi eo ipso tempore Quæstionum Hebraicarum opus moliri se animo profitetur. Si recte igitur constituimus suo loco, ad annum 388 Quæstiones Hebraicas in Genesim pertinere istas superiori proxime octogesimo septimo supra trecentesimum tribuendas, nihil erit dubium.

Tomum explet Appendix, quæ Breviarium in Psalterium (*a*), aliosque in Psalmos Tractatus falso ascriptos Hieronymo continet, de quibus in peculiari iis præfixa *Admonitione* satis abundeque diximus. Reliquum modo est unum, ut quando non ultima Hieronymiani nominis laus est : *Principibus placuisse viris;* hanc scias editionem nostram debere plurimum illustrissimo nostræ hujus Ecclesiæ pontifici Jo. BRAGADENO, qui eam et summa pridem cum benignitate excepit, et præsidio humanitatis suæ fovit : denique et in præmii fecit spem erigi. Quod ego non tam eo dico animo, ut publicum favoris ejus monimentum ære perennius exstare velim, quam ut litteratus orbis ejus prolixissimæ in litteras voluntati fausta omnia precetur, et majora in dies speret scientiæ ac pietatis incrementa.

(*a*) In nostræ editionis appendice primas obtinet Commentarius in Jobum, quem eo loci, propter rationes in exordio ipsius commentarii expositas, transtulimus. EDIT.

S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

[a] COMMENTARIORUM IN EVANGELIUM MATTHÆI

AD EUSEBIUM

LIBRI QUATUOR.

Prologus.

1-2 Plures fuisse, qui Evangelia scripserunt, et Lucas evangelista testatur, dicens : *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem rerum, quæ in nobis completæ sunt, sicut tradiderunt nobis, qui ab initio*

[a] Sex mss. codices huic recognoscendo in Matthæum *Commentario* suppetias tulerunt. Unus prægrandi forma, probæ autem notæ, ex Bibliotheca S. Crucis in Jerusalem de Urbe. Tres Vaticano-Palatini numeris 176, 177 et 181 prænotati, e quibus priores duo vetustate atque emendatione insignes. Item alius

ipsi viderunt [a] *sermonem, et ministraverunt ei*; et perseverantia usque ad præsens tempus monimenta declarant, quæ a diversis auctoribus edita, diversarum hæreseon fuere principia, ut est illud juxta [b] Ægyptios, et Thomam, et Matthiam, et Bartholomæum, duodecim quoque **3-4** apostolorum, et [c] Basilidis atque Apellis, ac reliquorum, quos enumerare longissimum est : cum hoc tantum in præsentiarum necesse sit dicere, exstitisse quosdam, qui sine spiritu et gratia Dei conati sunt magis ordinare narrationem, quam historiæ texere veritatem. Quibus jure potest illud propheticum coaptari : *Væ qui prophetant de corde suo : qui ambulant post spiritum suum, qui dicunt : hæc dicit Dominus; et Dominus non misit eos* (*Ezech.* XIII, 3). De quibus et Salvator in Evangelio Joannis loquitur : *Omnes qui ante me venerunt fures fuerunt et latrones* (*Joan.* X, 8). Qui venerunt : non, qui missi sunt. Ipse enim ait : *Veniebant, et ego non mittebam eos* (*Jer.* XIV, 14; *et* XXIII, 21). In venientibus, præsumptio temeritatis; in missis, obsequium servitutis est. Ecclesia autem, quæ supra petram Domini voce fundata est, quam introduxit rex in cubiculum suum (*Cant.* I *et* II), et ad quam per foramen descensionis occultæ misit manum suam (*Cant.* V), similis damulæ hinnuloque cervo- A rum (*Cant.* II, 9), quatuor flumina paradisi instar eructans (*Gen.* II), quatuor et angulos et annulos habet [*Al.* habens], per quos quasi arca Testamenti et custos Legis Domini, lignis [d] immobilibus vehitur (*Exod.* XXV, 10 *seqq.*).

Primus omnium Matthæus est Publicanus, cognomento Levi, qui Evangelium in Judæa Hebræo [e] sermone edidit, ob eorum vel maxime causam, qui in Jesum crediderant ex Judæis, et nequaquam Legis umbram, succedente Evangelii veritate, servabant. Secundus Marcus, interpres apostoli Petri, et Alexandrinæ ecclesiæ primus episcopus, qui Dominum quidem Salvatorem ipse non vidit, sed ea quæ magistrum audierat prædicantem, juxta fidem magis gestorum narravit quam ordinem. Tertius Lucas medicus, na- B tione Syrus Antiochensis (cujus laus in Evangelio), qui et ipse discipulus apostoli Pauli, in Achaiæ [f] Bœotiæque partibus volumen condidit (II *Cor.* VIII), quædam altius repetens, et ut ipse in prooemio confitetur, audita magis, quam visa describens. Ultimus Joannes apostolus et evangelista, quem Jesu amavit plurimum, qui supra pectus Domini recumbens (*Joan.* XIII et XXI), purissima doctrinarum fluenta potavit, et **5-6** qui solus de cruce meruit audire : *Ecce mater tua* (*Joan.* XIX, 27). Is cum esset in Asia, et jam tunc

Palatinus sub num. 5, quem vexatis tantummodo locis in consilium adhibuimus. Denique unus Vaticanus, olim Reginæ Suecorum, num. 40, quem bonæ frugis cum primis experti sumus.

[a] Cod. S. Crucis, *et sermonis ministri fuerunt.*

[b] Hoc nimirum pseudo-Evangelio Encratitæ, Julius Cassianus, Valentiniani et Sabelliani passim usi sunt. Quædam ex eo laudat exponitque loca Clemens Alexandrin. Stromat. III. Memorat et Origenes Homil. 1 in Lucam, et Epiphanius Hæres. 62, ut recentiores prætercam. Conferendus tamen est S. Ambrosius Prooemio in Lucam, qui et *Evangelium juxta Thomam* memorat. Hoc porro idem videtur esse, quod *Evangelium infantiæ Salvatoris* apud alios audit, puta Irenæum, Epiphanium, Athanasium, Eusebium, Chrysostomum, Cyrillum, pluresque alios, exstatque hodienum Arabice; in Græco autem fragmento Thomæ apostolo ascribitur. Aliud Evangelium *juxta Matthiam*, idem Ambrosius loco laudato novit, quamquam ex Origene delibasse testimonium videri possit. Jam et Evangelium *Bartholomæi* aliis Patribus memoratur, Gelasio in decreto de Apocryphis libris, et Bedæ Commentario in Lucam. At non temere docti viri suspicantur, illud pro Bartholomæi habitum Evangelio, quod Matthæi Hebraicum fuisse, a Bartholomæo in Indiam delatum, ibique a Pantæno inventum, narrant Eusebius lib. V Hist. c. 10, et Nicephorus lib. IV, c. 32. Denique et Evangelium *duodecim Apostolorum* sæpe laudatus Ambrosius, Theophylactus atque alii noverunt. Ubi vero ejus iterum meminit noster Hieronymus Dialogo 3 advers. Pelagian. initio, illud ipsum, quod vulgo *juxta Hebræos* dicebatur, et quo utebantur tum temporis Nazareni, ipse *secundum Apostolos* vocat. Recole quæ in hunc nos locum pridem observavimus.

[c] Laudati Origenes atque Ambrosius in Lucam Evangelii *Basilidis* meminere. Eusebius lib. IV Hist. c. 7 : *Viginti quatuor libros in Evangelium a Basilide conscriptos* ex S. Irenæo memorat, qui *validissimam confutationem* illis opposuit. Denique novit *Apellis* Evangelium Beda sub initium Commentarii in Lucam. Quamquam non novi ille auctor Evangelii, sed veterum germanorum corruptor atque interpolator potius videatur : idque ex Origenis Epist. ad Charos suos in Alexandria colligant eruditi viri.

[d] In præstantissimo codice monasterii nostri S. Andrææ secus Avenionem, *lignis mobilibus vehitur :* in altero codice monasterii, item nostri S. Remigii, ita legimus : *lignis imputribilibus vehitur*. Quæ varia le- C ctio vera esse potuisset propter vecles de lignis Setim, Exod. XXV, 13; nisi versu consequenti 15 diceretur, *Qui semper erunt in circulis, nec umquam extrahentur ab eis.* Hinc error prioris codicis ms. redarguitur. Vectes itaque immobiles *ligna immobilia* dixit Hieronymus. MART.—Tres e nostris mss. *mobilibus*, duo *imputribilibus*, secunda manu pro *immobilibus*, quod probe notatum Martianæo est retineri debere ex eo, quem S. Doctor alludit, versiculo exod. XXV, 15, de hisce lignis, *quæ semper erunt in circulis, nec umquam extrahentur ab eis.*

[e] At quæ Græce primum ab ipso Matthæo scriptum Evangelium tenet, doctissimorum hominum sententia veritati propior et nobis videtur : quædam adeo in eam rem argumenta congessimus ad catalogi cap. 3, quæ hic piget recoquere. Contrariæ opinionis, quam et Hieronymus probat, auctor habetur Papias apud Eusebium Hist. Eccl. III, 39. Interim opinari malim, hanc ex Origene sententiam, ut et pleraque alia in Commentariis, S. Doctorem delibasse. Verba D quidem pene eadem sunt ex Fragmento Tomi primi Commentarior. in Matthæum, quæ hic libet describere : Πρῶτον μὲν γέγραπται τὸ κατὰ τόν ποτε τελώνην, ὕστερον δὲ ἀπόστολον Ἰησοῦ Χριστοῦ Ματθαῖον, ἐκδεδωκότα αὐτὸ τοῖς ἀπὸ Ἰουδαισμοῦ πιστεύσασι, γράμμασιν Ἑβραϊκοῖς συντεταγμένον. Δεύτερον δὲ τὸ κατὰ Μάρκον, ὡς Πέτρος ὑφηγήσατο αὐτῷ ποιήσαντα, etc. *Primum Evangelium scriptum est a Matthæo, prius quidem Publicano, postea vero apostolo Jesu Christi, qui illud Hebraico sermone conscriptum Judæis ad fidem conversis publicavit. Secundum fuisse accepimus Evangelium Marci, qui prout Petrus ipsi exposuerat, in litteras retulit*, etc.

[f] Plerique mss. *Bithyniæque* præferunt. Et Hieronymianæ quidem opinioni de Achaia et Bœotia multa adversantur Veterum testimonia, et cum primis Syriacæ versionis auctoritas, quæ in Ægypto, sive Alexandriæ, elucubratum a Luca Evangelium tradit.

hæreticorum semina pullularent, Cerinthi, Ebionis, et cæterorum qui negant Christum in carne venisse (quos et ipse in epistola sua antichristos vocat [I *Joann.* II, 18], et apostolus Paulus frequenter percutit [*Rom.* III; II *Cor.* V]), coactus est ab omnibus pene tunc Asiæ episcopis, et multarum Ecclesiarum legationibus, de divinitate Salvatoris altius scribere, et ad ipsum (ut ita dicam) Dei Verbum, non tam audaci, quam felici temeritate prorumpere. [a] Et Ecclesiastica narrat historia, cum a fratribus cogeretur ut scriberet, ita facturum se respondisse, si indicto jejunio in commune omnes Deum precarentur [*Al.* deprecarentur] : quo expleto, revelatione saturatus, in illud prooemium cœlo veniens eructavit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum* (*Joan.* I). Hæc igitur quatuor Evangelia multo ante prædicta, Ezechielis quoque volumen probat, in quo prima visio ita contexitur : *Et in medio sicut similitudo quatuor animalium : et vultus eorum facies hominis, et facies leonis, et facies vituli, et facies aquilæ* (*Ezech.* I, 5 *et* 10). Prima hominis facies Matthæum significat, qui quasi de homine exorsus est scribere : *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham* (*Matth.* I). Secunda Marcum, in quo [*Al.* qua] vox leonis in eremo rugientis auditur : *Vox clamantis in deserto* [Al. *eremo*], *parate viam Domini, rectas facite semitas ejus* (*Marc.* I, 3). Tertia vituli, quæ evangelistam Lucam a Zacharia sacerdote sumpsisse initium præfigurat. Quarta Joannem evangelistam, qui assumptis pennis aquilæ, et ad altiora festinans, de Verbo Dei disputat. Cætera quæ sequuntur in eumdem sensum proficiunt. Crura eorum recta, et pennati pedes, et quocumque ibat spiritus, ibant, et non revertebantur : et dorsa eorum plena oculis, et scintillæ ac lampades in medio discurrentes, et rota in rota, et in singulis quatuor facies. Unde et Apocalypsis Joannis, post expositionem viginti quatuor seniorum qui tenentes citharas et phialas, adorabant [*Al.* adorant] Agnum Dei, introducit fulgura, et tonitrua, et septem spiritus discurrentes, et mare

A vitreum et quatuor animalia plena oculis (*Apoc.* IV *et* V), dicens : *Animal primum simile leoni, et secundum simile vitulo, et tertium simile homini, et quartum simile aquilæ volanti.* Et post paululum : *Plena erant*, inquit, *oculis, et requiem non habebant die ac nocte, dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est* (*Apoc.* IV, 7, 8). Quibus cunctis perspicue ostenditur, quatuor tantum Evangelia debere suscipi, et [b] omnes apocryphorum nænias mortuis magis hæreticis, quam Ecclesiasticis vivis canendas. Satisque miror, [c] Eusebi dilectissime, cur Romam subito navigaturus, hanc tibi a me quasi [d] sitarciam dari volueris, ut Matthæum breviter exponens, verbis stringerem, sensibus dilatarem. Si meminisses responsio-

B nis meæ, numquam in paucis diebus rem annorum peteres. Primum enim difficile est omnes legere qui in Evangelia 7-8 scripserunt. Deinde multo difficilius, adhibito judicio, quæ optima sunt recipere. [e] Legisse me fateor ante annos plurimos in Matthæum Origenis viginti quinque volumina, et totidem ejus Homilias, commaticumque interpretationis genus : et Theophili Antiochenæ urbis episcopi Commentarios : Hippolyti quoque martyris, et Theodori Heracleotæ, Apollinarisque Laodiceni, ac Didymi Alexandrini ; et Latinorum, Hilarii, Victorini, [f] Fortunatiani Opuscula, e quibus etiamsi parva carperem, dignum aliquid memoria scriberetur. At tu in duabus hebdomadibus, imminente jam Pascha, et spirantibus ventis, dictare me cogis : ut quando notarii excipiant, quando

C scribantur schedulæ, quando emendentur, quo spatio digerantur ad purum, [g] maxime cum scias me ita tribus mensibus languisse, ut vix nunc ingredi incipiam ; nec possim laboris magnitudinem brevitate temporis compensare. Igitur, omissa auctoritate Veterum, quos nec legendi, nec sequendi mihi facultas data est, historicam interpretationem, quam præcipue postulasti, digessi breviter : et interdum spiritualis intelligentiæ flores miscui, perfectum opus reservans in posterum. Si autem mihi [h] vita longior fuerit, aut tu in redeundo tua promissa compleveris, tunc nitar

[a] Editi legunt : *Unde et Ecclesiastica narrat*, etc. In aliquot mss. codicibus post vocem *prorumpere*, sequitur : *ut Ecclesiastica narrat*, etc. Alii retinent quod edidimus. MART. — Continenti serie duo Palatini vetustiores mss. legunt, *prorumpere, ut Ecclesiastica narrat historia.* Alii cum pridem vulgatis libris, *Unde et Ecclesiastica*, etc.

[b] Unus S. Crucis mss., *et omnia apocryphorum venena mortuis*, etc. Eusebius porro, quem S. Doctor compellat, celeberrimus ille Cremonensis est, cui et in Jeremiam Commentarios inscripsit, et quem passim alibi laudat.

[c] Eusebius iste Cremonensis est, cui etiam in Jeremiam Commentarios dedicavit Hieronymus. Porro non fuit Hieronymo longior vita ad perficiendos Commentarios in Matthæum, uti se facturum speraverat, neque scripsit in Canticum canticorum, quia ab his operibus ægrotatione diuturna ac tandem morte ipsa exclusus est. MART.

[d] Nostri mss. minus recta scriptura, quæ tamen in veteribus libris obvia est, *sistarchiam*, aut *sistarciam*. Græce σιταρχία dicitur, sonatque *commeatum* : in Latino sæpius pro canistro sumitur, quo edulia continentur.

[e] Duo mss., *Legi, fateor*; et mox, *Adamantii* nomen pro *Origenis*; demum, *commaticum quoque* pro *commaticumque* præferunt.

[f] In aliis mss. *Fortunatus* appellatur, de quo Lib. de Viris Illustribus cap. 97. Mox pro *carperem*, quod

D nostri mss. substituunt, lectum antea *caperem*.

[g] Satis commoda duo Palatini mss. addunt, *minime attendas*. Cæterum huc sunt omnino referenda, quæ de ægra valetudine, deque ipso Matthæi Commentario paria his ipse memorat Hieronymus in fine Epist. 73 ad Evangelum : *Ego*, ait, *post longam ægrotationem vix in Quadragesima diebus febri carere potui : et cum alteri me operi præpararem, paucos dies qui supererant, in Matthæi expositione consumpsi : tantaque aviditate studia omissa repetivi, ut quod exercitationi linguæ profuit, nocuerit corporis valetudini.*

[h] Penes Victorium, *Vita largior*, id est, quæ non ægra subinde laboret valetudine : placetque adeo magis hæc lectio. Nimirum Hieronymus viginti plus minus annos ab hac elucubratione in vivis superfuit : satisque imperite notatum est Martianæo, non fuisse

implere quod reliquum est, immo jactis fundamentis, A et ex parte constructis parietibus, pulcherrimum culmen imponam, ut scias quid intersit inter subitam dictandi audaciam, et elucubratam scribendi diligentiam. Certe nosti, et mendacii mei erubescerem te testem vocare, quod præsens opusculum tanta celeritate dictaverim, ut aliena magis legere, quam mea condere me putares. Nec hoc de arrogantia et fiducia ingenii dictum putes, sed quod ostendere tibi cupiam quantum apud me valeas, qui periclitari magis apud doctos voluerim, quam tibi sedule postulanti quidquam negare. Unde obsecro, ut si incomptior sermo est, et non solito lapsu fertur oratio, festinationi hoc tribuas, non imperitiæ, et des exemplaria, cum Romam veneris, Virgini Christi Principiæ, quæ me rogavit, ut in Canticum canticorum scriberem, [a] a quo opere exclusus ægrotationæ diuturna, spem in futurum distuli: hac te lege constringens, ut si tu ei ad te scripta subtraxeris, illa quoque armariolo sibi postea scribenda concludat.

in posterum, S. Doctori longiorem vitam ad perficiendos Commentarios in Matthæum, uti se facturum speraverat, neque scripsisse in Canticum canticorum, quia ab his operibus ægrotatione diuturna ac tandem morte ipsa exclusus fuerit. Liquet enimvero ex rerum Hieronymianarum serie aliis eum de causis B tam ab isto recognoscendo, quam ab illo inchoando Commentario abstinuisse.

a Huc refer epistolæ 65, ad eamdem Principiam postrema verba, *ut tu quæ partem intellexisti carminis, si vita comes fuerit, et totum Canticum canticorum intelligas.*

LIBER PRIMUS.

9 (Caput I. — Vers. 1.) Liber *generationis Jesu Christi.* In Isaia legimus; *Generationem ejus quis enarrabit* (*Isai.* LIII, 8)? Non ergo putemus Evangelistam [*Al.* Evangelium] prophetæ esse contrarium, ut quod ille impossibile dixit effatu, hic narrare incipiat: quia ibi de generatione divinitatis, hic de incarnatione est dictum. A carnalibus autem cœpit, ut per hominem Deum dicere incipiamus.

Filii David, filii [a] *Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam* C *et fratres ejus.* Ordo præposterus, sed necessario commutatus. Si enim primum posuisset Abraham, et postea David: rursus ei repetendus fuerat Abraham, ut generationis series texeretur. Ideo autem, cæteris prætermissis, horum filium nuncupavit; quia ad hos tantum est facta de Christo repromissio, ad Abraham: *In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII, 18), quod est Christus. Ad David: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Ps.* CXXXI, 11.)

(Vers. 3.) *Judas autem genuit Phares, et Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson.* Notandum in genealogia Salvatoris nullam sanctarum assumi mulierum; sed eas quas Scriptura reprehendit, ut qui propter pec- D catores venerat, de [b] peccatoribus nascens, omnium peccata deleret. Unde et in consequentibus Ruth Moabitis ponitur, et Bethsabee uxor Uriæ.

(Vers. 4 seqq.) *Naasson autem genuit Salmon.* [c] *Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David regem.* 10 *David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abia autem genuit Asa. Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram.* Iste est Naasson princeps tribus Judæ, sicut in Numeris legimus (*Num.* I *et* II).

Joram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Joathan. Joathan autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam. Josias autem genuit Jechoniam et fratres ejus in transmigratione Babylonis. In quarto Regum volumine (*Capp.* III, VIII *et seqq.*) legimus de Joram Ochoziam fuisse generatum, quo mortuo, Josabeth filia regis Joram, soror Ochoziæ tulit Joas filium fratris sui, et eum internecioni, quæ exercebatur ab Athalia [*Al.* Atholia], subtraxit. Cui successit in regnum filius ejus Amasias, post quem regnavit filius ejus Azarias, qui appellatur et Ozias [*Al.* Ochozias]: cui successit Joathan filius ejus. Cernis ergo quod secundum fidem historiæ tres reges in medio fuerint, quos hic Evangelista prætermisit: Joram quippe non genuit Oziam, sed Ochoziam: et reliquos quos enumeravimus. Verum quia Evangelistæ propositum erat tres [d] tessarescedecades in diverso temporum statu ponere, et Joram generi se miscuerat impiis-

[a] Quæ hinc subsequuntur Scripturæ verba, *Abraham genuit*, etc. In nostris mss. desiderantur, quibus solemne est, ea dumtaxat proferre commata, quæ subsequens expositio enarrat.

[b] Rabbanus legit *de peccatricibus.*

[c] Hic quoque reliquum Scripturæ textum mss. nostri tacent. Continuant vero sic: *Iste est Salmon princeps tribus*, etc. Sic olim vulgati *Salmon* pro *Naasson* præferebant perperam. Ad eum modum et in subsequenti pericope a verbis, *Joathan autem genuit Achaz*, reliquos versus prætereunt: denique, *In quarto Regnorum*, pro *Regum* legunt.

[d] Sic habent plerique omnes mss. ex his etiam quos Martian. consuluit. Græc. τεσσαρεσκαιδέκαδες. Antea erat *tessaradecades.* Quod et Rabbanus præfert.

simæ Jezabel, idcirco usque ad tertiam generationem ejus memoria tollitur, ne in sanctæ nativitatis ordine poneretur. A

(Vers. 12 seqq.) *Et post transmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem* **11** *genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Matthan. Matthan autem genuit Jacob.* Si voluerimus Jechoniam in fine primæ tessarescedecadis [*Al.* tesseradecadis] ponere, in sequenti non erunt quatuordecim, sed tredecim. Sciamus igitur, Jechoniam priorem ipsum esse quem et [a] Joacim · secundum autem, filium, non patrem : quorum prior per *c* et *m*, sequens per *ch* et *n* scribitur : B quod scriptorum vitio, et longitudine temporum, apud Græcos Latinosque confusum est.

(Vers. 16.) *Jacob autem genuit Joseph.* Hoc [b] loco objecit nobis Julianus Augustus dissonantiam Evangelistarum, cur evangelista Matthæus Joseph dixerint filium Jacob : et Lucas eum filium appellarit Heli; non intelligens consuetudinem Scripturarum, quod alter secundum naturam, alter secundum Legem ei pater sit. Scimus enim hoc per Moysen Deo jubente præceptum, ut si frater aut propinquus absque liberis mortuus fuerit, alius ejus accipiat uxorem ad suscitandum semen fratris vel propinqui sui (*Deut.* II). Super hoc et Africanus temporum scriptor et Eusebius Cæsariensis in libris διαφωνίας εὐαγγελίων plenius disputarunt. C

(Vers 17.) *Virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.* Cum virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum; sed recordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsi viri, et sponsæ vocentur uxores.

(Vers. 18.) *Et a transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim.* Numera a Jechonia usque ad Joseph, et invenies generationes tredecim. Quarta decima ergo generatio in ipsum Christum reputabitur.

Christi autem generatio sic erat. Quærat diligens lector et dicat : Cum Joseph non sit pater Domini Salvatoris, **12** quid pertinet ad Dominum generationis ordo deductus usque ad Joseph? Cui respondebimus primum, non esse consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur. Deinde ex una tribu fuisse Joseph et Mariam : unde ex Lege eam accipere cogebatur ut propinquam, et quod simul censetur in Bethleem, ut de una videlicet stirpe generati.

Cum esset desponsata mater ejus Maria [c] *Joseph.* Quare non de simplici Virgine, sed de desponsata concipitur? Primum, ut per generationem, Joseph, origo Mariæ monstraretur. Secundo, ne lapidaretur a Judæis ut adultera. Tertio, ut in Ægyptum fugiens haberet solatium [d] mariti. Martyr Ignatius etiam quartam addidit causam, cur a desponsata conceptus sit : ut partus, inquiens, ejus celaretur diabolo, dum eum putat non de Virgine, sed de uxore generatum.

Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Non ab alio inventa est nisi a Joseph, qui pene licentia maritali futuræ uxoris omnia noverat. Quod autem dicitur, *Antequam convenirent :* non sequitur, ut postea convenerint; sed Scriptura quod factum non sit, ostendit.

(Vers. 19.) *Joseph autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens.* Si quis fornicariæ conjungitur, unum corpus efficitur (I *Cor.* VI, 16). Et in Lege præceptum est, non solum reos, sed et conscios criminum obnoxios esse peccati (*Levit.* V) : quomodo Joseph cum crimen celet [*Al.* celaret] uxoris, justus scribitur : Sed hoc testimonium Mariæ est, quod Joseph sciens illius castitatem, et admirans quod evenerat, celat silentio, cujus mysterium nesciebat.

(Vers. 20.) *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam* [e] *conjugem tuam. Quod enim in* **13** *ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium.* Jam et supra diximus sponsas uxores appellari, quod plenius

[a] Duo Palatin. mss., *Secundum autem Joachin filium non patrem*, etc. Recole, quod et notatum Martianæo est, ipsum Hieronymum latius hac de re disputantem in Commentario in Daniel. cap. I : *Nemo* inquit, *putet eumdem in Danielis principio esse* Joacim, *qui in Ezechielis exordio* Joachin *scribitur : iste enim extremam syllabam* chin *habet, ille* cim. *Et ob hanc causam in Evangelio secundum Matthæum una videtur deesse generatio, quia secunda τεσσαρακαιδέκας in* Joacim *definit filio Josiæ, et tertia incipit a* Joachin *filio* Joacim. *Quod ignorans Porphyrius calumniam struit Ecclesiæ, suam ostendens imperitiam, dum evangelistæ Matthæi arguere nititur falsitatem.* Vide et quæ in hunc locum observamus. Mox iidem Palatini mss. legunt, *prior per K et M, sequens per X et N*, Græcis litteris.

[b] Rectius penes Rabbanum. Hunc locum objecit nobis Julianus Augustus de Dissonantia Evangelistarum. Africani verba subnectit Rabbanus ex Epistola ad Aristidem de Evangeliorum dissonantia : *Nobis ergo imminet. . . , secundum veritatem gesta sua tradiderunt :* quæ plurimum variant ab Eusebio, D qui hoc ipsum testimonium Africani lib. I Histor. cap. 7, recitat. Confer Nicephorum lib. I, cap. 11. MART.

[c] Pro *Joseph* nomine quod mss. omnes tacent, unus Cisterciens. substituit, *Quæritur quare*, etc.

[d] Vocem *mariti* plerique vulgati libri tacent. Unus ms. Sorbonic. Martianæo teste, habet *maritale*, quæ et ipsa videtur abundare. Pseudo-Theophilus Anthiochenus lib. I Commentariorum in Evangelia, cum hunc ex Hieronymo locum totidem exscripsisset verbis, *viri* tamen pro *mariti* legit. Demum quæ ex S. Ignatio martyre quarta additur causa, sub finem ejus Epistolæ ad Ephesios utcumque innotescit. Hanc ex Hieronymo pericopem affert vetus ms. codex capituli Veronensis, continens Alchuini Opuscula : in quo nomen S. Ignatii Martyris reticetur, legiturque tantummodo *Quarto ut partus*, etc. Verum S. Hieronymus potius ex Origene Homil. VI in Lucam, quam ex Ignatio ipso recitarit.

[e] Tres Palatin. mss., *uxorem*, quam et in subnexa expositione vocem Hieron. probat.

liber adversus Helvidium docet: et blandientis affectu ei per somnium Angelus loquitur, ut justitiam silentii comprobaret. Simulque notandum, quod Joseph filius esse dicatur [*Al.* dicitur] David, ut Maria quoque de stirpe David monstraretur.

(Vers. 21.) *Et vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Jesus Hebraico sermone *Salvator* dicitur. Etymologiam ergo nominis ejus evangelista signavit, dicens : *Vocabis nomen ejus* [a] *Jesum;* quia ipse salvum faciet populum suum.

(Vers. 22 seqq.) *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus. Exsurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei angelus Domini.* Pro eo quod evangelista Matthæus dicit, *in utero habebit*, in propheta scriptum est, *in utero accipiet.* Sed propheta, quia futura prædicit, significat quid futurum sit, et scribit, *accipiet :* evangelista autem, quia non de futuro, sed de præterito narrat historiam, mutavit *accipiet*, et posuit *habebit.* Qui enim habet, nequaquam accepturus est. Tale quid et in Psalmis legimus ; *Ascendens in excelsum, captivam duxit captivitatem : accepit dona in hominibus* (*Ps.* LXVII, 19) Hoc testimonium apostolus ponens, non dixit, *accepit*, sed *dedit :* quia ibi de futuro significatum est, quod accepturus esset : hic de eo narrat [b] historia, qui jam dederat quod acceperat.

C (Vers. 25.) *Et accepit conjugem suam, et non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum ; et vocavit nomen ejus Jesum.* Ex hoc loco quidam perversissime suspicantur, et alios filios habuisse Mariam, dicentes primogenitum non dici, nisi qui habeat et fratres : cum hic mos sit divinarum Scripturarum, ut primogenitum non eum vocent, quem

14 fratres sequuntur, sed eum qui primus natus sit.

A Lege supradictum libellum adversus Helvidium.

(Cap. II — Vers. 2 seqq.) *Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Hierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.* Ad confusionem Judæorum, ut nativitatem Christi a gentibus discerent, oritur in Oriente stella, quam futuram Balaam [c], cujus successores erant, vaticinio noverant. Lege Numerorum librum (*Cap.* XXIV). Deferuntur autem magi stellæ indicio in Judæam, ut sacerdotes a magis interrogati, ubi Christus nasceretur, inexcusabiles fierent de adventu ejus.

(Vers. 5.) *At illi dixerunt ei : in Bethleem Judææ. Sic enim scriptum est per prophetam : Et tu, Bethleem*

B *terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.* Librariorum hic error est. Putamus enim ab evangelista primum editum, sicut in ipso [d] Hebraico legimus, *Judæ*, non *Judææ.* Quæ est enim aliarum gentium Bethleem, ut ad distinctionem ejus hic *Judææ* poneretur? Judæ autem idcirco scribitur, quia est et alia Bethleem in Galilæa. Lege librum Jesu filii Nave (*Jos.* 19). Denique et in ipso testimonio, quod de Michææ prophetia sumptum est, ita habetur : *Et tu, Bethleem terra Juda* (*Mich.* V, 2).

(Vers. 11.) *Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham.* Pulcherrime munerum sacramenta Juvencus presbyter uno versiculo comprehendit :

Thus, aurum, myrrham, regique, hominique, Deoque
Dona ferunt.

Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam, etc. Qui munera obtulerant Domino, consequenter responsum accipiunt. Responsum autem (quod Græce dicitur χρηματισθέντες) non per angelum fit, sed per ipsum [e] Dominum, ut meritorum Joseph

[a] In aliquot mss. exemplaribus, *vocabitur nomen ejus Salvator ;* vel, *vocabis nomen ejus Salvatorem.* Mart.— Iidem mss. addito Cisterciensi, *nomen ejus Salvatorem, quia ipse salvum faciet*, etc. Eamdem lectionem in aliis exemplaribus Martian. reperit.

[b] In aliis mss. *de eo narratur, qui jam*, etc.

[c] Interserunt duo Palatin. mss. verbum *prædixerat.*

[d] Facile Nazaræorum codicem, quem sæpe laudat, ipseque ex Græco interpretatus est, hic sub Hebraici appellatione notat. Nec illud usque adeo probatur, quod Librariorum errori tribuit, ut *Judææ* pro *Judæ* scriptum sit : siquidem et τὴν Ἰουδαίαν, *Judæam*, vocant LXX terram tribus Judam, nec universam Hebræorum ditionis terram, sive Palæstinam, sed peculiarem designant regionem quæ regibus Juda ex David stirpe parebat : et probe non solum ab aliis gentibus, sed et a regionibus aliarum tribuum Israelis eo nomine distingueretur. Sic quod Jerem. XIV, 2, et Joel. III, 20, Hebraice est יהודה, Græce Ἰουδαία dicitur : et ab ipso Vulgato Interprete *Judæ* transfertur I Reg. XVII, 1, quod in Græco est Ἰουδαίας.

[e] Ferme persuasum fuit olim mihi, cubare locum istum in mendo, et pro *ipsum Dominum* rescribi debere uno verbo *insomnium*, ut sensus sit, magos quidem per insomnium, S. vero Josephum responsum accepisse per angelum. Nempe ut secum ipse S. Hieronymus constet, qui hanc visionis prærogativam præ illa, quæ magis facta est, S. Josepho tribuit, et prædicat, hac nimirum de causa, *ut meritorum Joseph privilegium demonstraretur.* Nam secus

D longe haberet, si magos dixit per *ipsum Dominum*, Josephum vero per angelum admonitum fuisse, cum Dei admonentis sequior esset conditio, contra quam veritas clamat, et S. ipse Pater conceptis verbis contendit. Quamobrem errore factum antiquariorum videatur ob aliquam inter se verborum *ipsum Dominum et insomnium* similitudinem, quæ facile potuerit criticus non nemo divisim quasi duo verba accipere, puta *in som*, *et nium*, quæ cum per se nihil significent, emendanda crediderit *insom* in *ipsum*, et *nium* in *Dominum*. Cætera enim et sacer textus lectioni *insomnium* fidem facit, et suffragatur rei veritas, denique ipsa Latinæ vocis proprietas ac vis, qua *insomnium* dicitur visio id quod postea accidit portendens.

Sed si mentem S. Doctoris probe assequimur, nihil esse quod hic loci emendemus, re paulo altius expensa constabit. Sentiebat quippe ille, responsa quæ *in somnis*, κατ' ὄναρ, haberentur, quæ χρησμούς Græci vocant, per *ipsum Deum* fieri, et χρησμὸν di-

15 privilegium demonstraretur. Revertuntur autem per aliam viam, quia infidelitati miscendi non erant et Judæorum.

(Vers. 13, 14.) *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum : et esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens, accepit puerum et matrem ejus nocte : et secessit in Ægyptum; et erat ibi usque ad obitum Herodis.* Quando tollit [*Al.* tulit] puerun. et matrem ejus, ut in Ægyptum transeat, nocte tollit et tenebris : quando vero revertitur in Judæam, nec nox, nec tenebræ ponuntur in Evangelio.

(Vers. 15, 16.) *Ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam, dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a magis, iratus est valde; et mittens, occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a magis.* Respondeant qui Hebræorum voluminum denegant veritatem, ubi hoc in LXX legatur interpretibus. Quod cum non invenerint, nos eis dicemus in Osee propheta scriptum (*Cap.* 11), sicut et exemplaria probare possunt quæ nuper edidimus. Possumus autem locum istum et aliter [a] conciliare [*Al.* consolari] propter contentiosos, quorum consuetudinem Paulus apostolus habere se denegat, et Ecclesiam Christi (1 *Cor.* 11): et testimonium proferimus ex Numeris, dicente Balaam : *Deus ex Ægypto vocavit eum : gloria ejus sicut unicornis* (*Num.* XXIII, 22).

(Vers. 17 seqq.) *Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem : Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt* (*Jerem.* XXXI, 15). *Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens : Surge, et accipe puerum et matrem ejus,* **16** *et vade in terram Israel.* De Rachel natus est Benjamin, in cujus tribu non est Bethleem (*Genes.* XXXV). Quæritur ergo quomodo Rachel filios Judæ, id est, Bethleem, quasi suos ploret? Respondebimus breviter, quia sepulta sit juxta Bethleem in Ephrata, et ex [b] materno corpusculi hospitio matris nomen acceperit. Sive quoniam Juda, et Benjamin duæ tribus junctæ erant, et Herodes præceperat non solum in Bethleem interfici pueros, sed et in omnibus finibus ejus. Per occisionem [*Al.* occasionem] Bethleem intelligimus multos etiam de Benjamin fuisse cæsos. Plorat autem filios suos, et non recipit consolationem, secundum duplicem intelligentiam. Sive quod eos in æternum mortuos æstimaret, sive quod consolari se nollet de his quos sciret esse victuros. Quod autem dicitur *in Rama*, non putemus loci nomen esse, [c] juxta Gabaa, sed *rama excelsum* (רמה) interpretatur, ut sit sensus : *Vox in excelso audita est*, id est, longe lateque dispersa.

(Vers. 20.) *Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.* Ex hoc loco intelligimus non solum Herodem, sed et sacerdotes et scribas eodem tempore necem Domini fuisse meditatos.

(Vers. 21.) *Qui surgens accepit puerum et matrem ejus,* [d] *et venit in terram Israel.* Non dixit, accepit filium suum, et uxorem suam, sed puerum, et matrem ejus, quasi nutritius, non maritus.

(Vers. 22.) *Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa, pro Herode patre suo, timuit illo ire : et admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ.* Multi labuntur errore propter ignorantiam historiæ, putantes eumdem esse Herodem, a quo in passione sua Dominus irridetur, et qui nunc mortuus esse refertur. Ergo Herodes ille qui cum Pilato postea amicitias fecit, hujus Herodis filius est, frater Archelai; quem et **17** ipsum Tiberius Cæsar [e] Lugdunum, quæ Galliarum est civitas, relegavit, fratremque ejus Herodem successorem regni fecit. Lege Josephi historiam.

(Vers. 23.) *Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur.* Si fixum de Scripturis posuisset exemplum, numquam diceret,

ci, quoties Deus per seipsum respondet. Passim hanc ejus sententiam dignoscere est in Commentariis in Prophetas, atque alibi : nam et de Hieronymi ipsius nomine, utpote reconditioris doctrinæ placitum ab ipsis Græcis lexicographis ad vocem χρησμος refertur. Sacer itaque textus hic ubi de Magis sermo est, verbo utitur χρησμωδέω, quod a χρησμὸς nomine derivatum, ejusdem plane est cum illo significationis; deque adeo illa S. Patris Græcorumque doctrina factum intelligetur responsum per *ipsum Dominum*; et si *per angelum* sacer idem textus factum Josepho responsum notat, cum utrumque tamen κατ' ὄναρ sive *in somnis* tam ipsi factum, quam Magis declaret, utrumque sane divinitus, sive per *ipsum Dominum* factum testatur: in eo autem plus habere honoris ac laudis istud Josephi, quod ab ipso Domino præterea angelus mittitur ad denuntiandum, *ut meritorum Joseph privilegium demonstraretur*. Salva sententia, salva res est : nec profecto temere injiciendæ sunt manus in S. Patris textum, quem libri omnes, mss. æque atque editi, quot sunt, quotque fuere, pari consensu, quin et liturgici ipsi scriptoresque omnes tuentur ac probant.

[a] Imperitissima hic lectio est in libris editis, scilicet, *Possumus autem locum istum et aliter consolari propter contentiosos*. Legendum itaque, *Possumus autem locum istum et aliter conciliare*, vel *et aliter confirmare... et testimonium proferimus ex Numeris*, etc.; ubique enim legimus, in singulari, *vocavi filium*, sive *vocavi eum*, et non ut habent LXX in plurali, *vocavi filios meos*. MART.

[b] Mss. nostri, duoque a Martianæo laudati, *ex interno corpusculi hospitio*.

[c] In Palat. codd., *loci nomen esse, qui est juxta Gabaa*.

[d] Iidem mss. pro verbis, *et venit in terram Israel*, tantum addunt *nocte*.

[e] Attamen ipse, cujus historiæ fidem appellat, Josephus lib. XVII, cap. 13, non Lugdunum, sed Viennam deportatum Herodem tradit Tiberii jussu : δοὺς οἰκητήριον αὐτῷ Βιένναν πόλιν τῆς Γαλατίας. Confer et Euseb. in Chronico.

quod dictum est per prophetas; sed simpliciter, quod dictum est per prophetam: nunc autem pluraliter prophetas vocans, ostendit se non verba de Scripturis sumpsisse, sed sensum. *Nazaræus, sanctus* interpretatur. Sanctum autem Dominum futurum, omnis Scriptura commemorat. Possumus et aliter dicere, quod etiam eisdem verbis, juxta Hebraicam veritatem in Isaia scriptum sit: *Exiet virga de radice Jesse, et Nazaræus de radice ejus conscendet* (*Isai.* XI, 1).

(Cap. III. — Vers. 1.) *Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cœlorum.* Primus Baptista Joannes regnum cœlorum prædicat, ut præcursor Domini hoc privilegio honoretur.

(Vers. 3.) *Hic est enim qui dictus est per Isaiam prophetam, dicentem: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Animas credentium præparabat, in quibus ambulaturus erat Dominus, ut purus in viis purissimis ambularet, dicens: *Habitabo in eis, et inambulabo: et ero Deus ipsorum, et ipsi erunt mihi populus* (*Levit.* XXVI, 12). Porphyrius istum locum Marci evangelistæ principio comparat, in quo scriptum est: *Initium Evangelii Jesu Christi, Filii Dei, sicut scriptum est in* [a] *Isaia propheta: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus* (*Isai.* XL, 3). Cum enim testimonium de Malachia (*Cap.* III) Isaiaque contextum sit, quærit, quomodo velut ab uno Isaia exemplum putemus assumptum. Cui Ecclesiastici viri plenissime responderunt. Nos autem [*Al.* aut] nomen Isaiæ putamus additum scriptorum vitio, quod et in aliis locis probare possumus, aut certe de diversis testimoniis Scripturarum unum corpus effectum. Lege [b] tertium decimum Psalmum, et hoc idem reperies.

(Vers. 4.) *Ipse autem Joannes habebat vestimentum* **18** *de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos.* De pilis, inquit, habebat, non de lana. Aliud austeræ vestis indicium est, aliud luxuriæ mollioris. Zona autem pellicea qua accinctus fuit et Elias, mortificationis indicium [*Al.* symbolum] est (IV *Reg.* I). Porro quod sequitur:

Esca autem ejus erat locustæ et mel silvestre. Habitatori solitudinis congruum est non delicias ciborum, sed necessitatem humanæ carnis explere.

(Vers. 9.) *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Lapides ethnicos vocat, propter cordis duritiam. Lege Ezechielem: *Auferam,* inquit, *a vobis cor lapideum, et dabo cor carneum* (*Ezech.* XXXVI, 26). In lapide duritia, in carne mollitudo [*Al.* mollitia] monstratur. Sive simpliciter indicat Dei potentiam, quod qui de nihilo cuncta fecerit, possit et de saxis durissimis populum procreare.

(Vers. 10, 11.) [c] *Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. Ego quidem baptizo vos in aqua, in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est.* Prædicatio sermonis Evangelici, qui ex utraque parte acutus est gladius, securis appellatur, juxta Jeremiam prophetam, qui verbum Domini securi comparat cædenti petram (*Jerem.* XLVI).

Cujus non sum dignus calciamenta portare. In alio Evangelio: *Cujus,* ait, *non sum dignus solvere corrigiam calciamenti:* hic humilitas, ibi mysterium demonstratur, quod Christus sponsus sit, et Joannes non mereatur sponsi corrigiam solvere, ne vocetur domus ejus juxta legem Mosi, et exemplum Ruth, domus discalciati (*Deut.* XXV, *et Ruth.* IV).

(Vers. 12.) *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne. Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam: et congregabit triticum in horreum suum: paleas autem comburet igni inexstinguibili.* Sive quia ignis est Spiritus sanctus, ut Acta Apostolorum docent, quo descendente, sedit, quasi ignis super singulos [*Al.* linguas] credentium (*Act.* II); et impletus est sermo Domini dicentis: *Ignem veni mittere super terram: et quem* [Al. *quam*] *volo ut ardeat* (*Luc.* XII, 49). Sive quia in præsenti, spiritu baptizamur, et in futuro, igne. Apostolo quoque huic sensui congruente: *Uniuscujusque* **19** *opus quale sit, ignis probabit* (I *Cor.* III, 13).

(Vers. 13, 14.) *Tunc venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem ut baptizaretur ab eo. Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? Respondens autem Jesus, dixit ei.* Triplicem ob causam Salvator a Joanne accepit baptismum. Primum, ut quia homo natus erat, omnem justitiam et humilitatem Legis impleret. Secundo, ut baptismate suo Joannis baptisma comprobaret. Tertio, ut Jordanis aquas sanctificans, per descensionem columbæ, Spiritus sancti in lavacro credentium monstraret adventum.

(Vers. 15.) *Sine modo.* Pulchre dixit, [d] *sine modo,* ut ostenderet Christum in aqua, Joannem a Christo in spiritu baptizandum. Sive aliter, *sine modo:* ut qui servi formam assumpsi, expleam et humilitatem ejus. Alioquin scito, te in die judicii meo esse baptismate baptizandum. *Sine modo,* dicit Dominus Jesus, habeo et aliud baptisma quo baptizandus sum. Tu me baptizas in aqua, ut ego te baptizem pro me in sanguine tuo.

(Vers. 16.) *Sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum. Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua.* Non addidit, justitiam Legis, sive naturæ, ut nos utrumque intelligamus:

[a] Pleraque tamen Græca hujus Evangelii exemplaria ἐν τοῖς Προφήταις hoc loco pro ἐν τῷ Ἠσαΐᾳ præferunt.

[b] Cum iste tertius decimus Psalmus minime ex pluribus testimoniis contextus videatur, conjicit Clericus, ab Hieronymi textu aliquid excidisse, suppletque ita locum: *Lege Epistolam ad Romanos, et decimum tertium psalmum.* In illa enim Epist. cap. III, psalmus iste non semel laudatur.

[c] Nostri omnes mss. et quatuor penes Martianæum, *Ecce securis.*

[d] Voculam *sine,* hic nostri mss. respuunt.

ut si Deus ab homine accepit baptisma, nullus a A conservo dedignetur accipere.

(Vers. 17.) *Et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de cœlis, dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Mysterium Trinitatis in baptismate demonstratur : Dominus baptizatur, Spiritus descendit in habitu [*Al.* specie] columbæ, Patris vox, testimonium Filio perhibentis auditur. Aperiuntur autem cœli non reseratione elementorum, sed spiritualibus oculis; quibus et Ezechiel in principio voluminis sui apertos eos esse commemorat. Sedit quoque columba super caput Jesu, ne quis putaret vocem Patris ad Joannem factam, non ad Dominum.

(Cap. IV. — Vers. 1.) *Tunc Jesus ductus est in desertum a spiritu.* Haud dubium quin a sancto Spiritu. Sequitur enim : B

Ut tentaretur a diabolo. Ducitur autem non invitus aut captus, sed voluntate pugnandi.

20 (Vers. 2.) *Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator, dixit ei : Si Filius Dei es.* In isto numero quadragesimæ nobis ostenditur sacramentum, in quo et Moses jejunavit in monte Sina (*Exod.* XXIV), et Elias juxta montem Oreb (III *Reg.* XIX). Permittitur autem esurire corpus, ut diabolo tentandi tribuatur occasio.

(Vers. 3.) *Dic ut lapides isti panes fiant.* Esurienti congrue dicitur : *dic ut lapides isti panes fiant :* sed duobus contrariis teneris, o diabole. Si ad impe- C rium ejus possunt lapides panes fieri, ergo frustra tentas eum qui tantæ potentiæ est. Sin autem non potest facere, frustra Filium Dei suspicaris. [a] *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.*

(Vers. 4.) *Qui respondens, ait : Scriptum est : Non in solo pane vivit homo; sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Testimonium de Deuteronomio sumptum est (*Deut.* VIII, 3). Ideo autem sic respondit Dominus, quia propositum erat ei, humilitate diabolum vincere, non potentia. Simulque animadvertendum, quod nisi jejunare cœpisset Dominus, tentandi occasio non fuisset diabolo, secundum illud : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore : et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II, 1). Sed et ipsa responsio Salvatoris, hominem fuisse in- D dicat, qui tentatus est. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Si quis ergo non vescitur verbo Dei, iste non vivit.

(Vers. 5.) *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem.* Assumptio ista quæ dicitur, non ex imbecillitate Domini venit, sed de inimici superbia, qui voluntatem Salvatoris necessitatem putat. Ex hoc autem loco intelligitur quid sit illud quod in alio scribitur loco : *Abierunt in sanctam civitatem, et multis apparuerunt* (*Matth.* XXVII, 53).

(Vers. 6.) *Et statuit eum supra pinnaculum templi, et dixit ei.* Ut quem fame tentaverat, tentaret et vana gloria.

Si Filius Dei es. In omnibus tentationibus hoc agit diabolus, ut intelligat si Filius Dei sit; sed Dominus sic responsionem temperat, ut eum relinquat ambiguum.

Mitte te deorsum. Scriptum est enim. Vox diaboli, qui [*Al.* quæ] semper omnes cadere deorsum desiderat, *Mitte te*, inquit, *deorsum*, persuadere potest, præcipitare non potest.

21 *Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Hoc in nonagesimo psalmo legimus; verum ibi non de Christo, sed de viro sancto prophetia est. Male ergo interpretatur Scripturas diabolus. Certe si vere de Salvatore scriptum noverat, debuerat et illud dicere, quod in eodem psalmo contra se sequitur : *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.* De angelorum auxilio *quasi ad infirmum* loquitur : de sua [*Al.* sui] conculcatione quasi tergiversator tacet.

(Vers. 7.) *Ait illi Jesus rursum : Scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum.* Falsas de Scripturis diaboli sagittas veris Scripturarum frangit clypeis. Et notandum quod testimonia necessaria de Deuteronomio tantum protulerit, ut secundæ legis sacramenta monstraret.

(Vers. 8.) *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde : et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum,* [b] *et dixit ei.* Gloria mundi, quæ cum mundo præteritura est, in monte, et in supercilio demonstratur : Dominus autem ad humilia descendit et campestria, ut diabolum humilitate superaret. Porro diabolus ducere eum festinat ad montes, ut per quos ipse corruerat, etiam cæteri corruant, juxta illud Apostoli : *Ne inflatus incidat in judicium diaboli* (I *Tim.* III, 6).

(Vers. 9.) *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Arrogans et superbus etiam hoc de jactantia loquitur : non quod in toto mundo habeat potestatem, [c] aut possit omnia regna dare diabolus, cum sciamus plerosque sanctos viros a Deo reges factos. *Si cadens*, inquit, *adoraveris me.* Ergo qui adoraturus est diabolum, ante corruit.

(Vers. 10.) *Tunc dicit ei Jesus : Vade* [d], *Satana : Scriptum est enim.* Non ut plerique putant, eadem satanas et apostolus Petrus sententia condemnantur. Petro enim dicitur : *Vade retro me, Satana* (*Mat.* XVI, 23), id est, sequere me, qui contrarius es voluntati meæ : hic vero audit, *vade, Satana :* et non ei dicitur,

[a] Addit Victorius, *dicens.*

[b] Verba, *et dixit ei*, mss. nostri omnes reticent. Mox *peritura* quidam legunt, pro *præteritura.*

[c] Rectius penes Rabb. *ut.*

[d] Interserit Cisterc. ms. *retro :* atque infra cohærenter, *audit*, *vade retro*, *Satana.* Jam vero, quod semel atque iterum monuimus, aliter sæpe mss. atque editi libri Scripturæ περιχοπὰς nectunt : plerumque autem versiculos quosdam prætereunt, quos nec subnexa expositio tangit.

retro me, ut subaudiatur, vade in ignem æternum, A qui præparatus est tibi, et angelis tuis.

22 *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* Dicens diabolus Salvatori : *si cadens adoraveris me :* econtrario audit, quod ipse magis adorare eum debeat Dominum et Deum suum.

(Vers. 11.) *Tunc reliquit eum diabolus : et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei.* Præcedit tentatio, ut sequatur victoria. Angeli ministrant, ut victoris dignitas comprobetur.

(Vers. 15, 16.) *Terra Zabulon, et terra Nephthalim, via maris trans Jordanem Galilææ gentium : populus qui* [a] *ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, et sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.* Hi primum audiere Dominum prædicantem, ut ubi Israelis fuerat ab Assyriis prima captivitas, ibi redem- B ptoris præconium [b] nasceretur.

(Vers. 17, 18.) *Exinde cœpit Jesus prædicare et dicere : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare : erant enim piscatores. Et ait illis.* Joanne tradito, recte ipse incipit prædicare : desinente Lege, consequenter oritur Evangelium. Si autem eadem prædicat Salvator, quæ Joannes Baptista ante prædixerat, ostendit se ejusdem Dei esse Filium, cujus ille prophæta sit.

(Vers. 19, 20.) *Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum.* Isti primi vocati sunt, ut Dominum C sequerentur : piscatores et illitterati mittuntur ad prædicandum, ne fides credentium non virtute Dei, sed eloquentia adque doctrina fieri putaretur.

(Vers. 24.) *Et lunaticos, et paralyticos, et curavit eos. Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa et Decapoli, et de Jerosolymis, et de Judæa, et de trans Jordanem.* Non vere lunaticos, sed qui putabantur lunatici, ob dæmonum fallaciam, qui observantes lunaria tempora, creaturam infamare cupiebant, ut in Creatorem blasphemiæ redundarent.

(Cap. V. — Vers. 1, 2.) *Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus, et aperiens* 23 *os suum, docebat eos, dicens.* Dominus ad montana conscendit, ut turbas ad altiora secum trahat. Sed turbæ ascendere D non valent. Et sequuntur discipuli, quibus et ipsis [*Al.* ipse] non stans, sed sedens et contractus loquitur. Non enim intelligere poterant in sua majestate fulgentem. Secundum litteram, nonnulli simpliciorum fratrum putant eum beatitudines, et cætera quæ sequuntur, in Oliveti monte docuisse, quod nequaquam ita est : ex præcedentibus enim et sequentibus in Galilæa monstratur locus, quem putamus esse vel Thabor, vel quemlibet alium excelsum montem. Denique postquam finivit sermones suos, statim sequitur : *Cum autem introisset Capharnaum.*

(Vers. 3.) *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Hoc est quod alibi legimus : *Et humiles spiritu salvabit* (*Ps.* XXXIII, 16) : Ne quis autem putaret paupertatem, quæ nonnumquam [c] necessitate portatur, a Domino prædicari, adjunxit, *spiritu :* ut humilitatem intelligeres, non penuriam. Beati pauperes spiritu, qui propter Spiritum sanctum voluntate sunt pauperes. Unde super hujuscemodi pauperibus et Salvator per Isaiam loquitur : *Dominus unxit me; propter quod evangelizare pauperibus misit me* (*Isai.* VI, 1).

(Vers. 4.) *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Non terram Judæ [*Al.* Judææ], nec terram istius mundi; non terram maledictam, spinas et tribulos afferentem (*Genes.* V), quam crudelissimus quisque et bellator magis possidet; sed terram quam Psalmista desiderat, dicens: *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Ps.* XXVI, 13). Hujuscemodi possessor, et post victoriam triumphator, etiam in quadragesimo quarto psalmo describitur : *Et intende, prospere* [Al. *et prospere*] *procede et regna : propter veritatem et mansuetudinem, et justitiam.* Nemo enim terram istam per mansuetudinem, sed per superbiam possidet.

(Vers. 5.) *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Luctus hic non mortuorum ponitur communi lege naturæ, sed peccatis et vitiis mortuorum. Sic flevit et Samuel Saulem, quia pœnituerat Deum quod unxisset eum regem super Israel (I *Reg.* XV). Sic et Paulus apostolus, flere ac lugere se dicit eos, qui post fornicationem et immunditiam non egerunt pœnitentiam (II *Cor.* XII).

24 (Vers. 6.) *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Non nobis sufficit velle justitiam, nisi justitiæ patiamur famem : ut sub hoc exemplo numquam nos satis justos, sed semper esurire justitiæ opera intelligamus.

(Vers. 7.) *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Misericordia non solum in eleemosynis intelligitur; sed in omni peccato fratris, si alter alterius onera portemus (*Galat.* VI).

(Vers. 8.) *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quos non arguit conscientia ulla peccati. Mundus mundo corde conspicitur : templum Dei non potest esse pollutum.

(Vers. 9.) *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Qui primum in corde suo, deinde et inter fratres dissidentes pacem faciunt. Quid enim prodest alios per te pacari, cum in tuo animo sint bella vitiorum?

(Vers. 10.) *Beati qui persecutionem patiuntur pro-*

[a] Rescribit Victor. *sedebat*, ex Vulg. et Græco καθήμενος : quam, inquit, lectionem ipse in Commentariis in Isai., cap. IX, S. Doctor probat. Quin etiam in Matthæo *sedebat*, in Isaia legi vult *ambulabat*, ex eo Hieronymi textu verbis : *Ita ut populus, qui vel sedebat, vel ambulabat in tenebris, lucem videret.*

[b] In Cisterc. ms. unoque Palatino, *nosceretur.*

[c] Idem ms., *qua nonnumquam de necessitate putatur.* Fortasse verius apud Rabban., *necessitatem patitur.*

pter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. A Signanter addidit [*Al.* dicit], *propter justitiam.* Multi enim persecutionem propter sua peccata patiuntur, et non sunt justi. Simulque considera, quod octava veræ circumcisionis beatitudo martyrio terminetur.

(Vers. 11.) *Beati estis cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me.* Illud maledictum contemnendum est, quod beatitudinem creat, quod falso maledicentis ore profertur. Unde et specialiter definivit quæ sit beata maledictio: *omne,* dicens, *maledictum adversum vos, mentientes propter me.* Ubi ergo Christus in causa est, ibi et optanda maledictio est.

(Vers. 12.) *Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante vos.* B Nescio quis hoc nostrum possit implere, ut laceretur opprobriis fama nostra, et nos exsultemus in Domino. Hoc qui vanam sectatur gloriam, implere non potest. Gaudere igitur et exsultare debemus, ut merces nobis in cœlestibus præparetur. Eleganter in quodam volumine scriptum legimus: « Ne quæras gloriam, et non dolebis cum inglorius fueris. »

(Vers. 13.) *Vos estis sal terræ.* Sal appellantur apostoli, quia per illos universum hominum conditur genus.

25 *Quod si sal evanuerit, in quo salietur?* Si doctor erraverit, a quo alio doctore emendabitur?

Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. C Exemplum de agricultura sumptum est. Sal etenim sicut in ciborum condimentum, et ad siccandas carnes necessarium est: ita alium usum non habet. Certe legimus in Scripturis, urbes quasdam, ira [*Al.* ita] victorum sale seminatas, ut nullum in ipsis germen oriretur (*Judith.* IX). Caveant ergo doctores et episcopi, et videant: *Potentes potenter tormenta sustinere* (*Sap.* VI, 7); nihilque esse remedii: sed majorum ruinas ad tartarum ducere.

(Vers. 14 seqq.) *Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* D Docet fiduciam prædicandi, ne apostoli abscondantur ob metum, et sint similes lucernæ sub modio, sed tota libertate se prodant, ut quod audierunt in cubiculis, prædicent in tectis (*Matth.* X, 27).

(Vers. 17.) *Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas. Non veni solvere, sed adimplere.* Sive quod de se per alios prophetata compleverit, sive quia ea quæ ante propter infirmitatem audientium rudia et imperfecta fuerant, sua prædicatione compleverit (*Matth.* V), iram tollens, et vicem talionis excludens, et occultam in mente concupiscentiam [a].

(Vers. 18.) *Donec transeat cœlum et terra.* Promittuntur nobis cœli novi, et terra nova, quæ facturus est Dominus Deus. Si ergo nova creanda sunt, consequenter vetera transitura. Quod autem sequitur:

Iota unum, aut unus apex non præteribit a Lege, donec omnia fiant. Ex figura litteræ ostenditur, quod etiam quæ minima putantur in Lege, sacramentis spiritualibus plena sint, et omnia **26** recapitulentur in Evangelio. Cujus ergo eruditionis est, cujusque doctrinæ, etiam diversa sacrificia, et quæ superstitiosa videntur, in victimis quotidie demonstrare compleri?

(Vers. 19 seqq.) *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Dico autem vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regno cœlorum. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: Qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis.* Hoc capitulum cum superiori hæret testimonio, in quo dixerat: *Iota unum, aut unus apex non præteribit a Lege, donec omnia fiant.* Sugillat ergo Pharisæos, qui, contemptis mandatis Dei, statuebant proprias traditiones, quod non eis prosit doctrina in populis, si vel parvum, quod in Lege præceptum est, destruant. Possumus autem et aliter intelligere, quod magistri [b] eruditio, etiamsi parvo peccato obnoxius sit, deducat eum de gradu maximo, nec prosit docere justitiam, quam minima culpa destruit. Et beatitudo perfecta sit, quæ sermone docueris, opere complere.

(Vers. 22.) *Quia omnis qui irascitur fratri suo,* [c] *reus erit judicio.* In quibusdam codicibus additur, *sine causa:* cæterum in veris definita sententia est, et ira penitus tollitur, dicente Scriptura: *Qui irascitur fratri suo.* Si enim jubemur verberanti alteram præbere maxillam, et inimicos nostros amare, et orare pro persequentibus (*Luc.* VI), omnis iræ occasio tollitur. Radendum est ergo, *sine causa*, quia ira viri justitiam Dei non operatur (*Jacob.* I).

[a] Addit vetustior Palat. ms. et Victorii editio, *damnans.*

[b] Idem ms. *magistri traditio*, et mox *obnoxia sit.*

[c] Rectius in nostris mss. verba, *reus erit judicio*, non sunt. Quod ait, in quibusdam codicibus addi, *sine causa*, nos alibi edisseruimus in Notis ad Ep. 13 et ad lib. II Dialogi contra Pelagianos, n. 5. Plura infra dicenda erunt sub initium libri tertii Commentar. in Epistol. ad Ephesios. Latini quoque codices hodienum superant, qui additum comma illud retinent. Ejusmodi est unus Veronensis omnium facile princeps: alii quoque ad quos Italicæ versionis Evangelium Martianæus edidit. Et legunt antiquiores Latini Patres Cyprian. in Testim. l. III, n. 8. Hilarius in Matth. et Augustin. de sermone Domini in monte l. I, c. 9. Qui tamen in lib. Retractation. c. 19, monet ea verba *sine causa*, in Græcis codd. non inveniri. Hieronymo nostro consentit Justinus in Apologia I ad Antoninum, in qua vocem εἰκῆ omittit.

Qui autem dixerit fratri suo raca, [a] *reus erit concilio*. Hoc verbum proprie Hebræorum est : RACA (רק) enim dicitur κενὸς, id est, *inanis* aut *vacuus* : quem nos possumus vulgata injuria, *absque cerebro*, nuncupare. Si pro otioso sermone **27** reddituri sumus rationem, quanto magis de contumelia (*Matth.* XII)! Sed et signanter additur : *Qui dixerit fratri suo, raca.* Frater enim noster nullus est, nisi qui eumdem nobiscum habet Patrem. Cum ergo similiter credat in Deum, et Christum Dei noverit sapientiam (I *Cor.* I) : qua ratione stultitiæ elogio denotari potest?

Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Ἀπὸ κοινοῦ ex superioribus subauditur : *Qui dixerit fratri suo, fatue*; *reus erit gehennæ.* Qui enim æque in Deum credenti dicit, fatue, impius est in religione.

(Vers. 23, 24.) *Si ergo offers munus tuum ad altare*, *et ibi recordatus fueris*, *quia frater tuus habet aliquid adversum te*, *relinque ibi munus tuum ante altare*, *et vade prius reconciliari fratri tuo : et tunc veniens offeres munus tuum.* Non dixit, si tu habes aliquid adversus fratrem tuum, sed si frater tuus habet aliquid adversum te, ut durior reconciliationis tibi imponatur necessitas. Quamdiu illum placare non possumus, nescio an consequenter munera nostra offeramus Deo.

(Vers. 25 seqq.) *Esto consentiens adversario tuo cito*, *dum es cum eo in via : ne forte tradat te adversarius judici*, *et judex tradat te ministro*, *et in carcerem mittaris. Amen dico tibi*, *non exies inde*, *donec reddas novissimum quadrantem. Audistis quia dictum est antiquis : Non mœchaberis. Ego autem dico vobis*, *quia omnis.* Pro eo quod nos habemus in Latinis codicibus, *consentiens*, in Græcis scriptum est [b] Εὐνοῶν, quod interpretatur *benevolus*, aut *benignus*. Ex præcedentibus autem et consequentibus manifestus est sensus, quod nos Dominus atque Salvator noster, dum in istius sæculi via currimus, ad pacem et ad concordiam cohortetur, juxta Apostolum, dicentem : *Si fieri potest*, *quantum ex vobis est*, *cum omnibus hominibus pacem habentes* (*Rom.* XII, 18). Nam et in præcedenti capitulo dixerat : *Si offers munus tuum ad altare*, *et ibi recordatus fueris*, *quia frater tuus habet aliquid adversum te* : et hoc finito, statim infert : *Esto* [c] *consentiens* aut *benignus adversario tuo*, et reliqua. Et in consequentibus jubet : *Diligite inimicos vestros : benefacite his qui oderunt vos*, *et orate pro persequentibus et* **28** *calumniantibus vos.* Cum hæc manifesta sit [*Al.* sint]

A et consequens intelligentia, plerique arbitrantur de carne dictum et anima, [d] vel de anima et spiritu : quod penitus non stat. Quomodo enim aut caro mittenda erit in carcerem, si anima non consenserit? eum et anima et caro pariter recludendæ sint; nec quidquam possit caro facere nisi quod animus imperarit, aut Spiritus sanctus habitans in nobis vel carnem vel animam repugnantes judici tradere, cum ipse sit judex. Alii juxta Epistolam Petri dicentis : *Adversarius vester diabolus quasi leo rugiens circuit* (I *Petr.* V, 8), et reliqua, adversarium diabolum interpretantur, et volunt a Salvatore præcipi, ut dum in potestate nostra est, simus benevoli erga diabolum, qui est inimicus et ultor, nec faciamus eum pœnas sustinere pro nobis. Cum enim ipse vi-

B tiorum incentiva suppeditet, et nobis etiam voluntate peccantibus, si consenserimus ei vitia suggerenti, pro nobis quoque esse torquendum. Et dicunt benevolum esse unumquemque sanctorum adversario suo, si cum non faciat pro se sustinere tormenta. Quidam coactius disserunt, in Baptismate singulos pactum inire cum diabolo, et dicere : Renuntio tibi, diabole, et pompæ tuæ, et vitiis tuis, et mundo tuo, qui in maligno positus est (I *Joan.* V, 19). Si ergo servaverimus pactum, benevoli et consentientes sumus adversario nostro, et nequaquam [e] in carcerem recludendi. Sin vero quidquam trangressi fuerimus eorum quæ diabolo spopondeeramus, trademur judici ac ministro, et mittemur in carcerem, et non exibimus ex eo, donec reddamus

C novissimum quadrantem. Quadrans genus est nummi, qui habet duo minuta. Unde et in alio Evangelio, mulier illa pauper et vidua dicitur misisse quadrantem in corbonam (*Marc.* XII), et in alio, duo minuta (*Luc.* XXI). Non quod dissonent Evangelia, sed quod unus quadrans duos minutos nummos habeat. Hoc est ergo quod dicit : Non egredieris de carcere, donec etiam minima peccata persolvas.

(Vers. 28.) *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*, *jam mœchatus est eam in corde suo.* Inter πάθος et προπάθειαν, id est, inter *passionem*, et *propassionem*; hoc interest, quod passio reputatur in vitium : propassio, **29** licet initii [*Al.* vitii] culpam habeat, tamen non tenetur in crimine. Ergo qui viderit mulierem, et anima ejus fuerit titillata, hic

D propassione percussus est. Si vero consenserit, et de cogitatione affectum fecerit, sicut scriptum est in David : *Transierunt in affectum cordis* (*Ps.* LXXII, 7), de propassione transivit ad passionem, et huic non voluntas peccandi deest, sed occasio. Quicumque

[a] Hic quoque rectius omittunt mss. nostri verba, *reus erit concilio*. S. Gregorius lib. XXI Moralium cap. 5 : *Raca quippe*, inquit, *in Hebræo eloquio vox indignantis est ; quæ quidem animum irascentis ostendit, nec tamen plenum verbum iracundiæ exprimit.* Confer. S. Hilarium in cap. 4 Matthæi, et Regulam S. Basilii cap. 145, et Avitum Viennensem Ep. prima.

[b] In aliquot mss. εὐνοίων : in aliis εὔνοχον, malim εὐνοῶν.

[c] Pro *consentiens*, tres Palatini mss. habent *benevolus*. Leviora infra emendamus.

[d] Iidem mss. *vel de spiritu* tantum, absque *anima*. Mox quoque *si animæ non consenserit*, pro *si anima*, etc., in recto.

[e] Ex hoc loco arguendus imperitus Joannes Clericus, qui putabat Hieronymum non uti solitum voce *recludere*, sensu claudendi. Supra etiam dicitur, quod anima et caro pariter *recludendæ sint*. Videsis Defensionem nostram eruditionis Hieronymianæ. MART.

igitur viderit mulierem ad concupiscendum, id est, si aspexerit ut concupiscat, ut facere disponat, iste recte dicitur eam mœchari in corde suo.

(Vers. 29, 30.) *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, et projice abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Quia supra de concupiscentia mulieris dixerat, recte nunc cogitationem et sensum in diversa volitantem, *oculum* nuncupavit. Per dextram autem et cæteras corporis partes, voluntatis [a] et affectus initia demonstrantur : ut quod mente concipimus, opere compleamus. Cavendum est igitur, ne quod in nobis optimum est, cito labatur in vitium. Si enim dexter oculus et dextera manus scandalizant, quanto magis ea quæ in nobis sinistra sunt! Si enim anima labitur, quanto plus corpus quod ad peccata proclivius est! Aliter. In dextero oculo, et in dextera manu, fratrum, uxorum, et liberorum, atque affinium et propinquorum monstratur affectus, quos si ad contemplandam veram lucem nobis impedimento esse cernimus, debemus truncare istiusmodi portiones, ne dum volumus lucri cæteros facere, ipsi in æternum pereamus. Unde dicitur et de sacerdote magno, cujus anima Dei cultui dedicata est : *Super patre et matre et filiis non polluetur* (*Lev.* XXI, 11), id est, nullum affectum sciet, nisi ejus, cujus cultui dedicatus est.

(Vers. 31 seqq.) *Dictum est autem : Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis : quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari : et qui dimissam* **30** *duxerit, adulterat. Iterum audistis, quia dictum est antiquis : Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua.* In posteriori parte locum istum plenius Salvator exponit, quod Moses libellum repudii dari jusserit propter duritiam cordis maritorum, non dissidium concedens, sed auferens homicidium (*Deut.* XXIV). Multo enim melius est, licet lugubrem evenire discordiam, quam per odium sanguinem fundi.

(Vers. 34 seqq.) *Ego autem dico vobis, non jurare omnino : neque per cælum, quia thronus Dei est : neque per terram, quia scabellum est pedum ejus : neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis. Neque per caput tuum juraveris : quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester, est est, non non : quod autem his abundantius est, a malo est.* Hanc per elementa jurandi pessimam consuetudinem semper habuere Judæi noscuntur, sicut prophetalis eos frequenter arguit sermo (*Isai.* LXV). Qui jurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem jurat. In lege præceptum est, ut non juremus, nisi per Dominum Deum nostrum (*Deut.* VI *et* VII). Judæi [b] per angelos, et urbem Jerusalem, et templum, et elementa jurantes, creaturas resque carnales venerabantur [c] honore, et obsequio Dei. Denique considera quod hic Salvator non per Deum jurare prohibuerit ; sed per cœlum, et terram, et Jerosolymam, et per caput tuum. Et hoc quasi parvulis fuerat lege concessum, ut quomodo victimas immolabant Deo, ne eas idolis immolarent : sic et jurare permitterentur in Deum : non quod recte hoc facerent, sed quod melius esset Deo id exhibere, quam dæmonibus. Evangelica autem veritas non recipit juramentum, cum omnis sermo fidelis pro jurejurando sit.

(Vers. 38.) *Audistis quia dictum est : Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo.* Qui dicit oculum pro oculo, non alterum vult auferre, sed utrumque servare. Dominus noster vicissitudinem tollens, truncat initia peccatorum. Et in Lege retributio est : in Evangelio gratia. Ibi culpa emendatur, hic peccatorum auferuntur exordia.

(Vers. 39.) **31** *Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram. Et ei qui vult tecum in judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo.* Ecclesiasticus vir describitur, imitator ejus qui dicit : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* (*Infra* II, 29). Et pollicitationem suam, percussus alapa, comprobat : *Si male locutus sum, argue de malo : sin autem bene, quid me cædis* (*Joan.* XVIII, 23)? Tale quid et David loquebatur in Psalmo : *Si reddidi retribuentibus mihi mala* (*Ps.* VII, 5). Et Jeremias in Lamentationibus : *Bonum est homini cum portaverit* [Al. *sederit ab*, etc.] *jugum ab adolescentia sua. Dabit percutienti se maxillam : saturabitur opprobriis* (*Thren.* III, 27, 30). Hoc adversum eos qui putant alterum [d] Deum Legis, alterum Evangelii; quod et ibi, et hic mansuetudo doceatur. Secundum mysticos intellectus : percussa dextera nostra non jubemur sinistram præbere, sed alteram, hoc est, alteram dextram. Justus enim sinistram non habet. Si nos hæreticus in disputatione percusserit, et dextrum dogma voluerit vulnerare, opponatur ei aliud de Scripturis testimonium, et tamdiu verberanti succedentes sibi dexteras præbeamus, donec inimici ira lassescat.

(Vers. 42, 43.) *Qui petit a te, da ei, et volenti mutuari a te, ne avertaris. Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.*

[a] Palatini mss. pari consensu habent *ad affectuum initia*, pro *et affectus*, etc.

[b] Accedat fidejussor S. Hilarius in hunc locum : *His enim*, inquiens, *elementorum nominibus Judæis erat religio jurare, et cœli et terræ, et Jerusalem, sed et capitis sui, quibus in contumeliam Dei sacramento venerationem deferebant.*

[c] Rabbanus, *honore et obsequio Dei contempto. Denique*, etc.

[d] Unus Palatinus vetustior, *alterum sensum propheticum, alterum Evangelii.* Ad marginem recentior manus impressam lectionem restituit. In fine sectionis vitiose, ut infra iterum, Martian. *lacessat* legerat pro *lassescat.*

Si de eleemosyna tantum dictum intelligimus, in A plerisque pauperibus hoc stare non potest. Sed et divites si semper dederint, semper dare non poterunt. Post bonum ergo eleemosynæ apostolis, id est, doctoribus præcepta tribuuntur, ut qui gratis acceperunt, gratis tribuant (*Matth.* x). Istius modi pecunia numquam deficit; sed quanto plus data fuerit, tanto amplius duplicatur. Et cum subjecta sibi arva riget, numquam fontis unda siccatur.

(Vers. 44.) *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.* Multi præcepta Dei imbecillitate **32** sua, non sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia quæ præcepta sunt, et dicunt sufficere virtutibus, non odisse inimicos: cæterum diligere plus præcipi, quam humana B natura patiatur. Sciendum est ergo Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta: quæ fecit David in Saul et in Absalon (I *Reg.* XXIV *et* XXVI, *et* II *Reg.* XVIII). Stephanus quoque martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus est (*Act.* VII). Et Paulus anathema cupit esse pro persecutoribus suis (*Rom.* IX). Hæc autem Jesus et docuit et fecit, dicens: *Pater, ignosce illis: quod enim faciunt, nesciunt* (*Luc* XXIII, 34).

(Vers. 45.) *Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est; qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* C Si Dei præcepta custodiens, filius quis efficitur Dei: ergo non est natura filius, sed arbitrio suo.

(Cap. VI. — Vers. 1.) *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est.* [a] Qui tuba canit, eleemosynam faciens, hypocrita est. Qui jejunans demolitur faciem suam, ut ventris inanitatem monstret in vultu, et hic hypocrita est. Qui in synagogis et in angulis platearum orat, ut videatur ab hominibus, hypocrita est. Ex quibus omnibus colligitur hypocritas esse, qui quodlibet faciunt, ut ab hominibus glorificentur [*Al.* honorificentur]. Mihi videtur et ille qui dicit fratri suo: *Dimitte ut tollam festucam de oculo tuo* (*Matth.* D VII, 4), [b] propter gloriam hoc facere, ut ipse justus esse videatur. Unde dicitur ei a Domino: *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo.* [c] Non itaque virtus, sed causa virtutis apud Deum mercedem habet. Etsi a recta via paululum declinaveris, non interest utrum ad dexteram vadas, an ad sinistram, cum verum iter amiseris.

(Vers. 3, 4.) *Te autem faciente eleemosynam, nesciat* **33** *sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito: et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus.* Non solum eleemosynam, sed quodcumque feceritis boni operis, debet sinistra nescire; si enim illa scierit, statim dexteræ opera commaculantur.

Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Non Dei mercedem, sed suam. Laudati sunt enim ab hominibus, quorum causa exercuere virtutes.

(Vers. 6.) *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum: et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Hoc simpliciter [d] intellectum, erudit auditorem, ut vanam orandi gloriam fugiat. Sed mihi videtur hoc magis esse præceptum, ut inclusa pectoris cogitatione, labiisque compressis oremus Dominum, quod et Annam in Regum volumine fecisse legimus: *Labia*, inquit, *ejus tantum movebantur* [e] (I *Reg.* I, 13).

(Vers. 7.) *Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt. Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis.* Si ethnicus in oratione multum loquitur, ergo qui Christianus est, debet parum loqui. *Deus* enim *non verborum, sed cordis auditor est* (*Sap.* I, 6).

(Vers. 8.) *Scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum. Sic ergo vos orabitis.* Consurgit in hoc loco quædam hæresis, philosophorum [f] quoque perversum dogma, dicentium: Si novit Deus quid oremus, et antequam petamus, scit quibus indigeamus, frustra scienti loquimur. Quibus breviter respondendum est, nos non narratores esse, sed rogatores. Aliud est enim narrare ignoranti, aliud scientem petere. In illo indicium est, hic obsequium. Ibi fideliter indicamus, hic miserabiliter obsecramus.

(Vers. 9.) *Pater noster, qui es in cœlis.* Patrem dicendo, se filios confitentur.

Sanctificetur nomen tuum. Non in te, **34** sed in nobis. Si enim propter peccatores nomen Dei blasphematur in gentibus (*Rom.* VIII), econtrario propter justos sanctificatur.

[a] Alterum versiculum: *Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut honorentur ab hominibus*, subjungunt pari consensu Palatini codd. qui alioquin in recitandis Scripturæ verbis parciores reliquis sunt. Re autem ipsa hunc versiculum tota expositio subnexa respicit.

[b] Antea legebatur *nam propter gloriam hoc facere videtur*, sensu equidem non satis expedito et perspicuo. Nos codicum Palatinorum auctoritate, *nam* adverbium, et verbum *videtur*, induximus, sensumque ad mss. fidem nitori pristino restituimus.

[c] Duo nostri totidemque apud Martianæum mss. hanc interserunt hic loci sententiam: *Tum demum virtus observationis Deo accepta est, si causa Dei fiat.*

[d] In Palat. duobus mss., *Et simpliciter intentum erudit auditorem.* Pro *simpliciter* Rabbanus *similiter* legit.

[e] Addunt iidem Palatini mss. *et vox illius non audiebatur.*

[f] Epicureorum hæc fuit argutatio, aut potius vesania, de qua Maximus Tyrius dissertationem sane luculentam instituit.

(Vers. 10.) *Adveniat regnum tuum*. Vel generaliter pro totius mundi petit regno, ut diabolus in mundo regnare desistat, vel ut in unoquoque regnet Deus, et non regnet peccatum in mortali hominum corpore (*Rom.* VI). Simulque et hoc attendendum, quod grandis audaciæ sit, et puræ conscientiæ, regnum Dei postulare et judicium non timere.

Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra. Ut quomodo Angeli tibi inculpate serviunt in cœlis, ita in terra serviant homines. Erubescant ex hac sententia, qui quotidie in cœlo ruinas fieri mentiuntur. Nam quid nobis prodest cœlorum similitudo, si et in cœlo peccatum est?

(Vers. 11-13.) *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo.* Quod nos supersubstantialem expressimus, in Græco habetur ἐπιούσιον : quod verbum Septuaginta interpretes περιούσιον frequentissime transferunt. Consideravimus ergo in Hebræo, et ubicumque illi περιούσιον expresserunt, nos invenimus [a] SCOLLA (סגולה), quod Symmachus ἐξαίρετον, id est, *præcipuum*, vel *egregium*, transtulit, licet in quodam loco *peculiare* interpretatus sit. Quando ergo petimus ut peculiarem vel præcipuum nobis Deus tribuat panem, illum petimus qui dicit : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 51). In Evangelio quod appellatur secundum Hebræos, pro *supersubstantiali* pane, reperi [b] MAHAR (מחר), quod dicitur *crastinum*; ut sit sensus : *Panem nostrum crastinum*, id est, *futurum da nobis hodie*. Possumus supersubstantialem panem et aliter intelligere, qui super omnes substantias sit, et universas superet creaturas. Alii simpliciter putant, secundum Apostoli sermonem dicentis (I *Tim.* VI, 8) : *Habentes victum et vestitum*, **35** *his contenti sumus*, de præsenti tantum cibo sanctos curam agere. Unde et in posterioribus sit præceptum : *Nolite cogitare de crastino*.

Amen. Signaculum orationis Dominicæ est : quod Aquila interpretatur, *fideliter* : nos, *vere*, possumus dicere.

(Vers. 14.) *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra.* [c] Hoc quod scriptum est : *Ego dixi, dii estis, et filii excelsi omnes : vos vero ut homines moriemini, et tamquam unus de principibus cadetis* (*Ps.* LXXXI, 6, 7), ad eos dicitur qui propter peccata homines ex diis esse meruerunt. Recte ergo et hi quibus peccata dimittuntur, homines appellati sunt.

(Vers. 16.) *Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.* Verbum *exterminant*, quod in Ecclesiasticis Scripturis vitio interpretum tritum est, aliud multo significat, quam vulgo intelligitur. Exterminantur quippe exsules, qui mittuntur extra terminos. Pro hoc ergo sermone, *demoliuntur* semper accipere debemus : quod Græce dicitur ἀφανίζουσι. Demolitur autem hypocrita faciem suam ut tristitiam simulet; et animo forte lætante, luctum gestet in vultu.

(Vers. 17 seq.) *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito : et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi erugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur.* Juxta ritum provinciæ Palæstinæ loquitur, ubi diebus festis solent ungere capita. Præcepit igitur, ut quando jejunamus, lætos et festivos nos esse monstremus. Multi legentes illud Psalmistæ : *Oleum peccatoris non impinguet caput meum* (*Ps.* CXL, 5), econtrario esse volunt bonum oleum, de quo alibi dicitur : *Unxit te Deus Deus tuus oleo* [d] *lætitiæ præ participibus tuis* (*Ps.* XLIV, 8). Et id præcipi, ut exercentes virtutes, spirituali oleo principale (ἡγεμονικὸν) cordis nostri ungere debeamus.

(Vers. 21.) *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Hoc non solum de pecunia, sed et de cunctis passionibus [*Al.* possessionibus] sentiendum est. Gulosi deus venter est : ibi ergo habet cor, ubi et thesaurum [*Al.* est thesaurus]. **36** Luxuriosi thesaurus, epulæ sunt. Lascivi, ludicra : amatoris, libido : *Huic servit unusquisque a quo vincitur* (II *Petr.* II, 19).

(Vers. 22, 23.) *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt!* Lippientes [*Al.* additur oculi] solent lucernas videre numerosas : simplex oculus et purus simplicia intuetur et pura. Hoc totum transferet ad sensum. Quomodo enim corpus, si oculus non fuerit simplex, totum in tenebris est : ita anima, si principalem fulgorem suum perdiderit, universus sensus in caligine commorabitur. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt! Si sensus qui lumen est, animæ vitio caligatur, ipsa, putas, caligo quibus tenebris obvolvetur!

(Vers. 24.) *Non potestis Deo servire et mammonæ.* Mammona sermone Syriaco divitiæ nuncupantur. *Non potestis Deo servire et mammonæ.* Audiat hoc

[a] In mss. *Sogolla*, quod et in commentariis in Malachiam, cap. III, in fine monuimus. Recole eum locum, si lubet.

[b] Duo mss., *Moar*, alii *Maar*. Repererit vero Hieronymus in eo Evangelio דמחר *Damhar*, aut *Damahar*, siquidem id quod *crastinum* interpretatur, invenit : econtrario enim *Makar* Hebraice מחר, *cras* tantum sonat, cum articulo autem *crastinum*, לחמן דמחר *panem nostrum crastinum*. Est vero ille articulus ד non Hebræis, sed Chaldæis Syrisque vernaculus : ex quo rursum colligas, quamquam Hieronymus absolute dicat Hebraice scriptum Evangelium illud, non Hebraico sermone, sed Chaldaico, Syrove, aut Chaldæo Jerosolymitano, Hebraicisque tantum litteris conscriptum.

[c] Unus Palatinus, *Si hoc quod scriptum est.*

[d] Tres Palatini codices, *oleo exsultationis.*

avarus, audiat qui censetur vocabulo Christiano non A posse se simul divitiis Christoque servire. Et tamen non dixit, qui habet divitias, sed qui servit divitiis. Qui enim divitiarum servus est, divitias custodit, ut servus; qui autem servitutis excussit jugum, distribuit eas, ut dominus.

(Vers. 25.) *Ideo dico vobis : Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.* In nonnullis codicibus additum est : *neque quid bibatis.* Ergo quod natura omnibus tribuit, et jumentis ac bestiis hominibusque commune est, hujus cura [a] penitus liberamur. Sed præcipitur nobis ne solliciti simus quid comedamus : quia in sudore vultus præparamus nobis panem. Labor exercendus est, sollicitudo tollenda. Hoc quod dicitur : *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid comedatis, neque* B *corpori vestro quid induamini* (*Genes.* III), de carnali cibo et vestimento accipiamus. Cæterum de spiritualibus cibis et vestimentis semper debemus esse solliciti.

(Vers. 26.) *Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus est quam vestimentum ?* Quod dicit, istius modi est : Qui majora præstitit, utique et minora præstabit.

Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant **37** *in horrea : et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis ?* Apostolus præcipit (*Rom.* XI), ne plus sapiamus quam oportet sapere. Istud testimonium et in præsenti capitulo conservandum est. Sunt enim quidam, qui dum volunt terminos patrum excedere, et C ad alta volitare, in ima merguntur : volatilia dicentes cœli Angelos esse, cæterasque in Dei ministerio fortitudines, quæ absque cura sui Dei alantur providentia. Si hoc ita est, ut intelligi volunt, quomodo sequitur dictum ad homines : *Nonne vos* [b] *magis pluris estis illis ?* Simpliciter ergo accipiendum : quod si volatilia absque cura et ærumnis, Dei aluntur providentia, quæ hodie sunt, et cras non erunt : [c] quanto magis homines quibus æternitas promittitur, Dei reguntur arbitrio !

(Vers. 27.) *Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum ? Et de vestimentis quid solliciti estis ?* Sicut animam plus esse quam cibum comparatione avium demonstravit, sic corpus plus esse quam vestem, ex consequentibus D rebus ostendit, dicens :

(Vers. 28-30.) *Considerate lilia agri quomodo crescunt : non laborant neque nent. Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis. Si enim fenum agri quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit : quanto magis vos modicæ fidei !* Et revera quod sericum, quæ regum purpura, quæ pictura textricum potest floribus comparari ? Quid ita rubet ut rosa ? Quid ita candet ut lilium ? Violæ vero purpuram, nullo superari murice, oculorum magis quam sermonis judicium est.

(Vers. 31 seqq.) *Nolite solliciti esse,* [d] *dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur ? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi.* De præsentibus ergo concessit debere esse sollicitos qui futura prohibet cogitare. Unde et Apostolus : *Nocte et die,* inquit, *manibus nostris operantes : ne quem vestrum gravaremus* (I *Thess.* II, 9). **38** Cras in Scripturis futurum tempus intelligitur, dicente Jacob, *Et exaudiet me cras justitia mea* (*Gen.* XXX, 33). Et in Samuelis phantasmate, pythonissa loquitur ad Saulem : *cras eris mecum* (I *Reg.* XXVIII, 19).

(Vers. 34.) *Sufficit diei malitia sua.* Hic malitiam, non contrariam virtuti posuit, sed *laborem et afflictionem, et angustias* sæculi : quomodo et Sara afflixit Agar ancillam suam (*Gen.* XVI), quod significanter Græce dicitur ἐκάκωσεν αὐτήν. Sufficit ergo nobis præsentis temporis cogitatio : futurorum curam, quæ incerta est, relinquamus.

(Cap. VII. — Vers. 1, 2.) *Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini : et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Si judicare prohibet, qua consequentia Paulus in Corintho judicat fornicantem (I *Cor.* V), et Petrus Ananiam et Sapphiram mendacii coarguit (*Act.* V) ? Sed ex consequentibus quid prohibuerit, ostendit, dicens : quomodo enim judicaveritis, sic judicabitur de vobis. [e] Itaque non prohibuit judicare, sed docuit.

(Vers. 3-5.) *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides ? Aut quomodo dicis fratri tuo : Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo, et ecce trabs est in oculo tuo ? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* De his loquitur, qui cum ipsi mortali crimine teneantur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt :

[a] Amovimus hinc negandi particulam, quam hactenus editi interserebant, repugnantibus cunctis, quibus nos utimur, mss. libris, aliisque duobus, quos Martianæus laudat. — Editi libri addunt particulam negantem, *hujus cura non penitus liberamur.* Mss. autem codices duo idem retinent absque negatione. Utraque lectio non repugnat si curam sumamus pro sollicitudine. MART.

[b] Vocem *magis* tres mss. Palatini ignorant.

[c] Hic quoque addunt editi libri et mss. quamplures, *quorum anima mortalis est, et cum esse cessaverint, semper non erunt.* Quod additum videtur contextui Hieronymiano, qui sine hac sententia perfectus est. Codicem itaque manuscripti nostri monasterii de S. Petro super divam seculi sumus. MART. — Glossema, quod et Vulgati ante Martianæum libri præferebant, ejusmodi, *quorum anima mortalis est, et cum esse cessaverint, semper non erunt,* duo e nostris, Cisterciensis et Palat. mss., pluresque Martianæo inspecti, hic retinent.

[d] In Palatinis mss., *solliciti esse de crastino,* reliquo Scripturæ textu prætermisso.

[e] Pro *Itaque* adverbio, quod mss. nostri substituunt, antea legebatur *Hic.*

culicem liquantes, et camelum glutientes (*Matth.* xxiii). Recte ergo et isti simulatione justitiæ, ut supra diximus, appellantur hypocritæ, qui per trabem oculi sui, festucam in oculo fratris sui aspiciunt.

(Vers. 6.) *Nolite sanctum dare canibus.* Sanctum, panis est filiorum. Non debemus ergo tollere panem filiorum et dare eum canibus.

Neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi disrumpant vos. Porcus non recipit ornatum, qui versatur in volutabris luti. Et juxta Proverbia Salomonis : *Si habuerit circulum aureum, fœdior invenitur* (*Prov.* xi, 22). Quidam canes eos **39** intelligi volunt, qui post fidem Christi revertuntur ad vomitum peccatorum suorum : porcos autem eos qui necdum Evangelio crediderunt, et in luto incredulitatis vitiisque versantur. Non convenit igitur istius modi hominibus cito Evangelicum credere margaritum, ne conculcent illud, et conversi nos incipiant dissipare.

(Vers. 7 seq.) *Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit ; et qui quærit, invenit ; et pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei ? Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei ?* Qui carnalia supra vetuerat postulari, quid quærere debeamus ostendit. Si petenti datur, et quærens invenit, et pulsanti aperitur : ergo cui non datur, et qui non invenit, et cui non aperitur, apparet quod non bene petierit, quæsierit et pulsaverit. Pulsemus itaque januam Christi, de qua dictum est : *Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam* (*Ps.* cxvii, 20) ; ut cum intraverimus, aperiantur nobis thesauri absconditi et tenebrosi in Christo Jesu, in quo est omnis scientia (*Coloss.* ii).

(Vers. 11, 12.) *Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se! Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc est enim Lex et Prophetæ.* Notandum quod apostolos malos dixerit, nisi forte sub Apostolorum persona omne hominum damnetur genus, cujus ad comparationem divinæ clementiæ ab infantia cor ad malum positum est. Lege Genesim (*Genes.* viii). Nec mirum si homines hujus sæculi dicit malos, cum et Paulus apostolus memoret : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt* (*Ephes.* v, 16).

(Vers. 13, 14.) *Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta, et arcta via est quæ ducit ad vitam ! et pauci sunt qui inveniunt eam.* Lata via est sæculi voluptas, quam appetunt homines. Angusta, quæ per labores et jejunia panditur, quam et Apostolus ingressus est (II *Cor.* vi, xi) : et ut Timotheus per eam ingrediatur, hortatur (I *Tim.* v). Simulque considera quam signanter de utraque via locutus sit. **40** Per latam multi ambulant, angustam pauci inveniunt. Latam non quærimus, nec inventione opus est : sponte se offert, et errantium via est. Angustam vero, nec omnes inveniunt, nec qui invenerint, statim ingrediuntur per eam. Siquidem multi, inventa veritatis via, capti sæculi voluptatibus, de medio itinere revertuntur.

(Vers. 15 seq.) *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium : intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus ? sic omnis arbor bona fructus bonos facit : mala autem arbor malos fructus facit.* Et de omnibus [a] quidem intelligi potest, qui aliud habitu ac sermone promittunt, aliud opere demonstrant. Sed specialiter de hæreticis intelligendum est, qui videntur continentia, castitate, jejunio, quasi quadam pietatis se veste circumdare, intrinsecus vero habentes animum venenatum, simpliciorum fratrum corda decipiunt. Ex fructibus ergo animæ, quibus innocentiam ad ruinam trahunt, lupis rapacibus comparantur.

(Vers. 18 seq.) *Non potest arbor bona fructus malos facere : neque arbor mala fructus bonos facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Quæramus ab hæreticis, qui duas inter se contrarias dicunt esse naturas, si juxta intelligentiam eorum, arbor bona malos fructus facere numquam potest, quomodo Moyses arbor bona peccaverit ad aquam contradictionis (*Deut.* xxxii) : et David, Uria interfecto, cum Bethsabee concubuerit (II *Reg.* xi) : Petrus quoque in Passione [b] Domini negarit, dicens : *Nescio hominem* (*Matt.* xxvi, 72) : aut qua consequentia Jethro socer Moysi arbor mala, qui utique in Deum Israel non credebat, dederit consilium Moysi bonum (*Exod.* xviii): et Achior ad Holophernem aliquid utile sit locutus (*Judith.* v) : et Comicus dixerit (quod bene dictum Apostolus comprobavit) : *Corrumpunt mores bonos confabulationes pessimæ* (I *Cor.* v). Et cum non invenerint quid respondeant ; nos inferemus, et Judam (*Joan.* xiii), arborem quondam bonam, fecisse fructus malos postquam prodidit [*Al.* tradiderit] Salvatorem : et Saulum (*Philipp.* iii) arborem malam eo tempore quo persequebatur **41** Ecclesiam Christi, fecisse postea fructus bonos, quando in vas electionis de persecutore translatus est (*Act.* ix). Tamdiu ergo bona arbor fructus non facit malos, quamdiu in bonitatis studio perseverat : et mala arbor tamdiu manet in fructibus peccatorum, quamdiu ad pœnitentiam non convertitur. Nemo enim permanens in eo quod fuit, incipit id esse quod necdum cœperit.

(Vers. 21.) *Non omnis qui dicit mihi, Domine,*

[a] Voculam *quidem* mss. nostri supplent. Leviora alia infra castigant.

[b] Rhabban., *Dominum.*

Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Sicut supra dixerat, eos qui haberent vestem vitæ bonæ, non recipiendos propter dogmatum nequitiam: ita nunc econtrario asserit, ne his quidem accommodandam fidem, qui cum polleant integritate fidei, turpiter vivunt, et doctrinæ integritatem malis operibus destruunt. Utrumque enim Dei servis necessarium est, ut et opus sermone, et sermo operibus comprobetur. Huic sententiæ potest illud videri contrarium: *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* XII, 3). Sed moris est Scripturarum dicta pro factis accipere, ut statim in consequentibus approbatur, refutari eos qui jactant sine operibus habere scientiam Domini, et audiunt a Salvatore: *Discedite a me, operarii iniquitatis, nescio vos* (*Luc.* XIII). Et Apostolus in hunc sensum loquitur: *Confitentur se nosse Deum: factis autem negant* (*Tit.* I, 16).

(Vers. 22.) *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Prophetare, et virtutes facere, et dæmonia ejicere, interdum non ejus meriti est qui operatur, sed vel invocatio [*Al.* invocatione] nominis Christi hoc agit, vel ob condemnationem eorum qui invocant, et utilitatem eorum qui vident et audiunt, conceditur: ut licet homines despiciant signa facientes, tamen Deum honorent, ad cujus invocationem fiunt tanta miracula. Nam et Saul (I *Reg.* X), et Balaam (*Num.* XXIII), et Caiphas (*Joan.* XI) prophetaverunt, nescientes quid dicerent: et Pharao (*Genes.* XLI) et Nabuchodonosor (*Dan.* II) somniis futura cognoscunt. Et in Actibus Apostolorum filii Scevæ videbantur ejicere dæmonia (*Act.* XIX). Sed et Judas apostolus cum animo proditoris multa signa inter cæteros Apostolos fecisse narratur.

42 (Vers. 23.) *Et tunc confitebor illis, quia numquam novi vos.* Signanter dixit *confitebor*, quia multo ante tempore dicere dissimulaverat: *non novi vos.* Non novit Dominus eos qui pereunt. Observa autem quare addiderit, *numquam novi vos*, si juxta quosdam omnes homines inter rationabiles semper versati sunt creaturas.

(Vers. 24.) *Discedite a me qui operamini iniquitatem. Omnis ergo qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.* Non dixit, *qui operati estis iniquitatem*, ne videretur tollere pœnitentiam, sed *qui operamini*, hoc est, qui usque in præsentem horam, cum judicii tempus advenerit, licet non habeatis facultatem peccandi, tamen adhuc habetis affectum.

(Vers. 25.) *Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti: et irruerunt in domum illam, et non cecidit.* Pluvia ista quæ domum subvertere nititur, diabolus est. Flumina, [a] omnes Antichristi, qui contra Christum sapiunt. Venti spiritalia [*Al.* spiritualia] nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* VI).

(Vers. 26.) *Fundata enim erat supra petram. Et omnis qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto.* Super hanc petram Dominus fundavit Ecclesiam (*Matth.* XV): ab hac petra apostolus Petrus sortitus est nomen. Super hujuscemodi petram non inveniuntur serpentis vestigia (*Prov.* XXX). De hac et propheta loquitur confidenter: *Statuit super petram pedes meos* (*Ps.* XXXIX, 3). Et in alio loco: *Petra refugium leporibus*, sive *herinaciis* (*Ps.* CIII, 8). Timidum enim animal in petræ cavernas se recipit: et cutis aspera, et tota armata jaculis, tali se protectione tutatur. Unde et Moysi dicitur eo tempore quo de Ægypto fugerat, et lepusculus Domini erat: *Sta in foramine petræ, et posteriora mea videbis* (*Exod.* XXXIII, 21).

(Vers. 27, 28.) *Qui ædificavit domum suam super arenam: et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit: et fuit ruina ejus magna. Et factum est cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus.* Fundamentum quod Apostolus architectus posuit (I *Cor.* III), unus [*Al.* unum] est Dominus noster Jesus Christus. Super hoc fundamentum stabile et firmum, et per se robusta mole fundatum, ædificatur Christi Ecclesia. Super arenam **43** vero quæ fluida est, et coagmentari non potest, nec in unam copulam redigi, omnis hæreticorum sermo ad hoc ædificatur, ut corruat.

(Vers. 29.) *Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ et Pharisæi.* Illi enim ea docebant populos, quæ scripta sunt in Moyse et Prophetis. Jesus vero, quasi Deus et Dominus ipsius Moysi, pro libertate voluntatis suæ, vel ea quæ minus videbantur, addebat in lege; vel commutans prædicabat in populos, ut supra quoque legimus: *Dictum est antiquis: Ego autem dico vobis.*

(Cap. VIII.— Vers. 1.) *Cum autem descendisset Jesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ, et ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens.* De monte Domino descendente, occurrunt turbæ, quia ad altiora ascendere non valuerunt. Et primus ei occurrit leprosus. Necdum enim poterat cum lepra tam multiplicem in monte Salvatoris audire sermonem. Et notandum quod hic primus specialiter curatus sit: secundo, puer Centurionis: tertio, socrus Petri, febriens [*Al.* febricitans] in Capharnaum: quarto loco, qui oblati sunt ei a dæmonio vexati, quorum spiritus verbo ejiciebat, quando omnes male habentes curavit. *Et ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens.* Recte post prædicationem atque doctrinam signi offertur occasio: ut per virtutem miracula [*Al.* virtutem miraculi], præteritus apud audientes sermo firmetur.

(Vers. 2.) *Domine, si vis, potes me mundare.* Qui voluntatem rogat, de virtute non dubitat.

(Vers. 3.) *Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra ejus.* Extendente manum Domino, statim lepra fugit. Simulque considera quam humilis et sine jactantia

[a] Vulgati antea libri, *flumina, Antichristi* absque *omnes*, quam vocem mss. interserunt.

responsio. Ille dixerat, *si vis :* Dominus respondit, *volo.* Ille præmiserat, *potes me mundare* : Dominus jungit, et dicit, *mundare :* Non ergo ut plerique Latinorum putant, jungendum est, et legendum *volo mundare :* sed separatim, ut primum, dicat, *volo :* deinde imperans dicat, *mundare* [*Al.* imperet mundare].

(Vers. 4.) *Et ait illi Jesus : Vide nemini dixeris.* Et re vera quid erat necesse ut sermone jactaret, quod corpore præferebat?

44 *Sed vade, ostende te sacerdotibus : et offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis.* Varias ob causas mittit eum ad sacerdotes. Primum, propter humilitatem, ut sacerdotibus deferre [a] honorem videatur. Erat enim lege præceptum, ut qui mundati fuerant a lepra, offerrent munera sacerdotibus. Deinde, ut mundatum videntes leprosum, aut crederent Salvatori, aut non crederent. Si crederent, salvarentur : si non crederent, inexcusabiles forent. Et simul ne quod in eo sæpissime criminabantur, legem videretur infringere.

(Vers. 5 seq.) *Accessit ad eum centurio, rogans eum, et dicens : Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. Et ait illi Jesus : Ego veniam, et* [b] *curabo eum. Et respondens centurio, ait : Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum ; sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.* Non debemus jactantiæ arguere Dominum, quia statim se iturum et sanaturum esse promittit, videns centurionis fidem, humilitatem, et prudentiam. Fidem, in eo quod credidit ex gentibus paralyticum a Salvatore posse sanari. Humilitatem, quod se judicavit indignum, cujus tectum Dominus intraret. Prudentiam, quod intra corporis tegmen, divinitatem latentem videret, sciens non id sibi profuturum, quod etiam ab incredulis videbatur ; sed id quod latebat intrinsecus. De qua prudentia hoc etiam, ait :

(Vers. 9.) [c] *Nam et ego homo sum sub potestate* [Al. additur *constitutus*], *habens sub me milites : et dico huic, vade, et vadit : et alii, veni, et venit : et servo meo, fac hoc, et facit.* Volens ostendere Dominum quoque non per adventum tantum corporis, sed per angelorum ministeria posse implere quod vellet.

(Vers. 10.) *Audiens autem Jesus, miratus est, et sequentibus se dixit.* [d] Miratus est quod vidit centurionem suam intelligere majestatem. Pellendæ enim erant vel infirmitates corporum, vel fortitudines contrariæ, quibus homo ad debilitatem sæpe conceditur, et verbo Domini, et ministeriis angelorum.

Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. De præsentibus loquitur, non de omnibus retro patriarchis **45** et prophetis : nisi forte in centurione fides gentium præponitur Israeli.

(Vers. 11.) *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob, in regno cælorum.* Quia Deus Abraham cœli conditor, Pater Christi est, idcirco in regno cœlorum est et Abraham, cum quo accubituræ sunt nationes, quæ crediderint in Christum Filium Creatoris. Et ille pariter sensus impletur, de quo supra diximus, in centurionis fide gentium fieri prærogativam : dum ad illius credulitatem de Oriente et Occidente credituri populi commemorantur.

(Vers. 12.) *Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Filios regni Judæos significat, in quos ante regnavit Deus. *Ejicientur in tenebras exteriores.* Tenebræ semper interiores sunt, non exteriores. Sed quoniam qui a Domino foras expellitur, lumen relinquit ; idcirco exteriores tenebræ nominatæ sunt.

Ibi erit fletus et stridor dentium. Si fletus oculorum est, et stridor dentium ossa demonstrat : vera est ergo corporum et eorumdem membrorum quæ ceciderant, resurrectio.

(Vers. 14.) *Et cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem et febricitantem* [Al. *febrientem*] *: et tetigit manum ejus, et dimisit eam febris.* Tangitur manus mulieris, et sanatis operibus ejus, peccatorum infirmitas fugit. Natura hominum istius modi est, ut post febrem magis [e] lassescant corpora : et incipiente sanitate, ægrotationis mala sentiant. Verum sanitas quæ confertur a Domino, [f] totum simul reddit, nec sufficit esse sanatam ; sed ut ἐπίτασις fortitudinis indicetur, additum est :

(Vers. 15.) *Et surrexit, et ministrabat eis.* Illa manus ministrabat, quæ et tacta fuerat, et sanata.

(Vers. 16-18.) *Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes : et ejiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit* [Al. *curabat*], *ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem : Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes nostras portavit. Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit discipulos ire trans fretum.* Omnes, non mane, non meridie, sed ad vesperam curantur, quando sol occubiturus est : quando granum tritici **46** in terra moritur, ut multos fructus afferat (*Joan.* XII).

(Vers. 19, 20.) *Et accedens unus Scriba, ait illi : Magister, sequar te quocumque ieris. Et dicit ei Jesus : Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Scriba iste legis, qui tantum litteram noverat occidentem, si dixisset : Domine, sequar te quocumque ieris, non fuisset repulsus a Domino ; sed quia magistrum unum de pluribus æstimabat, et litterator erat, quod significantius Græce dicitur, γραμματεύς, et non spiritualis auditor : ideo non habet locum in quo possit Jesus reclinare caput suum.

[a] Mss. Palatini, *deferre videatur*, absque *honorem*.

[b] Iidem mss., *et sanabo eum.*

[c] Rursum iidem mss., *Ecce ego cum sim homo, dico huic*, etc.

[d] Verba, *miratus est*, quæ in antea vulgatis deerant, imperfecto sensu, mss. nostri sufficiunt.

[e] Corrupte legebatur, *lacessant*, pro *lassescant*, quem et paulo superius errorem penes Martian. emendavimus.

[f] Duo mss., *tota simul reddit, nec sufficit esse tantum sanatam.*

Ostenditur autem nobis, et ob hoc Scribam repudiatum, quod signorum videns magnitudinem, sequi voluerit Salvatorem, ut lucra ex operum miraculis quæreret, hoc idem desiderans, quod et Simon Magus a Petro emere voluerat (*Act.* VIII). Talis ergo fides juste sententia [*Al.* juxta sententiam] Domini condemnatur, et dicitur ei : Quid me propter divitias et sæculi lucra cupis sequi, cum tantæ sim paupertatis, ut ne hospitiolum quidem habeam, et non meo utar tecto?

(Vers. 21.) *Alius autem de discipulis ejus ait illi : Domine, permitte me primum ire, et sepelire patrem meum.* Quid simile est inter Scribam et discipulum? Ille magistrum vocat, hic Dominum confitetur. Ille propter pietatis occasionem, ad sepeliendum patrem ire desiderat : iste secuturum se quolibet esse promittit, non magistrum quærens, sed ex magistro lucrum.

(Vers. 22.) *Jesus autem ait illi : sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Mortuus est, quicumque non credit. Si autem mortuum sepelit mortuus, non debemus curam habere mortuorum, sed viventium : ne dum solliciti sumus de mortuis, nos quoque mortui appellemur.

(Vers. 23.) *Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus : et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* Quintum signum fecit, quando ascendens navem de Capharnaum, ventis imperavit et mari. Sextum, quando in regione Gerasenorum dedit potestatem dæmonibus in porcos. Septimum, quando **47** ingrediens civitatem suam, paralyticum secundum curavit in lectulo. Primus enim paralyticus est puer centurionis.

(Vers. 24, 25.) *Ipse vero dormiebat. Et accesserunt ad eum, et suscitaverunt eum, dicentes : Domine, salva nos, perimus. Et dicit eis Jesus : Quid timidi estis, modicæ fidei?* Hujus signi typum in Jona legimus (*Jon.* I), quando, cæteris periclitantibus, ipse securus est, et dormit, et suscitatur; et imperio ac sacramento passionis suæ liberat suscitantes.

(Vers. 26.) *Tunc surgens, imperavit ventis et mari : et facta est tranquillitas magna.* Et ex hoc loco intelligimus quod omnes creaturæ sentiant Creatorem. Quibus enim increpatur [*Al.* quas increpavit], et quibus imperatur [*Al.* imperavit], sentiunt imperantem : non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia; [a] sed majestate conditoris, quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt.

(Vers. 27-29.) *Porro homines mirati sunt, dicentes : Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei? Et cum venisset Jesus trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamaverunt dicentes.* Non discipuli, sed nautæ, et cæteri qui in navi erant, mi-

A rabantur. Sin autem quis contentiose voluerit eos, qui mirabantur, fuisse discipulos, respondebimus, recte homines appellatos, qui necdum noverant potentiam Salvatoris.

(Vers. 30, 31.) *Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos. Erat autem non longe ab illis grex porcorum multorum pascens. Dæmones autem rogabant eum, dicentes.* Non voluntatis ista confessio est, quam præmium sequitur confitentis, sed necessitatis extorsio, quæ cogit invitos, velut si servi fugitivi, post multum temporis dominum suum videant : nihil aliud nisi de verberibus deprecantur. Sic et dæmones cernentes Dominum in terris repente versari, ad judicandos se venisse credebant. Præsentia Salvatoris, tormenta sunt dæmo-

B num. Ridiculeque putant quidam, dæmones scire Filium Dei, et diabolum ignorare; eo quod minoris malitiæ sint isti quam ille cujus satellites sunt. Cum omnis scientia discipulorum ad magistrum referenda sit, et tam dæmones, quam diabolus suspicari magis Filium Dei, **48** quam nosse intelligendi sunt [*Al.* sint]. *Nemo enim Patrem novit, nisi Filius,* [b] *et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI, 27).

(Vers. 32, 33.) *Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis : Ite. At illi exeuntes, abierunt in porcos. Et ecce magno impetu abiit totus grex per præceps in mare, et mortui sunt in aquis. Pastores autem fugerunt; et venientes in civitatem, nuntiaverunt hæc omnia, et de his qui dæmonia habuerant.* Non quod concesserit Salvator dæmonibus quod pete-

C bant, dixit, *ite :* sed ut per interfectionem porcorum, hominibus salutis occasio præberetur. Pastores enim ista cernentes, statim nuntiant civitati. Erubescat Manichæus, si de eadem substantia, et ex eodem auctore hominum bestiarumque sunt animæ, quomodo ob unius hominis salutem, duo millia porcorum suffocantur?

(Vers. 34.) *Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu, et viso eo, rogabant eum, ut transiret a finibus eorum.* Quod rogant ut transeat a finibus eorum, non de superbia hoc faciunt, ut nonnulli arbitrantur, sed de humilitate qua se præsentia Domini indignos judicabant, sicut et Petrus in captura piscium cadens ad genua Salvatoris, ait : *Exi a me, Domine, quia vir peccator sum* (*Luc.* V, 8).

D (Cap. IX.—Vers. 1, 2.) *Et ascendens Jesus in naviculam transfretavit, et venit in civitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Videns autem Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Civitatem ejus non aliam intelligimus quam Nazareth, unde et Nazaræus appellatus est. Obtulerunt autem ei, ut supra diximus, secundum paralyticum jacentem in lectulo, quia ipse ingredi non valebat. Videns autem Jesus non ejus fidem qui offerebatur, sed eorum qui offerebant, dixit paralytico : *Confide, fili, remittuntur*

[a] Adducunt quidam mss. *sensibilia esse :* alii econtrario *insensibilia esse.*

[b] Interserunt duo Palat. mss. sacri textus verba, *neque Filium quis novit nisi Pater.*

tibi peccata tua. O mira humilitas, despectum et debilem, totisque membrorum compagibus dissolutum, *filium* vocat, quem sacerdotes non dignabantur attingere. Aut certe ideo *filium*, quia dimittuntur ei peccata sua. Juxta tropologiam interdum anima jacens in corpore suo, totis membrorum virtutibus dissolutis, a perfecto doctore offertur curanda Domino, **49** quæ si misericordia ejus sanata fuerit, tantum roboris accipit, ut portet statim lectulum suum.

(Vers. 3, 4.) *Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se : Hic blasphemat. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit : Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris ?* Legimus in Propheta, dicentem Deum : *Ego sum qui deleo iniquitates tuas* (*Isai.* XLIII, 25). Consequenter ergo Scribæ, quia hominem putabant, et verba Dei non intelligebant, arguunt eum blasphemiæ. Sed Dominus videns cogitationes eorum, ostendit se Deum, qui possit cordis occulta cognoscere, et quodammodo tacens loquitur : Eadem majestate et potentia qua cogitationes vestras intueor, possum et hominibus peccata dimittere. Ex vobis intelligite quid paralyticus consequatur.

(Vers. 5, 6.) *Quid est facilius dicere : dimittuntur tibi peccata tua ; an dicere : surge et ambula? Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico.* Inter dicere, et facere, multa distantia est. Utrum sint paralytico peccata dimissa, solus noverat, qui dimittebat. *Surge* autem et *ambula*, tam ille qui consurgebat, quam hi qui consurgentem videbant, approbare poterant. Fit igitur carnale signum, ut probetur spirituale, quamquam ejusdem virtutis sit, et corporis et animæ vitia dimittere. Et datur nobis intelligentia, propter peccata plerasque [*Al.* plerisque] evenire corporum debilitates. Et idcirco forsan dimittuntur prius peccata tua [*Al. tacet* tua], ut causis debilitatis ablatis, sanitas restituatur.

(Vers. 7, 8.) *Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit, et abiit in domum suam. Videntes autem turbæ, timuerunt et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.* Et anima paralytica si surrexerit, si pristinum robur recuperaverit, portat lectum suum in quo jacebat antea dissoluta, et portat illum in domum virtutum suarum.

(Vers. 9.) *Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi : Sequere me. Et surgens secutus est eum.* Cæteri evangelistæ propter verecundiam et honorem Matthæi, noluerunt eum nomine appellare vulgato, sed dixerunt, Levi : duplici quippe vocabulo fuit. Ipse autem Matthæus, secundum illud quod **50** a Salomone præcipitur [*Al.* dicitur] : *Justus accusator est sui in principio sermonis* (*Prov.* XVIII, 17). Et in alio loco : *Dic tu peccata tua, ut justificeris* (*Isai.* XLIII, 26). Matthæum se et publicanum nominat, ut ostendat legentibus, nullum debere salutem desperare, si ad meliora conversus sit ; cum ipse de publicano in apostolum sit repente mutatus. Arguit in hoc loco Porphyrius et Julianus Augustus, vel imperitiam historici mentientis, vel stultitiam eorum qui statim secuti sint Salvatorem, quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem sint secuti, cum tantæ virtutes, tantaque signa præcesserint, quæ Apostolos antequam crederent, vidisse non dubium est. Certe fulgor ipse, et majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in [a] humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu. Si enim in magnete lapide et succinis hæc esse vis dicitur, ut annulos, et stipulam, et festucas sibi copulent, quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat, quos volebat ?

(Vers. 10 seq.) *Et factum est, discumbente eo in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes, discumbebant cum Jesu et discipulis ejus. Et videntes Pharisæi, dicebant discipulis ejus : Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester ? At Jesus audiens, ait : Non est opus medico valentibus, sed male habentibus. Euntes autem discite quid est.* Videbant publicanum a peccatis ad meliora conversum, locum invenisse pœnitentiæ ; et ob id etiam ipsi non desperant salutem, neque vero in pristinis vitiis permanentes, veniunt ad Jesum, ut Pharisæi et Scribæ murmurant ; sed pœnitentiam agentes, ut sequens Domini sermo significat, dicens :

(Vers. 13.) *Misericordiam volo, et non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* Ibat autem Dominus ad convivia peccatorum, ut occasionem haberet docendi, et spirituales invitatoribus suis præberet cibos. Denique cum frequenter pergere ad convivia describatur, nihil refertur aliud, nisi quid ibi fecerit, quid docuerit, ut et humilitas Domini eundo ad peccatores, et potentia doctrinæ ejus in conversione pœnitentium demonstraretur. Quod autem sequitur : *Misericordiam volo, et non sacrificium* (*Osee* VI, 6). Et : *Non veni vocare* **51** *justos, sed peccatores*, de propheta proferens testimonium, sugillat Scribas et Pharisæos, qui justos se æstimantes, peccatorum et publicanorum consortia declinabant.

(Vers. 14.) *Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis, dicentes : Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant ?* Superba interrogatio, et plena supercilio Pharisæorum. Certe, ut aliud non dicamus, reprehendenda jejunii jactantia. Nec poterant discipuli Joannis non esse sub vitio, qui calumniabantur eum, quem sciebant magistri vocibus prædicatum, et jungebantur Pharisæis, quos a Joanne noverant condemnatos, [b] cum

[a] Iis gemina sunt, quæ habet infra in cap. XXI : ex quibus tamen colligas, non existimasse Hieronymum, proprium Christi corporis istud extitisse, ac nativum decus, sed majestatis fulgorem ad aliquod tempus induisse, cum in sui rapere admirationem homines, eosque sibi vel invitos voluit adjungere. Vid. epist. 65, ad Principiam, num. 8 not.

[b] Voculas, *cum ait*, Martianæus reposuit.

ait (*Supra*. III, 7) : *Generatio viperarum, quis ostendit vobis fugere ab ira ventura?*

(Vers. 15.) *Et ait illis Jesus : Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt.* Sponsus Christus : sponsa Ecclesia est. De hoc sancto spiritualique connubio, Apostoli sunt procreati, qui lugere [a] non possunt quamdiu sponsum in thalamo vident, et sciunt sponsum esse cum sponsa. Quando vero transierint nuptiæ, et passionis ac resurrectionis tempus advenerit, tunc sponsi filii jejunabunt. Nonnulli putant idcirco post dies quadraginta Passionis, jejunia debere committi : licet statim dies Pentecostes et Spiritus sanctus adveniens, [b] indicant nobis festivitatem. Et ex hujus occasione testimonii, Montanus, Prisca, et Maximilla etiam post Pentecosten faciunt quadragesimam : quod ablato sponso, filii sponsi debeant jejunare. Ecclesiæ autem consuetudo ad passionem Domini et resurrectionem per humilitatem carnis venit, ut spirituali saginæ jejunio corporis præparemur. Juxta [c] tropologiam autem sciendum, quod quamdiu sponsus nobiscum est, et in lætitia sumus, nec jejunare possumus, nec lugere. Cum autem ille propter peccata a nobis recesserit [d], tunc indicendum jejunium esse, tunc luctus recipiendus.

(Vers. 16, 17.) *Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus* [Al. *vestimento veteri*]. *Tollit enim plenitudinem ejus a vestimento, et* **52** *pejor scissura fit. Neque mittunt vinum novum in utres veteres : alioquin rumpuntur utres, et vinum effunditur, et utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, et ambo conservantur. Hæc illo loquente ad eos.* Quod dicit, hoc est ; Donec renatus quis fuerit, et veteri homine deposito, per passionem meam, novum hominem induerit, non potest severiora jejunii et continentiæ sustinere præcepta, ne per austeritatem nimiam, etiam [e] credulitatem quam nunc habere videtur, amittat. Duo autem exempla posuit, et utrium veterum et novorum, et vestimenti. Veteres utres debemus intelligere Scribas et Pharisæos. Plagula vestimenti novi, et vinum novum, præcepta Evangelica sentienda, quæ non possunt sustinere Judæi, ne major scissura fiat. Tale quid et Galatæ facere cupiebant, ut cum Evangelio Legis præcepta miscerent, et in utribus veteribus mitterent vinum novum ; sed Apostolus ad eos loquitur : *O insensati* [Al. *insipientes*] *Galatæ ! quis vos fascinavit veritati non obedire* (*Galat*. III, 1)? Sermo igitur Evangelicus apostolis potius, quam Scribis et Pharisæis est infundendus, qui majorum traditionibus depravati, sinceritatem præceptorum Christi non poterant custodire. Alia est enim puritas virginalis animæ, et nulla prioris vitii contagione pollutæ, et aliæ [f] sordes ejus quæ multorum libidini subjacuerit.

(Vers. 18, 19.) *Ecce princeps unus accessit* [g], *et adorabat eum, dicens : Filia mea modo defuncta est : sed veni, impone manum tuam* [Al. tacet *tuam*] *super eam, et vivet. Et surgens Jesus, sequebatur eum, et discipuli ejus.* Octavum signum est, in quo princeps suscitari postulat filiam suam, nolens de mysterio veræ circumcisionis excludi ; sed subintrat mulier sanguine fluens, et octavo sanatur loco, ut principis filia de hoc exclusa numero veniat ad nonum, juxta illud quod in psalmis dicitur : *Æthiopia* [Al. *de Æthiopia*] *præveniet manus ejus Deo* (*Ps*. LXVII, 32). Et : *Cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus fiet* (*Rom*. XI, 25, 26).

(Vers. 20.) *Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus.* In **53** Evangelio secundum Lucam scribitur, quod principis filia duodecim annos haberet ætatis (*Luc*. VIII). Nota ergo quod eo tempore hæc mulier, id est, gentium populus cœperit ægrotare, quo gens [*Al*. genus] Judæorum crediderat. Nisi enim ex comparatione virtutum vitium non ostenditur. Hæc autem mulier sanguine fluens, non in domo, non in urbe accedit ad Dominum, quia juxta Legem urbibus excludebatur (*Levit*. XV, *Num*. V) ; sed in itinere, ambulante Domino, ut dum pergit ad aliam, alia curaretur. Unde dicunt et apostoli : *Vobis quidem oportebat prædicari verbum Dei ; sed quoniam vos judicastis indignos salute, transgredimur ad gentes* (*Act*. XIII, 46).

(Vers. 21.) *Dicebat enim intra se : Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. At Jesus conversus, et videns eam, dixit.* Juxta Legem qui mulierem menstruatam aut fluentem sanguine tetigerit, immundus est (*Levit*. XXV). Ista ideo tangit Dominum, ut sanguinis vitio etiam ipsa curaretur.

(Vers. 22.) *Confide, filia, fides tua salvam te fecit : et salva facta est mulier ex illa hora.* Ideo filia, quia fides tua te salvam fecit. Nec dixit, fides tua te salvam factura est, sed salvam te fecit. In eo enim quod credidisti, jam salva facta es.

(Vers. 23.) *Et cum venisset Jesus in domum principis : et vidisset tibicines, et turbam tumultuantem, dicebat.* Usque hodie puella jacet in domo principis mortua, et qui videntur magistri tibicines sunt, carmen lugubre canentes. Turba quoque Judæorum, non est turba credentium, sed turba tumultuantium.

(Vers. 24.) *Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum.* Quia Deo vivunt omnia.

(Vers. 25.) *Et cum ejecta esset turba, intravit.* Non

[a] Addit Rabb. *atque jejunare*.
[b] Haud bene antea legebatur, *indicent*. Recole Epist. in nostra recensione 41, ad Marcellam, n. 3, et quæ ibi observamus.
[c] Duo mss., *Juxta legis autem tropologiam* : rectius alii, *Juxta leges autem tropologiæ sciendum*, etc.
[d] Addunt tres Palatini mss. *et avolaverit*.
[e] Vitiose legit Martianæus, *crudelitatem*.
[f] Placuit hanc mss. omnium tam eorum, quibus nos, quam quibus Martianæus usus est, lectionem præferre huic alteri, quæ in vulgatis obtinebat, *et alia ejus, quæ multarum sordium libidini subjacuerit*.
[g] Addunt nostri mss. *ad Jesum* : estque revera in aliquot Græcis exemplaribus, προσελθὼν τῷ Ἰησοῦ.

enim erant digni, ut viderent mysterium resurgentis, qui resuscitantem indignis contumeliis deridebant.

(Vers. 26.) *Et tenuit manum ejus. Et surrexit puella: Et exiit fama hæc in universam terram illam.* Nisi prius mundatæ fuerint manus Judæorum, quæ sanguine plenæ sunt, synagoga eorum mortua non resurget.

(Vers. 27.) *Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes, et dicentes* [a]. Transeunte per domum principis Domino **54** Jesu, et pergente ad domum suam, sicut supra legimus: *Ascendens naviculam, transfretavit et venit in civitatem suam*, clamabant duo cæci, dicentes: *Miserere nostri, fili David:* et tamen non curantur in itinere, non transitorie, ut putabant; sed postquam venit in domum suam, accedunt ad eum, et introeunt: et primum eorum discutitur fides, ut sic veræ fidei lumen accipiant. Priori signo quod exposuimus de principis filia, et de hæmorrhousa [*Al.* morbosa] muliere, consequenter hoc jungitur: ut quod ibi mors et debilitas, hic cæcitas demonstraret. Uterque enim populus cæcus erat, Domino per hoc sæculum transeunte, et cupiente reverti ad domum suam. Qui nisi confessi fuerint, et dixerint: *Miserere nostri, fili David;* et interrogante Jesu, *Creditis quia possum hoc facere?* responderint ei: *Utique, Domine*, lumen pristinum non recipient. In alio Evangelista, unus cæcus scribitur, scissis vestibus, et in Jericho sedens, qui ab apostolis prohibetur clamare; sed per impudentiam recipit sanitatem (*Marc.* x). Qui locus proprie ad gentium populum pertinet, et in suo exponendus est volumine.

(Vers. 28, 29.) *Miserere nostri, fili David.* [b] *Cum autem venisset in domum, accesserunt ad eum cæci, et dixit eis Jesus: Creditis, quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum.* Audiant Marcion et Manichæus, et cæteri hæretici, qui vetus laniant Instrumentum: et discant Salvatorem appellari filium David; si enim non est natus in carne, quomodo vocatur filius David?

(Vers. 30, 31.) *Et comminatus est illis Jesus, dicens: Videte ne quis sciat. Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in tota terra illa.* Et Dominus propter humilitatem fugiens jactantiæ gloriam, hoc præceperat: et illi propter memoriam gratiæ non possunt tacere beneficium. Nota ergo aliquid inter se [c] jussum esse contrarium. Cæci isti in decimo curantur loco.

(Vers. 32.) *Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum* [d], *dæmonium habentem: et* **55** *ejecto dæmonio, locutus est mutus.* Undecimus mutus linguam recipit ad loquendum. Quod autem Græce dicitur κωφὸν, magis tritum est sermone communi, ut *surdus* magis quam *mutus* intelligatur. Sed moris est Scripturarum κωφὸν indifferenter, vel *mutum* vel *surdum* dicere. Spiritualiter autem sicut cæci lumen recipiunt: sic et muti ad loquendum lingua laxatur, ut confiteatur eum, quem antea denegabat.

(Vers. 33, 34.) *Et miratæ sunt turbæ, dicentes: Numquam apparuit sic in Israel. Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmones.* Turba Dei opera confitetur, et dicit: *Numquam sic apparuit in Israel.* In turba confessio nationum est. Pharisæi autem quia virtutem Dei negare non poterant, opera calumniantur et dicunt: *In principe dæmoniorum ejicit dæmones:* per suam calumniam usque hodie Judæorum infidelitatem demonstrantes.

(Vers. 35.) *Et circuibat Jesus omnes civitates et castella docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, et curans omnem languorem et omnem infirmitatem.* Cernis quod æqualiter et villis, et urbibus, et castellis, id est, et magnis et parvis Evangelium prædicaverit, ut non consideraret nobilium potentiam, sed salutem credentium. Circuibat civitates, hoc habens operis quod mandaverat Pater: et hanc esuriem, ut doctrina sua salvos faceret infideles. Docebat autem in synagogis et villis Evangelium regni: et post prædicationem atque doctrinam curabat omnem languorem, et omnem infirmitatem; ut quibus sermo non suaserat, opera persuaderent. De Domino proprie dicitur: Curans omnem languorem et omnem infirmitatem, nihil quippe ei impossibile est.

(Vers. 36.) *Videns autem turbas, misertus est eis, quia erant vexati, et jacentes sicut oves non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis.* Vexatio gregis et ovium atque turbarum, pastorum culpa, et vitium magistrorum est. Unde sequitur.

(Vers. 37, 38.) *Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Messis multa populorum significat multitudinem: **56** operarii pauci, penuriam magistrorum. Et imperat ut rogent Dominum messis, ut [e] mittat operarios in messem suam. Isti sunt operarii, de quibus loquitur Psalmista, dicens: *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. Euntes, ibant, et flebant, portantes semina sua. Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos* (*Psal.* cxxv, 7, 8). Et ut apertius loquar, messis multa, omnis turba credentium est. Operarii autem pauci, et apostoli, et imitatores eorum qui mittuntur ad messem.

(Cap. X.—Vers. 1.) *Et convocatis duodecim disci-*

[a] Supplent pari consensu mss. nostri reliquum versiculum, *miserere nostri, fili David. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci.*

[b] Hic vero totam, quæ hinc subsequitur, *Cum autem venisset*, etc., Scripturæ pericopem iidem mss. tacent.

[c] Pro *jussum*, tres mss. *justum* legunt, sicque Rhabbanus.

[d] Vetustissimus Veronensis Bibliothecæ liber Evangeliorum addit, *et surdum:* utramque scilicet vocis κωφοῦ interpretationem.

[e] Duo mss., *ejiciat*, pro *mittat;* sicque paulo post, *in exsultatione metent*, pro *gaudio*. Et mox, *mittentes semina*, pro *portantes*.

pulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem. Benignus et clemens Dominus ac magister, non invidet servis atque discipulis virtutes suas. Et sicut ipse curaverat omnem languorem et omnem infirmitatem, apostolis quoque suis tribuit potestatem, ut curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem in plebe. Sed multa distantia est inter habere et tribuere, donare et accipere. Iste quodcumque agit, potestate Domini agit: illi, si quid faciunt, imbecillitatem suam et virtutem Domini confitentur, dicentes: *In nomine Jesu surge, et ambula* (*Act.* III, 6). Notandum autem quod in duodecimo loco, potestas signorum apostolis concedatur.

B (Vers. 2.) *Duodecim autem apostolorum nomina sunt hæc.* Catalogus apostolorum ponitur, ut extra hos qui pseudoapostoli futuri sunt, excludantur.

(Vers. 3.) *Primus Simon, qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus: Jacobus Zebedæi, et Joannes frater ejus: Philippus et Bartholomæus, Thomas et Matthæus publicanus, et Jacobus Alphæi, et Thaddæus.* Ordinem apostolorum et meritum uniuscujusque, illius fuit distribuere, qui cordis arcana rimatur. Primus scribitur Simon, cognomento Petrus; ad distinctionem alterius Simonis, qui appellatur Chananæus, de vico Chana Galilææ, ubi aquam Dominus vertit in vinum (*Joan.* II). Jacobum quoque appellat Zebedæi, quia et alius sequitur Jacobus Alphæi. Et apostolorum paria juga [a] consociat. Jungit Petrum et Andream fratres, non tam carne quam C
57 spiritu. Jacobum et Joannem, qui panem corporis relinquentes, verum Patrem secuti sunt. Philippum et Bartholomæum, Thomam quoque et Matthæum publicanum. Cæteri evangelistæ in conjunctione nominum, primum ponunt Matthæum; et postea Thomam, nec publicani nomen ascribunt [*Al.* ascribitur], ne antiquæ conversationis recordantes sugillare Evangelistam viderentur. Iste vero (ut supra diximus) et post Thomam se ponit, et publicanum appellat, ut *ubi abundavit iniquitas, superabundet et gratia* (*Rom.* v, 20).

(Vers. 4.) *Simon chananæus.* Ipse est qui in alio Evangelista [*Al.* Evangelio] scribitur *Zelotes* (*Luc.* VI). *Chana* quippe, *zelus* interpretatur. Thaddæum apostolum, Ecclesiastica tradit historia missum Edessam [b] ad D Abgarum regem Osroenæ, qui ab evangelista Luca Judas Jacobi dicitur: et alibi appellatur *Lebæus* (*Act.* I), quod interpretatur *corculum*. Credendumque est eum fuisse trinomium: Sicut Simon, *Petrus* (*Marc.* III); et Filii Zebedæi, *Boanerges* [Al. *Banerges*], ex firmitate et magnitudine fidei nominati sunt.

Et Judas Ischariotes [c], *qui et tradidit eum.* Vel a vico aut urbe in quo ortus est, vel ex tribu Isachar vocabulum sumpsit: ut quodam vaticinio in condemnationen sui natus sit. *Isachar* enim interpretatur *merces*, ut significetur pretium proditoris.

(Vers. 5, 6.) *In viam gentium ne abieritis: et in civitates Samaritanorum ne intraveritis: sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel.* Non est contrarius locus iste ei præcepto quod postea dicitur: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Mat.* XXVIII, 10). Quia hoc ante resurrectionem, illud post resurrectionem [d] præceptum est. Et oportebat primum adventum Christi nuntiare Judæis, ne justam haberent excusationem, dicentes ideo se Dominum rejecisse; quia ad gentes et ad Samaritanos apostolos miserit. Juxta tropologiam vero præcipitur nobis qui Christi censemur nomine, ne in via gentium et hæreticorum ambulemus errore, ut quorum religio separata est, separetur et vita.

(Vers. 7, 8.) *Euntes autem prædicate, dicentes: quia appropinquavit regnum cœlorum, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite.* Ne hominibus rusticanis et absque eloquii venustate indoctis et illitteratis nemo crederet, pollicentibus regna cœlorum, dat potestatem infirmos curare, leprosos mundare, dæmones ejicere, ut magnitudinem promissorum probet magnitudo signorum. Et quia semper dona spiritualia (si merces media sit) viliora fiunt, adjungitur avaritiæ condemnatio. 58

Gratis accepistis, gratis date. Ego magister et Dominus absque pretio hoc vobis tribui, et vos sine pretio date, ne Evangelii gratia corrumpatur.

(Vers. 9, 10.) *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Non peram in via, neque duas tunicas, neque calciamenta, neque virgam* [e]. *Dignus est enim operarius cibo suo.* Consequenter hæc dat præcepta evangelizatoribus veritatis, quibus ante dixerat: *Gratis accepistis, gratis date.* Si enim sic prædicant, ut pretium non accipiant, superflua est auri argentique et nummorum possessio. Nam si habuissent aurum et argentum, videbantur non causa salutis hominum, sed causa lucri prædicare. *Neque æs in sacculis.* Qui divitias detruncarat [*Al.* detruncat], propemodum et necessaria vitæ amputat, ut apostoli doctores veræ religionis, qui instituebant [*Al.* instruebant] omnia providentia Dei gubernari, seipsos ostenderent nihil

[a] Antea erat, *jugaque*: in uno alterove mss. *juga quæque*. Rhabb., *paria utroque consociat*.

[b] In Erasmiana editione depravate legimus, *Ad Abagarum regem Chosdroenæ*; in Marianæa similiter, *Ad Abagarum regem Chosidenæ*. Neutrum verum est; nec scio quodnam fuerit regnum Chosdroenum, vel *chosidenum*. Vera itaque lectio hæc est quam omnes mss. codices retinent: *Ad Abgarum regem Osroenæ*. Erat porro *Osroene* vel *Osdroene*, regio Syriæ in Mesopotamiæ confinio: in qua Edessa et Nicephorium urbes, juxta Euphratem flumen. Unde populi *Osrœni* apud Stephanum. MART. — Olim, *Abagarum regem Chosidene*. Vid. Euseb. l. I, c. 15.

[c] Concinnius nostri mss., *Juda autem Schariotes, vel a vico, in quo ortus est, vel ex tribu*, etc.

[d] Victorius omittit vocem, *præceptum*.

[e] Addunt quidam mss. *in manu*. Tum *mercenarius*, pro *operarius*, legunt.

cogitare de crastino. *Non peram in via.* Ex hoc præcepto arguit philosophos, qui vulgo appellantur [a] Bactroperitæ, quod contemptores sæculi et omnia pro nihilo ducentes, cellarium secum vehebant. *Neque duas tunicas.* In duabus tunicis videtur mihi duplex ostendere vestimentum. Non quo in locis Scythiæ et glaciali nive rigentibus una quis tunica debeat esse contentus : sed quo in tunica vestimentum intelligamus : ne alio vestiti, aliud nobis futurorum timore servemus. *Neque calciamenta.* Et Plato præcepit duas corporis summitates non esse velandas, nec assuefieri debere mollitiei capitis et pedum. Cum hæc enim habuerint firmitatem, cætera robustiora sunt. *Neque virgam :* Qui Domini habemus auxilium, baculi præsidium cur quæramus? **59** Et quia quodammodo nudos et expeditos ad prædicandum apostolos miserat, et dura videbatur esse conditio magistrorum, severitatem præcepti sequenti sententia temperavit, dicens : *Dignus est operarius cibo suo.* Tantum, inquit, accipite, quantum in victu et vestitu vobis necessarium est. Unde et Apostolus replicat : *Habentes victum et vestitum, his contenti simus* (I *Tim.* VI, 8). Et in alio loco : *Communicet autem is qui catechizatur* [b] *verbo ei qui se catechizat in omni bono* (*Galat.* VI, 6) : ut quorum discipuli metunt spiritualia, consortes eos faciant carnalium suorum : non in avaritia, sed in necessitate. Hæc historice diximus. Cæterum secundum anagogen, non licet magistris aurum et argentum, et pecuniam quæ in zonis est, possidere. Aurum sæpe legimus, pro sensu; argentum, pro sermone; æs, pro voce; hæc nobis non licet ab aliis accipere, sed data a Domino possidere. Neque hæreticorum et philosophorum perversæque doctrinæ suscipere disciplinas, non sæculi pondere premi, neque duplici esse animo, neque pedes nostros mortiferis vinculis alligari, sed sanctam terram ingredientes, esse nudos; neque habere virgam quæ vertatur in colubrum, neque in aliquo præsidio carnis inniti (*Exod.* IV, 7; IV *Reg.* XVIII), quia istius modi virga et baculus arundineus est (*Isai.* XXXVI), quem si paululum presseris, frangitur, et manum transforat incumbentis.

(Vers. 11.) *In quamcumque enim civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete, donec exeatis.* Super ordinatione episcopi et diaconi Paulus loquitur, *Oportet autem eos et testimonium habere bonum ab his qui foris sunt.* (I *Tim.* III, 7). Apostoli novam introeuntes urbem, scire non poterant quis qualis esset. Ergo hospes fama eligendus est populi, et judicio vicinorum, ne prædicationis dignitas suscipientis infamia deturpetur. Cum universis debeant prædicare, hospes unus eligitur, non tribuens beneficium ei qui apud se mansurus est, sed accipiens, hoc enim dicitur, quis in ea dignus est [*Al.* fit], ut magis se noverit accipere gratiam, quam dare.

A

(Vers. 12, 13.) *Intrantes autem domum, salutate eam. Et siquidem fuerit domus illa digna, veniet pax nostra super eam : sin autem non* **60** *fuerit digna, pax vestra ad vos revertetur.* Occulte salutationem Hebræi ac Syri sermonis expressit. Quod enim Græce dicitur, χαῖρε, et Latine, *ave*, hoc Hebraico Syroque sermone appellatur SALOM LACH (שלום לך) sive [c] SALOM EMMACH (שלום ממך), id est, *pax tecum.* Quod autem præcipit, tale est : Introeuntes domum, pacem imprecamini hospiti, et quantum in vobis est, discordiæ bella sedate. Sin autem orta fuerit contradictio, vos mercedem habebitis de oblata pace : illi bellum, qui [*Al.* quod] habere voluerint, possidebunt.

B

(Vers. 14.) *Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.* Pulvis excutitur de pedibus, in testimonium laboris sui, quod ingressi sint civitatem, et prædicatio apostolica ad illos usque pervenerit. Sive excutitur pulvis, ut nihil ab eis recipiant, ne ad victum quidem necessarium, qui Evangelium spreverint.

(Vers. 15.) *Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati.* Si tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum [*Al.* Gomorrheis] quam illi civitati quæ non receperit Evangelium, et idcirco tolerabilius, quia Sodomis et Gomorrhis non fuit prædicatum, huic autem prædicatum sit, et tamen non receperit Evangelium : ergo inter peccatores diversa supplicia sunt.

C

(Vers. 16.) *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Lupos, Scribas et Pharisæos vocat, qui sunt clerici Judæorum.

(Vers. 17, 18.). *Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Cavete autem ab hominibus : tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ad præsides et reges ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus.* Ut per prudentiam devitent insidias, per simplicitatem non faciant [d] malum. Serpentis astutia ponitur in exemplum : quia toto [e] corpore occultat caput, et illud in quo vita est, protegit. Ita et nos toto periculo corporis caput nostrum, qui Christus est, custodiamus. Simplicitas columbarum ex Spiritus sancti specie demonstratur. Unde dicit et Apostolus : *Malitia parvuli estote* (I *Cor.* XIV, 20).

D

(Vers. 19, 20.) *Cum autem tradent vos, nolite cogitare* **61** *quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim estis vos*

[a] Vitiose penes Victorium, *Bactroperatæ.* Nomen a baculo et pera sortiti sunt. Paschasius Rathertus hunc fere locum ex Hieronymo exscribens, *Gulam*, inquit, *cohibet, et arguit philosophos, qui dicuntur Bachnionitæ* (Al. cod. *Bactroperitæ*) *qui omnia mundi pro nihilo ducentes cellaria secum ferebant.*

[b] Martian. vocem *verbo* prætermiserat.

[c] Non improbarim, quod nostri præferunt mss. *Salamalach*, quemadmodum et in uno Regio 240. Latinis itidem scriptum litteris Cotelerius invenit.

[d] Rectius tacet Rhabb. *malum*, refertque ad *insidias.*

[e] Interserunt duo mss. Palatini *periclitante.*

qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Supra dixerat: *Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ad præsides et reges ducemini propter me.* Cum ergo propter Christum ducamur ad judices, voluntatem tantum nostram pro Christo debemus offerre. Cæterum ipse Christus qui in nobis habitat, loquetur pro se, et Spiritus sancti gratia in respondendo ministrabitur.

(Vers. 21.) *Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium, et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient. Et eritis odio omnibus propter nomen meum.* Hoc in persecutionibus fieri crebro videmus: nec ullus est inter eos fidus affectus, quorum diversa fides est.

(Vers. 22.) *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Non enim cœpisse, sed perfecisse virtutis est.

(Vers. 23, 24.) *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat filius hominis. Non est discipulus supra magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus; et servo, sicut dominus ejus.* Hoc ad illud tempus referendum est, cum ad prædicationem apostoli mittebantur, quibus et proprie dicitur: *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis* (*Supra, eod.*), quod persecutionem timere non debeant [*Al.* et debeant], sed declinare. Quod quidem videmus [*Al.* vidimus] in principio fecisse credentes: quando orta Jerosolymis persecutione, dispersi sunt in universam Judæam, ut tribulationis occasio fieret Evangelii seminarium. Spiritualiter autem possumus dicere: Cum persecuti nos fuerint in una civitate, hoc est, in uno Scripturarum libro vel testimonio, nos fugiamus ad alias civitates, id est, ad alia volumina. Quamvis contentiosus fuerit persecutor, ante præsidium Salvatoris adveniet, quam adversariis victoria concedatur.

(Vers. 25.) *Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus! Ne ergo timueritis eos.* Beelzebub, idolum est Acaron, quod vocatur in Regum volumine *idolum muscæ* (IV *Reg.* I). Beel, ipse est *Bel*, sive *Baal*: *Zebub* autem *musca* dicitur. **62** Principem ergo dæmoniorum ex spurcissimi idoli appellabant vocabulo, qui musca dicitur, propter immunditiam, quæ exterminat suavitatem olei (*Eccl.* X).

(Vers. 26.) *Nihil enim opertum est quod non revelabitur, et occultum quod non scietur.* Et quomodo in præsenti sæculo multorum vitia nesciuntur? Sed de futuro [a] tempore [*Al.* sæculo] scribitur, quando judicabit Deus occulta [*Al.* abscondita] hominum, et illuminabit latebras tenebrarum, et manifesta faciet consilia cordium. Et est sensus: Nolite timere persecutorum sævitiam, et blasphemantium rabiem, quia veniet dies judicii, in quo et vestra virtus, et eorum nequitia demonstrabitur.

(Vers. 27.) *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Quod audistis in mysterio, apertius prædicate: quod didicistis abscondite [*Al.* absconse], publice loquimini: quod vos erudivi in parvulo Judææ loco, in universis urbibus, et in toto mundo audacter edicite [*Al.* dicite].

(Vers. 28.) *Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Si qui corpus occidunt, animam non possunt occidere: ergo anima invisibilis et incorporalis est, secundum crassiorem dico nostri corporis substantiam. Vel eo certe tempore punietur, et supplicia sentiet, quando pristinum corpus receperit, ut cum quo peccavit, cum ipso et puniatur.

Sed potius timete eum qui potest et animam, et corpus perdere in gehennam. Nomen *gehennæ*, in veteribus libris non invenitur, sed primum a Salvatore ponitur. Quæramus ergo quæ sit sermonis hujus occasio. Idolum Baal fuisse juxta Jerusalem ad radices montis Moria, in quibus Siloe fluit, non semel legimus (III *Reg.* XI). Hæc vallis [b] et parvi campi planities, irrigua erat et nemorosa, plenaque deliciis, et lucus in ea idolo consecratus. In tantam autem dementiam populus Israel venerat, ut deserta templi vicinia ibi hostias immolaret, et rigorem religionis deliciæ vincerent, filiosque suos dæmoniis incenderent vel initiarent. Et appellabatur locus ille *gehennom*, id est, *vallis* filiorum [*Al.* filii] *Hennom*. Hoc Regum volumen (IV *Reg.* XXIII), et Paralipomenon (II *Par.* XXVIII), et Jeremias (*Jer.* VII, XIX *et* XXXII) scribunt plenissime. Et comminatur Deus se locum ipsum impleturum cadaveribus **63** mortuorum, ut nequaquam vocetur Tophet et Baal; sed vocetur *Polyandrium*, id est, *tumulus mortuorum*. Futura ergo supplicia et pœnæ perpetuæ, quibus peccatores cruciandi sunt, hujus loci vocabulo denotantur. Duplicem autem esse gehennam, nimii ignis et frigoris, in Job plenissime legimus (*Job.* XXIV).

(Vers. 29 seqq. *Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Pàtre meo qui in cœlis est.* Hæret sibi sermo Dominicus, et sequentia pendent ex superioribus. Prudens lector, cave semper superstitiosam intelligentiam; ut non tuo sensui attemperes Scripturas, sed Scripturis jungas sensum tuum, et intelligas quid sequatur. Supra dixerat:

[a] Ita legunt codices mss. quamplures, id est, Beccensis monasterii unus, alter Sylvæ-Majoris, unus monasterii Beatæ Mariæ super Divam, et quartus Ecclesiæ Narbonensis. Editi legunt, *de futuro sæculo*, et postea retinent *abscondita* pro *occulta hominum*, et *manifestabit* pro *manifesta faciet*. MART.

[b] Nostri mss. et quidam penes Martianæum, olimque editi libri, *et parva campi planities*: tum *numerosa* pro *nemorosa* penes Victorium.

Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : nunc loquitur consequenter, *Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro ?* Et est sensus : Si parva animalia et vilia absque Deo auctore non decidunt, et in omnibus est providentia, et quæ in his peritura sunt, sine Deí voluntate non pereunt : vos qui æterni estis, non debetis timere quod absque Dei vivatis providentia. Iste sensus et supra dictus est : *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea ; et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos* [a] *pluris estis illis ?* Ac deinceps : *Considerate lilia agri quòmodo crescunt*, et reliqua. *Si autem fenum agri quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos, modicæ fidei !* Quidam coacte duos passeres, animam B et corpus interpretantur. Quinque quoque passeres, secundum Lucam (*Luc.* XII), qui duobus assibus veneunt, ad sensus referunt. Sed quomodo illa intelligentia toto Evangelici sermonis corpori coaptetur, non parvæ difficultatis est. *Vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere ; multis passeribus meliores estis vos.* Manifestius superior nostræ expositionis sensus expressus est : quod timere non **64** debeant eos qui possunt occidere corpus, et animam non possunt, quoniam si sine Dei scientia parva quoque animalia non decidunt, quanto magis homo, qui apostolica fultus sit dignitate ! Quod autem ait : *vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt*, immensam Dei erga homines ostendit providentiam, et ineffabilem signat affectum, quod nihil C nostrum lateat Deum, et etiam parva et otiose dicta ejus scientiam non fugiant. Derident intelligentiam ecclesiasticam in hoc loco, qui carnis resurrectionem negant, quasi nos et capillos qui numerati sunt, et a tonsore decisi, omnes dicamus resurgere, cum Salvator non dixerit : Vestri autem et capilli capitis omnes salvandi sunt, sed numerati sunt. Ubi numerus est, scientia numeri demonstratur, non ejusdem numeri conservatio.

(Vers. 34.) *Nolite arbitrari, quia veni pacem mittere in terram : Non veni pacem mittere, sed gladium.* Supra dixerat : *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine ; et quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Nunc infert quid post prædicationem sequatur. Ad fidem Christi, totus orbis contra se divisus est : unaquæque domus et infideles habuit et credentes, et propterea bellum missum est bonum, ut rumperetur pax mala. Tale quid et in Genesi adversus rebelles homines, qui moti fuerant de Oriente, et turrem exstruere festinabant (*Genes.* XI), per quam cœli alta penetrarent, fecisse scribitur Deus, ut divideret linguas eorum. Unde et in psalmo David precatur : *Dissipa, Domine, gentes quæ bella volunt* (*Ps.* LXVII, 32).

(Vers. 35.) *Veni enim separare hominem adversus* A *patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam ; et inimici hominis, domestici ejus.* Hic locus prope eisdem verbis in Michæa propheta scribitur (*Mich.* VII). Et notandum ubicumque de veteri Testamento testimonium ponitur, utrum sensus tantum, an et [b] sermo consentiat.

(Vers. 37.) *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Qui [c] ante præmiserat: *Non veni pacem mittere, sed gladium ;* et dividere homines adversum patrem et matrem, et socrum, ne quis pietatem religioni anteferret, subjecit dicens, *Qui amat* **65** *patrem aut matrem plus quam me.* Et in Cantico legimus Canticorum : *Ordinate in me* B *charitatem* (*Cant.* II, 4). Hic ordo in omni affectu necessarius est. Ama post Deum patrem, ama matrem, ama filios. Si autem necessitas venerit, ut amor parentum ac filiorum Dei amori comparetur, et non possit utrumque servari, odium in suos, pietas in Deum sit [*Al.* est]. Non ergo prohibuit amare patrem aut matrem, sed signanter addidit : *Qui amat patrem aut matrem plus quam me.*

(Vers. 38, 39.) *Et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. Qui invenerit* [Al. *invenit*] *animam suam, perdet illam ; et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* In alio Evangelio scribitur : *Qui non accipit crucem suam quotidie.* Ne semel putemus ardorem fidei posse sufficere, semper crux portanda est, ut semper nos Christum C amare doceamus.

(Vers. 40.) *Qui recipit vos, me recipit ; et qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Ordo pulcherrimus. Ad prædicationem mittit, docet pericula non timenda, affectum subjicit religioni. Aurum supra tulerat, æs de zona excusserat. Dura Evangelistarum conditio. Unde ergo sumptus, unde victus necessaria? Austeritatem mandatorum spe temperat promissorum. *Qui recipit*, inquiens, *vos, me recipit ; et qui me recipit, recipit eum qui me misit*, ut in suscipiendis apostolis, unusquisque credentium Christum se suscepisse arbitretur.

(Vers. 41.) *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.* Qui D prophetam recipit ut prophetam, et intelligit eum de futuris loquentem, hic mercedem prophetæ accipiet. Igitur Judæi carnaliter prophetas intelligentes, mercedem prophetarum non accipient. Aliter : In omni professione zizanium mixtum est tritico. Præmiserat : *Qui recipit vos, me recipit : et qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Ad susceptionem magistrorum discipulos provocaverat. Poterat **66** occulta esse credentium responsio; ergo et pseudoprophetas et Judam proditorem debemus recipere, et illis alimoniam ministrare. Hoc Dominus ante

[a] Duo Palatini, *vos magis pluris estis ;* et paulo inferius, *minimæ fidei*, pro *modicæ*, etc.

[b] Palat. codd., *an et verba consentiant.*

[c] Iidem, *Quia ante.*

procurans dicit, non personas suscipiendas esse, A sed nomina : et mercedem non perdere suscipientes, licet indignus fuerit qui susceptus sit.

(Vers. 42.) *Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum, in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Legimus in propheta David : *Ad excusandas excusationes in peccatis* (*Ps* CXL, 4) : quod multi peccatorum suorum quasi justas prætendant occasiones, ut quod voluntate delinquunt, videantur necessitate peccare : Dominus scrutator cordis et renum, futuras cogitationes in singulis contuetur. Dixerat : *Qui recipit vos, me recipit.* Sed hoc præceptum multi pseudoprophetæ et falsi prædicatores poterant impedire; medicatus est huic quoque scandalo, dicens : *Qui recipit justum in nomine justi,* B *mercedem justi accipiet.* Rursus poterat alius causari et dicere : Paupertate prohibeor, tenuitas me retinet, ut hospitalis esse non possim. Et hanc excusationem levissimo præcepto diluit, ut calicem aquæ frigidæ toto animo porrigamus. Frigidæ, inquit, aquæ, non calidæ, ne et in calida, paupertatis [a] et penuriæ lignorum occasio quæreretur. Tale quid et Apostolus (ut ante jam diximus) ad Galatas præcepit : *Communicet autem is qui catechizatur verbo ei qui se catechizat in omnibus bonis* (*Galat.* VI, 6), et discipulos ad magistrorum refrigeria cohortatur. Quia poterat quilibet obtendere paupertatem, et præceptum eludere, priusquam ille proponat, imminentem solvit quæstionem, dicens : *Nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet.* Et est sensus : frustra causaris inopiam ; cum aliud habeat conscientia [b] tua : [c] me potes fallere cohortantem; sed scito quod quantumcumque seminaveris, tantum et messurus sis.

[a] Victorius, *ex penuria lignorum*, etc.
[b] Voculam *tua* ignorant Cisterciensis et Palat. mss.
[c] Editi alium sensum retinent, scilicet, *ne putes fallere cohortantem.* Hoc modo multa restituo absque notis, quia longum esset singulas contextus restitutiones recensere. MART.

LIBER SECUNDUS.

67 (Cap. XI. — Vers. 1, 2.) [a] *Et factum est cum consummasset Jesus, præcipiens duodecim discipulis, transiit inde ut doceret et prædicaret in civitatibus eorum.* Non quasi ignorans interrogat; ipse enim cæteris ignorantibus demonstraverat, dicens : *Ecce* C *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 29) : et Patris vocem audierat, intonantis : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* III, 17) : sed quomodo Salvator interrogat, ubi sit positus Lazarus, ut qui locum sepulcri indicabant, saltem sic pararentur ad fidem, et viderent mortuum resurgentem : sic et Joannes interficiendus ab Herode, discipulos suos mittit ad Christum, ut per hanc occasionem videntes signa atque virtutes, crederent in eum, et magistro interrogante, sibi discerent. Quod autem superbirent discipuli Joannis adversus Dominum, et haberent aliquid mordacitatis ex livore et invidia, superior quoque [b] interrogatio demonstravit, Evangelista referente : *Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis, dicentes : Quare nos* D *et Pharisæi jejunamus frequenter : discipuli autem tui non jejunant* (*Ibid.*, IX, 14)? Et alibi : *Magister, cui tu perhibuisti* [Al. *præbuisti*] *testimonium ad Jordanem, ecce discipuli ejus baptizant, et* [c] *omnes veniunt ad eum* (*Joan.* III, 26), quasi dixerint : Nos deserimur, hic raritas est, ad illum turba concurrit.

(Vers. 3.) *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Non ait : tu es qui venisti : sed, tu es qui venturus es. Et est sensus : Manda mihi, quia ad inferna descensurus sum, utrum te et inferis debeam nuntiare, qui nuntiavi superis? An non conveniat Filio Dei, ut gustet mortem, et alium ad hæc sacramenta missurus es?

(Vers. 4, 5.) *Et respondens Jesus, ait illis : Euntes* 68 *renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Joannes interrogaverat per discipulos : *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Christus signa demonstrat, non ad ea respondens quæ interrogatus fuerat, sed ad scandalum nuntiorum : *Ite*, inquit, *et dicite Joanni signa quæ cernitis :* cæcos videntes, et claudos ambulantes, et reliqua. Et quod his non minus est [d],

Pauperes evangelizantur. Vel pauperes spiritu, vel certe opibus [*Al.* operibus] pauperes, ut nulla inter nobiles et ignobiles, inter divites et egenos, in prædicatione distantia sit. Hæc magistri rigorem, hæc præceptoris comprobant veritatem, quando omnis apud eum qui salvari potest, æqualis est. Quod autem ait :

(Vers. 6.) *Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Internuntios percutit, sicut in consequentibus demonstrabitur.

(Vers. 7.) *Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne : Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis*

[a] Pro impressa Scripturæ pericope hanc præferunt mss. nostri, *Joannes autem cum audisset opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Quidam et post verbum, *audisset*, addunt, *in vinculis.*
[b] Rhabb., *interpretatio.*
[c] Pro *omnes*, quod et in Græco resonat πάντες, in Palatinis mss. ut et Victorii editione est, *plures.*
[d] Mss. Palatini continenti serie, *et quod his non minus est, pauperes evangelizátos. Vel pauperes*, etc.

videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Si superior sententia contra Joannem prolata fuerat, ut plerique arbitrantur, in eo quod ait : *Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me*, quomodo nunc Joannes tantis laudibus prædicatur? Sed quia turba circumstans interrogationis mysterium nesciebat, et putabat Joannem dubitare de Christo, quem ipse monstraverat digito, ut intelligerent Joannem non sibi interrogasse, sed discipulis suis : Quid, inquit, existis in desertum? Numquid ob hoc, ut hominem videretis calamo **69** similem, qui omni vento circumfertur, et levitate mentis de eo ambigeret quem antea prædicarat? An forsitan stimulis contra me invidiæ cogitur, et prædicatio ejus vanam sectatur gloriam, ut ex ea quærat lucra? Cur divitias cupiat, ut affluat dapibus? Locustis vescitur, et melle silvestri. An ut mollibus vestiatur? Pili camelorum tegmen ejus sunt. Istius modi cibus et vestis carceris hospitio recipiuntur, et prædicatio veritatis tale habet habitaculum. Qui autem adulatores sunt, et sectantur lucra, et quærunt divitias, et deliciis affluunt, et mollibus vestiuntur, isti in domibus regum sunt. Ex quo ostenditur rigidam vitam et austeram prædicationem, vitare debere aulas regum, et mollium hominum palatia declinare.

(Vers. 8.) *Sed quid existis videre, prophetam? Etiam dico vobis, et plusquam prophetam.* In eo Joannes prophetis cæteris major est, quod quem illi prædicaverant esse venturum, hic venisse digito demonstravit, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et [a] quia ad privilegium prophetale etiam Baptistæ accessit præmium, ut Dominum suum baptizaret, inde [*Al.* unde] infert meritorum [b] *αὔξησιν*, faciens de Malachia testimonium, in quo etiam angelus prædicatur (*Malach.* II). Angelum autem hic dici Joannem non putemus naturæ societate, sed officii dignitate, id est, nuntium, quod venturum Dominum nuntiarit.

(Vers. 11.) *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista.* Inter natos, inquit, mulierum. His ergo præfertur hominibus, qui de mulieribus nati sunt, et de concubitu viri, et non ei qui est natus ex Virgine, et Spiritu sancto: quamquam in eo quod dixit : *Non surrexit major inter natos mulierum Joanne Baptista*, non cæteris prophetis et patriarchis, cunctisque hominibus Joannem prætulit, [c] sed Joanni cæteros exæquavit. Non enim statim sequitur, ut si alii majores eo non sunt, ille major aliorum sit: verum ut æqualitatem cum cæteris sanctis habeat.

Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo. Multi de Salvatore hoc intelligi volunt quod qui minor est tempore, major sit dignitate. Nos autem simpliciter intelligamus: quod omnis sanctus, qui jam cum Deo est, major sit illo qui adhuc consistit in prælio. Aliud est enim coronam victoriæ possidere, **70** aliud adhuc in acie dimicare. Quidam novissimum angelum in cœlis Domino ministrantem meliorem volunt accipere quolibet primo homine, qui versetur in terris.

(Vers. 12.) *A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Si primus Joannes, ut supra diximus, pœnitentiam populis nuntiavit, dicens : *Pœnitentiam agite; appropinquabit enim regnum cœlorum :* consequenter a diebus illius regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud. Grandis enim est violentia, in terra nos esse generatos et cœlorum sedem quærere, possidere per virtutem, quod non tenuimus per naturam.

(Vers. 13.) *Omnes enim prophetæ et Lex usque ad Joannem prophetaverunt.* Non quod post Joannem excludat Prophetas. Legimus enim in Actibus apostolorum (*Act.* XI, 21), et Agabum prophetasse, et quatuor virgines filias Philippi; sed quod Lex et prophetæ quos scriptos legimus, quidquid prophetaverunt, de Domino vaticinati sunt. Quando ergo dicitur : *Omnes Prophetæ et Lex usque ad Joannem prophetaverunt*, Christi tempus ostenditur, ut quem illi dixerunt esse venturum, Joannes venisse ostenderet.

(Vers. 14, 15.) *Et si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est. Qui habet aures audiendi, audiat.* Hoc quod dictum est : *si vultis recipere, ipse est Elias*, mysticum esse et egere intelligentia, sequens sermo Domini demonstrat, dicens: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Si enim planus esset sensus, et manifesta sententia, quid necesse fuit nos ad illius intelligentiam præparari? Elias ergo Joannes dicitur, non secundum stultos philosophos et quosdam hæreticos, qui *μετεμψύχωσιν* introducunt : sed quod juxta aliud testimonium Evangelii venerit in spiritu et virtute Eliæ, eamdem sancti Spiritus vel gratiam habuerit, vel mensuram. Sed et vitæ austeritas rigorque mentis Eliæ et Joannis pares sunt. Ille enim in eremo, iste in eremo : ille zona pellicea cingebatur, et iste simile habuit cingulum. Ille quoniam regem Achab et Jezabel impietatis arguit, fugere compulsus est (III *Reg.* XIX); iste quia Herodis et Herodiadis illicitas arguit nuptias, capite truncatur. Sunt qui propterea Joannem, Eliam vocari putant, quod quomodo in secundo Salvatoris adventu juxta Malachiam præcessurus est Elias, **71** et venturum judicem nuntiaturus: sic Joannes in primo adventu fecerit; et uterque sit nuntius vel primi adventus Domini, vel secundi.

(Vers. 16 seq.) *Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus suis dicunt : Cecinimus vobis,*

[a] Rhabb., *et cui ad fastigium prophetale etiam Baptistæ accepit privilegium, ut suum*, etc.

[b] In codd. mss., *meritorum αὔξησιν, id est, auctionem faciens.* Mart.

[c] Hoc modo legunt omnes mss. in antea editis, *sed Joannem cæteris exæquavit.* Mart.

et non saltastis: lamentavimus [a] *vobis, et non planxistis. Venit enim Joannes, neque manducans, neque bibens, et dicunt: Dæmonium habet. Venit Filius hominis, manducans et bibens, et dicunt: Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus. Et justificata est sapientia a filiis suis.* Pueris in foro sedentibus et clamantibus atque dicentibus ad coæquales suos: *Cecinimus vobis, et non saltastis: lamentati sumus, et non planxistis*, comparatur generatio Judæorum, Scriptura dicente: *Cui similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro*, et reliqua. Non ergo nobis tribuitur libera intelligentia, et allegoriæ interpretatio [b] passiva: sed quidquid dicturi sumus de pueris, ad similitudinem generationis est referendum. Pueri isti qui sedent in foro, hi sunt de quibus Isaias loquitur: *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Deus* (*Isai.* VIII, 18). Et in decimo octavo psalmo (*Vers.* 8): *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* Et alibi: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem* (*Ps.* VIII, 3). Isti ergo pueri sederunt in foro, sive ἐν ἀγορᾷ, quod significantius Græce dicitur, ubi multa venalia sunt. Et quia populus Judæorum audire nolebat, non ei tantum locuti sunt, sed plenis faucibus inclamaverunt: *Cecinimus vobis, et non saltastis;* provocavimus ut ad nostrum canticum bona opera faceretis, et saltaretis ad nostram tibiam, sicut saltavit et David ante arcam Domini (II *Reg.* VI), et noluistis. Lamentati sumus, et vos ad pœnitentiam provocavimus, et ne hoc quidem facere voluistis, spernentes utramque prædicationem, tam exhortationis ad virtutes, quam pœnitentiæ post peccata. Nec mirum si duplicem viam contempseritis salutis, cum et Dei [*Al.* tacet Dei] jejunium, et saturitatem pariter spreveritis. **72** Si jejunium vobis placet, cur Joannes displicuit? Si saturitas, cur Filius hominis displicuit? Quorum alterum, dæmonium habentem, alterum, voratorem et ebrium nuncupatis [*Al.* nuncupastis]. Ergo quia vos noluistis utramque recipere disciplinam, justificata est sapientia a filiis suis: id est, Dei dispensatio atque doctrina. Et ego qui sum Dei virtus et Dei sapientia (I *Cor.* I), juste fecisse ab apostolis meis filiis comprobatus sum, quibus revelavit Pater, quæ a sapientibus absconderat, et prudentibus apud semetipsos (*Joann.* XVII). In quibusdam Evangeliis legitur: *Justificata est sapientia ab operibus suis* (*Luc.* VII, 35). Sapientia quippe non quærit vocis testimonium, sed operum.

(Vers. 20.) *Tunc cœpit exprobrare civitatibus in* A *quibus sunt factæ plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam.* Exprobratio civitatum Chorozain, et Bethsaidæ et Capharnaum, capituli hujus titulo panditur. Quod ideo exprobraverit eis, quia post factas virtutes et signa quamplurima, non egerint pœnitentiam.

(Vers. 21, 22.) *Væ tibi, Chorozain; væ tibi, Bethsaida: quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis: Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis.* Chorozain et Bethsaida, urbes Galilææ, a Salvatore planguntur, quod post tanta signa atque virtutes non egerint pœnitentiam, et præferuntur eis Tyrus et Sidon, urbes idololatriæ et vitiis deditæ. Præferun- B tur autem ideo, quod Tyrus et Sidon naturalem tantum legem calcaverint, istæ vero post transgressionem naturalis Legis et scriptæ, etiam signa quæ apud eas facta sunt, parvi duxerint. Quærimus ubi scriptum sit, quod in Chorozain et Bethsaida Dominus signa fecerit. Supra legimus: *Et circuibat civitates omnes et vicos, curans omnem infirmitatem*, et reliqua (*Supra* IV, 23). Inter cæteras ergo civitates et viculos, æstimandum est in Chorozain quoque et Bethsaida Dominum signa fecisse.

(Vers. 23.) *Et tu, Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis,* [c] *usque in infernum* **73** *descendens?* In altero exemplari reperimus: *Et tu, Capharnaum, quæ usque in cœlum exaltata es, usque ad inferna descendes.* Et est duplex intelligentia. Vel C ideo ad inferna descendes, quia contra prædicationem meam superbissime restitisti. Vel ideo, quia exaltata usque ad cœlum meo hospitio, et meis signis atque virtutibus, tantum habens privilegium, majoribus plecteris suppliciis, quod his quoque credere noluisti.

(Vers. 23, 24.) *Quia si in Sodomis* [Al. *Sydonis*] *factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te,* [d] *forte mansissent usque in hunc diem. Verumtamen dico vobis: quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii quam tibi.* Quærat prudens lector et dicat: si Tyrus et Sidon et Sodoma potuerunt agere pœnitentiam ad prædicationem Salvatoris, signorumque miracula, non sunt in culpa quod non crediderunt: sed vitium silentii in eo est, qui acturis pœniten- D tiam noluit prædicare. Ad quod facilis et aperta responsio est: ignorare nos judicia Dei, et singularum dispensationum ejus sacramenta nescire. Propositum fuerat Domino Judææ fines non excedere, ne justam Pharisæis et sacerdotibus occasionem

[a] Plerique codd. tacent *vobis:* alii *lamentati sumus*, pro *lamentavimus*, legunt.

[b] In mss. codd., *allegorica interpretatione positiva.* MART. — Duo Palat. codd., *interpretatione.* Quidam et *allegorica* pro *allegoria* præferunt. Quæ patet in utramque partem, allegoriam, sive allegoriæ interpretationem, passivam Hieronymus vocat. Sic Tertull. lib. I ad uxorem, *Passivam licentiam*, dixit, quæ ab omnibus usurparetur. Et lib. adversus Valentinianos, cap. 5: *Passivos discipulos*, id est, dissolutos. Et contra Marcionem lib. I, cap. 7: *Passivum, quod in alios quoque permittitur*, scilicet promiscuum, commune. Denique et lib. de Monogamia, *passivum sensum*, quod exponit Rhenanus infinitum, vagum, liberum et licentem, sive licentiosum. Infra iterum hoc utitur vocabulo Hieronymus in cap. 12, *ut contextus loci non passivus et vagus in diversum fluctuet.*

[c] Notanda est Veronensis codicis antiquissimi lectio, *usque ad cœlum exaltaberis, aut usque in infernum*, etc.

[d] Adverbium, *forte*, duo Palatini mss. ignorant.

persecutionis daret. Unde et apostolis ante passionem præcepit : *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis* (*Supra* x, 5). Chorozain igitur et Bethsaida damnantur, quod præsenti Domino credere noluerunt. Tyrus et Sidon justificantur, quod apostolis illius crediderunt. Non quæras tempora, cum credentium intuearis salutem. In *Capharnaum* autem, quæ interpretatur *villa pulcherrima*, condemnatur incredula Jerusalem, cui dicitur per Ezechielem : *Justificata est Sodoma ex te* (*Ezech.* xvi, 52).

(Vers. 25.) *In illo tempore, respondens Jesus, dixit : Confitebor, tibi, Pater, Domine cœli et terræ.* Confessio, non semper pœnitentiam, sed et gratiarum actionem significat; ut in psalmis sæpissime legimus. Audiant qui Salvatorem non natum, sed creatum calumniantur, quod Patrem suum vocet cœli et terræ Dominum. Si enim et ipse creatura est, et creatura conditorem suum patrem appellare potest, stultum fuit non et sui et cœli ac terræ Dominum, vel Patrem similiter appellare.

74 *Quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Gratias agit et exsultat in Patre, quod apostolis sui adventus aperuerit sacramenta, quæ ignoraverint Scribæ et Pharisæi, qui sibi sapientes videntur, et in conspectu suo prudentes. Justificata est sapientia a filiis suis.

(Vers. 26.) *Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* Blandientis affectu loquitur ad Patrem, ut cœptum in apostolis beneficium compleatur.

(Vers. 27.) *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* Et tradentem Patrem, et accipientem Filium, mystice intellige. Alioquin si juxta fragilitatem nostram sentire volumus, cum cœperit habere qui accipit, incipiet non habere qui dederit. Tradita autem sibi omnia, non cœlum et terra, et elementa intelligenda sunt, et cætera quæ ipse fecit et condidit : sed hi qui per Filium accessum habent ad Patrem, et ante rebelles, Deum postea sentire cœperunt.

Et nemo novit Filium nisi Pater : neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Erubescat Eunomius tantam sibi notitiam Patris et Filii, quantam alterutrum inter se habeant, [a] vendicans. Quod si inde contendit, et suam insaniam consolatur, quia sequitur : *Et cui voluerit Filius revelare.* Aliud est naturæ æqualitate nosse quod noveris, aliud revelantis dignatione.

(Vers. 28, 29.) *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis : et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos : et discite a me quia mitis sum et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris.* Gravia onera esse peccati, et Zacharias propheta testatur, dicens, iniquitatem sedere super talentum plumbi (*Zach.* v). Et Psalmista complorat : *Iniquitates meæ aggravatæ sunt super me* (*Psal.* xxxvii, 6). Vel certe eos qui gravissimo Legis jugo premebantur, ad Evangelii invitat gratiam.

A (Vers. 30.) *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve est.* Quomodo levius Lege Evangelium, cum in Lege homicidium, in Evangelio ira damnetur? Qua ratione Evangelii gratia facilior, cum in Lege adulterium, in Evangelio concupiscentia puniatur? In Lege multa præcepta sunt, quæ Apostolus non posse compleri plenissime docet (*Act.* xv). In Lege opera requiruntur, quæ qui fecerit, vivet **75** in eis. In Evangelio voluntas quæritur : quæ etiamsi effectum non habuerit, tamen præmium non amittit. Evangelium ea præcipit quæ possumus : ne scilicet concupiscamus : hoc in arbitrio nostro est. Lex cum voluntatem non puniat, punit effectum, ne adulterium facias. Finge in persecutione aliquam virginem prostitutam. Hæc apud Evangelium, quia B voluntate non peccat, virgo suscipitur : in Lege quasi corrupta repudiatur.

(Cap. XII. — Vers. 1.) *In illo tempore abiit Jesus sabbato per sata : discipuli autem ejus esurientes cœperunt evellere spicas, et manducare.* In alio quoque evangelista legimus, quod propter nimiam importunitatem, nec vescendi quidem habebant locum, et ideo quasi homines esuriebant (*Marc.* ii, *et Luc.* vi). Quod autem spicas segetum manibus confricant, et inediam consolantur, vitæ austerioris indicium est; non præparatas epulas, sed cibos simplices quærentium.

(Vers. 2.) *Pharisæi autem videntes, dixerunt ei : Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet eis facere sabbatis.* Nota quod primi apostoli Salvatoris litte- C ram sabbati destruunt, adversus Ebionitas, qui cum cæteros recipiant apostolos, Paulum quasi transgressorem legis repudiant.

(Vers. 3, 4.) *At ille dixit eis : Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, et qui cum eo erant : quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis comedit, quos non licebat ei comedere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?* Ad confutandam calumniam Pharisæorum, veteris recordatur historiæ, quando David fugiens Saulem, venit in Nobe, et ab Achimelech sacerdote susceptus, postulavit cibos, qui cum panes laicos non haberet, dedit ei consecratos, quibus non licebat vesci nisi solis sacerdotibus et levitis. Et hoc tantum interrogavit si essent mundi pueri a mulieribus : et illo respon- D dente, ab heri et nudiustertius, non dubitavit panes dare, melius arbitratus, propheta dicente : *Misericordiam volo, et non sacrificium* (*Osee*, vi, 6), de famis periculo homines liberare, quam Deo offerre sacrificium. Hostia enim placabilis Deo, hominum salus est. Opponit ergo Dominus, et dicit : Si et David **76** sanctus est, et Achimelech pontifex a vobis non reprehenditur, sed Legis uterque mandatum probabili excusatione transgressi sunt, et fames in causa est, cur camdem famem non probatis in apostolis, quam probatis in cæteris? Quamquam et in hoc magna distantia sit. Isti spicas in sabbato manu confricant, illi panes comederunt

[a] Penes Victorium, *jactitans.*

Leviticos, et ad sabbati solemnitatem accedebant A Neomeniarum dies, quibus in convivio requisitus fugit ex aula regia. Observa quod panes propositionis nec David, nec pueri ejus acceperint, antequam se a mulieribus mundos esse responderent.

(Vers. 5.) *Aut non legistis in Lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt?* Calumniamini, inquit, discipulos meos, cur per segetes transeuntes, spicas triverint, et hoc fecerint famis necessitate cogente, cum et ipsi sabbatum violetis in Templo, immolantes victimas, cædentes tauros, holocausta super lignorum struem incendio concremantes: et juxta alterius Evangelii fidem (*Joan.* VII), circumcidentes parvulos in sabbato, ut dum aliam Legem servare cupitis, sabbatum destruatis. Numquam autem Leges Dei sibi contrariæ B sunt. Et prudenter ubi transgressionis discipuli sui argui poterant, David et Achimelech dicit exempla sectatos: veram autem et absque necessitatis obtentu, sabbati prævaricationem in ipsos refert, qui calumniam fecerant.

(Vers. 6.) *Dico autem vobis, quia templo major est hic.* [a] Hic, non pronomen, sed adverbium loci est; quod major templo sit locus, qui Dominum templi teneat.

(Vers. 7.) *Si autem sciretis quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium* (*Osee* VI, 6): *numquam condemnassetis innocentes.* Quid sit, volo misericordiam, et non sacrificium, supra diximus. Quod autem sequitur: *Numquam condemnassetis innocentes*, de a- C postolis intelligendum est. Et est sensus: Si misericordiam comprobastis Achimelech, eo quod fame periclitantem refocillaverit David et pueros ejus: quare discipulos meos condemnatis, qui nihil tale fecerunt?

(Vers. 8.) *Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum. Et ecce homo manum habens aridam.* Tertiusdecimus iste **77** est, qui curatur in synagoga. Et notandum, quod non in itinere et foris, sed in conciliabulo Judæorum manus arida fuerit sanata.

(Vers. 9.) *Et interrogabant eum, dicentes: Si licet sabbatis curare: ut accusarent eum.* Quia destructionem sabbati, quam [*Al.* qua *et* discipulos] Pharisæi D in discipulis arguebant, probabili exemplo excusaverat, ipsum calumniari volunt: et interrogant utrum liceat curare in sabbatis; ut si non curaverit, crudelitatis aut imbecillitatis; si curaverit, transgressionis accusarent [*Al.* accusent].

(Vers. 10 seqq.) *Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo qui habeat ovem unam, et si ceciderit hæc sabbatis in foveam, nonne tenebit et levabit* [Al. *allevabit*] *eam? Quanto magis melior est homo ove! Itaque licet sabbatis benefacere.* Sic solvit propositam quæstionem, ut interrogantes avaritiæ condemnaret. Si vos, inquit, in sabbato ovem et aliud quodlibet animal in foveam decidens, eripere festinatis, non animali, sed vestræ avaritiæ consulentes, quanto magis ego hominem, qui multo melior est ove, debeo liberare!

(Vers. 13.) *Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit, et restituta est sanitati sicut altera.* In Evangelio, quo utuntur Nazaræni [b] et Ebionitæ (quod nuper in Græcum de Hebræo sermone transtulimus, et quod vocatur a plerisque Matthæi authenticum), homo iste, qui aridam habet manum, cæmentarius scribitur: istius modi vocibus auxilium precans: Cæmentarius eram, manibus victum quæritans: precor te, Jesu, ut mihi restituas sanitatem, ne turpiter mendicem cibos. Usque ad adventum Salvatoris arida manus in synagoga fuit Judæorum, et Dei opera non fiebant in ea: postquam ille venit in terras, reddita est in apostolis credentibus dextera, et operi pristino restituta.

(Vers. 14.) *Exeuntes autem Pharisæi, consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum.* Quod Domino moliuntur insidias, livor in causa est. Quid enim fecerat, ut Pharisæos ad interfectionem **78** [c] sui provocaret? nempe quod homo extenderat manum. Quis enim Pharisæorum in die sabbati non extendit manum, portans cibos, calicemque porrigens, et cætera quæ victui necessaria sunt? Si ergo manum extendere et alimenta sublevare vel potum in sabbato, non est criminis: cur hoc in alio arguunt quod ipsi facere coarguuntur, præsertim cum iste cæmentarius nihil tale portaverit, sed ad præceptum Domini solam extenderit manum?

(Vers. 15 seqq.) *Jesus autem sciens, recessit inde, et secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes. Et præcepit eis, ne manifestum eum facerent, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem.* Sciens insidias eorum, quod vellent perdere Salvatorem suum, recessit inde, ut Pharisæis contra se occasionem impietatis auferret.

(Vers. 18.) *Ecce puer meus, quem elegi: dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, et judicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit.* Per Isaiam prophetam ex persona Patris hoc dicitur: *Ponam spiritum meum super eum* (*Isai.* XLII, 1). Spiritus ponitur non super

[a] Nostri omnes, et quidam penes Martianæum mss., *Hic non pronomen, sed adverbium loci legendum est.*

[b] Hoc de Evangelio actum est a nobis, cum alibi, tum præcipue ad Catalogi cap. 2. Quod vero hic addit Hieronymus, Ebionitas quoque illo usos esse, recentiores critici pernegant, quod non uno alterove cap. Nazaræorum atque Ebionitarum inter se Evangelia dissentirent. Historia cumprimis baptismi Salvatoris, quam ex Nazaræorum codice ipse recitat S. Pater ad cap. XI Isaiæ, aliter eaque brevius exponitur ab Epiphanio Hæres. 30, § 13. At nihil inde aliud evinces, quam loca quædam fuisse a Nazaræis interpolata, itemque alia ab Ebionitis; non ita tamen ut diversa eorum Evangelia dici possent, quæ maximam partem convenirent. Recte adeo Hieronymus pro uno accepit.

[c] Voculam, *sui*, restituunt nostri mss. aliaque id genus leviora passim taciti castigamus.

Dei verbum, et super unigenitum, qui de sinu pro- A cessit Patris, sed super eum, de quo dictum est : *Ecce puer meus* (*Ibidem*).

(Vers. 19.) *Neque audiet aliquis in plateis vocem ejus.* Lata enim est et spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, et multi ingrediuntur per eam (*Supra* VII). Qui multi vocem non audiunt Salvatoris, quia non sunt in arcta via, sed in spatiosa.

(Vers. 20, 21.) *Arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non exstinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium : et in nomine ejus gentes sperabunt.* Qui peccatori non porrigit manum, nec portat onus fratris sui, iste calamum quassatum confringit. Et qui modicam scintillam fidei contemnit in parvulis, hic linum exstinguit fumigans. Quo- B rum neutrum Christus fecit; ad hoc enim venerat, ut salvum faceret quod perierat.

(Vers. 22.) *Tunc oblatus est ei dæmonium habens,*
79 *cæcus, et mutus, et curavit eum, ita ut loqueretur et videret. Et stupebant omnes turbæ, et dicebant : Numquid hic est filius David? Pharisæi autem audientes, dixerunt : Hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Tria signa simul in uno homine perpetrata sunt : Cæcus videt, mutus loquitur, possessus a dæmone liberatur. Quod et tunc quidem carnaliter factum est, sed et quotidie completur in conversione credentium, ut expulso dæmone, primum fidei lumen aspiciant, deinde in laudes Dei tacentia prius ora laxentur.

C (Vers. 25.) *Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis : Omne regnum in se divisum* [a] *desolabitur, et omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit.* Turbæ stupebant et confitebantur eum, qui tanta signa faciebat, esse filium David : Pharisæi vero opera Dei principi dæmoniorum deputabant. Quibus Dominus non ad dicta, sed ad cogitata respondit : ut vel sic compellerentur credere potentiæ ejus, qui cordis videbat occulta.

(Vers. 26.) *Et si Satanas Satanam ejicit, adversus se divisus est; quomodo ergo stabit regnum ejus?* Non potest regnum et civitas contra se divisa perstare; sed quomodo concordia parvæ res crescunt, ita discordia maximæ dilabuntur. Si ergo Satanas pugnat contra se, et dæmon inimicus est dæmonis, deberet D jam mundi venisse consummatio; ut non haberent in eo locum adversariæ potestates, quarum inter se bellum, pax hominum est. Si autem putatis, o Scribæ et Pharisæi, quod recessio dæmonum obedientia sit in principem suum, ut homines ignorantes fraudulenta simulatione deludant, quid potestis dicere de corporum sanitatibus, quas Dominus perpetravit? Aliud est si membrorum quoque debilitates et spiritualium virtutum insignia dæmonibus assignatis.

(Vers. 27.) *Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt.* Filios Judæorum, vel exorcistas gentis illius, ex more significat, vel apostolos, ex eorum stirpe generatos. Si exorcistas, qui ad invocationem Dei ejiciebant dæmones, coarctat interrogatione prudenti, ut confiteantur Spiritus sancti esse opus. **80**
Quod si expulsio dæmonum, inquit, in filiis vestris, Deo, non dæmonibus deputatur : quare in me idem opus non eamdem habeat et causam? Ergo ipsi judices vestri erunt, non potestate, sed comparatione : dum illi expulsionem dæmonum Deo assignant; vos Beelzebub principi dæmoniorum. Sin autem de apostolis dictum est, quod et magis intelligere debemus, ipsi erunt judices eorum : quia sedebunt in duodecim soliis, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX, *et Luc.* XXII).

(Vers. 28.) *Si autem ego in spiritu Dei ejicio dæmones.* In Luca istum locum ita scriptum legimus : *Si autem ego in digito Dei ejicio dæmones* (*Luc.* XI, 20). Iste est digitus quem confitentur et Magi, qui contra Moysen et Aaron signa faciebant, dicentes : *Digitus Dei est iste* (*Exod.* IV, 29) : quo tabulæ lapideæ scriptæ sunt in monte Sina (*Deut.* IX). Si igitur manus et brachium Dei, Filius est; et digitus ejus Spiritus sanctus, Patris, et Filii, et Spiritus sancti una substantia est : non te scandalizet membrorum inæqualitas, cum ædificet unitas corporis.

Igitur pervenit in vos regnum Dei. Vel seipsum significat, de quo in alio loco scriptum est : *Regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII, 21). Et : *Medius stat inter vos, quem nescitis* (*Joan.* XXVI) : vel certe illud regnum quod et Joannes et ipse Dominus prædicaverant : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Supra* III, 2). Est et tertium regnum Scripturæ sanctæ, quod aufertur a Judæis, et tradetur genti facienti fructus ejus (*Infra* XXI).

(Vers. 29.) *Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem, et tunc domum illius diripiet?* Non debemus esse securi : Adversarius noster fortis, victoris quoque vocibus comprobatur. Domus illius mundus, qui in maligno positus est (I *Joan.* V), non creatoris dignitate, sed magnitudine delinquentis. Vasa ejus nos quondam fuimus. Alligatus est fortis, et religatus in tartarum, et Domini contritus pede : et direptis sedibus tyranni, captiva ducta est captivitas.

(Vers. 30, 31.) *Qui non est mecum, contra me est : et qui non congregat mecum, spargit. Ideo dico vobis : omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus : spiritus autem blasphemiæ non remittetur.* Non putet hoc quisquam de hæreticis dictum et schismaticis **81**
(quamquam et ita ex superfluo possit intelligi), sed ex consequentibus textuque sermonis ad diabolum refertur : eo quod non possint opera Salvatoris Beelzebub operibus comparari. Ille cupit animas hominum tenere captivas; Dominus liberare. Ille prædicat idola; hic unius Dei notitiam. Ille trahit ad vitia : hic ad virtutes revocat. Quomodo ergo possunt inter se habere concordiam, quorum opera divisa [*Al.* diversa] sunt?

[a] Duo mss., *divisum contra se desolabitur; alii, desolatur.*

(Vers. 32.) *Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Et quomodo quidam nostrorum episcopos atque presbyteros post blasphemiam Spiritus sancti, in suum recipiunt gradum, cum Salvator dicat, omne peccatum et blasphemiam dimitti hominibus: qui autem in Spiritum sanctum blasphemaverit, non dimitti ei neque in præsenti tempore, neque in futuro? Nisi forte illud de Marco evangelista sumamus exemplum, qui causas tantæ iræ manifestius expressit, dicens: Quia dicebant, spiritum immundum habet. Ergo quicumque opera Salvatoris Beelzebub principi dæmoniorum deputarit; et dixerit Filium Dei habere spiritum immundum, huic nullo tempore blasphemia remittetur (*Marc.* III, 22). Vel ita locus iste intelligendus est: Qui verbum dixerit contra Filium hominis, scandalizatus carne mea, et me hominem tantum arbitrans, quod filius sim fabri, et fratres habeam, Jacobum, et Joseph, et Judam; et homo vorator, et vini potator sim, talis opinio [a] atque blasphemia, quamquam culpa non careat erroris, tamen habeat veniam propter corporis vilitatem (*Marc.* VI, *Luc.* III, *Matth.* XI). Qui autem manifeste intelligens opera Dei, cum de virtute negare non possit, eadem stimulatus invidia, calumniatur; et Christum Deique Verbum, et opera Spiritus sancti dicit esse Beelzebub: isti non dimittetur neque in præsenti sæculo, neque in futuro.

(Vers. 33.) *Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, et fructum ejus malum. Siquidem ex fructu arbor agnoscitur.* Constringit eos syllogismo, quem Græci vocant ἄφυκτον, **82** nos *inevitabilem* possumus appellare: qui interrogatus hinc inde concludit, et utroque cornu premit. Si, inquit, diabolus malus est, bona opera facere non potest. Si autem bona sunt quæ facta cernitis, sequitur ut non sit diabolus qui ea facit. Neque enim fieri potest, ut ex malo bonum, aut ex bono oriatur malum. Quod autem sequitur:

(Vers. 34.) *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Ostendit illos arborem malam, et tales afferre fructus blasphemiæ redundantes [*Al.* redundantis], qualia habeant semina diaboli.

(Vers. 35.) *Bonus homo de bono thesauro profert bona. Et malus homo de malo thesauro profert mala.* Vel ipsos Judæos Dominum blasphemantes ostendit de quali thesauro blasphemias proferant, vel cum superiori quæstione hæret sententia, quod quomodo non possit bonus homo proferre mala, nec malus bona: sic non possit Christus mala, et diabolus bona opera facere.

(Vers. 36, 37.) *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Ex verbis enim tuis* A *justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.* Hoc quoque hæret cum superioribus. Et est sensus: Si otiosum verbum, quod nequaquam ædificat audientes, non est absque periculo ejus qui loquitur, et in die judicii redditurus est unusquisque rationem sermonum suorum: quanto magis vos, qui opera Spiritus sancti calumniamini, et dicitis me in Beelzebub principe dæmoniorum ejicere dæmonia, reddituri estis rationem calumniæ vestræ! Otiosum verbum est, quod sine utilitate loquentis dicitur et audientis: si omissis seriis, de rebus frivolis loquamur, et fabulas narremus antiquas. Cæterum qui scurrilia replicat, et cachinnis ora dissolvit et aliquid profert turpitudinis, hic non otiosi verbi, sed criminosi tenebitur reus.

B (Vers. 38.) *Tunc responderunt ei quidam de Scribis et Pharisæis, dicentes: Magister, volumus a te signum videre.* Sic signum postulant, quasi quæ viderant, signa non fuerint. Sed in alio Evangelista quid petant plenius explicatur: *Volumus* **83** *a te signum videre de cœlo* (*Marc.* VIII, 11). Vel in morem Eliæ ignem de sublimi venire cupiebant, vel in similitudinem Samuelis, tempore æstivo [b] contra naturam loci mugire tonitrua, coruscare fulgura, imbres ruere, quasi non possint et illa calumniari, et dicere ex occultis et variis aeris passionibus accidisse. Nam qui calumniaris ea quæ oculis vides, manu tenes, utilitate sentis: quid facturus es de his quæ de cœlo venerint? Utique respondebis, et C magos in Ægypto multa signa fecisse de cœlo (*Exod.* VII).

(Vers. 39.) *Qui respondens, ait illis: Generatio mala et adultera.* Egregie dixit adultera: quia dimiserat virum, et juxta Ezechielem, multis se amatoribus copulaverat (*Ezech.* XVI).

(Vers. 40.) *Signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ* (*Joan.* II). *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus.* De hoc loco plenius in Commentariis Jonæ prophetæ disputavimus: ad illum ergo locum lectoris diligentiam remittimus. Hoc breviter nunc dixisse contenti, quod synecdochice D totum intelligatur ex parte: non quod omnes tres dies et tres noctes in inferno Dominus steterit; sed quod in parte Parasceves, et Dominicæ, et tota die sabbati, tres dies et totidem noctes intelligantur.

(Vers. 41.) *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ.* Non sententiæ potestate, sed comparationis exemplo.

Et ecce plus quam Jonas hic. Hic, adverbium loci, non pronomen intelligas. Jonas, secundum Septuaginta Interpretes, triduo prædicavit: ego tanto tempore. Ille Assyriis genti incredulæ: ego Judæis populo Dei. Ille peregrinis: ego civibus. Ille voce

[a] Legebatur antea: *opinio absque blasphemia:* quæ falsa lectio visa est, maxime nostris contradicentibus mss. quorum ope restituimus, *atque* pro *absque*.

[b] Verba *contra naturam loci* Rhabb. ignorat.

locutus est simplici, [a] nihil signorum faciens: ego A tanta faciens signa, Beelzebub calumniam sustineo. Plus ergo est Jona hic, id est, in præsentiarum inter vos.

(Vers. 42.) *Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, et condemnabit eam quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Et ecce plus quam Salomon hic.* **84** Eodem modo condemnabit regina Austri populum Judæorum, quo condemnabunt viri Ninivitæ Israelem incredulum. Ista autem est regina Saba, de qua in Regum volumine et in Paralipomenon legimus (III *Reg.* x, II *Par.* IX): quæ per tantas difficultates, gente sua et imperio derelictis, venit in Judæam audire sapientiam Salomonis, et ei multa munera detulit. In Ninive autem et in regina Saba, occulte [*Al.* occulta] fides nationum B præfertur Israel.

(Vers. 43.) *Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem et non invenit. Tunc dicit.* Quidam istum locum de hæreticis dictum putant, quod immundus spiritus, qui in eis antea habitaverat quando gentiles erant, ad confessionem veræ fidei ejiciatur: postea vero eum se ad hæresim transtulerint et simulatis virtutibus ornaverint domum suam, tunc aliis septem nequam spiritibus adjunctis, revertatur ad eos diabolus et habitet in illis: fiantque novissima eorum pejora prioribus. Multo quippe pejori conditione sunt hæretici quam gentiles: quia in illis spes fidei est, et in istis pugna discordiæ. Cum hæc intelligentia plausum quemdam et colorem doctrinæ præferat, nescio C an habeat veritatem. Ex eo enim quod finita vel parabola, vel exemplo, sequitur: *Sic erit et generationi huic pessimæ:* compellimur non ad hæreticos et quoslibet homines: sed ad Judæorum populum referre parabolam, ut contextus loci non [b] passivus et vagus in diversum fluctuet, atque insipientium more turbetur; sed hærens sibi, vel ad priora, vel ad posteriora respondeat. Immundus spiritus exivit a Judæis, quando acceperunt Legem, et ambulavit per loca arida, quærens sibi requiem. Expulsus videlicet a Judæis, ambulavit per gentium solitudines: quæ cum postea Domino credidissent, ille, non invento loco in nationibus, dixit:

(Vers. 44.) *Revertar in domum meam* [c], *unde exivi.* Hoc est, abibo ad Judæos, quos ante dimiseram. D

(Vers. 45.) *Et veniens, invenit vacantem, scopis mundatam, et ornatam. Tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes, habitant ibi: et fiunt* **85** *novissima hominis illius pejora prioribus. Sic erit et generationi huic pessimæ.* Vacabat enim templum Judæorum, et Christum hospitem non habebat, dicentem: *Surgite, et abeamus hinc* (*Joan.* XIV, 31). Et in alio loco: *Dimittetur vobis domus vestra deserta* (*Luc.* XIII, 35). Quia igitur et Dei et angelorum præsidia non habebant, et ornati erant superfluis observationibus Legis, et traditionibus Pharisæorum, revertitur diabolus ad sedem suam pristinam: et septenario sibi numero dæmonum addito, habitat pristinam domum, et fiunt illius populi novissima pejora prioribus. Multo enim nunc majori dæmonum numero possidentur, blasphemantes in synagogis suis Christum Jesum, quam in Ægypto possessi fuerant ante Legis notitiam: quia aliud est venturum non credere, aliud eum non suscepisse qui venerit. Septenarium autem numerum adjunctum diabolo, vel propter sabbatum intellige, vel propter numerum Spiritus sancti: ut quomodo in Isaia super virgam de radice Jesse, et florem qui de radice conscendit, septem spiritus virtutum descendisse narrantur (*Isa.* XI); ita econtrario vitiorum numerus in diabolo consecratus sit.

(Vers. 46 seqq.) *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus et fratres stabant foris quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, et fratres tui foris stant quærentes te. At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit.* Occupatus erat Dominus in opere sermonis, in doctrina populorum, in officio prædicandi, mater et fratres veniunt, et foris stant, et ei desiderant loqui. Tunc quidam nuntiat Salvatori, quod mater sua et fratres stent foris, quærentes eum. Videtur mihi iste qui nuntiat, non fortuito et simpliciter nuntiare: sed insidias tendere Salvatori, utrum **86** spirituali operi carnem et sanguinem præferat. Unde et Dominus, non quod negaret matrem et fratres, exire contempsit; sed quod responderet insidianti, extendens manum in discipulos, ait:

(Vers. 49, 50.) *Ecce mater mea, et fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.* Isti sunt mater mea, qui me quotidie in credentium animis generant. Isti sunt fratres mei, qui faciunt opera Patris mei. Non ergo juxta Marcionem et Manichæum matrem negavit, ut natus de phantasmate putaretur; sed apostolos cognationi prætulit, ut et nos in comparatione dilectionis carni spiritum præferamus. *Ecce mater tua, et fratres tui foris stant, quærentes te.* Quidam fratres Domini de alia uxore Joseph filios suspicantur, sequentes deliramenta apocryphorum, et quamdam [d] Melcham vel Escham mulierculam

[a] Rhabb., *nihilque signum faciens acceptus est, ego tanta*, etc.

[b] Editi legunt, *ut contextus loci non passim et vagus in diversum fluctuet:* quia editores antiqui nescierunt Hieronymum appellare *contextum passivum*, eum qui patitur liberas, violentas et coactas interpretationes; quas etiam supra appellat *passivam interpretationem*, dicens: *Non ergo nobis tribuitur libera intelligentia, et allegoriæ interpretatio passiva.* MART. — Victor., *passim*. Recole quæ de vocabulo paulo superius in cap. XI observamus.

[c] Addunt Palatini mss., *pristinam*.

[d] Hanc e pluribus mss. codicibus lectionem restituo. Marianus legebat in aliquot exemplaribus *Mæcham*, et non *Melcham*. Alteri ergo Joseph uxori confictæ nomen filiarum Aran tribuebant libri apocryphi; nam prioris filiæ Aran, quæ nupsit Nachor, nomen fuit *Melcha*; cum altera, uxor Abraham, dicta

confingentes. Nos autem sicut in libro, quem contra Helvidium scripsimus, continetur, fratres Domini, non filios Joseph, sed consobrinos Salvatoris, [a] Mariæ liberos intelligimus materteræ Domini quæ esse dicitur mater Jacobi Minoris et Joseph et Judæ, quos in alio Evangelii loco fratres Domini legimus appellatos. Fratres autem consobrinos dici, omnis Scriptura demonstrat. Dicamus et aliter : Salvator loquitur ad turbas, intrinsecus erudit nationes. Mater ejus et fratres, hoc est, synagoga et populus Judæorum foris stant, et intrare desiderant, et sermone ejus indigni fiunt. Cumque rogaverint, et quæsierint, et nuntium miserint, responsum accipient [*Al.* accipiunt], liberi eos esse arbitrii, et intrare posse, si velint et ipsi credere : qui tamen intrare non poterunt [*Al.* potuerunt], nisi alios rogaverint.

87 (Cap. XIII. — Vers. 1.) *In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ : ita ut in naviculam ascendens sederet, et omnis turba stabat in littore.* Populus domum Jesu non poterat intrare, nec esse ibi ubi apostoli audiebant mysteria : idcirco miserator et misericors Dominus egreditur de domo sua, et sedet [*Al.* sedit] juxta hujus sæculi mare, ut turbæ [b] multæ congregentur ad eum, et audiant in littore quæ intus non merebantur audire, ita ut in naviculam ascendens sederet, et omnis turba staret in littore. Jesus in mediis fluctibus est, hinc inde mari tunditur, et in sua majestate securus, appropinquare facit terræ naviculam suam. At populus nequaquam periculum sustinens, nec tentationibus circumdatus, quas ferre non poterat, stat in littore fixo gradu, ut audiat quæ dicuntur.

(Vers. 3.) *Et locutus est eis multa in parabolis, dicens.* Turba non unius sententiæ est, sed diversarum in singulis voluntatum. Unde loquitur ad eam in multis parabolis, ut juxta varias voluntates, diversas reciperent disciplinas. Et notandum quod non omnia locutus sit eis in parabolis; sed multa. Si enim dixisset omnia in parabolis, absque emolumento populi recessissent. Perspicua miscet obscuris, ut per ea quæ A intelligunt, provocentur ad eorum notitiam quæ non intelligunt.

(Vers. 4.) *Ecce exiit qui seminat, seminare. Et dum seminat.* Intus erat, domi versabatur, loquebatur discipulis sacramenta. Exivit ergo de domo sua qui seminat verbum Dei, ut seminaret in turbis. Significatur autem sator iste qui seminat, esse Filius Dei, et Patris in populis seminare sermonem. Et simul observa hanc esse primam parabolam, quæ cum interpretatione sua posita sit. Et cavendum est ubicumque Dominus exponit sermones suos, et rogatus a discipulis intrinsecus disserit, ne vel aliud, [c] nec plus quid vel minus velimus intelligere, quam ab eo expositum est.

(Vers. 5 seqq.) *Quædam ceciderunt secus viam : et* B *venerunt volucres cœli, et comederunt ea : Alia autem ceciderunt in petrosa* [Al. *petrosis*], *ubi non habebant terram multam : et continuo exorta* **88** *sunt, quia non habebant altitudinem terræ. Sole autem orto, æstuaverunt : et quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt in spinas : et creverunt spinæ, et suffocaverunt ea. Alia autem ceciderunt in terram bonam, et dabant fructum : aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum.* Hanc parabolam ad comprobandam hæresim suam Valentinus assumit, tres introducens naturas : spiritualem, [d] naturalem vel animalem, atque terrenam; cum hic quatuor sint : una, juxta viam : alia petrosa, tertia plena spinis : quarta terræ bonæ. Differimus parumper interpre- C tationem ejus cum discipulis, volentes secrete audire quod dicitur.

(Vers. 9.) *Qui habet aures audiendi audiat.* Provocamur ad dictorum intelligentiam, quoties his sermonibus commonemur [*Al.* commovemur].

(Vers. 10, 11.) *Et accedentes discipuli, dixerunt ei : Quare in parabolis loqueris eis? Qui respondens, ait illis : Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum : illis autem non est datum.* Quærendum est quomodo accedant ad eum discipuli, cum Jesus in navi sedeat; nisi forte intelligi datur, quod dudum cum

sit *Jescha* et *Sarai*. MART. — Quidem mss., *Mecham;* duo Palatini, *Escham* tantum memorant, quemadmodum et vulgati ante Martianæum; Victorius in aliis reperit, *Mœcham*. Filiarum Aran, Melchæ scilicet, et Jeschæ, quarum altera Nachor, altera Abrahamo nupsit, nomina hæc sunt. At vero sunt *Proto-Evangelii Jacobi* cap. XVII et seq. et *Evangelii infantiæ Domini* ridenda apocryphorum librorum somnia. Nec tamen inficior veterem esse, tametsi incertam, traditionem, Josephum viduum, atque ex priore uxore sex liberorum patrem exstitisse, cum Maria sibi desponsaretur. Eam secutus ferme est Epiphanius Hæres. 51, § 10. Hippolytus Thebanus, nec non alii ex veteribus quatuor Josephi filios, duasque filias fuisse tradunt : Jacobum, Simonem, Judam, Josetem : has vero Estherem et Thamar nominant, quam sæpius alii Martham, transpositis litteris, vocant. Atque ipsi quidem uxorem ejus Escham vel Salomen, filiam Anchæi fratris Zachariæ faciunt, qui Joannis Baptistæ pater fuit. Sophronius in Fragmento, quod Lambecius vulgavit, tertiam addidit cognominem matri filiam Salomen, Zebedæi postea uxorem, ex qua Jacobus et Evangelista Joannes orti sint. Piget vero apocryphorum deliramenta hæc persequi. Rhabb., tantum Escham legit.

[a] In Palat. ms., *consobrinos Salvatoris, sororis Mariæ liberos*, etc. Victorius ait, tolerabiliores hi sunt D quam Helvidius, qui ex ipsa Maria Virgine et Joseph post Christum eos natos blasphemabat; quippe cum ex alia uxore Joseph fratres Domini dictos, aliqui etiam e nostratibus natos asseverent : licet verior sit Hieronymi sententia, ex sorore Mariæ Virginis, quæ Christi matertera fuit, illos progenitos. Videndus S. Thomas tum alibi, cum præcipue in III Summæ, quæst. 58, art. 3, et in hoc Evangelii capite. Vide quæ infra ad cap. 1 Commentarii ad Galat. pag. 396 fusius disputamus.

[b] Vocem, *multæ*, duo e nostris mss. interserunt.

[c] Iidem mss., *vel aliud, vel plus quid, vel minus præsumas intelligere, quam*, etc. In Victorii edit. *vel minus* desideratur, errore, ut videtur, ex *vel minus* et *velimus* similitudine vocum nato.

[d] Palat. mss. editique olim libri, *spiritualem, animalem atque terrenam*, expuncta scilicet voce *naturalem*, quæ et contextui superabundare videatur. Quibuscum et Rhabb., consonat.

ipso navem conscenderint, et ibi stantes super interpretatione parabolæ sciscitati sint.

(Vers. 12.) *Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit : qui autem non habet, et quod habet, auferetur ab eo.* Non in [a] æqualitate judicii habentibus additur, et non habentibus id quod habere videntur, aufertur : sed quod apostolis in Christo habentibus fidem, etiamsi quid minus virtutum habeant, conceditur : Judæis autem, qui non crediderunt in Filium Dei, etiamsi quid per naturæ bonum possident, tollitur. Neque enim possunt aliquid sapienter intelligere, qui caput non habent sapientiæ.

(Vers. 13, 14.) *Ideo in parabolis loquor eis : quia videntes, non vident : et audientes, non audiunt, neque intelligunt : ut adimpleatur in eis prophetia Isaiæ dicentis : Auditu audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non videbitis.* Hæc de his loquitur qui B stant in littore, et dividuntur ab Jesu, et sonitu fluctuum perstrepente, non audiunt ad liquidum quæ **89** dicuntur : impleturque in eis prophetia Isaiæ : *Auditu audietis, et non intelligetis : et videntes videbitis, et non videbitis* (*Isai.* VI, 9). Hæc de turbis prophetata sunt, quæ stant in littore, et Dei non merentur audire sermonem. Accedamus ergo et nos cum discipulis ad Jesum, et rogemus eum dissertionem parabolæ, ne cum turbis frustra aures et oculos habere videamur.

(Vers. 15.) *Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt.* Reddit causas quare videntes non videant, et audientes non audiant : quia incrassatum est, inquit, cor populi hujus, et auribus suis graviter audierunt : Ac ne forte arbitremur crassitudinem cordis et gravitatem aurium naturæ esse, non voluntatis, subjungit culpam arbitrii, et dicit :

Et oculos suos clauserunt : nequando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos. In parabolis ergo audiunt et in ænigmate, qui, clausis oculis, nolunt cernere veritatem.

(Vers. 16). *Vestri autem beati oculi, quia vident : et aures vestræ, quia audiunt.* Nisi supra legissemus auditores ad intelligentiam provocatos, Salvatore dicente : *Qui habet aures audiendi, audiat,* putaremus nunc oculos et aures quæ beatitudinem accipiunt, carnis [*Al.* corporales] intelligi. Sed mihi videntur illi beati oculi, qui possunt Christi cognoscere sacramenta, et quos levari Jesus in sublime præcepit, ut candentes segetes aspiciant (*Joan.* IV, 9); et illæ aures beatæ, de quibus Isaias loquitur : *Dominus apposuit mihi auriculam* (*Isai.* L, 5).

(Vers. 17, 18.) *Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt : et audire quæ auditis, et non audierunt. Vos ergo audite parabolam seminantis.* Videtur huic loco

A illud esse contrarium quod alibi dicitur : *Abraham cupivit diem meum videre, et vidit, et lætatus est* (*Joan.* VIII, 56). Non autem dixit, omnes prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, sed multi. Inter multos potest fieri, ut alii viderint, alii non viderint : licet et in hoc periculosa sit interpretatio, ut inter sanctorum merita, discretionem quamlibet facere videamur. Ergo Abraham vidit in ænigmate, [b] non vidit in specie : vos autem in præsentia eum tenetis, et habetis Dominum vestrum, **90** et ad voluntatem interrogatis, et convescimini ei.

(Vers. 19.) *Omnis qui audit verbum regni, et non intelligit.* Hoc præmittens hortatur nos, ut quæ dicuntur, diligentius audiamus.

(Vers. 20, 21.) *Venit malus et rapit quod seminatum est in corde ejus : hic est qui secus viam seminatus est. Qui autem super petrosa seminatus est, hic est qui verbum audit, et continuo cum gaudio accipit illud, non habet autem in se radicem, sed est temporalis.* Malus bonum semen rapit. Et simul intellige quod in corde fuerit seminatum, et diversitas terræ animæ sint credentium.

Facta autem tribulatione et persecutione, propter verbum continuo scandalizatur. Attende quod dictum sit, continuo scandalizatur. Est ergo aliqua distantia inter eum qui multis tribulationibus pœnisque compellitur Christum negare, et eum qui ad primam persecutionem statim scandalizatur, et corruit.

(Vers. 22.) *Qui autem seminatus est in spinis, hic* C *est qui verbum audit, et sollicitudo sæculi istius et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur.* Mihi videtur et illud quod juxta litteram ad Adam dicitur : *Inter spinas et tribulos panem tuum manducabis* (*Gen.* III, 18), hoc significare mystice, quod quicumque dederit se sæculi voluptatibus curisque istius mundi, panem cœlestem et cibum verum inter spinas comedat. Et eleganter adjunxit : *fallacia divitiarum suffocat verbum.* Blandæ enim sunt divitiæ, et aliud agentes, et aliud pollicentes. Lubrica est earum possessio, dum huc illucque circumferuntur, et instabili gradu vel habentes deserunt, vel non habentes [c] referciunt. Unde et Dominus divites asserit difficulter intrare in regnum cœlorum, suf- D focantibus divitiis verbum Dei, et rigorem virtutum emollientibus.

(Vers. 23.) *Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum, et intelligit, et fructum facit : et aliud quidem centesimum, aliud sexagesimum, aliud vero tricesimum.* Sicut in terra mala tres fuere diversitates : secus viam, et petrosa, et spinosa loca : sic in terra bona trina diversitas est : centesimi, sexagesimi et tricesimi fructus. Et in illa autem et in ista non mutatur **91** [d] substantia, sed voluntas : et tam incredulorum, quam credentium corda sunt quæ semen recipiunt. *Venit,* inquit,

[a] Duo e nostris, unusque penes Martianæum mss. *æquitate* præferunt, pro *æqualitate*.

[b] Rectius absque negandi particula in pridem vulgatis libris, *vidit in specie*.

[c] In aliquot mss., reficiunt; olim erat, *resarciunt*. Optima impressa est lectio.

[d] Pro *substantia*, duo e Palatinis mss. ad libri oram legendum monent, *sententia*.

malus, et rapit quod seminatum est in corde ejus; et secundo ac tertio, hic est, ait, qui verbum audit. In expositione quoque terræ bonæ, iste est, qui audit verbum. Primum ergo debemus audire, deinde intelligere, et post intelligentiam fructus reddere doctrinarum, et facere vel centesimum fructum, vel sexagesimum, vel tricesimum, de quibus plenius in libro contra Jovinianum diximus, et nunc breviter perstringimus: Centesimum fructum virginibus, sexagesimum viduis et continentibus, tricesimum [a] casto matrimonio deputantes. *Honorabiles enim nuptiæ, et cubile immaculatum* (*Heb.* XXXI, 3, 4). Quidam nostrorum centesimum fructum ad martyres referunt: quod si ita est, sancta consortia nuptiarum excluduntur a fructu bono.

(Vers. 24 seqq.) *Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile est regnum cœlorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus, et colligimus ea? Et ait: Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.* Hæc secunda parabola est cum interpretatione sua non statim posita, sed interjectis aliis parabolis edisserta. Hic enim proponitur, et postea dimissis turbis venitur domum et accedunt ad eum discipuli ejus rogantes: *Dissere nobis parabolam zizaniorum agri*, et reliqua. Non ergo debemus præpropero intelligendi desiderio ante ejus notitiam quærere, quam a Domino disseratur.

(Vers. 31.) *Aliam parabolam proposuit eis, dicens:* Sedebat Dominus in navi, et turba **92** stabat in littore: illi procul, discipuli vicinius audiebant: proponit eis et aliam parabolam, quasi dives paterfamilias invitatos diversis reficiens cibis, ut unusquisque secundum naturam stomachi sui varia alimenta susciperet. Unde et in priori parabola non dixit alteram, sed aliam. Si enim præmisisset alteram, exspectare tertiam non poteramus, præmisit aliam, ut plures sequantur.

(Vers. 32.) *Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo, quod minimum quidem est omnibus seminibus. Cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor: ita*

A *ut volucres cœli veniant et habitent in ramis ejus.* Non sit molestum lectori, si totas parabolas proponimus. Quæ enim obscura sunt, plenius disserenda sunt, ne brevitate nimia involvantur magis sensus, quam exponantur. Regnum cœlorum, prædicatio Evangelii est, et notitia Scripturarum quæ ducit ad vitam; et de qua dicitur ad Judæos: *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus* (*Infra* XXI, 43). Simile est ergo hujuscemodi regnum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo. Homo qui seminat in agro suo, a plerisque Salvator intelligitur, quod in animis credentium seminet. Ab aliis, ipse homo seminans in agro suo, hoc est, in semetipso et in corde suo.
B Quis est iste qui seminat, nisi sensus noster et animus, qui suscipiens granum prædicationis, et fovens sementem humore fidei, facit in agro sui pectoris pullulare? Prædicatio Evangelii minima est omnibus disciplinis. Ad primam quippe doctrinam fidem non habet veritatis, hominem Deum, Deum mortuum, et scandalum crucis prædicans. Confer hujuscemodi doctrinam dogmatibus philosophorum, et libris eorum, splendori eloquentiæ, et compositioni sermonum, et videbis quanto minor sit cæteris seminibus sementis Evangelii. Sed illa cum creverit, nihil mordax, nihil vividum, nihil vitale demonstrat, sed totum flaccidum marcidumque et [b] mollitum ebullit in olera, et in herbas, quæ cito arescunt et
C corruunt. Hæc autem prædicatio, quæ parva **93** videbatur in principio, cum vel in anima credentis, vel in toto mundo sata fuerit, non exsurgit in olera, sed crescit in arborem: ita ut volucres cœli (quas vel animas credentium, vel fortitudines Dei servitio mancipatas, sentire debemus) veniant et habitent in ramis ejus. Ramos puto Evangelicæ arboris, quæ de grano sinapis creverit, dogmatum esse diversitates, in quibus supradictarum volucrum unaquæque requiescit. Assumamus et nos pennas columbæ (*Ps.* LIV), ut volitantes ad altiora, possimus habitare in ramis hujus arboris, et nidulos nobis facere doctrinarum, terrenaque fugientes, ad cœlestia festinare. Multi legentes granum sinapis
D minimum omnibus seminibus, et illud quod in Evangelio a discipulis dicitur: *Domine, adauge nobis fidem* (*Luc.* XVII, 6); et respondetur eis a Salvatore: *Amen dico vobis, si habueritis fidem quasi granum sinapis,* [c] *et dixeritis monti huic, migra de loco isto, migrabit*, putant apostolos vel parvam fidem petere, vel Dominum de parva fide dubitare; cum apostolus Paulus fidem grano sinapis comparatam maximam judicet. Quid enim dicit? *Si habuero* [d] *totam fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (I *Cor.* XIII, 2). Ergo

[a] Iidem Palatini mss. *sancto*, pro *casto* legunt. Confer priorem adversus Jovinianum librum.

[b] Voculæ *et mollitum* in nostris mss. desiderantur.

[c] Tres Palat. codd., *si haberetis fidem quasi granum sinapis, diceretis monti huic, migra de loco isto, et migraret.*

[d] Pro *totam*, duo Palatini hic ut et infra habent *tantam*. In Græco tamen est Πᾶσαν in quem sensum et Vulgata Editio *omnem* legit: et Hieronymus, quod et Victorio notatum est, subdit: *Ergo quod Dominus dixit fide fieri, quæ grano sinapis comparatur, hoc Apostolus docet tota fide fieri posse.*

quod Dominus dixit fide fieri, quæ grano sinapis comparetur, hoc Apostolus docet tota fide posse fieri.

(Vers. 33.) *Aliam parabolam locutus est eis. Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.* Diversus est hominum stomachus: alii amaris, alii dulcibus, alii [*Al.* hi...illi] austerioribus, alii lenibus delectantur cibis. Proponit itaque Dominus, ut jam supra diximus, diversas parabolas, ut juxta vulnerum varietates et medicina diversa sit. Mulier ista, quæ fermentum accepit, et abscondit illud in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum, vel prædicatio mihi videtur apostolica vel Ecclesia, quæ de diversis gentibus congregata est. Hæc tollit fermentum, notitiam scilicet et intelligentiam Scripturarum, et abscondit illud in farinæ satis tribus, ut spiritus, anima, et corpus in unum redacta, non discrepent inter se; sed cum duobus et tribus convenerint, **94** impetrent a Patre quodcumque postulaverint (*Matth.* XVIII). Disseritur locus iste, et aliter. Legimus in Platone, et philosophorum dogma [*Al.* dogmate] vulgatum est, tres esse in humana anima passiones, [a] τὸ λογικὸν quod nos possumus interpretari *rationabile*: τὸ θυμικὸν quod dicamus, *plenum iræ*, vel *irascibile*: τὸ ἐπιθυμητικὸν quod appellamus, *concupiscibile*: et putat ille philosophus rationabile nostrum in cerebro, iram in felle, desiderium in jecore commorari. Et nos ergo si acceperimus [b] fermentum Evangelicum sanctarum Scripturarum, de quo supra dictum est, tres humanæ animæ passiones in unum redigentur, ut in ratione possideamus prudentiam; in ira, odium contra vitia: in desiderio, cupiditatem virtutum; et hoc totum fiet per doctrinam Evangelicam, quam nobis mater Ecclesia præstitit. Dicam et tertiam quorumdam intelligentiam, ut curiosus lector e pluribus quod placuerit, eligat: Mulierem istam et ipsi Ecclesiam interpretantur, quæ fidem hominis farinæ satis tribus commiscuerit credulitati Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Cumque in unum fuerit fermentata, non nos ad triplicem Deum, sed

A ad unius divinitatis perducit notitiam. Farinæ quoque [*Al.* quippe] sata tria, dum non est in singulis diversa natura, et ad unitatem trahunt substantiæ. Pius quidem sensus, sed numquam parabolæ et dubia ænigmatum intelligentia, potest ad auctoritatem dogmatum proficere. Satum autem genus est mensuræ, juxta morem provinciæ Palæstinæ, unum et dimidium modium capiens. Dicuntur et alia de hac parabola, sed non est præsentis materiæ totum de omnibus dicere.

(Vers. 34.) *Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis.* Non discipulis, sed turbis per parabolas loquitur; et usque hodie turbæ in parabolis audiunt: discipuli [c] domi interrogant Salvatorem.

B (Vers. 35.) *Ut impleretur quod dictum est per prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi.* Hoc testimonium de septuagesimo septimo psalmo (*Vers.* 2) sumptum est. Legi in nonnullis codicibus, et studiosus lector forte reperiet idipsum, in eo loco **95** ubi nos posuimus, et Vulgata habet editio: *Ut impleretur quod dictum est per prophetam dicentem*, ibi scriptum, [d] *per Isaiam prophetam dicentem.* Quod quia minime inveniebatur in Isaia, arbitror postea a prudentibus viris esse sublatum. Sed mihi videtur in principio ita editum: *Quod scriptum est per Asaph prophetam, dicentem.* Septuagesimus enim C septimus psalmus, de quo hoc sumptum est testimonium, Asaph prophetæ titulo inscribitur. Et primum scriptorem non intellexisse Asaph, et putasse scriptoris vitium, atque emendasse nomen Isaiæ, cujus vocabulum manifestius erat. Sciendum est itaque, quod in psalmis et hymnis et canticis Dei, non solum David, sed et cæteri, quorum præscripta sunt nomina, prophetæ sint appellandi: Asaph videlicet et Idithum, et Eman Ezraites, et Æthan, et filii Chore, et reliqui quos Scriptura commemorat. Quodque ex persona Domini dicitur: *Aperiam in parabolis os meum: eructabo abscondita a constitutione mundi*, considerandum attentius et inveniendum describi egressum Israelis ex Ægypto, et

[a] In plerisque mss. τὸ λογιστικὸν *quod*, etc. Rhabb. *rationabile*, τὸ ὀργηστικὸν, *quod dicimus plenum iræ vel irascibile*; τὸ ἐπιποθικὸν. *quod appellamus*, etc.

[b] Rhabb., *fermentum Evangelii cum sanctarum Scripturarum notitia.*

[c] Martian. legerat *Domini*: at Jesum domi solitos discipulos sciscitari, ex ipso Evangelio Hieron. inferius tradit.

[d] Idipsum alibi notatum est nobis, utque hic Veterum alia congeramus testimonia, auctor Homil. XVIII sub nomine Clementis papæ legit, *per Isaiam.* Auctor Breviarii in Psalterium sub nomine S. Hieronymi p. 316: *Dicitur ergo in Matthæo: Hæc, inquit, facta sunt, ut impleretur quod scriptum est in Asaph prophetæ. Sic invenitur in omnibus veteribus codicibus, sed homines ignorantes tulerunt illud*, id est, *abstulerunt Asaph. Denique multa Evangelia usque hodie ita habent: ut impleretur quod scriptum est per Isaiam prophetam*: Aperiam in Parabolis, etc. *Hoc Isaias non loquitur, sed Asaph. Denique et impius Porphyrius proponit adversum nos hoc ipsum, et dicit: Evangelista vester Matthæus tam imperitus fuit, ut diceret* D *quod scriptum est per Isaiam prophetam.* Quibus adde Anonymum relatum in Expositione Græcorum Patrum in psalmos, psal. LXXVII. Hæc animadvertisset Sabaterius, qui Vulgatam atque eam quidem *Italam* sectionem ex Colbertino nescio quo ms. nobis obtrudit, deque hoc Hieronymi loco cum in præfatione, tum in notis otiose disputat. Annotare præstabat, quod S. Pater *Vulgatam Editionem* nominat, quæ, ut ex vocabulo notat, præ cæteris aliis obtinebat. Nam cum hos Commentarios scriberet, jamdudum ante annos circ. quindecim jussu Damasi, Evangelia ad Græcos codices recognoverat, nec certe aliam quam Vulgatam editionem sibi sumpserat recognoscendam. Sedulo itaque notanda sunt, quæ de ista Vulgata significat: scilicet omnium fuisse interpretationum antiquissimam, in qua primum scriptum fuisset *per Asaph*, tum repositum *per Isaiam*, denique POSTEA a prudentibus viris hoc quoque nomen sublatum.

omnia signa narrari, quæ in Exodi continentur historia. Ex quo intelligimus universa illa quæ scripta sunt, parabolice sentienda: nec manifestam tantum sonare litteram, sed et abscondita sacramenta; hoc enim se Salvator edicturum esse promittit, aperiens os suum in parabolis, et eructans abscondita a constitutione mundi.

(Vers. 36.) *Tunc dimissis turbis venit in domum, et accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.* Dimittit turbas Jesus, et domum revertitur, ut accedant ad eum discipuli, et secreto interrogent quæ populus nec merebatur audire, nec poterat. *Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.*

(Vers. 37 seqq.) *Qui respondens, ait: Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. Ager autem* **96** *est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regni: zizania autem filii sunt nequam. Inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus. Messis vero, consummatio sæculi est. Messores autem Angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur: sic erit in consummatione sæculi. Mittet ergo Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus et stridor dentium.* Perspicue exposuit quod ager mundus sit: sator, Filius hominis; bonum semen, filii regni; zizania, filii pessimi; zizaniorum sator, diabolus; messis, consummatio mundi; messores, angeli. Omnia scandala referuntur ad zizania; justi reputantur in filios regni. Ergo, ut supra dixi, quæ exposita sunt a Domino, his debemus accommodare fidem. Quæ autem tacita, et nostræ intelligentiæ derelicta, perstringenda sunt breviter. Homines qui dormiunt, magistros Ecclesiarum intellige. Servos patrisfamilias, ne alios accipias quam angelos, qui quotidie vident faciem Patris (*Matth.* XVIII). Diabolus autem propterea inimicus homo appellatur; quia Deus esse desivit. Et in nono psalmo scriptum est de eo: *Exsurge, Domine, non confortetur homo* (*Psal.* IX, 20). Quamobrem non dormiat, qui Ecclesiæ præpositus est, ne per illius negligentiam inimicus homo superseminet zizania, hoc est, hæreticorum dogmata. Quod autem dicitur: *Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul et frumentum*, datur locus pœnitentiæ, et monemur ne cito amputemus fratrem: quia fieri potest, ut ille qui hodie noxio depravatus est dogmate, cras resipiscat et defendere incipiat veritatem. Illud quoque quod sequitur: *Sinite utraque crescere usque ad messem* (*Deut.* XIII, 5), videtur illi præcepto esse contrarium: *Auferte malum de medio vestrum* (*Isai.* I); et nequaquam societatem habendam cum his qui fratres **97** nominentur, et sunt adulteri et fornicatores. Si enim prohibetur eradicatio, et usque ad messem tenenda est patientia, quomodo ejiciendi sunt quidam de medio nostrum? Inter triticum et zizania, quod nos appellamus *lolium*, quamdiu herba est, et nondum culmus venit ad spicam, grandis similitudo est, et in discernendo aut nulla, aut perdifficilis distantia [*Al.* substantia]. Præmonet ergo Dominus, ne ubi quid ambiguum est, cito sententiam proferamus; sed Deo judicii terminum reservemus: ut cum dies judicii venerit, ille non suspicionem criminis, sed manifestum reatum de sanctorum cœtu ejiciat. Quod autem dixit, zizaniorum fasciculos ignibus tradi, et triticum congregari in horrea, manifestum est hæreticos quosque et hypocritas fidei gehennæ ignibus concremandos; sanctos vero qui appellantur triticum, horreis, id est, mansionibus cœlestibus suscipi.

(Vers. 43.) *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum* [Al. *sui*]. *Qui habet aures audiendi, audiat.* In præsenti sæculo fulget lux sanctorum coram hominibus; post consummationem autem mundi ipsi justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui.

(Vers. 44.) *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit: et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.* Crebris parabolarum obscuritatibus retardati, commaticam interpretationem excedimus, ut prope de alio interpretationis genere ad aliud transisse videamur. Thesaurus iste in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, aut Deus Verbum est, qui in carne Christi videtur absconditus (*Coloss.* II), aut sanctæ Scripturæ, in quibus reposita est notitia Salvatoris: quem cum quis in eis invenerit, debet omnia istius mundi emolumenta contemnere, ut illum possit habere quem reperit. Quod autem sequitur: *Quem cum invenerit homo* **98** *abscondit*: idcirco dicitur, non quod hoc de invidia faciat, sed quod [a] timore servantis, et nolentis perdere, abscondat in corde suo, quem pristinis prætulit facultatibus.

(Vers. 45, 46.) *Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa* [Al. *pretiosissima*] *margarita, abiit et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam.* Aliis verbis idipsum quod supra dicitur. Bonæ margaritæ, quas quærit institor, Lex et prophetæ sunt. Audi, Marcion; audi, Manichæe: bonæ margaritæ sunt Lex et prophetæ, et notitia veteris Instrumenti. Unum autem est [b] pretiosissimum margaritum, scientia Salvatoris, et sacramentum passionis illius, et resurrectionis arcanum. Quod cum invenerit

[a] Duo e nostris mss., *sed quod more servantis.* Cæterum proxima superior tota expositio ex Origenis Commentario in hunc locum desumpta est: *Videtur mihi secundum hæc ager ille Scriptura esse, consita iis quæ perspicua sunt in historiæ verbis et Legis et prophetarum, et reliquis sententiis. Copiosa quippe et varia ratio est totius Scripturæ verborum. Thesaurus autem in agro absconditus occulti sunt, et sub perspicuis verbis abstrusi sensus sapientiæ delitescentis in mysterio et Christo.*

[b] Hæc quoque ex Origene Hieronymus ferme descripsit, quæ Latine satis sit recitasse: *Illa est pretiosa margarita Christus, Dei Verbum, superans pretiosas Scripturas et sensus Legis ac prophetarum, quo reperto, reliqua omnia facile capiuntur*, et cætera, quæ tute ipse consulueris.

A homo negotiator, similis Pauli apostoli, omnia legis prophetarumque mysteria, et observationes pristinas, in quibus inculpate vixerat, quasi purgamenta contemnit et quisquilias, ut Christum lucrifaciat (*Philipp.* III). Non quo inventio novæ margaritæ condemnatio sit veterum margaritarum : sed quo comparatione ejus omnis alia gemma vilior sit.

(Vers. 47 seqq.) *Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti. Quam cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa* [a]*; malos autem foras miserunt : Sic erit in consummatione sæculi, exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus et* B *stridor dentium.* Impleto Jeremiæ vaticinio, dicentis : *Ecce ego mittam ad vos piscatores multos* (*Jerem.* XVI, 16) : postquam audierunt Petrus et Andreas, Jacobus et Joannes, filii Zebedæi : *Sequimini me, et faciam vos piscatores hominum* (*Matt.* IV, 19), contexuerunt sibi ex veteri et novo testamento sagenam [b] Evangelicorum dogmatum ; et miserunt eam in mare hujus sæculi : quæ usque hodie in mediis fluctibus tenditur, capiens de salsis et amaris gurgitibus quidquid inciderit, id est, et bonos homines et malos, et **99** optimos pisces et pessimos. Cum autem venerit consummatio et finis mundi, ut ipse infra manifestius disserit, tunc sagena extrahetur ad littus : tunc verum secernendorum piscium judicium C [*Al.* signum] demonstrabitur, et quasi in quodam quietissimo portu, boni mittentur in vasa cœlestium mansionum : malos autem torrendos et exsiccandos gehennæ flamma suscipiet.

(Vers. 51.) *Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei : Etiam. Ait illis.* Ad apostolos proprie sermo est ; et illis dicitur : *Intellexistis hæc omnia ;* Quos non vult audire tantum ut populum, sed intelligere ut magistros futuros.

(Vers. 52.) *Ideo omnis Scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.* Instructi erant apostoli, Scribæ et notarii Salvatoris, qui verba illius et præcepta signabant in tabulis cordis carnalibus, regnorum cœlestium sacramentis, et [c] pollebant opibus D patrisfamiliæ, ejicientes de thesauro doctrinarum suarum nova et vetera : ut quidquid in Evangelio prædicabant, legis et prophetarum vocibus comprobarent. Unde et sponsa dicit in Cantico canticorum : *Nova et* [d] *vetera, fratruelis meus, servavi tibi* (*Cant.* VII, 13).

(Vers. 53, 54.) *Et factum est cum consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde. Et veniens in patriam* [Al. *terram*] *suam, docebat eos in synagoga eorum, ita ut mirarentur et dicerent.* Post parabolas, quas locutus est ad populum, et quas soli apostoli intelligunt, transit in patriam suam, ut ibi apertius doceat.

Unde huic sapientia hæc, et virtutes? Mira stultitia Nazaræorum : mirantur unde habeat sapientiam sapientia, et virtutes virtus ; sed error in promptu est, quod fabri filium suspicantur.

(Vers. 55, 56.) *Nonne hic est fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus et Joseph et Simon et Judas? et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo.* Error Judæorum salus nostra est, et hæreticorum condemnatio. Intantum enim cernebant hominem Jesum Christum, ut fabri putarent **100** filium : *Nonne hic est fabri filius?* Miraris si errent in fratribus, cum errent in patre? Locus iste plenius in supradicto contra Helvedium libello expositus est.

(Vers. 57.) *Jesus autem dixit eis : Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua et in domo sua.* Propemodum naturale est cives semper civibus invidere. Non enim considerant præsentia viri opera, sed fragilis recordantur infantiæ, quasi non et ipsi per eosdem ætatum gradus ad maturam ætatem venerint.

(Vers. 58.) *Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum.* Non quod etiam illis incredulis facere non potuerit virtutes multas ; sed quod ne multas faciens virtutes, cives incredulos condemnaret. Potest autem et aliter intelligi, quod Jesus despiciatur in domo et in patria sua, hoc est, in populo Judæorum. Et ideo ibi pauca signa fecerit : ne penitus inexcusabiles fierent. Majora autem signa quotidie in gentibus per apostolos facit, non tam in sanatione corporum, quam in animarum salute.

(Cap. XIV.—Vers. 1, 2.) *In illo tempore audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu, et ait pueris suis : Hic est Joannes Baptista, ipse surrexit a mortuis : et ideo virtutes operantur in eo.* Quidam Ecclesiasticorum interpretum causas quærit, quare Herodes ista sit suspicatus, ut putet a mortuis Joannem resurrexisse, et ideo virtutes operari in eo, quasi erroris alieni nobis reddenda sit ratio, aut μετεμψυχώσεως facta ex his verbis habeat occasionem, cum utique eo tempore quo Joannes decollatus est, Dominus triginta esset annorum : μετεμψύχωσις autem post multos annorum circulos, in diversa corpora dicat animas insinuari.

(Vers. 3, 4.) *Herodes enim tenuit Joannem, et alligavit eum, et posuit in carcerem propter Herodiadem,*

[a] Addunt tres Palat. codd. *sua*, quod nec in Græco resonat.

[b] Conferenda Origenis interpretatio hujus loci, cui est Hieronymiana isthæc perquam simillima. Theophilactus quoque hunc locum ex Origene arripuit.

[c] Rhabb., *et pullulabant et pollebant.*

[d] In mss. Exemplaribus Monasterii nostri S. Andreæ secus Avenionem et in uno S. Remigi legimus : *Nova cum veteribus, fratruelis meus*, etc. MART. — Nostri omnes, et quos Martianæus consuluit, mss. libri, *Nova cum veteribus, fratruelis meus*, etc. Porro Hieronymus ex Adamantio hujus loci interpretationem de more expressit. Conferendus autem et Chrysostomus Homil 47 in Matthæum, Augustinus Quæst. in ipsum Evangelistam, et Cyrillus de Adoratione in spiritu et veritate.

uxorem [a] *Philippi fratris sui. Dicebat enim illi Joan-* A *nes: Non licet tibi habere eam.* Vetus narrat historia, Philippum Herodis majoris filium (sub quo Dominus fugit in Ægyptum), fratrem hujus Herodis, sub quo passus est Christus, duxisse uxorem Herodiadem filiam Aretæ regis [b]; postea vero **101** [c] socerum ejus, exortis quibusdam contra generum simultatibus, tulisse filiam suam, et in dolorem prioris mariti, Herodis inimici ejus nuptiis copulasse. Quis sit autem hic Philippus, evangelista Lucas plenius docet: *Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam; tetrarcha autem Galilææ Herode; Philippo vero fratre ejus tetrarcha Ituræœ et Traconitidis regionis* (*Luc.* III, 1). Ergo Joannes Baptista qui venerat in spiritu et virtute Eliæ, eadem auctoritate qua ille Achab corripuerat, et Jezabel (III *Reg.* XXI), B arguit Herodem et Herodiadem, quod illicitas nuptias fecerint, et non liceat, fratre vivente germano, uxorem illius ducere: malens periclitari apud regem, quam propter adulationem esse immemor præceptorum Dei.

(Vers. 5.) *Et volens illum occidere, timuit populum: quia sicut prophetam eum habebant:* Seditionem quidem [*Al.* quippe] populi verebatur propter Joannem, a quo sciebat turbas in Jordane plurimas baptizatas; sed amore vincebatur uxoris, ob cujus ardorem etiam Dei præcepta neglexerat (*Genes.* XL).

(Vers. 6.) *Die autem natalis Herodis saltavit filia Herodiadis in medio: et placuit Herodi.* Nullum [d] alium invenimus observasse diem natalis sui, nisi C Herodem, et Pharaonem, ut quorum erat par impietas, esset et una solemnitas.

(Vers. 7.) *Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo. At illa præmonita a matre sua.* Ego non excuso Herodem, quod invitus et nolens propter juramentum [e] homicidium fecerit, qui ad hoc forte juravit, ut futuræ occisioni machinas prapararet. Alioquin si ob jusjurandum fecisse se dicit, si patris, si matris postulasset interitum, facturus fuerat, an non? Quod in se ergo repudiaturus [*Al.* repudiatus] fuit, contemnere debuit et in propheta.

(Vers. 8.) *Da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis Baptistæ.* Herodias timens ne Herodes aliquando resipisceret, vel Philippo **102** fratri amicus fieret, atque illicitæ nuptiæ repudio solverentur, monet filiam, ut in ipso statim convivio, caput Joannis postulet: digno operi saltationis, dignum sanguinis præmium.

Et contristatus est rex. Consuetudinis Scripturarum est, ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur. Sicut Joseph ab ipsa quoque Maria appellabatur pater Jesu, ita et nunc Herodes dicitur contristatus, quia hoc discumbentes putabant (*Luc.* II). [f] Dissimulator enim mentis suæ et artifex [g] homicidii, tristitiam præferebat in facie, cum lætitiam haberet in mente.

(Vers. 9, 10.) *Propter jusjurandum autem et propter eos qui pariter discumbebant, jussit dari. Misitque, et decollavit Joannem in carcere.* Scelus excusat juramento, ut sub occasione pietatis impius fieret. Quod autem subjecit: *Et propter eos qui pariter discumbebant*, vult omnes sceleris sui esse consortes, ut in luxurioso impuroque convivio cruentæ epulæ deferrentur.

(Vers. 11.) *Et allatum est caput ejus in disco, et datum est puellæ, et attulit matri suæ.* Legimus in Romana historia, Flaminium ducem Romanum, quod [h] accumbenti [*Al.* accubanti] juxta meretriculæ latus quæ numquam se vidisse diceret hominem decollatum, assensus sit ut reus quidam capitalis criminis in convivio truncaretur, a censoribus pulsum curia, quod epulas sanguini miscuerit, et mortem, quamvis noxii hominis, in alterius delicias præstiterit, ut libido et homicidium pariter miscerentur. Quanto sceleratior Herodes et Herodias ac puella, quæ saltavit, in pretium sanguinis caput postulat prophetæ, ut habeat in potestate linguam, quæ illicitas nuptias arguebat. Hoc juxta litteram factum sit; nos autem usque hodie cernimus in capite Joannis prophetæ, Judæos Christum, qui caput **103** est prophetarum, perdidisse.

Et accedentes discipuli ejus, tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud. Refert Josephus in quodam

[a] Nomen *Philippi* nostri ignorant mss.

[b] Addunt duo Palat. mss., *Arabum*; alii, pro *Aretæ*, legunt *Phethrai*, quam lectionem et Martianæus notat ex uno S. Remigii codice, additque Phetros nomen regionis esse, quæ Arabia Petræa dicitur. Interim et Origenes tradit contra nonnullos, qui postquam obiisset Philippus, filiamque reliquisset, Herodiadem fratris uxorem duxisse Herodem volebant, majus fuisse flagitium Herodis, qui nempe a fratre etiamnum vivente conjugem abduxisset. Concinunt vero S. Hieronymo alii. Basilius Seleuciensis orat. 18 Herodis cum Herodiade nuptias *μοιχείαν* appellat, eumque, ait, usum *regno libidinis administro*. Conferendi insuper Josephus lib. XVIII, cap. 5, recentioresque passim interpretes.

[c] Rhabb., *socrum*.

[d] Totidem bona fide verbis hæc Hieronymus ex Origene descripsit: ἐξ οὐδεμίας γραφῆς εὕρομεν ὑπὸ δικαίου γενέθλιον ἀγόμενον, ἄδικος γὰρ μᾶλλον ἐκείνου τοῦ Φαραὼ ὁ Ἡρώδης: *Nullibi scriptum reperimus a justo quopiam fuisse celebrata natalitia: iniquior quippe hoc Pharaone* (Gen. XL, 20) *fuit Herodes.* Et hom. 8 in Levitic.: *Nemo ex omnibus Sanctis invenitur diem festum vel convivium magnum egisse in die* D *natalis sui.* Verum et Agrippam regem, et Antiochum, aliosque multos bonæ frugis viros natalem suum celebrasse, tradunt Historiæ. Vide peculiarem hoc de argumento canonici Frontonis dissertationem.

[e] Eodem sensu Origenes, μᾶλλον ἐπιορκεῖν ἢ εὐορκεῖν ἔδει· οὐ ταυτὸν γὰρ ἦν ἔγκλημα προπετείας ὅρκου, καὶ τῆς ἀναιρέσεως προφητικῆς: *Pejerandum potius erat, quam juramento standum. Temere quippe jurasse non adeo culpandum erat, quam propter juramenti temeritatem prophetam letho dedisse.*

[f] Penes Victor., *Dissimulat enim mentis suæ malitiam artifex homicida, cum tristitiam in facie, et lætitiam haberet in mente.*

[g] Mss. plerique omnes, *homicida*. Sic Rhabbanus.

[h] Rhabb., *quod accubanti juxta se meretricula, quæ*, etc.

[a]Arabiæ oppido Joannem capite truncatum. Et quod sequitur: *Accedentes discipuli ejus, tulerunt corpus*, et ipsius Joannis, et Salvatoris discipulos possumus intelligere.

(Vers. 13.) *Et venientes nuntiaverunt Jesu. Quod cum audisset Jesus, secessit inde in naviculam in locum desertum seorsum.* Necem Baptistæ nuntiant Salvatori, qua audita, secessit in locum desertum [b]. Non, ut quidam arbitrantur, timore mortis, sed parcens inimicis suis, ne homicidio homicidium jungerent. Vel in diem Paschæ suum interitum differens, in quo propter sacramentum immolandus est agnus, et postes credentium sanguine respergendi (*Exod.* XII). Sive ideo recessit, ut nobis præberet exemplum [c] vitandæ ultro tradentium se temeritatis: quia non omnes eadem constantia perseverant in tormentis, qua se torquendos offerunt. Ob hanc causam et in alio loco præcipit: *Cum vos persecuti fuerint in ista civitate, fugite in aliam* (*Mat.* X, 23). Eleganter quoque evangelista non ait, fugit in locum desertum, sed secessit, ut persecutores vitaverit magis quam timuerit. Aliter: Postquam a Judæis et rege Judæorum prophetæ truncatum est caput, et linguam ac vocem apud eos perdidit prophetia, Jesus transit in desertum Ecclesiæ locum, quæ virum ante non habuerat.

Et cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus. Potest et aliam ob causam, audito Joannis interitu, secessisse in desertum locum, ut credentium probaret fidem. Denique turbæ secutæ sunt eum pedestres, non in jumentis, non in diversis vehiculis, sed proprio labore pedum, ut ardorem mentis ostenderent. Si volumus singulorum verborum aperire rationes, propositi operis brevitatem excedimus [*Al.* excedemus]. Attamen dicendum est transitorie, quod postquam Dominus venerit in desertum, secutæ sunt cum turbæ plurimæ. Nam antequam veniret in solitudines gentium, ab uno tantum populo colebatur.

(Vers. 14.) **104** *Et exiens vidit turbam multam, et misertus est ejus, et curavit languidos eorum.* In evangelicis sermonibus semper litteræ junctus est spiritus, et quidquid primo frigere videtur aspectu, si tetigeris, calet [d]. In loco deserto erat Dominus; secutæ sunt eum turbæ, relinquentes civitates suas, hoc est, pristinas conversationes et varietates dogmatum. Egressus autem Jesus, significat quod turbæ habuerint quidem eundi voluntatem, sed vires per-

A veniendi non habuerint: ideo Salvator egreditur de loco suo, et pergit obviam: sicut et in alia parabola filio pœnitenti occurrerat (*Luc.* XV). Visaque turba, miseretur et curat languores eorum, ut fides plena statim præmium consequatur.

(Vers. 15.) *Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus, et hora jam præteriit: dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas.* Omnia plena mysteriis sunt. Recedit de Judæa, venit in desertum locum: sequuntur eum turbæ, relictis civitatibus suis: egreditur ad eos Jesus, miseretur turbis, curat languidos eorum: et hoc facit non mane, non crescente die, non meridie, sed vespere, quando sol justitiæ occubuit. B

(Vers. 16.) *Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire.* Non habent necesse diversos cibos quærere, et emere sibi ignotos panes, cum secum habeant cœlestem panem.

Date illis vos manducare. Provocat apostolos ad fractionem panis, ut illis se non habere testantibus, magnitudo signi notior fiat.

(Vers. 17.) *Responderunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes et duos pisces.* In alio evangelista legimus: *Est hic quidam puer, qui habet quinque panes* (*Joan.* VI, 9); qui mihi videtur significare Mosen: Duos autem pisces, vel utrumque intelligimus Testamentum, vel quia par numerus refertur ad Legem [e]. C Igitur apostoli ante passionem Salvatoris et coruscationem Evangelii fulgurantis, non habebant nisi quinque panes et duos pisciculos, qui in salsis aquis et in maris fluctibus versabantur.

(Vers. 18.) *Qui ait eis: Afferte mihi illos huc.* **105** Audi, Marcion, audi, Manichæe, quinque panes et duos pisciculos ad se afferri jubet Jesus, ut eos sanctificet atque multiplicet.

(Vers. 19.) *Et cum jussisset turbam discumbere super fenum.* Juxta litteram manifestus est sensus: spiritualis interpretationis sacramenta pandamus. Discumbere jubentur supra fenum, et secundum alium Evangelistam (*Luc.* IX), supra terram, per quinquagenos aut centenos, ut postquam calcaverint carnem suam, et omnes flores illius, et D sæculi voluptates quasi arens fenum sibi subjecerint, tunc per [f] quinquagenarii numeri pœnitentiam ad perfectum centesimi numeri culmen ascendant.

Acceptis quinque panibus et duobus piscibus, aspi-

[a] Scilicet in castello Machærunte: Antiquitt. lib. XVIII, cap. 5, Josephus tradit.

[b] Victor. addit *seorsum.*

[c] Hic quoque eadem pene sunt Adamantii verba, certe eadem argumentandi ratio. Nobis propositum est insigniora tantum loca comparationis gratia describere.

[d] Commode tres Palatini mss. addunt *in sensu.* Sic vero pridem fuerat Origenes interpretatus, ἠκολούθησαν αὐτῷ ἀπὸ τῶν ἰδίων πόλεων, τῷ ἕκαστον καταλελοιπέναι τὰ πάτρια τῆς δεισιδαιμονίας ἔθη: *Turba a propriis urbibus secuta est, quod unusquisque reliquisset patrias religionis consuetudines*, etc.

[e] Non displicet quod hic unus Palatinus ms. addit *et prophetas*: quia id etiam videtur Hieronymianus contextus postulare. Paulo quoque post idem ms., junctis aliis Palatinis, *amaris* habet pro *in maris.*

[f] Præstabit contulisse saltem in Latino Origenem: *Oportebat eos qui in alimentis Jesu acquieturi erant, vel in ordine centenorum esse, qui numerus sacer est, et Deo propter unitatem consecratus; vel in ordine quinquagenariorum, qui numerus remissionem continet, juxta mysterium Jubilæi, qui fit in annis quinquaginta*, etc., quem et satis erudite Huetius locum edisserit.

ciens in cœlum, benedixit et fregit, et dedit discipulis panes. Aspicit in cœlum, ut illic oculos dirigendos doceat. Quinque panes et duos pisciculos sumpsit in manus, et fregit eos, tradiditque discipulis. Frangente Domino, seminarium fit ciborum. Si enim fuissent integri, et non in frusta discerpti, nec divisi in multiplicem segetem, turbas, et pueros, et feminas, tantam multitudinem alere non poterant. Frangitur ergo lex cum prophetis, et in frusta discerpitur, et ejus in medium mysteria proferuntur, ut quod integrum et permanens in statu pristino non alebat, divisum in partes alat gentium multitudinem.

(Vers. 20.) [a] *Discipuli autem dederunt turbis. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt*. Turbæ a Domino per apostolos alimenta suscipiunt.

Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos. Unusquisque apostolorum de reliquiis Salvatoris implet cophinum suum, ut vel habeat unde postea gentibus cibum præbeat, vel ex reliquiis doceat veros fuisse panes, qui postea multiplicati sunt. Et simul quære, quomodo in eremo et in tam vasta solitudine panes non inveniantur, nisi quinque tantum, et duo pisciculi, **106** et tam facile duodecim cophini [b] reperiantur.

(Vers. 21.) *Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis*. Juxta numerum quinque panum, et comedentium virorum quinque millium multitudo est. Necdum enim secundum alterius loci narrationem ad septenarium numerum venerat, quem qui comedunt, quatuor millia sunt, vicina Evangeliorum numero. Comedunt autem quinque millia virorum qui in perfectum virum creverant, et sequebantur eum, de quo dicit Zacharias: *Ecce vir, Oriens nomen ejus*. (*Zach.* VI, 12.) Mulieres autem, [c] et parvuli, sexus fragilis et ætas minor, numero indigni sunt. Unde et in Numerorum libro quoties sacerdotes atque Levitæ, et exercitus vel turbæ pugnantium describuntur, servi et mulieres, et parvuli, et vulgus ignobile absque numero prætermittitur.

(Vers. 22.) *Et [d] statim compulit Jesus discipulos suos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas*. Discipulis præcepit transfretare, et compulit ut ascenderent naviculam: quo sermone ostenditur invitos eos a Domino recessisse: dum amore præceptoris ne punctum quidem temporis ab eo volunt separari.

(Vers. 23.) *Et dimissa turba, ascendit in montem* A *solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi*. Si fuissent cum eo discipuli Petrus, et Jacobus, et Joannes, qui viderant gloriam transformari, forsitan ascendissent in montem cum eo; sed turba ad sublimia sequi non potest, nisi docuerit eam juxta mare in littore, et aluerit in deserto. Quod autem ascendit solus orare, non ad eum referas qui de quinque panibus quinque millia saturavit hominum, exceptis parvulis et mulieribus; sed ad eum qui, audita morte Joannis, secessit in solitudinem, non quod personam Domini separemus, sed quod opera ejus inter Deum et hominem divisa sint.

107 (Vers. 24.) *Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus*. Recte quasi inviti, et retractantes apostoli a Domino re- B cesserant, ne illo absente, naufragia sustinerent. Denique Domino in montis cacumine commorante, statim ventus contrarius oritur, et turbat mare, et periclitantur apostoli, et tamdiu imminens naufragium perseverat, quamdiu Jesus veniat.

(Vers. 25.) *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans supra mare*. Stationes et vigiliæ militares in terna horarum spatia dividuntur. Quando ergo dicit, quarta vigilia noctis venisse ad eos Dominum, ostendit tota nocte periclitatos, et [e] extrema parte noctis, atque in consummatione mundi eis auxilium præbiturum.

(Vers. 26.) *Et videntes eum supra mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: quia phantasma est*. Si juxta Marcionem et Manichæum, Dominus noster C non est natus ex Virgine, sed visus in phantasmate: quomodo nunc apostoli timent ne phantasma videant?

Et præ timore clamaverunt. Confusus clamor et incerta vox, magni timoris indicium est.

(Vers. 27.) *Statimque Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam, ego sum, nolite timere*. Quod primum versabatur in causa, hoc curat, et timentibus præcipit, dicens: *Habete fiduciam, nolite timere*. Et quod sequitur, *Ego sum*, nec subjungit quis sit, vel ex voce sibi nota poterant eum intelligere, qui per obscuræ noctis tenebras loquebatur, vel [f] ipsum esse repetebant, quem locutum ad Moysen noverant: *Hæc dices filiis Israel: qui est, misit me ad vos* (*Exod.* III, 14).

D (Vers. 28, 29.) *Respondens autem Petrus, dixit: Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas. At ipse ait: Veni*. In omnibus locis ardentissimæ fidei invenitur Petrus. Interrogatis discipulis, quem

[a] Huic Scripturæ versiculo substituunt tres mss. *Et dedit discipulis panes: discipuli autem turbis*.

[b] Pro *reperiantur*, quæ una vera lectio est; ut ex ipso statim contextu apparebit, vitiose lectum hactenus *repleantur*. Mirum hoc ait esse Hieronymus, quod panes non inveniantur nisi quinque, etc., tam facile autem duodecim cophini.

[c] Id ipsum transtulit ex Adamantio, cujus sententiam quod paulo prolixior sit, Latine tantum laudabimus: *Dicat autem aliquis, cum multi pro merito et viribus comederint, et participes facti fuerint panum benedictionis, eos qui numero digni erant, quemadmodum ii qui viginti annos nati in libro Numerorum recensi sunt, Israelitas viros fuisse: qui vero digni non erant, quorum tanta ratio et numerus haberetur, pueros fuisse et feminas*.

[d] Vocula *statim* in nostris mss. desideratur. Porro sacri textus interpretationem hic quoque S. Doctor ex Adamantio delibavit.

[e] Victor., *et extremo noctis*.

[f] Unus Palatin., *vel ipsum scire poterant, quem locutum*, etc. Rursum pro *repetebant*, olim vulgati, *reputabant*. Rhabb. quoque, *vel ipsum esse scire poterant*.

homines dicerent Jesum Dei Filium confitetur. Volentem ad passionem pergere, prohibet : et licet erret in sensu, tamen non errat in affectu : nolens eum mori, quem Filium Dei fuerat paulo ante confessus. In montem cum Salvatore inter primos primus ascendit, et in passione solus sequitur, **108** peccatum negationis quod ex repentino timore descenderat, amaris statim abluit lacrymis. [a] Post passionem cum essent in lacu Genesareth, et piscarentur, et Dominus staret in littore, aliis paulatim navigantibus, ille non patitur moras, sed accinctus ependyte suo, statim præcipitatur in fluctus. Eodem igitur fidei ardore quo semper, nunc quoque, cæteris tacentibus, credit se posse facere per voluntatem magistri, quod ille poterat per naturam. *Jube me venire ad te super aquas*. Tu præcipe, et illico solidabuntur undæ : et leve fiet corpus quod per se grave est.

Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum. Qui putant Domini corpus ideo non esse verum, quia super molles aquas, molle et aereum incesserit, respondeant quomodo ambulaverit Petrus, quem utique verum hominem non negabunt.

(Vers. 30.) *Videns vero ventum validum, timuit. Et cum cœpisset mergi, clamavit, dicens : Domine, salvum me fac*. Ardebat animi fides, sed humana fragilitas in profundum trahebat : paululum ergo relinquitur tentationi, ut augeatur fides, et intelligat se non facilitate postulationis, sed potentia Domini conservatum.

(Vers. 31, 32.) *Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum, et ait illi : Modicæ fidei, quare dubitasti? Et cum ascendisset in naviculam, cessavit ventus*. Si apostolo Petro, de cujus fide et ardore mentis supra diximus, qui confidenter rogaverat Salvatorem, dicens : *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas*, quia paululum timuit, dicitur : *Modicæ fidei, quare dubitasti?* quid nobis dicendum est, qui hujus modicæ fidei, nec minimam quidem habemus portiunculam?

(Vers. 33.) *Qui autem in navicula erant, venerunt et adoraverunt eum, dicentes : Vere Filius Dei es*. Ad unum signum tranquillitate maris reddita, quæ post nimias procellas interdum et casu fieri solet, nautæ atque vectores vere Filium Dei confitentur, et Arius in Ecclesia prædicat creaturam.

B (Vers. 34.) *Et cum transfretasset, venerunt in* **109** *terram Genesareth*. Si sciremus quid in nostra lingua resonaret [b] Genesareth, intelligeremus quomodo Jesus per typum apostolorum et navis, Ecclesiam de persecutionis naufragio liberatam transducat ad littus, et in tranquillissimo portu faciat requiescere.

(Vers. 35.) *Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam*. Cognoverunt eum rumore, non facie, vel certe pro signorum magnitudine, quæ patrabat in populis, etiam vultu plurimis notus erat. Et vide quanta sit fides hominum terræ Genesareth, ut non præsentium tantum salute contenti sint, sed mittant ad alias per circuitum civitates, quo omnes currant ad medicum.

C (Vers. 36.) *Et obtulerunt ei omnes male habentes, et rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tange-*

[a] Præponit idem ms., *Deinde*.

[b] Frustra, quam nesciret ipse, interpretationem Hieronymo suggerunt ejus editores, Victorius et Martianæus; neque enim S. Pater suam proprie ignorantiam profitetur, sed quam in hunc locum Origenes sententiam contulerat. Latine ad verbum refudit. In Græco erat : Ἦλθον εἰς γῆν Γενεσαρὲτ, ἧς τὴν ἑρμηνείαν εἰ ἔγνωμεν, καὶ ἀπ' αὐτῆς ὠνάμεθα ἄν τι πρὸς τὴν τῶν προκειμένων διήγησιν. *Venerunt in terram Genesareth, cujus interpretationem si sciremus, ab illa juvaremur aliquatenus ad eorum de quibus agimus, expositionem*. Scripserat vero ipse Hier. in Nominum libro, quem in bonam partem ab Origene adornatum fuisse, manifestum est, *Gennesar hortus principum*; sic enim pro *ortus* malim, ut in Notis ad hunc locum observatum est nobis. Verum pro suo quisque ingenio aliam atque aliam interpretationem excudere contenderunt ex hoc vocabulo editores. Victorius Genesareth ab Hebr. גיא־נצת interpretatur, *vallem floridam*, hancque expositionem ait, sensui Hieronymi optime coaptari, dum de littore et tranquillissimo portu, quo Ecclesiæ navem Christus transduxit, mentionem facit. Et Martianæus ipse tam stricte Victorio adhæret, ut ne verbo quidem abludat. Econtrario visum cl. Huetio est hujusce dictionis originem referre spissum negotium, cum nulla plane exstet ejus mentio in veteris Testamenti Hebraico contextu; in Novi autem Syriaca editione scribatur גנים־. Placet vero integram doctissimi hujusce Origeniani interpretis annotationem recitare, cui et nostram statim subjiciemus, quæ propior ad fidem videtur. Ait ille :

Derivant hoc nomen alii a גיש־נצ־ת, quod interpretantur, *vallis florida* : mallem *vallis consita*, נצר quippe *surculum* significat : feracem enim esse regionem hanc ad prodigium usque testificatur Josephus l. III de Bell. Judaic. cap. 18, et Josephi perpetuus imitator Hegesippus l. III Excid. Jeros. cap. 26. A כנרת factum conjectant quidam גנסר, mutato a Chaldæis *caph* in *gimel* et inserto *samech*, quod verum est. Itaque passim in veteri Testamento regionem Cinnereth a Chaldæis Paraphrastis Gennesar, et Gennesareth appellatum nanciscaris. In ea autem appellatione placuerunt sibi, quod sua dialecto significaret *ortus principum*; et ex tribu Nephtali quæ ibi sita est, mille principes profecti Davidem convenissent, I Par. XII, 34. Longe vero ineptissima est, sive etymologia, sive allusio, quam loco laudato affert Hegesippus : *Genesar*, inquit, *dicitur Græco vocabulo, quasi generans sibi auram aqua dulcis, et ad potandum habilis*. Ex quibus tam obscuris vocis hujus indiciis, minime mirum concludit esse, si inscitiam suam hic aperte Origenes, ex eoque Hieron. profiteantur.

Ne lectorem diutius teneam, dico ego, commode deduci posse hanc vocem a גנ־ס־ת pro integro גני־עשרת, quod sonat *hortos decem*, ipsos scilicet Decapoleos hortos, seu proprie decem urbium hortos. Et terra quidem Genesareth ab hortorum frequentia, sic appellata est, quæ regio est ad Lacum Galilææ. Miram hujus regionis ubertatem modo laudatus ab Huetio Hegesippus prædicat, ut sacros interim auctores taceam, Matthæum, Lucam et Marcum. Lacum autem Genesareth hortis Decapoleos vicinum; Josephus quoque tradit de Bello cap. 35, et ad Gennesar usque lacum ejusdem nominis terram prætendi, quæ et natura et ubertate plantarum omnium arbustorumque cæteris præstaret.

rent. Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt. Qui A male se habent, non tangant corpus Jesu, neque totum vestimentum ejus, sed extremam fimbriam, et quicumque tetigerint, sanabuntur. Fimbriam vestimenti ejus, vel minimum intellige mandatum : quod qui transgressus fuerit, minimus vocabitur in regno cœlorum (*Supra*, III). Vel assumptionem corporis, per quam venimus ad Verbum Dei, et illius postea fruimur majestate.

(Cap. XV.—Vers. 1.) *Tunc accesserunt ad eum ab Jerosolymis Scribæ et Pharisæi, dicentes :* **110** *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?* Mira Pharisæorum Scribarumque stultitia, Dei Filium arguunt, quare hominum traditiones et præcepta non servet?

(Vers. 1, 2.) *Non enim lavant manus suas, cum* B *panem manducant.* Manus, id est, opera, non corporis utique, [a] sed animæ lavandæ sunt, ut fiat in illis verbum Dei.

(Vers. 3.) *Ipse autem respondens, ait illis : Quare et vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram?* Falsam calumniam vera responsione confutat. Cum, inquit, vos propter traditionem hominum præcepta Domini negligatis, quare discipulos meos arguendos putatis, quod seniorum jussa parvipendant, ut Dei scita custodiant?

(Vers. 4 seqq.) *Nam Deus dixit : Honora patrem et matrem, et qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis : Quicumque dixerit patri vel matri : munus quodcumque est ex me, tibi proderit, et non honorificabit patrem suum, aut matrem* C *suam, et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens : Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me* (*Exod.* xx, *Levit.* xx). *Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum. Et convocatis ad se turbis, dixit eis : Audite et intelligite.* Honor in Scripturis non tantum in salutationibus et officiis deferendis, quantum **111** in eleemosynis ac munerum [b] oblatione sentitur (*Exod.* xx *et* xxi, *et Lev.* xx). *Honora*, inquit Apostolus, *viduas, quæ vere viduæ sunt* (I *Tim.* v, 3); hic honor donum intelligitur. Et in alio loco : *Presbyteri duplici honore honorandi, maxime qui laborant in verbo et doctrina Dei* (*Ibid.*, 17). Et per hoc mandatum jubemur, ut bovi trituranti os non claudamus (*Deut.* xxv). Et dignus sit operarius mercede sua (*Luc.* x). Præceperat Dominus, vel imbecillitates, vel ætates, vel penurias parentum considerans, ut filii honorarent, etiam in vitæ necessariis ministrandis, parentes suos. Hanc providentissimam Dei legem [c] volentes Scribæ et Pharisæi subvertere, ut impietatem sub nomine pietatis inducerent, docuerunt pessimos filios, ut si quis ea quæ parentibus offerenda sunt, Deo vovere voluerit (qui verus est Pater), oblatio Domini præponatur parentum muneribus : vel certe ipsi parentes, quæ Deo consecrata cernebant, ne sacrilegii crimen incurrerent, declinantes, egestate conficiebantur. Atque ita fiebat ut oblatio liberorum, sub occasione templi Dei, in sacerdotum lucra cederet. Hæc pessima Pharisæorum traditio, de [d] alia veniebat occasione. Multi habentes obligatos ære alieno, et nolentes sibi creditum reddere, delegabant sacerdotibus, ut exacta pecunia ministeriis templi et eorum usibus deserviret. Potest autem et hunc breviter habere sensum. *Manus quod ex me est, tibi proderit :* Compellitis, inquit, filios, ut dicant parentibus suis : quodcumque donum oblaturus eram Deo, in tuos consumo cibos, tibique prodest, o pater, et mater, ut illi timentes accipere quod Deo **112** mancipatum videant, inopem magis velint vitam ducere, quam comedere de consecratis.

(Vers. 11.) *Non quod intrat in os communicat hominem : sed quod procedit ex ore, hoc communicat hominem.* Verbum *communicat*, proprie Scriptura-

[a] Repetunt nomen *manus* hic tres e nostris mss. Sententia autem hæc ipsa est Origenis κατὰ τὸ εὔλογον καθαίρειν πειρώμεθα ἑαυτῶν τὰς πράξεις, καὶ οὕτως τὰς τῶν ψυχῶν νίπτεσθαι χεῖρας, etc. *Juxta rectam rationem nostras actiones purgare conemur; et sic animorum manus lavare*, etc.

[b] Rhabb. *collatione.*

[c] Stricte Hieronymus adhæret Adamantio, quem in eruditissima loci perquam obscuri, varieque ab interpretibus accepti expositione operæ pretium sit Latine saltem contulisse. *Pharisæi*, inquit, *et Scri-* D *bæ talem Legi contrariam traditionem prodiderunt, obscurius in Evangelio expressam, quam ne nos quidem fuissemus assecuti, nisi aliquis ex Hebræis tradidisset nobis ea quæ ad hunc locum pertinent, sic se habentia. Contingit nonnumquam, inquit, ut feneratores cum in difficiles debitores incidunt, qui possunt quidem, sed nolunt debitum reddere, debitum in pauperum rationem consecrent, quibus in gazophylacium pecunia mittebatur pro viribus, ab unoquoque eorum qui volebant cum illis bona communicare. Dicebant autem nonnumquam debitoribus sua lingua, Corban est id quod mihi debes, hoc est, donum; dedicavi enim illud pauperibus in rationem pietatis erga Deum. Deinde debitor tamquam non hominibus amplius, sed Deo debens, suæque erga illum pietati, veluti illuc concludebatur, ut etiam nolens debitum referret, non amplius feneratori, sed jam Deo in rationem pauperum, nomine feneratoris. Quod igitur fenerator faciebat creditori, illud idem nonnulli quandoque filii faciebant parentibus, dicebantque illis : Illud quod a me adjutus fuisses, pater vel mater, scito te accepturum e Corban, de ratione pauperum Deo consecratorum. Deinde audientes parentes Corban esse Deo consecratum, id quod sibi dandum erat, non amplius a filiis accipere volebant, etiamsi rebus necessariis magnopere indigerent. Talem ergo traditionem seniores apud plebeios proferebant; quicumque dixerit patri vel matri, id quod alicui eorum dandum erat, Corban esse, et donum, eum non amplius debitorem esse patri vel matri ad suppeditanda illi vitæ necessaria. Hanc igitur traditionem Servator reprehendit, non velut sanam, sed Dei mandato adversantem. Nam si Deus dicit :* Honora patrem, et matrem, *dicebat autem traditio : Non debet honorare patrem et matrem largitione, qui id quod daturus erat parentibus, Deo, ut Corban consecravit : manifestum est fuisse rescissum præceptum Dei de honore parentum, Pharisæorum et Scribarum traditione, dicente non amplius eum debere patrem honorare et matrem, qui Deo semel consecraverit id quod accepissent parentes. Et Pharisæi, utpote avari, ea docebant, ut sub pauperum specie ea etiam acciperent, quæ parentibus alicujus danda erant.*

[d] Rhabb., *tali.*

rum est, et publico sermone non [a] teritur. Populus Judæorum partem Dei esse se jactitans communes cibos vocat, quibus omnes utuntur homines. Verbi gratia, suillam carnem, [b] ostreas, lepores, et istiusmodi animantia quæ ungulam non findunt; nec ruminant, nec squamosa in piscibus sunt. Unde et in Actibus Apostolorum scriptum est : *Quod Deus sanctificavit, tu ne commune dixeris* (*Act.* x, 15). Commune ergo, quod cæteris hominibus patet, et quasi non est de parte Dei, pro immundo appellatur. *Non quod intrat in os communicat hominem : sed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem.* Opponat prudens lector, et dicat: Si quod intrat in os non coinquinat hominem, quare idolothytis non vescimur? Et Apostolus scribit : *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum* (I *Cor.* x, 20). Sciendum igitur quod ipsi quidem cibi, et Dei creatura per se omnis munda sit : sed idolorum ac dæmonum invocatio ea faciat immunda.

(Vers. 12.) *Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei : Scis quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt?* Ex uno sermone omnis superstitio observationum Judaicarum fuerat elisa; qui in cibis sumendis abominandisque, religionem suam sitam arbitrabantur [*Al.* arbitrantur]. Et quia crebro teritur in Ecclesiasticis Scripturis, *scandalum*, breviter dicamus quid **113** significet. [c] Σκῶλον et scandalum, nos *offendiculum*, vel ruinam et impactionem pedis possumus dicere. Quando ergo legimus : Quicumque de minimis istis scandalizaverit quempiam, hoc intelligimus, qui dicto factove occasionem ruinæ cuiquam dederit.

(Vers. 13.) *At ille respondens, ait : Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.* Etiam quæ plana videntur in Scripturis, plena sunt quæstionibus. *Omnis*, inquit, *plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.* Ergo eradicabitur et illa plantatio, de qua Apostolus ait : *Ego plantavi, Apollo rigavit* (I *Cor.* III, 6). Sed solvitur quæstio ex eo quod [d] sequitur : *Deus autem incrementum dedit* (*Ibid.*, 9). Dicit et ipse : *Dei agricultura, Dei ædificatio estis* (III *Joan.* VIII). Et in alio loco : *Cooperatores Dei sumus.* Si autem cooperatores : igitur plantante Paulo, et rigante Apollo, Deus cum cooperatoribus [*Al.* operatoribus] suis plantat et rigat. Abutuntur hoc loco qui diversas naturas introducunt, dicentes : Si plantatio quam non plantavit Pater, eradicabitur : ergo quam plantavit ille, non potest eradicari. Sed audiant illud Jeremiæ : *Ego vos plantavi vineam veram, quomodo versi estis in amaritudinem vitis alienæ* (*Jerem.* II, 21)? Plantavit quidem Deus, et nemo potest eradicare plantationem ejus. Sed quoniam ista plantatio in voluntate proprii arbitrii est, nullus alius eam eradicare poterit, nisi ipsa præbuerit assensum.

(Vers. 14.) *Sinite illos, cæci sunt, duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Hoc est quod Apostolus præceperat : *Hæreticum hominem post unam et alteram correptionem devita, sciens quod perversus sit hujuscemodi, et a semetipso damnatus* (*Tit.* III, 10). In hunc sensum et Salvator præcepit doctores pessimos dimittendos arbitrio suo, sciens eos difficulter ad veritatem posse trahi, et cæcos esse, et cæcum populum in errorem trahere.

(Vers. 15, 16.) **114** *Respondens autem Petrus, dixit ei : Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit : Adhuc et vos sine intellectu estis?* Quod aperte dictum fuerat, et patebat auditui, apostolus Petrus per parabolam dictum putat, et in re manifesta mysticam quærit intelligentiam. Corripiturque a Domino, quare parabolice dictum putet, quod perspicue locutus est. Ex quo animadvertimus vitiosum esse auditorem, qui aut obscura manifeste, aut manifeste dicta obscure velit intelligere.

(Vers. 17, 18.) *Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem.* Omnia Evangeliorum loca apud hæreticos et perversos plena sunt scandalis. Et ex hac sententiola quidam calumniantur, quod Dominus physicæ disputationis ignarus, putet omnes cibos in ventrem ire, et in secessum digeri [*Al.* dirigi] : cum statim infusæ escæ per artus et venas ac medullas, nervosque fundantur. Unde et multos, qui vitio stomachi perpetem sustinent vomitum, post cœnas et prandia, statim evomere quod ingesserint, et tamen corpulentos esse : quia ad primum tactum liquidior cibus et potus per membra fundantur. Sed istiusmodi homines dum volunt alterius imperitiam reprehendere, ostendunt suam. Quamvis enim tenuis humor et liquens esca [e], cum in venis et artubus

[a] Alibi *tenetur.* Porro in veteri Evangelior. Veronensi ms. pro *communicat* altero tantum loco est, *inquinat* : vice versa inferius, ubi textus iste recurrit, *coinquinat* primo loco est in uno Palatino, in altero *communicat.*

[b] Tacet Victor. *ostreas.*

[c] Nostri omnes mss. *Scolon* præferunt Latinis litteris, ad quorum fidem *et* copulam pro *est* verbo substituimus, ipso fidejussore S. Patre lib. II Dialog. contra Pelagianos n. 15. *Nisi*, inquit, *fallor*, σκῶλον *et* σκάνδαλον *apud Græcos ex offensione et ruina nomen accepit.* Martianæus σκολὸν, aut σκολίον cum accentu in penultima vitiose præterea legit.—Ausus est Marianus Victorius hunc locum mutare absque suffragio codicum manuscriptorum, et pro σκολὸν vel σκολίον substituere πρόσκομμα et σκάνδαλον. Infra quoque mutat editione sua contextum Vulgatum Hieronymi dicentis : *Quamvis enim tenuis humor et liquens esca; cum in venis*, etc. Quid sit autem *scolon*, quod legitur in mss. Codicibus, sive σκολίον cum accentu in penultima, scire possumus ex verbo σκολιόω, quod significat *intorqueo, tortuosum et pravum reddo.* Quæ enim sunt prava et tortuosa, offendiculum præbent atque ruinam, sive pedis impactionem, secundum Hieronymi annotationem. Apud Isaiam, *erunt prava in directa*, etc. MART.

[d] Antea erat *ex eo quod scribitur*, et paulo post *rigante Apolline*, pro *Apollo*, quod nomen est indeclinabile in nostris mss. Victorius præterea mox *et in eodem loco* legit pro *alio*, quod hæc mutuo inter se juncta putarit testimonia I Cor. III.

[e] Supplet Victorius, *in corpus fundatur tamen*, sine

concocta fuerit et digesta, per occultos meatus corporis, quos Græci πόρους vocant, ad inferiora dilabitur, et in secessum vadit.

(Vers. 19, 20.) *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ : hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.* De corde, inquit, exeunt cogitationes malæ. Ergo animæ [a] principale non secundum Platonem in cerebro, sed juxta Christum in corde est : et arguendi ex hac sententia sunt, qui **115** cogitationes a diabolo immitti putant, et non ex propria nasci voluntate. Diabolus adjutor et [b] incentor malarum cogitationum potest esse, auctor esse non potest. Sin autem semper in insidiis positus, levem cogitationum nostrarum scintillam B suis fomitibus inflammarit, non debemus opinari eum cordis quoque occulta rimari, sed ex corporis habitu, et gestibus æstimare quid versemus intrinsecus. Verbi gratia : Si pulchram mulierem nos crebro viderit inspicere, intelligit [c] cor amoris jaculo vulneratum.

(Vers. 21, 22.) *Et egressus inde Jesus, secessit in partes Tyri et Sidonis. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa clamavit, dicens ei.* Scribis et Pharisæis calumniatoribus derelictis, transgreditur in partes Tyri et Sidonis, ut Tyrios, Sidoniosque curaret. Mulier autem Chananæa egreditur de finibus pristinis, ut clamans filiæ impetret sanitatem. Observa quod in quinto decimo loco filia Chananææ sanetur.

Miserere mei, Domine, fili David. Inde novit vocare C filium David, quia egressa jam fuerat de finibus suis, et errorem Tyriorum ac Sidoniorum loci ac fidei commutatione dimiserat.

Filia mea male a dæmonio vexatur. Ego filiam Chananææ, [d] puto animas esse credentium, quæ male a dæmonio vexabantur, ignorantes Creatorem, et adorantes lapidem.

(Vers. 23.) *Qui non respondit ei verbum.* Non de superbia Pharisaica, nec de Scribarum supercilio; sed ne ipse sententiæ suæ videretur esse contrarius, per quam jusserat : *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis* (*Supra*, x, 5).

A Nolebat enim occasionem calumniatoribus dare perfectamque salutem gentium, passionis et resurrectionis tempori reservabat.

Et accedentes discipuli ejus rogabant eum, dicentes : Dimitte eam, quia clamat post nos. Discipuli illo adhuc tempore mysteria Domini nescientes, vel misericordia commoti, rogabant pro **116** Chananæa muliere, quam alter Evangelista Syrophœnissam appellat (*Marc.* VII), vel importunitate ejus carere cupientes; quia non ut clementem, sed ut durum medicum crebrius inclamaret.

(Vers. 24.) *Ipse autem respondens ait : Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt* [Al. *perditas*] *domus Israel.* Non quo et ad gentes non missus sit; sed quo primum missus sit ad Israel, ut illis non recipientibus Evangelium, justa fieret ad gentes transmigratio. Et significanter dixit, *ad oves perditas domus Israel;* ut ex hoc loco etiam unam erroneam ovem de alia parabola intelligamus.

(Vers. 25, 26.) *At illa venit et adoravit eum, dicens : Domine, adjuva me. Qui respondens ait : Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.* Mira sub persona mulieris Chananitidis Ecclesiæ fides, patientia et humilitas prædicatur. Fides, qua credidit sanari posse filiam suam. Patientia, qua toties contempta, in precibus perseverat. Humilitas, qua se non canibus, sed catulis comparat. Canes autem ethnici propter idololatriam dicuntur, qui esui sanguinis dediti, et cadaveribus mortuorum, feruntur in rabiem. Nota quod ista Chananitis perseveranter primum filium David, deinde Dominum vocet, et ad extremum adoret ut Deum.

(Vers. 27, 28.) *At illa dixit : Etiam, Domine. Nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Jesus, ait illi : O mulier, magna est fides tua : fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora.* Scio me, inquit, filiorum panem non mereri, nec integros posse capere cibos; nec sedere ad mensam cum patre; sed contenta sum reliquiis catulorum; ut per humilitatem micarum, ad panis integri veniam magnitudinem. O mira rerum conversio! Israel quondam filius, nos canes. Pro diversitate fidei, ordo nominum commu-

quibus sibi visus est sensus laborare. At neque mss. suffragantur, neque revera sensus dispendium est.

[a] Diximus hac de re ad epist. 64 ad Fabiolam initio : quibus paria habet Hieronymus lib. I contra Jovinianum ad Cantici versic. *Fratruelis meus mihi, et ego illi, in medio uberum meorum commorabitur : in principali*, inquit, *cordis, ubi sermo Dei habet hospitium.* Concinunt porro ex Ecclesiasticis auctoribus plerique. Origenes Homil. 9 in Exodum : *Potest intra te opere pontificatum pars illa, quæ in eo est pretiosissima omnium, quod quidam Principale cordis appellant, alii rationalem sensum, aut intellectualem substantiam, vel quocunque modo appellari potest in nobis portio nostri illa, per quam capaces esse possumus Dei.* Tertullianus passim, et libro de Resurrectione carnis cap. 15, *Hegemonicon* (Sic Græce ἡγεμονικὸν dicitur *Principale*) *animæ in corde consecratum esse*, multis Scripturæ testimoniis probat. His adde Philonem in Opusc. *de eo quod deterius potiori insidietur.*; Nissenum, Orat. 1 de Resurrect. Christi; Theodoritum, serm. 3 de Providentia, aliosque. Contra Lactantius, lib. I de Opific. Dei cap. 16, in ancipiti reliquit, utrum in corde, an in cerebro stet. Plato autem, quem Hieronymus refutat, proprie constituebat in capite, sive in summo corporis nostri : unde animam vocabat ἐγκέφαλον.

[b] Minus bene antea, *incensor*, quod emendant mss. Paulo quoque post alii habent, *cor ab oculis vulneratum*, pro *amoris jaculo*.

[c] In duobus codicibus mss., *cor ab oculis vulneratum.* MART.

[d] Tres Palatini codd. *Ecclesiæ*, pro *Chananæa.* Cæterum hæc quoque ex Origene translata sententia est : *Existimo autem, cum proportione ad illam, quæ sursum est Jerusalem, liberam Pauli matrem, ejusque similium, intelligendam esse Chananæam matrem puellæ a dæmonio vexatæ, quæ matris ejusmodi animæ symbolum est.*

tatur. De illis postea dicitur : *Circumdederunt me canes multi* (*Ps.* XXI, 17). Et : *Videte canes, videte* **117** *malos operarios, videte concisionem* (*Philipp.* III). Nos audivimus cum Syrophœnissa, et muliere quæ sanguine fluxerat : *Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Et : *Filia, fides tua te salvam fecit.*

(Vers. 29, 30.) *Et cum transisset inde Jesus, venit secus mare Galilææ : et ascendens in montem, sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, et alios multos. Et projecerunt eos ad pedes ejus.* In eo loco ubi Latinus interpres translulit, *debiles*, in Græco scriptum est, κυλλοὺς, quod non generale debilitatis, sed unius infirmitatis est nomen : ut quomodo claudus dicitur, qui uno claudicat pede : sic κυλλὸς appelletur qui unam manum debilem habet. Nos proprietatem B hujus verbi non habemus. Unde et in consequentibus evangelista cæterorum debilium exposuit sanitates, horum tacuit. Quid enim sequitur.

(Vers. 31.) *Et curavit eos : ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes : et magnificabant Deum Israel.* De κυλλοῖς tacuit, quia quid econtrario diceret, non habebat. Hoc de uno verbo. Intueamur autem quod sanata Chananææ filia revertatur ad Judæam, et ad mare Galilææ, et ascendat in montem : et quasi avis teneros fetus provocet ad volandum ; ibique sedeat, et turbæ concurrant ad eum, deducentes sive portantes secum variis oppressos infirmitatibus : quos postquam curavit, dedit eis cibos ; et hoc opere completo, ascendit in naviculam, et venit in fines C Magedan. Et ascendens in montem, sedebat ibi : et accesserunt ad eum turbæ. Observa quod muti, claudi, et cæci ducuntur ad montem, ut ibi curentur a Domino.

(Vers. 32.) *Jesus autem convocatis discipulis suis, dixit : Misereor turbæ, quia triduo jam perseverant mecum, et non habent quod manducent. Et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.* Vult pascere quos curavit, prius aufert debilitates, ut postea sanis offerat cibos. Convocat quoque discipulos suos, et quod facturus est, loquitur, ut vel magistris exemplum tribuat, cum minoribus atque discipulis communicanda esse consilia, vel ex confabulatione intelligant signi **118** magnitudinem, respondentes se panes in eremo non habere. *Misereor*, inquit, *turbæ*, D *quia triduo jam perseverant mecum.* Miseretur turbæ, quia in trium dierum numero, Patri, Filio, Spiritui-que sancto credebant. *Et non habent quod manducent.* Turba semper esurit, et cibis indiget, nisi saturetur a Domino. *Et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.* Esuriebant post magnas debilitates, et per patientiam futuros exspectabant cibos.

A Non vult eos Jesus dimittere jejunos, ne deficiant in via. Periclitatur ergo, qui sine cœlesti pane ad optatam mansionem pervenire festinat. Unde et angelus loquitur ad Eliam : *Surge, et manduca, quia grandem viam ambulaturus es* (III *Reg.* XIX, 7).

(Vers. 33 seqq.) *Et dicunt ei discipuli : Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam? Et ait illis Jesus : Quot habetis panes? At illi dixerunt : Septem, et paucos pisciculos, et præcepit turbæ ut discumberent super terram. Et accipiens septem panes et pisces, et gratias agens fregit, et dedit discipulis suis : et discipuli dederunt populo. Et comederunt omnes, et saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. Erant autem qui manducaverunt quatuor millia hominum, extra parvulos et mulieres. Et dimissa turba, ascendit in naviculam, et venit in fines Magedan* [Μαγδαλά]. De hoc signo jam supra diximus, et eadem repetere otiosi est : tantum in his quæ discrepant, immoremur. Supra [a] legimus : *Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli, dicentes : Desertus est locus* (*Supra*, XIV, 15), et reliqua. Hic discipulis convocatis, ipse Dominus loquitur : *Misereor turbæ, quia triduo jam perseverant mecum.* Ibi quinque panes erant et duo pisces : hic septem panes et pauci pisciculi. Ibi super fenum discumbunt : hic super terram. Ibi qui comedunt quinque millia sunt, juxta panum numerum quos comedunt : hic quatuor millia. Ibi duodecim cophini replentur de reliquiis fragmentorum : hic septem sportæ. In superiori ergo signo, quia propinqui erant et vicini quinque sensuum, non ipse Dominus eorum recordatur, sed discipuli : et recordantur vespere vicina nocte, et inclinante **119** jam sole. Hic autem ipse Dominus recordatur, et misereri se dicit, et causam miserationis exponit : *quia triduo jam perseverant mecum* [Al. *cum eo*, et *secum*], et dimittere eos jejunos non vult, ne deficiant in via. Isti qui de septem panibus, hoc est, in sacrato aluntur numero atque perfecto, non sunt quinque millia, sed quatuor millia : qui numerus semper in laude ponitur, et quadrangulus lapis non fluctuat, et non est instabilis : et ob hanc causam etiam Evangelia in eo numero consecrata sunt.

(Cap. XVI. — Vers. 1 seqq.) *Et accesserunt ad eum Pharisæi et Sadducæi tentantes, et rogaverunt eum, ut signum de cœlo ostenderet eis. At ille respondens, ait illis : Facto vespere, dicitis, serenum erit ; rubicundum est enim cœlum : et mane, hodie tempestas ; rutilat enim triste cœlum. Faciem ergo cœli dijudicare nostis, signa autem temporum non potestis scire. Generatio mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.* [b] Hoc in plerisque codicibus non habetur : sensus-

[a] Hanc ipse per partes comparationem Adamantius instituit, ex quo bonam partem huc Hieronymus in sua transtulit.

[b] Non tota hæc est quæ proponitur, quam docet Hieronymus in plerisque codicibus pericopen non haberi, sed secundus ac tertius dumtaxat versiculus a verbis, *Facto vespere, dicitis*, usque ad, *signa autem temporum non potestis scire*. Verius adeo tres Palatini mss. hic reticent primum versiculum, *Et accesserunt ad eum.* etc., et quartum, *Generatio mala et adultera*, etc., quos neutiquam Hieronymus comprehendit, quique omnino præcidendi ab hac serie sunt, ne falsus ipse videatur. Cæterum vetustior ex iisdem Palatinis codex non absolute, atque indefi-

que manifestus est, quod ex elementorum ordine atque [a] constantia, possint et sereni, et pluviæ dies prænosci. Scribæ autem et Pharisæi, qui videbantur legis esse doctores, ex prophetarum vaticinio non potuerunt intelligere Salvatoris adventum.

(Vers. 5.) *Et relictis illis, abiit, et cum venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere. Qui dixit illis.* Relictis Scribis et Pharisæis, quibus dixerat : *Generatio mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ*, recte abiit trans fretum, et gentium secutus est populos. Quid autem sibi velit signum Jonæ, jam supra dictum est.

(Vers. 6, 7.) *Intuemini, et cavete a fermento Pharisæorum et Sadducæorum. At illi cogitabant inter se, dicentes : Quia panes non accepimus.* Qui cavet a fermento Pharisæorum et Sadducæorum, Legis ac litteræ præcepta non servat, traditiones **120** hominum negligit, ut faciat mandatum Dei.

(Vers. 8 seqq.) *Sciens autem Jesus, dixit eis : Quid cogitatis inter vos, modicæ fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum, et quinque millium hominum, et quot cophinos sumpsistis? Neque septem panum, quatuor millium hominum, et quot sportas sumpsistis? Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis : Cavete a fermento Pharisæorum, et Sadducæorum. Tunc intellexerunt, quia non dixerit, cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisæorum et Sadducæorum.* Per occasionem præcepti, quod Salvator jusserat, dicens : *Cavete a fermento Pharisæorum et Sadducæorum*, docet eos quid significent quinque panes, et septem : quinque millia hominum, et quatuor millia, quæ pasta sunt in eremo ; quod licet signorum magnitudo perspicua sit, tamen et aliud in spirituali intelligentia demonstretur. Si enim fermentum Pharisæorum et Sadducæorum non corporalem panem, sed traditiones perversas, et hæretica significat dogmata : quare et cibi, quibus nutritus est populus Dei, non veram doctrinam integramque significent? Quærat aliquis et dicat : Quomodo panes non habebant, qui statim impletis septem sportis, ascenderunt in naviculam, et venerunt in fines Magedan : ibique audiunt navigantes, quod cavere debeant a fermento Pharisæorum et Sadducæorum? Sed Scriptura testatur quod obliti sint eos secum tollere. Hoc est fermentum, de quo et Apostolus loquitur : *Modicum fermentum totam massam corrumpit* (I *Cor.* v, 6). Istiusmodi fermentum, quod omni ratione vitandum est, habuit Marcion, et Valentinus, et omnes hæretici. Fermentum hanc vim habet, ut si farinæ mixtum fuerit, quod parvum videbatur, crescat in majus, et ad saporem suum universam conspersionem [*Al.* conversionem] trahat : ita et doctrina hæretica, si vel modicam scintillam in tuum pectus jecerit, in brevi ingens flamma succrescit, et totam hominis possessionem ad se trahit. Denique sequitur : *Tunc intellexerunt, quia non dixisset cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisæorum et Sadducæorum.*

nite, sed, *apud Græcos*, addit hoc in plerisque codicibus desiderari. Estque fortasse facilius Græcos ejusmodi codices, aut qui saltem magnam eorum versuum partem prætermittant, invenire, quam Latinos. Certe antiquissimus noster Veronensis, quem passim laudamus, eos habet, quamquam verbis aliquantisper a Vulgata abludat.

[a] In uno alterove ms. *consonantia* : moxque elegantius, *pluvii dies*, pro *pluviæ*. Sic apud Rhabbanum.

LIBER TERTIUS.

(Vers. 13.) **121** *Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi.* Philippus iste est frater Herodis, de quo supra diximus, tetrarcha Ituræææ et Trachonitidis [a] regionis, qui in honorem Tiberii Cæsaris Cæsaream, quæ nunc Paneas dicitur, construxit, et in honorem Cæsaris, pariterque sui nominis appellavit eam Cæsaream Philippi, et est in provincia Phœnicis : imitatus Herodem patrem, qui in honorem Augusti Cæsaris appellavit Cæsaream, quæ prius turris Stratonis vocabatur : et ex nomine filiæ ejus [b] Juliadem trans Jordanem exstruxit. Iste [*Al.* ille] locus est Cæsareæ Philippi, ubi Jordanis **122** ori-

[a] Vitiose in editis libris legitur in plurali, *Ituræ et Trachonitidis regionum*, cum omnes mss. codices nostri retineant singularem numerum, *et Trachonitidis regionis*. Deinde iidem editi et nonnulli manuscripti codices consequenter adjungunt ; *qui in honorem Tiberii Cæsaris, Cæsaream Philippi, quæ nunc Paneas dicitur appellavit ; et est*, etc. Lectio Codicum mss. monasterii S. Andreæ secus Avenionem magis placuit, quia manifestior nobis visa est. MART. — Contra quam in suis mss. Martianæus reperit, nostri omnes habent cum pridem vulgatis plurium numero, *regionum* : moxque tres Palatini cum Cisterciensi, *Cæsaream Philippi, quæ nunc Paneas dicitur, appellavit, et est in provincia Phœnicis*, etc. Ac nescio an germana magis hæc lectio sit, quæ et brevior. Cum Palatinis et Cisterciensi mss. verba illa Rhabbanus quoque prætermittit. Mox *Libiadem*, pro *Juliadem* legit.

[b] Pro *Juliade*, exemplaria quædam manuscripta retinent *Libiadem*. Filia vero Augusti Cæsaris non vocabatur *Livia* sive *Libia*, sed *Julia*. Unde conjicio errore exscriptorum positum fuisse nomen *Libiadis* : nisi forte error sit in voce *filiæ*, pro qua nomen *uxoris Liviæ* ponendum esset : nam uxor Augusti, mater Tiberii Cæsaris, dicebatur *Livia* seu *Libia*. MART. — Credere malim ab antiquis amanuensibus substitutum hic *filiæ*, pro *uxoris*, quod eam civitatem non aliunde appellari potuisse *Juliadem*, quam a Julia Augusti filia fuerint arbitrati. Neque enim potuit ignorare Hieronymus, nomini uxoris, non filiæ Augusti dedicatam urbem, cum et Josephus de Bello lib. II, cap. 13, auctor sit, ædificatam sub Tiberii

tur ad radices Libani, et habet duos fontes, unum [a] nomine *Jor*, et alterum *Dan*, qui simul mixti, Jordanis nomen efficiunt.

Et interrogabat discipulos suos, dicens : Quem [b] *dicunt homines esse Filium hominis?* Non dixit, quem me dicunt esse homines, sed *Filium hominis* : ne jactanter de se quærere videretur. Et nota, quod ubicumque scriptum est in veteri Testamento, *filius hominis*, in Hebræo positum sit, *filius Adam*. Ut est illud [*Al.* illud quoque], quod in psalmo legimus : *Filii hominum usquequo gravi corde* (*Psal.* IV, 3), quod in Hebræo dicitur, [c] *filii Adam*. Pulchre autem interrogat : *Quem dicunt* **123** *homines esse Filium hominis?* quia qui de Filio hominis loquuntur, homines sunt ; qui vero divinitatem ejus intelligunt, non homines, sed dii appellantur.

(Vers. 14.) *At illi dixerunt : Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum* A *ex prophetis. Dicit illis Jesus.* Miror quosdam interpretes causas errorum inquirere singulorum, et disputationem longissimam texere, quare Dominum nostrum Jesum Christum alii Joannem putaverint, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex prophetis : cum sic potuerint errare in Elia et Jeremia, quomodo Herodes erravit in Joanne, dicens : *Quem ego decollavi Joannem, ipse surrexit a mortuis, et virtutes operantur in eo* (*Marc.* VI, 16).

(Vers. 15, 16.) *Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit : Tu es Christus Filius Dei vivi.* Prudens lector, attende, quod ex consequentibus textuque sermonis, apostoli nequaquam homines, sed dii appellantur. Cum enim dixisset : *Quem dicunt homines esse Filium hominis*, subjecit : B *Vos autem quem me esse dicitis?* Illis quia homines sunt, humana opinantibus; vos qui estis dii, quem me esse existimatis? Petrus ex persona om-

imperio, longo post relegatam Juliam Augusti filiam intervallo. Quod autem promiscue *Libias* diceretur et *Julias*, et Josephus Ἰουλιάδα continuo appellet, qui et Liviæ nomen in Juliam mutat : factum ex eo putant, quod Livia in Julianam familiam adoptata, Julia pariter appellaretur. Nostri tamen mss. aliique penes Martianæum, *Libiadem* hic legunt, quemadmodum et Eusebius, qui *Betharam* postea *Liviada* tradit ab Herode nuncupatam. Videndus Philo περὶ Πρεσβείας pag. 729. Vetus Inscriptio, insignisque nummus Augusti, quos Patinus exhibet ad Suetonii in Augusto cap. 63. In Chronico ad annum Christi 27 : *Philippus tetrarcha Paneadem, in qua plurimas ædes construxerat, Cæsaream Philippi vocavit, et Juliadem aliam civitatem.* Et paulo post ann. 29 : *Herodes Tiberiadem condidit et Libiadem.* Vide Pontani notas p. 548.

[a] Vide nos ad epist. 78, ad Fabiol., Mansion. 41, pag. 491, not. [a].

[b] Veronensis Evangelior. codex interserit, *me*, sic, *Quem dicunt me homines esse*, etc., quam ex parte lectionem videtur Hieron. repudiare.

[c] Insignis locus ad probandam fontis Hebræi depravationem, si crederemus Mariano, qui putavit ex hoc Hieronymi loco posse comprobari, olim in Hebræo lectionem hanc exstitisse, בני אדם *bene Adam*; et non בני־איש *bene isch*. Illum enim, inquit, quarti psalmi locum Judæos corrupisse, apparet etiam ex eo, quod pro *graves*, fecerint *gloria mea*, etc. Sed hanc opinationem penitus abjecisset editor Hieronymi, si ejusdem sancti Doctoris Psalterium Hebraicum contulisset cum hocce Commentariorum loco; nam ex Hebræo ita vertit Hieronymus : *Filii viri usquequo inclyti mei, ignominiose diligitis vanitatem, etc.* Quod his verbis numquam vertisset, nisi ipse legisset in Hebræo בני איש, *bene isch*, et כבודי. *kevodi*, sive *chebodai* more suo, id est, *inclyti mei*. Fateor igitur hic memoria lapsum S. Hieronymum, neque Hebraicum Psalterium habuisse ob oculos, cum hæc Matthæi verba suis Commentariis illustraret. Deinde Scholiastes Græcus docet nos, omnes interpretes edidisse ἔνδοξοί μου, id est, *inclyti mei*, secundum Hieronymi Versionem ex Hebræo. Itaque in fonte Hebræo scriptum semper fuit כבדי *kevodi*, sive *chebodai*, ut antiquiores legerunt ; non כבורי *kebore* cum *Resch* in fine, ut Marianus putavit, quia istam difficultatem minime voluit expendere. MART.—Quin autem superant Hebraica exemplaria legunt, *filii Isch*, sive בני־איש, *bene isch*; non *filii Adam*, בני־אדם, *bene adam*. Ut vero de hac primum difficultate paucis loquamur, Martianæus profitetur, *hic memoria lapsum S. Hieronymum, neque Hebraicum Psalterium habuisse ob oculos, cum hæc Matthæi verba suis Commentariis illustraret*, quippe qui scripserit positum in Hebræo *filii Adam*, pro *filii Isch*. Victorius econtrario contendit, *Adam* fuisse olim in Hebraico codice, idque non solum ex hoc Hieronymi testimonio, sed clare etiam ex ipsis constare Septuaginta, qui transtulerunt υἱοὶ ἀνθρώπων. Quippe cum vocem Hebraicam אדם, ἄνθρωπον semper interpretentur ; איש autem, ἀνήρ reddant. Psalmo primo, אשרי־איש, μακάριος ἀνήρ; Psalm. 3, אשרי־איש, μακάριος ἀνήρ; I Reg. XXVI, הלא איש אתה, οὐκ ἀνήρ σου; et ita alibi semper. Sicut enim אדם, Græce ἄνθρωπον, et Latine *hominem* : ita איש Græce ἄνδρα, et Latine *virum* vocari. Ego neque cum Benedictino editore, falli temere memoriæ confisum Hieronymum, neque cum Reatino episcopo, mutatum ab antiqua lectione malo C Judæorum dolo Hebraicum exemplar opinor : sicque autumo lectum promiscue olim אדם et איש *adam* et *isch* : ut æque bene quædam exemplaria בני־איש, *bene isch*, alia בני־אדם, *bene adam*, præferrent. Cum adeo S. Pater hic scripsit *Adam* in Hebræo positum, hujusmodi usus est libro, et fortasse alio (tametsi id arbitrari minime necesse sit) cum Psalterium interpretans, vertit *filii viri*, non *hominis*. Id cum primis persuadet Massorethica nota, sive circellum, quod hodiernæ lectioni איש in accuratis editionibus supra pingitur, significatque fuisse jam tum rationem scriptionis variam. Comprobant vero et veterum interpretum, Symmachi et Theodotionis versiones, υἱοὶ ἀνδρός. Cum enim (ut Victorius colligit, sicque re ipsa passim apud omnes habet) quod Hebraice est אדם, Græce ἄνθρωπος dicatur, et vicissim ἀνήρ, quod est in Hebræo איש, laudati interpretes, qui hoc altero usi vocabulo sunt, se indicant in eo, quod præ manibus habebant, exemplari invenisse בני־איש; cum econtrario Septuaginta בני־אדם, quod D υἱοὶ ἀνθρώπων interpretentur. Alteram, quam hoc ipso ex versiculo movet Victorius difficultatem, paucioribus attingam, quod proprie ad Hieronymum non spectet. Ait ille, ex eo etiam corruptum apparere a Judæis hunc locum, quod pro לב־לבה, substituerint לכלמה. et pro כבורי, *graves*, fecerint כבדי, *gloria mea*. Vultque hanc unam veram esse lectionem, quæ et vetustissima est, *Filii hominum usquequo gravi corde* : non, *Filii viri usquequo gloria mea*. Verum nulli non liquet, hanc omnium fuisse veterum interpretum versionem qui adeo legerint כבדי, *chevodi, gloria mea*; non כבורי, *chevore, graves*, exceptis quos tantum laudat Victorius, Septuaginta, Vulgatoque interprete, qui ex iisdem κατὰ πόδας versionem suam derivavit.

nium apostolorum profitetur : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Deum vivum appellat, ad distinctionem eorum deorum, qui putantur dii, sed mortui sunt : Saturnum, Jovem, Venerem, Minervam [*Al.* Cererem], Liberum, Herculem, et cætera idolorum portenta significans.

(Vers. 17.) *Respondens autem Jesus, dixit ei : Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Testimonio de se Apostoli reddit vicem. Petrus dixerat : *Tu es Christus Filius Dei vivi;* mercedem recepit vera confessio : *Beatus es, Simon Barjona.* Quare? quia non revelavit tibi caro et sanguis, sed revelavit Pater. Quod caro et sanguis revelare non potuit, Spiritus sancti gratia revelatum est. Ergo ex confessione sortitur vocabulum, quod revelationem ex Spiritu sancto habeat, cujus et filius appellandus sit. Siquidem *Barjona* in nostra lingua sonat, **124** *filius columbæ.* Alii simpliciter accipiunt, quod Simon, id est, Petrus, sit filius Joannis, juxta alterius loci interrogationem : *Simon Joannis, diligis me* (*Joan.* XXI, 15)? Qui respondit : *Domine, tu scis.* Et volunt Scriptorum vitio depravatum, ut pro *Bar Joanna,* hoc est, *filius Joannis, Barjona* scriptum sit, una detracta syllaba. *Joanna* autem interpretatur, *Domini gratia.* Utrumque autem nomen mystice intelligi potest, quod et columba, Spiritum sanctum; et gratia Dei, donum significet spirituale. Illud quoque quod ait : *Quia caro et sanguis non revelavit tibi,* Apostolicæ narrationi comparatur, in qua ait : *Continuo non acquievi carni et sanguini* (*Galat.* I, 16), carnem ibi et sanguinem, Judæos significans, ut hic quoque sub alio sensu demonstretur, quod ei non per doctrinam Pharisæorum, sed per Dei gratiam Christus Dei Filius revelatus sit.

(Vers. 18.) *Et ego dico tibi.* Quid est quod ait : *Et ego dico tibi?* Quia tu mihi dixisti : *Tu es Christus Filius Dei vivi : et ego dico tibi,* non sermone casso, et nullum habente opus, sed dico tibi : quia meum dixisse, fecisse est.

Quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Sicut ipse lumen apostolis donavit, ut lumen mundi appellarentur, cæteraque ex Domino sortiti sunt vocabula : ita et Simoni, qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen. At secundum metaphoram petræ, recte dicitur ei : *Ædificabo Ecclesiam meam super te.*

Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Ego [a] portas inferi reor vitia atque peccata : vel certe hæreticorum doctrinas, per quas illecti homines ducuntur ad tartarum. Nemo itaque putet de morte dici, quod apostoli conditioni mortis subjecti non fuerint, quorum martyria videat coruscare.

(Vers. 19.) *Et dabo tibi claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum in cœlis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum in cœlis.* Istum locum episcopi et presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur; cum apud Deum **125** non [b] sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico (*Cap.* XIV) de leprosis, ubi jubentur, ut ostendant se sacerdotibus, et si lepram habuerint, tunc a sacerdote immundi fiant : non quo sacerdotes leprosos faciant et immundos; sed quo habeant notitiam leprosi, et non leprosi, et possint discernere qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit : sic et hic alligat, vel solvit episcopus et presbyter, non eos qui insontes sunt, vel noxii; sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus.

(Vers. 20.) *Tunc præcepit discipulis suis ut nemini dicerent, quia ipse esset Jesus Christus.* Supra mittens discipulos ad prædicandum, jusserat eis ut annuntiarent adventum suum : hic præcepit, ne se dicant esse Jesum Christum. Mihi videtur aliud esse Christum prædicare, aliud Jesum Christum. Christus commune dignitatis est nomen : Jesus proprium vocabulum Salvatoris. Potest autem fieri, ut idcirco ante passionem et resurrectionem se noluerit prædicari; ut completo postea sanguinis sacramento, opportunius apostolis diceret : *Euntes docete omnes gentes* (*Matth. ult.* 19), etc. Quod ne quis putet nostræ tantum esse intelligentiæ, et non sensus Evangelici, quæ sequuntur, causas prohibitæ tunc prædicationis exponunt.

(Vers. 21.) *Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, et multa pati a senioribus et scribis, et principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere.* Et est sensus : Tunc me prædicate, cum ista passus fuero, quia non prodest Christum publice prædicare, et ejus vulgare in

[a] Hanc ex Origene allegoriam mutuatus est, quam et in Isaiæ Commentariis lib. VIII repetit S. Pater : *Et quomodo portas mortis reor esse peccata, de quibus ad Petrum dicitur : Portæ inferi non prævalebunt adversum te : sic portas justitiæ omnia opera virtutum,* etc.

[b] Origenes, ex Latina Huetii interpretatione, *Quoniam autem, qui episcopatus locum vindicant, dictum hoc usurpant, sicut Petrus, et acceptis a Servatore clavibus regni cœlorum, docent ea, quæ a se ligata sunt, hoc est, condemnata, ligata esse et in cœlis : pronuntiandum est, recte illos dicere, si factum etiam habuerint, propter quod Petro huic dictum est :* Tu es Petrus; *ac si tales sunt, ut super illos ædificetur Ecclesia a Christo, et ad illos jure id referri possit. Portæ autem inferi prævalere non debent adversus eum qui ligare vult et solvere.* Quod si funibus peccatorum suorum constringitur, *frustra et ligat et solvit.* Quam sane periculosam falsamque sententiam Hieronymus in commodum sensum traxit, mutavitque eruditissime in veram. Ille ministrorum Ecclesiæ potestatem ex eorum pendere volebat integritate : qua de re merito a doctis viris reprehenditur : hic, ne sacerdotes sibi nimium de auctoritate oblandiantur, easque abutantur temere, magis ait, apud Deum quæri reorum vitam, quam sacerdotum sententiam.

populis majestatem, quem post paululum flagellatum visuri sint et crucifixum, **126** et multa pati a senioribus, et scribis, et principibus sacerdotum. Et nunc Jesus multa patitur ab his, qui rursum sibi crucifigunt Filium Dei (*Hebr.* VI) : et cum seniores putentur in Ecclesia, et principes sacerdotum, simplicem sequentes litteram, occidunt Filium Dei, qui totus sentitur in spiritu.

(Vers. 22, 23.) *Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens : Absit a te, Domine, non erit tibi hoc. Qui conversus dixit Petro : Vade post me, Satana, scandalum es mihi : quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* Sæpe diximus nimii ardoris amorisque quam maximi fuisse Petrum in Dominum Salvatorem. Quia ergo post confessionem suam, qua dixerat : *Tu es Christus Filius Dei vivi;* et præmium Salvatoris, quod audierat : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi; sed Pater meus qui in cœlis est*, repente audit a Domino, oportere se ire Jerosolymam, ibique multa pati a senioribus et scribis, et principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere, non [*Vict. tacet* non] vult destrui confessionem suam; nec putat fieri posse ut Filius Dei occidatur : assumitque eum in affectum suum, vel separatim ducit, ne præsentibus cæteris condiscipulis magistrum videatur arguere, et cœpit increpare illum amantis affectu, et optantis dicere : *Absit a te, Domine :* vel ut melius habetur in Græco, Ἵλεώς σοι, κύριε, οὐ μὴ ἔσται σοι τοῦτο, hoc est, [a] *propitius sis tibi, Domine, non erit tibi hoc :* non potest fieri, nec recipiunt aures meæ, ut Dei Filius occidendus sit. Ad quem Dominus conversus, ait : *Vade retro* [Vict. addit *me*], *Satana, scandalum mihi es.* Satanas interpretatur, *adversarius*, sive *contrarius*. Quia contraria, inquit, loqueris voluntati meæ, debes adversarius appellari. [b] Multi putant quod non Petrus correptus sit, **127** sed adversarius spiritus, qui hæc dicere Apostolo [*Al.* Apostolum] suggerebat. Sed mihi hic error Apostolicus, et de pietatis affectu veniens, numquam incentivum diaboli videbitur : *Vade retro me, Satana.* Diabolo dicitur : *Vade retro.* Petrus audit : *Vade retro me*, hoc est, [c] sequere sententiam meam :

A *quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Meæ voluntatis est, et Patris (cujus veni facere voluntatem (*Joan.* VI) ut pro hominum salute moriar, tu tuam tantum considerans voluntatem, non vis granum tritici in terram cadere, ut multos fructus afferat (*Joan.* XII). Prudens lector inquirat quomodo post tantam beatitudinem : *Beatus es, Simon Barjona;* et : *Tu es Petrus; et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam;* et : *Tibi dabo claves regni cœlorum;* et : *Quod ligaveris vel solveris super terram, erit ligatum vel solutum in cœlo;* nunc audiat : *Vade retro me, Satana, scandalum mihi es?* Aut quæ sit tam repentina conversio, ut post tanta præmia, Satanas appelletur? Sed [d] si consideret qui hoc quærit,
B Petro illam benedictionem et beatitudinem, ac potestatem, et ædificationem super eum Ecclesiæ, in futuro promissam, non in præsenti datam intelliget. *Ædificabo*, inquit, *super te Ecclesiam meam et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et : *Dabo tibi claves regni cœlorum.* Omnia de futuro, quæ si statim dedisset ei, numquam in eo pravæ [e] opinionis error invenisset locum.

(Vers. 24 seqq.) *Tunc Jesus dixit discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum; et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* [f] Qui deponit veterem hominem cum operibus suis (*Coloss.* III), denegat semetipsum dicens : *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Galat.* II, 20) : **128** tollitque crucem suam, et mundo crucifigatur. Cui autem mundus crucifixus est, sequitur Dominum crucifixum.

Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Pro Israel datur commutatio Ægyptus et Æthiopia, et [g] Syene (*Isai.* XLIII, 3, 4) : pro anima humana illa sola est retributio, quam Psalmista canit : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*Ps.* CXV, 3).

[a] Iterum placet, ut Veronensis Evangeliorum codicis lectionem hic expendas : *Absit a te, propitius esto, Domine; non erit istud.*

[b] Unus pro cunctis S. Hilarius in hunc locum : *In eum vero* (diabolum) *per quem opinio hæc suggerebatur, conversus adjecit*, Satana, scandalum mihi es. *Non enim convenit existimare, Petro Satanæ nomen et offensionem scandali deputari post illa indultæ et beatitudinis et potestatis tanta præconia. Sed quia infidelitas omnis diaboli opus est, Petri responsione Dominus offensus cum opprobrio nominis infidelitatis istius est detestatus auctorem.* Cæterum hac ipsa de causa Marcellum reprehendit Eusebius lib. I contra eumdem cap. 2 quod *minime intelligens quomodo hæc* (Satana scandalum mihi es) *dicuntur ad apostolum, et quorsum, affirmat ad diabolum esse dicta.*

[c] Mavult noster in Origenis sententiam concedere, sic enim ipse interpretatur, ut Petro dixerit Jesus : *Vade post me, quasi qui ire post illum, eumque sequi cessasset.* Et paulo post : *Simul autem con-*
D *feres quod Petro dixit :* Vade post me, Satana; *et diabolo ei dicenti :* Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me : Vade, Satana, *absque additamento*, post me. *Post Jesum quippe esse, bonum est*, etc. Consentiunt porro et modo laudatus Eusebius contra Marcellum, et Ambrosius, lib. I de Abraham num. 55.

[d] Fortasse rectius nostri mss. hic, *si*, voculam, et in fine periodi verbum, *intelliget*, nesciunt.

[e] Tres Palatini codd. *confessionis*, pro *opinionis*.

[f] Quæ hinc subsequitur, pericopen recitat ipse, edisseritque Hieronymus] epist. 121 ad Algasiam quæst. 3 initio. Ipsam vero cum hujus, tum subsequentis versiculi expositionem ex Adamantio fere descripsit.

[g] Mss. plerique omnes, *Soene*, aut *Soeone*. Hebraice est, *Chus et Saba*. Hieronymus in eum Isaiæ locum, *Pro* Συήνη, inquit, *reliqui interpretes posuerunt* SABA, *unde fuit Regina Austri, quæ venit sapientiam audire Salomonis.*

(Vers. 27.) *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis : et tunc reddet unicuique secundum opus ejus.* Petrus ad prædicationem Dominicæ mortis scandalizatus, sententia Domini fuerat increpatus : provocati discipuli, ut abnegarent se, et tollerent crucem suam, et morientium animo sequerentur magistrum. Grandis terror audientium, et qui possit, principe apostolorum perterrito, etiam aliis metum injicere : idcirco tristibus læta succedunt, et dicit : *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis.* Times mortem, audi gloriam triumphantis. Vereris crucem, ausculta angelorum ministeria. *Et tunc*, inquit, *reddet unicuique secundum opera ejus* (*Rom.* x, 12). Non est distinctio Judæi et ethnici, viri et mulieris, pauperum et divitum, ubi non personæ, sed opera considerantur.

(Vers. 28.) *Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* Terrorem apostolorum spe medicari voluerat promissorum, dicens : *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis.* Insuper auctoritate judicis addita : *et reddet unicuique secundum opera sua.* Poterat apostolorum tacita cogitatio, istiusmodi scandalum sustinere : occisionem et mortem nunc dicis esse venturam : quod autem promittis te affuturum in gloria Patris cum angelorum ministeriis, et judicis potestate, hoc in dies erit, et in tempora longa **129** differetur [*Al.* differtur]. Prævidens ergo occultorum cognitor quid possent objicere, præsentem timorem præsenti compensat præmio. Quid enim dicit : *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo ;* ut qualis est postea venturus, ob incredulitatem vestram præsenti tempore demonstretur.

(Cap. XVII.—Vers. 1.) *Et* [a] *post dies sex, assumens Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus.* Quare Petrus, et Jacobus, et Joannes in quibusdam Evangeliorum locis separentur a cæteris : aut quid privilegii habeant extra alios apostolos, crebro diximus. Nunc quæritur quomodo post dies sex assumpserit eos, et duxerit in montem excelsum seorsum : cum Lucas evangelista octonarium numerum ponat (*Luc.* ix). Sed facilis responsio est, quia hic medii ponuntur dies, ibi primus additur et extremus. Non enim dicitur : *Post dies octo assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem;* sed die octavo.

Ducit illos in montem excelsum seorsum. Ducere ad montana discipulos, pars regni est. Ducuntur seorsum, quia multi vocati, pauci vero electi (*Matth.* xx, 16, *et* xxii, 14).

(Vers. 2.) *Et transfiguratus est ante eos.* Qualis futurus est tempore judicandi, talis apparuit apostolis. Quod autem dicit : *Transfiguratus est ante eos*, nemo

A putet pristinam eum formam et faciem perdidisse, vel amisisse corporis veritatem, et assumpsisse corpus vel spirituale, vel aereum; sed quomodo transformatus sit, evangelista demonstrat, dicens.

Et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Ubi splendor faciei ostenditur, et candor describitur vestium, non substantia tollitur, sed gloria commutatur. *Resplenduit facies ejus sicut sol.* Certe transformatus est Dominus in eam gloriam, qua venturus est postea in regno suo. Transformatio splendorem addidit, faciem non subtraxit. Esto corpus spirituale fuerit, num et vestimenta mutata sunt, quæ intantum fuere candida, ut alius evangelista dixerit : *Qualia fullo super terram non potest facere* (*Marc.* ix, 2). Quod autem fullo
B super terram potest facere, corporale est, **130** et tactui subjacet, et non spirituale et aereum, quod illudat oculis, et tantum in phantasmate conspiciatur.

(Vers. 3.) *Et ecce* [b] *apparuerunt illis Moyses et Elias, cum eo loquentes.* Scribis et Pharisæis tentantibus se, et de cœlo signa poscentibus, dare noluit, sed pravam postulationem confutavit responsione prudenti. Hic vero, ut apostolorum augeat fidem, dat signum de cœlo, Elia inde descendente quo conscenderat; et Moyse ab inferis resurgente : quod et Achaz per Isaiam præcipitur, ut petat sibi signum de excelso, aut de inferno (*Isai.* vii, *et* IV *Reg.* ii). Nam quod dictum est : *Apparuerunt illis Moyses et Elias, cum eo loquentes;* et in alio refertur Evangelio, nuntiasse
C ei quæ Jerosolymis passurus esset (*Luc.* ix) : Lex ostenditur et prophetæ, qui et passionem Domini, et resurrectionem crebris vocibus nuntiarunt.

(Vers. 4.) *Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum : Domine, bonum est nos hic esse.* Qui ad montana conscenderat, non vult ad terrena descendere; sed semper in sublimibus perseverare.

Si vis, faciamus hic tria tabernacula : Tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum. Erras, Petre, sicut et alius evangelista testatur. Nescis quid dicas (*Luc.* ix). Noli tria tabernacula quærere, cum unum sit tabernaculum Evangelii, in quo Lex et Prophetæ recapitulanda sunt. Si autem quæris tria tabernacula, nequaquam servos cum Domino conferas, sed fac tria tabernacula : immo unum Patri, et Filio, et
D Spiritui sancto; ut quorum est una divinitas, unum sit et in pectore tuo tabernaculum.

(Vers. 5.) *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite.* Quia imprudenter interrogaverat, propterea responsionem Domini non meretur, sed Pater respondet pro Filio, ut verbum Domini compleretur: *Ego testimonium non dico pro me, sed Pater qui me misit, ipse pro me dicit testimonium* (*Joan.* v, 37, *et* viii, 18). Nubes autem videtur lucida, et obumbrat

[a] Codices Palatini, *Et factum est post sex dies*, etc.

[b] Hic atque infra, ubi locus iste recurrit, mss. nostri præferunt minori numero, *apparuit.* Legem et Prophetas per Moysem et Eliam significari, quæ obvia interpretatio est, S. Pater ex Origene accepit.

eos : ut qui carnale e frondibus, aut tentoriis quærebant tabernaculum, nubis lucidæ operirentur umbraculo. **131** Vox quoque de cœlo Patris loquentis auditur, quæ et testimonium perhibeat Filio; et Petrum [*Al.* Petri], errore sublato, doceat veritatem : immo per Petrum cæteros apostolos. *Hic est*, ait, *Filius meus dilectus :* huic figendum est tabernaculum, huic obtemperandum. Hic est filius, illi servi sunt : Moyses et Elias debent et ipsi vobiscum in penetralibus cordis sui Domino tabernaculum præparare.

(Vers. 6.) *Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde.* Triplicem ob causam pavore terrentur, vel quia se errasse cognoverant, vel quia nubes lucida operuerat eos, aut quia Dei Patris vocem loquentis audierant : [a] quia humana fragilitas conspectum majoris gloriæ ferre non sustinet, ac toto animo et corpore contremiscens, ad terram cadit. Quanto quis ampliora quæsierit, tanto magis ad inferiora collabitur, si ignoraverit mensuram suam.

(Vers. 7.) *Et accessit Jesus, et tetigit eos.* Quia illi jacebant, et surgere non poterant, ipse clementer accedit, et tangit eos, ut tactu timorem fuget, et debilitata membra solidentur.

Dixitque eis : Surgite, et nolite timere. Quos manu sanaverat, sanat imperio. *Nolite timere.* Primum timor expellitur, ut postea doctrina tribuatur.

(Vers. 8.) *Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum.* Rationabiliter postquam surrexerunt, non viderunt nisi solum Jesum : ne si Moyses et Elias perseverassent cum Domino, Patris vox videretur incerta, cui potissimum daret testimonium. Vident ergo Jesum stantem, ablata nube, et Moysen et Eliam evanuisse : quia postquam Legis et Prophetarum umbra discesserit, quæ velamento suo apostolos texerat, [b] utrumque lumen in Evangelio reperitur.

(Vers. 9.) *Et descendentibus illis de monte præcepit* **132** *Jesus, dicens : Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat.* Futuri regni præmeditatio, et gloria triumphantis demonstrata fuerat in monte. Non ergo vult hoc in populos prædicari, ne et incredibile esset pro rei magnitudine, A et post tantam gloriam apud rudes animos sequens [c] crux scandalum faceret.

(Vers. 10.) *Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes : Quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam oporteat primum venire?* Nisi causas noverimus, quare interrogaverint discipuli super Eliæ nomine, stulta videtur, et extraordinaria eorum interrogatio. Quid enim pertinet ad ea, quæ supra scripta sunt, de Eliæ adventu quærere? Traditio [d] Pharisæorum est, juxta Malachiam prophetam (qui est novissimus in duodecim) quod Elias veniat ante adventum Salvatoris, et reducat cor patrum ad filios, et filiorum ad patres, et restituat omnia in antiquum statum (*Malach.* IV). Æstimant ergo discipuli transformationem gloriæ hanc esse, quam in monte viderant, et dicunt : B Si jam venisti in gloria, quomodo præcursor tuus non apparet, maxime quia Eliam viderant recessisse. Quando autem adjiciunt : *Scribæ dicunt quod Eliam oporteat primum venire :* Primum dicendo, ostendunt quod nisi Elias venerit, non sit secundum Scripturas Salvatoris adventus.

(Vers. 11, 12.) *At ille respondens, ait illis : Elias quidem venturus est, et restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias jam venit.* Ipse qui venturus est in secundo Salvatoris adventu, juxta corporis fidem, nunc per Joannem venit in virtute et spiritu [e].

Et non cognoverunt eum; sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt : Hoc est, spreverunt, et decollaverunt eum.

(Vers. 13.) *Sic et Filius hominis passurus est ab eis.* C *Tunc intellexerunt discipuli, quia de Joanne Baptista dixisset eis.* Quæritur autem cum Herodes et Herodias Joannem **133** interfecerint, quomodo ipsi Jesum quoque crucifixisse dicantur : cum legamus eum a Scribis et Pharisæis interfectum? Et breviter respondendum, quod et in Joannis nece [f] Pharisæorum factio consenserit, et in occisione Domini Herodes junxerit voluntatem suam : qui illusum atque despectum remiserit ad Pilatum, ut crucifigerent eum.

(Vers. 14, 15.) *Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, et male patitur : nam sæpe cadit in*

[a] Nostri mss. tacent causalem, *quia*.

[b] Nullo sensu legebatur antea, *utrum lumen*. Rectius in aliquot mss. legitur, *verum* : in plerisque autem *utrumque :* quæ et nobis reposita lectio est; quamquam malim, *unum* restitui absque additamento, *lumen*, quam vocem et plerique mss. ignorant. Esset vero tum Hieronymi sensui conformior lectio, cum Origenianæ interpretationi, quæ habet : *Moses, qui Lex est, et Elias, hoc est, Prophetæ,* UNUM *et idem facti sunt ac Jesus, id est, Evangelium; nec ut prius tres erant, ita permanserunt; sed tres* UNUM *facti sunt,*

[c] Ratio hæc pridem Origenis fuit : *Nam*, inquit, *qui audivissent, ac præsertim turbæ, tum maxime fuissent offensæ, cum eum cruci affixum vidissent, quem tali affectum gloriæ accepissent.* At persequi annotando studiose singula, quæ ab illo scriptore noster expressit, nimis longum est.

[d] Origenes, *Disciputi recordati sunt eorum, quæ de* D *Elia traduntur a Scribis, ante Christi videlicet adventum, Eliam venientem præparaturum huic illorum animas, qui eum suscepturi sunt. At visus ille, qui in monte contigit, quo apparuit Elias, minime his consentire videbatur, quæ dicta sunt : quandoquidem non ante, sed post Jesum his Elias advenisse visus est. Idcirco mentitos Scribas existimantes, hæc aiunt*, etc. Confer et in laudatum Malachiæ locum Hieronymi Commentarios.

[e] Addunt Palatini mss., *Eliæ :* sicque textum continuant, *sed non cognoverunt*, etc.

[f] Hoc ipsum propositæ quæstioni respondet Origenes. *Quod causam et ipsi* (Scribæ et Pharisæi) *præbuerunt his, quæ adversus eum* (Joannem) *perpetrare ausus est Herodes.* Et statim : *Quod autem sequitur his expressum verbis.* Sic et Filius hominis passurus est ab eis, *ad Scribas referri potest, si ad Scribas quoque refertur id quod præcedit*, etc.

ignem, et crebro in aquam. Et obtuli eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum. Quam ob causam dæmon observans lunæ cursum, corripiat homines, et per creaturas infamare studeat Creatorem, supra diximus. Mihi autem [a] videtur juxta tropologiam lunaticus esse, qui per horarum momenta mutatur ad vitia, nec persistit in cœpto, sed crescit atque decrescit: et nunc in ignem fertur, quo adulterantium corda succensa sunt (*Osee* VII): nunc in aquas, quæ non valent exstinguere charitatem. Quod autem dicit: *Obtuli eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum*, latenter accusat apostolos, cum impossibilitas curandi, interdum non ad imbecillitatem curantium, sed ad eorum qui curandi sunt fidem referatur, dicente Domino. *Fiat tibi secundum fidem tuam* (*Marc.* v, 34, *et* x, 52).

(Vers. 16.) *Respondens autem Jesus, ait: O generatio incredula et perversa, quousque ero vobiscum? Usquequo patiar vos? afferte huc illum ad me.* Non quod tædio superatus sit, et mansuetus ac mitis, qui non aperuit sicut agnus coram tondente os suum (*Isai.* LIII), [b] nec in verba furoris eruperit; sed quod in similitudinem medici, si ægrotum videat contra sua præcepta se gerere, dicat: Usquequo accedam ad domum tuam, quousque artis **134** perdam industriam, me aliud jubente, et te aliud perpetrante? Intantum autem non est iratus homini, sed vitio; et per unum hominem Judæos arguit infidelitatis, ut statim intulerit: *Afferte eum huc ad me.*

(Vers. 17.) *Et increpavit illum Jesus, et exiit ab eo dæmonium, et curatus est puer ex illa hora.* Non ille qui patiebatur, sed dæmon debuerat increpari. Sive increpavit puerum, et exivit ab eo dæmon: [c] quia propter peccata sua a dæmone fuerat oppressus.

(Vers. 18.) *Et dixerunt: quare nos non potuimus ejicere illum? Dicit illis Jesus: Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis.* Hoc est quod in alio loco dicit: *Quæcumque in nomine meo petieritis, credentes accipietis* (*Joan.* xv, 2). Ergo quoties non accipimus, non præstantis est impossibilitas, sed culpa deprecantium.

A (Vers. 19.) *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc, et transibit: et nihil impossibile erit vobis.* Putant aliqui fidem grano sinapis comparatam, parvam dici, quod regnum cœlorum grano sinapis conferatur; cum apostolus dicat: *Et si* [d] *totam fidem habuero, ita ut montes transferam* (I *Cor.* XV, 2). Ergo magna est fides, quæ grano sinapis coæquatur. Montis translatio non ejus significatur, quem oculis carnis aspicimus, sed illius qui a Domino translatus fuerat ex lunatico. Quod enim ait: *Dicetis monti huic, transi hinc, et transibit*, de [e] dæmone intelligitur. Ex quo stultitiæ coarguendi sunt, qui contendunt, apostolos, omnesque credentes, ne parvam quidem habuisse fidem: quia nullus eorum montes transtulerit. Neque enim tan-
B tum prodest montis de alio in alium locum translatio: et vana signorum quærenda ostentatio; quantum in utilitatem omnium iste mons **135** transferendus est, qui per prophetam dicitur corrumpere omnem terram (*Zach.* IV).

(Vers. 20.) *Hoc autem genus non ejicitur, nisi per orationem et jejunium.* Dum docet quomodo nequissimus dæmon possit expelli, omnes instituit ad vitam.

(Vers. 21 seqq.) *Conversantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum, et occident eum; et tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer.* Semper prosperis miscet tristia, ut cum repente venerint, non terreant apostolos; sed a præmeditatis ferantur animis: Si enim contristat eos quod occidendus est,
C debet lætificare quod die tertio dicitur resurrecturus. Porro quod contristantur, et contristantur vehementer, non de infidelitate venit (alioquin scierent [*Al.* scirent] et Petrum esse correptum, quare non saperet ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum) verum quia pro dilectione magistri nihil de eo sinistrum, et humile patiuntur audire.

(Vers. 24.) *Et cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, et dixerunt: Magister vester non solvit didrachma? Ait: Etiam.* [f] Post Augustum Cæsarem Judæa facta est

[a] Ex Origene iisdem pene verbis: *Forsitan ergo minime aberraveris, si homines ejusmodi, qui a spiritualibus nequitiæ in cœlestibus dejiciuntur, spiritu, ut ita dicam, lunaticos esse dicas, et persæpe male se habere, quo scilicet tempore animos illorum perturbationes, et affectus invadunt, cadentes nonnumquam in ignem inflammationum, quando fiunt* (*juxta ea quæ in Osee habentur*). Adulterantes quasi clibanus succensus a flamma ad coctionem ambusti; *aliquando in aquam, quando rex omnium qui in aquis sunt draconum, a respirationis libertate, qua frui videbantur, eos in profundum fluctuum maris humanæ vitæ dejicit.* Sed et illud noster ex eodem Adamantio sumpsit tum hic, cum supra in Matth. IV, 24, quod Spiritus impurus Lunæ cursum, sive certas Lunæ figuras observet, atque ita operetur, ut cum observatum fuerit, sub tali Lunæ figura affici homines, non ipse dæmon tanti mali causam habere videatur, sed Luna, quæ nocti præest, neque ullum in homines habet hujusce mali imperium: sicque per creaturas nitatur Creatorem infamare.

[b] Delenda videtur negandi particula, quam et sensus respuit, et Rhabbanus ignorat.

[c] Scripserat Adamantius lunaticum Dæmoni vexandum certis de causis traditum, quod nec dignum se præstiterit, qui angeli custodiæ committeretur.

[d] In uno alterove ms. *si tantam*: in Græco autem, quod et supra notatum, est πᾶσαν.

D [e] Hæc verba, *de dæmone intelligitur*, tres Palatini mss. non habent. Est vero hæc omnium receptissima sententia, dæmonem debere intelligi, quam ex Origene S. Pater delibavit. *Montes*, ait, *hic appellari existimo contrarias et oppositas Potestates, late diffusa et ingenti nequitia præditas, quæ quidem in nonnullis hominum animis, quasi fundatæ, et constitutæ sunt.* Et paulo post: *Qui talis erit, dicet monti huic* (*spiritum mutum et surdum in eo qui lunaticus esse dicitur, intellectum volo*). *Transi illinc*, etc.

[f] Jure ait Scaliger in Animadversionibus in Chronicon, si demum *post* Augustum Cæsarem Judæa facta est tributaria, cur addit Hieronymus professos esse Joseph et Mariam utique *sub* Augusto. Omnino autem tributaria facta est multo ante, et jam inde a Pompeio. Vide Chronicon.

tributaria, et omnes censi capite ferebantur. Unde et Joseph cum Maria cognata sua professus [*Al.* profectus] est in Bethleem. Rursum quoniam nutritus erat in Nazareth (quod est oppidum Galilææ Capharnaum urbi subjacens) ex more poscunt tributa : et pro signorum magnitudine hi qui exigebant, non audent ipsum repetere, sed discipulum conveniunt, sive malitiose interrogant : utrum reddat tributa, an contradicat Cæsaris voluntati; juxta quod in alio loco legimus : *Licet Cæsaris tributa solvere, an non* (*Marc.* XII, 14)?

Et cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus, dicens. Qui didrachma exigebant, seorsum convenerant Petrum. Cumque intrasset domum, antequam Petrus suggereret, interrogat Dominus, ne scandalizentur discipuli ad postulationem tributi; cum videant eum nosse quæ absente se gesta sunt.

(Vers. 25.) *Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum, a filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit : Ab alienis. Dixit illi Jesus : Ergo liberi sunt filii.* Dominus **136** noster, et secundum carnem, et secundum spiritum filius regis erat, vel ex David stirpe generatus, vel omnipotentis Verbum Patris. Ergo tributa quasi regum filius non debebat, sed qui humilitatem carnis assumpserat, debuit adimplere omnem justitiam. Nosque infelices qui Christi censemur nomine, et nihil dignum tanta facimus majestate : ille pro nobis et crucem sustinuit, et tributa reddidit, nos pro illius honore tributa non reddimus, et quasi filii regis a vestigalibus immunes sumus.

(Vers. 26.) *Ut autem non scandalizemus eos : vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem qui primus ascenderit, tolle. Et aperto ore ejus, invenies staterem : illum sumens, da eis pro me et te.* Quid primum mirer in hoc loco, nescio, utrum præscientiam, an magnitudinem Salvatoris. Præscientiam quod noverat piscem habere in ore staterem, et quod primus ipse capiendus esset. Magnitudinem atque virtutem, si ad verbum ejus statim stater in ore piscis creatus est, et quod futurum erat, ipse loquendo fecerit. Videtur autem mihi secundum mysticos intellectus, iste esse piscis qui primus captus est, qui in profundo maris erat, et in salsis amarisque gurgitibus morabatur, ut per secundum Adam liberaretur primus Adam : et id quod in ore ejus, hoc est in confessione fuerat inventum, pro Petro et Domino redderetur. Et pulchre idipsum quidem datur pretium, sed divisum est, quia pro Petro quasi pro peccatore pretium reddebatur : Dominus autem noster peccatum non fecerat, nec dolus inventus est in ore ejus (*Isai.* LIII). Stater dicitur, qui duo habet didrachmata, ut ostenderetur similitudo carnis, dum eodem et servus et Dominus pretio liberantur. Sed et simpliciter intellectum ædificat auditorem : dum tantæ [a] Dominus fuerit paupertatis, ut unde tributa pro se et apostolo redderet, non habuerit. Quod si quis objicere voluerit : et quomodo Judas in loculis portabat pecuniam? Respondebimus, rem pauperum in usus suos convertere nefas putavit, nobisque idem tribuit exemplum.

(Cap. XVIII.—Vers. 1.) *In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Quis putas major est in* **137** *regno cœlorum?* Quod sæpe monui, etiam nunc observandum est. Causæ quærendæ sunt singulorum Domini dictorum atque factorum. Post inventum staterem, post tributa reddita, quid sibi vult apostolorum repentina interrogatio? *In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum dicentes, Quis putas major est in regno cœlorum?* Quia viderant pro Petro et Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretii, arbitrati sunt Petrum omnibus apostolis esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus, ideo interrogant, quis major sit in regno cœlorum? Vidensque Jesus cogitationes eorum, et causas erroris intelligens, vult desiderium gloriæ, humilitatis contentione sanare.

(Vers. 2.) *Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, et dixit.* Vel simpliciter quemlibet parvulum, ut ætatem quæreret, et similitudinem innocentiæ demonstraret. Vel certe parvulum statuit in medio eorum seipsum, qui non ministrari, sed ministrare venerat, ut eis humilitatis tribueret exemplum. Alii parvulum interpretantur Spiritum sanctum, quem posuerit in cordibus discipulorum, [b] ut superbiam in humilitatem mutaret.

(Vers. 3.) *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Non præcipitur apostolis, ut ætatem habeant parvulorum, sed ut innocentiam, et quod illi per annos possident, hi possideant per industriam : ut malitia, non sapientia parvuli sint.

(Vers. 4.) *Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum.* Sicut iste parvulus, cujus vobis exemplum tribuo, non perseverat in iracundia, non læsus meminit, non videns pulchram mulierem delectatur, non aliud cogitat, et aliud loquitur : sic et vos nisi talem habueritis innocentiam, et animi puritatem, non poteritis regna cœlorum intrare. Sive aliter : *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum.* Qui imitatus fuerit me, et se in exemplum mei humiliaverit, ut tantum se dejiciat, quantum ego dejeci [*Supp.* me], **138** formam servi accipiens, hic intrabit in regnum cœlorum (*Philipp.* II).

(Vers. 5.) *Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.* Qui talis fuerit, ut Christi imitetur humilitatem et innocentiam, in eo Christus suscipitur. Et prudenter, ne cum delatum fuerit apostolis, se putent honoratos, adjecit, non illos sui

[a] Tres mss. Palatini, *tantæ Dominum audit fuisse paupertatis*

[b] Cisterc. mss. aliique penes Martianæum, *ut superbiam humilitate mutarent.* Cæterum et hæc ipsa ex Origene interpretatio derivatur : *Vide num puerum a Jesu accersitum, sanctum esse Spiritum dicere possis, qui seipsum abjecit, a Servatore auctus est, et in media discipulorum Jesu mente constitutus,* etc.

[*Al.* suo] merito, sed magistri honore suscipiendos.

(Vers. 6.) *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt.* Nota quod qui scandalizatur, parvulus est : majores enim scandala non recipiunt.

Expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Quamquam hæc generalis possit esse sententia adversus omnes qui aliquem scandalizant, tamen juxta consequentiam sermonis etiam contra apostolos dictum intelligi potest, qui interrogando, quis major esset in regno cœlorum, videbantur inter se de dignitate contendere, et si in hoc vitio permansissent, poterant eos quos ad fidem vocabant, per suum scandalum perdere, dum apostolos viderent inter se de honore pugnare. Quod autem dixit : *Expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus*, secundum ritum provinciæ loquitur, quo majorum criminum ista apud veteres Judæos pœna fuerit, ut in profundum ligato saxo demergerentur. Expedit autem ei, quia multo melius est pro culpa brevem recipere pœnam, quam æternis servari cruciatibus. Non enim vindicabit [*Al.* judicabit] Dominus bis in idipsum (*Naum.* I).

(Vers. 7.) *Væ mundo a scandalis. Necesse est enim ut veniant scandala. Verumtamen væ homini per quem scandalum venit.*

Non quod necesse sit venire scandala, alioquin sine culpa essent, qui scandalum faciunt, sed cum necesse sit in isto mundo fieri scandala, [a] unusquisque suo vitio scandalis patet. Simulque per generalem sententiam percutitur Judas, qui proditioni animum præparaverat.

(Vers. 8, 9.) *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum et projice abs te. Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus,* **139** *vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te. Bonum est tibi cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Necesse est quidem venire scandala : Væ tamen ei est homini, qui quod necesse est ut fiat in mundo, vitio suo facit, ut per se fiat. Igitur omnis truncatur affectus, et universa propinquitas amputatur, ne per occasionem pietatis unusquisque credentium scandalis pateat. Si, inquit, ita est quis tibi conjunctus, ut manus, pes, oculus, et est utilis atque sollicitus, et acutus ad perspiciendum : scandalum autem tibi facit, et propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam : melius est, ut et propinquitate ejus, et emolumentis carnalibus careas, ne dum vis lucrifacere cognatos et necessarios, causam habeas ruinarum. Itaque non frater, non uxor, non filii, non amici, non omnis affectus qui nos excludere potest a regno cœlorum, amori Domini præponatur. Novit unusquisque credentium, quid sibi noceat, vel in quo sollicitetur animus, ac sæpe [b] tentetur. Melius est vitam solitariam ducere, quam ob vitæ præsentis necessaria, æternam vitam perdere.

(Vers. 10, 11.) *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim vobis : quia angeli eorum in cœlis* [c] *semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est. Venit enim Filius hominis salvare quod perierat.* Supra dixerat per manum, et pedem, et oculum, omnes propinquitates et necessitudines, quæ scandalum facere poterant, amputandas : austeritatem itaque sententiæ, subjecto præcepto temperat, dicens : *Videte ne contemnatis unum ex pusillis istis.* Sic, inquit, præcipio severitatem, ut, [d] commisceri clementiam doceam. Quantum in vobis est, nolite contemnere, sed per vestram salutem etiam illorum quærite sanitatem. Sin autem perseverantes in peccatis videritis, et vitiis servientes, melius est vos solos salvos fieri, quam perire cum pluribus. *Quia angeli eorum in cœlis vident semper faciem Patris.* Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum. Unde legimus in Apocalypsi Joannis : Angelo **140** Ephesi, Thyatiræ, et angelo Philadelphiæ, et angelis quatuor reliquarum Ecclesiarum scribe hæc (*Apoc.* I, 2, 3). Apostolus quoque præcipit velari capita in ecclesiis feminarum, propter angelos (I *Cor.* XI).

(Vers. 12, 13.) *Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oves, et erraverit una ex eis : nonne relinquit nonaginta novem in montibus, et vadit quærere eam quæ erravit? Et si contigerit ut inveniat eam : amen dico vobis, quia gaudebit super ea magis quam super nonaginta novem, quæ non erraverunt.* Consequenter ad clementiam provocat, qui præmiserat, dicens : *Videte ne contemnatis unum ex pusillis istis*, et subjungit parabolam nonaginta novem ovium in montibus relictarum, et unius errantis, quam pastor bonus, quia propter nimiam infirmitatem ambulare non poterat, humeris suis ad reliquum gregem reportavit. Quidam putant istum esse pastorem, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo; sed exinanivit se, formam servi accipiens, factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* II, 6 *et seqq.*) : et ob id ad terrena descenderit, ut salvam faceret unam oviculam quæ perierat, hoc est, humanum genus. Alii vero in nonaginta novem ovibus, justorum putant numerum intelligi; et in una ovicula, peccatorem, secundum quod in alio loco dixerat : *Non veni justos vocare, sed peccatores : non enim opus habent sani medico, sed hi qui se male habent* (*Luc.* V, 32). Ista parabola in Evangelio secundum Lucam cum aliis duabus parabolis decem drachmarum et duorum filiorum scripta est (*Luc.* XV).

(Vers. 14.) *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.* Refert

[a] Origenes καὶ ἀνάγκη ἐστὶ ταῦτα ἐλθεῖν, οὐκ ἀνάγκη δὲ διὰ τοῦδε τινός : *scandala oboriri necesse est, non autem per illum quempiam*, etc., quæ longius edisserit.

[b] Penes Victor., *sæpe tenetur.*

[c] In tribus Palatinis mss. verba *in cœlis* non habentur.

[d] Alii mss., *ut commixtim* pro *commisceri.*

ad superius propositum, de quo dixerat: *Videte ne contemnatis unum ex pusillis istis*; et docet idcirco parabolam positam, ut pusilli non contemnantur. In eo autem quod dicit: *Non est voluntas ante Patrem vestrum, ut pereat unus de pusillis istis*: quoties aliquis perierit de pusillis istis, ostenditur quod non voluntate Patris perierit.

(Vers. 15 seqq.) *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit,* **141** *adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Si peccaverit in nos frater noster, et in qualibet causa nos læserit, dimittendi habemus potestatem, immo necessitatem, qua [*Al.* quia] præcipitur, ut debitoribus nostris debita dimittamus. Si autem in Deum quis peccaverit, non est nostri arbitrii. Dicit enim Scriptura divina: *Si peccaverit homo in hominem, rogabit pro eo sacerdos. Si autem in Deum peccaverit, quis rogabit pro eo?* Nos econtrario in Dei injuria benigni sumus, in nostris contumeliis exercemus odia. Corripiendus est autem frater seorsum, ne si semel pudorem, ac verecundiam amiserit, remaneat in peccato. Et siquidem audierit, lucrifacimus animam ejus, et per alterius salutem, nobis quoque acquiritur salus. Sin autem audire noluerit, adhibeatur frater. Quod si nec illum audierit, adhibeatur et tertius, vel corrigendi studio, vel conveniendi sub testibus. Porro si nec illos audire voluerit, tunc multis dicendum est, ut detestationi eum habeant, et qui non potuit pudore salvari, salvetur opprobriis. Quando autem dicitur: *Sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, ostenditur majoris esse detestationis, qui sub nomine fidelis agit opera infidelium, quam hi qui aperte Gentiles sunt. Publicani enim vocantur secundum tropologiam, qui sæculi sectantur lucra, et exigunt vectigalia per negotiationes et fraudes, ac furta, scelerataque perjuria.

(Vers. 18.) *Amen dico vobis: quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Quia dixerat: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, et poterat contemptoris fratris hæc occulta esse responsio, vel tacita cogitatio, si me despicis, et ego te despicio, si tu me condemnas, et mea sententia condemnaberis: potestatem tribuit apostolis, ut sciant qui a talibus condemnantur, humanam sententiam divina sententia roborari, et quodcumque ligatum fuerit in terra, ligari pariter et in cœlo.

(Vers. 19, 20.) *Iterum dico vobis: quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re* **142** *quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo qui in cœlis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Omnis supra sermo nos
A ad concordiam provocarat. Igitur et præmium pollicetur, ut sollicitius festinemus ad pacem, cum se dicat inter duos et tres medium fore. Juxta illud exemplum tyranni, qui duos amicos captos (cum unus ad visendam matrem revertisset, et amicum pro se vadem dedisset) sic probare voluit, ut uno tento, alterum dimitteret. Cumque revertisset ad condictam diem, admirans amborum fidem, rogavit ut se haberent tertium. Possumus et hoc spiritualiter intelligere, quod ubi spiritus et anima corpusque consenserint, et non inter se bellum diversarum habuerint voluntatum [*Al.* voluptatum]; carne concupiscente adversus spiritum, et spiritu adversus carnem, de omni re quam petierint, impetrent a Patre. Nullique dubium quin bonarum rerum
B postulatio sit, ubi corpus ea vult habere quæ spiritus.

(Vers. 21, 22.) *Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies? sed usque septuagies septies.* Hæret sibi sermo Dominicus, et in modum funiculi triplicis rumpi non potest. Supra dixerat: *Videte ne contemnatis unum ex pusillis istis*; et adjecerat: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum*; et præmium repromiserat, dicens: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re impetrabunt quam petierint*; et ego ero in medio eorum. Provocatus apostolus Petrus interrogat, quoties fratri in se peccanti dimittere debeat, et cum interroga-
C tione profert sententiam, *usque septies?* Cui respondit Jesus: *Non usque septies, sed usque septuagies septies*, id est, quadringentis nonaginta vicibus, ut toties peccanti fratri dimitteret in die, quoties ille peccare non possit.

(Vers. 23.) *Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.* Familiare est Syris et maxime Palæstinis ad omnem sermonem suum parabolas jungere: ut quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exemplaque teneatur. Præcepit itaque Petro sub comparatione regis et domini, et servi, qui debitor decem millium **143** talentorum, a domino rogans, veniam impetraverat; ut ipse quoque dimittat conservis suis minora peccantibus. Si
D enim ille rex et dominus servo debitori decem millia talentorum tam facile dimisit, quanto magis servi conservis suis debent minora dimittere? Quod ut manifestius fiat, dicamus sub exemplo: Si quis nostrum commiserit adulterium, homicidium, sacrilegium, majora crimina decem millium talentorum, rogantibus dimittuntur, si et ipsi dimittant minora peccantibus. Sin autem ob factam contumeliam [a] simul implacabiles, et propter amarum verbum perpetes habeamus discordias: nonne nobis videmur recte redigendi in carcerem: et sub exemplo operis nostri hoc agere, ut majorum nobis delictorum venia non relaxetur?

[a] Vitiose erat *simul*, pro *simus*.

(Vers. 24 seqq.) *Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat decem millia talenta. Cum autem non haberet unde redderet, jussit eum dominus venundari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi. Procidens autem servus ille, rogabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum : et debitum dimisit ei. Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios : et tenens suffocabat eum, dicens : Redde quod debes. Et procidens conservus ejus rogabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Ille autem noluit : sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde : et venerunt, et narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant. Tunc vocavit illum dominus suus, et ait illi : Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum ? Et iratus dominus ejus, tradidit eum tortoribus quoadusque redderet universum debitum.* Scio [a] quosdam istum qui debebat decem millia talenta, diabolum interpretari, cujus uxorem et filios venundandos perseverante illo in malitia, insipientiam et malas cogitationes intelligi volunt. Sicut enim justi uxor, dicitur sapientia : sic uxorem **144** injusti et peccatoris, appellari stultitiam. Sed quomodo ei dimittat dominus decem millia talenta ; et ille nobis conservis suis centum denarios non dimiserit, nec Ecclesiasticæ interpretationis est, nec a prudentibus viris recipiendæ.

(Vers. 35.) *Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiserit unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Formidolosa sententia, si juxta nostram mentem sententia Dei flectitur atque mutatur. Si parva fratribus non dimittimus, magna nobis a Deo non dimittentur. Et quia potest unusquisque dicere : nihil habeo contra eum, ipse novit : habet Deum judicem, non mihi curæ est, quid velit agere, ego ignovi ei ; confirmat sententiam suam, et omnem simulationem fictæ pacis evertit, dicens : *Si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

(Cap. XIX. — Vers. 1 seqq.) *Et factum est cum consummasset Jesus sermones istos, migravit a Galilæa; et venit in fines Judææ trans Jordanem : et secutæ sunt eum turbæ multæ et curavit eos ibi. Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum, et dicentes : Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa?* De Galilæa venerat ad Judæam : idcirco Pharisæorum Scribarumque factio interrogat eum : utrum liceat homini dimittere uxorem suam qualibet causa, ut quasi cornuto teneant eum syllogismo : et quodcumque responderit, captioni pateat. Si dixerit, di- A mittendas esse uxores qualibet ex causa, et ducendas alias, pudicitiæ prædicator sibi videbitur docere contraria. Si autem responderit, non omnem ob causam debere dimitti, quasi sacrilegii reus tenebitur ; et adversus doctrinam Moysi ac per Moysen Dei, facere judicabitur. Igitur Dominus sic responsionem temperat, ut decipulam eorum transeat, Scripturam sanctam adducens in testimonium, et naturalem legem, primamque Dei sententiam secundæ opponens ; quæ non voluntate Dei, sed peccantium necessitate concessa est.

(Vers. 4.) *Qui respondens ait eis : Non legistis, quia qui fecit ab initio, masculum et feminam fecit eos?* Hoc in exordio Geneseos scriptum est. Dicendo autem, *masculum* **145** *et feminam*, ostendit secunB da vitanda conjugia. Non enim ait, *masculum et feminas*, quod ex priorum repudio quærebatur : sed *masculum et feminam*, ut [b] unius conjugis consortia necterentur.

(Vers. 5, 6.) *Et dixit : propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ : et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Similiter ait, adhærebit uxori suæ, non uxoribus. *Et erunt duo in carne una.* Præmium nuptiarum, e duabus unam carnem fieri. Castitas juncta spiritui, unus efficitur spiritus.

Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Deus conjunxit, unam faciendo carnem viri et feminæ : hanc homo non potest separare, nisi forsitan solus Deus. Homo separat, quando propter desiderium seC cundæ uxoris, primam dimittit. Deus separat, qui et conjunxerat, quando ex consensu propter servitutem Dei (eo quod tempus in arcto sit) sic habemus uxores, quasi non habentes (I *Cor.* VII).

(Vers. 7.) *Dicunt illi : Quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudii, et dimittere?* Aperiunt calumniam quam paraverant. Et certe Dominus non propriam sententiam protulerat, sed veteris historiæ et mandatorum Dei fuerat recordatus.

(Vers. 8.) *Ait illis : quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras : ab initio autem non fuit sic.* Quod dicit istiusmodi est : Numquid potest Deus sibi esse contrarius, ut aliud ante jusserit, et sententiam suam novo frangat imD perio? Non ita sentiendum est : sed Moyses cum videret, propter desiderium secundarum conjugum, quæ vel ditiores, vel juniores, vel pulchriores essent, primas uxores interfici, aut malam vitam ducere, maluit indulgere discordiam, quam odia et homicidia perseverare (*Deut.* XXIV). Simulque considera, quod non dixit : *Propter duritiam cordis vestri permisit vobis Deus, sed Moyses* : ut juxta Apostolum (I *Cor.* VII) consilium sit hominis, non imperium Dei.

[a] Haud certe longius ablusit Origenes, qui debitorem decem millium talentorum, *si*, inquit, *inter homines quæsiveris, eum esse forsitan reperies*, Hominem peccati, filium perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, *si extra hominum genus, quis ille est, nisi diabolus, qui tot homines perdidit, a quibus ipse peccati auctor susceptus est?* Non sic autem stricte Origeni adhæret Hieronymus, ut et devium ab Ecclesiastica interpretatione sequatur, quin immo non confutet.

[b] Ms. cod. S. Remigii, *ut unius conjugii consortio necterentur*. MART.

(Vers. 9.) *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur. Et qui dimissam duxerit, mœchatur.* Sola fornicatio est quæ uxoris vincat affectum : immo cum illa unam carnem in aliam diviserit, et se fornicatione separaverit **146** a marito, non debet teneri : ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente Scriptura : *Qui adulteram tenet, stultus et impius est.* Ubicumque est igitur fornicatio, et fornicationis suspicio, libere uxor dimittitur. Et quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, et ob secundam copulam nuptiarum, veteri crimen impingeret, sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam, prima vivente, non habeat. Quod enim dicit, tale est: Si non propter libidinem, sed propter injuriam dimittis uxorem : quare expertus infelices priores nuptias, novarum te immittis periculo? Necnon quia poterat evenire, ut juxta eamdem legem uxor quoque marito daret repudium, eadem cautela præcipitur, ne secundum accipiat virum. Et quia meretrix, et quæ semel fuerat adultera, opprobrium non timebat, secundo [a] præcipitur viro, quod si talem duxerit, sub adulterii sit crimine.

(Vers. 10.) *Dicunt ei discipuli ejus : Si ita est causa homini cum uxore, non expedit nubere.* Grave pondus uxorum est, si excepta causa fornicationis, eas dimittere non licet. Quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus, si luxuriosa, si gulosa, si vaga, si jurgatrix, si maledica, tenenda erit istiusmodi? Volumus nolumus [*Al.* nolimus velimus], sustinenda est. Cum enim essemus liberi, voluntarie nos subjecimus servituti. Videntes ergo apostoli grave uxorum jugum, proferunt motum animi sui, et dicunt : *si ita est causa homini cum uxore non expedit nubere.*

(Vers. 11.) *Qui dixit illis : Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Nemo putet sub hoc verbo, vel fatum, vel fortunam introduci : quod hi sunt virgines, quibus a Deo datum sit, aut quos quidam ad hoc casus adduxerit, sed his datum est qui petierunt, qui voluerunt, qui ut acciperent, laboraverunt. Omni enim petenti dabitur, et quærens inveniet, et pulsanti aperietur (*Matth.* VII, 8, *et Luc.* XI, 10).

(Vers. 12.) *Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt : et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus : et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.* Triplex genus est eunuchorum : duorum carnalium, et tertii spiritualis. Alii sunt qui de matris utero sic nascuntur. **147** Alii quos vel captivitas facit, vel deliciæ matronales. Tertii sunt qui seipsos castraverunt A propter regnum cœlorum; et qui cum possint esse viri, propter Christum eunuchi fiunt. Istis promittitur præmium : superioribus autem quibus castimoniæ necessitas, non voluntas est, nihil omnino debetur. Possumus et aliter dicere. Eunuchi sunt ex matris utero, [b] qui frigidioris naturæ sunt, nec libidinem appetentes. Et alii, qui ab hominibus fiunt : quos aut philosophi faciunt, aut propter idolorum cultum emolliuntur in feminas : vel persuasione hæretica simulant castitatem, ut mentiantur religionis veritatem. Sed nullus eorum consequitur regna cœlorum, nisi qui se castraverit propter Christum. Unde et infert : *Qui potest capere capiat;* ut unusquisque consideret vires suas, utrum possit virginalia et pudicitiæ implere præcepta. Per se enim B castitas blanda est, et quemlibet ad se alliciens. Sed considerandæ sunt vires, ut qui potest capere, capiat. Quasi hortantis vox Domini est, et milites suos ad pudicitiæ præmium concitantis. *Qui potest capere, capiat;* qui potest pugnare, pugnet, superet ac triumphet.

(Vers. 13, 14.) *Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret et oraret. Discipuli autem increpabant eos. Jesus vero ait eis.* Non quo nollent eis Salvatoris et manu et voce benedici; sed quo necdum habentes plenissimam fidem, putarent eum in similitudinem hominum offerentium importunitate lassari.

(Vers. 15.) *Sinite parvulos, et nolite prohibere eos ad me venire : talium est enim regnum cœlorum. Et cum* C *imposuisset eis manus, abiit inde.* Significanter dixit, *talium*, non *istorum :* ut ostenderet non ætatem regnare sed mores; et his qui similem haberent innocentiam et simplicitatem, præmium repromitti. Apostolo quoque in eamdem sententiam congruente : *Fratres nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote : sensu autem ut perfecti sitis* (I *Cor.* XIV, 20).

(Vers. 16.) *Et ecce unus accedens ait illi : Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? Qui dicit ei.* Iste qui **148** interrogat quomodo vitam consequatur æternam, et adolescens, et dives est [*Al.* erat], et superbus; et juxta alium evangelistam, non voto discentis, sed tentantis interrogat (*Marc.* X).

D (Vers. 17.) *Quid me interrogas de bono. Unus est bonus Deus.* Quia [*Al.* Qui] magistrum vocaverat bonum, et non Deum, vel Dei Filium confessus erat, discit quamvis sanctum hominem comparatione Dei non esse bonum, de quo dicitur : *Confitemini Domino, quoniam bonus* (*Ps.* CXVII, 1). Ne quis autem putet in eo quod bonus Deus dicitur, excludi a bonitate Filium Dei, legimus in alio loco : *Pastor bonus ponit*

[a] In uno Palatino, *secundo non nubere præcipitur viro*, corrupte.

[b] Origenis hæc est expositio : *Eunuchi tropice ii dici queunt, qui frigidi sunt in venerem et segnes, et qui se in venereas libidines et obscenitates, iisque similia non effundunt.* Et mox : *Quidam vero adhortationibus ad id, monitisque adducti, abstinentiam a venereis, et omni circa muliebria loca lascivia exercent : non tamen ejusmodi propositi et studii, et laude digni, ut ita dicam, affectus suscipiendi auctor iis fuit Dei verbum, sed hominum, sive qui apud gentiles philosophiæ incubuerunt, sive* prohibentium nubere, abstinere a cibis, *hæreticorum sermones.*

animam suam pro ovibus suis (*Joan.* x). Et in Propheta, Spiritum bonum terramque bonam. Igitur et Salvator non bonitatis testimonium renuit. Sed magistri absque Deo exclusit errorem.

(Vers. 18, 19.) *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. Dicit illi : Quæ ? Jesus autem dixit : Non homicidium facies. Non adulterabis. Non facies furtum. Non falsum testimonium dices. Honora patrem tuum et matrem : et diliges proximum tuum sicut teipsum.* Adolescentem istum tentatorem esse, et ex eo probare possumus, quod dicente sibi Domino, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, rursum fraudulenter interrogat quæ sint illa mandata : quasi aut non ipse legerit, aut Dominus possit Deo jubere contraria.

(Vers. 20.) *Dicit illi adolescens : Omnia hæc custodivi* [a] *a juventute mea, quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus.* Mentitur adolescens. Si enim hoc quod positum est in mandatis : *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, opere complesset, quomodo postea audiens : *Vade, et vende quæ habes, et da pauperibus*, tristis recessit, quia habebat possessiones multas?

(Vers. 21.) *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me.* In potestate nostra est, utrum velimus esse perfecti. Tamen quicumque perfectus esse voluerit, debet vendere quæ habet : et non ex parte vendere, sicut Ananias fecit et Sapphyra (*Act.* v); sed totum vendere : et cum vendiderit, omne dare pauperibus, et sic sibi præparare thesaurum in regno cœlorum. **149** [b] Et hoc ad perfectionem non sufficit, nisi post contemptas divitias Salvatorem sequatur, id est, relictis malis, faciat bona. Facilius enim sacculus contemnitur, quam voluptas. Multi divitias relinquentes, Dominum non sequuntur. Sequitur autem Dominum, qui imitator ejus est, et per vestigia illius graditur. *Qui enim dicit se in Christo credere, debet quomodo ille ambulavit, et ipse ambulare* (1 *Joan.* II, 6).

(Vers. 22.) *Abiit tristis, erat enim habens multas possessiones.* Hæc est tristitia quæ ducit ad mortem. Causaque tristitiæ redditur, quod habuerit multas possessiones, id est, spinas et tribulos, quæ sementem Dominicam suffocaverint.

(Vers. 23.) *Jesus autem dixit discipulis suis : Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regno cœlorum.* Et quomodo Abraham, Isaac, et Jacob divites
A intrarunt in regnum cœlorum (*Genes.* XIII et XXXVI), et in Evangelio Matthæus et Zachæus, divitiis derelictis, Domini testimonio prædicantur? Sed considerandum, quod eo tempore quo intraverunt, divites esse desierunt. Tamdiu ergo non intrabunt, quamdiu divites fuerint. Et tamen quia difficulter divitiæ contemnuntur, non dixit : Impossibile est divites intrare in regnum cœlorum, sed difficile. Ubi difficile ponitur, non impossibilitas prætenditur ; sed raritas demonstratur.

(Vers. 24 seqq.) *Et iterum dico vobis : Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. Auditis autem his, discipuli mirabantur valde, dicentes : Quis ergo poterit salvus esse? Aspiciens autem Jesus, dixit illis : Apud*
B *homines hoc impossibile est, apud Deum autem* **150** *omnia possibilia sunt.* Hoc dicto ostenditur non [c] difficile esse, sed impossibile. Si enim quomodo camelus non potest intrare per foramen acus, sic dives intrare non potest in regna cœlorum, nullus divitum salvus erit. Sed si legamus Isaiam, quomodo cameli Madian et Epha veniant Jerusalem cum donis atque muneribus (*Isa.* LX) : et qui prius curvi erant, et vitiorum pravitate distorti, ingrediantur portas Jerusalem, videbimus quomodo et isti cameli, quibus divites comparantur, cum deposuerint gravem sarcinam peccatorum, et totius corporis pravitatem, intrare possint per angustam portam, et arctam viam, quæ ducit ad vitam (*Supra* VII). [d] Interrogantibus autem discipulis, et admirantibus auste-
C ritatem dicti, *Quis ergo salvus fiet?* clementia sua severitatem sententiæ temperavit, dicens : *Quæ apud homines impossibilia, apud Deum possibilia sunt.*

(Vers. 27.) *Tunc respondens Petrus, dixit ei : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : Quid ergo erit nobis?* Grandis fiducia : Petrus piscator erat, dives non fuerat, cibos manu et arte quærebat : et tamen loquitur confidenter, *Reliquimus omnia.* Et quia non sufficit tantum relinquere, jungit quod perfectum est : *et secuti sumus te.* Fecimus quod jussisti, quid igitur nobis dabis præmii?

(Vers. 28.) *Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tri-*
D *bus Israel.* Non dixit : qui reliquistis omnia, hoc

[a] Verba *a juventute mea*, in Palatin. codd. desiderantur.

[b] Duo Palatini mss., *Nec hoc ad perfectionem sufficit*; moxque omnes, *voluntas*, pro *voluptas*.

[c] Parum abfuit, quin codicum nostrorum lectionem, quam et inferior contextus asserere visus utcumque est, præferremus, *ostenditur non impossibile esse, sed difficile.* Notum vero illud est, camelum, quem hic Hieronymus, vetustiores se Patres secutus, pecudem intelligit, plerosque, maxime recentiores, funem nauticum grossiorem interpretari. Observatum id Theophylacto in hunc Matthæi locum : *Quidam camelum non animal dicunt, sed crassum funem, quo utuntur nautæ ad projiciendas anchoras.* Atque ipsum quidem Syriacum nomen גמל quo facile usus est Christus, utrumque significat camelum, et grande gibberum animal, et crassiorem funem : docetque Aristophanis scholiastes, Græce appellari κάμιλον τὸ παχὺ σχοινίον; denique ex eadem, ut videtur, Syriaca origine, et Italice dicitur *Gomena*. Accedit, quod ipsa videatur comparatio instituta cum iis, quæ acu insuuntur, puta funiculis tenuioribus et filis, non cum abnormi bestia, quæ nullum ferme ad acum respectum habet.

[d] Vetustior Palatinus ms., *Auditis autem his, discipuli mirabantur valde, dicentes : Quis ergo poterit salvus esse? Clementia severitatem sententiæ temperavit*, etc. Duo alii post verba, *salvus fiet?* ita continuant : *Aspiciens autem Jesus cogitationes eorum, dixit : Apud homines hoc impossibile; apud Deum autem omnia possibilia sunt. Clementia sua severitatem*, etc. Utrumque, ut videtur, ex glossatoris ingenio.

enim et [a] Crates fecit philosophus, et multi alii divitias contempserunt; sed qui secuti estis me : **151** quod proprie apostolorum est atque credentium. In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, quando [b] ex mortuis de corruptione resurgent incorrupti, sedebitis et vos in soliis judicantium, condemnantes duodecim tribus Israel : quia vobis credentibus, illi credere noluerunt.

(Vers. 29, 30.) *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.* Locus iste cum illa sententia congruit, in qua Salvator loquitur : *Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem a patre suo, et matrem a filia,* B *et nurum a socru : et inimici hominis domestici ejus* (*Supra* x, 34). Qui ergo propter fidem Christi, et prædicationem Evangelii, omnes affectus contempserint, atque divitias et sæculi voluptates : isti centuplum recipient, et vitam æternam possidebunt. Ex occasione hujus sententiæ, quidam introducunt mille annos post resurrectionem, dicentes tunc nobis centuplum omnium rerum quas dimisimus, et vitam æternam esse reddendam : non intelligentes quod si in cæteris digna sit repromissio, in uxoribus appareat turpitudo; ut qui unam pro Domino dimiserit, et centum recipiat in futuro. Sensus ergo iste est : Qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet : quæ comparatione et merito sui ita erunt, quasi [c] si parvo numero centenarius nu- C merus comparetur. Unde dicit et Apostolus, qui unam tantum domum, et unius provinciæ parvos agros

A dimiserat : *Quasi nihil habentes, et omnia possidentes* (II *Cor.* vi, 10).

(Cap. XX. — Vers. 1 seqq.) *Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, et dixit illis : Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt.* **152** *Iterum autem exiit circa sextam et nonam horam, et fecit similiter. Circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis : Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei : Quia nemo nos conduxit. Dicit illis : Ite et vos in vineam meam. Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo : Voca operarios, et redde illis mercedem; incipiens a novissimis usque ad primos. Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem et primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi : acceperunt autem et ipsi singulos denarios. Et accipientes, murmurabant adversus patremfamilias, dicentes : Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus? At ille respondens uni eorum, dixit.* Parabola ista, vel similitudo regni cœlorum, ex his quæ præmissa sunt, intelligitur. Scriptum est enim ante eam : *Multi erunt primi novissimi, et novissimi primi.* Non [d] tempori deferente Domino, sed fidei. Dicitque patremfamilias primo mane exisse, ut conduceret operarios in vineam suam, et pretium operis constituisse denarium. Deinde egressum circa horam tertiam, vidisse alios stantes in platea otiosos : et illis nequaquam

[a] Erasmus legit *Socrates*; pro *Crates*. Eumdem errorem reperi in omnibus mss. Codicibus quos legi, numero quatuordecim. De quo antiquorum exscriptorum errore hæc habemus observata a Mariano Victorio : Emendavimus Crates pro Socrates, Brixianorum codicum monitu. A Crate enim non a Socrate, qui nec dives fuisse legitur, id factum proditur. Error natus, quod notior ac celebrior esset Socrates quam Crates, et nomen sit fere idem. Hieronymus de Crate multis in locis hoc asserit. Ad Paulinum de institutione monachi : *Crates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit; nec putavit se simul posse et virtutes et divitias possidere.* Item ad Pammachium de Obitu Paulinæ uxoris : *Et tamen non satis perfecto et consummato* D *viro, opes contemnere, pecuniam dissipare, et projicere quod in momento et perdi et inveniri potest. Fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antisthenes, fecerunt plurimi, quos vitiosissimos legimus.* Item ad Lucinum : *Aurum deponere insipientium est, non perfectorum. Fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antisthenes.* Item libro secundo contra Jovinianum : *Et Crates ille Thebanus projecto in mare non parvo auri pondere : Abite, inquit, pessum malæ cupiditates. Ego vos mergam, ne ipse mergar a vobis.* Mart. — Mirum hoc plane est, in nostris omnibus mss. aliisque quatuordecim penes Martianæum, pari depravationis consensu, *Socrates* hic legi, pro *Crates*. Et Victorius quidem ita se ait emendasse Brixianorum codicum monitu, cui asserendæ verissimæ lectioni multa Hieronymi de Cratete testimonia huc congerit. Ejusmodi est illud epist. 58, ad Paulinum : *Crates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit.* Quæ repetit epist. 66, ad Pammachium, et 71, ad Lucinium. Denique et lib. contra Jovinian. ii. *Crates ille Thebanus, projecto in mare non parvo auri pondere : Abite, inquit, pessum malæ cupiditates; ego vos mergam, ne ipse mergar a vobis.* Verum huic stabiliendæ lectioni contra mss. fidem nihil potius sit historica veritate, et Origenis, ex quo totam interpretationem Hieronymus descripsit, sententiam. Et vero de Cratete, non Socrate, hoc tradunt Philostratus lib. i, cap. 10, de Vit., Apoll., Diogenes Laert. lib. vi, Plutarchus περὶ τοῦ μὴ δανείζεσθαι, et demum Suidas, qui aliam contemnendarum opum rationem tenuisse Cratetem D tradit : *Cum enim ipse agros incultos deseruisset, edito loco conscenso, dixit : Cratetem Thebanum Crates libertate donat.* Origenis vero, cui, ut diximus, Hieronymus stricte adhæret, ejusmodi in hunc locum ex Huetii interpretatione sententia est : *Cratetem Thebanum ferunt, cum libertatis consequendæ causa parce et frugaliter vivendi rationem iniisset, seseque beatum Græcis (ut quidem animo fingebat) et nullius indigentem rei præstare vellet, distractas omnes, ac divenditas facultates, Thebanorum populo erogasse, cum simul id prædicasset : Cratetem hodie Crates libertate donat.*

[b] Victorius, *quando et mortui de corruptione*, etc.

[c] In duobus Palatin. *quasi parvo*, expuncta si vocula.

[d] Victorius, *Non tempore differente Domino, sed fide*, etc.

denarium, sed quod justum est fuisse pollicitum. Sexta quoque hora et nona fecisse similiter. Undecima autem invenisse alios stantes, qui tota die otiosi fuerant, et misisse eos in vineam. Cum autem sero factum esset, præcepisse procuratori suo, ut a novissimis inciperet reddere, hoc est, ab operariis horæ undecimæ usque ad operarios horæ primæ; omnesque pariter contra novissimos invidia concitatos, iniquitatem arguisse patrisfamilias. Non quod minus acceperint quam fuerat constitutum, sed quod plus accipere voluerint his, in quos se clementia conductoris effuderat. Mihi videntur primæ horæ esse operarii Samuel, et Jeremias, et Baptista Joannes, qui possunt cum Psalmista dicere: *Ex utero matris meæ Deus meus es tu* (*Ps.* xxi, 11). Tertiæ vero horæ operarii sunt, qui a pubertate servire Deo cœperunt. **153** Sextæ horæ, qui matura ætate susceperunt jugum Christi. Nonæ, qui jam declinante [*Al.* declinant] ad senium. Porro undecimæ, qui ultima senectute: et tamen omnes pariter accipiunt præmium, licet diversus labor sit. Sunt qui hanc parabolam aliter edisserant. Prima hora [a] volunt missum esse in vineam Adam et reliquos patriarchas usque ad Noe; tertia, ipsum Noe usque ad Abraham et circumcisionem ei datam; sexta ab Abraham usque ad Moysen, quando Lex data est; nona, ipsum Moysen et prophetas; undecima, apostolos et gentium populum, quibus omnes invident. Unde hoc ipsum intelligens post horam jam undecimam, cum esset prope solis occasum et ad vesperam, Joannes Evangelista loquitur: *Filioli mei, novissima hora est* (*I Joan.* ii, 13). Et simul considera, quod injustitiam patrisfamilias, quam in undecimæ horæ operariis omnes pariter accusant, in seipsis non intelligunt. Si enim iniquus est paterfamilias, non in uno iniquus est, sed in omnibus: quia non sic laboravit tertiæ horæ operarius, quomodo ille qui a prima hora est missus in vineam. Similiter et sextæ horæ operarius minus laboravit tertiæ horæ operario; et nonæ, sextæ horæ operario. Omnis itaque retro vocatio gentibus invidet, et in Evangelii torquetur gratia. Unde et Salvator concludens parabolam: *Erunt*, inquit *primi novissimi, et novissimi primi*. Quod [b] Judæi de capite vertantur in caudam: et nos de cauda mutemur in caput.

(Vers. 13.) *Amice, non facio tibi injuriam*. Legi in [c] cujusdam libro, amicum istum qui increpatur a patrefamilias, primæ horæ operarium, protoplastum intelligi, et eos qui illo tempore crediderunt.

A *Nonne ex denario convenisti mecum?* Denarius figuram regis habet. Recepisti ergo mercedem quam tibi promiseram, hoc est, imaginem et similitudinem **154** meam: quid quæris amplius; et non tam ipse plus accipere, quam alium nihil accipere desideras, quasi alterius consortio minuatur præmii meritum?

(Vers. 14, 15.) *Tolle quod tuum est, et vade. Volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi: Aut non licet mihi quod volo, facere?* Judæus in Lege non gratia, sed opere salvatur. Qui enim fecerit eam, vivet in ea. Unde dicitur ad eum:

(Vers. 16.) *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Idipsum sonat et illa Lucæ parabola, ubi major filius minori
B invidet, et non vult eum recipi pœnitentem, et patrem accusat injustitiæ. Et ut sciamus hunc esse sensum quem diximus, titulus parabolæ hujus finisque consentiunt. *Sic erunt*, inquit, *novissimi primi, et primi novissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*

(Vers. 17 seqq.) *Et ascendens Jesus Jerosolymam, assumpsit duodecim discipulos suos secreto, et ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et Scribis: et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die resurget.* Crebro hoc ipsum discipulis dixerat: sed quia multis in medio disputatis, poterat labi de memoria quod audierant, iturus Jerosolymam, et se-
C cum ducturus apostolos, ad tentationem eos parat: ne cum venerit persecutio et crucis ignominia, scandalizentur.

(Vers. 20, 21.) *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo.* Unde opinionem regni habet mater filiorum Zebedæi, ut cum Dominus dixerit: *Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et Scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum;* et ignominiam **155** passionis timentibus discipulis annuntiaret, illa postulet gloriam triumphantis? hac, ut reor, ex causa, quia post omnia dixerat Dominus:
D *et tertia die resurget*, putavit eum mulier post resurrectionem illico regnaturum; et hoc quod in secundo adventu promittitur, in primo esse complendum, et aviditate feminea præsentia cupit, immemor futuro-

[a] Imprimis autem Origenes, ex quo et Hilarius desumpsit. *Vide*, inquit ille, *an primum esse ordinem dicere queas, qui ab Adamo simul cum mundi fabricatione initium habuit. Exiit enim primo mane paterfamilias, et, ut ita dicam, Adamum et Evam conduxit, ut pietatis vineam excolerent. Secundum autem ordinem, qui a Noe, et pacto cum eo fœdere censetur. Tertium, qui ad Abramum pertinet, cum quo comprehensa quoque esse, quæ ad Patres ad Mosem usque spectant, intelligendum est. Quartum item ad Mosem, et quæcumque in Ægypto peracta sunt, et Leges in deserto conditas esse referendum. Postremum vero undecimæ circiter horæ ordinem Christi Jesu adventum significare.* Quamquam nec superiorem, quam Hieronymus probat, *de tota hominum vita in parabola per diem expressa*, sententiam Adamantius tacet: quam et plerique recentiores amplexati sunt.

[b] Iisdem pene verbis Origenes: *Gentiles*, inquit, *propter fidem caput efficiuntur; at incredulus Israel propter incredulitatem cauda.*

[c] Facile Origenis tacito nomine librum notat, siquidem ita ille interpretatur: *At paterfamilias uni illorum, ipsi fortasse Adamo dixit: Amice, non facio tibi injuriam*, etc.

rum. Quod autem interrogat Dominus, et, illa petente, respondit : *Quid vis?* non venit de ignorantia : sed ex ejus persona dicitur, qui flagellandus et crucifigendus erat : quomodo et in Hemorrhousa : *Quis me tetigit* (*Luc.* VIII, 45)? Et de Lazaro : *Ubi posuistis eum* (*Joan.* XI, 34)? In veteri quoque Testamento : *Adam, ubi es* (*Gen.* III, 9)? Et : *Descendens videbo si juxta clamorem,* [a] *qui venit ad me, perficiant : sin autem non est, ut sciam* (*Gen.* XVIII, 21). Postulat autem mater filiorum Zebedæi errore muliebri et pietatis affectu, nesciens quid peteret. Nec mirum si ista arguatur imperitiæ; cum de Petro dicatur, quando tria vult facere tabernacula, *nesciens quid diceret* (*Marc.* IX).

(Vers. 22.) *Respondens autem Jesus, dixit : Nescitis quid petatis.* Mater postulat, et Dominus discipulis loquitur, intelligens preces ejus ex filiorum descendere voluntate.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei : Possumus. Calicem in Scripturis divinis passionem intelligimus, [b] juxta illud : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste* (*Matt.* XXVI, 39). Et in psalmo : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*Ps.* CXV, 3 *et seqq.*); statimque infert quis iste sit calix : *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.*

(Vers. 23.) *Ait illis : Calicem quidem meum bibetis : sedere autem ad dexteram meam et sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Quæritur quomodo calicem martyrii filii Zebedæi, Jacobus videlicet et Joannes biberint, cum Scriptura narret Jacobum tantum Apostolum ab Herode capite truncatum (*Act.* XII) : Joannes autem propria morte vitam finierit. Sed si legamus ecclesiasticas historias, in quibus **156** fertur, quod et ipse propter martyrium sit missus in ferventis olei dolium, et inde ad suscipiendam coronam Christi athleta processerit, statimque relegatus in Pathmos insulam sit, videbimus martyrio animum non defuisse, et bibisse Joannem calicem confessionis : quem et tres pueri in camino ignis biberunt (*Dan.* III), licet persecutor non fuderit sanguinem. Quod autem dicit : *sedere ad dextram meam et sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo,* sic

A intelligendum est : Regnum cœlorum non est dantis, sed accipientis. Non est enim acceptio personarum apud Deum (*Act.* X, 34) : sed quicumque talem se præbuerit ut regno cœlorum dignus fiat, hic accipiet, quod non personæ, sed vitæ paratum est. Si itaque tales estis qui consequamini regnum cœlorum, quod Pater meus triumphantibus et victoribus præparavit, vos quoque accipietis illud. Alii de Moyse et Elia dictum volunt : quos paulo ante in monte cum eo viderant loquentes : sed mihi nequaquam videtur. Ideo enim sedentium in regno cœlorum vocabula non dicuntur; ne paucis nominatis, cæteri putarentur exclusi.

(Vers. 24.) *Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.* Decem apostoli non indignantur B matri filiorum Zebedæi, nec ad [c] mulieris audaciam referunt postulantis; sed ad filios, quod ignorantes mensuram suam, immodica cupiditate exarserent, quibus et Dominus dixerat : *Nescitis quid petatis.* Subintelligitur autem vel ex responsione Domini, vel ex indignatione apostolorum, quod filii matrem immiserint ad grandia postulanda.

(Vers. 25 seqq.) *Jesus autem vocavit eos ad se, et ait : Scitis quia principes gentium dominantur eorum; et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos : sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* Humilis magister et mitis, nec cupiditatis immodicæ duos [*Al.* suos] arguit postulantes; nec decem reliquos indignationis C increpat et livoris, sed tale ponit **157** exemplum, quo doceat eum majorem esse, qui minor fuerit, et illum dominum fieri, qui omnium servus sit. Frustra igitur aut illi immoderata quæsierint : aut isti dolent super majorum desiderio : cum ad summitatem virtutum non potentia, sed humilitate veniatur. Denique sui proponit exemplum, ut si dicta parvipenderent, erubescerent ad opera, et dicit :

(Vers. 28.) *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Nota, quod crebro diximus, eum qui ministrat, appellari Filium hominis.

Et dare animam suam redemptionem pro multis. Quando formam servi accepit, ut pro mundo sanguinem funderet (*Philipp.* II). Non dixit animam suam redemptionem dare pro [d] omnibus, sed pro

[a] Interserunt nostri mss. *suum*, et in Græco quidem ipso textu additur *αὐτῶν*.

[b] Totidem et Scripturæ loca in hanc sententiam laudat Origenes, et iisdem fere loquitur verbis : *Ut, inquit, martyrium bis significari probetur, non eo solum loco utetur aliquis,* Pater, si possibile est, transfer a me calicem hunc... *Verum et illo qui in psalmo centesimo decimo quinto exstat.* Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. *Statimque :* Pretiosa in conspectu Domini, etc. Hanc ipsam interpretationem arripuere S. Hilarius, et ab eo plerique.

[c] Tres Palatini mss., *nec ad mulierem audaciam referunt postulati; sed,* etc., fortasse rectius. Uno verbo *postulationis*, Rhabb. abludit.

[d] Cave ex hoc Hieronymi loco subsidium arcessi D posse existimes Prædestinantium hæresi, qui Christum pro aliquibus dumtaxat hominibus, non pro omnibus singulisque mortem obiisse pronuntiant. Sic autem intelligito Catholicam ab eo teneri sententiam, ut Christum dicat pro omnibus quidem plane hominibus animam suam redemptionem dedisse; sed eo beneficio speciatim credentes demereri voluisse, eamque salutem, quam reliquis quibuscumque morte sua peperit, præcipuo quodam modo fidelibus optare, deque ea illis conferenda sollicitum esse. Et ne putes benigna interpretatione S. Patris hic verba in lapsum prona excipi, scias de Scripturæ eum consuetudine loqui, quæ eodem explicandæ sunt modo, ut est illud Joan. III. 16 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et hæc Pauli I, Tim. IV, 10 :

multis, id est, pro his qui credere voluerint.

(Vers. 19 seqq.) *Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa. Et ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt quia Jesus transiret; et clamaverunt, dicentes: Domine, miserere nostri, fili David. Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miserere nostri, fili David.* Multi latrones erant in Jericho, qui egredientes et descendentes de Jerusalem, [a] interficere et vulnerare consueverant: idcirco Dominus venit Jericho cum discipulis suis, ut liberet vulneratos, et multam turbam secum trahat. Denique postquam egredi volunt ab Jericho, secuta est eum turba multa. Si mansisset Jerosolymis, et numquam ad humilia descendisset, turba usque hodie sederet in tenebris, et in umbra mortis. **158** Sed et duo cæci erant juxta viam. Cæcos appellat qui necdum dicere poterant: *In lumine tuo videbimus lumen* (*Ps.* xxxv, 10). Secus viam, quia videbantur quidem Legis habere notitiam: sed viam, quæ Christus est, ignorabant: quos plerique Pharisæos intelligunt et Sadducæos, alii vero utrumque populum, et veteris Testamenti et novi: quod alter scriptam Legem, alter naturalem sequens, sine Christo cæcus erat. Hi quia per se videre non poterant, audierunt præconia Salvatoris; et confessi sunt filium David. Sin autem uterque cæcus refertur ad populum Judæorum, hoc quod [b] sequitur, *Increpabat eos turba*, super ethnicis intelligendum est: quos Apostolus monet ne glorientur, et superbiant contra radicem suam (*Rom.* xi); sed cum ipsi errore priorum inserti fuerint ex oleastro in bonam olivam, nequaquam debeant invidere priorum saluti. *Miserere nostri, fili David.* Increpantur a turbis, et nihilominus non tacent: sed crebrius idipsum ingeminant, ut desiderium plenum veræ lucis ostendant.

(Vers. 32, 33.) *Et stetit Jesus, et vocavit eos, et ait:* A *Quid vultis ut faciam vobis? Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri.* Cæci erant, quo pergerent ignorabant, et sequi non poterant Salvatorem. Multæ foveæ in Jericho, multæ rupes et prærupta in profundum vergentia: idcirco Dominus stat, ut venire possint et vocari jubet, ne turbæ prohibeant: et interrogat quasi ignorans quid velint, ut ex responsione cæcorum manifesta **159** debilitas pateat, et virtus ex remedio cognoscatur.

(Vers. 34.) *Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum: et confestim viderunt, et secuti sunt eum.* Tangit oculos, et præstat artifex quod natura non dederat. Aut certe quod debilitas tulerat, donat misericordia. Statimque viderunt, et secuti sunt eum. Qui ante in Jericho contracti sedebant, et clamare B tantum noverant, postea sequuntur Jesum, non tam pedibus quam virtutibus.

(Cap. XXI. — Vers. 1 seqq.) *Et cum appropinquasset Jerosolymis, et venisset Bethphage ad montem Oliveti, tunc Jesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est: et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea: solvite et adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite: Quia Dominus his opus habet: et confestim dimittet eos.* Egreditur de Jericho, turbis eductis inde quamplurimis, et cæcis reddita sanitate, appropinquat Jerosolymis, magnis ditatus mercibus: salute credentium reddita, ingredi cupit urbem pacis, et locum visionis Dei, et arcem [c] speculatorii. Cumque appropinquaret Jerosolymis, et venisset Bethphage ad *domum* C *maxillarum* (qui sacerdotum viculus erat, et confessionis portabat typum; et erat situs in monte Oliveti, ubi lumen scientiæ, ubi laborum et dolorum requies), misit duos discipulos suos, [d] θεωρητικὸν καὶ ἐργαστικὸν, id est, *scientiam et operam*, ut ingrederentur castellum. Dixitque eis: *Ite in castellum quod contra vos est.* Contra apostolos enim erat, nec ju-

Speravimus in Deum vivum, qui est Salvator omnium, maxime fidelium: quæ sapientissime juxta Catholicam fidem Auctor libri de Vocat. Gent., cap. 31, aliique passim exponunt. Alioquin videas hunc Hieronymi locum ab aliis certatim laudari Ecclesiasticæ fidei scriptoribus, eumque hæreticis, quasi propugnaculum objici. Servatus Lupus *in Collectaneo de tribus Quæstionibus*, cum ejus hæc verba recitasset, subinfert: *Cautissime Doctor celeberrimus vidit, de qualibuscumque fidelibus intelligendum propter illud: Peribit in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est.* D Observatque Bedam iisdem hisce Hieronymi verbis usum in Explanatione Marci lib. iv, cap. 10. Exaggerat vero in epist. ad Carolum Calvum regem, ubi doceri vult abs Hieronymo, *ea expositione juxta fidem catholicam solos fideles esse intelligendos, sive in gratia permansuros, sive ab ea suo vitio recessuros.* Minime vero ita Hieronymus sentit: qui conceptis verbis profitetur, formam servi Christum accepisse, *ut pro mundo* (absolute) *sanguinem funderet*; et quod ait Evangelista, *dare animam suam redemptionem pro multis*, ad specialem transfert in fideles bonitatem, *qua*, ut Prosper ait, *ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei divinitus inspiratæ ad summam atque æternam salutem specialibus beneficiis provehatur.* Ingeniose Theophilactus illud *multis*, pro *omnibus* explicat. Οἱ γὰρ, inquit, πάντες, πολλοί. *Omnes enim, multi sunt.* Et Euthymius: *Multis autem dicit nunc pro omnibus. Frequenter enim Scriptura dicit multos pro omnibus. Itaque pro omnibus tradit animam suam, omnesque redemit: quamquam multi sua sponte in servitute remanserint.*

[a] Tres Palat. mss., *descendentes de Jerosolymis in Jericho interficere*, etc.

[b] Ita Origenes pridem: *Duos*, inquit, *cæcos dicemus Israelem et Judæos ante Christi adventum .... sedentes secus viam, quod in Lege ac prophetis commorarentur; cæcos quidem quod ante Christi in ipsorum animas adventum veros et legitimos in Lege ac prophetis comprehensos sensus minime intuerentur.*

[c] Plures mss., *arcem speculatoris.* Porro Bethphage, *domum maxillarum*, ex Origene S. Pater interpretatur: ipse enim suo sensu lib. de Nom. Hebr. *Bethphage*, ait, *domus oris vallium, vel domus buccæ. Syrum est, non Hebræum. Quidam putant domum maxillarum vocari.* Vide quæ in eo libro ad hanc vocem observamus: Epistolam quoque in nostra recensione 108, ubi *Bethphage, villam sacerdotalium maxillarum* vocat. Rhabb. *speculatoris.*

[d] Quas ab Erasmo et Victorio confictas dicit Martianæus Græcas voces, θεωρητικὸν καὶ πρακτικὸν, nostri quoque præferunt mss. pro θεωρητικὸν καὶ ἐργαστικὸν, quas non improbo. Ex his unus Palatinus Latinis litteris, *Theoreticen et Practicen.*

gum doctrinarum volebat accipere. *Et statim*, inquit, A *invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea : solvite et adducite mihi*. Alligata erat asina multis vinculis peccatorum. Pullus quoque lascivus, et frenorum impatiens **160** cum matre, secundum Evangelium Lucæ (*Cap.* XIX), [a] multos habebat dominos, non uni errori et dogmati subditus : et tamen multi domini qui sibi potestatem illicitam vindicabant, videntes verum Dominum, et servos ejus venisse, qui ad solvendum missi fuerant, non audent resistere. Quæ sit autem asina, et pullus asinæ, dicemus in subditis.

(Vers. 4, 5.) *Hoc autem factum est, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam, dicentem : Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum filium subjugalis*. Hoc in propheta B Zacharia scriptum est : de quo plenius, si vitæ spatium fuerit, in suo dicetur loco. Nunc stringendum breviter, quod secundum litteram in parvo itineris spatio super utrumque animal sedere non quiverit. Aut enim sedit asinæ, et pullus absque sessore fuit : aut si pullo, quod magis competit, usus est ad sedendum, asina ducta est libera. Ergo cum historia vel impossibilitatem habeat, vel turpitudinem, ad altiora transmittimur : ut asina [b] ista quæ subjugalis fuit, et edomita, et jugum legis traxerat, Synagoga intelligatur; pullus asinæ, lascivus et liber, Gentium populus, quibus sederit Jesus, et missis ad eos [c] duobus discipulis suis, uno in Circumcisionem, et altero in Gentes.

(Vers. 6, 7.) *Euntes autem discipuli, fecerunt sicut* C *præcepit illis Jesus. Et adduxerunt asinam et pullum : et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt*. Pullus iste et asina, quibus apostoli sternunt vestimenta sua, ut Jesus mollius sedeat, ante adventum Salvatoris nudi erant, multisque sibi in eos dominatum vindicantibus, absque operimento frigebant. Postquam vero suscepere apostolicas vestes, pulchriores effecti, Dominum habuere sessorem. [d] Vestis autem apostolica, **161** vel doctrina virtutum, vel edissertio Scripturarum intelligi potest, sive Ecclesiasticorum dogmatum varietates : quibus nisi anima instructa fuerit et ornata, sessorem habere Dominum non meretur.

(Vers. 8.) *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via*. Videte differentiam uniuscujusque personæ. Apostoli vestimenta sua super asinum ponunt, turba quæ vilior est, substernit pedibus asini ; necubi offendat in lapidem, ne calcet spinam, ne labatur in foveam.

Alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via. De arboribus frugiferis, quibus mons Oliveti consitus est, cædebant ramos, sternebantque in via : ut prava recta facerent, et æquarent inæqualia : quo rectius atque securius in corde credentium, Christus, dæmonum atque vitiorum victor incederet.

(Vers. 9.) *Turbæ autem quæ præcedebant, et quæ sequebantur, clamabant, dicentes : Osanna filio David : benedictus qui venit in nomine Domini ; osanna in excelsis*. Quia manifesta est historia, spiritualem sequamur ordinem disserendi. Turbæ quæ egressæ fuerant de Jericho, et secutæ sunt Salvatorem ac discipulos ejus, postquam pullum asinæ solutum viderunt (qui ante ligatus fuerat) et apostolorum vestibus exornatum, et sedentem super eum Dominum Jesum, supposuerunt vestimenta sua, et straverunt viam ramis arborum. Cumque opere cuncta fecissent, vocis quoque tribuunt testimonium : et præcedentes [e] atque sequentes non brevi atque silenti confessione, sed clamore plenissimo resonant : *Osanna* [f] *filio David, benedictus qui venit in nomine Domini*. Quod autem dicit : *Turbæ quæ præcedebant et quæ sequebantur*, utrumque ostendit populum, et qui ante Evangelium, et qui post Evangelium Domino crediderunt, consona Jesum confessionis voce laudare : et secundum superioris parabolæ exemplum diversarum horarum operarios, unum fidei accipere præmium. Porro quod sequitur : *Osanna filio David*, quid significet, **162** et ante annos plurimos in brevi epistola [g] ad Damasum, tunc Romanæ urbis episcopum, dixisse memini ; et nunc perstringam breviter. In centesimo decimo septimo psalmo, qui manifeste de adventu Salvatoris scri-

[a] Unus Palatin. verba, *qui sibi potestatem illicitam vindicabant*, huc transfert, quæ tertio abhinc versu habes. Mox pro *subditus*, legebatur olim *subditos*. Verum ait, Victor., pullus asinæ, quo gentium populus significatur, propterea multos habuisse dominos D dicitur, quod ipse non uno tantum errore, unoque dogmate teneretur obnoxius ; sed multis erroribus, dogmatibusque subditus esset : multos dominos multos vocans errores.

[b] Erudite hæc transtulit ex Adamantio, cujus hæc verba sunt : *Vide enim annon hæc Servatoris symbola sint per discipulos jumenta sua, vinculis exsolventis, eos videlicet, qui tunc de populo hoc, quoque a gentibus fidem professi sunt : peccatis enim astricta erat, et alligata antiqua synagoga : alligatus quoque erat una cum ea pullus, populus nimirum e gentibus novissime conflatus, et utrumque qua ad superbam Jeresolymam ascensus patet cum accederet Sospitator a discipulis præcepta tradentibus solvi jussit, dato iis per hæc verba Spiritu sancto : Accipite Spiritum sanctum*, etc.

[c] Hoc quoque ipsum hausit ex Origene, qui *duos*, ait, *discipulos si interpreteris anagogice, dices unum quidem esse ordinem eorum, qui ministrant circumcisis : alterum autem, qui gentibus*.

[d] Conferendus hic rursum Origenes, in eumque Huetii annotatio.

[e] Origenes pridem, *Non alia*, inquit, *præcedentes, alia vero subsequentes dicebant ; uno enim ore haud secus ac concors et consonus chorus clamabant omnes, et Servatoris humanitatem his verbis celebrabant : Osanna filio David*, etc.

[f] Promiscue in mss. *Osianna* legitur, et *Osanna* : tres autem Palatini, pro, *qui venit*, hic atque infra, *qui venturus est*, præferunt.

[g] Epistola in nostra recensione 20 sub initium anni 383 data, quam hic recolere operæ pretium sit. Confer quoque Origenem, ex quo bonam subnexæ dissertationis de *Osanna* partem S. Doctor expressit.

plus est, inter cætera hoc quoque legimus : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud* [Al. *et*] *hoc est mirabile in oculis nostris. Hæc est dies quam fecit Dominus, exsultemus, et lætemur in ea.* Statimque jungitur : *O Domine, salvum me fac : O domine,* [a] *bene prosperare. Benedictus qui venit in nomine Domini : benediximus vobis de domo Domini*, et cætera (*Psal.* CXVII, 22 *seqq.*). Pro eo quod habetur in Septuaginta interpretibus ; ὦ κύριε, σῶσον δὴ, id est, *o Domine, salvum fac ;* in Hebræo legimus : ANNA ADONAI OSIANNA (אנא יהוה הושיעה־נא), quod manifestius interpretatus est Symmachus dicens : *Obsecro, Domine, salvum,* [b] *fac, obsecro.* Nemo ergo putet ex duobus verbis, Græco videlicet, et Hebræo, sermonem esse compositum, sed totum Hebraicum : et B significare quod adventus Christi salus mundi sit. Unde et sequitur : *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Salvatore quoque id ipsum in Evangelio comprobante : *Ego veni in nomine Patris mei, et non me recepistis. Alius veniet in nomine suo, et recipietis eum* (*Joan.* V, 4). Necnon quod jungitur, *Osanna*, id est, *salus in excelsis*, perspicue ostenditur, quod adventus Christi non tantum hominum salus, sed totius mundi sit : terrena jungens cœlestibus : *Ut omne genu ei flectatur* [Al. *flectat*], *cœlestium, terrestrium, et infernorum* (*Philipp.* II, 10).

(Vers. 10.) *Et cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens : Quis est hic ? Populi* [Al. *Multi*] *autem dicebant.* Introeunte Jesu cum turba tota, Jerosolymorum civitas commovetur, C mirans frequentiam, nesciens veritatem, et dicens : *Quis est hic ?* Quod quidem in alio loco dicentes angelos legimus : *Quis est iste rex gloriæ* (*Ps.* XXIII, 8) ? Aliis autem vel ambigentibus, vel interrogantibus, vilis plebecula confitetur : a minoribus incipiens, ut ad majora perveniat, et dicit :

163 *Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ.* Propheta, quem et Moyses similem sui dixerat esse venturum, et qui proprie apud Græcos cum [c] arthro scribitur. [d] A Nazareth autem Galilææ, quia ibi A educatus fuerat : [e] ut flos campi nutriretur in flore virtutum.

(Vers. 12, 13.) *Et intravit Jesus in templum Dei : et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo, et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit. Et dixit eis : Scriptum est : Domus mea, domus orationis vocabitur : vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Comitatus Jesus turba credentium (quæ vestimenta sua ut illæso pede pullus incederet, straverat), ingreditur templum, et ejicit omnes qui vendebant et emebant in templo : mensasque nummulariorum subvertit, et cathedras vendentium columbas dissipavit, dixitque eis, de Scripturis sanctis testimonium proferens (*Isai.* LVI) : quod domus Patris ejus, orationis domus esse deberet, non spelunca latronum, vel domus negotiationis (*Jerem.* VII) : sicut in alio Evangelista scriptum est (*Joan.* II). Ex hoc primum sciendum, quod juxta mandata Legis augustissimo in toto orbe templo Domini, et de cunctis pene regionibus Judæorum illuc populo confluente, innumerabiles immolabantur hostiæ, maxime festis diebus, taurorum, arietum, hircorum : pauperibus ne absque sacrificio essent, pullos columbarum, et turtures offerentibus : accidebat plerumque, ut qui de longe venerant, non haberent victimas. Excogitaverunt igitur sacerdotes, quomodo prædam de populo facerent, et omnia animalia quibus opus erat ad sacrificia, vendebant, ut et venderent non habentibus, et ipsi rursum empta susciperent. Hanc stropham eorum crebra venientium inopia dissipabat, qui indigebant sumptibus, et non solum **164** hostias non habebant, sed ne unde emerent quidem aves et vilia munuscula. Posuerunt itaque et nummularios qui mutuam sub cautione darent pecuniam. Sed quia erat Lege præceptum (*Levit.* XXV, et *Deut.* XXIII), ut nemo usuras acciperet, et prodesse non poterat pecunia fenerata, quæ commodi nihil haberet, et interdum sortem perderet, excogitaverunt et aliam technam, ut pro nummulariis, [f] *Collybistas* facerent, cujus verbi proprietatem Latina lingua non exprimit. *Collyba*

[a] Vocem *bene*, quidam mss. ignorant.

[b] Aliquot mss. interserunt *me*. Paulo post pro *sermonem*, legebatur *sermone*. Levia id genus subinde taciti castigamus.

[c] Id est, *cum articulo*. Alii codices, *cum asterisco* : alii, *cum martyrio*, quam fere secuti sunt lectionem Erasmus, et Victorius legentes cum τοῦ ἄρτρου μαρτυρίᾳ, id est, *cum articuli testimonio*. D

[d] Plura non retinent mss. codices ; editi ante nos libri sic legunt, *et qui proprie apud Græcos scribitur cum τοῦ ἄρθρου μαρτυρίᾳ, id est, cum articuli testimonio*, etc., quæ mihi videntur Erasmianæ compositionis, et non Hieronymiani contextus. MART.

[e] Hunc omittit Victorius versum, *ut flos campi*, etc.

[f] De Collybistis diximus ad lexicon Origenian. in notis : neque his contrarius est Hieronymus, quia ipse non loquitur de *Collybo*, qui erat species numismatis, unde et *Collybistæ* dicti sunt ; sed de munusculis quæ Collybistæ accipiebant pro usuris, quando pecuniam, id est, *Collybos*, fenerati erant. Nummi itaque fenerati dicebantur *Collybi*, et munera data pro illis appellabantur *Collyba*. Certe *Collibus* est quod nummulario datur pro commutanda pecunia. Vide lexica Græca. MART. — Aliam a vulgo recepta apud veteres Scriptores sententiam hic propugnat Hieronymus, dum Collybistas eos fuisse tradit, qui pecuniam fenori dantes pro usura, quæ lege prohibebatur, vilia munuscula exigerent. Qua in re unus quod sciam ei favet Hesychius ab Huetio laudatus, ubi κόλλυβα, τρώγαλια : *collyba, bellaria, frixum cicer.* Nam proprie idem ipse Hesychius, κόλλυβος interpretatur, εἶδος νομίσματος, καὶ ὁ ἐν τῷ χαλκῷ κεχαραγμένος βοῦς : *species numismatis, in cujus ære imago bovis erat impressa*, cui et Pollux et Suida, vetustiorumque Scriptorum Glossatores in hoc maxime consentiunt, ut collybum pro vilis nummuli genere accipiant. Aristophanes, οὐδὲ κολλύβου, *ne collybo quidem*, emendam falcem dixit ; et Callimachus, ut summam annonæ apud inferos vilitatem exaggeraret, βοῦν, ait, κολλύβῳ πιπρήσκουσι, *bovem collybo divendunt.* Exinde Collybistæ, nummularii, qui pretiosa numismata vilioribus permutarent, quam artem ipse Pollux ἀλλαγήν, nos eodem sensu *Cambium* dicimus. Et vero ipse Origenes, a quo multam expositionis

dicuntur apud eos, quæ nos appellamus *tragemata*, A vel vilia munuscula. Verbi gratia, frixi [*Al.* fricti] ciceris, uvarumque passarum, et poma diversi generis. Igitur quia usuras accipere non poterant Collybistæ, qui pecuniam fenerati erant, pro usuris accipiebant varias species, ut quod in nummo non licebat, in his rebus exigerent quæ nummis coemuntur, quasi non hoc ipsum Ezechiel [a] prædicaverit, dicens : *Usuram et superabundantiam non accipietis* (*Ezech.* XXII, 12). Istiusmodi Dominus cernens in domo Patris negotiationem seu latrocinium, ardore spiritus concitatus (juxta quod scriptum est in sexagesimo octavo psalmo (*Vers.* 10) : *Zelus domus tuæ comedit me*), fecit sibi flagellum de funiculis, et tantam hominum multitudinem ejecit de templo, dicens : *Scriptum est : Domus mea, domus orationis* B *vocabitur : vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Latro enim est, et templum Dei in latronum convertit specum, qui lucra de religione sectatur, cultusque ejus non tam cultus Dei quam negotiationis occasio est. Hoc juxta historiam : cæterum secundum mysticos intellectus, quotidie Jesus ingreditur templum Patris, et ejicit omnes [b] tam episcopos et presbyteros et diaconos, quam laicos, et universam turbam de Ecclesia sua, et unius criminis habet vendentes pariter et ementes. Scriptum est enim : *Gratis accepistis, gratis date.* **165** Mensas quoque nummulariorum subvertit. Observa, propter avaritiam sacerdotum, altaria Dei nummulariorum mensas appellari. Cathedrasque vendentium columbas C evertit, qui vendunt gratiam Spiritus sancti, et omnia faciunt, ut subjectos populos devorent, de quibus dicit [*Al.* dicitur] : *Qui devorant populum meum sicut escam panis* (*Ps.* XIII, 4). Juxta simplicem intelligentiam, columbæ non erant in cathedris, sed in caveis, nisi forte columbarum institores sedebant in cathedris. Quod penitus absurdum est, quia in cathedris, magistrorum magis dignitas indicatur, quæ ad nihilum redigitur, cum mixta fuerit lucris. Quod de Ecclesiis diximus, unusquisque de se intelligat. Dicit enim Apostolus : *Vos estis templum Dei, et Spiritus sanctus habitat in vobis* (I *Cor.* VI, 15, *et* II *Cor.* III, 16). Non sit in domo pectoris nostri negotiatio, non ementium vendentiumque commercia, non donorum cupiditas, ne ingrediatur Jesus iratus et rigidus, et non aliter mundet templum suum, nisi flagello adhibito, ut de spelunca latronum, et de domo negotiationis, domum faciat orationis.

(Vers. 14.) *Et accesserunt ad eum cæci et claudi in templo, et sanavit eos.* Nisi mensas nummulariorum evertisset, cathedrasque columbas vendentium, cæci et claudi lucem pristinam, et concitum gradum non meruissent recipere.

(Vers. 15.) *Videntes autem principes sacerdotum et Scribæ mirabilia quæ fecit, et pueros clamantes in templo, et dicentes : Osanna filio David, indignati sunt, et dixerunt ei : Audis quid isti dicunt?* Plerique arbitrantur maximum esse signorum, quod Lazarus suscitatus est (*Joan.* XI), quod cæcus ex utero lumen acceperit (*Joan.* IX), quod ad Jordanem vox audita sit Patris (*Joan.* III), quod transfiguratus in monte gloriam ostenderit triumphantis (*Matth.* XVII). Mihi inter omnia signa quæ fecit hoc videtur [c] mirabilius esse, quod unus homo, et illo tempore contemptibilis, et intantum vilis **166** ut postea crucifigeretur, Scribis et Pharisæis contra se sævientibus, et videntibus lucra [d] sua destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, mensasque subvertere, et cathedras confringere, et alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus. Igneum enim quiddam [e] atque sidereum radiabat ex oculis ejus, et divinitatis majestas lucebat in facie. Cumque manum non audeant injicere sacerdotes, tamen opera calumniantur, et testimonium populi atque puerorum qui clamabant, *Osanna filio David*, vertunt in calumniam : quod videlicet hoc non dicatur nisi soli Filio Dei. Videant ergo episcopi, et quantumlibet sancti homines, cum quanto periculo [f] dici ista sibi patiantur [*Al.* patiuntur], si Domino cui vere hoc dicebatur, quia necdum erat solida credentium fides, pro crimine impingitur.

(Vers. 16.) *Jesus autem dicit eis : Utique. Numquam legistis, quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?* Quam moderate [g] sententiam temperat, et responsio utrimque vergens, et calumniæ non patens? Non dixit quod Scribæ audire cupiebant, bene faciunt pueri, ut mihi testimonium perhibeant,

suæ partem mutuatus est S. Pater, eos appellat *Collybistas, qui probam pecuniam vilibus, ac nullius pretii nummulis commutant, ut eos, quorum nummos permutant, afficiant damno.* Credo equidem, non tantum ex vilioris æris permutatione, quam quod certam præterea mercedem in suum emolumentum de capite deducerent, quod Hieron. notat. D

[a] Lege, cum Rhabbano, *præcaverit.*

[b] Pleramque subnexæ interpretationis partem ex Origene de more Hieronymus delibavit.

[c] Idem et Origeni visum est, qui *hanc non minimam inter portentosas Jesu virtutes fuisse, argumentis probasse* se, testatur alibi in Commentar. in Joannem : *Quia cum pro fabri filio haberetur, ea tamen usus est confidentia et auctoritate, in publico cœtu e templo eos deturbans, de quibus scriptum est. Qua potestate utens, ipse nationis princeps, id non facile perfecisset, quod a Jesu actum est.*

[d] Voculam *sua* mss. nostri sufficiunt.

[e] Diximus hac de re, cum alibi, tum paulo superius in cap. IX, vers. 9.

[f] Hunc acclamandi Osanna episcopis sanctisque viris morem alibi Martianæus in Comment. ad lib. Nom. Hebr. notat ex Itinerario Jerosolymitano Antonini monachi, pag. 30. *Ibi*, inquit, *venerunt mulieres in occursum cum infantibus, palmas in manibus tenentes, et ampullas cum rosaceo oleo : et prostratæ pedibus nostris plantas nostras ungebant, cantabantque lingua Ægyptiaca, psallentes antiphonam :* Benedicti vos a Domino, benedictusque adventus vester, Osanna in excelsis. Cæterum et Origenes frequens in eo est in hac expositione, ut a templi sacerdotibus ad Ecclesiæ episcopos ac ministros, vitia comparans, et ad vivum resecans, transeat.

[g] Palat. mss., *sententia temperata.*

nec rursum, errant : pueri sunt, debetis ætati ignoscere; sed profert exemplum de octavo psalmo, ut, tacente Domino, Scripturarum testimonium puerorum dicta firmaret.

(Vers. 17.) *Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit.* Reliquit incredulos, et urbem egressus contradicentium, ivit *Bethaniam*, quod interpretatur *domus obedientiæ*, jam tunc vocationem gentium præfigurans, ibique mansit, quia in Israel permanere non potuit. Hoc quoque intelligendum est, quod tantæ fuerit paupertatis, et ita nulli adulatus sit, ut in urbe maxima nullum hospitem, nullam invenerit mansionem, sed in agro **167** parvulo apud Lazarum sororesque ejus habitaret : eorum quippe vicus Bethania est.

(Vers. 18, seqq.) *Mane autem revertens in civitatem, esuriit. Et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea, nisi folia tantum. Et ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum, et arefacta est continuo ficulnea. Et videntes discipuli mirati sunt, dicentes : Quomodo continuo aruit?* Discussis noctis tenebris, matutina luce radiante, et vicina meridie, in qua Dominus passione sua illustraturus erat orbem, cum in civitatem reverteretur, esuriit, vel veritatem humanæ carnis ostendens, vel esuriens salutem credentium, et æstuans ad incredulitatem Israelis. Cumque vidisset arborem unam (quam intelligimus [a] Synagogam, et conciliabulum Judæorum) juxta viam : habebat enim Legem, et ideo juxta viam erat, quia non credebat in viam, venit ad eam, stantem scilicet et immobilem, et non habentem Evangelii pedes : nihilque invenit in ea, nisi folia tantum, promissionum strepitum, traditiones Pharisaicas, et jactationem Legis, et ornamenta verborum absque ullis fructibus veritatis. Unde et alius evangelista dicit : *Nondum enim erat tempus* (*Marc* x. 13); sive quod tempus nondum venerat salvationis Israel, eo quod nondum Gentilium populus subintrasset, sive quod præterisset tempus fidei, quia ad illum primum veniens, et spretus, transisset ad nationes. *Et ait illi : Numquam ex te fructus nascatur*, vel *in sempiternum*, vel *in sæculum :* utrumque enim αἰών [*Al.* αἰῶνα] Græcus sermo significat. Et arefacta est ficulnea, [b] quæ esuriente Domino, cibos quos ille cupierat, non habebat. Sic autem aruerunt folia, ut truncus ipse remaneret, et fractis ramis, vireret [*Al.* viveret] radix, quæ in novissimo tempore si credere voluerit, virgulta fidei pullulet, impleaturque Scriptura, dicens : *Est arbori spes* [*Job* XIV, 7]. Juxta litteram autem Dominus passurus in populis, et bajulaturus scandalum crucis, debuit discipulorum animos signi anticipatione firmare. Unde et discipuli mirantur, dicentes : *Quomodo continuo aruit?* **168** Potuit ergo Salvator

A eadem virtute etiam inimicos siccare suos, nisi eorum per pœnitentiam exspectasset salutem.

(Vers. 21, 22.) *Respondens autem Jesus, ait eis : Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis ; sed et si monti huic dixeritis : Tolle* [c] *et jacta te in mare, fiet. Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Latrant contra nos Gentilium canes in suis voluminibus, quæ in impietatis propriæ memoriam reliquerunt, asserentes apostolos non habuisse fidem, quia montes transferre non potuerint. Quibus nos respondebimus, multa facta esse signa a Domino, juxta Joannis Evangelistæ testimonium, quæ scripta essent, mundus capere non posset (*Joan.* XXI, 25). Non quo mundus volumina capere non

B potuerit, quæ potest, quamvis multiplicia sint, unum armariolum, vel unum capere scrinium : sed quod magnitudinem signorum præ miraculis et incredulitate ferre non possit. Igitur et hæc credimus fecisse apostolos, sed ideo scripta non esse, ne infidelibus contradicendi major daretur occasio. Alioquin interrogemus eos, utrum credant his signis, quæ scripta narrantur, an non. Et cum incredulos viderimus, consequenter probabimus, nec majoribus eos credituros fuisse, qui minoribus non crediderint. Hoc adversum illos. Cæterum nos, ut ante jam diximus, montem diabolum intelligamus superbientem, et jactantem se contra Creatorem suum, [d] qui a propheta mons corruptus appellatur. Et cum animam hominis possederit, et in ea fuerit radicatus, ab

C apostolis, et his qui similes apostolorum sunt, transferri potest in mare, hoc est, in loca salsa, et fluctuantia, et amara, quæ nullam habent dulcedinem Dei. [e] Idipsum et in Psalmis legitur : *Non timebimus dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris* (*Ps.* XLV, 2).

(Vers. 23.) *Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum et seniores populi, dicentes : In qua potestate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc potestatem?* Diversis verbis eamdem quam supra calumniam struunt, quando **169** dixerunt : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit hic dæmonia.* Quando enim dicunt : *In qua potestate hæc facis?* de Dei dubitant potestate, et subintelligi volunt diaboli esse quod faciat. Addentes quoque :

D *Quis tibi dedit hanc potestatem?* manifestissime Dei Filium negant, quem putant non suis viribus, sed alienis signa facere.

(Vers. 24 seqq.) *Respondens autem Jesus, dixit eis : Interrogabo vos et ego unum sermonem, quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam in qua potestate hæc facio. Baptismus Joannis unde erat, e cœlo an ex hominibus ? At illi cogitabant inter se, dicentes : Si dixerimus, E cœlo, dicet nobis : Quare ergo non credidistis*

[a] Confer Adamantium, hanc de *sterili Judæorum Synagoga* figuram pluribus edisserentem.

[b] Tres Palatini mss. *quia* pro *quæ*.

[c] In aliquot mss., *Tolle te*, etc.

[d] Victorius ait, Jeremiæ XLI, ὄρος διεφθαρμένον scribitur : ubi nos habemus, *pestifer*.

[e] Vulgati olim libri addebant, *et apud incredulorum mentem, ut porcorum duo millia suffocari*, quæ mss. codicum monitu ante nos Martianæus expunxit.

illi? Si autem dixerimus, *Ex hominibus, timemus turbam. Omnes enim habebant Joannem sicut prophetam. Et respondentes Jesu, dixerunt ; Nescimus.* Hoc est quod vulgo dicitur ; Malo arboris nodo, malus clavus aut cuneus infigendus est. [a] Poterat Dominus aperta responsione tentatorum calumniam confutare, sed prudenter interrogat, ut suo ipsi, vel silentio, vel sententia condemnentur. Si enim respondissent baptisma Joannis esse de cœlo (ut ipsi sapientes in malitia pertractarunt), consequens erat responsio : Quare ergo non estis baptizati a Joanne? Si dicere voluissent, humana deceptione esse compositum, et nihil habuisse divinum, seditionem populi formidabant. Omnes enim gregatim multitudines Joannis receperant baptisma, et sic eum habebant ut prophetam. Respondit itaque impiissima factio, et humilitatis verbo, quo nescire se diceret, usa est ad insidias coaptandas.

(Vers. 27.) *Ait illis et ipse : Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.* Illi in eo quod nescire se responderant, mentiti sunt : consequens ergo erat juxta responsionem eorum Dominum quoque dicere, Nec ego scio; sed mentiri Veritas non potest, et ait : *Nec ego dico vobis.* Ex quo ostendit et illos scire, sed respondere nolle, et se nosse, et ideo non dicere, quia illi quod sciunt taceant, et statim infert parabolam, quæ et illos impietatis arguat, et ad gentes regnum Dei doceat transferendum.

(Vers. 28 seqq.) **170** *Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios; et accedens ad primum, dixit : Fili, vade hodie operare in vinea mea. Ille autem respondens, ait : Nolo. Postea autem pœnitentia motus, abiit. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait : Eo, domine, et non ivit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Et dicunt ei : Primus. Dicit illis Jesus* (*Luc*, xv). Hi sunt duo filii, qui et in Lucæ parabola describuntur, frugi et luxuriosus, et de quibus Zacharias propheta loquitur : *Assumpsi mihi duas virgas : unam vocavi decorem, et alteram vocavi funiculum, et pavi gregem* (*Zach*, xi, 7). Primo dicitur [b] Gentilium populo per naturalis legis notitiam : *Vade, et operare in vinea mea :* hoc est, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris (*Tob.* iv). Qui superbe respondit : *Nolo.* Postea vero in adventu Salvatoris, acta pœnitentia, operatus est in vinea Dei, et sermonis contumaciam labore correxit. Secundus autem filius, populus Judæorum est, qui respondit Moysi : *Omnia quæcumque* A *dixerit Dominus faciemus* (*Exod.* xxiv), et non ivit in vineam, quia, interfecto patrisfamilias filio, se putavit hæredem. Alii vero non putant Gentilium et Judæorum esse parabolam, sed simpliciter peccatorum et justorum : ipso quoque Domino propositionem suam postea disserente.

Amen dico vobis, quia publicani et meretrices præcedent vos in regno Dei. Eo quod illi qui per mala opera Deo se servire negaverant, postea pœnitentiæ baptismum acceperint a Joanne. Pharisæi autem, qui justitiam præferebant, et legem se Dei facere jactabant, Joannis contempto baptismate, Dei præcepta fecerunt. Unde dicit :

(Vers. 32.) *Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ, et non credidistis ei : publicani autem et meretri-* B *ces crediderunt ei : vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea ut crederetis ei.* Porro quod dicitur : *Quis ex duobus fecit voluntatem patris?* Et illi dicunt : *Novissimus.* Sciendum est in [c] veris exemplaribus non haberi **171** *novissimum*, [d] sed *primum*, ut proprio judicio condemnentur. Si autem novissimum voluerimus legere, manifesta est interpretatio : ut dicamus intelligere quidem veritatem Judæos ; sed tergiversari, et nolle dicere quod sentiunt : sicut et baptismum Joannis scientes esse de cœlo, dicere noluerunt.

(Vers. 33.) *Aliam parabolam audite : Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est.* Hoc est, C quod Dominus sumptum de proverbio significavit : *Durum est adversus stimulum calcitrare* (*Act.* ix, 5). Principes sacerdotum, et seniores populi, qui interrogaverant Dominum, *In qua potestate hæc facis : et quis tibi dedit hanc potestatem?* et voluerant in verbo capere sapientiam, sua arte superantur ; et audiunt in parabolis, quod aperta facie non merebantur audire. Homo iste paterfamilias, ipse est qui habebat duos filios ; et qui in alia parabola conduxit operarios in vineam suam ; qui plantavit vineam, de qua et Isaias plenissime per Canticum loquitur, ad extremum inferens : *Vinea Domini sabaoth, domus Israel est* (*Isai.* v, 7). Et in Psalmo : *Vineam de Ægypto*, inquit, *transtulisti : ejecisti gentes, et plantasti eam* (*Ps.* lxxix, 9). *Et sepem circumdedit ei*, vel mu- D rum urbis, vel angelorum auxilia : *et fodit in ea torcular*, aut altare, aut illa torcularia, quorum et tres Psalmi titulo prænotantur : octavus et octogesimus,

[a] Rhabb., *sed propterea interrogat*, rectius.

[b] Hæc item ex Adamantio repete, quem hic describere non vacat.

[c] Rhabb., *in veteribus*. Et *veteribus* quidem pro *veris* positum abs Hieronymo persuasum est etiam, mihi, ut quid enim, si *vera* tum demum illa erant exemplaria quæ *primum* præferebant, atque adeo *falsata* illa erant quæ ferebant *novissimus*, ipse Hieronymus in proposita pericope habet *novissimus?* cur interpolata exemplaria præfert? et *veris* anteponit? *Veteribus* autem si scripsit, utcumque se res bene habet, et utraque exponi lectio meretur, quarum altera si a corruptis codicibus exprimeretur, cur se S. Pater illi explicandæ fusius diffunderet non oportebat. Vide Sabater. — Nunc legimus, Pharisæos de seniore, sive primo responsum dedisse. Sunt autem ex Antiquis qui de juniore legerint dictum. S. Hilarius in hunc locum : *Dicunt voluntati juniorem obedisse.* Nempe vulgata lectio tum temporis erat *novissimus :* quæ et in pervetusto, quem subinde laudamus, Veronensi Evangeliorum codice durat. Nescio quis huic tamen consonus locus tamquam ex Hieronymo refertur in Catena Aurea qui fecit Erasmo denuo suspicionem, cum in his Commentariis non inveniatur, quod fuerint a fastidioso quopiam olim decurtati. Præstabat fidem Catenæ denegare.

et octogesimus tertius. *Et ædificavit turrim* : haud dubium quin templum, de quo dicitur per Michæam: *Et tu, turris nebulosa, filia Sion* (*Mich.* IV, 8). *Et locavit eam agricolis*, quos alibi vineæ operarios appellavit : qui conducti fuerant hora prima, tertia, sexta, nona et undecima (*Matth.* X). *Et peregre profectus est* : est, non loci mutatione; nam Deus unde abesse potest, quo complentur omnia? et qui dicit per Jeremiam : *Ego Deus appropinquans et non de longinquo, dicit Dominus* (*Jerem.* XXIII, 23). Sed abire videtur a vinea ut vinitoribus liberum operandi arbitrium derelinquat.

(Vers. 34 seqq.) *Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus. Et agricolæ apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt. Iterum misit alios servos plures prioribus,* 172 *et fecerunt illis similiter.* Dederat eis Legem,[a] et in hac eos vinea operari jusserat, ut fructum Legis in operibus exhiberent. Postea misit ad eos servos, quos illi apprehensos vel ceciderunt, ut Jeremiam; vel occiderunt, ut Isaiam; vel lapidaverunt, ut Naboth (III *Reg.* XXI), et Zachariam, quem interfecerunt inter templum et altare (II *Par.* XXIV). Legamus epistolam Pauli ad Hæbreos (*Hebr.* XI); et ex ea [b] plenissime discemus qui servorum Domini quanta perpessi sint.

(Vers. 37, 38.) *Novissime autem misit ad eos filium suum, dicens : Verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se : hic est hæres; venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus.* In eo quod supra legimus : *Iterum misit alios servos plures prioribus, et fecerunt illis similiter*, patientiam ostendit patrisfamilias, quod frequentius miserit, ut malos colonos ad pœnitentiam provocaret : illi autem thesaurizaverunt sibi iram in die iræ (*Rom.* II). Porro quod jungitur : *Verebuntur* [c] *filium meum*, non de ignorantia venit. Quid enim nesciat paterfamilias, qui hoc loco Deus Pater intelligitur? Sed semper ambigere dicitur Deus, ut libera voluntas homini reservetur. Interrogemus Arium et Eunomium. Ecce pater dicitur ignorare, et sententiam temperat, et quantum in vobis est, probatur esse mentitus. Quidquid pro Patre responderint, hoc intelligant pro Filio, qui se dicit ignorare consummationis diem.

(Vers. 39.) *Et apprehensum eum, ejecerunt extra vineam, et occiderunt.* Et Apostolus loquitur, quod extra portam Jesus crucifixus sit (*Heb.* XIII). Possumus et aliter intelligere; quod ejectus sit extra vineam, et ibi occisus : ut suscipientibus se gentibus, aliis vinea locaretur.

(Vers. 40, 41.) *Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi : Malos male per-*

A *det, et vineam suam locabit aliis agricolis qui reddent ei fructum temporibus suis.* Interrogat eos Dominus non quod ignoret quid responsuri sint, sed ut propria responsione damnentur. Locata est autem nobis vinea, et locata ea conditione, ut reddamus Domino fructum temporibus suis, et sciamus unoquoque tempore quid oporteat nos vel loqui, vel facere.

(Vers. 42.) *Dicit illis Jesus : Numquam legistis in Scripturis : Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* 173 *A Domino factum est illud, et est mirabile in oculis nostris* (*Ps.* CXVII, 22, 23). Variis parabolis diversisque sermonibus res eædem contexuntur. Quos enim supra operarios, et vinitores, et agricolas appellarat, nunc ædificatores, id est, cæmentarios vocat. Unde dicit Apostolus: *Dei agricultura, Dei ædificatio estis* (I *Cor.* III, 9).
B Hi ergo cæmentarii quomodo et vinitores accipiunt vineam, sic acceperunt lapidem, quem vel in fundamentis ponant, juxta architectum Paulum (*Ibid.*); vel in angulo, ut duos parietes, id est, populum utrumque consociet (*Ephes.* II), qui reprobatus ab eis, factus est in caput anguli. Et hoc a Domino factum est, non humanis viribus, sed Dei potentia. De hoc lapide adjutorii Petrus quoque loquitur confidenter : *Iste lapis qui reprobatus est a vobis ædificantibus, hic factus est in caput anguli* (I *Petr.* II, 7). Et Isaias : *Ecce*, ait, *immittam in fundamenta Sion lapidem electum, pretiosum, angularem : et qui crediderit in eum, non confundetur* (*Isai.* II, 16).

(Vers. 43.) *Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis*
C *regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* Aliquoties dixi, regnum Dei Scripturas sanctas intelligi, quas Dominus abstulit a Judæis, et nobis tradidit, ut faciamus fructus earum. Ista est vinea quæ traditur agricolis et vinitoribus, in qua qui operati non fuerint, nomen tantum habentes Scripturarum, fructus vineæ perdituri sunt.

(Vers. 44.) *Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur : super quem vero ceciderit, conteret eum.* Aliud est offendere Christum per mala opera, aliud negare. Qui peccator est, et tamen in illum credit, cadit quidem super lapidem, et confringitur, sed non omnino conteritur : reservatur enim per pœnitentiam ad salutem. Super quem vero ille ceciderit, hoc est,
D cui lapis ipse irruerit, et qui Christum penitus negaverit, sin conteret eum, ut nec testa quidem remaneat, in qua hauriatur aquæ pusillum.

(Vers. 45, 46.) *Et cum audissent principes sacerdotum et Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt* 174 *quod de ipsis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas : quoniam sicut prophetam eum habebant.* Quamvis duro corde essent, et propter incredulitatem, et impietatem in Filium Dei [d] hebetes, tamen apertas propositiones, negare non poterant : et invocem inutili sensu ad apertas propositiones referebat.

[a] Auctor hujus expositionis Adamantius, cujus prolixiori contextui parcit notarum brevitas.

[b] Addit unus Pal., *quis servorum Domini exitus fuerit.*

[c] Interserit Victor. hic *forte.*

[d] Corrupte lectum est Martianæo, *habentes*, quam vocem inutili sensu ad *apertas propositiones* referebat. Nos codicum Palat. ope restituimus *hebetes :* Judæi scilicet propter incredulitatem atque impietatem obtusi et vecordes. In uno etiam ms. *responsiones* pro *propositiones* invenimus.

telligebant contra se omnes Domini sententias dirigi. Unde volebant quidem eum interficere, sed timebant turbas: quia sicut prophetam eum habebant. Semper turba mobilis est, nec in proposita voluntate persistens: atque in morem fluctuum, [a] diversorum ventorum impetu huc illucque trahitur. Quem nunc quasi prophetam venerantur et colunt: postea contra eum clamant: *Crucifige, crucifige talem* (*Joan.* XIX, 6).

(Cap. XXII. — Vers. 1, 2.) *Et respondens Jesus dixit iterum in parabolis eis, dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Pharisæi intelligentes de se dici parabolas, quærebant eum tenere et occidere. Hanc eorum sciens Dominus voluntatem, nihilominus increpat sævientes, nec timore superatur, quo minus arguat peccatores. [b] Rex iste qui fecit nuptias filio suo, Deus omnipotens est. Facit autem nuptias Domino nostro Jesu Christo et Ecclesiæ, quæ tam ex Judæis, quam ex gentibus, congregata est.

(Vers. 3.) *Et misit servum suum vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire.* Haud dubium quin Moysen, per quem Legem invitatis dedit. Si autem [c] servos legerimus, ut pleraque habent exemplaria, ad prophetas referendum est, quod invitati per eos venire contempserint.

(Vers. 4, 5.) *Iterum misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi: tauri mei, et altilia occisa sunt, et omnia parata: venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt.* Servi qui secundo missi sunt, melius est ut prophetæ intelligantur, quam apostoli: ita tamen si supra, *servus*, scriptus fuerit. Sin autem *servos*, ibidem legas, hic secundi servi, [d] apostoli intelligendi sunt. Prandium paratum, et tauri, et altilia occisa, vel per metaphoram **175** opes regiæ describuntur, ut ex carnalibus intelligantur spiritualia; vel certe dogmatum magnitudo, et doctrina Dei lege plenissima sentiri potest.

(Vers. 6.) *Et abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam. Reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos, occiderunt.* Inter eos, qui non recipiunt Evangelii veritatem, multa diversitas est. Minoris enim criminis sunt qui occupati aliis rebus venire noluerunt, his qui, contempto invitantis affectu, verterunt humanitatem in crudelitatem, et tentos servos regis, vel contumeliis affecerunt, vel occiderunt. In hac parabola sponsi siletur occisio: et per servorum mortes, contemptus ostenditur nuptiarum.

(Vers. 7.) *Rex autem cum audisset, iratus est.* De quo dictum supra fuerat: *Simile factum est regnum cœlorum homini regi*, quando invitabat ad nuptias, et agebat opera clementiæ, hominis nomen appositum est, nunc quando ad ultionem venit, homo siletur, et rex tantum dicitur.

Et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit. Exercitus, seu ultores angelos, de quibus in Psalmis scribitur: *Immissiones per angelos pessimos* [Al. *malos*] (*Psal.* LXXVII, 49); seu Romanos [e] intelligamus, sub duce Vespasiano et Tito, qui occisis Judææ populis, prævaricatricem succenderint civitatem.

(Vers. 8 seqq.) *Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt; sed qui invitati erant non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos et bonos, et impletæ sunt nuptiæ discumbentium.* Gentilium populus non erat in viis, sed in exitibus viarum. Quæritur autem quomodo in his qui foris erant inter malos, et boni aliqui sint reperti? Hunc locum [f] plenius tractat Apostolus ad Romanos [*Al. additur* dicens] (*Rom.* II, 14): quod gentes naturaliter facientes ea quæ legis sunt, condemnent Judæos, qui scriptam legem non fecerint. Inter ipsos quoque ethnicos est diversitas infinita; cum sciamus alios esse proclives ad vitia et **176** ruentes ad mala: alios ob honestatem morum virtutibus deditos.

(Vers. 11, 12.) *Intravit autem rex, ut videret discumbentes: et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.* Illi qui invitati fuerant ad nuptias, de sepibus et angulis, et plateis, et diversis locis, cœnam regis impleverant. Sed postea cum venisset rex, ut videret discumbentes in convivio suo (hoc est, in sua quasi fide requiescentes; ut in die judicii visitare convivas, et discerneret merita singulorum), invenit unum qui veste indutus non erat nuptiali. Unus iste, [g] omnes qui sociati sunt malitia intelliguntur. Vestis autem nuptialis, præcepta sunt Domini, et opera quæ complentur ex lege et Evangelio, novique hominis efficiunt vestimentum. Si quis igitur in tempore judicii inventus fuerit sub nomine Christiano non habere vestem

[a] Vocem *impetu* mss. nostri sufficiunt. Antea legebatur *diversorumque ventorum huc illucque.*

[b] Origenes, *Nimirum*, inquit, *homo rex tropice Deus et Christi Pater esse dicitur, nuptiæ autem filii regis, Ecclesia Christi sponsæ sponso ipsius Christo restitutio; servi vero ad vocandos eos missi, qui ad nuptias fuerant invitati, ii sunt prophetæ vaticiniis suis eos, qui e populo sunt ad lætitiam tempestive convertentes*, etc.

[c] Atque ita quidem plurium numero *servos* Veronensis Evangelior. codex antiquissimus præfert.

[d] Secus Origenes sensit, *Missi servi alteri, alius est prophetarum cœtus.*

[e] Iterum ex Origine: *Ira regis ea intelligitur, cujus de Judæis loquens, Apostolus mentionem facit. Pervenit autem ira super illos usque in finem. At hæc bellum adversus Judæos movendum, et Jerosolymitanum excidium populique post Christi adventum his verbis prænuntiatur.*

[f] Continenter Adamantii vestigiis insistit, qui et hoc ipsum allegat Pauli ad Romanos testimonium.

[g] Origenes: *Unum autem veste nuptiali non indutum vidit, sub unico genere, vel specie universo, comprehendens, qui nequitiam sibi ante fidem adhærescentem retinuerunt, eamque minime exuerunt.*

nuptialem, hoc est, vestem supercœlestis [*Al.* cœlestis] hominis; sed vestem pollutam, id est, veteris hominis exuvias, hic statim corripitur, et dicitur ei: *Amice, quomodo huc intrasti?* Amicum vocat, quod invitatus ad nuptias est: arguit impudentiæ, quod veste sordida munditias polluerit nuptiales. *At ille obmutuit* In tempore enim illo non erit locus [a] pœnitentiæ, nec negandi facultas, cum omnes angeli et mundus ipse testis sit peccatorum.

(Vers. 13.) *Tunc dixit rex ministris: Ligatis pedibus et manibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium.* Manus ligatas et pedes, fletumque oculorum, et stridorem dentium, vel ad comprobandam resurrectionis intellige veritatem. Vel certe ideo ligantur manus et pedes, ut [b] male operari, et currere desistant ad effundendum sanguinem. In fletu quoque oculorum, et stridore dentium, per metaphoram membrorum corporalium, magnitudo ostenditur tormentorum.

(Vers. 14.) *Multi autem sunt vocati, pauci vero electi.* Omnes parabolas brevi sententia **177** comprehendit: quod et in opere vineæ, et in ædificatione domus, et in convivio nuptiali, non initia, sed finis quæratur.

(Vers. 15.) *Tunc abeuntes Pharisæi, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes.* Nuper [c] sub Cæsare Augusto Judæa subjecta Romanis, quando in toto orbe est celebrata descriptio, stipendiaria facta fuerat, et erat in populo magna seditio, dicentibus aliis pro securitate et quiete, qua [*Rhabb.* quia] Romani pro omnibus militarent, debere tributa persolvi: Pharisæis vero, qui sibi applaudebant de justitia, econtrario [d] dicentibus, non debere populum Dei (qui decimas solveret, et primitiva daret, et cætera quæ in Lege scripta sunt, faceret) humanis legibus subjacere. Cæsar Augustus Herodem [e] filium Antipatris alienigenam et proselytum, regem Judæis constituerat, qui tributis præesset, et Romano pareret imperio. Mittunt igitur Pharisæi discipulos suos cum Herodianis, id est, militibus Herodis, seu quos illudentes Pharisæi [f] quia Romanis tributa solvebant, Herodianos vocabant, et non divino cultui deditos. Quidam Latinorum ridicule Herodianos **178** putant, qui Herodem Christum esse credebant, [g] quod nusquam omnino legimus.

(Vers. 16.) *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces: et non est tibi cura de aliquo. Non enim respicis personam hominum: Dic ergo nobis quid tibi videtur: Licet censum dari Cæsari, an non?* Blanda [h] et fraudulenta interrogatio, illuc provocat respondentem, ut magis Deum quam Cæsarem ti-

[a] Quinque mss. *impudentiæ* habent, pro *pœnitentiæ.* Sic Rhabb.

[b] *Neque enim.* ait Adamantius, *uti decuerat, ambulavit, neque ea quæ decuerat egit.* Hic tres mss. *currere desinant.*

[c] Totidem fere verbis Origenes: *Sospitatoris temporibus, cum tributum Romanis pendere jussi sunt Judæi, de eo inter eos disputatum, deliberatumque est utrum consecratam Deo gentem, quæque ipsius esset portio, tributum principibus solvere consentaneum sit, an pro libertate certare, si vitam pro arbitrio ducere non liceat. et tributum minime pendere.* Notum scilicet, post Archelai unius ex tetrarchis exsilium, redactam in provinciæ formam, Syriæque fuisse attributam Judæam: atque exinde factam celeberrimam descriptionem Quirini præsidis Syriæ qui Judæorum facultates censuit. Tunc aliquos rebellasse, præcipueque Judam quemdam Gaulaniten (Origenes *Galilæum* dicit, *cujus in apostolorum Actis mentionem facit Lucas*) plurimosque ad defectionem a Romanis impulisse, auctor est Josephus lib. Antiquitt. XVIII, cap. I.

[d] Tres Palatini mss. *econtrario nitentibus non debere,* etc., qui et paulo post verbum, *faceret*, prætermittunt. Sic Rhabb.

[e] Eodem prosequitur atque Origenes gradu: *Qui tunc præerat tetrarcha* (Herodes Antipas, quem de nomine vocat Hieronymus, *filium Antipatris*: in aliis libris *Antipatri*) *populo persuadere conabatur, præsenti rerum statui sese ut accommodaret, nec voluntarium contra potentiores bellum susciperet, et vectigalia solveret.*

[f] Ita et Origenes colligebat: *Viri quippe simile est, qui tributum Cæsari in populo pendi vellent, Herodianos ab eis fuisse appellatos, qui id nequaquam faciendum esse statuebant. Qui autem libertatis specie ducti, quo minus vectigal Cæsari pensitaretur, ii fuisse videntur Pharisæi*, etc. Sed nec prior Hieronymi a vero abludit sententia, Herodianos fuisse appellatos Herodis milites, sive domesticos ejus tributorum coactores, homines vectigali per vim exigendo promptos atque expeditos: quamquam notatum Huetio Herodis quidem Magni temporibus, qui primus pendendis Cæsari tributis operam contulit, milites, qui per vim illa exigerent, exstitisse, non item hisce Herodis Antipæ, cujus potestati neutiquam id permissum, sed ut precibus tantum, auctoritate, et consilio procuraret.

[g] Hieronymum suggillat hic Scaliger in Eusebianis animadversionibus. *Quod*, ut ait, *non Latini id prodiderunt, sed ex veteribus Græcis Epiphanius, Græcus et ipse scriptor id retulit.* Temere enimvero; Latinorum enim multo vetustiorum Epiphanio, quod rectissime monet S. Pater, opinatio hæc fuit. Latinus utique scriptor Tertullianus, sive auctor alterius partis libri de Præscript. advers. Hæretic., cap. 45: *Prætermitto*, inquit, *Pharisæos... cum his etiam Herodianos, qui Christum Herodem esse dixerunt.* Itemque Latinus Philaster Brixiensis, qui aliquot Hieronymum annos præcessit, Hæres. 28, de Herodianis, *Qui*, ait, *Herodem regem Judæorum percussum ab angelo, ipsum ut Christum sperantes exspectant.* Ex quibus (ut id quoque obiter de ridicula opinione addam) videas auctores qui de illa scripserunt, alios atque alios Herodes sibi persuasisse ab Herodianis pro Messia habitos. Nam quod Hieronymus de Herode Antipa notat, Philaster de Agrippa Aristobuli filio sentit, cujus mentio est Actor. XII, 22. Epiphanius autem a Scaligero laudatus, et Niceta lib. I Thesauri, cap. 34, de Herode Magno, quem sui pro Christo haberent, verius interpretantur. Interim alio nomine insimulari posse Hieronymum Huetius retur, quod cum hic dicat, ridicule existimari a quibusdam Latinorum, Herodianos esse, qui Herodem Christum esse censebant, ipse tamen in Dialogo contra Luciferianos scribat, *Herodiani Herodem regem suscepere pro Christo.* Verum non sic ille quemadmodum Abric. episc. refert, sub asserentis persona scripsit; sed quasi male compactam fabulam rhetorica figura præteriens, *Taceo*, inquit, *quod Herodiani Herodem regem suscepere pro Christo* Denique addo in nostris mss. *crederent*, legi pro *credebant.*

[h] Rursum Origenes: *Ejusmodi laude dehortantur, ne Herodianorum personam respiciat, aut Cæsariano-*

telligebant contra se omnes Domini sententias dirigi. A Unde volebant quidem eum interficere, sed timebant turbas: quia sicut prophetam eum habebant. Semper turba mobilis est, nec in proposita voluntate persistens: atque in morem fluctuum, [a] diversorum ventorum impetu huc illucque trahitur. Quem nunc quasi prophetam venerantur et colunt: postea contra eum clamant: *Crucifige, crucifige talem* (*Joan.* XIX, 6).

(Cap. XXII. — Vers. 1, 2.) *Et respondens Jesus dixit iterum in parabolis eis, dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Pharisæi intelligentes de se dici parabolas, quærebant eum tenere et occidere. Hanc eorum sciens Dominus voluntatem, nihilominus increpat sævientes, nec timore superatur, quo minus arguat pecca- B tores. [b] Rex iste qui fecit nuptias filio suo, Deus omnipotens est. Facit autem nuptias Domino nostro Jesu Christo et Ecclesiæ, quæ tam ex Judæis, quam ex gentibus, congregata est.

(Vers. 3.) *Et misit servum suum vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire.* Haud dubium quin Moysen, per quem Legem invitatis dedit. Si autem [c] servos legerimus, ut pleraque habent exemplaria, ad prophetas referendum est, quod invitati per eos venire contempserint.

(Vers. 4, 5.) *Iterum misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi: tauri mei, et altilia occisa sunt, et omnia parata: venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt.* Servi qui secundo missi sunt, melius est ut prophetæ intelligantur, quam apostoli: C ita tamen si supra, *servus*, scriptus fuerit. Sin autem *servos*, ibidem legas, hic secundi servi, [d] apostoli intelligendi sunt. Prandium paratum, et tauri, et altilia occisa, vel per metaphoram **175** opes regiæ describuntur, ut ex carnalibus intelligantur spiritualia; vel certe dogmatum magnitudo, et doctrina Dei lege plenissima sentiri potest.

(Vers. 6.) *Et abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam. Reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos, occiderunt.* Inter eos, qui non recipiunt Evangelii veritatem, multa diversitas est. Minoris enim criminis sunt qui occupati aliis rebus venire noluerunt, his qui, contempto invitantis affectu, verterunt humanitatem in crudelitatem, et tentos servos regis, vel contumeliis affe- D cerunt, vel occiderunt. In hac parabola sponsi siletur occisio: et per servorum mortes, contemptus ostenditur nuptiarum.

(Vers. 7.) *Rex autem cum audisset, iratus est.* De quo dictum supra fuerat: *Simile factum est regnum cœlorum homini regi*, quando invitabat ad nuptias, et agebat opera clementiæ, hominis nomen appositum est, nunc quando ad ultionem venit, homo siletur, et rex tantum dicitur.

Et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit. Exercitus, seu ultores angelos, de quibus in Psalmis scribitur: *Immissiones per angelos pessimos* [Al. *malos*] (*Psal.* LXXVII, 49); seu Romanos [e] intelligamus, sub duce Vespasiano et Tito, qui occisis Judææ populis, prævaricatricem succenderint civitatem.

(Vers. 8 seqq.) *Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt; sed qui invitati erant non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos et bonos, et impletæ sunt nuptiæ discumbentium.* Gentilium populus non erat in viis, sed in exitibus viarum. Quæritur autem quomodo in his qui foris erant inter malos, et boni aliqui sint reperti? Hunc locum [f] plenius tractat Apostolus ad Romanos [*Al. additur* dicens] (*Rom.* II, 14): quod gentes naturaliter facientes ea quæ legis sunt, condemnent Judæos, qui scriptam legem non fecerint. Inter ipsos quoque ethnicos est diversitas infinita; cum sciamus alios esse proclives ad vitia et **176** ruentes ad mala: alios ob honestatem morum virtutibus deditos.

(Vers. 11, 12.) *Intravit autem rex, ut videret discumbentes: et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.* Hi qui invitati fuerant ad nuptias, de sepibus et angulis, et plateis, et diversis locis, cœnam regis impleverant. Sed postea cum venisset rex, ut videret discumbentes in convivio suo (hoc est, in sua quasi fide requiescentes; ut in die judicii visitare convivas, et discerneret merita singulorum), invenit unum qui veste indutus non erat nuptiali. Unus iste, [g] omnes qui sociati sunt malitia intelliguntur. Vestis autem nuptialis, præcepta sunt Domini, et opera quæ complentur ex lege et Evangelio, novique hominis efficiunt vestimentum. Si quis igitur in tempore judicii inventus fuerit sub nomine Christiano non habere vestem

[a] Vocem *impetu* mss. nostri sufficiunt. Antea legebatur *diversorumque ventorum huc illucque*.

[b] Origenes, *Nimirum*, inquit, *homo rex tropice Deus et Christi Pater esse dicitur, nuptiæ autem filii regis, Ecclesia Christi sponsæ sponso ipsius Christo restitutio; servi vero ad vocandos eos missi, qui ad nuptias fuerant invitati, ii sunt prophetæ vaticiniis suis eos, qui e populo sunt ad lætitiam tempestive convertentes*, etc.

[c] Atque ita quidem plurium numero *servos* Veronensis Evangelior. codex antiquissimus præfert.

[d] Secus Origenes sensit, *Missi servi alteri, alius est prophætarum cœtus.*

[e] Iterum ex Origine: *Ira regis ea intelligitur, cujus de Judæis loquens, Apostolus mentionem facit. Pervenit autem ira super illos usque in finem. At hæc bellum adversus Judæos movendum, et Jerosolymitanum excidium populique post Christi adventum his verbis prænuntiatur.*

[f] Continenter Adamantii vestigiis insistit, qui et hoc ipsum allegat Pauli ad Romanos testimonium.

[g] Origenes: *Unum autem veste nuptiali non indutum vidit, sub unico genere, vel specie universo, comprehendens, qui nequitiam sibi ante fidem adhærescentem retinuerunt, eamque minime exuerunt.*

nuptialem, hoc est, vestem supercœlestis [*Al.* cœlestis] hominis; sed vestem pollutam, id est, veteris hominis exuvias, hic statim corripitur, et dicitur ei: *Amice, quomodo huc intrasti?* Amicum vocat, quod invitatus ad nuptias est: arguit impudentiæ, quod veste sordida munditias polluerit nuptiales. *At ille obmutuit* In tempore enim illo non erit locus [a] pœnitentiæ, nec negandi facultas, cum omnes angeli et mundus ipse testis sit peccatorum.

(Vers. 13.) *Tunc dixit rex ministris: Ligatis pedibus et manibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium.* Manus ligatas et pedes, fletumque oculorum, et stridorem dentium, vel ad comprobandam resurrectionis intellige veritatem. Vel certe ideo ligantur manus et pedes, ut [b] male operari, et currere desistant ad effundendum sanguinem. In fletu quoque oculorum, et stridore dentium, per metaphoram membrorum corporalium, magnitudo ostenditur tormentorum.

(Vers. 14.) *Multi autem sunt vocati, pauci vero electi.* Omnes parabolas brevi sententia **177** comprehendit: quod et in opere vineæ, et in ædificatione domus, et in convivio nuptiali, non initia, sed finis quæratur.

(Vers. 15.) *Tunc abeuntes Pharisæi, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. Et mittunt ei* A *discipulos suos cum Herodianis, dicentes.* Nuper [c] sub Cæsare Augusto Judæa subjecta Romanis, quando in toto orbe est celebrata descriptio, stipendiaria facta fuerat, et erat in populo magna seditio, dicentibus aliis pro securitate et quiete, qua [*Rhabb.* quia] Romani pro omnibus militarent, debere tributa persolvi: Pharisæis vero, qui sibi applaudebant de justitia, econtrario [d] dicentibus, non debere populum Dei (qui decimas solveret, et primitiva daret, et cætera quæ in Lege scripta sunt, faceret) humanis legibus subjacere. Cæsar Augustus Herodem [e] filium Antipatris alienigenam et proselytum, regem Judæis constituerat, qui tributis præesset, et Romano pareret imperio. Mittunt igitur Pharisæi discipulos suos cum Herodianis, id est, militibus Herodis, seu quos B illudentes Pharisæi [f] quia Romanis tributa solvebant, Herodianos vocabant, et non divino cultui deditos. Quidam Latinorum ridicule Herodianos **178** putant, qui Herodem Christum esse credebant, [g] quod nusquam omnino legimus.

(Vers. 16.) *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces: et non est tibi cura de aliquo. Non enim respicis personam hominum: Dic ergo nobis quid tibi videtur: Licet censum dari Cæsari, an non?* Blanda [h] et fraudulenta interrogatio, illuc provocat respondentem, ut magis Deum quam Cæsarem ti-

[a] Quinque mss. *impudentiæ* habent, pro *pœnitentiæ.* Sic Rhabb.

[b] *Neque enim*. ait Adamantius, *uti decuerat, ambularit, neque ea quæ decuerat egit.* Hic tres mss. *currere desinant.*

[c] Totidem fere verbis Origenes: *Sospitatoris temporibus, cum tributum Romanis pendere jussi sunt Judæi, de eo inter eos disputatum, deliberatumque est utrum consecratam Deo gentem, quæque ipsius esset portio, tributum principibus solvere consentaneum sit, an pro libertate certare, si vitam pro arbitrio ducere non liceat. et tributum minime pendere.* Notum scilicet, post Archelai unius ex tetrarchis exsilium, redactam in provinciæ formam, Syriæque fuisse attributam Judæam: atque exinde factam celeberrimam descriptionem Quirini præsidis Syriæ qui Judæorum facultates censuit. Tunc aliquos rebellasse, præcipueque Judam quemdam Gaulaniten (Origenes *Galilæum* dicit, *cujus in apostolorum Actis mentionem facit Lucas*) plurimosque ad defectionem a Romanis impulisse, auctor est Josephus lib. Antiquitt. XVIII, cap. I.

[d] Tres Palatini mss. *econtrario nitentibus non debere,* etc., qui et paulo post verbum, *faceret*, prætermittunt. Sic Rhabb.

[e] Eodem prosequitur atque Origenes gradu: *Qui tunc præerat tetrarcha* (Herodes Antipas, quem de nomine vocat Hieronymus, *filium Antipatris*: in aliis libris *Antipatri*) *populo persuadere conabatur, præsenti rerum statui sese ut accommodaret, nec voluntarium contra potentiores bellum susciperet, et vectigalia solveret.*

[f] Ita et Origenes colligebat: *Viri quippe simile est, qui tributum Cæsari in populo pendi vellent, Herodianos ab eis fuisse appellatos, qui id nequaquam faciendum esse statuebant. Qui autem libertatis specie ducti, quo minus vectigal Cæsari pensitaretur, ii fuisse videntur Pharisæi*. etc. Sed nec prior Hieronymi a vero abludit sententia, Herodianos fuisse appellatos Herodis milites, sive domesticos ejus tributorum coactores, homines vectigali per vim exigendo promptos atque expeditos: quamquam notatum Huetio Herodis quidem Magni temporibus, qui primus pendendis Cæsari tributis operam contulit, milites, qui per vim illa exigerent, exstitisse, non item hisce Herodis Antipæ, cujus potestati neutiquam id permissum, sed ut precibus tantum, auctoritate, et C consilio procuraret.

[g] Hieronymum suggillat hic Scaliger in Eusebianis animadversionibus. *Quod*, ut ait, *non Latini id prodiderunt, sed ex veteribus Græcis Epiphanius, Græcus et ipse scriptor id retulit.* Temere enimvero; Latinorum enim multo vetustiorum Epiphanio, quod rectissime monet S. Pater, opinatio hæc fuit. Latinus utique scriptor Tertullianus, sive auctor alterius partis libri de Præscript. advers. Hæretic., cap. 45: *Prætermitto*, inquit, *Pharisæos... cum his etiam Herodianos, qui Christum Herodem esse dixerunt.* Itemque Latinus Philaster Brixiensis, qui aliquot Hieronymum annos præcessit, Hæres. 28, de Herodianis, *Qui*, ait, *Herodem regem Judæorum percussum ab angelo, ipsum ut Christum sperantes exspectant.* Ex quibus (ut id quoque obiter de ridicula opinione addam) videas auctores qui de illa scripserunt, alios atque alios Herodes sibi persuasisse ab Herodianis pro Messia habitos. Nam quod Hieronymus de Herode Antipa D notat, Philaster de Agrippa Aristobuli filio sentit, cujus mentio est Actor. XII, 22. Epiphanius autem a Scaligero laudatus, et Niceta lib. I Thesauri, cap. 34, de Herode Magno, quem sui pro Christo haberent, verius interpretantur. Interim alio nomine insimulari posse Hieronymum Huetius retur, quod cum hic dicat, ridicule existimari a quibusdam Latinorum, Herodianos esse, qui Herodem Christum esse censebant, ipse tamen in Dialogo contra Luciferianos scribat, *Herodiani Herodem regem suscepere pro Christo.* Verum non sic ille quemadmodum Abric. episc. refert, sub asserentis persona scripsit; sed quasi male compactam fabulam rhetorica figura præteriens, *Taceo*, inquit, *quod Herodiani Herodem regem suscepere pro Christo*. Denique addo in nostris mss. *crederent*, legi pro *credebant.*

[h] Rursum Origenes: *Ejusmodi laude dehortantur, ne Herodianorum personam respiciat, aut Cæsariano-*

A meat, et dicat non debere tributa solvi, ut statim audientes Herodiani, seditionis contra Romanos principem [a] teneant.

(Vers. 18.) *Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis, hypocritæ?* Prima virtus est respondentis, interrogantium mentem cognoscere, et non discipulos, sed tentatores vocare. Hypocrita ergo appellatur, qui aliud est, et aliud simulat, id est, aliud opere agit, et aliud voce prætendit.

(Vers. 19.) *Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium.* Sapientia semper sapienter agit, ut suis potissimum tentatores sermonibus confutentur. *Ostendite*, inquit, *mihi denarium*, hoc est, genus nummi, quod pro decem nummis imputabatur, et habebat imaginem Cæsaris.

B (Vers. 20.) **179** *Et ait illis Jesus : Cujus est imago hæc, et superscriptio?* Qui putant interrogationem Salvatoris ignorantiam esse, et non dispensationem, discant ex præsenti loco, quod utique potuerit scire Jesus cujus imago esset in nummo; sed interrogat, ut ad sermonem eorum competenter respondeat.

(Vers. 21.) *Dicunt ei : Cæsaris. Tunc ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari; et quæ sunt Dei Deo.* Cæsarem non putemus Augustum, sed Tiberium significari privignum ejus, qui in locum successit [b] ipsius, sub quo passus est Dominus. Omnes autem reges Romani a primo Caio Cæsare, qui imperium arripuerat, Cæsares appellati sunt [*Al.* appellantur]. Porro quod ait : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, id est, nummum tributum, et pecu-
C niam : *et quæ sunt Dei Deo*, decimas primitias, et oblationes, ac victimas sentiamus : quomodo et ipse reddidit tributa pro se et Petro (*Matth.* XVII); et Deo reddidit quæ Dei sunt, Patris faciens voluntatem (*Joan.* VI).

(Vers. 22.) *Et audientes, mirati sunt.* Qui credere debuerant ad tantam sapientiam, mirati sunt [c] quod calliditas eorum insidiandi non invenisset locum.

Et relicto eo, abierunt. Infidelitatem cum miraculo pariter reportantes.

(Vers. 23.) *In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem.* Duæ hæreses erant in Judæis : una Pharisæorum, altera Sadducæorum.
D Pharisæi traditionum et observationum, quas illi δευτερώσεις vocant, justitiam præferebant; unde et *divisi* vocabantur a populo. Sadducæi autem, qui interpretantur *justi*, et ipsi vindicabant sibi quod non erant : prioribus et corporis et animæ resurrectionem credentibus, confitentibusque, et angelos, et spiritum : sequentes (juxta Acta apostolorum) omnia denegabant (*Act.* IV). Istæ sunt duæ [d] domus, de quibus Isaias manifestius docet, quod offensuræ sint in lapidem scandali (*Isai.* VIII).

(Vers. 24 seqq.) *Et interrogaverunt eum, dicentes: Magister, Moyses dixit : Si quis mortuus fuerit* **180** *non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, et suscitet semen fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres : et primus, uxore ducta, defunctus est, et non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo. Similiter secundus et tertius usque ad septimum. Novissime autem omnium et mulier defuncta est.* Qui resurrectionem corporum non credebant, et animam putabant interire cum corporibus, recte istiusmodi fingunt fabulam, quæ deliramenti arguat eos, qui resurrectionem asserant mortuorum. Potest autem fieri, ut vere in gente eorum aliquando hoc acciderit.

(Vers. 28.) *In resurrectione ergo cujus erit de septem uxor? Omnes enim habuerunt eam.* Turpitudinem fabulæ opponunt, ut resurrectionis denegent veritatem.

(Vers. 29.) *Respondens autem Jesus, ait illis : Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Propterea errant, quia Scripturas nesciunt : et quia Scripturas ignorant, consequenter nesciunt virtutem Dei, hoc est, Christum, qui est Dei virtus, et Dei sapientia (I *Cor.* I).

(Vers. 30.) *In resurrectione enim neque nubent,* [e] *neque nubentur; sed sunt sicut angeli Dei in cælo.* Latina consuetudo Græco idiomati non respondet. Nubere enim proprie dicuntur mulieres, et viri uxores ducere; sed nos simpliciter dictum intelligamus, quod nubere de viris, et nubi de uxoribus scriptum sit. Si in resurrectione non nubent, neque nubentur resurgent ergo corpora, [f] quæ possunt nubere et nubi. Nemo quippe dicit de lapide et arbore, et his rebus, quæ non habent membra genitalia, quod non nubant, neque nubantur; sed de his quæ cum possunt nubere, tamen alia ratione non nubunt. Quod autem infertur : *Sed sunt sicut angeli Dei in cælo.* spiritualis repromittitur conversatio.

(Vers. 31 seqq.) *De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo, dicente vobis : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob : Non est Deus mortuorum, sed viventium. Et audientes turbæ mirabantur de doctrina ejus.* Ad comprobandam resurrectionis veritatem, [g] multo aliis manifestioribus **181** exemplis uti potuit, e quibus

rum : ut juxta Pharisæorum sententiam tributum Cæsari non esse solvendum affirmans, Herodianis ab ipsis traderetur. Et paulo superius : *Ita impediente eo, quo minus census Cæsari daretur, eum quasi defectionis auctorem atque impulsorem Romanis tradituri fuissent Herodiani.*

[a] Duo Palatini mss., *principem eum teneant*; alii minus bene, *contra Romanum principem teneant*, etc.

[b] Rectius duo e nostris mss. habent, *in locum vitrici sub quo*, etc.

[c] Origenes ait, *Nullam sibi præbitam illi insidiandi occasionem demirati.*

[d] Confer S. Doctorem in Commentariis in hunc Isaiæ locum, et in Epist. ad Titum. Epistolam quoque ad Algasiam Quæst. 10, et Dialogum advers. Luciferianos, num. 8.

[e] Pro *neque nubentur*, in Veronensi Evangeliorum vetustissimo exemplari, magis ad Latini sermonis proprietatem est, *neque uxores ducent.*

[f] Tres Palatini mss., *corpora quicum possint nubere*, etc.

[g] Eadem Origenis nedum responsio, sed fere sunt verba : *Ad id autem dicemus, cum depromptis e Pro-*

est illud : *Suscitabuntur mortui, et resurgent qui in sepulcris sunt* (*Isai.* xxvi, 19). Et in alio loco : *Multi dormientium de terræ pulvere consurgent : alii in vitam, et alii in opprobrium et confusionem æternam* (*Dan.* xii, 2). Quæritur itaque, quid sibi voluerit Dominus hoc præferre testimonium, quod videtur ambiguum, vel non satis ad resurrectionis pertinens veritatem : *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob;* et quasi, hoc prolato, probaverit quod volebat, statim intulerit : *Non est Deus mortuorum, sed viventium*. Cujus rei turbæ quoque circumstantes, mysterium cognoscentes, admiratæ sunt de doctrina [a] et responsis illius. Supra diximus Sadducæos, nec angelum, nec spiritum, nec resurrectionem corporum confitentes, animarum quoque interitum prædicasse. Hi quinque tantum libros Moysis recipiebant, prophetarum vaticinia respuentes. Stultum ergo erat inde proferre testimonia, cujus auctoritatem non sequebantur. Porro ad æternitatem animarum probandam de Moyse ponit exemplum : *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* iii, 6), statimque infert : *Non est mortuorum Deus, sed viventium* ; ut cum probaverit animas permanere post mortem (neque enim poterat fieri, ut eorum esset Deus, qui nequaquam subsisterent), consequenter introduceretur et corporum resurrectio, quæ cum animabus bona malave gesserunt. Hunc locum plenius in extrema parte primæ Epistolæ ad Corinthios Paulus apostolus exsequitur (I *Cor.* xv).

(Vers. 34 seqq.) **182** *Pharisæi* [b] *autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum : et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum : Magister, quod est mandatum magnum in lege ? Ait illi Jesus : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua : hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ.* Quod de Herode et Pontio Pilato legimus, in Domini nece eos fecisse concordiam, hoc etiam nunc de Pharisæis cernimus et Sadducæis, qui inter se contrarii sunt, sed ad tentandum Jesum pari mente consentiunt. Qui ergo jam supra in ostensione denarii fuerant confutati, et adversæ partis factionem viderant subrutam, debuerant [c] exemplo moneri, ne ultra molirentur insidias : sed malevolentia et livor nutrit impudentiam. Interrogat unus ex legis doctoribus, non scire desiderans, sed tentans, an interrogatus nosset quod interrogabatur, quod sit majus mandatum : non de mandatis interrogans, sed quod sit primum magnumque mandatum ; ut cum omnia quæ Deus mandaverit magna sint : quidquid ille responderit, occasionem habeat calumniandi, aliud asserens magnum esse de pluribus. Quicumque igitur novit et interrogat non voto discendi, sed studio cognoscendi, an noverit ille qui responsurus est, in similitudinem Pharisæorum non quasi discipulus, sed quasi tentator accedit.

...pheiis sexcentis testimoniis probare possit Servator, futuram vitam hominis manere, id minime fecisse : quod scilicet unam Moysis Scripturam admitterent Sadducæi, a qua deducta ratiocinatione, convincere ipsos voluit : sic autem illa se habere videtur : Deus dixit Moysi, Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, *cum oraculum ipsi in rubo redderet : aut igitur Deus, eorum Deus est, qui sunt, aut eorum qui non sunt, absurdum est autem, Deum, qui dixit :* Ego sum, qui sum, id mihi nomen est, *horum esse Deum pronuntiare, qui neutiquam sunt : quod si illud absurdum est, eorum profecto Deus est, qui sunt, et qui vivunt, et qui existunt, quique beneficium a Deo in se collatum agnoscunt.... Vivunt ergo, Deum, ipsi usque beneficium agnoscentes Abraham, et Isaac, et Jacob*, etc.

[a] Palatin. mss., *de doctrina responsionis illius.*

[b] Iidem mss., *Pharisæi audito quod silentium*, etc.

[c] In uno Cisterciensi, *exemplo moveri, ne*, etc.

LIBER QUARTUS.

(Vers. 41 seqq.) **183** *Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens : Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est ? Dicunt ei : David. Ait illis : Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens : Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum ? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est ?* Qui ad tentandum Jesum fuerant congregati, et veritatem fraudulenta interrogatione [a] capere nitebantur, occasionem præbuerunt confutationis suæ. Interroganturque [*Al.* Interrogatur] de Christo cujus filius sit. Interrogatio Jesu nobis proficit usque hodie contra Judæos. Et hi enim qui confitentur Christum esse venturum, hominem simplicem et sanctum virum asserunt de genere David. Interrogemus ergo eos docti a Domino : si simplex homo est, et filius tantum David : quomodo David vocet eum Dominum suum : non erroris incerto, nec propria voluntate : sed in [*Al. tacet* in] Spiritu sancto. Testimonium autem quod posuit, de centesimo nono Psalmo sumptum est. Dominus igitur David vocatur, non secundum id quod de eo natus est, sed juxta id quod natus ex Patre semper fuit, præveniens ipsum carnis suæ Patrem. Judæi ad deludendam interrogationis veritatem frivola multa confingunt, vernaculum Abrahæ asserentes, cujus fuerit filius Damascus Eliezer : et ex ipsius persona scriptum psalmum, quod post cædem quinque regum, Dominus Deus Domino suo dixerit Abrahæ : *Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos*

[a] Penes Victorium, *carpere nitebantur*, etc.

scabellum pedum tuorum (*Genes.* XIV). Quos interrogemus: Quomodo Deus dixerit Abrahæ ea quæ sequuntur: *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te*; et: *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum; tu es sacerdos in æternum*, **184** *secundum ordinem Melchisedec?* Et respondere cogamus, quomodo Abraham ante Luciferum genitus sit; et sacerdos fuerit secundum ordinem Melchisedec: pro quo Melchisedec obtulerit panem et vinum, et a quo decimas prædæ acceperit.

(Vers. 46.) *Et nemo poterat ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.* Pharisæi et Sadducæi quærentes occasionem calumniæ, et verbum aliquod invenire, quod pateret insidiis, quia in sermonibus confutati sunt, ultra non interrogant, sed apertissime comprehensum, Romanæ tradunt potestati. Ex quo intelligimus venena invidiæ posse quidem superari, sed difficile conquiescere.

(Cap. XXIII. — Vers. 1 seqq.) *Tunc Jesus locutus est ad turbas et ad discipulos suos, dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite: secundum opera vero eorum nolite facere. Dicunt enim, et non faciunt.* Quid mansuetius, quid benignius [b] Domino? Tentatur a Pharisæis, confringuntur insidiæ eorum, et secundum Psalmistam: *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum* (*Psal.* LXIII, 8), et nihilominus propter sacerdotii et nominis dignitatem, hortatur populos ut subjiciantur eis, non opera, sed doctrinam considerantes. Quod autem ait: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi*: per cathedram doctrinam Legis ostendit. Ergo et illud quod dicitur in Psalmo: *In cathedra pestilentiæ non sedit* (*Psal.* I, 1). Et: *Cathedras vendentium columbas evertit* (*Supra* XXI; *Mar.* XI) doctrinam debemus accipere.

(Vers. 4.) *Alligant autem onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere.* Hoc generaliter adversus omnes magistros, qui [c] gravia jubent, et minora non faciunt. Notandum autem **185** quod et humeri, et digitus, et onera, et vincula, quibus alligantur onera, spiritualiter intelligenda sunt.

(Vers. 5.) *Omnia opera sua faciunt, ut videantur*

A *ab hominibus.* Quicumque igitur ita facit quodlibet, ut videatur ab hominibus, Scriba et Pharisæus est.

(Vers. 6.) *Dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi.* Væ nobis miseris, ad quos Pharisæorum vitia transierunt. Dominus cum dedisset mandata Legis per Moysen, ad extremum intulit: *Ligabis ea in manu tua, et erunt* [d] *immota ante oculos tuos* (*Deut.* VI, 8). Et est sensus: Præcepta mea sint in manu tua, ut opere compleantur: sint ante oculos tuos, ut die ac nocte mediteris in eis. Hoc Pharisæi male interpretantes, scribebant in [e] membranulis Decalogum Moysi, id

B est decem verba Legis, complicantes ea, et ligantes in fronte, et quasi coronam capitis facientes, ut semper ante oculos moverentur: quod usque hodie Indi, [f] Persæ, et Babylonii faciunt: et qui hoc habuerit, quasi religiosus in populis judicatur. Jusserat quoque aliud Moyses (*Num.* XV) ut in quatuor angulis palliorum hyacinthinas fimbrias facerent, ad Israelis populum dignoscendum, ut quomodo in corporibus circumcisio signum Judaicæ gentis daret, ita et vestis haberet aliquam differentiam. Superstitiosi magistri captantes auram popularem, atque ex mulierculis sectantes lucra, faciebant grandes fimbrias, et acutissimas in eis spinas ligabant, ut videlicet ambulantes et sedentes interdum pungerentur, et quasi hac admonitione retraherentur ad officia

C Domini, et ministeria servitutis ejus. Quia ergo dixerat Dominus: *Omnia opera sua faciunt, ut videantur* **186** *ab hominibus*; quod generaliter accusarat, nunc per partes dividit. [g] Pictatiola illa Decalogi, phylacteria vocabant: quod quicumque habuisset ea, quasi ob custodiam et monimentum sui haberet: non intelligentibus Pharisæis quod hæc in corde portanda sint, non in corpore: alioquin et armaria, et arcæ habent libros, et notitiam Dei non habent. Hoc apud nos superstitiosæ mulierculæ, in [h] parvulis Evangeliis, et in crucis ligno, et istiusmodi rebus (quæ habent quidem zelum Dei, sed non juxta scientiam) (*Rom.* X) usque hodie factitant, culicem liquantes, et camelum glutientes (*Infra*, *eodem*).

[a] Rhabb., *qui Melchisedec.*

[b] Variant secum invicem nostri mss. In aliis, *quid benignius? Domino tentato a Pharisæis*, etc., *in aliis Dominus, tentatur*, etc.

[c] Fortasse verius nostri mss., *qui grandia jubent.*

[d] Hebræus habet טטפת, *frontalia*, Septuaginta vero, ad quorum hic se S. Pater rationem efformat, ἀσαλευτὰ, quod est, *immota*: contra Latina interpretatio, *et movebuntur* quod ipsemet Hieron. verterit ex Hebraici verbi טפף proprietate, qua significat in incedendo corpus, aut aliquid aliud agitare, et movere: quo sensu in subnexa expositione Pharisæorum frontalia describit. Confer adeo subsequentem annotationem.

[e] Antea erat, *membranis*. His porro gemina sunt, quæ habet S. Pater ad Ezechielis cap. XXIV: *Aiunt. Hebræi hucusque Babylonios magistros Legis præcepta*

D *servantes. Decalogum scriptum in membranulis, circumdare capiti suo, et hæc esse, quæ jubentur ante oculos, et in fronte pendere, ut semper videant quæ præcepta sunt.* Verum, ut ad eum locum observamus, hic quoque fatendum est, siqua Rabbinis res suas narrantibus fides est, et si quid hodierna quoque apud eos consuetudo probat, non Decalogum Moysi, quod Hieronymus tradit, sed quosdam duntaxat Scripturæ textus, duos nempe Exodi, duosque Deuteronomii describere solitos in membranulis, quas fronti, vittis utrimque diffluentibus, alligarent.

[f] Nomen *Persæ* nostri mss. ignorant. Sic Rhabb.

[g] Id est, *parvas schedulas*, quod et Victorio notatum, a Græco πυκτάτιον, quod est *libellus*, *parva tabella*, hisque similia. Paulo post pro voce *monimentum*, rectius fortasse legeris, *munimentum*.

[h] Rabb., *in parabolis Evangelii.*

hujusmodi erat fimbria parva et brevis ex [a] Lege præcepta, quam et mulier illa quæ sanguine fluebat, tetigit in pallio Domini (*Supra* IX, *Luc.* VIII) : sed non est compuncta superstitiosis [b] sentibus Pharisæorum; magisque sanata ad tactum ejus. Cumque superflue dilatent phylacteria, et magnas faciant fimbrias, gloriam captantes ab hominibus, arguuntur in reliquis, cur quærant primos accubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis; et in publico gulam sectentur et gloriam : et vocentur ab hominibus *Rabbi*, quod Latino sermone *magister* dicitur. Deinde sequitur :

(Vers. 8 seq.) *Vos autem nolite vocari Rabbi : Unus est enim magister vester :* [c] *omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram : Unus est enim Pater vester, qui in cœlis est. Nec vocemini magistri : quia magister vester unus est, Christus. Qui major est vestrum, erit minister vester. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur, et qui se humiliaverit, exaltabitur.* Nec magister, nec pater vocandus est alius, nisi Deus Pater et Dominus noster Jesus Christus. Pater, quia ex ipso sunt omnia. Magister, quia per ipsum omnia : vel quoniam per dispensationem carnis ejus, **185** omnes reconciliati sumus Deo. Quæritur quare adversum hoc præceptum, doctorem gentium Apostolus se esse dixerit (II *Cor.* V; *Coloss.* I); aut quomodo vulgato sermone, maxime in Palæstina et Ægypti monasteriis se invicem Patres vocent? Quod sic solvitur : Aliud esse natura patrem vel magistrum, aliud indulgentia. Nos si hominem patrem vocamus, honorem ætati deferimus, non auctorem nostræ ostendimus vitæ. Magister quoque dicitur ex consortio veri magistri. Et ne infinita replicem, quomodo unus per naturam Deus et unus Filius, non præjudicat cæteris ne per adoptionem dii [*Al.* dei] vocentur, et filii : ita et unus et pater et magister, non præjudicat aliis, ut abusive appellentur patres et magistri.

(Vers. 13, 14.) *Væ autem vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines. Vos* [Al. *ipsi*] *enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domus viduarum, orationes longas orantes, propter hoc amplius accipietis judicium.* Habentes Scribæ et Pharisæi Legis Prophetarumque notitiam, sciunt Christum esse Filium Dei : non ignorant natum esse de Virgine; sed dum prædam de subjecta sibi plebe appetunt, nec ipsi introeunt regna cœlorum, nec eos qui poterant, intrare permittunt. Hoc est quod in Osee propheta arguit : *Absconderunt Sacerdotes viam, interfecerunt Sicimam* (*Osee* VI, 9). Et rursum : *Sacerdotes non dixerunt, ubi est Dominus* (*Osee* IV)? Vel certe

A omnis magister qui scandalizat malis operibus discipulos suos, claudit ante eos regnum cœlorum.

(Vers. 15.) *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum : et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.* Non eo studio servamus quæsita, quo quærimus. Scribæ et Pharisæi totum lustrantes orbem, propter negotiationes, vel diversa lucra [d] tam a discipulis captanda, quam per imaginem sanctitatis, studium [*Al.* studii] habebant de gentibus facere proselytum, id est, advenam, et incircumcisum miscere populo Dei. Sed qui ante, dum esset ethnicus, simpliciter errabat, et erat semel filius gehennæ, videns **186** magistrorum vitia, et intelligens destruere eos opere,
B quod verbis docebant, revertitur ad vomitum suum : et gentilis factus, quasi prævaricator, pœna majori dignus erit. Filius autem vocatur gehennæ, quomodo filius perditionis, et filius hujus sæculi. Unusquisque enim cujus opera agit, ejus filius appellatur.

(Vers. 16 seq.) *Væ vobis, duces cæci, quia dicitis : quicumque juraverit per templum, nihil est : qui autem juraverit in auro templi, debitor est. Stulti et cæci, quid enim majus est, aurum, an templum quod sanctificat aurum? Et quicumque juraverit in altari, nihil est : quicumque autem juraverit in dono, quod est super illud, debet. Cæci, quid enim majus est, donum, an altare quod sanctificat donum? Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, et in omnibus quæ super*
C *illud sunt. Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo, et in eo qui habitat in ipso. Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, et in eo qui sedet super eum.* Supra, ut nobis visum est, exposuimus quid significaret traditio Pharisæorum, dicentium : *Donum quodcumque est ex me, tibi proderit :* nunc duplex, et ad unam avaritiæ occasionem trahens, Pharisæorum traditio condemnatur, ut arguantur cuncta pro lucro facere, et non pro timore Dei. Sicut enim in phylacteriis et fimbriis dilatatis opinio sanctitatis captabat gloriam, et per occasionem gloriæ quærebat lucra : sic alia traditionis inventa stropha, impietatis arguit præceptores. Si quis in contentione, seu in aliquo jurgio, vel in causæ ambiguo, jurasset in templo, et postea convictus esset
D mendacii, non tenebatur criminis reus [*Al.* ejus]. Sin autem jurasset in auro et pecunia, quæ in templo sacerdotibus offerebatur, statim id in quo juraverat, cogebatur exsolvere. Rursum : Si quis jurasset in altari, perjurii reum nemo tenebat [*Al.* retinebat] : sin autem perjurasset in dono, vel in oblationibus, hoc est, in hostiis, in victimis, et in simila et cæteris, quæ offeruntur Deo super altare,

[a] Duo e nostris mss., *ex Legis præcepto*. Sic Rabbh.

[b] Vitiose legerat Martianæus, *sensibus*. Liquet vero, *sentibus* reponendum ex mss. et contextu, ubi *acutissimas spinas fimbriis* Pharisæorum alligatas fuisse tradit S. Pater.

[c] Nostri mss. verba, *omnes autem vos fratres estis*, ignorant. In Græco quoque ipso desunt, in cujus uno alterove antiquo exemplari ad finem sequentis versus post verba, *in cœlis est*, adjiciuntur.

[d] Victorius ait : Tres Florentini codd. ita legunt, *vel diversa lucra a discipulis captanda quasi per imaginem sanctitatis*. Nos nihil mutavimus : utraque enim lectio bona.

hæc studiosissime repetebantur [*Al.* repetebant]. Arguit ergo eos Dominus, et stultitiæ et fraudulentiæ, quod multo majus sit templum quam aurum, quod sanctificatur a templo, et altare quam hostiæ, quæ **187** sanctificantur ab altari. Totum autem faciebant, non ob Dei timorem, sed ob divitiarum cupiditatem.

(Vers. 23.) *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia decimatis mentham et anethum et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt Legis, judicium, et misericordiam, et fidem. Hæc oportuit facere, et illa non omittere.* Multa in Lege præcepta sunt, quæ typos præferunt futurorum. Alia vero aperta sunt [a] juxta Psalmistam, dicentem: *Mandatum Domini lucidum, illuminans oculos* (*Psal.* XVIII, 9), quæ statim opera desiderant. Verbi gratia: Non adulterabis: non furtum facies: non testimonium falsum dices, etc. Pharisæi autem, quia præceperat Dominus (ut interim intellectus mysticos dimittamus) propter alimoniam sacerdotum et Levitarum, quorum pars erat Dominus, omnium rerum offerri in templo decimas; hoc unum habebant studii, ut quæ jussa fuerant, comportarentur: cætera quæ erant majora, utrum quis faceret, an non, parvipendebant. Et ex hoc itaque capitulo arguit eos avaritiæ, quod studiose etiam vilium olerum decimas exigant, et judicium in disceptatione negotiorum, misericordiamque in pauperes, pupillos et viduas, et fidem in Deum, quæ magna sunt, prætermittant.

(Vers. 24.) *Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Camelum puto esse, secundum sensum præsentis loci, et magnitudinem præceptorum, judicium, et misericordiam, et fidem. Culicem autem decimas mentiræ, anethi, cymini, et reliquorum vilium olerum. Hæc contra præceptum Dei, quæ magna sunt, devoramus atque negligimus, et opinionem religionis in parvis, quæ lucrum habent, diligentiam demonstramus.

(Vers. 25, 26.) *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis et paropsidis, intus autem pleni estis rapina et immunditia. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat et id quod deforis est mundum.* Diversis verbis, eodem sensu, quo supra, arguit Pharisæos simulationis atque mendacii, quod aliud [b] ostentent hominibus foris, aliud domi agant. Non quod in calice et paropside eorum superstitio moraretur; sed **188** quod foris hominibus ostenderent sanctitatem, in habitu, in sermone, in phylacteriis, in fimbriis, in orationum longitudine, et cæteris hujusmodi, intrinsecus autem essent vitiorum sordibus pleni.

(Vers. 27, 28.) *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia. Sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi: intus autem pleni estis* A *hypocrisi et iniquitate.* Quod in calice et paropside demonstrarat, eo quod foris loti essent, et intrinsecus sordidi, hoc nunc per exemplum sepulcrorum replicat: quod quomodo sepulcra forinsecus lita sunt calce, et ornata marmoribus et auro coloribusque distincta, intus autem plena sunt ossibus mortuorum: sic et perversi magistri, qui alia docent, et alia faciunt, munditiam habitu vestis, et verborum humilitate demonstrant: intus autem pleni sunt omni spurcitia, et libidine. Denique manifestius hoc ipsum exprimit, inferens: *Sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi: intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate.*

(Vers. 29 seqq.) *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia ædificatis sepulcra prophetarum, et* B *ornatis monumenta justorum, et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non fuissemus socii eorum in sanguine prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis: quia filii estis eorum qui prophetas occiderunt.* Prudentissimo syllogismo coarguit eos filios esse homicidarum, dum ipsi opinione bonitatis et gloriæ in populos, sepulcra ædificant prophetarum, quos majores eorum interfecerunt, et dicunt: Si fuissemus tempore illo, non fecissemus ea quæ fecerunt patres nostri. Hoc autem etiamsi sermone non dicant, opere loquuntur, ex eo quod ambitiose et magnifice ædificent memorias occisorum, quos a patribus suis esse jugulatos non negant.

Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Probato superioribus dictis, quod filii essent homicidarum, C et eorum qui prophetas occidissent, nunc concludit quod voluerat, et quasi extremam syllogismi partem ponit. Et vos implete mensuram patrum vestrorum. **189** Quod illis defuit, vos adimplete. Illi interfecerunt servos: vos Dominum crucifigite. Illi prophetas: vos eum qui a prophetis prædicatus est.

(Vers. 33.) *Serpentes,* [Al. additur *et*] *genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ?* Hoc ipsum et Joannes Baptista dixerat (*Luc.* III). Sicut ergo de viperis nascuntur viperæ: sic de homicidis patribus, vos, inquit, nati estis homicidæ.

(Vers. 34.) *Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et per-* D *sequemini de civitate in civitatem.* Hoc quod antea dixeramus, *Implete mensuram patrum vestrorum,* ad personam Domini pertinere, eo quod occidendus esset ab eis, potest et ad discipulos ejus referri, de quibus nunc dicit: *Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem,* ut impleatis mensuram patrum vestrorum. Simulque observa juxta Apostolum scribentem ad Corinthios (I *Cor.* VII), varia esse dona discipulorum Christi; alios prophetas, qui ventura [c] prædicant; alios sapientes, qui noverint

[a] Interserit Rhabb., *et illuminant oculos.*
[b] Antea erat, *aliud ostendant.*

[c] Hic quoque erat minus recte antea, *prædicent,* pro *prædicant,* quod mss. substituunt: ut et *nore-*

quando debeant proferre sermonem; alios scribas A in Lege doctissimos, ex quibus lapidatus est Stephanus, Paulus occisus, crucifixus Petrus, flagellati in Actibus apostolorum discipuli: et persecuti eos sunt de civitate in civitatem; expellentes de Judæa, ut ad gentium populum transmigrarent.

(Vers. 35, 36.) *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.* **190** De Abel nulla est ambiguitas, [a] quin is sit quem Cain frater ejus occiderit. Justus autem non solum ex Domini nunc sententia, sed ex Genesis testimonio comprobatur (*Genes.* IV), ubi accepta ejus a Deo narrantur munera. Quærimus quis iste B sit Zacharias filius Barachiæ, quia multos legimus Zacharias. Et ne libera nobis tribueretur erroris facultas, additum est: *quem occidistis inter templum et altare.* In diversis diversa legi, et debeo singulorum opiniones ponere. Alii Zachariam filium Barachiæ dicunt, qui in duodecim prophetis undecimus est, patrisque in eo nomen consentiat [*Al.* consentit]; sed ubi occisus sit inter templum et altare Scriptura non loquitur: maxime cum temporibus ejus vix ruinæ templi fuerint. Alii Zachariam patrem Joannis intelligi volunt, ex quibusdam apocryphorum somniis approbantes, quod propterea occisus sit, quia Salvatoris prædicarit [*Al.* prædicaret] adventum. Hoc quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Alii istum C volunt Zachariam, [b] qui occisus est a Joas rege Judæ inter templum et altare, sicut Regum narrat historia. Sed observandum, quod ille Zacharias non sit filius Barachiæ, sed filius Joiadæ sacerdotis. Unde et Scriptura refert: *Non fuit recordatus Joas patris ejus Joiadæ,* [c] *quia sibi fecisset bona* (II *Paral.* XXIV, 22). Cum ergo et Zachariam teneamus, et occisionis consentiat locus, quærimus quare Barachiæ dicatur filius, et non Joiadæ? *Barachia* lingua nostra *benedictus Domini* dicitur: et sacerdotis Joiadæ *justitia.* [d] Hebræo sermone demonstratur. In Evangelio quo utuntur Nazaræni, pro *filio Barachiæ, filium Joiadæ* reperimus **191** scriptum. Simpliciores fratres inter ruinas templi et altaris, sive in portarum exitibus, quæ Siloam ducunt, rubra saxa monstrantes, Zachariæ sanguine putant esse polluta. Non condemnamus errorem, qui de odio Judæorum, et fidei pietate descendit. Dicamus breviter quare sanguis Abel justi, usque ad Zachariam filium Barachiæ ab illa generatione requiratur, cum neutrum eorum occiderit. [e] Regula Scripturarum est, duas generationes ponere, bonorum vel malorum, hoc est, singulorum singulas. De bonis sumamus exempla: *Quis ascendet in montem Domini? aut quis requiescet in monte sancto ejus* (*Ps.* XXIII, 3)? Cumque plures qui ascensuri sunt in montem Domini, descripsisset, qui diversis fuere ætatibus, postea infert: *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob.* Et in alio loco de omnibus sanctis: *Generatio justorum benedicetur* (*Ps.* CXI, 2). De malis vero, ut in præsenti loco: *Generatio viperarum.* Et *Requirentur omnia a generatione ista.* Et in Ezechiel, cum peccata terræ descripsisset, sermo propheticus adjecit: *Si Noe, et Job, et Daniel, ibi fuerint inventi, non dimittam peccata terræ illi* (*Ezech.* XIV, 14): Omnes justos qui similes forent virtutibus eorum, [f] per Noe et Job et Daniel volens intelligi. Ergo et isti qui similia Cain et Joas contra apostolos gesserint, de una generatione esse referuntur.

(Vers. 37.) *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti!* Jerusalem,

runt, pro noverint, aliaque id genus leviora passim.

[a] Rhabb., *quin sit justus, quem Cain*, etc.

[b] Hæc porro, quam et Hieronymus probat, propior ad veritatem videtur sententia, quæ Zachariam Barachiæ filium, de quo Matth. XXIII, 35, eumdem facit esse cum Zacharia Joiadæ filio, non levi suffragante Hebraici Nazaræorum codicis auctoritate, in quo pro Barachiæ nomine, Joiadæ nomen S. Pater invenit. Concessere autem in hanc ipsam sententiam jampridem interpretes magni nominis, quos singillatim laudare non vacat. Qui vero aliam ab hac propugnant, præter vetustissimorum Patrum auctoritatem, qui Zachariam Joannis Baptistæ patrem hic a Matthæo significari vulgo putant, id quoque opponunt, quod Zacharias iste, de quo loquitur Christus, summum pontificatum gessisse non dicatur, quem tenuit revera iste Joiadæ filius. Ad hæc ille neci traditus dicatur, *inter templum et altare*, quod est, inter vestibulum templi, et altare holocaustorum, sive ad ejus altaris occidentem. Hic vero ex Joiada parente natus, *in atrio domus Domini*, quod significare videtur, in atrio populi, Paralipomenon libro teste, fuerit occisus. Nihilominus perplacet illa Hieronymi sententia, in eaque sisto.

[c] Rectius ad Græcum textum nostri mss.: *quæ sibi*, etc., pro *quia*.

[d] Ita legit ms. Codex Beccensis: alii cum editis, *Hebræo nomine demonstratur. Joiada* itaque significat *Domini cognitionem*, non *justitiam*; ut testis est Hieronymus in libro Hebraicorum Nominum: sed sacerdotis Joiadæ justitia Hebræo sermone demonstratur, quia apud Hebræos *scientia Domini* accipitur pro *justitia* ac pietate. Isaiæ XI: *Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo; quia re-* D *pleta est terra* scientia Domini, *sicut aquæ maris operientes.* Hic et alibi, *scientia* accipitur pro *justitia*, cultu Dei ac pietate. MART. — In Cisterciensi ms., *Hebræorum nomine:* olim vulgati, *Hebræo nomine.* Equidem scio, Joiadah sonare, *Dominus novit.* Unde et Hieronymus in Lib. Nom. *Domini cognitionem* interpretatur. Qui vero possit significare *justitiam*, ante Martianæum Victorius utcumque ostendere conatus est ex eo, quod in Scripturis *scientia Domini*, pro *justitia* ac veritate accipiatur. Late enim, inquit, justitiæ vox patet, unde Psalmus XVIII: *Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*, similem habet significationem. Voxque Hebraica ibi non est צדקי, sed פקודי. Sicut Psal. XVII, *Et justitias ejus non repuli a me;* pro justitias ejus, חקותיו legitur in Hebræo.

[e] Tres Palat. mss.: *Regula Scripturarum est, duas generationes bonorum et malorum nosse, hoc est*, etc.

[f] Voculam *per*, ignorant Palatini mss.

non saxa et ædificia civitatis, sed habitatores vocat, A quam plangit patris affectu, sicut et in alio loco legimus, quod videns eam fleverit (*Luc.* XIX). In eo autem quod dicit : *Quoties volui congregare filios tuos*, omnes retro prophetas a se missos esse testatur. Gallinæ quoque similitudinem congregantis sub alas pullos suos, in cantico Deuteronomii legimus : *Sicut aquila protegit nidum suum, et super pullos suos* [a] *desideravit, expandens alas suas suscepit et tulit super pennas suas* (*Deut.* XXXII, 11).

192 (Vers. 38.) *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Hoc ipsum ex persona Jeremiæ jam ante dixerat : *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam : facta est mihi hæreditas mea quasi spelunca hyænæ* [b] (*Jer.* XII, 7, 8). Desertam Judæorum domum, id est, templum illud, quod [c] fulgebat au- B gustius, oculis comprobamus : quia habitatorem Christum perdidit, et hæreditatem præripere gestiens, occidit hæredem.

(Vers. 39.) *Dico enim vobis: non me videbitis amodo, donec dicatis : Benedictus qui* [d] *venit in nomine Domini.* Ad Jerusalem loquitur, et ad populum Judæorum. Versiculum autem istum, quo et parvuli atque lactentes in ingressu Jerusalem Domini Salvatoris usi sunt, quando dixerunt : *Benedictus qui venit in nomine Domini, osanna in excelsis*, sumpsit de centesimo decimo septimo psalmo, qui manifeste de adventu Domini scriptus est. Et quod dicit, hoc vult intelligi : Nisi pœnitentiam egeritis (*Luc.* XIII), et confessi fueritis ipsum me esse, de quo Prophetæ cecinerunt, Filium omnipotentis Patris, meam faciem C non videbitis. Habent Judæi datum sibi tempus pœnitentiæ : confiteantur benedictum qui venit in nomine Domini, et Christi ora conspicient.

(Cap. XXIV. — Vers. 1, 2.) *Et egressus Jesus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi. Ipse autem respondens, dixit illis : Videtis hæc omnia? Amen dico vobis : non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Juxta historiam manifestus est sensus. Recedente autem Domino de templo, omnia legis ædificia, et compositio mandatorum ita destructa est, ut nihil a Judæis possit impleri ; et capite sublato, universa inter se membra compugnent.

(Vers. 3, 4.) *Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes :* D *Dic nobis quando hæc erunt, et quod signum adventus tui, et consummationis sæculi ? Et respondens Jesus, dixit eis : Videte ne quis vos seducat.* Sedet in monte Oliveti, ubi verum lumen scientiæ nascebatur, et accedunt ad eum **193** discipuli secreto, qui mysteria et futurorum revelationem nosse cupiebant, et interrogant tria : Quo tempore Jerusalem destruenda sit ; quo venturus Christus ; quo consummatio sæculi futura sit.

(Vers. 5.) *Multi enim venient in nomine meo, dicentes : Ego sum Christus, et multos seducent.* Quorum unus est Simon Samaritanus, quem in Actibus apostolorum legimus, qui se magnam dicebat esse Dei virtutem (*Act.* VIII), hæc quoque inter [*Al.* et] cætera in suis [e] voluminibus scripta dimittens : *Ego sum sermo Dei, ego sum speciosus, ego paracletus, ego omnipotens, ego omnia Dei.* Sed et Joannes apostolus in epistola sua loquitur : *Audistis quia Antichristus venturus est, nunc autem Antichristi multi sunt* (I *Joan.* II, 18). Ego reor omnes hæresiarchas, Antichristos esse, et sub nomine Christi ea docere, quæ contraria sunt Christo. Nec mirum si aliquos ab his videamus seduci, cum Dominus dixerit : *Et multos seducent.*

(Vers. 6.) *Audituri enim estis prœlia, et opiniones prœliorum : videte ne turbemini. Oportet enim hæc fieri ; sed nondum est finis.* Cum hæc igitur fieri viderimus, non putemus diem instare judicii, sed in tempus illud reservari, cujus signum perspicue in consequentibus ponitur.

(Vers. 7, 8.) *Consurget enim gens contra gentem, et regnum contra regnum, et erunt pestilentiæ et fames, et terræmotus per loca. Hæc autem omnia initia sunt dolorum.* Non ambigo et hæc quidem juxta litteram futura quæ scripta sunt : sed mihi videtur regnum contra regnum, et pestilentia eorum, quorum sermo serpit ut cancer (II *Tim.* II), et fames audiendi verbum Dei, et commotio universæ terræ, et a vera fide separatio, in hæreticis magis intelligi, qui contra se invicem dimicantes, Ecclesiæ victoriam faciunt. Quod autem dixit : *Hæc autem omnia initia sunt dolorum*, melius transfertur, *parturitionum* : ut quasi conceptus quidam adventus Antichristi, non partus intelligatur.

(Vers. 9.) *Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos ; et eritis odio omnibus gentibus* **194** *propter nomen meum.* Per apostolos omnium credentium persona signatur, non quo eo tempore apostoli in corpore reperiendi sint.

[a] Iidem mss., *desiderat* ; rectius vero ad Græcum textum, cum olim vulgatis, verbo, *suscepit*, addunt *eos* ; Græce, ἐδέξατο αὐτούς.

[b] In vetustioris Palat. codicis albo in calce paginæ huc revocanda in textum hæc subduntur glossatoris verba : *Est animal, quod Græce dicitur hyæna, Latine bellua, de qua Lex dicit : Non manducabis hyænam, neque quod simile est illi, quoniam immundum animal est. Physiologus dicit de eo, quoniam duas naturas habet, aliquando quod masculus est, aliquando femina. Cui similes æstimati sunt filii Israel, quoniam ab initio quidem servierunt Deo vivo, postea vero deliciis et luxuriis dediti, idola coluerint.*

[c] In Palat. mss., *quod ante fulgebat augustum.*

[d] Duo mss., *qui venturus est.*

[e] Auctor Constitutionum Apostolic. : Οἴδαμεν γὰρ ὅτι οἱ περὶ Σίμωνα καὶ Κλεόβιον ἰώδη συντάξαντες βιβλία ἐπ' ὀνόματι Χριστοῦ, καὶ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, περιφέρουσιν εἰς ἀπάτην, etc. *Scimus enim, quod qui Simonem Cleobiumque sectantur, venenatos componentes libros sub Christi et discipulorum ejus nomine circumferunt ad decipiendos vos.* Memorat quoque Auctor de Divinis nominibus cap. 6 : Σίμωνος ἀντιῤῥητικοὺς λόγους. In Præfat. Arabica ad Concilium Nicænum : *Sibi autem perfidi isti Simonitæ Evangelium effinxerunt, quod in quatuor tomos secantes, librum quatuor angulorum et cardinum mundi appellarunt.*

(Vers. 12, 13.) *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit.* Non omnium negavit fidem, sed multorum. Multi enim vocati, pauci vero electi. Nam in apostolis et similibus eorum permansura est charitas, de qua scriptum est: [a]*Aquæ multæ non poterunt exstinguere charitatem* (*Cant.* VIII, 7). Et ipse Paulus: *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames* (*Rom.* VIII, 35)? et reliqua.

(Vers. 14.) *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio.* Signum Dominici adventus est, Evangelium in toto orbe prædicari, ut nullus sit excusabilis; quod aut jam completum, aut in brevi cernimus esse complendum. Non enim puto aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret. Et quamquam non habuerit prædicatorem, tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non potest ignorare.

(Vers. 15.) *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.* Quando ad intelligentiam provocamur, mysticum monstratur esse quod dictum est. Legimus autem in Daniele hoc modo: *Et in dimidio hebdomadis auferetur sacrificium et libamina, et in templo abominatio desolationum erit usque ad consummationem temporis, et consummatio dabitur super solitudinem.* De hoc et apostolus loquitur (II *Thess.* II): quod homo iniquitatis et adversarius elevandus sit contra omne quod dicitur Deus, et colitur; ita ut audeat stare in templo Dei, et ostendere [b] quod ipse sit Deus, cujus adventus secundum operationem Satanæ destruat eos, et ad Dei solitudinem redigat, qui se susceperint. Potest autem simpliciter aut de Antichristo accipi, aut de imagine Cæsaris, quam Pilatus posuit in templo; aut de Hadriani equestri statua, quæ in **195** ipso sancto sanctorum loco usque in præsentem diem stetit. Abominatio quoque, secundum veterem Scripturam, idolum nuncupatur; et idcirco additur, *desolationis;* quod in desolato templo atque destructo idolum positum sit.

(Vers. 16 seq.) *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes; et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua; et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.* Abominatio desolationis intelligi potest, et omne dogma perversum; quod cum viderimus stare in loco sancto, hoc est, in Ecclesia, et se ostendere Deum, debemus fugere de Judæa ad montes, hoc est, dimissa occidente littera et Judaica pravitate, appropinquare montibus æternis, de quibus illuminat mirabiliter Deus (*Ps.* LXXV); et esse in tecto et in domate, quo non possint ignita diaboli jacula pervenire: nec descendere et tollere aliquid de domo conversationis pristinæ: nec quærere quæ retrorsum sunt; sed magis serere in agro spiritualium Scripturarum, ut fructus capiamus ex eo. Nec tollere alteram tunicam, quam apostoli habere prohibentur. De hoc loco, id est, de abominatione desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, stante in loco sancto, multa Porphyrius tertio decimo operis sui volumine contra nos blasphemavit, cui Eusebius Cæsariensis episcopus tribus respondit voluminibus, decimo octavo, decimo nono, et vicesimo. Apollinaris [*Al.* Apollinarius] quoque scripsit plenissime: superflueque conatus est uno capitulo velle disserere, de quo tantis versuum millibus disputatum est.

(Vers. 19.) *Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus.* Væ illis animabus, quæ non in perfectum virum sua genimina perduxerunt, sed initia habent fidei, ut enutritione indigeant magistrorum. Hoc quoque dici potest, quod in persecutione Antichristi, seu Romanæ captivitatis, prægnantes et nutrientes, uteri et filiorum sarcina prægravati, expeditam fugam habere non quiverint.

(Vers. 20.) *Orate autem, ut non fiat fuga vestra hieme, vel sabbato.* Si de captivitate Jerusalem voluerimus accipere, quando a Tito et Vespasiano capta est, orare debent, ne fuga eorum hieme, vel sabbato fiat; quia in altero duritia frigoris prohibet ad solitudines pergere, **196** et in montibus desertisque latitare: in altero, aut transgressio Legis est, si fugere voluerint, aut mors imminens, si remanserint. Si autem de consummatione mundi intelligitur, hoc præcipit, ut non refrigescat fides nostra et in Christum charitas, neque ut otiosi in opere Dei torpeamus virtutum sabbato.

(Vers. 22.) *Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur dies illi.* Abbreviatos dies, non secundum deliramenta quorumdam (qui putant temporum momenta mutari; nec recordantur illius scripti: *Ordinatione tua permanet dies* [*Ps.* CXVIII, 91], sed juxta temporum qualitatem sentire debemus, id est, abbreviatos non mensura, sed numero; ut quomodo in benedictione dicitur: *Longitudine dierum replebo eum* (*Ps.* XC); sic et nunc abbreviati dies intelligantur: ne temporum mora, fides concutiatur credentium.

(Vers. 23.) *Tunc si quis vobis dixerit: ecce hic Christus, aut illic; nolite credere.* Multi captivitatis Judaicæ tempore principes exstitere, qui Christos esse se dicerent: intantum ut obsidentibus Romanis, tres intus fuerint factiones. Sed melius de consummatione mundi intelligitur.

(Vers. 24.) *Surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia; ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi vobis.* Tripliciter, ut ante jam dixi, locus

[a] Plerique mss., *aqua multa non poterit exstinguere.*

[b] Unus Palatin., *quod ipse sit Christus*, pro *Deus.* Et paulo post, *ad solitudinem redigat*, absque *Dei* interjecto vocabulo.

hic disserendus est; aut de tempore obsidionis Romanæ; aut de consummatione mundi; aut de hæreticorum contra Ecclesiam pugna, et istiusmodi antichristis, qui sub opinione falsæ scientiæ contra Christum dimicant.

(Vers. 25, 26.) *Si ergo dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere.* Si quis promiserit vobis quod in deserto gentilium et philosophorum dogmate Christus moretur; aut in hæreticorum penetralibus, qui Dei pollicentur arcana, nolite exire, nolite credere; sive (quia persecutionis et angustiarum tempore semper pseudoprophetæ decipiendi inveniunt locum) si quis sub nomine Christi se jactare voluerit, non statim accommodetis fidem.

(Vers. 27.) *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem; ita erit et adventus Filii hominis.* Nolite exire, nolite credere, quod Filius hominis vel **197** in deserto gentium sit, vel in penetralibus hæreticorum; sed quod ab Oriente usque in Occidentem, fides ejus in catholicis Ecclesiis fulgeat. Hoc quoque dicendum, quod secundus Salvatoris adventus non in humilitate ut prius, sed in gloria demonstrandus sit. Stultum est itaque eum in parvo loco vel abscondito quærere, qui totius mundi lumen sit.

(Vers. 28.) *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ.* De exemplo naturali quod quotidie cernimus, Christi instruimur sacramento. Aquilæ et vultures etiam trans maria dicuntur sentire cadavera, et ad escam hujuscemodi congregari. Si ergo irrationabiles volucres naturali sensu tantis terrarum spatiis, et maris fluctibus separatæ, parvum cadaver sentiunt ubi jaceat: quanto magis nos et omnis multitudo credentium debet festinare ad eum, cujus fulgur exit ab Oriente, et paret usque ad Occidentem! Possumus autem corpus, id est, πτῶμα, quod significantius Latine dicitur *cadaver*, ab eo quod [a] per mortem cadat, passionem Christi intelligere, ad quam provocamur; ut ubicumque in Scripturis legitur, congregemur, et per illam venire possimus ad Verbum Dei, ut est illud: *Foderunt manus meas et pedes meos* (*Ps.* XXI, 17). Et in Isaia: *Sicut ovis ad victimam ductus* (*Isa.* LIII, 7); et cætera his similia. Aquilæ autem appellantur sancti, quibus innovata est juventus ut aquilæ; et qui juxta Isaiam plumescunt, et assumunt alas, ut ad Christi veniant passionem (*Isai.* XLVI).

(Vers. 29.) *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur.* Sol et luna obscurabuntur, et non

A dabunt lumen suum; et cætera astra cadent de cœlo, virtutesque cœlorum commovebuntur, non diminutione luminis (alioquin legimus solem septuplum habiturum luminis [*Ibid.* XXX]), sed quod ad comparationem veræ lucis omnia visui tenebrosa sint. Si itaque iste sol, qui nunc per totum orbem rutilat, et luna quæ secundum est luminare, et stellæ quæ ad solatium noctis accensæ sunt, omnesque virtutes (quas angelorum multitudines **198** intelligimus) in adventu Christi in tenebras reputabuntur: decutiatur supercilium eorum, qui se sanctos arbitrantes præsentiam judiciis non formidant.

(Vers. 30.) *Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo.* Signum hic, aut crucis intelligamus, ut videant (juxta Zachariam (*Zach.* XII) et Joannem

B [*Joan.* XIX]) Judæi quem compunxerunt; aut vexillum victoriæ triumphantis.

Et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate. Plangent hi qui municipatum non habuere in cœlis, sed scripti sunt in terra.

(Vers. 31.) *Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna; et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum.* De hac tuba et Apostolus loquitur (I *Cor.* XV; I *Thess.* IV): et in apocalypsi Joannis legimus (*Apoc.* VIII): et in veteri Testamento (*Num.* X), tubæ ductiles ex auro, et ære argentoque fieri præcipiuntur; ut sublimia doctrinarum resonent sacramenta.

C (Vers. 32, 33.) *Ab arbore autem fici discite parabolam: cum jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, scitis quia prope est æstas. Ita et vos cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis.* Sub exemplo arboris, docuit consummationis adventum. Quomodo, inquit, quando teneri fuerint in arbore ficus [b] cauliculi, et gemma erumpit in florem, cortexque folia parturit, intelligitis æstatis adventum, et Favonii ac Veris introitum: ita cum hæc omnia quæ scripta sunt, videritis, nolite putare jam adesse consummationem mundi, sed quasi [c] procœmia et præcursores quosdam venire; ut ostendant quod prope sit et in januis.

(Vers. 34.) *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia ista fiant.* Supra diximus

D generationes bonorum, et econtrario malorum esse singulas. Igitur aut omne genus hominum significat, aut specialiter Judæorum.

(Vers. 35.) *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Cœlum et terra transibunt immutatione, non abolitione sui: alioquin quomodo sol **199** obscurabitur, et luna non dabit lumen

[a] Sanctus quoque Hilarius in hunc locum: *Sanctos*, inquit, *de volatu spiritalis corporis aquilas nuncupavit, quorum congregantibus angelis, conventum futurum in loco passionis ostendit.* Illud vero πτῶμα Origenem sapit. Vide, etc.

[b] Vitiose Martianæus *caliculi* legit; et Erasmum, cui placuit, *teneres... claviculi*, castigat. Veram lectionem, post Victorium, mss. nostri substituunt, qui et legunt, *et gemma eorum erupit*, etc. — Non recte legit Erasmus, *quando teneres fuerint in arbore ficus cauliculi.* Marianus restituit veram lectionem, quam retinent manuscripti nostri. MART.

[c] Unus Palatin., *quasi prævia, et præcursores*, etc. — Optimum exemplar ms. Ecclesiæ Narbonensis retinet hanc lectionem, *quasi prævios et præcursores*, etc. MART.

suum, et stellæ cadent, si cœlum in quo ista sunt, terraque non fuerit?

(Vers. 36.) *De die autem illa* [a] *et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus Pater.* In quibusdam Latinis codicibus additum est, [b] *neque Filius:* cum in Græcis, et maxime Adamantii et Pierii exemplaribus, hoc non habeatur ascriptum: sed quia in nonnullis legitur, disserendum videtur. Gaudent Arius et Eunomius, quasi ignorantia magistri, gloria discipulorum sit, et dicunt: Non potest æqualis esse qui novit, et qui ignorat. Contra quos breviter ista dicenda sunt: Cum omnia tempora fecerit Jesus, hoc est, Verbum Dei: *Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 3), in omnibus autem temporibus, etiam dies judicii sit: qua consequentia potest ejus ignorare partem, cujus totum noverit? Hoc quoque dicendum est: Quid est majus, notitia Patris, an judicii? Si majus novit, quomodo ignorat quod minus est? Scriptum legimus. *Omnia quæ Patris sunt, mihi tradita sunt* (*Luc.* X, 22). Si omnia Patris Filii sunt, qua ratione unius sibi diei notitiam reservavit, et noluit eam communicare cum Filio? Sed et hoc inferendum: Si novissimum diem temporum ignorat, ignorat et pene ultimum, et retrorsum omnes. Non enim potest fieri, ut qui primum ignorat, sciat quid secundum sit. Igitur quia probavimus non ignorare Filium [*Al. additur* Dei] consummationis diem: causa reddenda est cur ignorare dicatur. Apostolus super Salvatore scribit: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (*Coloss.* II, 3). Sunt ergo omnes thesauri in Christo sapientiæ et scientiæ, sed absconditi sunt. Quare absconditi sunt? Post resurrectionem interrogatus ab apostolis, de die manifestius respondit: *Non est vestrum scire tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate* (*Act.* I, 7). Quando dicit, *non est vestrum scire*, ostendit quod ipse sciat, sed non expediat nosse apostolis, ut semper incerti de adventu judicis, sic quotidie vivant, quasi die **200** alia judicandi sint. Denique et consequens Evangelii sermo idipsum cogit intelligi, dicens quoque Patrem solum nosse: in Patre comprehendit et Filium. Omnis enim pater, filii nomen est.

(Vers. 37 seq.) *Sicut autem in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui* [*Al.* nuptum] *tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam, et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes: ita erit et adventus Filii hominis.* Quæritur quomodo supra scriptum sit: *Surget enim gens contra gentem, et regnum contra regnum; et erunt pestilentiæ, et fames, et terræmotus;* et nunc ea futura memorentur quæ pacis indicia sunt. Sed existimandum, juxta Apostolum, quod post pugnas, et dissensiones, et pestilentias, et fames, et terræmotus, et cætera quibus genus vastatur humanum, brevi [*Al.* brevis] subsecutura sit pax, quæ quieta omnia repromittat, ut fides credentium comprobetur, utrum transactis malis, sperent judicem esse venturum. Hoc est enim quod in Paulo legimus: *Quando dixerint, pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor parturientis, et non effugient* (*I Thess.* V, 3).

(Vers. 40, 41.) *Tunc duo erunt in agro: unus assumetur, et unus relinquetur. Duæ molentes in mola: una assumetur, et una relinquetur.* Tunc, inquit, duo erunt in agro, quando, tempore videlicet consummationis atque judicii, duo in agro pariter invenientur eumdem habentes laborem, et quasi parem sementem, sed fructus laboris non æque recipientes. Duæ quoque molentes simul erunt: una assumetur, et una relinquetur. In duobus qui in agro commorantur, et in duabus quæ pariter molunt, vel Synagogam intellige, et [*Al.* vel] Ecclesiam, quod simul molere videantur in Lege, et de eisdem Scripturis farinam terere præceptorum Dei: vel cæteras hæreses, quæ de utroque Testamento, aut de altero videntur molere farinam doctrinarum suarum: et cum unum nominis Christiani propositum **201** habeant, non eamdem mercedem recipient: aliis assumptis, et aliis derelictis.

(Vers. 42, 43.) *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.* Perspicue ostendit quare supra dixerit: *De die autem illa* [c] *et hora nemo scit, neque Filius hominis, neque angeli, nisi Pater solus:* quod non expediat scire apostolis, ut pendulæ exspectationis incerto semper eum credant esse venturum, quem ignorant quando venturus sit. Et non dixit, *quia nescimus qua hora venturus sit Dominus;* sed *nescitis.* Præmissoque patrisfamilias exemplo, cur reticeat consummationis diem, manifestius docet, dicens:

Ideo et vos estote parati: quia nescitis qua hora Filius hominis venturus est. Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus ejus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille

[a] Voces, *et hora*, quæ et in nonnullis Græcis codd. desiderantur, hic duo Palatini nesciunt.

[b] Additum, *neque Filius*, legere est hodienum in antiquissimo Veronensi Evangeliorum exemplari. In eo quod Martianæus edidit, Italicæ, ut vocat, versionis habetur, *sed nec Filius.* Ad hunc vero Commentarii Hieronymiani locum Beccensis penes eumdem Martianæum codex, *neque Filius hominis.* Si Græca consulas exemplaria, est in uno Cantabrigensi Græco-Latino οὐδὲ ὁ υἱός, *neque Filius:* quod et ipse Chrysostomus legit. Nihilosecius S. Ambrosius, de Fide, lib. V, cap. 16, Arianorum fraudibus hoc tribuit additamentum: *Veteres*, inquit, *non habent codices Græci*, quia nec Filius, *sed non mirum, si et hoc falsarunt: qui Scripturas interpolavere divinas. Qua ratione autem videatur adjectum proditur, dum ad interpretationem tanti sacrilegii derivatur.*

[c] Hic quoque voces, *et hora*, Palatini mss. respuunt. Vide superiorem annotationem.

servus, quem cum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. Plenius inculcat et replicat, quare de die consummationis et hora nec angelos, [a] nec se scire prædixerit; sed solum Patrem, quod non expediat scire apostolis : et exemplum patrisfamilias, hoc est, sui et fidelium servorum, id est, apostolorum, ad cohortationem sollicitæ mentis interserit, ut spe præmiorum ministrent conservis in tempore suo cibaria doctrinarum.

(Vers. 48, 49.) *Si autem dixerit malus servus ille in corde suo, moram facit dominus meus venire, et cœperit percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriis.* Ex superioribus pendet, quod sicut sollicitus servus et semper adventum domini præstolans, tradit conservis cibaria in tempore suo, et postea super omnia bona patrisfamilias constituitur : ita econtrario, qui juxta Ezechielem dixit : *In tempora longa fiet istud* (*Ezech.* XII, 22), et non putat dominum cito esse venturum; factus securior, vacat epulis atque luxuriæ : et non lenem patremfamilias, sed severissimum sentiet judicem.

(Vers. 50, 51.) *Veniet dominus servi illius, in die qua non sperat, et hora qua ignorat : et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis : illic erit fletus et stridor dentium.* **202** Hoc ipsum docet, ut sciant quando non putatur dominus, tunc eum esse venturum, et vigilantiæ ac sollicitudinis dispensatores admonet. Porro quod dicit, *dividet eum*, non quo gladio eum dissecet; sed quo a sanctorum consortio eum separet, et partem ejus ponat cum hypocritis : cum his videlicet, qui erant in agro, et qui molebant, et nihilominus derelicti sunt. Sæpe diximus hypocritam aliud esse, aliud ostendere : sicut et in agro, et in mola idem videbatur facere, quod ecclesiasticus vir, sed exitus diversæ voluntatis apparuit.

(Cap. XXV. — Vers. 1 seq.) *Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum. Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* Hanc parabolam, id est, similitudinem decem virginum, fatuarum atque prudentium, quidam simpliciter in virginibus interpretantur : quarum aliæ, juxta Apostolum, et corpore et mente sunt virgines : aliæ virginitatem tantum corporum reservantes, vel cætera opera non habent proposito suo similia, vel parentum
A custodia reservatæ, nihilominus mente nupserunt (I *Cor.* VII). Sed mihi videtur ex superioribus alius sensus esse qui dicitur, et non ad virginalia corpora, sed ad omne hominum genus comparatio pertinere. Sicut enim duo in agro, et duæ molentes, duos significant populos, Christianorum et Judæorum, sive sanctorum et peccatorum, qui in Ecclesia constituti, videntur quidem et ipsi arare et molere; sed cuncta in hypocrisi faciunt : sic et nunc decem virgines omnes homines complectuntur, qui videntur Deo credere, et applaudunt sibi in Scripturis sanctis, tam ecclesiasticos, quam Judæos, atque hæreticos. Qui idcirco omnes virgines appellantur, quia gloriantur in unius Dei notitia, et mens eorum idololatriæ turba [*Al.* turbine] non
B constupratur. Oleum habent virgines, quæ juxta fidem et operibus adornantur. Non habent oleum, quæ videntur simili quidem fide Dominum confiteri; sed virtutum opera negligunt. Possumus quinque virgines, sapientes et stultas, quinque sensus **203** interpretari : quorum alii festinant ad cœlestia, et superna desiderant : alii terrenis fæcibus inhiantes, fomenta non habent veritatis, quibus sua corda illuminent. De visu, et auditu, et tactu spiritualiter dictum est : *Quod vidimus, quod audivimus, quod oculis nostris perspeximus, et manus nostræ palpavere* (I *Joan.* I, 1). De gustu : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus* (*Ps.* XXXIII, 9). De odoratu : *In odorem unguentorum tuorum currimus* (*Cant.* I, 3). Et : *Christi bonus odor sumus* (II *Cor.* II, 15).

C (Vers. 5.) *Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt.* Non enim parum temporis inter priorem et secundum adventum Domini prætergreditur. *Omnes dormitaverunt*, id est, mortuæ sunt : quia sanctorum mors somnus appellatur. Consequenter autem dicitur, *dormierunt* : quia postea suscitandæ sunt.

(Vers. 6.) *Media autem nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Subito enim quasi intempesta nocte, et securis omnibus, quando gravissimus sopor est, per angelorum clamorem, et [b] tubas præcedentium fortitudinum, Christi resonabit adventus. Dicamus aliquid quod forsitan lectori utile sit. Traditio Judæorum est, Christum media nocte venturum in similitudinem Ægyptii temporis, quando Pascha celebratum est, et extermina-
D tor venit, et Dominus super tabernacula transiit, et sanguine agni postes nostrarum frontium consecrati sunt (*Exod.* XII). Unde reor et traditionem apostolicam [c] permansisse, ut in die vigiliarum Pa-

[a] Penes Victorium, *nec angelos cœlorum scire prædixerit.*

[b] Corrupte penes Martianæum, *et turbas.*

[c] Traditionem apostolicam vocat etiam Epiphanius, hæres. 70. Et vero ex ea constitutio illa apostolica efficta est in Clementinis, lib. V, cap. 19 : *Sabbato* (ante Paschalem Dominicam) *usque ad gallicinium permanentes, illucescente una sabbatorum, quæ est dies Dominica, jejunium solvite, a vespera usque ad galli cantum vigilantes, et in Ecclesia congregati in unum vigiliis, orationibus, et ad Deum precibus vacate.* Insigniora autem sunt de pervigilio Paschæ aliorum testimonia : puta Lactantii, lib. VII, cap. 19, quæ ferme descripsit Isidorus, Originum lib. VI, cap. 17 : *Hæc est nox quæ nobis propter adventum regis, ac Dei nostri pervigilio celebratur, cujus noctis duplex ratio est, quod in ea et vitam tum recepit cum passus est, et postea orbis terræ regnum recepturus est.* Hieronymo suppar Palladius in vita Chrysostomi : *Excubat populus in partibus nostris ad primum usque galli cantum*, etc. Vulgo autem Patribus *vigiliarum nox* audit.

sebæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, exspectantes adventum Christi. [a] Et postquam illud tempus transierit, securitate præsumpta, festum cuncti agunt diem. Unde et Psalmista dicebat : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ* (*Psal.* CXVIII, 62).

(Vers. 7.) *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas.* Omnes **204** virgines surrexerunt, et ornaverunt unaquæque lampades suas, id est, sensus, in quibus oleum scientiæ recipiebant, ut [b] haberent opera virtutum, quæ ante verum judicem refulgerent.

(Vers. 8.) *Fatuæ autem sapientibus dixerunt : Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur.* Quæ lampades suas queruntur exstingui, ostendunt eas ex parte lucere : et tamen non habent lumen indeficiens, nec opera perpetua. Si quis igitur habet animam virginalem, et amator est pudicitiæ, non debet mediocribus esse contentus, quæ cito exolescunt, et exorto caumate, arefiunt ; sed perfectas virtutes sequatur, ut lumen habeat sempiternum.

(Vers. 9.) *Responderunt prudentes, dicentes : Ne forte non sufficiat nobis et vobis.* Hoc non de avaritia, sed de timore respondent. Unusquisque enim pro operibus suis mercedem recipiet, neque possunt in die judicii aliorum virtutes, aliorum vitia sublevare. Et quomodo tempore Babyloniæ captivitatis, Jeremias peccatores juvare non potuit, et dicitur ad eum : *Ne oraveris pro populo isto* (*Jerem.* VII, 16) : sic formidolosa erit illa dies, cum unusquisque pro semetipso sollicitus erit.

Ite potius ad vendentes, et emite vobis. Venditur hoc oleum, et multo emitur pretio, ac difficili labore conquiritur, quod in eleemosynis cunctisque virtutibus et consiliis intelligimus magistrorum.

(Vers. 10.) *Dum autem irent emere, venit sponsus.* Dant quidem quasi prudentes consilium, quod non debeant sine oleo lampadarum sponso occurrere : verum quia jam emendi tempus excesserat, et adveniente judicii die, locus non erat pœnitentiæ, Psalmista dicente : *In inferno autem quis confitebitur tibi* (*Psal.* VI, 6) ? non nova opera [c] patrare, sed præteritorum coguntur rationem exsolvere.

Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. Post **205** judicii diem, bonorum operum, et justitiæ occasio non relinquitur [*Al.* relinquetur].

(Vers. 11.) *Novissime vero veniunt et reliquæ virgines, dicentes : Domine, domine, aperi nobis.* Egregia quidem in Domini appellatione confessio, idemque repetitum, indicium fidei est. Sed quid prodest voce invocare, quem operibus neges ?

(Vers. 12.) *At ille respondens, ait : Amen dico vobis, nescio vos.* Novit Dominus eos qui ejus sunt, et qui ignorat, ignorabitur (II *Tim.* II, 19). Nescit Dominus operarios iniquitatis : et licet virgines sint, et secundum duplicem intelligentiam de corporis puritate, et de confessione veræ glorientur fidei (I *Cor.* XIV, 38) ; tamen quia oleum non habent scientiæ, sufficit eis pro pœna quod ignorantur a sponso.

(Vers. 13.) *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Prudentem semper admoneo lectorem, ut non superstitiosis acquiescat interpretationibus, et quæ commatice pro fingentium dicuntur arbitrio, sed consideret priora, media, et sequentia, et nectat sibi universa quæ scripta sunt. Ex hoc ergo quod infert : *Vigilate, quia nescitis diem neque horam*, intelliguntur universa quæ dixit, id est, de duobus qui in agro sunt, et de duabus molentibus, et de patrefamilias, qui servo suo credit substantiam, et de decem virginibus, ideo parabolas esse præmissas, ut quia ignoramus [d] omnes judicii diem, sollicite nobis lumen bonorum operum præparemus, ne, dum ignoramus, judex veniat.

(Vers. 14, 15.) *Sicut enim homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, et profectus est statim.* Homo iste paterfamilias, haud dubium quin Christus sit, qui ad Patrem post resurrectionem victor ascendens, vocatis apostolis, doctrinam evangelicam tradidit, non pro largitate et parcitate alteri plus, et alteri minus tribuens, sed pro accipientium viribus : quomodo et Apostolus eos qui solidum cibum capere non poterant, lacte potasse se dicit (I *Cor.* IV). Denique et illum qui de quinque talentis, decem fecerat, et qui de duobus quatuor, simili recepit gaudio ; non considerans lucri magnitudinem, sed studii voluntatem. **206** In quinque, et duobus, et uno talento, vel diversas gratias intelligamus, quæ unicuique traditæ sunt. Vel in primo, omnes sensus examinatos : In secundo, intelligentiam et opera : In tertio, rationem, qua homines a bestiis separamur.

(Vers. 16.) *Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis ; et lucratus est alia quinque.* Acceptis terrenis sensibus cœlestium sibi notitiam duplicavit : ex creaturis intelligens Creatorem : ex corporalibus, incorporalia : ex visibilibus, invisibilia : ex brevibus, æterna.

[a] Aliquot mss., *Ut postquam :* moxque adeo, *agunt diem.* Alii cum pridem vulgatis, *festum cunctis agentibus diem.* Victorio emendare placuit, *festum cunctos agere diem.*

[b] Rescribit Victor. ex tribus Florentinis codicibus, junctis etiam Brixianis aliquot, *ut alerent ;* sic enim, ait, ad naturam olei, quo lumen alitur, magis alluditur.

[c] Martianæus legebat, *nova opera parare*, contradicentibus mss. Victorius quoque ante nos, codd. mss. suffragio, *patrare* rescripserat.

[d] Pro *omnes* quidam mss. *ut homines* præferunt ; alii, *homines*, dumtaxat. Sic Rhabb.

(Vers. 17.) *Similiter qui duo acceperat, lucratus est alia duo.* Et iste pro viribus quidquid in Lege didicerat, in Evangelio duplicavit: sive scientiam et opera præsentis vitæ, futuræ beatitudinis typos intellexit.

(Vers. 18.) *Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui.* Nequam servus terrenis operibus et sæculi voluptate, Dei præcepta neglexit et polluit: quamquam in alio evangelista scriptum sit, quod in sudario ligaverit (*Luc.* XIX), id est, doctrinam patrisfamilias molliter et delicate vivendo enervarit.

(Vers. 19, 20.) *Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.* Grande tempus est inter ascensionem Salvatoris, et secundum ejus adventum. Si autem apostoli reddituri sunt rationem, [a] et sub metu judicis resurrecturi, quid nos oportet facere?

(Vers. 21-23.) *Ait illi dominus ejus: Euge, serve bone, et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui. Accedens autem et qui duo talenta acceperat, ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi: ecce alia duo lucratus sum. Ait illi dominus ejus: Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui.* Utrique servo, ut ante jam dixi, et qui de quinque talentis, decem fecerat, et qui de duobus, quatuor, idem patrisfamilias sermo blanditur. Et notandum quod omnia quæ in præsenti habemus, **207** licet magna videantur et plurima: tamen comparatione futurorum, parva et pauca sunt. Intra, inquit, in gaudium domini tui, et suscipe quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt (I *Cor.* II). Quid autem potest majus dari fideli servo, quam esse cum Domino, et videre gaudium Domini sui?

(Vers. 24, 25.) *Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es: metis ubi non seminasti, et congregas ubi non sparsisti; et timens abii, et abscondi talentum tuum in terra. Et ecce habes quod tuum est.* Vere quod scriptum est: *Ad excusandas excusationes in peccatis* (*Ps.* CXL, 4), etiam huic servo contigit, ut ad pigritiam et negligentiam, superbiæ quoque crimen accederet. Qui enim simpliciter debuit inertiam confiteri, et orare patremfamilias, econtrario calumniatur, et dicit se prudenti fecisse consilio, ne dum lucra pecuniæ quæreret, etiam de sorte periclitaretur.

(Vers. 26-28.) *Respondens autem dominus ejus, dixit ei: Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam eam nummulariis, et veniens ego, recepissem utique quod meum est cum usura. Tol-*

A *lite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta.* Quod putaverat se pro excusatione dixisse, in culpam propriam vertitur. Servus autem malus appellatur: quia calumniam domino facit. Piger, quia noluit talentum duplicare, ut in altero superbiæ, in altero negligentiæ condemnetur. Si, inquit, durum et crudelem esse me noveras, et aliena sectari, ibique metere ubi non severim, quare non tibi istiusmodi cogitatio incussit timorem, ut scires me mea diligentius quæsiturum, et dares pecuniam meam, sive argentum nummulariis? Utrumque enim ἀργύριον, Græcus sermo significat. *Eloquia*, inquit, *Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum* (*Ps.* XI, 7). Pecunia ergo et argentum, prædicatio Evangelii est, et sermo
B divinus, qui dari debuit nummulariis et trapezitis, id est, vel cæteris doctoribus (quod fecerunt et apostoli, per singulas provincias presbyteros, et episcopos ordinantes), vel cunctis credentibus, qui possunt pecuniam duplicare, **208** et cum usuris reddere, ut quidquid sermone didicerant, opere explerent. Tollitur autem talentum, et datur ei qui decem talenta fecerat, ut intelligamus, licet in utriusque labore æquale sit gaudium domini, hoc est, et ejus qui quinque in decem duplicaverat, et ejus qui duo in quatuor: tamen majus deberi præmium ei, qui plus in domini pecunia laborarit. Unde dicit et Apostolus: *Presbyteros honora, qui vere presbyteri sunt, maxime qui laborant in verbo Dei* (I *Tim.* V, 17). Ex eo quod malus servus ausus est dicere: *Metis ubi non semi-*
C *nasti, et congregas ubi non sparsisti*, intelligimus, etiam gentilium et philosophorum bonam vitam recipere Dominum, et aliter habere eos qui juste, aliter qui injuste agant, et ad comparationem ejus qui naturali legi serviat, condemnari eos qui scriptam legem negligant.

(Vers. 29.) *Omni enim habenti dabitur, et abundabit: ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo.* Multi cum sapientes sint naturaliter, et habeant acumen ingenii, si fuerint negligentes, et desidia bonum naturæ corruperint, ad comparationem ejus qui paululum tardior, labore et industria compensavit quod minus habuit, perdunt bonum naturæ, et præmium quod eis fuerat repromissum, vident transire ad alios. Potest et sic intelligi: ei qui
D fidem habet, et bonam in Domino voluntatem, etiam si quid minus in opere ut homo habuerit, dabitur a bono judice. Qui autem fidem non habuerit, etiam cæteras virtutes quas videbatur naturaliter possidere, perdet. Et eleganter etiam, *quod videtur*, inquit, *habere auferetur ab eo.* Quidquid enim sine fide Christi est, non ei debet imputari qui male eo abusus est, sed illi qui malo etiam servo naturæ bonum tribuit.

(Vers. 30.) *Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus et stridor dentium.* Dominus lumen est; qui ab eo foras mittitur, caret vero lu-

[a] Penes Victor. verba, *et sub metu judicis resurrecturi*, desiderantur.

minæ. Quid sit autem fletus et stridor dentium, supra diximus.

(Vers. 31 seq.) *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo: tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes; et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis. Et statuet oves* **209** *quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris. Tunc dicet rex his qui a dextris ejus erunt.* Post biduum Pascha facturus, et tradendus cruci, et illudendus ab hominibus; et aceto ac felle potandus, recte præmittit gloriam triumphantis, ut secutura scandala, pollicitationis præmio compensaret. Et notandum quod qui in majestate cernendus est, Filius hominis sit. Quodque sequitur: *Statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris*, juxta illud intellige, quod alibi legis: *Cor sapientis in dextra ejus, et cor stulti in sinistra illius* (*Eccl.* x, 2). Et supra in hoc eodem Evangelio: *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* (*Supra* vi, 3). Oves in parte justorum stare jubentur ad dexteram: hædi, hoc est, peccatores, ad sinistram, qui semper pro peccato offeruntur in Lege (*Exod.* xii). Nec dixit, capras, quæ possunt habere fetus, et tonsæ egrediuntur de lavacro, omnes gemellis fetibus, et sterilis nulla inter eas (*Can.* iv); sed hædos, lascivum animal et petulcum, et fervens semper ad coitum.

(Vers. 34 seq.) *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare. Sitivi, et dedistis mihi bibere. Hospes eram, et collegistis me. Nudus, et operuistis me. Infirmus, et visitastis me. In carcere eram, et venistis ad me. Tunc respondebunt ei justi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te: sitientem, et dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te; aut nudum, et cooperuimus te: aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te? Et respondens rex, dicet illis.* Hoc juxta præscientiam Dei accipiendum, apud quem futura jam facta sunt.

(Vers. 40, 41.) *Amen dico vobis: quamdiu* [Al. *quando*] *fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet et his qui a sinistris erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare. Sitivi, et non dedistis mihi potum. Hospes eram, et non collegistis me. Nudus, et non operuistis me. Infirmus et in carcere eram, et non visitastis me. Tunc respondebunt ei et ipsi, dicentes:* **210** *Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Libera nobis erat intelligentia, quod in omni paupere Christus esuriens pasceretur, sitiens potaretur, hospes induceretur in tectum, nudus vestiretur, infirmus visitaretur, clausus carcere haberet solatium colloquentis. Sed ex hoc quod sequitur: *Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis*, non mihi videtur dixisse generaliter de pauperibus, sed de his qui pauperes spiritu sunt, ad quos tendens manum, dixerat: *Fratres mei et mater mea hi sunt, qui faciunt voluntatem Patris mei* (*Marc.* iii, 34, 35; *Luc.* viii, 21).

(Vers. 46.) *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Prudens lector, attende [a] quod et supplicia æterna sint, et vita perpetua metum deinceps non habeat ruinarum.

(Cap. XXVI. — Vers. 1 seq.) *Et factum est, cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis: Scitis quia post biduum pascha fiet: et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Erubescant qui putant Salvatorem timuisse mortem, et passionis pavore dixisse: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Luc.* xxii, 42). Post biduum pascha facturus, tradendum se ut crucifigatur novit, et tamen non declinat insidias, non territus fugit: intantum ut etiam, cæteris ire nolentibus, pergat intrepidus, quando dicit Thomas: *Eamus et nos, et moriamur cum eo* (*Joan.* xi, 16). Et finem carnali festivitati volens imponere, umbraque transeunte, paschæ reddere veritatem, dixerit: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar* (*Luc.* xxii, 15). Etenim pascha nostrum immolatus est Christus, si tamen comedamus illud in azymis sinceritatis et veritatis (I *Cor.* v, 7). Porro quod ait: *Post biduum pascha fiet*, simplici intelligentia prætermissa, id quod sacratum [*Al.* sacramentum] est, requiramus. Post duos dies clarissimi luminis, veteris ac novi Testamenti, verum pro mundo pascha celebratur. Pascha, quod Hebraice dicitur PHASE (פסח), non a **211** passione [b] ut plerique arbitrantur, sed a transitu nominatur: eo quod exterminator videns sanguinem, in foribus Israelitarum pertransierit, nec percusserit eos. Vel ipse Dominus præbens auxilium populo suo desuper ambulaverit. Lege Exodi librum (*Cap.* xi, xii), de quo plenius, [c] si vita comes fuerit, disputabimus. *Transitus* autem noster, id est, PHASE,

[a] Qui Hieronymum cavillantur e postremo Commentariorum in Isaiam capite, et Dialogo 1 contra Pelagianos, num. 28, suppetias tulisse vesanæ eorum opinationi, qui terminum habitura malorum supplicia crederent, agnoscant saltem ex hoc loco, quem ipse de industria lectori ingerit, sensisse perquam catholice, *quod et supplicia æterna sint et vita perpetua*.

[b] Horum sententiam luculentius exponit Nazianzenus Orat. 2 in sanctum Pascha ex Billii interpretatione: *Quidam*, inquit, *salutiferæ passionis nomen hoc esse arbitrati, ac deinde, per litteræ* Φ *in* Π, *et* Χ *in* Κ *mutationem, hanc vocem ad linguam Græcam accommodantes, hunc diem Pascha nominarunt.* Rectissime autem ipse cum Hieronymo sentiens, *Hoc Pascha*, inquit, *magnum et venerandum Phaska ab Hebræis juxta eorum linguam nominatur, quæ vox transitum sonat, historica quidem ratione propter Israelitarum ex Ægypto in Chananæam regionem fugam et migrationem*, etc.

[c] Innuit, opinor, quæstiones Hebraicas in universam Scripturam, cujus Operis quamquam solæ in Genesim supersint, licia tamen et subtegmina in reliquos Scripturæ libros paraverat, quæ aut mutato

ita celebratur, si terrena et Ægyptum dimittentes, ad cœlestia festinemus. A

(Vers. 3 seqq.) *Tunc congregati sunt principes sacerdotum, et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, et consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, et occiderent. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Qui debuerant Paschate vicino præparare victimas, levigare templi parietes, pavimenta verrere, vasa mundare, et secundum ritum Legis purificari, ut esu agni digni fierent, congregantur ineuntes consilium, quomodo occidant Dominum, non timentes seditionem, ut simplex sermo demonstrat; sed caventes ne auxilio populi de suis manibus tolleretur.

(Vers. 6) *Cum autem Jesus esset in Bethania, in domo Simonis leprosi.* Passurus pro omni mundo, et universas nationes suo sanguine redempturus, moratur in Bethania, *domo obedientiæ*, quæ quondam fuit Simonis leprosi. Non quod leprosus et illo tempore permaneret, sed qui antea leprosus, postea a Salvatore mundatus est, nomine pristino permanente, ut virtus curantis appareat. Nam in catalogo apostolorum cum pristino vitio et officio, Matthæus publicanus appellatur, qui certe publicanus esse desierat. Quidam Simonis leprosi domum, eam volunt intelligi **212** partem populi, quæ crediderit Domino, et ab eo curata sit. Simon quoque ipse obediens dicitur, qui juxta aliam intelligentiam mundus interpretari potest, in cujus domo curata est Ecclesia.

(Vers. 7.) *Accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis.* Nemo putet eamdem [a] esse quæ super caput effudit unguentum, et quæ super pedes. Illa enim et lacrymis lavat, et crine tergit, et manifeste meretrix appellatur. De hac autem nihil tale scriptum est. Nec enim poterat statim capite Domini meretrix digna fieri. Alius evangelista pro alabastro unguenti pretiosi (quod genus est marmoris), nardum pisticam posuit (*Joan.* XII), hoc est, veram et absque dolo, ut fidem Ecclesiæ et gentium demonstraret.

(Vers. 8, 9.) *Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes: Ut quid perditio hæc? Potuit enim istud venundari multo, et dari pauperibus.* Scio quosdam hunc locum calumniari, quare alius evangelista Judam solum dixerit contristatum, eo quod loculos tenuerit, et fur ab initio fuerit, et Matthæus scribat omnes apostolos indignatos, nescientes tropum, qui vocatur σύλληψις, [b] vel *synecdoche*: quo et pro uno omnes, et pro multis unus appellari soleat. Nam et Paulus in Epistola sua quæ scribitur ad Hebræos (licet de ea multi Latinorum dubitent), cum sanctorum passiones et merita descripsisset, intulit: *Lapidati sunt, tentati sunt, secti* [Al. *serrati*] *sunt, in occasione gladii mortui sunt* (*Hebr.* XI, 37), cum unum tantummodo Isaiam Prophetam sectum Judæi autument. Possumus et aliter dicere, quod apostoli vere, propter pauperes indignati **213** sint: Judas autem propter lucra sua. Unde et mussitatio ejus cum crimine ponitur, quod non curam pauperum habuerit, sed suo furto voluerit providere.

B (Vers. 10, 11.) *Sciens autem Jesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Alia oboritur quæstio, quare Dominus post resurrectionem dixerit ad discipulos: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem mundi;* et nunc loquatur, *me autem non semper habebitis.* Sed mihi videtur in hoc loco de præsentia dicere corporali, quod nequaquam cum eis ita futurus sit post resurrectionem, quomodo nunc in omni convictu et familiaritate. Cujus rei memor Apostolus ait: *Et si noveramus Jesum Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus eum* (II *Cor.* V, 16).

(Vers. 12.) *Mittens enim hæc unguentum hoc in* C *corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Quod vos putatis perditionem esse unguenti, officium sepulturæ est. Nec mirum si mihi bonum odorem fidei suæ dederit, cum ego pro ea fusurus sim sanguinem meum.

(Vers. 12-14.) *Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus. Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotis, ad principes sacerdotum.* In toto mundo non tam mulier ista, quam Ecclesia prædicatur, quod sepelierit Salvatorem, quod unxerit caput ejus. Et attende notitiam futurorum, quod passurus post biduum et moriturus, sciat Evangelium suum in toto orbe celebrandum.

(Vers. 15.) *Et ait illis: Quid vultis mihi dare, et* D *ego vobis eum tradam?* Infelix Judas, damnum quod

consilio repudiavit postea, aut intra domesticos parietes perire permisit. Nulla certe in Exodi librum Hieronymi elucubratio superest, aut umquam innotuit.

[a] Quamquam Origenis in hunc locum Commentaria non superent, hanc de duplici femina Christi unctrice sententiam Hieronymum ex Origene delibasse, nullus dubito. Hæc enimvero peculiaris ejus opinio fuit, mulierem, quæ pedes laverit Christi, peccatricem, quæ vero caput unguento linierit, sanctam exstitisse; adeoque alteram apud Simonem Pharisæum, alteram apud Simonem Leprosum debere intelligi. In Homiliis in Canticum canticorum, quas Latine Hieronymus explicavit, Hom. 1, *Observa*, inquit, *diligenter quæ de duabus super caput fuderit Salvatoris. Siquidem peccatrix super pedes, et ea quæ non dicitur peccatrix, super caput ejus fudisse monstratur.* Et Homilia secunda sub initium, *Loquitur Evangelium, quia venit mulier habens alabastrum unguenti nardi pistici pretiosi: non illa peccatrix, sed sancta. de qua nunc mihi sermo est. Scio quippe Lucam de peccatrice, Matthæum vero et Joannem non de peccatrice dixisse.* Plura de hac ejus sententia ad hæc ipsa loca congessimus. Et vero quamquam quæstionem singularibus inter eruditos libris agitatam, nihil hic recoquere intersit, verisimillima tamen hæc ipsa, quam Hieronymus probat, videtur sententia; ut licet unus idemque Simon et Pharisæus et Leprosus pu andi sint, non una tamen eademque mulier fuerit, quæ Christi unxerit caput, et quæ laverit pedes.

[b] Victor. verba *vel synecdoche* tacet.

ex effusione unguenti se fecisse credebat, vult magistri pretio compensare. Nec certam tamen postulat summam, [a] ut saltem lucrosa videretur proditio, sed quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium posuit quantum vellent dare.

214 (Vers. 16.) *At illi constituerunt ei triginta* [b] *argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet.* [c] Joseph non, ut multi putant, juxta Septuaginta interpretes, viginti aureis venditus est, sed juxta Hebraicam Veritatem, viginti argenteis; neque enim pretiosior poterat esse servus, quam Dominus.

(Vers. 17.) *Prima autem die azymorum, accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Prima azymorum, quarta decima dies mensis primi est, quando agnus immolatur, et luna plenissima est, et fermentum abjicitur. Inter eos autem discipulos qui accesserunt ad Jesum, interrogantes : *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* et Judam æstimo fuisse proditorem.

(Vers. 18.) *At Jesus dixit : Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei : Magister dicit : Tempus meum prope est : apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Morem veteris Testamenti nova Scriptura conservat. Frequenter legimus : *Dixit ille illi*, et *in loco illo et illo*; quod Hebraice dicitur [d] PHELONI ELMONI (פלני אלמני), et tamen personarum locorumque non ponitur nomen. *Et invenietis ibi quemdam, portantem lagenam aquæ.* Quorum idcirco vocabula prætermissa sunt, ut omnibus qui Pascha facturi sunt, libera festivitatis occasio panderetur.

(Vers. 19.) *Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, et paraverunt Pascha.* In alio Evangelista scriptum est (*Luc.* XXII), quod invenerunt cœnaculum magnum, stratum atque mundatum, et ibi paraverunt ei. Videtur autem mihi cœnaculum, lex spiritualis intelligi, quæ de angustiis litteræ egrediens in sublimi loco recipit Salvatorem, Paulo idipsum loquente (*Philipp.* VIII), quod ea quæ ante pro lucro reputabat, quasi purgamenta quisquiliasque contempserit, ut dignum Domino hospitium præpararet.

(Vers. 20.) *Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis.* Omnia sic agit Judas, ut tollatur suspicio proditoris.

(Vers. 21.) *Et edentibus illis, dixit : Amen dico vobis :* 215 *quia unus vestrum me traditurus est.* Qui de passione prædixerat, et de proditore prædicit, dans locum pœnitentiæ, ut cum intellexisset sciri cogitationes suas et occulta consilia, pœniteret eum facti sui, et tamen non designat specialiter, ne manifeste coargutus, impudentior fieret. Mittit crimen in numero, ut conscius agat pœnitentiam.

(Vers. 22.) *Et contristati valde, cœperunt singuli dicere : Numquid ego sum, Domine?* Et certe noverant undecim apostoli, quod nihil tale contra Dominum cogitarent : sed plus credunt magistro, quam sibi : pertimescentes fragilitatem suam, tristes interrogant de peccato, cujus conscientiam non habebant.

(Vers. 23.) *At ipse respondens, ait : Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* O mira Domini patientia! Primum dixerat : *unus vestrum me traditurus est.* Perseverat proditor in malo, manifestius arguit, et tamen nomen proprie non designat. Judas cæteris contristatis, et retrahentibus manum, et interdicentibus cibos ori suo, temeritate et impudentia, qua proditurus erat, etiam manum cum magistro mittit in paropsidem, ut audacia bonam conscientiam mentiretur.

(Vers. 24.) [e] *Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur.* Nec primo, nec secundo correptus a proditione retrahit pedem, sed patientia Domini nutrit impudentiam suam, et thesaurizat sibi iram in die iræ (*Rom.* II). Pœna prædicitur, ut quem pudor non vicerat, corrigant denuntiata supplicia. Quod autem sequitur :

Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille : Non ideo putandus est ante fuisse, quam nasceretur, quia nulli possit bene esse, nisi ei qui fuerit : sed simpliciter dictum est, multo melius esse, non subsistere, quam male subsistere.

(Vers. 25.) *Respondens autem Judas, qui tradidit*

[a] Rhabb. *vel saltem lucro suaderetur proditio.*

[b] Notanda Veronensis Evangeliorum codicis lectio, *stateres* pro *argenteos*. Nam est quidem nummus argenteus stater, idem atque Hebræorum siclus, quatuor valens Atticas drachmas; verum et hac ipsa de causa veteris translationis laudanda diligentia, cum præsertim absolute sit in Græco, ἀργύρια.

[c] Confer S. Ambrosium Lib. de Joseph. cap. 3, qui et in aliis exemplaribus XXX aureis vel argenteis, in aliis XV vel XXV se invenisse auctor est. S. quoque Cæsarium in Appendice Tomi V Augustini Operum, Sermon. LXXXI, de Tempore.

[d] Danielis octavo Capite occurrit nomen פלמני *Phelmoni*, de quo Hieronymus hæc habet : *Pro* altero nescio quo *quod Symmachus interpretatus est τινὶ ποτε, quem et nos secuti sumus. Aquila et Theodotio et* LXX *Interpretes ipsum verbum Hebraicum posuerunt. Nomen ergo angeli tacens, generaliter unum quemlibet de angelis indicavit.* Vide morem istum Scripturæ, Ruth, cap. 4; I Regum 21, et consule II Tomum Editionis nostræ col. 242. Erasmus et Marianus pro voce unica ELMONI, posuerunt אלמני et פלני, contra fidem mss. Codicum istius Commentarii in Matthæum, ubi positum est solum nomen Hebraicum *Elmoni*, quod significat *aliquem* et *quemdam*, cujus nomen proprium non exprimitur. MART. — Illud, de quo Martianæus veteres Editores Erasmum et Victorium accusat, quod pro voce unica, *Elmoni*, duas posuerint, *Phelmoni et Elmoni*, contra mss. codicum fidem, nostri ad unum omnes defendunt ac probant : repositaque est nobis adeo prior lectio ad eorum auctoritatem, concinniore præterea id exigente sensu. Sæpius reipsa junctim solent usurpari hæ voces in Scripturis פלני אלמני : Græce uno spiritu φελωνιάλμωνι, Septuaginta φελλανὶ μαεμωνὶ, *Phellani Maemoni*. Quid porro significent, ipse hic Hieron. luculenter docet. Recole tamen ejus Commentarios in Danielis cap. VIII, vers. 13.

[e] Nostri mss. qui, ut initio monuimus, in recitandis sacri textus versiculis, cæteris parciores omnibus sunt, hic unum præponunt pari consensu. *Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo. Væ autem*, etc.

eum, dixit. Quia cæteri tristes, et valde tristes interrogaverant : *Numquid ego sum, Domine?* Ne tacendo se prodere videretur, et ipse similiter interrogat, **216** quem conscientia remordebat, [a] qui manum audacter miserat in paropside.

Numquid ego sum, rabbi? Ait illi : Tu dixisti. Et blandientis jungit affectum, sive incredulitatis signum. Cæteri enim qui non erant proditūri, dicunt : *Numquid ego sum, Domine?* Iste qui proditurus erat, non Dominum, sed magistrum vocat, quasi excusationem habeat, si Domino denegato, saltem magistrum prodiderit. *Et ait illi : Tu dixisti.* Eadem responsione confutatus est proditor, qua Pilato postea responsurus est.

(Vers. 26 seqq.) *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Postquam [b] typicum Pascha fuerat impletum, et agni carnes cum apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, et ad verum Paschæ transgreditur sacramentum, ut quomodo in præfiguratione [c] ejus Melchisedech, summi Dei sacerdos, panem et vinum offerens fecerat (*Genes.* XIV), ipse quoque [d] in veritate sui corporis et sanguinis repræsentaret. In Luca legimus duos calices quibus discipulis propinarit (*Luc.* XXII). Unum primi mensis, et alterum secundi, ut qui inter sanctos primo mense agnum comedere non potuerit, secundo inter pœnitentes hædum comedat.

(Vers. 29.) *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* De carnalibus transit ad spiritualia, quod vinea de Ægypto transplantata sit populus Israel, cui per Jeremiam Dominus loquitur : *Ego te plantavi vineam veram, quomodo mutata es in amaritudinem vitis alienæ* [Al. *aliena*] (*Jerem.* II, 21)? Et Isaias propheta in cantico quod dilecto canit, et omnis sparsim Scriptura testatur. Dicit ergo se Dominus de hac vinea nequaquam esse bibiturum, nisi in regno Patris sui. Regnum Patris, **217** fidem puto esse credentium, Apostolo quoque idipsum confirmante : *Regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII, 21). Ergo cum Judæi receperint regnum Patris (attende quod dicat, Patris, non Dei), omnis Pater nomen est Filii. Cum, inquam, crediderint in Deum Patrem, et adduxerit eos Pater ad Filium, tunc de vino eorum bibet Dominus, et in similitudinem Joseph regnans in Ægypto, inebriabitur cum fratribus suis (*Genes.* XLIII).

(Vers. 30.) *Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.* Hoc est quod in quodam psalmo legimus : *Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ* (*Ps.* XXI, 30). Juxta hoc exemplum, qui Salvatoris pane saturatus, et calice inebriatus fuerit, potest laudare Dominum et conscendere in montem Oliveti, ubi laborum refectio, dolorisque solatium, et veri luminis notitia est.

(Vers. 31.) *Tunc dicit illis Jesus : Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.* Prædicit quod passuri sunt, ut, cum passi fuerint, non desperent salutem, sed agentes pœnitentiam, liberentur. Et signanter addidit, *in ista nocte scandalum patiemini;* quia quomodo qui inebriantur, nocte inebriantur : sic et qui scandalum patiuntur, in nocte et in tenebris sustinent (I *Thess.* V). Nos vero dicamus : *Nox præteriit, dies autem appropinquavit* (*Rom.* XIII, 12).

(Vers. 32.) *Scriptum est enim : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Hoc aliis verbis in Zacharia propheta scriptum est; et (ni fallor) ex persona prophetæ ad Deum dicitur : *Percute pastorem, et dispergentur oves gregis* (*Zach.* XIII, 7). Sexagesimo quoque et octavo psalmo, qui totus a Domino canitur, huic sensui congruente : *Quoniam quem tu percussisti, ipsi persecuti sunt.* **218** Percutitur autem pastor bonus, ut ponat animam suam pro ovibus suis; et de multis gregibus errorum fiat unus grex, et unus pastor (*Joan.* X). De hoc testimonio in libello, quem de Optimo [e] Genere interpretandi scripsimus, plenius dictum est.

(Vers. 33.) *Respondens autem Petrus, ait illi : Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor.* Non est temeritas, nec mendacium; sed fides est apostoli Petri, et ardens affectus erga Dominum Salvatorem, de quo supra diximus.

(Vers. 34.) *Ait illi Jesus : Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.* Et Petrus de ardore fidei promittebat, et Salvator quasi Deus futura noverat. Et nota quod Petrus in nec-

[a] Præferunt mss. nostri omnes, *quia.*

[b] Ex hoc loco argue imperitiam scioli cujusdam, qui non vult Salvatorem agni carnes cum apostolis comedisse, nec pascha typicum celebrasse. MART.

[c] Tres Palatini codd. expressiori sensu, *ei.* Unus Beccensis penes Martian. *sacramenti.*

[d] Antea erat *veritatem :* nobis mss. omnium fidem sequi placuit, sensu eodem permanente, de veritate (non figura, ut miseri hæretici recentiores projecta temeritate calumniantur) corporis et sanguinis sui, quam in pane ac vino Christus repræsentavit. Placuit etiam hæc lectio, quod superioribus *in præfiguratione,* ex adverso respondeat. — In duobus codd. mss. monasterii Beccensis et S. Petri super Divam hæc leguntur : *Ipse quoque in veritate sui corporis et sanguinis repræsentare.* Habes itaque veritatem corporis et sanguinis Christi, non solam figuram et nudam umbram, ut impudens dogma Novatorum docet adversus Ecclesiam. Nescio an posset hodie fides catholica manifestius exponi quam hic a S. Hieronymo fuit exposita. Unde mirum mihi non est, si tanto supercilio Hieronymum calumnientur hæretici, præsertim imperiti clerici. MART.

[e] Epistola in nostra recensione 57. Libet vero ipsa, quibus testimonium illud edisseruit, verba describere : *In Matthæo legimus, Dominum prædicentem Apostolis fugam, et hoc ipsum Zachariæ testimonio confirmantem :* Scriptum est, *ait,* Percutiam pastorem, et dispergentur oves. *At in Septuaginta, et in Hebræo multo aliter; non enim ex persona Dei dicitur, ut Evangelista vult : sed ex Prophetæ Deum Patrem rogantis :* Percute pastorem, et dispergentur oves.

te neget, et neget tertio. Postquam autem gallus cecinit, et decrescentibus tenebris vicina lux nuntiata est, conversus flevit amare, [a] negationis sordes pœnitentiæ lacrymis lavans.

(Vers. 36.) *Tunc venit Jesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, et dixit discipulis suis : Sedete hic, donec vadam illuc et orem.* Gethsemani interpretatur, [b] *vallis pinguissima*, in qua jussit discipulos sedere paulisper et exspectare redeuntem, donec pro cunctis solus Dominus oraret.

(Vers. 37.) *Et assumpto Petro et duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari et mœstus esse.* Illud quod supra diximus de passione et propassione, etiam in præsenti capitulo ostenditur, quod Dominus, ut veritatem probaret assumpti hominis, vere quidem contristatus sit, sed ne passio in animo illius dominaretur, per propassionem cœperit contristari. Aliud est enim contristari, et aliud incipere contristari. Contristabatur autem non timore patiendi, qui ad hoc venerat ut pateretur, **219** et Petrum [c] timiditatis arguerat; sed propter infelicissimum Judam, et scandalum omnium apostolorum, et rejectionem populi Judæorum, et eversionem miseræ Jerusalem. Unde et Jonas super ariditate cucurbitæ vel hederæ contristatus est (*Jonæ* IV), nolens perire quondam tabernaculum suum. Si autem tristitiam animi, non affectum Salvatoris erga perituros, sed passionem hæretici interpretantur, respondeant, quomodo exponunt illud quod ex persona Dei per Ezechielem dicitur : *Et in omnibus istis contristabas me* (*Ezech.* XVI, *sec. LXX*).

(Vers. 38.) *Tunc ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem : Sustinete hic, et vigilate mecum.* Quæ contristatur, anima est, et [*Al.* sed] non propter mortem, sed usque ad mortem contristatur, donec apostolos sua liberet passione. Quod autem præcepit : *Sustinete hic, et vigilate mecum*, non a somno prohibet, cujus tempus non erat imminente

A discrimine; sed a somno infidelitatis, et torpore mentis. Dicant ergo qui irrationabilem Jesum sumpsisse animam suspicantur, quomodo contristetur et noverit tempus tristitiæ. Quamquam enim et bruta animalia mœreant, tamen non noverunt nec causas, nec tempus usque ad quod debeant contristari.

(Vers. 39.) *Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans et dicens : Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Dato apostolis præcepto, ut sustinerent, vigilarentque cum Domino, paululum [d] procedens ruit in faciem suam, et humilitatem mentis habitu carnis ostendit, dicitque blandiens : *Mi Pater*, et postulat ut, si possibile est, transeat ab eo passionis calix, de quo supra diximus. Postulat autem

B non timore patiendi, sed misericordia prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum. Unde et signanter non dixit, *transeat a me calix*, sed *calix iste*, hoc est, populi Judæorum, qui excusationem ignorantiæ habere non potest, si me occiderit, habens Legem et prophetas, qui me quotidie vaticinantur. Attamen revertens in semetipsum, quod **220** ex hominis persona trepidanter renuerat, ex Dei Filiique confirmat. *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Non, inquit, hoc fiat, quod humano affectu loquor; sed propter quod ad terras tua voluntate descendi.

(Vers. 40.) *Et venit ad discipulos* [e] *suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro : Sic non potuistis una hora vigilare mecum?* Ille qui supra dixerat : Etiam

C si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor, nunc tristitiæ magnitudine somnum vincere non potest.

(Vers. 41.) *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* Impossibile est humanam animam non tentari. Unde et in Oratione Dominica dicimus : *Ne nos inducas in tentationem*, [f] *quam ferre non possumus* [*Al.* possimus] (*Matt.* VI, 13; *Luc.* XI, 4). Non tenta-

[a] Penes Victorium, *ternæ negationis sordes lacrymis lavans.*

[b] In aliis libris est, *pinguium* : in aliis, ut et lib. Sam. *Vallis pinguedinum.* Victorius in hunc locum, Ut, inquit, *vallem pinguium* significet, legendum est *Gessemani*, quod est Hebraice, גיא־שמני. Verum quia Græce scriptum in Matthæo invenitur Γεθσημανεί, aliqui Hebraice periti, Syriaca potius nomina esse גת־שמני, quam Hebraica putant : significareque asserunt, *Pecuaria butyri* : quippe cum apud Syros (quorum lingua e Babylone avecta tunc utebantur Judæi) גת idem sit quod Hebraice מקני, et שמן, idem quod חמאה, id est, *butyrum*. Veluti locus dictus sit a butyro, quod ibi exprimebatur. Hieronymus Hebraicam semper sequens nomenclaturam, etiam in libro de Nominibus Hebraicis, perstans in sententia, *vallem pinguedinum* interpretatur, שמני, pro שמנים vocem accipiens. Nos, quando nihil ad eum Librum de hujusce Nominis etymologia diximus, quidpiam hic proferamus. Perplacet vero nuperi Hebraicorum Nominum etymologi opinio,
D *Gethsemane*, Græce Γεθσημανὴ, *torcular signorum* interpretari, et סימני, *simani*, femininum esse, a סימן, *siman*, *signo*. Torcular autem signorum dici eum locum, sive villam, quod ibi primum daretur signum statæ jam Neomeniæ : qui mos, sive modus in Rosch haschana cap. 2, hal. 2, 3, diligenter describitur, ferique docetur flammarum elevatione. Sed et aliis de causis signi nomenclaturam potuit accepisse, vel quod ibidem e lapide, seu ligno fabricatum signum Molochi Ammonitarum idolo posuerit Salomon I Reg. XI, 7, vel quod isthic olim Assyriorum copiæ signa defixerint, Isai. XXXVI, 2, vel denique quod Jerosolymitani e signis illius loci conjecturam facerent.

[c] Nostri mss., *Petrum temeritatis arguerat.*

[d] Malim *procidens*, ipsamque adeo emendari interpunctionem ad hunc modum, *vigilarentque cum Domino paululum, procidens ruit*, etc.

[e] Pronomen *suos*, quod Vulgatus Interpres habet, nostri hic mss. Græcusque ipse textus ignorant.

[f] Clausulam, quam hic recitat, minime novit S. Pater in hoc ipso in Matthæum Commentario, cap. VI, vers. 13, ubi Orationem Dominicam diligentissime exposuit : ex quo manifesto colligas, non in Matthæi, sed in Lucæ tantum Evangelio subjunctam. Jam ad ipsiusmet Orationis textum pertinuisse, non ut quidam putant, explicationis gratia fuisse additam abs Hieronymo, ostendimus in Notis ad Commentarios in Ezechiel. cap. XLVIII, vers. 16, adductis aliorum Patrum testimoniis, maximeque Hi-

tionem penitus refutantes, sed vires sustinendi in A tentationibus deprecantes. Ergo et in præsentiarum non ait : *Vigilate et orate, ne tentemini* ; sed, *ne intretis in tentationem*, hoc est, ne tentatio vos superet et vincat, et vos intra casses suos teneat. Verbi gratia : Martyr, qui pro confessione Domini sanguinem fundit, tentatus quidem est; sed tentationum [*Al.* tentationis] retibus non ligatur. Qui autem negat, in plagas tentationis incurrit.

Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Hoc adversum temerarios, qui quidquid crediderint, putant se posse consequi. Itaque quantum de ardore mentis confidimus, tantum de carnis fragilitate timeamus. Sed tamen juxta Apostolum, in spiritu carnis opera mortificantur (I *Petr.* III).

(Vers. 42.) *Iterum secundo abiit et oravit, dicens :* B *Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Secundo orat, ut si Ninive aliter salvari non potest, nisi aruerit cucurbita, fiat voluntas Patris, quæ non est contraria Filii voluntati, dicente ipso per prophetam : *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui* (*Ps.* XXXIX, 9).

(Vers. 43, 44.) *Et venit iterum, et invenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum gravati. Et relictis illis, iterum abiit, et oravit tertio, eumdem sermonem dicens.* Solus orat pro omnibus, sicut et solus patitur **221** pro universis. Languescebant autem et opprimebantur apostolorum oculi negatione vicina.

(Vers. 45.) *Tunc venit ad discipulos suos, et dicit illis : Dormite jam, et requiescite : ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccato-* C *rum* (*Matth.* XVIII et II *Cor.* XIII). Postquam tertio oraverat, ut in ore duorum vel trium testium staret omne verbum, et apostolorum timorem sequenti pœnitentia impetraverat corrigendum, securus de passione sua pergit ad persecutores, et ultro se interficiendum præbet, dicitque discipulis suis :

(Vers. 46, 47.) *Surgite, eamus, ecce appropinquavit qui me tradet. Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus, missi a principibus sacerdotum, et senioribus populi.* Ne nos inveniant quasi timentes et [a] retrahentes, ultro pergamus ad mortem, ut confidentiam et gaudium passuri videant.

(Vers. 48.) *Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens : Quemcumque osculatus fuero, ipse est,* D *tenete eum.* Miser Judas, et tamen non miserabilis, eadem infidelitate, qua magistrum et Dominum tradidit, putabat signa, quæ Salvatorem viderat facientem, non majestate divina, sed magicis artibus facta. Et quia eum forte audierat in monte transfiguratum, timebat ne simili transformatione elaberetur e manibus ministrorum. Dat ergo signum, ut sciant ipsum esse, quem osculo demonstraret.

(Vers. 49.) *Et confestim accedens ad Jesum, dixit : Ave, Rabbi. Et osculatus est eum.* Impudens quidem et scelerata confidentia, magistrum vocare, et osculum ei ingerere, quem tradebat. Tamen adhuc aliquid habet de verecundia discipuli, cum non eum palam tradit persecutoribus, sed per signum osculi. Hoc est signum, quod posuit Deus in Cain, ne quicumque invenisset, interficeret eum (*Genes.* IV).

(Vers. 50.) *Dixitque illi Jesus : Amice, ad quid venisti? Tunc accesserunt et manus injecerunt in Jesum, et tenuerunt eum.* Verbum, *Amice*, vel κατὰ ἀντίφρασιν intelligendum, vel certe juxta illud quod supra legimus : *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem* (*Matt.* XXII, 12)?

(Vers. 51.) *Et ecce unus ex his, qui erant cum Jesu,* **222** *extendens manum exemit gladium suum, et percutiens servum principis sacerdotum, amputavit auriculam ejus.* In alio evangelista [*Al.* Evangelio] scriptum est, quod Petrus hoc fecerit, eodem mentis ardore quo cætera. Servus quoque principis sacerdotum *Malchus* appellatur [*Al.* appellabatur] : auricula quæ amputatur, dextera est. Transitorie dicendum, quod *Malchus*, id est, *rex* quondam populus Judæorum, servus factus sit impietatis et devorationis sacerdotum. Dexteramque perdiderit auriculam, ut [b] totam litteræ vilitatem audiat in sinistra : sed Dominus in his, qui ex Judæis credere voluerunt, reddidit aurem dextram, et fecit servum genus regale et sacerdotale.

(Vers. 52.) *Tunc ait illi Jesus : Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Et si non frustra portat gladium, qui ultor Dominicæ iræ positus est in eum, qui malum operatur : attamen quicumque gladium sumpserit, gladio peribit. Quo gladio? illo nempe qui igneus vertitur ante paradisum (*Genes.* III) : et gladio spiritus, qui in Dei describitur armatura (*Ephes.* VI).

(Vers. 53, 54.) *An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ : quia sic oportet fieri?* Non indigeo duodecim apostolorum auxilio, etiamsi omnes me defenderent, qui possum habere duodecim legiones angelici exercitus. Una legio apud veteres sex millibus complebatur hominum. Pro brevitate temporis [c] numerum non occurrimus explicare, typos tantum dixisse sufficiat : septuaginta duo millia angelorum, in quot gentes hominum lingua divisa est, duodecim legionibus fieri. Sequens sententia promptum ad patiendum demonstrat animum, quod frustra prophetæ cecinerint, nisi Dominus eos vere dixisse, passione sua asseruerit.

(Vers. 55.) *In illa hora dixit Jesus turbis : Tam-*

larii in psalm. CXVIII, lib. 1, et Ambrosii de Sacramentis lib. V.

[a] Rescribit Victor. ex tribus Florentiæ codicibus, *retractantes* ; maluerim ego, *retrectantes*. Sic Rhabanus.

[b] Palatini mss., *ut notam litteræ vilitatem :* ac certe postremum hoc verbum reponendum fuit pro *utilitatem*, quod Martianæus legit.

[c] In uno Palatino, *numerorum non occurrimus explicare typos : tantum*, etc.

quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me : quotidie apud vos sedebam, docens in templo, et non me tenuistis. Stultum est, inquit, eum cum gladiis et fustibus quærere, qui ultro se tradat vestris manibus, et in nocte **223** quasi latitantem, et a vestris oculis declinantem per proditorem investigare, qui quotidie in templo doceat. Sed ideo adversum me in tenebris congregamini, quia potestas vestra in tenebris est.

(Vers. 56.) *Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur Scripturæ prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.* Quæ sunt Scripturæ prophetarum? *Foderunt manus meas, et pedes meos* (*Ps.* XXI, 17); et alibi : *Sicut ovis ad victimam ductus est* (*Isai.* LIII, 7). Et in alio [*Al.* eodem] loco : *Ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem* (*Ibid.*, sec. *LXX*).

(Vers. 57.) *At illi tenentes Jesum, duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, ubi Scribæ et seniores convenerant.* Moyses, Deo jubente, præceperat, ut pontifices patribus succederent, et generationis in sacerdotibus series texeretur (*Exod.* XXIX). Refert Josephus istum Caipham unius tantum anni [a] Pontificatum ab Herode pretio redemisse. Non ergo mirum est, si nequam pontifex inique [*Al.* iniquus] judicet.

(Vers. 58.) *Petrus autem sequebatur eum a longe usque in atrium principis sacerdotum.* A longe sequebatur, qui Dominum erat negaturus.

(Vers. 59, 60.) *Et ingressus intro, sedebat cum ministris, ut videret finem. Principes autem sacerdotum et omne concilium quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut morti eum traderent. Et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent.* Vel amore discipuli, vel humana curiositate scire cupiebat, quid judicaret de Domino pontifex : utrum eum neci addiceret, an flagellis cæsum dimitteret. Et in hoc diversitas decem apostolorum et Petri. Illi fugiunt, iste, quamquam procul, sequitur tamen Salvatorem.

(Vers. 61.) *Novissime autem venerunt duo falsi testes, et dixerunt : Hic dixit : Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud.* Quomodo falsi testes sunt, si ea dicunt, quæ Dominum supra dixisse legimus? Sed falsus testis est, qui non in eodem sensu dicta intelligit quo dicuntur. Dominus enim dixerat de templo corporis sui. Sed et in ipsis verbis calumniantur, et paucis additis vel mutatis, quasi justam calumniam faciunt. Salvator dixerat : *Solvite Templum* **224** *hoc;* isti commutant, et aiunt : *Possum destruere templum Dei.* Vos, inquit,

A solvite, non ego : quia illicitum est, ut ipsi nobis inferamus manus. Deinde illi vertunt : *et post triduum reædificare illud;* ut proprie de templo Judaico dixisse videatur. Dominus autem, ut ostenderet animale et spirans templum, dixerat : *Et ego in triduo suscitabo illud.* Aliud est ædificare, aliud suscitare.

(Vers. 62.) *Et surgens princeps sacerdotum, ait illi : Nihil respondes ad ea quæ isti adversum te testificantur? Jesus autem tacebat.* Ira præceps et [b] impatiens non inveniens calumniæ locum, excutit de solio pontificem, ut vesaniam mentis motu corporis demonstraret. Quanto Jesus tacebat ad indignos responsione sua, falsos testes et sacerdotes impios, tanto magis pontifex furore superatus, eum ad

B respondendum provocat : ut ex qualibet occasione sermonis locum inveniat accusandi. Nihilominus Jesus tacebat. Sciebat enim, quasi Deus, quidquid respondisset torquendum ad calumniam.

(Vers. 63.) *Et princeps sacerdotum ait illi : Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei?* Quid adjuras, impiissime sacerdotum, ut accuses, an ut credas? Si ut accuses, arguunt alii : [c] condemnate tacentem. Si ut credas, quare confitenti credere noluisti?

(Vers. 64.) *Dixit illi Jesus : Tu dixisti. Verumtamen dico vobis : amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli?* Et adversum Pilatum, et adversum Caipham similis responsio, ut propria sententia condemnentur.

C (Vers. 65, 66.) *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens : Blasphemavit. Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? At illi respondentes, dixerunt : Reus est mortis.* Quem de solio sacerdotali furor excusserat, eadem rabies ad scindendas vestes provocat. Scidit autem vestimenta sua, ut ostendat Judæos sacerdotii gloriam perdidisse, et vacuam sedem habere [d] pontifices. Sed et consuetudinis Judaicæ est, cum aliquid blasphemiæ et quasi contra Deum audierint, **225** scindere vestimenta sua. Quod Paulum quoque et Barnabam, quando in Lycaonia deorum cultu honorabantur, fecisse legimus. Herodes autem, quia non dedit honorem Deo, sed acquievit immoderato favori populi, statim ab angelo percussus est.

D (Vers. 67.) *Tunc exspuerunt in faciem ejus, et colaphis eum cæciderunt.* Ut adimpleretur quod dictum est : *Dedi maxillas meas* [Al. *maxillam meam*] *alapis, et faciem meam non averti a confusione sputorum* (*Thren.* III, 30).

[a] De Caipha, sive Josepho, cui et Caiphæ nomen fuit, loquitur quidem Josephus libro Antiquitt. XVIII bis, cap. 3 et 4; at eum pretio ab Herode pontificatum redemisse, traditum ab historico non invenio.

[b] Tres mss., *et impatientia*, pro *impatiens*.

[c] Victorius, cui mutilus antea hic locus, sensuque carere visus est, de suo hic interserit, *voluntque*, legens, *voluntque condemnare tacentem*. At prælerquam quod nihil supra codd. mss. auctoritatem licere debet, superflua plane videatur additio illa, contextum mentemque S. Doctoris attendenti, qui accusatoribus principem sacerdotum jungens, ut superfluam illam esse monstret interrogationem accusandi fine, aliis palam arguentibus, simul infert, *condemnate tacentem.*

[d] Unus ms, *Pontificis*, tum pari omnes consensu, *aliquid blasphemum, aut quasi contra Deum*, etc.

(Vers. 68.) *Alii autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes : Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit?* Stultum erat verberantibus respondere, et prophetizare [a] cædentem, cum palam percutientis videretur insania. Sed sicut hoc vobis non prophetavit, sic illud manifestissime vaticinatus est, quod circumdaretur Jerusalem ab exercitu, et non relinqueretur lapis super lapidem in templo.

(Vers. 69.) *Petrus vero sedebat foris in atrio.* Foris sedebat, ut videret exitum rei. Et non appropinquabat Jesu, ne ministris aliqua suspicio nasceretur.

(Vers. 72.) *Et iterum negavit cum juramento, quia non novi hominem. Et post pusillum accesserunt qui stabant, et dixerunt Petro.* Scio [b] quosdam pii affectus [*Al.* pio affectu] erga Apostolum Petrum, locum hunc ita interpretatos, ut dicerent Petrum non Deum negasse, sed hominem, et esse sensum : Nescio hominem, quia scio Deum. Hoc quam frivolum sit, prudens lector intelligit; sic [*Al.* si] defendunt Apostolum, ut Deum mendacii reum faciant. Si enim iste non negavit, ergo mentitus est Dominus, qui dixerat : *Amen dico tibi, quia hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.* Cerne quid dicat, *me negabis*, non hominem.

(Vers. 73.) *Vere et tu ex illis es : nam et loquela tua te manifestum facit.* Non quod alterius sermonis esset Petrus, aut gentis exteræ. Omnes quippe Hebræi erant, et qui arguebant, et qui arguebatur [*Al.* arguebantur]; sed quod unaquæque provincia et regio habeat proprietates suas, et [*Al.* ut] vernaculum loquendi sonum vitare non possit. Unde et [c] Ephrathæi in Judicum libro (*cap.* XII) non possunt σύνθημα dicere.

(Vers. 74, 75.) *Tunc cœpit detestari et jurare, quia non* **226** *novisset hominem. Et continuo gallus cantavit. Et recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat : Priusquam gallus cantet, ter me negabis.* In alio Evangelio legimus : quia post negationem Petri, et cantum galli, respexerit Salvator Petrum, et intuitu suo eum ad amaras lacrymas provocarit. Nec fieri poterat, ut in negationis tenebris permaneret, quem lux respexerat mundi.

Et egressus foras, flevit amare. In atrio Caiphæ sedens, non poterat agere pœnitentiam. Egreditur foras de impiorum concilio, ut pavidæ negationis sordes amaris fletibus lavet.

(Cap. XXVII.—Vers. 1 seqq.) *Mane autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt, et tradiderunt eum Pontio Pilato præsidi.* Non solum ad Pilatum, sed etiam ad Herodem ductus est, ut uterque Domino illuderet. Et cerne sollicitudinem sacerdotum in malum. Tota nocte vigilaverunt, ut homicidium facerent. *Et vinctum tradiderunt Pilato.* Habebant enim hunc morem, ut quem adjudicassent morti, ligatum judici traderent.

Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus, dicens : Peccavi, tradens sanguinem justum. Avaritiæ magnitudinem [*Al.* magnitudine] impietatis pondus exclusit. Videns Judas Dominum adjudicatum morti, pretium retulit sacerdotibus, quasi in potestate sua esset persecutorum mutare sententiam. Itaque licet mutaverit voluntatem suam, tamen voluntatis primæ exitum non mutavit. Si autem peccavit ille qui tradidit sanguinem justum, quanto magis Judæi peccaverunt, qui emerunt sanguinem justum, et offerendo pretium, ad proditionem discipulum provocarunt? Qui diversas naturas conantur introducere, et dicunt Judam proditorem malæ fuisse naturæ, nec electione [*Al.* electionem *et* servare] apostolatus potuisse servari, respondeant quomodo natura mala egerit pœnitentiam.

(Vers. 5.) *At illi dixerunt : Quid ad nos? Tu videris. Et projectis argenteis in templo,* **227** *recessit : et abiens, laqueo se suspendit.* Nihil profuit [d] egisse pœnitentiam, per quam scelus corrigere non potuit. Si quando sic frater peccat in fratrem, ut emendare valeat quod peccavit, potest ei dimitti. Sin autem permanent opera, frustra voce assumitur pœnitentia. Hoc est quod in psalmo de eodem infelicissimo Juda dicitur : *Et oratio ejus fiat in peccatum* (*Ps.* CVIII, 7); ut non solum emendare nequiverit proditionis nefas, sed ad prius scelus etiam proprii homicidii crimen addiderit. Tale quid et Apostolus in secunda ad Corinthios Epistola loquitur : *Ne abundantiori tristitia absorbeatur frater* [e] (II *Cor.* II, 7).

(Vers. 6.) *Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt : Non licet eos mittere in corbonam* [Al. *corbanam*], *quia pretium sanguinis est.* Vere culicem liquantes, et camelum glutientes. Si enim ideo non mittunt pecuniam in corbonam, hoc

[a] Antea legebatur, *cædentibus*. Verior quam reposuimus ad S. Patris mentem omnium mss. lectio est.

[b] Ex his unus videtur S. Ambrosius, cujus hæc sententia lib. x in Lucam, n. 82 ; *Bene negavit hominem, quia sciebat Deum.* Et pridem fortasse S. ipse Hilarius, qui in hunc locum, *Et vere prope*, ait, *jam sine piaculo hominem negabat, quam Dei Filium primus agnoverat.* Dixerint excusandi affectu, non ut culpam negarent.

[c] Tessera militaris, vulgo apud nos *le mot du guet*, dicebatur σύνθημα vel σύμβολον, signum quod ad pugnam exeuntibus dabatur vitandæ confusionis causa. Gabaaditæ ergo habebant pro signo ac synthemate vocem שבלת, *schibboleth*, quam Ephrathæi pronuntiabant סבלת, *sibboleth*. Vide Judicum lib. cap. XII vers. 6. MART. — Videri possit ipsum *Schibboleth* verbum, pro quo *Sibboleth* Ephrathæi pronuntiabant, propositum exemplo. Mss. tamen habent σύνθημα, aut Latine *synthema*, quod hic proprie *signum*, *nota*, sive *indicium* est, quo ab Ephrathæis Galaaditæ distinguebantur. Diximus de hoc verbo alibi ad epist. 118, ad Julianum initio, ubi tamen diverso paulisper ab hoc significatu accipitur.

[d] Penes Victorium, *nihil profuit ei sera pœnitentia, per quam*, etc.

[e] Addunt nonnulli mss., *qui ejusmodi est*.

est, in gazophylacium et dona Dei, quia pretium A sanguinis est, cur [a] ipse sanguis effunditur?

(Vers. 7, 8.) *Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum, propter hoc vocatus est ager ille Acheldemach, hoc est ager sanguinis, usque in hodiernum diem.* Illi quidem fecerunt alia voluntate, ut æternum impietatis suæ relinquerent ex agri emptione monimentum. Cæterum nos, qui peregrini eramus a Lege et prophetis, prava eorum studia suscepimus in salutem: et in pretio sanguinis ejus requiescimus. Figuli autem ager appellatur, quia figulus noster est Christus.

(Vers. 9, 10.) *Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, [b] quem appretiaverunt a filiis Israel, et dederunt eos in agrum fi-* B *guli, sicut constituit mihi Dominus.* Hoc testimonium 228 in Jeremia non invenitur. In Zacharia vero, [c] qui pene ultimus est duodecim prophetarum, quædam similitudo fertur (*Zach.* XI): et quamquam sensus non multum discrepet, tamen et ordo et verba diversa sunt. Legi nuper in quodam Hebraico volumine, quod Nazarenæ sectæ mihi Hebræus obtulit, Jeremiæ apocryphum, in quo hæc ad verbum scripta reperi. Sed tamen mihi videtur magis de Zacharia sumptum testimonium: Evangelistarum et Apostolorum more vulgato, qui verborum ordine prætermisso, sensus tantum de veteri Testamento proferunt in exemplum.

(Vers. 11.) *Jesus autem stetit ante præsidem, et interrogavit eum præses, dicens: Tu es rex Judæo-* C *rum?* Pilato nihil aliud interrogante criminis, nisi utrum rex Judæorum sit, arguuntur impietatis Judæi, quod ne falso quidem invenire potuerint quod objicerent Salvatori.

Dixit illi Jesus: Tu dicis. Sic respondit ut et verum diceret, et sermo ejus calumniæ non pateret. Et attende quod Pilato, qui invitus promebat sententiam, aliqua ex parte responderit: Sacerdotibus autem et principibus respondere noluerit, indignos suo sermone judicans.

(Vers. 13 seqq.) *Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta adversum te dicunt* [Al. *dicant*] *testimonia?* [d] *Et non respondit ei ad ullum verbum: ita ut miraretur præses vehementer. Per diem autem solemnem consueverat præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent.* Ethnicus quidem est, qui condemnat Jesum: sed causam refert in populum Judæorum. *Non audis quanta adversum te dicunt testimonia?* Jesus autem nihil respondere voluit, ne crimen diluens a præside dimitteretur, et crucis utilitas differretur.

(Vers. 16 seqq.) *Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barrabbas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis, Barrabbam, an Jesum, qui dicitur Christus? Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum.* Iste in Evangelio, quod scribitur juxta Hebræos, *filius magistri eorum* interpretatur, qui propter seditionem et homicidium fuerat condemnatus. Offert autem eis optionem Pilatus dimittendi quem velint, latronem, an Jesum: non dubitans, Jesum potius eligendum, sciens eum propter invidiam traditum. Igitur causa crucis manifeste invidia est.

(Vers. 19 seqq.) *Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi [e] et justo illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis ut peterent Barrabbam, Jesum vero perderent. Respondens autem præses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barrabbam.* Nota quod gentibus sæpe a Deo somnia revelentur; et quod in Pilato et uxore ejus justum Dominum confitentibus Gentilis, populi testimonium sit.

(Vers. 22, 23.) *Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur.* Multas liberandi Salvatoris Pilatus occasiones dedit. Primum, latronem justo conferens. Deinde inferens: *Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus?* hoc

[a] Iterum penes Victorium, *cur ipsum sanguinem effundunt?*

[b] Reposuimus *quem*, ad mss. omnium, quibus utimur, fidem, ipso præterea admonente Græco textu, ὃν ἐτιμήσαντο. Antea legebatur, *quod*.

[c] Atque ita quidem apud Jeremiam lectum olim hocce testimonium opinatur Eusebius lib. X Evangelicæ Demonstrationis; sed vel erasum inde postea Judæorum perfidia, vel hic substitutum *Zachariæ* nomen pro *Jeremiæ* librariorum oscitantia. Augustinus l. III, c. 7, de Consensu Evangelistarum id videtur referre ad memoriæ lapsum in sacro scriptore, quod ægre quidem concesserim. Recentiores, turbatos Græcos prophetiarum Jeremiæ codices plerumque causantur. Alii in autographo Matthæi Græco scriptum olim suspicantur Ζρίου, pro quo Amanuenses similitudine litterarum decepti posuerint, Ἱρίου: quamquam hujusmodi scriptionem compendia tam antiqui usus exstitisse minime videantur. Quamobrem ea propior ad fidem opinio est, scriptum ab Evangelista absolute, ἐν τοῖς προφήταις, *in prophetis*, quemadmodum nonnulli e Græcis patribus, præcipueque S. Epiphanius videtur legisse. At nonnemo studiosus de nomine ipsum volens prophetam laudare, scripserit ad codicis oram, *Zachariæ*, quod nomen priori, *in prophetis*, lectione expuncta, alii in textum importarint. Certe omnium antiquissimum Latinæ versionis Evangeliorum Veronense exemplar *Jeremiæ* nomen non agnoscit, D legitque absolute, *dictum est per Prophetam.* Sed et notatu digna Theophylacti sententia est, qui legit, *per Jeremiam et Prophetam.* Ὑπάκουε, inquit, τὸ Καί, καὶ ἀναγίνωσκε, διὰ Ἱερεμίου καὶ τοῦ Προφήτου, ἤγουν Ζαχαρίου. Σύγχυσις γάρ ἐστι τῶν ὑπ' ἀμφοῖν ῥηθέντων· τὰ περὶ τῆς τιμῆς ὁ Ζαχαρίας λέγει, κεφ. ια'· τὰ περὶ τοῦ ἀγροῦ ὁ Ἱερεμίας κεφ. ιθ'. *Animadverte ipsam et copulam, ac lege*, per Jeremiam et Prophetam, *scilicet*, Zachariam. *Miscentur enim una simul, quæ a duobus dicta sunt. Quæ pretium spectant, Zacharias loquitur cap.* XI. *Quæ respiciunt emptionem agri, Jeremias cap.* XIX.

[d] Pro subsequenti sacri textus pericope, hæc modo substituunt mss. nostri verba: *Jesus autem nihil respondere voluit, Ethnicus*, etc.

[e] Interserunt quidam mss. *sit*.

est, qui rex vester est. Cumque responderent, *Crucifigatur*, non statim acquievit; sed juxta suggestionem uxoris, quæ mandaverat: *Nihil tibi et justo illi*, ipse quoque respondit: *Quid enim mali fecit?* Hoc dicendo, Pilatus absolvit Jesum. At illi magis clamabant, dicentes: *Crucifigatur*. Ut impleretur quod in vigesimo primo psalmo dixerat: *Circumdederunt me canes multi: et congregatio malignantium obsedit me* (*Psal.* XXI, 12). Et illud Jeremiæ: *Facta est mihi hæreditas mea sicut leo in silva: dederunt super me vocem suam* (*Jerem.* XII, 8). Isaia quoque in hac sententia congruente: *Exspectavi ut facerent judicium, fecerunt autem iniquitatem, et non justitiam, sed clamorem* (*Isai.* V, 7).

(Vers. 24.) *Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta* **230** *aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine hujus justi: vos videritis.* Pilatus accepit aquam, juxta illud propheticum: *Lavabo inter innocentes manus meas* (*Ps.* XXV, 6); ut in lavacro manuum ejus Gentilium opera purgarentur, et ab impietate Judæorum, qui clamaverunt, *crucifige eum*, nos alienos faceret, quodammodo hoc contestans, et dicens: Ego quidem innocentem volui liberare; sed quoniam [*Al.* etiam] seditio oritur, et perduellionis mihi contra Cæsarem crimen impingitur: *Innocens ego sum a sanguine justi hujus.* Judex qui cogitur contra Christum sententiam ferre, non damnat oblatum; sed arguit offerentes, justum esse pronuntians qui crucifigendus est. *Vos*, inquit, *videritis*. Ego minister sum legum: vestra vox sanguinem fundit.

(Vers. 25.) *Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos et super filios nostros.* Perseverat usque in præsentem diem hæc imprecatio super Judæos, et sanguis Domini non aufertur ab eis. Unde per Isaiam loquitur: *Si levaveritis ad me manus, non exaudiam vos. Manus enim vestræ plenæ sunt sanguine* (*Isai.* I, 15). Optimam hæreditatem Judæi filiis relinquunt [*Al.* reliquerunt], dicentes: *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.*

(Vers. 26.) *Tunc dimisit illis Barrabbam, Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.* Barrabbas latro, qui seditiones faciebat in turbis, qui homicidiorum auctor erat, dimissus est populo Judæorum, id est, diabolus, qui usque hodie regnat in eis, et idcirco pacem habere non possunt. Jesus autem a Judæis traditus, absolvitur ab uxore Pilati, et ab ipso præside justus appellatur. Et centurio confitetur quod vere Dei Filius sit. Quærat eruditus lector, quomodo sibi conveniat Pilatum lavisse manus suas, et dixisse: *Innocens ego sum a sanguine justi hujus*, et postea flagellatum tradidisse Jesum ut crucifigeretur? Sed sciendum est Romanis eum legibus ministrasse, quibus sancitum est, ut qui crucifigitur, prius flagellis verberetur. Traditus est itaque Jesus militibus verberandus, et illud sacratissimum corpus, pectusque Dei capax, flagella secuerunt. Hoc autem factum est, ut quia scriptum erat: *Multa flagella peccatorum* (*Psal.* XXXI, 10), illo flagellato, nos a verberibus liberaremur, **231** [a] dicente Scriptura ad virum justum: *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* (*Psal.* XC, 10).

(Vers. 27 seqq.) *Tunc milites præsidis suscipientes Jesum in* [b] *prætorio, congregaverunt ad eum universam cohortem, et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus: et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave, rex Judæorum.* Milites quidem, quia rex Judæorum fuerat appellatus, et hoc ei Scribæ et sacerdotes crimen objecerant, quod sibi in populo Israel usurparet imperium, illudentes hoc faciunt, ut nudatum pristinis vestibus, induant chlamydem coccineam pro [c] rufo limbo, quo reges veteres utebantur: et pro diademate ponant ei coronam spineam: pro sceptro regali dent calamum, et adorent quasi regem. Nos autem hæc omnia intelligamus mystice. Quomodo enim Caiphas dixit: *Oportet unum hominem mori pro omnibus* (*Joan.* XI, 50), nesciens quid diceret: sic et isti quæcumque fecerunt, licet alia mente fecerint, tamen nobis, qui credimus, sacramenta tribuerunt. In chlamyde coccinea, opera gentium cruenta sustentat: in corona spinea, maledictum solvit antiquum: in calamo, venenata occidit animalia. Sive calamum tenebat in manu, ut sacrilegium scriberet Judæorum.

(Vers. 30.) *Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus.* Eo tempore completum est; *Non averti faciem meam a confusione sputorum* (*Isai.* L, 6), et tamen cum caput ejus percutiant arundine, sustinet cuncta patienter, ut **232** Isaiæ verum ostendat vaticinium, dicentis: *Arundinem quassatam non confringet* (*Isai.* XLII, 3).

(Vers. 31.) *Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis ejus, et duxerunt eum, ut crucifigerent.* Quando flagellatur Jesus, et conspuitur, et irridetur, non habet propria vestimenta: sed ea quæ propter nostra peccata sumpserat. Cum autem crucifigitur, et illusionis atque irrisionis pompa præterierit, tunc pristinas vestes recipit, et proprium assumit ornatum: statim-

[a] Pro hisce verbis, *dicente Scriptura ad virum justum*, duo Palatin. mss., *secundum quod scriptum est*, tantum habent.

[b] Victorius tam in textu, quam in Commentar. reponit, *Prætorium*: quod melior isthæc sit lectio, uti est in vulgatis emendatioribus codicibus impressis. Eam insuper retineant omnia ferme apud se mss. Bibliorum exemplaria, hoc est numero quadraginta, inter quæ librum Cœnobii S. Pauli, sæpe a se nominatum, plurimi facit. Assentiantur quoque huic lectioni antiquissimi Montis Cassini codices, Longobardicis characteribus conscripti, numero decem et septem, et Lovaniensium Theologorum omnes. Græcus codex ejusdem lectionis fons, ipse quoque legat, εἰς τὸ πραιτώριον.

[c] Rectius fortasse Palat. mss. habent, *russo*. Trebellius in Claudio, et Vopiscus in Aureliano hujusmodi russas tunicas regum memorant.

que elementa turbantur, et testimonium Creatori dat creatura.

(Vers. 32.) *Exeuntes autem, invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.* Ne quis putet huic loco Joannis Evangelistæ historiam esse contrariam. Ille enim dixit, exeuntem Dominum de prætorio portasse crucem suam; Matthæus autem refert quod invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, quem angariantes imposuerunt ei crucem Jesu. Sed hoc intelligendum est quod egrediens de prætorio Jesus, ipse portaverit crucem suam: postea obvium habuerint Simonem, cui portandam crucem imposuerint. Juxta anagogen vero, crucem Jesu suscipiunt nationes, et peregrinus obediens portat ignominiam Salvatoris.

(Vers. 33.) *Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus.* Audivi quemdam [a] exposuisse Calvariæ locum, in quo sepultus est Adam, et ideo sic appellatum esse, quia ibi antiqui hominis sit conditum caput, et hoc esse quod Apostolus dicat: *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te* **233** *Christus.* Favorabilis interpretatio et mulcens aurem populi, nec tamen vera. Extra urbem enim et foras portam, loca sunt in quibus truncantur capita damnatorum, et Calvariæ, id est, decollatorum sumpsere nomen. Propterea autem ibi crucifixus est Dominus, ut ubi prius erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrii. Et quomodo pro nobis maledictum crucis factus est, et flagellatus est, et crucifixus: sic pro omnium salute quasi noxius inter noxios crucifigeretur. Sin autem quispiam contendere voluerit, ideo ibi Dominum crucifixum, ut sanguis ipsius super Adæ tumulum distillaret, interrogemus eum, quare et alii latrones in eodem loco crucifixi sint? Ex quo apparet Calvariam non sepulcrum primi hominis, sed locum significare decollatorum, ut ubi abundavit peccatum, superabundaret gratia (*Rom.* v). Adam vero sepultum juxta [b] Hebron et Arbee, in Jesu filii Nave volumine legimus (*Jos.* xiv).

(Vers. 34.) *Et dederunt ei* [c] *acetum bibere cum felle mixtum, et cum gustasset, noluit bibere.* Deus loquitur ad Jerusalem: *Ego te plantavi vineam veram, quomodo facta es in amaritudinem vitis alienæ* [Al. *aliena*] (*Jerem.* ii, 21)? Amara vitis amarum vinum facit, quod propinat Domino Jesu, ut impleatur quod scriptum est: *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* lxviii, 22). Quod autem dicitur: *Et cum gustasset, noluit bibere*, hoc indicat, quod gustaverit quidem pro nobis mortis amaritudinem, sed tertia die resurrexerit.

(Vers. 35.) *Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes, ut impleretur quod dictum est per prophetam, dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Et hoc in eodem psalmo fuerat prophetatum: *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (*Psal.* xxi, 19).

(Vers. 36.) *Et sedentes servabant eum.* Diligentia militum et sacerdotum nobis proficit, ut major et apertior resurgentis virtus appareat.

(Vers. 37.) *Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam, Hic est Jesus, rex Judæorum.* Non possum digne admirari pro **234** rei magnitudine, quod [d] redemptis pretio falsis testibus, et ad seditionem clamoremque infelici populo concitato, nullam aliam invenerint causam interfectionis ejus, nisi quod rex Judæorum esset. Et illi forsitan illudentes ridentesque hoc fecerint. Cæterum Pilatus etiam nolentibus respondit: *Quod scripsi, scripsi.* Velitis, nolitis, Judæi, omnis vobis gentium turba respondet: Jesus rex Judæorum est, hoc est, imperator credentium et confitentium.

(Vers. 38.) *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus a dextris, et unus a sinistris.* Si Golgotha tumulus est Adam, et non damnatorum locus, et ideo Dominus ibi crucifigitur, ut suscitet Adam, duo latrones quare in loco isto eodem crucifiguntur?

(Vers. 39 seqq.) *Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua, et dicentes: Vah! qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas, salva temetipsum; si Filius Dei es, descende de cruce. Si-*

[a] Atque ita quidem senserunt Paula et Eustochium Epist. inter Hieronymianas 46, ad Marcellam, cui conscribendæ sensus præstitisse Hieronymum, vulgaris opinio est. *Locus*, inquiunt, *in quo crucifixus est Dominus noster Calvaria appellatur, scilicet, quod ibi sit antiqui hominis Calvaria condita, ut secundus Adam, id est, sanguis Christi de cruce stillans, primi Adam et jacentis protoplasti peccata dilueret.* Verum hanc veluti fabulam ipse alibi Hieronymus exsufflat. Quem vero hic se dicit audivisse, in Commentariis in Epist. ad Ephesios v, 14, diligentius describit. *Scio me*, inquit, *audivisse quemdam de hoc loco disputantem, qui in theatrale miraculum, numquam ante visam populo formam exhibuit, ut placeret: testimonium hoc, inquiens, ad Adam dicitur in loco Calvariæ sepultum, ubi crucifixus est Dominus, qui Calvariæ idcirco appellatus est, quod ibi antiqui hominis esset conditum caput. Illo ergo tempore, quo crucifixus Dominus, super ejus pendebat sepulcrum, hæc prophetia completa est, dicens:* Surge, Adam, qui dormis, et exsurge a mortuis, *et non ut legimus*, ἐπιφαύσει σοι Χριστὸς, *id est*, orietur tibi Christus, *sed* ἐπιψαύσει, *id est*, continget te Christus. *Quia videlicet tactu sanguinis ipsius, et corporis dependentis vivificetur, atque consurgat, et tunc typum quoque illum veritate compleri, quando Elisæus mortuus mortuum suscitavit. Hæc utrum vera sint, nec ne, lectoris arbitrio derelinquo. Certe tunc in populo dicta placuerunt, et quodam plausu ac tripudio sunt excepta.* Nos quædam observabimus ad hujusmet Epistolæ locum: astipulatorem enim S. Ambrosium inter cæteros magni nominis viros hæc opinio habuit, Commentar. in Lucam xxiii, ubi et, quod difficile est creditu, prognatam ab Hebræis tradit fuisse sententiam.

[b] Confer librum de Locis ad vocem *Arboc*. Videndus quoque S. Epiphanius contra Tatianum.

[c] Plerique omnes mss., *vinum* pro *aceto* hic præferunt. Sed et Græci archetypi variant exemplaria: aliis οἶνον, aliis ὄξος præferentibus.

[d] Unus Palatinus, *quod credentes falsis testibus*: alii vocem *pretio* tantum prætermittunt.

militer et principes sacerdotum, illudentes cum scribis et senioribus, dicebant. Blasphemabant, quia prætergrediebantur viam, et in vero itinere Scripturarum ambulare nolebant. Movebant capita sua, quia jam antea moverant pedes, et non stabant super petram. Idipsum autem insultans, dicit fatuus populus, quod falsi testes confinxerant.

(Vers. 42.) *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Etiam nolentes, confitentur Scribæ et Pharisæi, quod alios salvos fecerit. Itaque vos vestra condemnat sententia. Qui enim alios salvos fecit, utique si vellet, seipsum salvare poterat.

(Vers. 43.) *Si rex Israel est, descendat* [a] *de cruce, et credimus ei. Confidit in Deo; liberet eum nunc si vult. Dixit enim, quia Filius Dei sum.* Fraudulenta promissio. Quid est plus de cruce adhuc descendere viventem, an de sepulcro mortuum resurgere? Resurrexit, et non credidistis. Ergo si etiam de cruce descenderet, similiter non crederetis. Sed mihi hoc videntur dæmones immittere. Statim enim ut crucifixus est Dominus, senserunt virtutem crucis, et intellexerunt fractas esse vires suas, et hoc agunt, ut de cruce descendat; **235** sed Dominus sciens adversariorum insidias, permanet in patibulo, ut diabolum destruat.

(Vers. 44.) *Idipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Hic per tropum, qui appellatur [b] σύλληψις, pro uno latrone uterque inducitur blasphemasse. Lucas vero asserit, quod altero blasphemante, alter confessus sit, et econtrario increpaverit blasphemantem (*Luc.* XXIII). Non quod discrepent Evangelia; sed quod primum uterque blasphemaverit, dehinc sole fugiente, terra commota, saxisque disruptis, et ingruentibus tenebris, unus crediderit in Jesum, et priorem negationem sequenti confessione emendaverit. In duobus latronibus uterque populus, et Gentilium, et Judæorum primum Dominum blasphemavit. Postea signorum magnitudine alter exterritus egit pœnitentiam, et usque hodie Judæos increpat [*Al.* increpuerit] blasphemantes.

(Vers. 45.) *A sexta autem hora, tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam.* Qui scripserunt contra Evangelia, suspicantur deliquium solis, quod certis statutisque temporibus accidere solet, discipulos Christi ob imperitiam super resurrectione Domini interpretatos: cum defectus solis numquam nisi ortu lunæ fieri soleat. Nulli autem dubium est paschæ tempore lunam fuisse plenissimam. Et ne forsitan videretur umbra terræ, vel orbis lunæ soli oppositus, breves et ferrugineas fecisse tenebras, trium horarum spatium ponitur, ut omnis causantium occasio tolleretur. Et hoc factum reor, ut compleretur [*Al.* compleatur] prophetia, dicens: *Occumbet sol meridie, et contenebrabitur super terram in die lux* (*Amos*, VIII, 9); et in alio loco: *Occubuit sol cum adhuc media esset dies* (*Jerem.* XV, 9). Videturque mihi clarissimum lumen mundi, hoc est, luminare majus retraxisse radios suos, ne aut pendentem videret Dominum, aut impii blasphemantes sua luce fruerentur.

(Vers. 46.) *Et circa horam nonam, clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, Eli,* [c] *lammasabacthani. Hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Principio **236** vicesimi [d] primi psalmi abusus est, illudque quod in medio versiculo legitur: *Respice in me*, superfluum est. Legitur enim in Hebræo: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Ergo [e] impii sunt qui psalmum istum ex persona David, sive Esther et Mardochæi dictum putant, cum etiam evangelistæ testimonia ex eo sumpta super Salvatore intelligant: ut est illud: *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Et aliud: *Foderunt manus meas et pedes meos.* Ne mireris verborum humilitatem et querimonias derelicti, cum formam servi sciens, scandalum crucis videas.

(Vers. 47.) *Quidam autem illic stantes et audientes, dicebant: Eliam vocat iste.* Non omnes, sed quidam quos arbitror milites fuisse Romanos, non intelligentes sermonis Hebraici proprietatem, sed ex eo quod dixit: *Eli, Eli*, putantes Eliam ab eo invocatum. Sin autem Judæos qui hoc dixerint, intelligere voluerimus, et hoc more sibi solito faciunt, ut Dominum imbecillitatis infament, qui Eliæ auxilium deprecetur.

(Vers. 48.) *Et continuo currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto: et imposuit arundini, et dabat ei bibere.* Et hæc facta sunt ut compleretur prophetia: *In siti mea potaverunt me aceto* (*Ps.* LXVIII, 22). Usque hodie Judæi et omnes increduli Dominicæ resurrectionis aceto et felle potant Jesum; et dant ei vinum myrrhatum ut eum consopiant, et mala eorum non videat.

(Vers. 50.) *Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum.* Divinæ potestatis indicium est emittere spiritum, ut ipse quoque dixerat: *Nemo potest tollere animam meam a me; sed ego pono eam a me ipso, et rursum accipiam eam* (*Joan.* X, 18).

(Vers. 51.) *Et ecce velum Templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum.* Velum templi

[a] Interserunt quidam mss. voculam, *nunc*.

[b] Videntur veterum codd. exscriptores legi maluisse σύμμιξις, quod est, *commixtio*; fere enim omnes præferunt, quamquam mendosa scriptura, σύμΗΧτις, aut συμέωξις.

[c] Tres mss., *Lemasabacthani*: et mox, *quare dereliquisti*, etc.

[d] Pseudo-Hieron. Breviario in Psalmos: *Hoc versiculo Dominus in cruce pendens usus est, ex quo animadvertimus totum psalmum a Domino in cruce posito decantari. Quod autem habet in medio*, Intende mihi, *in Hebræis codicibus non habetur, et appositum vox Domini declarat, quæ etiam illud in Evangelio prætermisit*, etc.

[e] Idem in ipsiusmet psalmi titulum: *Hanc inscriptionem Hebræi aliter habent:* Pro cervo matutino. *Et interpretatione perversa putant de Esther totum vigesimum primum psalmum esse compositum. Quod videlicet ipsius periculo et intercessione apud regem sit de periculo Israeliticus populus liberatus.*

scissum est, et omnia Legis sacramenta quæ prius A tegebantur, prodita sunt, atque ad Gentium populum transierunt. In Evangelio, cujus sæpe facimus mentionem, superliminare templi infinitæ magnitudinis fractum **237** esse atque divisum legimus [*Al.* legi]. Josephus quoque refert virtutes Angelicas, præsides quondam templi, * tunc pariter conclamasse: *Transeamus ex his sedibus.*

(Vers. 52.) *Et terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt.* Nulli dubium est, quin [*Al.* quid] significet juxta litteram magnitudo signorum, ut crucifixum Dominum suum et cœlum et terra et omnia demonstrarent. Sed mihi videtur terræmotus et reliqua typum ferre credentium, quod pristinis errorum vitiis derelictis, et cordis emollita duritia, qui prius similes erant tumulis mortuorum, B postea agnoverint Creatorem.

(Vers. 53.) *Et multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis.* Quomodo Lazarus mortuus resurrexit, sic et multa corpora sanctorum resurrexerunt, ut Dominum ostenderent resurgentem (*Joan.* XI). Et tamen cum monumenta aperta sint, non antea resurrexerunt, quam Dominus resurgeret, ut esset primogenitus resurrectionis ex mortuis. Sanctam autem civitatem in qua visi sunt resurgentes, aut Jerosolymam cœlestem intelligamus, aut hanc terrenam, quæ ante sancta fuerat. Sicut et Matthæus appellatur publicanus, non quod et Apostolus adhuc permaneat publicanus, sed quod pristinum vocabu- C lum teneat. Sancta appellabatur civitas Jerusalem propter templum et sancta sanctorum, et ob distinctionem aliarum urbium, in quibus idola colebantur. Quando vero dicitur, *apparuerunt multis*, ostenditur non generalis fuisse resurrectio, quæ omnibus appareret: sed specialis ad plurimos, ut hi **238** viderent qui cernere merebantur.

(Vers. 54.) *Centurio autem et qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræmotu et his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste.* In alio Evangelio post terræmotum manifestior causa miraculi centurionis exponitur: quod cum vidisset eum spiritum dimisisse, dixerit: *Vere Filius Dei erat iste.* Nullus enim habet potestatem dimittendi spiritum, nisi ille qui animarum conditor est. Spiritum autem in hoc loco pro anima intelligamus, seu quod spirituale et vitale corpus faciat, seu quod animæ ipsius substantia spiritus sit, juxta illud quod scriptum est: *Auferes spiritum eorum, et deficient* (*Ps.* CIII, 29). Et hoc considerandum, quod centurio ante crucem in ipso scandalo passionis vere Dei Filium confiteatur: et Arius in Ecclesia prædicet creaturam.

(Vers. 55, 56.) *Erant autem ibi mulieres multæ a longe quæ secutæ fuerant Jesum a Galilæa, ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Joseph mater, et mater filiorum Zebedæi.* Consuetudinis Judaicæ fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victum atque vestitum præceptoribus ministrarent. Hoc quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulus abjecisse se memorat. Dicit enim ipse: *Numquid non habemus potestatem sorores mulieres circumducendi, sicut et cæteri Apostoli faciunt* (I *Cor.* IX, 5)? Ministrabant autem Domino de substantia sua, ut meteret earum carnalia, cujus illæ metebant spiritualia. Non quod indigeret cibis Dominus creaturarum, sed ut typum ostenderet magistrorum, quod victu atque vestitu ex discipulis deberent esse contenti. Sed videamus quales comites habuerit: Mariam Magdalenam, a qua **239** septem dæmonia ejecerat, et Mariam Jacobi, et Joseph matrem, materteram suam, sororem Mariæ, matris Domini, et matrem filiorum Zebedæi, quæ paulo ante regnum liberis postulaverat, et alias quas in cæteris Evangeliis legimus (*Luc.* VIII).

(Vers. 57, 58.) *Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathia, nomine Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesu. Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus.* Dives refertur non de jactantia scriptoris, quo virum

* Imposuisse videtur Hieronymo Eusebius, qui hoc ex Josepho miraculum in Chronico memorat ad annum Christi 33, ad quem ejus et mortem refert. *Josephus etiam*, inquit, *vernaculus Judæorum scriptor circa hæc tempora die Pentecostes, sacerdotes primum commotiones locorum et quosdam sonitus sensisse testatur. Deinde ex adyto templi repentinam* D *subito erupisse vocem dicentium:* Transmigremus ex his sedibus. Exinde noster, qui properanti calamo hosce Commentarios fundebat, bona fide hausit; nec Josephi textum videtur consuluisse: quemadmodum neque cum epistolas 18, ad Damasum, et 120, ad Edibiam daret quæst. 8 atque alibi. Sed cum in Isaiam Comment. scriberet, meliori usus consilio ad ipsiusmet Josephi historicam fidem, non quo anno mortuus est Christus, sed post fere triginta duos ab ejus passione, hoc monstrum inter ea, quæ excidium templi cladernque urbis Jerosolymitanæ antecesserunt, rectissime censet. *Eo*, inquit, *tempore* (excidii Jerosolymitani) *et in urbe et in templo, tam sacerdotum et Levitarum, quam vulgi ignobilis, mulierumque, ac puerorum ululatus auditus est: quando reddidit Dominus retributionem inimicis suis, implens comminationem, qua dixerat:* Relinquetur vobis domus vestra deserta, *et illam prophetiam:* Dereliqui domum meam: *quando præsides templi consona angeli voce dixerunt:* Transeamus ex his sedibus, *de quibus Josephus Judaicæ scriptor historiæ*, etc. Sic revera habet Josephi testimonium lib. VI, cap. 5, ubi signa, quæ Jerosolymorum destructionem portendebant, præcesseruntque proxime, recitat: Κατὰ δὲ τὴν ἑορτὴν ἢ Πεντηκοστὴ καλεῖται, νύκτωρ οἱ ἱερεῖς παρελθόντες εἰς τὸ ἔνδον ἱερὸν, ὥσπερ αὐτοῖς ἔθος ἦν πρὸς τὰς λειτουργίας, πρῶτον μὲν κινήσεως ἀντιλαβέσθαι ἔφασαν καὶ κτύπου, μετὰ δὲ ταῦτα καὶ φωνῆς ἀθρόας, Μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν. *Festo autem die, qui Pentecoste appellatur, sacerdotes noctu templum ingressi ad obeunda ex more ministeria, primum quidem motum, ac strepitum se exaudisse dixerunt, tum deinde vocem quasi confertæ multitudinis simul clamantis,* Migremus hinc. Verosimile est adeo Eusebium in vitiatos ac male confusos Josephi codices incidisse: quod pridem doctis viris notatum est.

nobilem atque ditissimum referat Jesus fuisse discipulum; sed ut ostendat causam quare a Pilato corpus Jesu potuerit impetrare. Pauperis enim et ignoti non erat ad Pilatum præsidem Romanæ potestatis accedere, et crucifixi corpus impetrare. In alio Evangelista (*Luc.* XXIII) Joseph iste [a] *βουλευτὴς* appellatus, id est, *consiliarius*, et de ipso quidam putant primum psalmum esse compositum: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*, et reliqua.

(Vers. 59.) *Et accepto corpore*,[b] *Joseph involvit illud in sindone munda.* Ex simplici sepultura Domini, ambitio divitum condemnatur, qui ne in tumulis quidem possunt carere divitiis. Possumus autem juxta intelligentiam spiritualem et hoc sentire, quod corpus Domini non auro, gemmis et serico, sed lenteamine puro obvolvendum sit, quamquam et hoc significet, B quod ille in sindone munda involvit Jesum, qui pura mente eum susceperit.

(Vers. 60.) *Et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra, et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit.* In novo ponitur monumento, ne post resurrectionem, cæteris corporibus remanentibus, resurrexisse alius fingeretur. Potest autem et novum sepulcrum Mariæ virginalem uterum demonstrare: saxumque ostio appositum, et saxum magnum ostendere absque auxilio plurimorum sepulcrum non potuisse reserari.

(Vers. 61 seqq.) *Erat autem ibi Maria Magdalene et altera Maria, sedentes contra sepulcrum. Altera autem die quæ est post parasceven, convenerunt principes sacerdotum et Pharisæi* **240** *ad Pilatum, dicen-* C *tes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam.* Cæteris relinquentibus Dominum, mulieres in officio perseverant, exspectantes quod promiserat Jesus, et ideo meruerunt primæ videre resurgentem, quia *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, 22; XXIV, 13).

(Vers. 64 seqq.) *Jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi, surrexit a mortuis, et erit novissimus error pejor priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam. Ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulcrum, signantes lapidem cum custodibus.* Non suffecerat principibus sacerdotum, et Scribis ac Pharisæis crucifixisse Dominum Salvato- D rem, nisi sepulcrum custodirent, cohortem acciperent, signarent lapidem, quantum in illis est, manum opponerent resurgenti, ut diligentia eorum nostræ fidei proficeret: Quanto enim amplius reservatur, tanto magis resurrectionis virtus ostenditur. Unde et in monumento novo, quod excisum fuerat in petra, conditus est: ne si ex multis lapidibus ædificatum esset, suffossis tumuli fundamentis, ablatus furto A diceretur. Quod autem in sepulcro ponendus esset, prophetæ testimonium est, dicentis: *Hic habitabit in excisa spelunca petræ fortissimæ* (*Isai.* XXXIII, 16). Statimque post duos versiculos sequitur: *Regem cum gloria videbitis* (*Ibid.*, 17).

Cap. XXVIII. — Vers. 1.) *Vespere autem sabbati quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulcrum.* Quod diversa tempora istarum mulierum in Evangeliis describuntur, non mendacii signum est, ut impii objiciunt, sed sedulæ visitationis officium, dum crebro abeunt ac recurrunt, et non patiuntur a sepulcro Domini diu abesse vel longius.

(Vers. 2, 3.) *Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo, et accedens, revolvit lapidem, et sedebat super eum. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur* [Al. *fulgor*], *et vestimentum ejus sicut nix.* Dominus noster unus atque idem Filius Dei et Filius hominis, juxta utramque naturam, divinitatis et carnis, **241** nunc magnitudinis suæ, nunc humilitatis signa demonstrat. Unde et in præsenti loco, quamquam homo sit qui crucifixus est, qui sepultus est, qui clausus tumulo, quem lapis oppositus cohibet, tamen quæ foris aguntur, ostendunt Filium Dei, sol fugiens, tenebræ ingruentes, terra commota, velum scissum, saxa dirupta, mortui suscitati, angelorum ministeria, quæ ab initio nativitatis ejus Deum probabant. Ad Mariam Gabriel venit, cum Joseph angelus loquitur; idem pastoribus nuntiat, angelorum postea auditur chorus dicentium: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Tentatur in solitudine, et post victoriam statim serviunt angeli. Nunc quoque Angelus venit custos sepulcri Dominici, et in vestitu candido signat gloriam triumphantis. Necnon ascendente ad cœlos Domino, duo angeli in Oliveti monte cernuntur, pollicentes apostolis secundum Salvatoris adventum (*Act.* I).

(Vers. 4, 5.) *Præ timore autem ejus, exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui. Respondens autem angelus, dixit mulieribus: Nolite timere vos. Scio enim quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis: Non est hic, surrexit enim sicut dixit.* Custodes, timore perterriti, instar mortuorum stupefacti jacent, et tamen angelus non illos, sed mulieres consolatur. Nolite timere vos. Illi, inquit, timeant: in his perseveret pavor, in quibus permanet incredulitas. Cæterum vos quia Jesum quæritis crucifixum, audite quod resurrexerit et promissa perfecerit.

(Vers. 6, 7.) *Venite, et videte* [c] *locum ubi positus erat Dominus. Et cito euntes, dicite discipulis ejus.* Ut si meis verbis non creditis, vacuo credatis sepulcro, et gradu concito pergite ac nuntiate discipulis ejus.

Quia surrexit, et [d] *ecce præcedit vos in Galilæam:*

[a] Mss. ΒΟΥΛΗΣ, pari consensu legunt. Porro nedum quibusdam, sed multis placuisse hanc de Josepho sententiam, testatur Expositio psalmorum altera, quam ex parte Breviario in psalmos Hieronymo perperam ascripto, falso et ipsam tributam subjungimus: *Generaliter de quolibet justo viro dicitur, licet multi putent de Joseph dictum esse illo ab Arimathia, qui non abiert in consilio Judæorum.*

[b] Pro *Joseph* nomine, tres Palatini mss. *Jesu* habent, id est *corpore Jesu.*

[c] Vocem *locum* Palatini mss. ignorant.

[d] Hic quoque verbum *ecce* Palat. mss. omittunt.

ibi eum videbitis : ecce prædixi vobis. Hoc est in volutabrum gentium, ubi ante error erat et lubricum, et firmo ac stabili pede vestigium non ponebat.

(Vers. 8.) *Et exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus.* Duplex mentes mulierum tenebat affectus, timoris et gaudii : alter de miraculi magnitudine, **242** alter ex desiderio resurgentis; et tamen uterque femineum concitabat gradum. Pergebant ad apostolos, ut per illos fidei seminarium spargeretur.

(Vers. 9.) *Et ecce Jesus occurrit illis, dicens : Avete.* Quæ sic quærebant, quæ ita currebant, merebantur obvium habere Dominum resurgentem, et primum audire, *Avete :* ut maledictum Evæ mulieris in mulieribus subverteretur.

Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum. Istæ accedunt et tenent pedes ejus, quia adoraverunt eum. Cæterum illa, quæ quærebat viventem cum mortuis, et nesciebat adhuc Filium Dei surrexisse, merito audit : *Ne tangas me, nondum enim ascendi ad Patrem meum* (*Joan.* XX, 17).

(Vers. 10.) *Tunc ait illis Jesus : Nolite timere.* Et in veteri et in novo Testamento, hoc semper observandum est : quod quando augustior [*Al.* angustior] aliqua apparuerit visio, primum timor pellitur, ut, sic mente placata, possint quæ dicuntur [*Al.* dicunt], audiri.

Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt. Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Ilis fratribus de quibus in alio loco dixit : *Annuntiabo nomen tuum fratribus meis* (*Psal.* XXI, 23) : qui Salvatorem nequaquam in Judæa conspiciunt, sed in gentium multitudine.

(Vers. 12 seqq.) *Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes : Dicite, quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit a præside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem.* Custodes miraculum confitentur : ad urbem conciti redeunt : nuntiant principibus sacerdotum quæ viderint, quæ facta conspexerint. Illi qui debuerant converti ad pœnitentiam, et Jesum quærere resurgentem, perseverant in malitia, et pecuniam quæ ad usus templi data fuerat, vertunt in redemptionem mendacii, sicut antea triginta argenteos dederant Judæ proditori. Omnes igitur qui stipe templi, et his quæ conferuntur ad usus Ecclesiæ abutuntur in aliis rebus, **243** quibus suam expleant voluntatem, similes sunt scribarum et sacerdotum, redimentium mendacium, et Salvatoris sanguinem.

(Vers. 16, 17.) *Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus. Et videntes eum, adoraverunt; quidam autem dubitaverunt.* Post resurrectionem Jesus in monte Galilææ conspicitur, ibique adoratur : licet quidam dubitent, et dubitatio eorum nostram augeat fidem. Tunc manifestius ostenditur Thomæ, et latus lancea vulneratum, et manus fixas demonstrat clavis.

(Vers. 18.) *Et accedens Jesus locutus est eis, dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Illi potestas data est, qui paulo ante crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui mortuus jacuerat, qui postea resurrexit. In cœlo autem et in terra potestas data est, ut qui ante regnabat in cœlo, per fidem credentium regnet in terris.

(Vers. 19.) *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Primum docent omnes gentes, deinde doctas intingunt aqua. Non enim potest fieri ut corpus **244** baptismi recipiat sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem. Baptizantur autem in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut quorum una est divinitas, una sit largitio : nomenque Trinitatis, unus Deus est.

(Vers. 20.) *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Ordo præcipuus : Jussit apostolis ut primum docerent universas gentes, deinde fidei intingerent sacramento, [a] et post fidem ac baptisma, quæ essent observanda præciperent. Ac ne putemus levia esse quæ jussa sunt et pauca, addidit : *Omnia quæcumque mandavi vobis.* Ut quicumque crediderint, qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant quæ præcepta sunt.

Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Qui usque ad consummationem sæculi cum discipulis se futurum esse promittit, et illos ostendit semper esse victuros, et se numquam a credentibus recessurum. Qui autem usque ad consummationem mundi sui præsentiam pollicetur, non ignorat eam diem in qua se scit futurum cum apostolis.

[a] Hunc Hieronymi locum nonnulli cum Garnerio ad Mar. Mercatorem, unum ex tribus illis esse putant, quos S. Augustinus libro de Fide et Operibus notat, impugnatque, tacito tamen auctoris nomine, *præ reverentia,* ut ait, *tanti viri.* Hanc nempe ipsam, *præcedere debere baptismi sacramentum, ut deinde sequatur vitæ morumque doctrina,* sententiam S. Augustinus perversam ac præposteram esse contendit. Sed quemadmodum prior ex iis locus, qui est de omnibus citra discrimen admittendis ad baptismum, ita ut etiam gravissimorum criminum rei, iique pertinaces, qui vitam emendare nolint, non repellantur, Hieronymo affingi nullatenus potest, quem penes nihil huic errori consentaneum est invenire : ita neque in hoc culpandus est S. doctor, isque putandus qui ab Augustino, quamquam nomine dissimulato, reprehenditur. Neque enim id proprie Hieron. sentit, quod Episcopus Hipponensis culpat : ut ex superioribus atque integro contextu manifestum est, ubi fidei doctrinam continuo præponi jubet : *Neque enim, inquit, potest fieri, ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem.* De morum autem doctrina parum sollicitus, si baptismo præmittatur, tantum curat ne omnino prætermittatur; eaque certe vel post baptismum tradenda est. Accedit quod et tertium locum falso notatum dici ab Augustino, ostendimus ad dialog. 1 contra Pelagianos, et ad Commentar. in Isai. cap. ultimum.

S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

TRANSLATIO

HOMILIARUM XXXIX ORIGENIS

IN EVANGELIUM LUCÆ,

AD PAULAM ET EUSTOCHIUM.

[a] Prologus.

245-246 Ante paucos dies quorumdam in A Matthæum et in Lucam Commentarios vos legisse dixistis, e quibus alter et sensibus hebes esset, et verbis; alter in verbis luderet, in sententiis dormitaret. Quamobrem petistis, ut contemptis istiusmodi nugis, saltem [b] triginta et novem Adamantii nostri in Lucam homilias, sicut in Græco habentur, interpreter: molestam rem et tormento similem, alieno, ut ait Tullius, stomacho et non suo scribere: quam tamen idcirco nunc faciam, quia sublimiora non poscitis. Siquidem illud quod olim Romæ sancta Blæsilla flagitaverat, ut [c] viginti quinque tomos illius in Matthæum, et quinque alios in Lucam, et [d] triginta duos in Joannem, nostræ linguæ traderem, nec virium mearum, nec otii, nec laboris est. Perspicitis enim, quantum apud me et auctoritas vestra, B et voluntas valet. Prætermisi paululum Hebraicarum Quæstionum libros, ut ad arbitrium vestrum lucrativis operis hæc, qualiacumque sunt, non mea, sed aliena dictarem: præsertim **247 248** cum a sinistro oscinem [e] corvum audiam crocitantem, et mirum in modum de cunctarum avium ridere coloribus, cum totus ipse tenebrosus sit. Fateor itaque antequam ille objiciat, in his Origenem tractatibus quasi [f] puerum talis ludere; alia sunt virilia ejus, et alia senectutis seria. Quæ si libuerit, si potuero, si Dominus, ut in Latinum sermonem vertam, dederit commeatum, et prætermissum opus prius explevero, tunc videre poteritis, immo per vos Romana lingua cognoscet, quantum boni et ante nescierit, et scire nunc cœperit. Præterea Commentarios viri eloquentissimi Hilarii et beati martyris Victorini, quos in Matthæum diverso sermone, sed una gratia spiritus ediderunt, post paucos dies ad vos mittere disposui; ne ignoretis quantum nostris quoque hominibus sanctarum Scripturarum quondam studium fuerit.

[a] Hanc ipsam ex integro præfationem postrema dumtaxat periodo detruncata, recitat ad invidiam Origeniani nominis Hieronymo creandam Rufinus Invectivarum lib. II, num. 21.

[b] Suffecimus ex Rufini lectione numerum *triginta et novem*, qui in vulgatis antea libris deerat, ut omnes, atque adeo multo his plures homilias in Lucam ex Adamantio Latine reddidisse videretur. Nam multo plures fuisse ab Origene elucubratas, cum alibi, tum in præfixa huic tomo præfatione ostendimus.

[c] Vitiose et falso hic legebatur antea, *triginta sex*, itemque penes Rufinum, *viginti sex*. Nihil vero dubitavimus restituere, *viginti quinque*, quod nec plures nec pauciores ipsemet Hieronymus in superiori prologo Comment. in Matthæum numeret. *Legisse*, inquit, *me fateor ante annos plurimos in Matthæum Ori-* C *genis* VIGINTI QUINQUE *volumina:* in quem numerum et Eusebius consentit lib. VI Eccles. Hist., cap. 36. Hæc quoque vetus erat verissima lectio in olim vulgatis Invectivarum Rufini codicibus.

[d] Hic quoque falso editi libri omnes præferebant, *triginta novem*, aut *triginta quatuor*, pro *triginta duos*, quam lectionem ex Rufini testimonio reposuimus. Eusebius modo laudato Hist. Eccl. libro duos tantum et viginti ex hac universa Commentariorum strue novit: verum fortasse et ibi, *triginta duos*, legendum est. Nunc vix supersunt novem.

[e] Calumniatur Rufinus, notari hic abs Hieronymo sub corvi nomine S. Ambrosium: primum ex eo, *quod apud Latinos ipsius tantum et non alterius in Lucam Commentarius ferebatur: deinde*, quod ipsiusmet Hieronymi penes se haberet, *Epistolam, in qua hoc ipsum de aliis excusans, in illum* (Ambrosium) *converterit suspicionem*. Nemo autem vel jurato Rufino credat, id sentire de Ambrosio potuisse S. Patrem, qui eum plurimi continuo fecit, nec raro in suis libris pro re nata laudavit.

[f] Restituimus, *puerum*, pro quo mendose legebatur, *iterum*. Mox quoque, *ludere*, emendamus, pro corrupto, *luderem:* quas lectiones ex rei sensusque veritate, Rufini insuper accedente testimonio, comprobamus. Pro *talis*, in aliis libris est, *tabulis*.

INCIPIUNT XXXIX HOMILIÆ IN LUCAM

DICTÆ IN DIEBUS DOMINICIS.

HOMILIA I.

In procemium Lucæ usque ad eum locum ubi ait : *Scribere tibi, optime Theophile.*

Sicut olim in populo Judæorum multi prophetiam pollicebantur, et quidam erant pseudoprophetæ, e quibus unus fuit Ananias filius Agot : alii vero prophetæ; et erat gratia in populo discernendorum spirituum, per quem alii inter prophetas recipiebantur, nonnulli quasi ab exercitatissimis trapezitis reprobabantur : ita et nunc in novo Testamento multi conati sunt scribere Evangelia ; sed non omnes recepti. Et ut sciatis, non solum quatuor Evangelia, sed plurima esse conscripta, e quibus hæc, quæ habemus, electa sunt, et tradita Ecclesiis, ex ipso procemio Lucæ, quod ita contexitur, cognoscamus : *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem* (*Luc.* I). Hoc quod ait : *Conati sunt*, latentem habet accusationem eorum, qui absque gratia Spiritus sancti ad scribenda Evangelia prosilierunt. Matthæus quippe, et Marcus, et Joannes, et Lucas non sunt conati scribere; sed Spiritu sancto pleni scripserunt Evangelia. Multi igitur conati sunt ordinare narrationem de his rebus, quæ manifestissime cognitæ sunt in nobis. Ecclesia quatuor habet Evangelia, hæreses [a] plurima : e quibus quoddam scribitur secundum Ægyptios, aliud juxta duodecim Apostolos. Ausus fuit et Basilides scribere Evangelium, et suo illud nomine titulare. Multi conati sunt scribere : sed et multi conati sunt ordinare. Quatuor tantum Evangelia sunt probata, e quibus sub persona Domini et Salvatoris nostri proferenda sunt dogmata. Scio quoddam Evangelium, quod appellatur secundum Thomam, et juxta Matthiam, et alia plura legimus, ne quid ignorare videremur, propter eos qui se putant aliquid scire, si ista cognoverint. Sed in his omnibus nihil aliud probamus, nisi quod Ecclesia, id est quatuor tantum Evangelia recipienda. Hæc idcirco, quia **249-250** in principio lectum est : *Multi conati sunt ordinare narrationem de his rebus, quæ confirmatæ sunt in nobis.* Illi tentaverunt atque conati sunt de his rebus scribere, quæ in nobis manifestissime sunt compertæ. Effectum suum Lucas indicat ex sermone, quo ait : *In nobis manifestissime sunt ostensæ*, id est, *πεπληροφορημένων* [b] (quod uno verbo Latinus sermo non explicat). Certa enim fide et ratione cognoverat, neque in aliquo fluctuabat, utrum ita esset, an aliter. Hoc autem illis evenit, qui fidelissime crediderunt, et id quod propheta obsecrat, consecuti sunt, et dicunt : *Confirma me in sermonibus tuis* (*Psal.* CXVIII); unde et Apostolus de his qui erant firmi, atque robusti, ait : *Ut sitis radicati et fundati in fide* (*Ephes.* III). Si quis enim radicatus in fide est, atque fundatus, licet tempestas fuerit exorta, licet venti flaverint, licet se imber effuderit, non convelletur, nec corruet, quia super petram ædificium solida mole fundatum est (*Matth.* VII). Nec putemus oculis istis carnalibus firmitatem fidei dari, quam mens et ratio tribuit. Infideles quique credant signis, atque portentis, quæ humana acies contuetur. Fidelis vero magis prudens atque robustus rationem sequatur et verbum, et sic dijudicet quid verum, quidve falsum sit. *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis.* In Exodo scriptum : *Populus videbat vocem Dei* (*Exod.* XIX). Et certe vox auditur prius quam videtur ; sed propterea scriptum est, ut ostenderetur nobis aliis oculis videre vocem Dei, quibus illam aspiciunt qui merentur. Porro in Evangelio non vox cernitur, sed sermo, qui voce præstantior est. Unde nunc dicitur : *Sicut ab initio tradiderunt nobis, qui a principio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis.* Igitur Apostoli ipsi viderunt sermonem : non quia aspexerant corpus Domini Salvatoris; sed quia verbum viderunt Si enim juxta corpus vidissent Jesum, hoc est, Dei vidissent sermonem, ergo et Pilatus qui condemnavit, sermonem Dei vidit, et Judas proditor, et omnes qui clamaverunt : *Crucifige, crucifige eum* (*Matth.* XXVI), tolle de terra, talem Dei viderunt sermonem. Sed absit ut quisquam incredulus sermonem Dei viderit. Videre sermonem Dei, tale est quale Salvator ait : *Qui videt me, videt et Patrem qui misit me. Sicut tradiderunt nobis qui a principio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis* (*Joan.* XIV). Cum Lucæ sermonibus edocemur, quod cujusdam doctrinæ finis sit ipsa doctrina, alterius vero doctrinæ finis in opere computetur. Verbi gratia : Scientia geometriæ finem habet ipsam tantum scientiam atque doctrinam. Alia vero scientia est, cujus finis opus exigit : velut in medicina oportet me rationem et dogmata scire medicinæ, non ut tantummodo noverim quid debeam facere, sed ut faciam, id est, ut secem vulnera, victum moderatum,

[a] Vitiose præferebant editi antea libri, *plurimas*, id est, hæreses, cum de Pseudo-Evangeliis totus hic sermo sit. Porro hæc pene ad verbum in sua transtulit Hieronymus, quod supra notatum est, Præfat. Commentar. in Matthæum. Recole quæ et nos ibi observamus.

[b] Hieronymi hoc esse additamentum, quod parenthesi inclusimus, nemo non sentit. Id genus alia inferius occurrunt, quæ audacioribus criticis Dallæo de scriptis Ignatii p. 439 et seqq., et Matthæo Larroquano in Animadversionibus ad Pearsonianas Ignatii vindicias pag. 94 et seqq. fraudi fuerunt, ut hasce homilias Adamantio perperam abjudicarent, Latinique esse hominis fetum contenderent. Nos suo quamque loco objectionem contra operis germanitatem refellemus.

castigatumque disponam, æstus febrium in pulsum venarum sentiam, ut curationibus cyclicis humorum abundantiam siccem, temperem, atque restringam. Quæ si quis tantum scierit, et non opere fuerit subsecutus, cassa erit ejus scientia. Simile quid scientiæ medicinæ et operi, etiam in notitia ministerioque sermonis est : *Sicut tradiderunt nobis qui a principio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis.* Ut ex eo quod dixit : *Ipsi viderunt*, doctrinam et scientiam significari, et ex eo quod dixit : *Ministri fuerunt sermonis*, demonstrari opera cognoscamus. *Assecuto a principio : Visum est et mihi assecuto ab initio :* inculcat, ac replicat, quoniam ea quæ scripturus est, non rumore cognoverit, sed ab initio ipse fuerit consecutus. Unde et ab Apostolo merito collaudatur, dicente : *Cujus laus in Evangelio est per omnes Ecclesias* (II *Cor.* VIII). Hoc enim de nullo alio dicitur, et nisi de Luca dictum traditur : *Visum est et mihi assecuto a principio omnia diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile.* Putat aliquis, quod ad Theophilum quempiam Evangelium scripserit : omnes qui nos auditis loquentes, si tales fueritis ut diligamini a Deo, et vos Theophili estis, et ad vos Evangelium scribitur. Si quis Theophilus est, iste optimus et fortissimus est, hoc [a] quippe significantius Græco sermone dicitur κράτιστος. Nemo Theophilus infirmus est. Et quomodo scriptum est **251-252** de populo Israel, quando egrediebatur ex Ægypto (*Exod.* XIV), quod non fuerit in tribubus eorum infirmus : sic, ut audacter loquar, dicam quod omnis qui Theophilus est, sit robustus, habens fortitudinem robustam a Deo, tamquam a sermone ejus, ut cognoscere possit eorum verborum, quibus conditus est, veritatem, intelligens sermonem Evangelii in Christo, cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA II.

De eo quod scriptum est : *Erant autem justi ambo in conspectu Dei, ambulantes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela.* Cap. I.

Qui volunt peccatis suis obtendere aliquam excusationem, existimant nullum esse absque peccato, et utuntur testimonio quod in Job scriptum est : *Nemo mundus a sorde, ne si unius quidem diei fuerit vita ejus super terram. Numerabiles autem menses ejus* (*Job.* XIV). Cujus sonum tantummodo proferunt, interpretationem penitus ignorantes. Adversus quos breviter respondebimus, quoniam absque peccato esse in Scripturis dupliciter intelligitur : ut sit alterum, numquam omnino peccasse : alterum, peccare desisse. Si igitur aiunt eum absque peccato dici, qui numquam peccaverit, et nos assentimus, nullum esse absque peccato, quia omnes [b] homines aliquando peccavimus, licet postea virtutem secuti sumus. Si vero sic intelligunt hominem non esse

A absque peccato, ut negent quempiam post vitia ita se ad virtutes referre, ut numquam omnino peccet, falsa eorum sententia est. Potest enim fieri, ut qui ante peccaverit, et peccare desiverit, sine peccato esse dicatur. Sic et Dominus noster Jesus Christus exhibuit sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam (*Ephes.* V) : non quia ecclesiasticus vir numquam habuerit maculam ; sed quia nequaquam ultra maculetur : non habentem rugam, non quod ruga veteris hominis in eo aliquando non fuerit ; sed quod eam habere desierit. In hunc modum et illud quod sequitur, est intelligendum, *ut sit sancta et immaculata*, non quod a principio immaculata fuerit : hoc enim suspicari quidem de homine non potest, quod anima ejus maculosa non fuerit ; sed quod re-
B putetur pura atque sincera, quæ maculari ultra desierit. Hæc idcirco diximus, ut doceremus posse hominem ob id quod peccare desivit, vocari absque peccato, et immaculatum. Unde et manifestissime de Zacharia et Elisabeth scribitur : *Erant justi ambo in conspectu Dei ambulantes. In omnibus autem erant justi ambo ante Dominum, incedentes in mandatis et justificationibus Domini sine querela.* Diligentius laudes Zachariæ et Elizabeth, quas sanctus Lucas in sua scribit historia, contemplemur : non tantum ut sciamus illos fuisse laudabiles ; sed ut sanctum zelum assumentes, etiam ipsi laude digni efficiamur. Potuerat simpliciter scribere, *erant justi ambo, ambulantes in omnibus mandatis* ; nunc autem necessario additur, *justi ambo in conspectu Dei.* Potest quippe
C fieri, ut sit aliquis justus in conspectu hominum, sed in conspectu Dei non. Verbi gratia, quando non habet homo quod de me male loquatur, et in me universa considerans nihil cui detrahat, reperit, justus sum in conspectu hominum. Finge omnes de me æqualem habere sententiam, et quærere quid detrahant mihi, et tamen invenire non posse, sed consono me ore laudare : justus sum in conspectu hominum plurimorum ; verum hominum non est certum judicium. Nesciunt enim utrum in abscondito cordis mei aliquando peccaverim, utrum viderim mulierem ad concupiscendum eam (*Matth.* V), et adulterium mihi in corde sit natum. Ignorant **253-254** homines cum me viderint secundum vires meas eleemosynam
D facere, utrum propter mandatum Dei fecerim, an hominum laudem favoremque quæsierim. Difficilis res est in conspectu Dei justum esse, ut non ob aliam causam quid boni facias nisi propter ipsum bonum, et Deum tantum quæras boni operis retributorem. Tale quid et Apostolus loquitur : *Quorum laus non ex hominibus, sed ex Deo est* (*Rom.* II). Beatus qui in conspectu Dei justus est, atque laudabilis. Homines enim, quamvis certum judicium habere videantur, tamen non possunt ad liquidum pronun-

[a] Iterum ex interpretis calamo, non auctoris, hocce additur comma : quod enim in Græco est, κράτιστος, et proprie *fortissimum* sonat, Latinæ versionis codices *optimum* interpretantur.

[b] Monendus est lector Mariam Virginem speciali Dei privilegio ab hac exemptam censura : ideoque monendus, quia Origenes, ut inferius ad homil. 14 dicendum est, ipsam quoque sub hac omnium hominum infirmitate impie annumerat.

tiare. Evenit quippe interdum, ut laudent eum qui A non est laudabilis, et ei detrahant qui minime detractione dignus est. Solus Deus et in laude et in vituperatione justus est judex. Unde digne et nunc additur in laude justorum : *Erant justi ambo in conspectu Dei*. Tale quid et Salomon in Proverbiis cohortatur, dicens : *Fili, provide bona in conspectu Dei et hominum* (*Prov.* III). Sequitur Zachariæ et Elizabeth alia laudatio. *Ambulantes in omnibus mandatis et justificationibus Domini*. Quando bene et recte de aliquibus judicamus, in justificationibus Domini gradimur. Quando hoc aut illud facimus, in mandatis illius ambulamus. Unde puto et sanctum Lucam, volentem eos prædicare laude perfecta, dixisse : *Erant justi ambo, ambulantes in omnibus mandatis et justificationibus Domini*. Dicat mihi quispiam : Si laus ista B perfecta est, quid sibi vult hoc quod dicitur, *sine querela?* Sufficiebat enim dicere, ambulantes in omnibus viis et justificationibus Domini : nisi posset fieri ut ambulet quis in omnibus mandatis Dei, et tamen sine querela non ambulet. Et quomodo potest evenire, ut in omnibus mandatis et justificationibus Dei ambulans sub querela sit? Cui breviter dicam : Nisi hoc ita esset, numquam in alio loco nosceremus scriptum referri : *Juste id quod justum est, sequere* (*Deut.* XVI). Nisi enim esset justum aliquid, quod non juste sequeremur, nequaquam nobis præciperetur, ut juste id quod justum est, sequeremur. Quando enim facimus mandatum Dei, et in conscientia nostra vanæ gloriæ sordes respergimus, ut placeamus hominibus, aut alia quæcumque non placet Deo, C boni operis causa præcedit, quamvis faciamus præceptum Dei, tamen illud absque querela non facimus, et injuste id quod justum est, sequimur. Difficile ergo est ambulare in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela, secundum testimonium et laudem Dei in Christo Jesu. Quæ laus reddenda est in die judicii ab eo, cui omnes nos manifestari oportet ante tribunal ejus, ut recipiat unusquisque quæ per corpus gessit, sive bona, sive mala (II *Cor.* v). Omnes enim stabimus ante tribunal Dei, ut recipiamus quod meremur in Christo Jesu. Cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA III.

De eo quod scriptum est : *Apparuit ei Angelus Domini, stans a dextris altaris incensi* [Al. *accensi*]. D Cap. I.

Quæ corporalia sunt, et sensu carent, ut videantur ab alio, ipsa nihil efficiunt; sed tantummodo oculus alterius intentus in ea, sive voluerint illa, sive noluerint, videt, quando in ea contemplationem direxerit. Quid enim potest homo, aut alia res quæ circumdatur corpore crasso, cum in præsenti fuerit, facere ne cernatur? Econtrario ea quæ sunt superna et divina, ea cum in præsenti fuerint, non videntur nisi ipsa voluerint : et in voluntate eorum est videri, vel non videri. Gratia Dei fuit ut appareret Abraham, vel cæteris prophetis : non quod oculus tantum cordis Abraham in causa fuerit ut cerneret Deum; sed quod gratia Dei ultro se aspiciendam præbuerit viro justo. Hoc autem non solum [a] super Deo Patre intelligas; sed etiam **255—256** super Domino Salvatore, et super Spiritu sancto, et ut ad minora perveniam, super Cherubim et Seraphim. Fieri enim potest, ut et nunc nobis loquentibus assistat angelus, et tamen quia non meremur, eum videre nequeamus. Quamvis enim oculus sive corporis, sive animæ nostræ ad contemplandum intendat, nisi sponte apparuerit angelus, et se [*Al.* si] videndum præbuerit, et ille qui vere desiderat, non videbit. Itaque ubicumque scriptum fuerit, apparuit Deus illi, vel illi, ut et nunc : *Apparuit ei Angelus Domini, stans a dextris altaris incensi*, ita ut dixi, intellige. Sive Deus, sive angelus Abrahæ vel Zachariæ, cum voluerit vel noluerit, aut non videbitur, aut videbitur. Et hoc non tantum in præsenti sæculo dicimus, sed etiam in futuro, cum migraverimus e mundo, quod non omnibus vel Deus, vel angeli appareant, quod scilicet et angelos, et Spiritum sanctum, et Dominum Salvatorem, et ipsum Deum Patrem, is qui de corpore exierit, statim mereatur videre : et ille tantum videbit, qui mundum habuerit cor (*Matth.* v), et talem se præbuerit, ut dignus Dei sit aspectu. Et quamvis in eodem loco sit, qui mundo corde est, et is qui adhuc aliqua sorde respergitur, unus locus nec nocere quempiam poterit, nec juvare : quia qui mundum cor habuerit, Deum videbit, qui autem talis fuerit, id quod alii cernunt, non videbit. Tale quid mihi intelligendum et de Christo, qui quondam in corpore videbatur, quod non quicumque eum videbant, poterant videre. Videbant quippe tantum corpus illius : secundum vero hoc quod Christus erat, eum videre non poterant. Porro discipuli eum videbant, et magnitudinem divinitatis illius contemplabantur. Propter quod puto et ad Philippum deprecantem atque dicentem : *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis*, respondisse Salvatorem : *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem* (*Joann.* XIV). Neque enim Pilatus, qui videbat Jesum,

[a] Multis quidem ante ac post Origenem Ecclesiasticis auctoribus persuasum fuit, quando in veteris Testamenti historia Deus patriarchis aut prophetis dicitur apparuisse, inque iis adfuisse Filium, debere intelligi, qui morem Patri gerens aspectabilem sese illis præbuerit, Deique, angeli, aut Domini, pro varia quam sustinuit persona nomina sortitus sit, quin et junctus iis substantialiter fuerit, quamquam non ὑποστατικῇ, sed σχετικῇ conjunctione. Hanc merito reprehendere alii sententiam : nec tamen Origenem criminandi occasionem arripimus. Sed cum hic easdem partes et Deo Patri, et Spiritui sancto tribuat, paradoxam, illique peculiarem doctrinam absque reprehensionis nota præterire non liceat. Siquidem illa ipsa Adamantium destituit ratio, qua cæteri videntur adducti : puta verbis illis Exodi XXXIII : *Deum Patrem nemo videbit umquam, et vivet* : et econtrario illis Christi Joan. VIII : *Abraham exsultavit ut videret diem meum : vidit, et gavisus est*, hisque similibus.

intuebatur Patrem, nec proditor Judas : quia nec ipse Pilatus, nec Judas Christum secundum hoc quod erat Christus videbant, nec multitudo quæ coarctabat eum. Illi tantum videbant Jesum, quos aspectu suo dignos esse sciebat. Laboremus ergo et nos, ut et impræsentiarum nobis Deus appareat. Sanctus quippe Scripturarum sermo promisit, quod invenietur ab his qui non tentant eum : apparet autem his qui non sunt increduli in eum : et in futuro non abscondatur a nobis; sed videamus eum facie ad faciem, et habeamus fiduciam bonæ vitæ, fruamurque conspectu omnipotentis Dei in Christo Jesu, et Spiritu sancto, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA IV.

De eo quod scriptum est : *Ne timeas, Zacharia*, usque ad eum locum ubi ait de Joanne : *Præcedet coram ipso in spiritu et virtute Eliæ*. Cap. 1.

Zacharias, cum angelum vidisset, expavit. Nova quippe facies humanis obtutibus se præbens turbat mentem, animumque consternat. Unde angelus, sciens hanc esse humanam naturam, primum perturbationi medetur dicens : *Noli timere, Zacharia* : et trepidantem refocillat, novoque lætificat nuntio inferens : *Exaudita est oratio tua, et uxor tua Elizabeth pariet filium, et vocabis nomen ejus Joannem, et erit tibi gaudium et exsultatio*. Quando justus **257-258** quis oritur mundo, et stadium hujus vitæ ingreditur, ministri nativitatis ejus lætantur, et se efferunt in sublime. Quando vero ille nascitur, qui malæ vitæ præparatus est, et quasi ob pœnas [a] in ergastulum relegatus, minister consternatur, et concidit. Vis exemplum accipere sancti viri, cujus omnis fructus in laude sit? Vide Jacob duodecim genuisse mares, qui omnes populi Dei et partis illius patriarchæ et principes exstiterunt : in his omnibus Jacob lætabatur pater, sicut et nunc de Joannis nativitate cunctis gaudium nuntiatur : et qui semel ob utilitatem aliorum ad liberorum opera descenderit, et se voluerit huic ministerio mancipare, obsecret Deum, ut talis ei filius ingrediatur sæculum, super cujus nativitate lætior sit. Scribitur ergo de Joanne : *Erit magnus in conspectu Domini* (*Luc.* I). Magnitudinem animæ Joannis ostendit, quæ oculis Dei pateat : et aliquid minus, quod proprie in animæ virtute conspicitur. Ego ita intellige et illud, quod in Evangelio dicitur, *Nolite contemnere unum de minimis istis, qui in Ecclesia sunt*. Minimus ibi ad distinctionem majoris intelligitur. Non mihi præcipitur, ut eum qui grandis est contemnam, quia non potest contemni ille qui grandis est; sed dicitur mihi, ne contemnas unum ex minimis. Ut autem scias, quod minimus et parvus non fortuitu dicatur; sed cum ea ratione, quam posuimus, scriptum est : *Quicumque scandalizaverit unum de minimis istis* (*Matth.* XVIII). Minimus scandalizatur, grandis non potest scandalum sustinere. Sequitur de Joanne : *Et Spiritu sancto replebitur adhuc de utero matris suæ*. Et nativitas Joannis plena miraculo est. Quomodo enim Domini nostri ac Salvatoris adventum archangelus nuntiavit : ita et Joannis ortum archangelus nuntiat : *Spiritu sancto replebitur adhuc de utero matris suæ*. Populus Judæorum facientem Dominum nostrum signa atque portenta, et curantem infirmitates eorum, nequaquam videbat : Joannes vero adhuc in utero matris constitutus exsultat, etenim non potest, et ad adventum Matris Jesu de utero gestit erumpere. *Ecce enim*, ait Elizabeth, *ut facta est salutatio tua in aures meas, exsultavit in gaudio infans in utero meo*. Adhuc in matris utero erat Joannes, et jam Spiritum sanctum acceperat. Non enim illud principium erat substantiæ ejus, atque naturæ, de qua Scriptura loquitur, quod plurimos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum (*Matth.* IV). Joannes plurimos convertit, Dominus autem non plures, sed omnes. Hoc opus illius, ut omnes convertat ad Deum Patrem. *Et præcedet coram ipso in spiritu et virtute Eliæ*. Non ait in anima Eliæ, sed *in spiritu et virtute Eliæ*. Fuit in Elia virtus, et spiritus sicut in omnibus prophetis, et secundum dispensationem corporis in ipso quoque Domino Salvatore : de quo post paululum ad Mariam dicitur : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Spiritus ergo qui fuerat in Joanne, et virtus quæ in illo erat, in hoc quoque apparuit. Ille translatus est : hic vero Præcursor Domini fuit, et mortuus est ante eum, ut ad inferna descendens illius prædicaret adventum. Ego puto, quod sacramentum Joannis usque hodie expleatur in mundo. Quicumque crediturus est in Christum Jesum, præcurrit ante spiritus et virtus Joannis ad animam illius, et præparat Domino populum perfectum, et in cordis asperitatibus planas facit vias, et dirigit semitas, *parare Domino plebem perfectam* (*Matth.* I). Non illo tantum tempore præparatæ sunt viæ, et directæ semitæ, sed usque hodie adventum Domini Salvatoris spiritus Joannis virtusque præcedit. O magna mysteria Domini, et dispensationis ejus. Angeli præcurrunt Jesum : angeli quotidie aut ascendunt, aut descendunt super salutem hominum, in Christo Jesu (*Joan.* I), cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum, Amen.

259—260 HOMILIA V.

De eo quod Zacharias obmutuit. Cap. I.

Zacharias sacerdos, cum in templo offerret incen-

[a] Non est cur multis hancce Origenis reprehendamus sententiam, qua ab angelis statuit corporibus illigari animas e cœlo deprom ptas, easque aut pro peccatis sursum admissis in corpore quasi in ergastulum demitti, aut propter recte ante vitam gesta, variis ac variis in corporibus, decretis Dei exsequendis navare operam. Hocce Origenismi propemodum characteristicon innumeri veteres, recentioresque auctores impugnarunt : diximus et nos quædam cum alibi, tum præcipue ad synodicam epistolam inter Hieronymianas 92, quam publici juris primum fecimus, quaque Origenianæ hæreseos placita fere singula condemnantur.

sum, silentio condemnatur, et retinetur, immo tantum nutibus loquitur, et mutus usque ad ortum Joannis filii perseverat. Quo hæc tendit historia? Silentium Zachariæ silentium prophetarum est in populo Israel. Nequaquam loquitur eis Deus: et sermo qui a principio erat apud Patrem Deus, ad nos transiit, nobisque non tacet Christus: apud illos usque hodie silet; quamobrem et Zacharias propheta tacuit. Manifestissime ex sermonibus ipsius comprobatur, quod et propheta fuerit et sacerdos. Quid [*Al.* Qui] vult autem hoc quod sequitur: *Annuebat eis, et damnum vocis nutibus compensabat?* Ego puto talia esse opera absque sermone, quæ ratione nihil nutibus differunt. Ubi vero ratio et sermo præcesserit, et ita opus fuerit subsecutum, non debent existimari simplices nutus, qui ornantur sermone, aut ratione. Si igitur videris conversationem Judæorum sine ratione atque sermone, ita ut non queant eorum quæ agunt, rationem reddere, intellige quod tunc in Zacharia præcessit, in imagine ipsius hucusque compleri. Circumcisio eorum nutibus similis est. Nisi enim circumcisionis ratio reddatur, nutus est circumcisio et opus mutum. Pascha et aliæ solemnitates nutus magis sunt quam veritas. Usque hodie populus Israel surdus et mutus est: neque poterat fieri, ut non surdus esset et mutus, qui a se sermonem abjecerat. Et olim quidem Moyses loquebatur: *Ego autem alogos sum* a(*Exod.* v, 12): quod licet Latinus aliter expresserit, tamen proprie transferri potest, *absque sermone*, sive *ratione;* et postquam hoc ait, accepit rationem et sermonem, quem confessus fuerat se antea non habere. Populus autem Israel, priusquam legem acciperet, absque ratione et sermone quodam modo mutus erat: deinde accepit sermonem, cujus imago fuit Moyses. Iste igitur non confitetur modo, quod tunc confessus est Moyses, eo quod sit mutus et alogos; sed nutibus et silentio indicat se non habere sermonem, et non habere rationem. Nonne tibi videtur confessio esse stultitiæ, quando nullus eorum potest legalium præceptorum et prophetici vaticinii rationem reddere? Cessavit Christus esse in eis, reliquit eos sermo, completum est illud quod in Isaia scribitur: *Relinquetur filia Sion sicut tabernaculum in vinea, et sicut custodia in cucumerario, ut civitas quæ expugnatur* (*Isai.* I). Quibus relictis, salus translata est ad nationes, ut illi concitentur ad zelum. Intuentes ergo dispensationem et arcanum Dei, quomodo Israel abjectus sit in salute nostra, cavere debemus, ne forte et illi nostri causa ejecti sint, et nos majori supplicio digni simus, propter quos et alii derelicti sunt, et nos nihil dignum adoptione Dei et ejus clementia

A fecerimus, qua adoptavit nos, et in suos filios reputavit, in Christo Jesu (*Rom.* XI): cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA VI.

De eo quod scriptum est: *Cum autem concepisset Elizabeth, absconderat se:* usque ad eum locum ubi ait: *Hic erit magnus.* Cap. I.

Quando concepit Elizabeth, abscondebat se mensibus quinque, dicens: Quia sic mihi fecit Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum in hominibus. Quæro quam ob causam postquam intellexit se esse prægnantem **261—262**, publicum declinarit? Ni fallor, hoc est etiam quod hi qui nuptiis copulati sunt, non omne tempus coitus liberum

B inter se habent; sed est tempus quando recedunt ab opere nuptiarum. Si enim vir senex fuerit et mulier anus, pudoris est maximi servire eos libidini, servire conjugio, quæ vel curæ corporis et senectæ esse Dei videntur voluntate sublata. Hæc autem, quæ ad sermonem angeli et dispensationem Dei rursum fuerat viro copulata, erubescat [*F.* erubescebat] quod anus et pene decrepita ad opus juvenum revertisset. Unde et abscondebat se mensibus quinque: non usque ad nonum mensem, donec partus ingrueret; sed usquequo conciperet Maria. Quando enim illa concepit, et venit ad eam, et facta est salutatio in aures ejus, exsultavit in gaudio infans in utero Elizabeth, et prophetavit Spiritu sancto plena, et locuta est quæ evangelicus sermo

C describit: *Et diffamata sunt super omnem montanam verba hæc.* Quando enim in populo rumor egressus est habere eam in utero prophetam, et aliquid majus esse homine qui gestabatur a Virgine, tunc non absconditur, sed tota libertate se prodit, et exsultat se habere Præcursorem in utero Salvatoris. Deinde Scriptura commemorat, quod *mense sexto conceptus Elizabeth missus sit angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cujus nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen Joseph de domo David, et nomen Virginis, Maria.* Rursum in mea mente volvens quæro, quare Deus, cum semel Salvatorem judicaret nasci ex virgine, non elegit puellam absque sponso, sed eam potissimum quæ jam fuerat desponsata. Et nisi fallor, hæc causa est. Debuit de ea

D virgine nasci, quæ non solum sponsum haberet; sed, ut Matthæus scribit, jam viro tradita fuerat, licet eam vir necdum nosset (*Matth.* I), ne turpitudinem virginis habitus ipse monstraret, si virgo videretur utero tumenti. Unde eleganter in cujusdam martyris b epistola scriptum reperi, Ignatium dico episcopum Antiochæ post Petrum secundum,

a Sancti hæc quoque Interpretis verba sunt; cum enim quod Græce habetur, Exod. v: Ἐγὼ δὲ ἄλογός εἰμι: *Ego autem sine verbo sum*, Latini codices ad verbum non resonent, sed juxta sensum dumtaxat: *Cum incircumcisis labiis sim*, vel: *Cum tardi sermonis sim*, Hieronymus de hoc ipso lectorem a se duxit admonendum.

b Diximus et ad Hieronymi Commentarios in Matthæum cap. II, ubi S. Pater *martyrem Ignatium* laudat (qui *quartam addidit causam, cur a desponsata* Christus *conceptus sit: ut partus* nempe *ejus celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, sed de uxore generatum*) videri Hieronymum non ex ipso Ignatio, sed ex hac Origeniana homilia locum recitare, non enim hæc proprie sanctus Martyr pronuntiavit, sed ex ejus Epistola ad Ephesios sub finem utcumque colligere licet.

qui in persecutione Romæ pugnavit ad bestias : Principem sæculi hujus latuit virginitas Mariæ : latuit propter Joseph : latuit propter nuptias : latuit quia virum habere putabatur. Si enim non habuisset sponsum, et ut putabatur, virum, nequaquam potuisset principi mundi hujus abscondi. Statim enim cogitatio diaboli tacita subrepsisset : quomodo ista, quæ non concubuit cum viro, prægnans est? Debet iste conceptus esse divinus, debet aliquid humana natura esse sublimius. Econtrario disposuerat Salvator, dispensationem suam et assumptionem corporis ignorare diabolum : unde et in generatione sua celavit eam; et discipulis postea præcipiebat, ne manifestum eum facerent. Et cum ab ipso diabolo tentaretur, nusquam confessus est Dei se esse Filium, sed tantummodo respondebat : Non oportet ut adorem te, nec ut lapides istos panes faciam, ut me de alto præcipitem (*Matth.* IV). Et cum ista diceret, tacuit semper se esse Filium Dei. Quære et in alia Scriptura, et reperies voluntatis Christi fuisse, ut adventum Filii Dei diabolus ignoraret. Apostolus enim passionem ejus asserens nescisse contrarias fortitudines, ait : *Sapientiam loquimur inter perfectos. Sapientiam autem non sæculi hujus, neque principum sæculi hujus qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam nullus principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent* (I *Cor.* II). Absconditum igitur fuit a principibus sæculi mysterium Salvatoris. Quod autem econtrario objici potest, solvendum mihi videtur antequam ab alio præponatur, qua ratione quod principes hujus sæculi latuit, dæmonem non latuit, eum præsertim qui in Evangelio loquebatur : *Venisti ante tempus torquere nos, scimus te qui sis Filius Dei* (*Matth.* IX). Sed considera, quia minor in malitia noverit Salvatorem : qui vero major est in scelere, et versipellis, et nequam, ex eo ipso, quod in malo major est, impeditur nosse Filium Dei. Nos quoque ipsi, si minus habuerimus mali, facilius possumus ad virtutem procedere. Si vero magis in nobis fuerit mali, ingenti **263—264** labore sudandum est, ut majori malitia liberemur. Hæc de eo quod sponsum habuerit Maria.

Quia vero angelus novo sermone Mariam salutavit, quem in omni Scriptura invenire non potui, et de hoc pauca dicenda sunt. Id enim quod ait : *Ave, gratia plena*, quod [a] Græce dicitur, κεχαριτωμένη, ubi in Scripturis alibi legerim non recordor; sed neque ad virum istiusmodi sermo est, *Salve, gratia plena*. Soli Mariæ hæc salutatio servatur. Si enim scisset Maria et ad alium quempiam similem factum esse sermonem, habebat quippe legis scientiam, et erat sancta, et prophetarum vaticinia quo-A tidiana meditatione cognoverat, numquam quasi peregrina eam salutatio terruisset. Propter quod loquitur ei angelus : *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam coram Domino. Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Is erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur.* Dicitur et de Joanne, *erit magnus :* et hoc ipsum Gabriel angelus contestatur; sed quando venit Jesus vere magnus, vere sublimis, ille qui prius magnus fuerat, minor effectus est. Ille enim, inquit, fuit lucerna ardens et lucens, et vos voluistis ad horam exsultare in lumine ejus (*Joan.* V). Magnitudo Salvatoris nostri non tunc apparuit quando natus est; sed nunc postquam oppressa ab adversariis videbatur, emicuit. Vide magnitudinem Domini : In omnem terram B exivit sonus doctrinæ ejus, et in fines orbis terrarum verba illius (*Psal.* XVIII). Dominus noster Jesus, [b] qui virtus est Dei (*Rom.* I, *et* I *Cor.* I), in omnem diffusus est orbem, et impræsentiarum nobiscum est, juxta illud quod in apostolo legitur : *Congregatis vobis et Spiritu meo cum virtute Domini nostri Jesu Christi* (I *Cor.* V). Virtus Domini Salvatoris et cum his est, qui ab orbe nostro in Britannia dividuntur, et cum his qui in Mauritania, et cum universis qui sub sole in nomine ejus crediderunt. Vide ergo magnitudinem Salvatoris, quomodo in toto orbe diffusa sit, et certe necdum ejus veram magnitudinem exposui. Ascende in cœlos, et vide eum, quomodo cœlestia repleverit. Apparuit siquidem ange-C lis. Descende cogitatione in abyssos, et videbis eum etiam illuc descendisse. *Qui enim descendit, ipse est et qui ascendit, ut impleret omnia, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum* (*Ephes.* IV). Considera virtutem Domini, quod impleverit mundum, id est, cœlestia, terrestria, et infernalia, quomodo et cœlum ipsum penetravit, et in superna ascenderit. Legimus enim, quod pertransierit cœlos Filius Dei (*Hebr.* IV). Si hæc videris, pariter intueberis non transitorie dictum : *Magnus erit;* sed verbum opere completum. Magnus est Dominus noster Jesus, et præsens, et absens, tribuitque consortium fortitudinis suæ huic cœtui nostro atque conventui : quod ut et singuli mereamur accipere, deprecemur Dominum Deum, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum, Amen. D

HOMILIA VII.

De eo quod scriptum est : *Exsurgens autem Maria cum festinatione venit in montana*, usque ad eum locum ubi ait : *Erit consummatio eorum quæ dicta sunt*. Cap. I.

Meliores ad deteriores veniunt, ut eis ex adventu suo aliquid tribuant emolumenti. Sic et Salvator venit ad Joannem, ut sanctificaret baptisma illius :

[a] Hieronymi, ut nemo non sentit, annotatio hæc est, ut ipsum salutationis Græcum verbum, κεχαριτωμένη, quod plane inusitatum Origenes dixerat, Latine autem fere obvium est, lectori innotesceret.

[b] Legere malim, *qua virtus est*, ut ei manifestius opinationi opponatur, cui Origenem adhæsisse Genebrardus aliique ex tractatu 34 in Matthæum criminantur, quod nempe senserit Christum, qua Christus est, sive qua humanitatem corporeis usurpandam oculis præfert, ubique existere. Hic enimvero Adamantius soli divinitatis præsentiæ hoc tribuit, ac verissime Christum qua Dei virtus est, in omnem diffusum esse orbem, omniaque pervadere docet, cœlestia, terrestria, atque inferna.

A et Maria statim ut audivit angelum nuntiantem, quod concepeit Salvatorem, et quod cognata illius Elizabeth haberet in utero, consurgens cum festinatione venit in montana, et ingressa est domum Elizabeth. **265-266** Jesus vero, qui in utero illius erat, festinabat adhuc in ventre matris Joannem positum sanctificare. Denique antequam veniret Maria, et salutaret Elizabeth, non exsultavit infans in utero: sed statim ut Maria locuta est verbum, quod Filius Dei in ventre matris suggesserat, exsultavit infans in gaudio, et tunc primum præcursorem suum prophetam fecit Jesus. Oportebat quoque Mariam cum Dei prole dignissima, post alloquium Dei, ad montana conscendere, et in sublimioribus commorari. Unde et scriptum est: *Consurgens Maria in diebus illis, venit in montana.* Debuerat etiam, cum
B esset sollicita, non pigra, properare sollicitudine, et Spiritu sancto plena ad sublimiora perduci, et virtute Dei protegi, a qua fuerat obumbrata. *Venit ergo in civitatem Judæ, et in domum Zachariæ, et salutavit Elizabeth. Factum est cum audisset salutationem Mariæ Elizabeth, exsultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu sancto.* Non est itaque dubium quin quæ tunc repleta est Spiritu sancto, propter filium sit repleta. Neque enim mater primum Spiritum sanctum meruit, sed cum Joannes adhuc clausus in utero Spiritum sanctum recepisset, tunc et illa post sanctificationem filii repleta est Spiritu sancto. Poteris hoc credere, si simile quid etiam de Salvatore cognoveris. Invenitur beata
C Maria, sicut in aliquantis [a] exemplaribus reperimus, prophetare. Non enim ignoramus, quod secundum alios codices et hæc verba Elizabeth vaticinetur. Spiritu itaque sancto tunc repleta est Maria, quando cœpit in utero habere Salvatorem. Statim enim ut Spiritum sanctum accepit, Dominici corporis conditorem, et Filius Dei esse cœpit in utero, etiam ipsa completa est Spiritu sancto. *Exsultavit* ergo *infans in utero Elizabeth, et repleta est Spiritu sancto, et clamavit voce magna et dixit:*

Benedicta tu inter mulieres. Debemus in hoc loco, ne simplices quique decipiantur, ea quæ solent opponere hæretici, confutare. In tantam quippe nescio quis prorupit insaniam, ut assereret negatam fuisse Mariam a Salvatore, eo quod post nativitatem illius
D juncta fuerit [b] Joseph: et locutus est, quæ quali mente dixerit ipse noverit qui locutus est: Si quando igitur hæretici vobis tale quid objecerint, respondete eis, et dicite: Certe Spiritu sancto plena Elizabeth ait: *Benedicta tu inter mulieres.* Si sancto Spiritu benedicta canitur Maria, quomodo eam Salvator negavit? Porro quod asserunt eam nupsisse post partum, unde approbent non habent. Hi enim filii, qui Joseph dicebantur, non erant orti de Maria, neque est ulla Scriptura quæ ista commemoret. *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde mihi hoc, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Quod ait: *Unde mihi hoc,* non ignorans dicit: et maxime Spiritu sancto plena, quasi nesciat quod juxta Dei voluntatem Mater Domini venerit ad eam; sed isto sensu loquitur: Quid boni feci? quæ opera mea tanta sunt, ut Mater Domini ad me veniat? per quam justitiam, ex quibus bonis, de qua fidelitate mentis hoc merui, ut Mater Domini mei veniat ad me? *Ecce enim ut facta est salutatio tua in aures meas, exsultavit in exsultatione infans in utero meo.* Sancta erat anima beati Joannis, et adhuc in matris utero clausa, venturaque in mundum, quasi per experientiæ sensum, sciebat quæ Israel ignorabat. Unde exsilivit: et non simpliciter exsilivit, sed in gaudio. Senserat enim venisse Dominum suum, ut sanctificaret servum suum, antequam de matris utero procederet. Utinam mihi eveniat, ut ab infidelibus stultus dicar, qui talibus credidi. Ipsum opus ostendit et veritas, non me stultitiæ, sed sapientiæ credidisse; et quia hoc quod stultum apud illos putatur, mihi salutis occasio sit. Nisi enim fuisset cœlestis, et beata nativitas Salvatoris, nisi habuisset divini aliquid, et humanitatem hominum superegrediens, numquam totum orbem illius doctrina penetrasset. Si tantummodo fuisset in Mariæ utero, et non **267-268** Dei Filius, quomodo poterat fieri, ut et illo tempore et nunc, non solum corporum, sed etiam animarum morbi multiplices curarentur? Quis nostrum non insipiens fuit, qui nunc propter misericordiam Dei habemus intelligentiam, et sitimus Deum? Quis nostrum non incredulus justitiæ, qui nunc propter Christum justitiam habemus, sequimurque justitiam? Quis nostrum non errabundus et vagus, qui nunc propter adventum Salvatoris non fluctuamus, atque turbamur, sed sumus in via, in illo videlicet qui ait: *Ego sum via (Joan. x)*? Possumus et reliqua congregantes videre, quoniam omnia quæ scripta sunt de eo, divina admiratione digna referuntur: quod et nativitas illius, et nutrimenta, et virtus, et passio, et resurrectio non solum illo tempore, sed etiam nunc operentur in nobis. Quis vos, o catechumeni, in Ecclesia congregavit? qui stimulus impulit, ut, relictis domibus, in hunc cœtum coeatis? Neque enim nos domus vestras singillatim circuivimus; sed omnipotens Pater virtute invisibili subjicit cordibus vestris, quos scit esse dignos, hunc ardorem, ut quasi inviti, et retrectantes veniatis ad fidem, maxime in exordio religionis, cum veluti trepidi et paventes salutis fidem cum timore suscipitis. Obsecro vos, o

[a] Innuit, opinor, verba subsequentis versiculi 45, καὶ μακαρία ἡ πιστεύσασα· ὅτι ἔσται τελείωσις, etc. *Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino*, in aliquantis sui ævi exemplaribus ex Mariæ Virginis persona, non Elizabeth dici. Nulla vero nunc ejus lectionis vola aut vestigium superest.

[b] Hanc postea hæresim Helvidius instauravit, hancque ipsam præ reliquis causam prætexuit, quod *fratres Domini* in Evangelio nominentur. Operæ pretium sit S. Hieronymi vere aureum libellum contra hunc hæreticum recoluisse. Mox perturbatum contextum nos restituimus, cum antea legeretur: *quali mente dixerit, qui, ipse noverit, locutus est.*

catechumeni, nolite retrectare: nemo vestrum formidet et paveat, sed sequimini præeuntem Jesum. Ille vos trahit ad salutem, congregat in Ecclesiam, nunc quidem super terram: si autem dignos fructus feceritis, in Ecclesiam primitivorum qui scripti sunt in cœlestibus. *Beata quæ credidit, quia erit perfectio his quæ dicta sunt ei a Domino.* Super quibus et beata Maria magnificat Dominum Jesum. Magnificat autem anima Dominum, spiritus Deum. Quæ quam habeant interpretationem, si concesserit Dominus, ut rursus in Ecclesiam congregemur, ut festivi veniatis ad domum Dei, et divinæ lectioni præbeatis aures, quæremus, ventilabimus, disseremus, in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

De eo quod scriptum est; *Magnificat anima mea Dominum*, usque ad illum locum ubi ait; *Timentibus efficit virtutem*. Cap. I.

Ante Joannem prophetat Elizabeth, ante ortum Domini Salvatoris prophetat Maria. Et quomodo peccatum cœpit a muliere, et deinceps ad virum usque pervenit: sic et principium salutis a mulieribus habuit exordium, ut cæteræ quoque mulieres, sexus fragilitate deposita, imitarentur vitam, conversationemque sanctarum earum, quæ vel maxime nunc in Evangelio describuntur. Videamus ergo vaticinium virginale. *Magnificat*, ait, *anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Duæ res, anima scilicet et spiritus, duplici laude funguntur. Anima Dominum prædicat, spiritus Deum. Non quod alia laus Domini, alia Dei sit; sed quia qui Deus est, idem et Dominus est: et qui Dominus est, idem et Deus sit. Quæritur quomodo magnificet Dominum. Si enim Dominus nec augmentum, nec decrementum, recipere potest, et quod est, est: qua ratione nunc Maria loquitur: *Magnificat anima mea Dominum?* Si considerem Dominum Salvatorem imaginem esse invisibilis Dei (*Coloss.* I), et videam animam meam factam ad imaginem conditoris, ut imago esset imaginis, neque enim anima mea specialiter imago est Dei; sed ad similitudinem imaginis prioris effecta est: tunc videbo quoniam in exemplum eorum, qui solent imagines pingere, et uno (verbi causa) vultu regis accepto ad principalem similitudinem exprimendam artis industriam commendare, unusquisque nostrum ad imaginem Christi formans animam suam, aut majorem ei, aut minorem ponit imaginem, vel obsoletam, vel sordidam, aut claram, atque lucentem, et splendentem ad effigiem imaginis principalis. Quando igitur grandem fecero imaginem imaginis, id est, animam meam, et magnificavero eam opere, **269-270** cogitatione, sermone, tunc imago Dei grandis efficitur, et ipse Dominus, cujus imago est in nostra anima, magnificatur. Et quomodo crescit Dominus in nostra imagine,

A sic si peccatores fuerimus, minuitur atque decrescit. Sed nos pro imagine Salvatoris alias nobis imagines induimus: pro imagine Verbi sapientiæ, justitiæ, cæterarumque virtutum, diaboli formam assumimus, ut dicatur de nobis: *Serpentes, generatio viperarum* (*Matth.* XXIII). Et leonis personam induimus, et draconis, et vulpium, quando venenati, crudeles, callidi sumus: necnon et hirci, vel porci, quando ad libidinem promptiores. Memini quondam Deuteronomium disserentem in eo loco ubi scriptum est: *Ne faciatis omnem similitudinem omnis animalis* (*Deut.* IV), dixisse me quoniam spiritalis est in alios facere imaginem masculi, in alios feminæ: illum similitudinem habere volucrum, illum reptilium, atque serpentium, et alium facere similitudinem Dei. Hæc

B quomodo intelligantur sciet qui illa [a] legerit. Anima itaque Mariæ primum magnificat Dominum, et postea exsultat in Deo. Nisi enim antea crederemus, exsultare non possemus. *Quia respexit*, inquit, *in humilitatem ancillæ suæ.* In quam humilitatem Mariæ respexit Dominus? Quid habebat Mater Salvatoris humile atque dejectum, quæ Dei Filium gestabat in utero? Quod ergo dicit: *Respexit in humilitatem ancillæ suæ*, tale est quasi dixerit: Respexit in justitiam ancillæ suæ, respexit in temperantiam, respexit in fortitudinem atque sapientiam. Dignum quippe est, ut virtutes respiciat. Respondeat aliquis, et dicat: Intelligo quomodo Deus justitiam ancillæ suæ, sapientiamque respiciat: quomodo autem intendat humilitatem, non satis liquet. Consideret qui quærit

C talia, quoniam proprie in Scripturis una de virtutibus humilitas prædicetur. Ait quippe Salvator: *Discite a me quia mansuetus sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI). Quod si vis nomen hujus audire virtutis, quomodo etiam a philosophis appellatur, ausculta eamdem esse humilitatem quam respiciat Deus, quæ ab illis ἀτυφία, sive μετριότης, dicitur. Sed et nos quodam eam possumus appellare circuitu, cum aliquis non est inflatus, sed ipse se dejicit. Qui enim inflatur, cadit, secundum Apostolum, in judicium diaboli: siquidem et ille ab inflatione cœpit atque superbia. *Ut non*, inquit, *inflatus in judicium incidat diaboli* (I *Tim.* III). Respexit super humilitatem ancillæ suæ. Humilem me, inquit, et mansuetudinis sectantem dejectionisque virtutem respexit Deus. *Ecce enim*

D *amodo beatam me dicunt omnes generationes.* Si simpliciter intelligam omnes generationes, super credentibus illud interpretor. Si autem altius aliquid fuero scrutatus, animadvertam quanti profectus sit dicere: *Quia fecit mihi magna qui est potens*: quoniam omnis qui se humiliat exaltabitur (*Luc.* XVIII). Respexit autem Deus in humilitatem beatæ Mariæ, propterea fecit illi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. *Et misericordia ejus in generationes generationum.* Misericordia Dei non in unam generationem, nec in duas, neque in tres, sed nec in quin-

[a] Nulla nunc lucubrationum Origenis in Deuteronomium superest. *Homilias octo* unus memorat Cassiodorus cap. I Divinarum Institutionum.

que, verum in sempiternum extenditur in generationes generationum, timentibus potentiam ejus. *Fecit virtutem in brachio suo.* Licet infirmus ad Dominum accesseris, si timueris eum, audire poteris repromissionem quam tibi ob timorem tuum Dominus pollicetur. Quæ est ista repromissio? Timentibus, inquit, se fecit virtutem. Virtus, sive imperium, potestas est regia. Etenim κράτος, [a] quod nos *imperium* possumus appellare, ab eo dicitur quod imperet, sive sub se universa contineat. Si ergo timueris Dominum, dat tibi fortitudinem, sive imperium, dat regnum, ut factus sub Rege regum, possideas regnum cœlorum, in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

271-272 HOMILIA IX.

De eo quod scriptum est: *Manebat cum ea mensibus tribus*, usque ad eum locum ubi ait: *Et loquebatur benedicens Dominum*. Cap. I.

Tam eorum quæ dicta sunt, quam illorum quæ facta referuntur, debet ratio esse sancto Spiritu digna, et Christi fide, ad quam credentes vocamur. Unde et nunc causa quærenda est, quare Maria post conceptum venerit ad Elizabeth, et manserit cum ea mensibus tribus, aut quid causæ fuerit, ut Lucas, qui Evangelii scribebat historiam, etiam hoc scriberet, quod manserit cum ea mensibus tribus, et postea regressa sit in domum suam. Utique debet aliqua esse ratio, quam si Dominus aperuerit cor nostrum, sequens sermo monstrabit. Si enim eo quod tantum venit Maria ad Elizabeth, et salutavit eam, exsultavit infans in gaudio, et Spiritu sancto plena Elizabeth prophetavit ea quæ in Evangelio scripta sunt, et in una hora tantos profectus habuit, nostræ conjecturæ relinquitur, quid in tribus mensibus Joannes profecit, assistente Maria Elizabeth. Valde quippe indignum est in puncto horæ atque momento exsultare infantem, et quodammodo gaudio lascivisse, repletamque esse Spiritu sancto Elizabeth: per tres vero menses, nec Joannem, nec Elizabeth, ex vicina Matris Domini et ipsius Salvatoris præsentia profecisse. Exercebatur ergo, et quodammodo in athletico sancta matre, per tres menses urgebatur Joannes, et præparabatur in matris utero, ut mirabiliter natus, mirabilius nutriretur. Quod enim extra consuetudinem nutritus est, non refertur scriptum, quomodo matris fuerit lactatus uberibus, quomodo in sinu gerulæ constitutus, sed statim sequitur: *Et erat in desertis, usque ad diem ostensionis suæ ad Israel.* Deinde legimus: *Elizabeth autem completum est tempus ut pareret, et peperit filium.* Multi putant superflue dici: *Elizabeth autem completum est tempus ut pareret, et peperit filium* (*Marc.* I). Quæ enim mulier potest parere, nisi tempus pariendi ante compleverit? Sed qui Scripturas diligentissime contemplatur, et audit populum loquentem, attendat lectioni, observans tam in veteri, quam in novo Testamento, sicubi scriptum in ortu peccatoris inveniat: *Completum est tempus ut pareret*, numquam omnino reperiet. Sed ubicumque justus nascitur, ibi completur dies, illic in mundum completur adventus sui. Ortus justi, plenitudinem habet: peccatoris nativitas, ut ita dicamus, vacuitatem atque inanitatem. Hæc de eo quod scriptum est: *Completum est tempus ut pareret.* Congratulabantur matri ejus vicini, et cognati, et volebant in honorem patris puero nomen ponere, ut vocaretur Zacharias. Porro Elizabeth, sancto Spiritu suggerente, aiebat: *Joannes est nomen ejus.* Deinde cum illi causas justas quærerent cur Joannes potissimum vocaretur, cum in genere ipsius nullus haberet hoc nomen, interrogant patrem, qui non valens respondere (manu et litteris est locutus). Scripsit enim in pugillari, *Joannes est nomen ejus*: statimque ut stylus impressus est ceræ, lingua, quæ prius fuerat vincta, laxata est. Recepit eloquium, non humanum, quoniam ligata fuit lingua ejus; humana tamen non fuit. Vinxerat enim eam incredulitas. Statim ut soluta est, humana esse desinit, et loquebatur benedicens Deum, et prophetavit ea quæ scripta sunt in Evangelio, de quibus, præbente Domino Jesu Christo, cum tempus fuerit, disseremus: cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

273-274 HOMILIA X.

De eo quod scriptum est: *Plenus Spiritu sancto prophetavit*, usque ad eum locum ubi ait: *Antecedet enim coram Domino parare vias ejus.* Cap. I.

Plenus Spiritu sancto Zacharias, duas prophetias generaliter nuntiat, primam de Christo, alteram de Joanne. Quod manifeste de verbis ipsius approbatur, in quibus quasi de præsentia, et qui versaretur in mundo loquitur Salvatoris, ac dein de Joanne: *Repletus enim Spiritu sancto prophetavit dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ.* Visitante enim et Deo volente redimere populum suum, mansit Maria cum Elizabeth, postquam ei locutus est angelus, mensibus tribus, ut per ineffabilem quamdam virtutem, non solum Joannem, sicut dudum diximus, sed etiam Zachariam, ut nunc Evangelicus sermo declarat, præsens Salvator instrueret. Paulatim quippe et hic per tres menses sancti Spiritus augmenta capiebat, et cum nesciret erudiebatur, et de Christo prophetavit dicens: *Qui dedit redemptionem populo suo, et suscitavit cornu salutis nobis in domo David*, in qua secundum carnem natus est Christus. Et vere quia fuit cornu salutis, in domo David prophetia ista concinitur. *Vinea enim facta est in cornu* (*Isai.* V). In quo cornu? In Christo Jesu, in illo in quo nunc scribitur: *Suscitavit cornu salutis nobis in domo David pueri sui, sicut locutus est per os sanctorum suorum prophetarum: salutem ex inimicis nostris.* Non putemus nunc de corporalibus inimicis dici, sed de spiritalibus. Venit enim Dominus Jesus fortis in prælio, destruere omnes inimicos nostros, ut nos de insidiis

[a] Videtur et hoc additum abs Hieronymo comma, *quod nos imperium possumus appellare.*

eorum liberaret. *De manu inimicorum nostrorum et de manu eorum qui nos oderunt. Facere misericordiam cum patribus nostris.* Ego puto quod, in adventu Domini Salvatoris, et Abraham, et Isaac, et Jacob fruiti sint misericordia Dei. Neque enim credibile est, ut qui prius viderent diem illius, et lætati sunt, postea in adventu ipsius, et nativitate de Virgine, nihil utilitatis acceperint. Et quid de patriarchis loquor? Ad altiora Scripturarum auctoritatem sequens audacter ascendam, quoniam præsentia Domini Jesu et dispensatio illius non solum terrena, sed etiam [a] cœlestia juverit. Unde et Apostolus ait: *Pacem faciens per sanguinem crucis suæ, sive super terram, sive in cœlis* (*Ephes.* II). Si autem in cœlis et in terra præsentia Domini profuit, cur paveas dicere quod adventus illius etiam majoribus profuit, ut impleatur quod dicitur: *Facere misericordiam cum patribus nostris, et recordari testamenti sancti sui, juramenti quod juravit ad Abraham patrem nostrum, ut daret nobis absque timore de manu inimicorum liberari?* Crebro de hostium manu aliqui liberantur, sed non absque timore. Cum enim metus discrimen ante præcesserint, et ita de inimicorum manu quis fuerit erutus, liberatur quidem, sed non sine timore. Porro adventus Domini Jesu de manu inimicorum absque timore nos eruit. Non enim sensimus inimicos nostros, nec eos vidimus repugnantes; sed nescimus quomodo repente de faucibus eorum et insidiis erepti sumus, in puncto atque momento, et transtulit nos in hæreditatem partemque justorum. *Et liberati sumus de manu inimicorum sine metu, ut serviamus Deo in sanctitate et justitia coram eo omnibus diebus nostris. Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis.* Apud memetipsum quærens rationem quare non quasi de Joanne, sed ad Joannem ipsum dicat [*Al.* dicens]: *Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis*, et reliqua, superfluum enim fuit ad non audientem loqui, et ad parvulum atque lactantem apostropham facere: hanc puto posse me reperire, quod quomodo mirabiliter Joannes natus est, et angelo **275-276** prædicante, venit in mundum, et tribus mensibus Maria juxta Elizabeth commorante, fusus est in terram, sic etiam cuncta quæ super eo scripta sunt, mirabiliter facta referuntur. Quod si dubitas statim de utero matris effusum posse verba patris audire, et scire quid sit hoc quod ad se dicitur: *Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis*, considera multo fuisse mirabilius quod præcessit: *Ecce ut facta est vox salutationis tuæ in aures meas, exsultavit infans in gaudio in utero meo.* Si enim adhuc in ventre matris conclusus audit Jesum, et audiens exsilivit, atque lætatus est, quare non credas eum jam genitum prophetiam patris audire et intelligere potuisse, dicentem ad se: *Et tu, puer, propheta Excelsi vocaberis, antecedes enim coram Domino parare vias ejus?* Ideo reor Zachariam festinasse, ut loqueretur ad parvulum, quia sciebat eum post paululum in eremo moraturum, nec se ejus posse præsentiam habere. *Puer enim erat in desertis usque ad diem ostensionis suæ ad Israel* (*Exod.* III). Et Moyses in desertis moratus est; sed post, et expletis jam ætatis suæ annis, fugit ex Ægypto, et per alios annos pecora custodivit: Joannes vero statim ut natus est, transiit ad deserta, et qui major fuit inter natos mulierum, majori nutrimento dignus apparuit. De quo propheta loquitur: *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam* (*Malac.* III). Recte angelus dicitur qui missus fuerat coram Domino, et prophetantem patrem statim ut natus est, audire potuit, et intelligere. Quamobrem nos qui tantis mirabilibus credimus, credamus pariter resurrectioni, credamus et repromissionibus quæ venturæ sunt, regnoque cœlorum quod nobis quotidie spiritus pollicetur. Quæ omnia ut scripta sunt, mirabiliter plusquam sentire possumus, accipiamus in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XI.

De eo quod scriptum est: *Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu*, usque ad eum locum ubi ait: *Hæc est descriptio prima quæ facta est sub præside Syriæ Cyrino*. Cap. I et II.

Bifarie in Scripturis sanctis crescere quid dicitur: unum corporaliter, ubi voluntas humana nihil prodest, alterum spiritaliter, ubi causa crescendi in studio consistit humano. De hoc ergo quod secundum posuimus, id est, spiritali, nunc Evangelista narrat: *Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu.* Quod dicit, tale est: crescebat spiritu, nec in eadem permanebat mensura qua cœperat; sed semper crescebat in eo spiritus, et per singulas horas atque momenta spiritu succrescente, anima quoque sua incrementa capiebat, et non solum anima, sed etiam sensus et mens augmenta spiritus sequebatur. Illud quod præcepit Deus: *Crescite et multiplicamini* (*Genes.* I), qui simpliciter et juxta litteram accipiunt, quomodo exponere potuerint nescio. Esto enim *multiplicamini* referatur ad numerum, et dum plures fiunt quam prius fuerant, multiplicatio habet locum: hoc vero quod sequitur, *Crescite*, non est in nostra potestate. Quis enim hominum non velit ad staturam suam adjicere (*Matth.* VI), ut longior fiat? Si ergo propterea quid præcipitur ut fiat, stultum est quippe præcipere, quod is cui præcipias, facere non possit: et præcipitur nobis ut crescamus, utique id præcipitur quod facere non possumus. Vis scire quomodo

[a] Suspicatur Huetius cœlestium nomine, quibus Dominica dispensatio profuerit, non modo angelorum ordines, sed et sidera ipsa notari ab Origene, quippe quæ non anima modo, sed ratione etiam prædita arbitratus sit. Quæ autem ratione pollent, peccato esse obnoxia, et purgatione indigere: quod officium illis morte sua exhibitum a Christo crediderit. Confer paulo inferius homil. 23 et quæ ibi de cœlestium potestatum profectu per Christi mortem atque Ecclesiæ prædicationem ex Origeniana sententia dicimus.

intelligitur, *Crescite?* ausculta quid Isaac fecerit, de quo dicitur : *Isaac proficiebat, et major fiebat, donec factus est magnus, vel vehementer nimis* (*Genes.* XXI). Semper enim voluntas illius ad meliora se tendens, habebat profectus suos, et mens divinius aliquid contemplabatur, et exercebat se memoria, ut plura in thesauro suo conderet, ut firmius retineret. Atque in hunc modum evenit, ut qui omnes virtutes suas in animæ agro excoluerit, impleret mandatum præcipiens, *Crescite*. Quamobrem et Joannes adhuc parvulus crescebat, et multiplicabatur. Difficillimum autem est parvulum **277-278** spiritu crescere, et inter mortales petrarum. *Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu* (*Matth.* XXIX). Aliud est *crescebat*, aliud *confortabatur*. Infirma est humana natura, et ut fieri possit fortior, divino auxilio indiget. Legimus, *Caro infirma*. Quo igitur auxilio confirmanda est? Utique spiritu. Spiritus enim promptus, caro autem infirma. Qui vult fortior fieri, non debet nisi in Spiritu confortari. Multi confortantur carne, corpore roborantur; athleta autem Dei spiritu roborandus est, et cum sic fuerit confortatus, sapientiam carnis elidet, et spiritalis effectus, subdet corpus animi imperio. Non putemus ergo simplicem de Joanne historiam esse conscriptam, et quæ nihil ad nos pertineat, in eo quod dicitur, *crescebat et confortabatur spiritu* : sed ad imitationem nostram, ut multiplicati spiritaliter juxta eum quem diximus sensum, incrementa capiamus. *Et erat in desertis usque ad diem ostensionis suæ ad Israel.* [a] Dixit nuper quod et conceptus Joannes stupendum quid habuerit, quando exsultavit infans in utero, et suum necdum genitus Dominum recognovit : et nativitas non impar miraculum, quando ad eum velut audientem Zachariæ prophetantis sermo convertitur, dicens : *Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis.* Digne igitur qui sic conceptus fuerat, et natus, non exspectavit, ut a patre nutriretur usque ad diem ostensionis suæ ad Israel, sed recessit, fugiens tumultum urbium, populi frequentiam, viciniam civitatum, et abiit in deserta, ubi purior aer erat et cœlum apertius, et familiarior Deus, ut quia necdum sacramentum baptismi, nec prædicationis tempus advenerat, vacaret orationibus, et cum angelis conversaretur, appellaretque Dominum, et illum audiret respondentem atque dicentem : *Ecce adsum* (*Matth.* XI). Sicut enim Moyses loquebatur, et Deus respondebat ei : sic puto quod Joannes locutus fuerit in deserto, et Dominus responderit ei. Hoc arbitror, certa de Scripturis ratione commotus. Si enim major in natis mulierum Joanne Baptista fuit nemo, Moysi autem respondit Deus, consequenter respondit et Joanni qui major Moyse fuit, qui est nutritus in eremo, cujus nativitatem idem archangelus qui et Domini nuntiavit, cujus pater qui eum nasci non credebat, obmutuit. Erat igitur in deserto Joannes, et nutriebatur novo et extra humanam naturam modo, id ipsum Matthæo memorante : *Cibus autem ejus erant locustæ, et mel silvestre* (*Matth.* III). Quia enim minister fuit primi Salvatoris adventus, et tantummodo de dispensatione carnis Dominicæ loquebatur, ac prophetia illius eum qui natus fuerat ex Virgine, præcinebat, non habuit domesticum mel, et humana diligentia percolatum, sed silvestre mel, et volucre non grande, non in sublime se elevans, verum volucre parvum, et vix a terra consurgens, et saliens potius quam volans. Quid plura? manifestissime dicitur quod locustæ fuerint cibus ejus, parvulum animal et mundum. Considerate ergo, fratres charissimi, quod qui nove natus fuerat, nove nutritus est. Post quæ Scriptura subjicit; *Factum est autem in diebus illis, exivit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur omnis orbis. Hæc fuit descriptio prima a præside Syriæ Cyrino* (*Luc.* II). Dicat aliquis : O evangelica narratio! Quoniam prima descriptio universi orbis sub Cæsare Augusto fuerit, et inter omnes etiam Joseph cum Maria desponsata sibi atque prægnante nomen retulerit in censum, ac priusquam descriptio compleretur, ortus fuerit Jesus, diligentius intuenti sacramentum quoddam videtur significare, quod in totius orbis professione describi oportuerit et Christum, ut cum omnibus scriptus sanctificaret omnes, et cum orbe relatus in censum, communionem sui præberet orbi, ut post hanc descriptionem, describeret quosque ex orbe secum in libro viventium : ut quicumque credidissent in eo, postea cum sanctis illius scriberentur in cœlis, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

279-280 HOMILIA XII.

De eo quod scriptum est, angelum venisse de cœlo, et ortum Domini nuntiasse pastoribus. Cap. II.

Natus est Dominus meus Jesus, et angelus descendit de cœlo annuntians nativitatem ejus. Videamus itaque quem quæsierit, ut eis nuntiaret adventum. Non venit Jerosolymam, non quæsivit Scribas et Pharisæos, non synagogam ingressus est Judæorum, sed pastores reperit super greges suos vigilias excubantes, eisque loquitur : *Natus est hodie Salvator, qui est Christus Dominus.* Putasne nihil aliud divinus Scripturarum sermo significat, sed tantum hoc quod ad pastores venerit angelus, et eis locutus sit? Audite, pastores Ecclesiarum, pastores Dei, quod semper angelus ejus descendat e cœlo, et annuntiet vobis quoniam natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus. Etenim pastores Ecclesiarum, nisi ille pastor venerit, per se bene gregem servare non poterunt, infirma est eorum custodia, nisi Christus cum eis paverit atque servaverit. Dudum in Apostolo lectum est, Dei cooperatores sumus (I *Cor.* III). Pastor bonus, qui imitatur pastorem bonum (*Joan.* X), cooperator est Dei et Christi. Et propterea pastor bonus est, qui habet secum pastorem optimum compascentem sibi. Po-

[a] Maluerim in recto *Dixi*. Leviora quædam alia taciti castigamus.

suit enim Deus in Ecclesia apostolos, prophetas, evangelistas, pastores, doctores, omnia in perfectione sanctorum (*Eph.* IV). Et hæc quidem sunt dicta simplicius. Cæterum si ad sacratiorem oportet ascendere intelligentiam, dicam quosdam fuisse pastores angelos qui res humanas regerent. Et cum horum unusquisque suam custodiam conservaret, et diebus ac noctibus vigilans jam laborem ferre non posset, et hoc ageret industrie, ut gentes quæ sibi creditæ fuerant, gubernaret, venisse angelum nato Domino, et annuntiasse pastoribus, quod verus esset pastor exortus. Verbi gratia, ut ad exemplum veniam, erat quidam pastor Macedoniæ, hic necessarium habebat auxilium Domini: propterea apparuit in somnis vir Macedo Paulo, dicens: *Transiens in Macedoniam, adjuva nos* (*Act.* XVI). Quid de Paulo loquar? cum hæc non Paulo, sed qui in Paulo erat, locutus sit Jesus? Indigent itaque pastores præsentia Christi. Quamobrem angelus descendit de cœlo, et ait: *Nolite timere. Ecce enim annuntio vobis gaudium magnum.* Vere gaudium magnum, his quibus hominum fuerat, et provinciarum cura permissa, Christum venisse in mundum. Multum utilitatis accepit angelus, qui dispensabat Ægyptias res, postquam Dominus descendit e cœlo, ut Ægyptii Christiani fierent. Profuit et cunctis, qui diversas provincias obtinebant. Verbi causa, præsidi Macedoniæ, præsidi Achaiæ, reliquarumque regionum. Neque enim fas est credere malos angelos suis præesse provinciis, et bonos non easdem provincias habere permissas. Hoc autem quod de singulis provinciis dicit, puto etiam de universis hominibus generaliter debere credere. Unicuique duo assistunt [a] Angeli, alter justitiæ, alter iniquitatis. Si bonæ cogitationes in corde nostro fuerint, et in animo justitia pullularit, haud dubium quin nobis loquatur angelus Domini. Si vero mala fuerint in nostro corde versata, loquitur nobis angelus diaboli. Quomodo igitur per singulos homines bini sunt angeli, sic opinor et in singulis dispares esse provinciis, ut sint et boni, sint et mali. Verbi gratia, in Epheso propter eos qui in illa urbe peccatores erant, pessimi angeli præsidebant. Rursus quia multi erant credentes in ea, erat et angelus Ecclesiæ Ephesiorum, utique bonus. Hoc autem quod de Epheso diximus, super omnibus provinciis cognoscendum. Ante adventum Domini Salvatoris, isti angeli parum poterant creditis sibi utilitatis afferre, et conatus eorum sequi **281-282** non valebat effectus. Quoddam est signum, quam parum prodesse poterant subjectis. Ausculta quod dicimus: Quando angelus Ægyptiorum Ægyptios adjuvabat, vix unus proselytus credebat in Deum, et hoc fiebat, Ægyptios angelo dispensante. Denique quia plerique de Ægyptiis et Idumæis proselyti accipiebant fidem Christi, propterea Scriptura dicit: *Non abominaberis Ægyptium, quoniam advenæ eratis in terra Ægypti, et Idumæum, quia frater tuus est. Filii si nati fuerint eis, in generatione tertia intrabunt in Ecclesiam Dei* (*Deut.* XXIII). Atque ita fiebat, ut de omnibus gentibus nonnulli proselyti fierent, et hoc ipsum angelis, qui gentes habebant subditas, adnitentibus. Nunc autem populi credentium accedunt ad fidem Jesu, et angeli quibus creditæ fuerint Ecclesiæ, roborati præsentia Salvatoris, multos adducant proselytos, ut congregentur in omni orbe conventicula Christianorum. Quapropter consurgentes laudemus Dominum, et fiamus pro carnali Israel, spiritalis Israel. Benedicamus omnipotenti Deo opere, cogitatione, sermone, in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

De eo quod scriptum est: *Et facta est multitudo exercitus cœlestis*, usque ad eum locum ubi ait: *Invenerunt Mariam et Jesum positum in præsepe.* Cap. II.

Dominus noster, atque Salvator in Bethleem, et multitudo cœlestis exercitus laudat Deum, et dicit: *Gloria in excelsis Deo, et super terram pax hominibus bonæ voluntatis.* Hæc autem loquitur multitudo cœlestis exercitus, quia jam defecerat præbere hominibus auxilium, et videbat se opus quod sibi creditum fuerat, implere non posse absque eo qui vere salvare poterat, et præsules quoque ipsos juvare, ut homines salvarentur. Quomodo igitur scriptum est in Evangelio, quod quidam remis sulcantes mare adversus contrarios ventos jam fessi erant, et viginti quinque, sive triginta stadiis laborantes, portum tenere non poterant, et postea Dominus supervenit, et quiescere fecit fluctus tumentes, navemque cujus hinc inde latera tundebantur, ab imminenti discrimine liberavit (*Joan.* VI): sic intellige quoniam et angeli volebant quidem hominibus præbere auxilium, et eis ab ægrotationibus suis tribuere sanitatem, quia *omnes sunt apparitores spiritus in ministerium missi propter eos qui consecuti sunt salutem* (*Hebr.* I): qui quantum in suis viribus erat, adjuvabant homines. Videbant autem multo inferiorem suam esse medicinam, quam illorum cura poscebat. Porro ut de exemplo possis intelligere quod dicimus, vide mihi urbem in qua ægrotent plurimi, et medicorum frequens adhibeatur manus: sint diversa vulnera, quotidie in emortuam carnem serpens putredo penetret: et tamen medici qui adhibiti sunt ad curandum, nequeant alia ultra invenire medicamina, et artis suæ scientia magnitudinem mali vincere; cum hæc in talibus nacti sint, eveniat aliquis archiater qui habeat summam in arte notitiam, et illi qui prius sanare nequiverant cernentes magistri manu putredines cessare vulnerum, non invideant, non livore crucientur, sed in laudes erumpant ar-

[a] De angelis hominum provinciarumque custodiæ præfectis ex Origenis sententia (qui tamen sibimet parum constans fuit) dicemus paulo inferius ad Homil. 23 et 35.

chiatri, et prædicent Deum qui et sibi et ægrotantibus tantæ scientiæ hominem miserit. In hanc ergo similitudinem et multitudo exercitus angelorum audita est dicens : *Gloria in excelsis Deo*, *et super terram pax in hominibus bonæ voluntatis*. Postquam enim Dominus venit ad terram, pacem fecit per sanguinem crucis suæ, sive eorum quæ in terra erant, sive eorum quæ in cœlis (*Ephes.* I). Siquidem volentes angeli ut recordarentur homines creatoris sui, cum fecissent omnia quæ in suis viribus erant, ut sanarentur, et noluissent illi respicere sanitatem, cernunt eum qui sanare potuit, et glorificantes dicunt : *Gloria in excelsis Deo et super terram pax*. Diligens Scripturæ lector inquirat quomodo Salvator loquitur : *Non veni pacem mittere super terram, sed gladium* (*Matt.* X), **283-284** et nunc angeli in ejus nativitate decantant, *super terram pax*. Siquidem et in alio loco ex persona ipsius dicitur : *Pacem meam do vobis*, *pacem relinquo vobis. Non sicut mundus iste dat pacem*, *ego do pacem* (*Joan.* XIV). Videat ergo quod inferimus, an possit solvere quæstionem. Si scriptum esset, *super terram pax*, et hucusque esset finita sententia, recte quæstio nasceretur. Nunc vero in eo quod additum est, hoc est, quod post pacem dicitur, *in hominibus bonæ* [a] *voluntatis*, solvit quæstionem. Pax enim quam non dat Dominus super terram, non est pax bonæ voluntatis. Neque enim ait simpliciter, *Non veni pacem mittere*, sed cum additamento, *super terram :* neque econtrario dixit, *Non veni pacem mittere super terram hominibus bonæ voluntatis*. Hæc locuti sunt angeli ad pastores, qui non solum eo tempore loquebantur, sed usque hodie nisi locuti fuerint ad pastores, et sua eis opera copularint, dicitur ad eos : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum laborabit qui custodit eam* (*Psal.* CXXVII). Si audacter expedit loqui Scripturarum sensum sequenti, per singulas Ecclesias [b] bini sunt episcopi, alius visibilis, alius invisibilis : ille visui carnis, hic sensui patens. Et quomodo homo si commissam sibi dispensationem bene egerit, laudatur a Domino : si male, culpæ et vitio subjacet ; sic et angelus. Scriptum est enim in Apocalypsi Joannis : *Sed habes ibi nomina pauca quæ polluerunt illud*, vel *illud*. Et rursus : *Habes ibi qui doctrinam Nicolaitarum docent* (*Apoc.* II) : ac deinde habes illa vel illa peccata facientes, et accusantur angeli, quibus creditæ sunt Ecclesiæ. Si autem angelis sollicitudo est, quomodo Ecclesiæ gubernentur, quid necesse est de hominibus dicere, quantum metum habeant, ut possint cum angelis laborantibus laborantes salutem consequi ? Ego puto inveniri simul posse et angelum et hominem bonos Ecclesiæ episcopos, et quodammodo unius operis esse participes. Quod cum ita sit, petamus omnipotentem Deum, ut angeli et homines, Ecclesiarum episcopi, adjumento sint nobis, et sciamus quoniam utrique pro nobis a Domino judicentur. Quod si illi fuerint judicati, et vitium atque peccatum non in eorum incuria, sed in nostra negligentia fuerit inventum, nos arguemur, atque plectemur. Illis enim universa facientibus, et pro nostra salute nitentibus, nos nihilominus a peccatis vacabimus. Porro frequenter evenit, ut nobis laborantibus, illi suum officium non expleant, et in culpis sint. *Et factum est*, inquit, *cum abiissent ab eis angeli in cœlos, pastores dixerunt ad invicem. Transeamus usque Bethleem, et videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Venerunt festinantes, et invenerunt Mariam et Joseph et puerum.* Quia festinantes venerant, et non pedetentim, neque fesso gradu, ideo invenerunt Joseph dispensatorem ortus Dominici, et Mariam quæ Jesum fudit in partum, et ipsum Salvatorem jacentem in præsepio. Illud erat, de quo propheta vaticinatus est dicens : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui :* Bos animal mundum est, asinus animal immundum. Cognovit asinus præsepe Domini sui. Non populus Israel cognovit præsepe Domini sui, sed immundum animal ex gentibus. *Israel vero me non cognovit, et populus meus me non intellexit* (*Isai.* I). Intelligentes hoc præsepe, nitamur cognoscere Dominum, et digni fieri scientia ejus, assumere quoque nativitatem et resurrectionem carnis ejus, sed et inclytum ac secundum majestatis ejus adventum, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

285-286 HOMILIA XIV.

De eo quod scriptum est : *Cum autem impleti essent dies circumcisionis ejus*, usque ad eum locum ubi ait : *Par turturum et duos pullos columbarum*. Cap. II.

Quod mortuus est Christus, pro peccato mortuus est. Non quia ipse peccaverit, neque enim peccatum fecit, nec inventus est dolus in ore ejus ; sed mortuus est, ut nos qui mortui sumus, illo moriente peccatis, nequaquam peccato et vitiis viveremus (*Rom.* VI). Unde scribitur : Sicut igitur commortui sumus tunc illo moriente, et consurreximus resurgenti : sic cum eo circumcisi sumus, et post circumcisionem solemni purgatione mundati. Unde non jam indigemus circumcisione carnali. Et ut scias propter nos fuisse illum circumcisum, audi Paulum manifestissime prædicantem. *In quo habitat*, inquit, *omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, *et estis in illo re-*

[a] Genebrardus ait : Legit ergo Origenes cum Latinis, *bonæ voluntatis*, non ut Græculi, *bona voluntas*.

[b] Demus Adamantii ingenio, quod ita Apocalypsis cap. 11 locum interpretetur, et geminum singulis Ecclesiis episcopum deputet, alterum aspectabilem, alterum sub oculos neutiquam cadentem, quod inferius Homil. 23 replicat : at illud pio unicuique repudiandum omnino est, atque a fide absonum, quod paulo post subdit, frequenter evenire bonos custodes angelos, nobis laborantibus, suum officium non explere, et in culpa esse. Vide quæ contra solemnem hanc Origenis de angelorum lapsibus opinionem infra ad Homil. 23 animadvertimus.

pleti, qui est caput omnis principatus et potestatis, in quo et circumcisi estis circumcisione sine manibus in exspoliatione corporis carnis, in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismate, in quo et consurreximus per fidem operationis Dei, qui suscitavit eum a mortuis (*Col.* I). Et mors igitur, et resurrectio, et circumcisio ejus, pro nobis factæ sunt. *Cum impleti*, inquit, *essent dies circumcidendi puerum, vocatum fuerat nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo antequam conciperetur.* Vocabulum Jesu gloriosum omni adoratu, cultuque appellari, neque ab eis efferri in mundum, sed ab excellentiori quadam majorique natura. Unde signanter evangelista addidit dicens : *Et vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum fuerat ab angelo antequam in utero conciperetur.* Dehinc sequitur : *Cum jam impleti essent dies purgationis eorum secundum legem Moysi, duxerunt eum Jerosolymam.* Propter purgationem, inquit, eorum. Quorum eorum? Si scriptum esset propter purgationem ejus, id est, Mariæ quæ pepererat, nihil quæstionis oriretur, et audacter diceremus, Mariam, [a] quæ homo erat, purgatione indiguisse post partum. Nunc vero in eo quod ait, *dies purgationis* [b] *eorum*, non videtur unum significare, sed alterum, sive plures. Ergo Jesus purgatione indiguit, et immundus fuit, aut aliqua sorde pollutus. Temerarie forsitan videor dicere, sed Scripturarum auctoritate commotus. Vide quid in Job scriptum est : *Nemo mundus a sorde, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus* (*Job.* XV). Non dixit, nemo mundus a peccato, *sed nemo mundus a sorde.* Neque enim idipsum significant sordes **287—288** atque peccata. Et ut scias aliud sordem, aliud sonare peccatum, Isaias manifeste docet dicens *: Lavabit Dominus sordem filiorum et filiarum Sion, et sanguinem mundabit de medio eorum, spiritu judicii sordem, et spiritu combustionis sanguinem* (*Isai* IV). Omnis anima quæ humano corpore fuerit induta, habet sordes suas. Ut autem scias Jesum quoque sordidatum sentiendum secundum ignominiam crucis, non secundum ipsam quam assumpsit sanctam carnem, de qua Apostolus ait : *In similitudinem carnis peccati* fuisse propria voluntate, quia pro salute nostra humanum corpus assumpserat, Zachariam prophetam ausculta dicentem : *Jesus erat indutus vestibus sordidis* (*Zach.* III). Quod quidem et adversus eos [c] facit, qui negant Dominum nostrum humanum habuisse corpus, sed cœlestibus et spiritalibus fuisse contextum. Si enim de cœlestibus, et ut illi falso asserunt, de sideribus et alia quadam sublimiori spiritalique natura corpus ejus fuerit, respondeant quare potuerit spiritale corpus esse sordidum, aut quomodo hoc interpretentur quod posuimus, *Jesus erat indutus vestibus sordidis.* Si autem fuerint necessitate compulsi, ut suscipiant, spiritale corpus sordidum intelligi vestimentum, debent consequenter dicere quoniam illud quod in repromissionibus ponitur completum sit, id est : *Seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale* (I *Cor.* XV), et quod polluti et sordidi resurgamus, quod etiam cogitare piaculum est maxime eum qui scit scriptum

[a] Satis benigne de Adamantio senserit Hieronymus. cum illum ait in præfatione hujusmet translationis, *quasi puerum talis ludere.* Ut enim multa in reliquis in Lucam Homiliis absona pronuntiarit : quæ in hac 14 elucubranda effutivit, nullo excusari pacto queunt. Hic Mariam quippe cum homo erat, purgatione indiguisse, adeoque fuisse peccato obnoxiam. audacissime blaterat. Scio quod projectam temeritatem Sixtus Senensis lib. VI Bibliothecæ annotatione 136 his nititur excusare : *Intelligit fortasse Origenes non de purgatione ab immunditiis et sordibus partus, quibus nulli dubium est non fuisse Mariam obnoxiam ; sed de ritibus et cæremoniis, quibus Moyses puerperas lustrari jusserat : has necesse erat servari a matre illius, qui legem impleturus venerat, non destructurus.* Cui et suppetias accedit cl. Huetius, idipsum confirmans ex eo quod Homil. 8, in Leviticum scribit Origenes, eas solum mulieres in pariendo esse immundas, quæ semine admisso concipiunt et pariunt ; quæ vero semine nentiquam suscepto peperit, eam vero immundam non esse : ubi et insignem ejusdem locum recitat ex homilia 12 in Levit. quo generationis Christi et virginalis Mariæ corporis mundities disertissime prædicatur. Sed etsi recte alibi sensisse colligitur homo immoderati ingenii, incertæque sententiæ, minime hanc diluit manifestam noxam. Nam cum alibi quoque homil. scilicet 20 in hunc ipsum Evangelistam, injuriosus in Mariam Virginem sit, quam dubiæ accusat incertæque fidei, pium lectorem monere necesse fuit, quo sibi scandalum caveat, atque orthodoxæ Ecclesiæ, quæ Beatam Virginem *speciali Dei privilegio* nullum umquam in se admisisse peccatum docet, fidem contra hæreticorum blasphemias teneat.

[b] Græca lectio αὐτῶν, quæ nunc quoque obtinet, pro αὐτῆς, in errorem Adamantium traxit, quod et notatum Huetio est, qui corruptam eam lectionem vocat, vultque illi hanc alteram omnino substitui, αὐτῆς, nempe, *ejus*, juxta Vulgatam et Arabicam interpretationem Erpenianæ editionis, quibus addo et Copticam. Et vero Origenem erroris ipse monere potuisset Levitici locus cap. II, qui puerperæ tantum, non etiam infanti adhiberi purgationem jubet. Nunc quamquam non ob peccatum (quod cogitare de Christo mens refugit) *purgatione* tamen ob sordes indiguisse Jesum, *et immundum*, *aut aliqua sorde pollutum* pronuntiat. Perperam quoque in suum sensum detorquet Jobi locum : *Nemo mundus a sorde*, etc. Nequissime vero suum illud hic ingerit solemne deliramentum, tunc sordescere animam, cum mortale corpus induit, parique pacto *Jesum quoque sordidatum sentiendum secundum ignominiam crucis*, quod ejus scilicet anima in muliebri utero sibi corpus adjunxerit. Unde et inferius psalmi vigesimi primi loco abutitur; loquentem inducens Salvatorem: *Ego sum vermis et non homo*, etc. Quod *videbat*, *in matris utero immunditiam corporum*, *visceribus ejus hinc inde vallatus*, *et terrenæ fæcis patiebatur angustias*, etc.

[c] Puta Marcionitas atque Ebionitas, quos tradit Gennadius libro de Dogmatibus, cap. 2, affirmasse Dei Filium carnem de cœlo secum attulisse. Quare mirum magis quod ait, illis consensisse Origenem, qui ementitum corpus et specie tenus apparens, Christum gestasse docuerit. Haud enim scio, quamquam et alibi de vero Christi corpore recte Adamantius sentiat, et comprimis infra ad Homil. 17 an luculentiori testimonio hac ipsa expositione sordidarum Christi vestium Origenis fides defendi possit. Olim Pamphilus hanc ipsam calumniam ab Adamantii scriptis amovit.

A esse: *Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surgit in gloria; seminatur in infirmitate, surgit in fortitudine; seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale.* Oportet ergo, ut pro Domino et Salvatore nostro, qui sordidis vestimentis fuerat indutus, et terrenum corpus assumpserat, ea offerrentur quæ purgare sordes ex Lege consueverant. Quod frequenter inter fratres quæritur, loci occasione commota retracto. Parvuli baptizantur in remissionem peccatorum. Quorum peccatorum, vel quo tempore peccaverunt? aut quomodo potest ulla lavacri in parvulis ratio subsistere, nisi juxta illum sensum de quo [a] paulo ante diximus: *Nullus mundus a sorde, nec si unius diei quidem fuerit vita ejus super terram?* Et quia per baptismi B sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur, et parvuli. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non poterit intrare in regnum cœlorum (*Joan.* III). *Cum*, inquit, *expleti essent dies purgationis eorum.* Explentur dies et justitiæ. Neque enim statim ut nata fuerit, anima purgatur, nec potest perfectam in ipso ortu consequi puritatem, sed sicut scriptum est in Lege: *Si masculum peperit, septem diebus mater sedebit in sanguine immundo, ac deinde triginta tribus in sanguine puro, et ad extremum et ipse infans sedebit in sanguine purissimo* (*Luc.* II): sic quia lex spiritalis est, et umbram habet futurorum bonorum (*Rom.* VII, *et Hebr.* X), possumus intelligere purgationem veram nobis evenire post tempus. Ego puto quod et post resurC rectionem ex mortuis indigeamus sacramento eluente nos atque purgante, nemo enim absque [b] sordibus resurgere poterit, nec ullam posse animam reperiri quæ universis statim vitiis careat. Unde in regeneratione baptismi assumitur sacramentum, ut quomodo Jesus secundum dispensationem carnis oblatione purgatus est, ita etiam nos spiritali regeneratione purgemur. *Duxerunt illum secundum legem Moysi in Jerosolymam, offerre* **289-290** *ante conspectum Domini.* Ubi sunt qui Deum Legis negant, qui aiunt non istum, sed alium a Christo fuisse in Evangelio prædicatum? *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege.* Ergo putandum est, ut Filium suum bonus Deus sub Lege fecerit Creatoris, et sub inimici jure quod ipse dederat? Quin potius ideo sub Lege factus est, ut redimeret eos qui sub Lege erant (*Gal.* IV), et aliæ legi subjiceret, de qua dudum lectum est, *Attendite, popule meus, legem meam*, et reliqua. *Adduxerunt ergo eum, et statuerunt ante conspectum Domini.* Cujus Scripturæ præcepta complentes? Nempe illius. *Sicut scriptum est*, inquit, *in Lege Moysi, quia omne masculinum quod aperit vulvam, sanctum Domino vocabitur, et ter per annum apparebit omne masculinum in conspectu Domini Dei.* Masculina quæ ex eo quod vulvam matris aperuerunt sancta erant, offerebantur ante altare Domini. *Omne*, inquit, *masculinum quod aperit vulvam.* Sacratum quippiam sonat. Quemcumque enim de utero effusum marem dixeris, non sic aperit vulvam matris suæ, ut Dominus Jesus, quia omnium mulierum non partus infantis, sed viri coitus vulvam reserat (*Num.* VIII). Matris vero Domini eo tempore vulva reserata [c] est, quo et partus editus, quia sanctum uterum et omni dignatione venerationis venerandum ante nativitatem Christi masculus omnino non tetigit. Audeo quid loqui, quia et in eo quod scriptum est: *Spiritus Dei veniet super te, et virtus Altissimi obumbrabit te* (*Luc.* I), principium seminis et conceptus fuerit, et sine vulvæ reseratione novus in utero fœtus adoleverit. Unde et Salvator loquitur: *Ego sum vermis et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis* (*Ps.* XXI). Videbat in ma-

[a] Aut igitur eo dixerat sensu, ut sordes illæ, animæ sordes essent, sive peccatum: et blasphemus in Christum fuit; aut (quod propius ad ejus est mentem) sordes corporis absque crimine censuit: et modo originis peccatum tollit, legalique comparat cæremoniæ Pædobaptismum. Et vero alia occurrunt in Adamantii scriptis loca, quæ suspicione hujusce erroris gravissima laborant.

[b] Paria his habet inferius homil. 24, ubi eos tantum igneo flumine a Christo baptizatum iri pronuntiat, qui aqua et spiritu fuerint baptizati, et purgatione indiguerint, malorum autem noxas et vitia fore ut flammis penitus excoquantur. Genebrardus cavendam hanc admonet doctrinam: Sixtus Senensis benignius explicat, refertque ad ignem ultimæ conflagrationis, qui ex electis aliquos nondum satis purgatos lustrabit, reprobos vero omnes apprehendet. Refragatur vero Huetius, hocque accipi sensu Origenis non posse verba contendit, quandoquidem ille ne sanctissimos quidem viros, Petrum puta, aut Paulum, hoc futuros igne immunes arbitratur. Rursum Suarezio respondet, qui tom. IV in III S. Thom. q. 46, sect. 4, ut Origenem excuset, mendosa hæc esse et corrupta librariorum vitio contendit, idque ex eo potissimum probat, quod paulo superius ipse ait Origenes, *quod polluti et sordidi resurgamus, etiam cogitare piaculum est.* Nimirum tantam (inquit Huetius) in multus hæsitationem Origenis deprehendimus, ut novum mihi non sit, eadem homilia diversa illum et pugnantia prodidisse. Enimvero quid hoc ipso manifestius effato: *Neque enim absque sordibus resurgere poterit?* Eos adeo, qui ab erroris nota locum hunc vindicare satagunt, niti arbitror frustra.

[c] Par quidem error est vetustiorum aliquot scriptorum, atque imprimis Tertulliani libro de Carne Christi, cap. 23, atque eorum, quos Genebrardus atque Huetius prætexunt, Ambrosii scilicet, Athanasii, Basilii, qui de Virginei claustri apertione in partu disserunt. Probe autem Huetio notandum est, omnibus iis exceptionem illam adhibendam esse, D qua ad solvendum Ambrosii locum, usus est Thomas p. 3, q. 28, a 2, ita nempe locutus Patres illos, cum illud Evangelistæ exponerent: *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur:* quod quidem ex vulgata loquendi consuetudine usurpatum est, non ad significandam Virginei sigilli in puerperio læsionem, sed exitum dumtaxat prolis de utero. Cæterum eodem annotante Huetio, hoc est optimæ Patrum tam Græcorum, quam Latinorum partis, et Ephesini præterea concilii decretum, perpetuo Ecclesiæ consensu comprobatum, eoque Ezechielis oraculo corroboratum: *Porta hæc clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam; quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam; eritque clausa principi*, illibatam et in conceptu et in partu Mariæ virginitatem, Christique corpus eodem modo foras prodidisse, quo ad discipulos obseratis foribus penetravit.

tris utero immunditiam corporum, visceribus ejus hinc inde vallatus, terrenæ fæcis patiebatur angustias, unde assimilat se vermi, et dicit : *Ego sum vermis, et non homo.* Ex mare quippe ac femina homo nasci solet, ego vero non ex masculo et femina secundum ritum humanum atque naturam, sed in exemplum vermis natus sum, cujus non est aliunde semen, sed in ipsis, et ex ipsis in quibus coalescit corporibus origo est. Propter quod quia omne masculinum quod aperit vulvam, sanctum Domino vocabitur, ductus est in Jerosolymam, ut appareret ante conspectum Dei, et propter illud quod sequitur, *Ut daretur munus pro eo quod in Lege Domini scriptum est : Par turturum aut duos pullos columbarum* (*Luc.* II, 24). Turturum par, et duos pullos columbarum, pro Salvatore videmus oblatos. Ego et aves istas beatas puto quæ pro ortu Domini oblatæ sunt, et quomodo asinam Balaam miror, et felicitate accumulo, quia digna fuerit non solum videre angelum Dei, sed etiam ore reserato in humanum sermonem erumpere : sic multo amplius has volucres prædico, easque sustollo, quod pro Domino nostro et Salvatore oblatæ sunt. *Ut offerrent pro eo par turturum, aut duos pullos columbarum.* Novum quid forsitan videar inferre, sed pro majestate parum dignum. Sicut nova fuit generatio Salvatoris, non ex viro et muliere, sed ex sola tantum Virgine : sic et par turturum et duo pulli columbarum non fuerunt tales quales oculis carnis aspicimus ; sed quales Spiritus sanctus est, qui in specie columbæ descendit et venit super Salvatorem, quando in Jordane baptizatus est (*Matth.* III). Tale fuit et par turturum : non erant illæ volucres [a] ut istæ quæ per aerem volitant, sed divinum quiddam et humana contemplatione augustius, sub specie columbæ et turturis apparebat, ut non talibus victimis qualibus omnes homines, ille qui pro toto mundo nascebatur, et pati habebat, coram Domino mundaretur, **291-292** sed ut dispensatio ejus nova omnia, ita novas quoque haberet hostias, secundum voluntatem omnipotentis Dei in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XV.

De Simeone, quod in spiritu ad templum venerit, usque ad eum locum, ubi ait : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, in pace.* Cap. II.

Digna Dei munere quærenda est ratio. *Simeon vir sanctus et Domino placens*, sicut in Evangelio scriptum est, *exspectans consolationem Israel, responsum acceperat a Spiritu sancto, non se prius mortem obiturum quam videret Christum Domini.* Quid ei profuit, ut videret Christum ? Utrum hoc tantum in promissione habuit, ut videret illum, nihilque ex visu ejus consequeretur utilitatis ? an latet aliquod donum dignum Dei, quod beatus Simeon et meruit, et acce-

A pit ? Fimbriam vestimenti Jesu mulier tetigit et sanata est (*Matth.* IX). Si illa ad extremam partem vestimenti tantum emolumenti habuit, quid putandum est de Simeone, qui in suas ulnas accepit infantem, et brachiis tenens lætabatur atque gaudebat videns parvulum a se gestari, qui ad vinctos venerat resolvendos, seque ipsum nodis corporis liberandum : sciens neminem posse de claustro corporis quempiam emittere cum spe futuræ vitæ, nisi eum quem in brachiis continebat. Unde ad eum loquitur : *Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace.* Quamdiu enim Christum non tenebam, quamdiu illum meis brachiis non arctabam, clausus eram, et de vinculis exire non poteram. Hoc autem non solum de Simeone, sed de omni humano genere sciendum est. Si quis

B egreditur e mundo, si quis e carcere vinctorum domo dimittitur, ut ad regnandum vadat, sumat Jesum in manibus suis, et circumdet eum brachiis suis, totum habeat in sinu, et tunc exsultans ire poterit, quo desiderat. Considerate quanta dispensatio præcesserit, ut Filium Dei Simeon mereretur tenere. Primum responsum a sancto Spiritu acceperat, non eum videre mortem, nisi prius vidisset Christum Domini. Deinde non fortuitu ac simpliciter ingressus est templum, sed venit in templum in Spiritu Dei. *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Rom.* VIII, *Ephes.* II). Spiritus igitur sanctus eum duxit in templum. Tu quoque si vis tenere Jesum, et amplexare manibus, et dignus fieri exire de carcere, omni labore nitere, ut ducem habeas Spiritum, veniasque

C ad templum Dei. Ecce nunc stas in templo Domini Jesu, hoc est, in Ecclesia ejus, hoc est templum de vivis lapidibus exstructum. Stas autem in templo Domini, quando vita tua, et conversatio Ecclesiæ fuerit appellatione dignissima. Si veneris spiritu ad templum, invenies parvulum Jesum, levabis illum brachiis tuis et dices : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, in pace, secundum verbum tuum.* Simulque attende quod solutioni, et dimissioni pax addita sit. Non enim ait, Dimitti volo, sed cum additamento, in pace dimitti. Nam et beato Abrahæ hoc idem promissum est : *Tu autem vades ad patres tuos in pace, nutritus in senecta bona.* Quis est qui moriatur in pace, nisi qui habet pacem Dei, quæ omnem sensum superat, custoditque cor possessoris sui ? Quis est qui

D de sæculo isto recedit in pace, nisi is qui intelligit quod Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, nihilque inimicum habet adversarium Dei, sed omnem pacem atque concordiam bonis in se operibus assumpsit, et sic in pace dimittitur pergere ad sanctos Patres, ad quos et sanctus Abraham profectus est (*Phil.* I) ? Quid de Patribus loquar ? ad ipsum quoque qui patriarcharum princeps et Dominus est, ire Jesum, de quo dicitur : *Melius est resolvi et esse cum Christo.* Ille habet Jesum, qui audet loqui : *Vivo jam*

[a] Merito Origenes, quod in Scripturis edisserendis, pessumdato sæpius historico sensu, allegoricis expositionibus rei veritatem prævertit, male apud Ecclesiæ Patres continuo audiit. Haud certe scio, qua possit hæc interpretatio excusatione oblinire, cum turtures pro Christo oblatos fuisse negat, *volucres, ut istæ sunt, quæ per aerem volitant, sed divinum quiddam et humana contemplatione augustius, sub specie columbæ et turturis apparuisse.*

non ego, *vivit vero in me Christus* (*Galat.* II, 20). Ut igitur et nos stantes in templo, et tenentes Dei Filium, amplexantesque eum, digni remissione,
293—294 et profectione ad meliora simus, oremus omnipotentem Deum, oremus et [a] ipsum parvulum Jesum, quem alloqui, et tenere desideramus in brachiis: cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVI.

De eo quod scriptum est: *Erant pater ejus et mater mirantes super his quæ dicebantur de eo*, usque ad locum ubi ait: *Ecce iste positus est in ruinam et resurrectionem multorum in Israel*. Cap. II.

Et *erant*, inquit, *pater illius et mater admirantes super his quæ dicebantur de eo*. Congregemus in unum ea quæ in ortu Jesu dicta scriptaque sunt de eo, et nunc scire poterimus singula quæque digna esse miraculo. Quamobrem mirabatur et pater (sic enim appellatus est Joseph, quia nutritius fuit), mirabatur et mater super omnibus quæ dicebantur de eo. Quænam ergo sunt, quæ de parvulo Jesu fama disperserat? Pastores erant in regione illa, vigilantes et observantes custodias noctis supra gregem suum. Venit angelus sub ipsa hora nativitatis Jesu, et ait ad eos: *Annuntio vobis gaudium magnum. Ite, et invenietis infantem involutum pannis, et positum in præsepio*. Necdum angelus verba finierat, et ecce multitudo cœlestis exercitus laudare cœpit et benedicere Deum. Cum hoc pastores trepidi perspexissent, et angelus recessisset ab eis, dixerunt ad invicem: *Eamus Bethleem, et videamus factum quod Dominus ostendit nobis*. Venerunt et invenerunt parvulum. Tam illi quam parentes, videntes quæ facta fuerant, admirabantur super hoc. Et de Simeone scribitur, quod rumorem auxerit miraculi, vel magna pars fuerit, tenuitque puerum in brachiis suis, et ait: *Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace, secundum verbum tuum, quia viderunt oculi mei salutare tuum*. Fastigium et, ut ita dicam, culmen super his quæ jactabantur de Jesu, et pater et mater illius mirabantur, sermo Simeonis fuit. Non enim sufficit ei tenere parvulum, et ea quæ de semetipso scripta sunt proloqui, sed benedixit patri illius et matri: et de ipso quoque prophetavit infante, dicens: *Ecce hic positus est in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur. Tuam quoque ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur de multis cordibus cogitationes*. Quid sibi vult quod ait, *Ecce hic positus est in ruinam et resurrectionem multorum in Israel*? Huic quid simile in Evangelio secundum
A Joannem reperi scriptum: *In judicium ego in mundum istum veni, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant* (*Joan.* IX). Quomodo ergo in judicium venit, ut non videntes de nationibus viderent, et qui prius videbant de Israel cæci fierent: sic venit in ruinam et resurrectionem multorum. In adventu enim Domini Salvatoris, qui prius steterant, corruerunt, et qui ceciderant, surrexerunt. Una hæc est interpretatio de eo quod dictum est: *Ecce hic positus est in ruinam et resurrectionem multorum in Israel*. Est autem et altius quid intelligendum adversus eos vel maxime, qui contra Conditorem latrant, et hinc inde de veteri Testamento, quæ non intelligunt, testimonia congregantes, simplicium corda decipiunt. Aiunt enim: Ecce Deus Legis et prophe-
B tarum, videte qualis sit: *Ego*, inquit, *occidam, vivere faciam: percutiam, et ego sanabo: et non est qui eruat de manibus meis* (*Deut.* XXXII). Audiunt, *occidam*, et non audiunt, *vivificabo*: audiunt, *percutiam*, et audire contemnunt, *et ego sanabo*. Istiusmodi occasionibus Creatorem calumniantur. Igitur antequam interpretetur quem sensum habeat: *Ego interficiam et vivificabo*, *percutiam et sanabo*, opponam eis testimonium Evangelii, dicamque adversum **295-296** hæreticos. Innumerabiles quippe hæreses sunt, quæ Evangelium secundum Lucam recipiunt. Si propterea cruentus, et in tantum sævus et crudelis est Conditor, quia dicit: *Ego interficiam, et vivificabo: percutiam, et sanabo*, manifestissime est et Jesum ipsius esse Filium; eadem
C siquidem de eo scripta sunt: *Ecce hic positus est in ruinam et resurrectionem multorum in Israel*. Non in resurrectionem tantum, sed et in ruinam. Si malum est interficere, malum sit et in ruinam venire. Quid respondebunt? Utrumne recedent a cultu ejus, an quærent aliquam interpretationem, et ad tropologias confugient, ut quod in ruinam venerit, benignitatem magis quam austeritatem sonet? Et quomodo justum erit quando quid in Evangelio tale reperitur, ad allegorias et novas intelligentias confugere: quando vero in veteri Instrumento, statim accusare, et nullam explanationem, quamvis probabilis sit, recipere? Sed et hoc quod sequitur: *In judicium ego veni in mundum istum, ut non videntes
D videant, et qui vident cæci fiant*, quamvis quærant ut edisserant, implere non poterunt. Ego vero quia opto esse [b] Ecclesiasticus, et non ab hæresiarcha aliquo, sed a Christi vocabulo nuncupari, et habere nomen quod benedicitur super terram, et cupio tam opere quam sensu et esse et dici Christianus, æqua-

[a] Colligere hinc licet, quemadmodum et interius ex homiliarum 18 et 36 clausulis, aliisque plurimis locis, quos ad Homilias in Jeremiam atque Ezechielem notavimus, sensisse Origenem, orandum quidem cum Patre Filium, sed diverso orationis genere: quæ illi multam invidiam doctrina peperit, perinde atque sensisset: *Non esse orandum Filium*, *neque cum Filio Patrem*. Hoc nimirum criminatur Theophilus in synodica a nobis primum vulgata inter Hieronymianas epist. 92, n. 2, col. 541, quam juvabit recoluisse.

[b] Damus hanc Origeni laudem, quod internecinum cum hæreticis bellum perpetuo gesserit, eaque continuo teneri firmiter, ac credi jusserit, quæ ab Ecclesia proponerentur. Pamphilus in Apologia: *Quomodo*, inquit, *universa hæreticorum dogmata destruens, ipse* (Origenes) *semper Apostolicam confirmaverit fidem, si velimus omnes sententias ejus congregare, et longum satis est, et erit tam nobis, qui scribimus, onerosum, quam legentibus tædiosum*.

lom et in veteri et in nova Lege quæro rationem. Loquitur Deus : *Ego interficiam :* libenter habeo ut interficiat me Deus. Quando enim vetus in me homo est, et vivo adhuc quasi homo, cupio ut occidat in me Deus veterem hominem, et vivificet me ex mortuis. *Primus enim,* ait, *homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis* (I *Cor.* xv). Secundum hunc sensum intelligitur et illud : *In judicium ego veni in mundum istum, ut qui non vident, videant : et qui vident, cæci fiant.* Habemus in nobis omnes homines, et aspectum et cæcitatem. Adam et videbat, et non videbat. Eva quoque, antequam aperirentur oculi ejus, vidisse describitur. *Vidit,* inquit, *mulier lignum, quia bonum ad comedendum, et optimum oculis ad videndum, et tollens de fructu ligni, comedit, et dedit viro suo, et comederunt* (*Gen.* III). Igitur non erant cæci, sed videbant. Deinde sequitur ; *Et aperti sunt oculi eorum.* Ergo cæci fuerant, nec videbant, quorum oculi postea sunt aperti. Sed qui bene ante viderant, postquam Domini mandatum prætergressi sunt, cœperunt videre male et aspectum obedientiæ subripiente delicto, postea perdiderunt. Ego sic intelligo et illud quod dicit Deus : *Quis fecit mutum et surdum, videntem et cæcum? Nonne ego Dominus Deus* (*Exod.* IV)? Est oculus corporis, quo terrena ista conspicimus, oculus secundum sensum carnis, de quo Scriptura dicit : *Frustra incedis inflatus sensu carnis* (*Colos.* II). Cui habemus alium contrarium meliorem, et divina sapientem : qui quia cæcus in nobis erat, venit Jesus ut faceret eum videre, ut qui non videbant, viderent, qui autem videbant, cæci fierent. Juxta hunc ergo sensum, et hoc quod nunc habemus in manibus est intelligendum : *Ecce iste positus est in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel.* Habeo aliquid in me quod male stat, et peccati superbia se erigit : hoc cadat, hoc subruatur. Quod si ceciderit, quod ante ruerat, surgens stabit. Interior homo meus quondam jacebat elisus, et exterior stabat erectus. Antequam crederem in Jesum, bonum in me jacebat, malum stabat. Postquam ille venit, tunc quod in me malum fuit, corruit, et expletum est illud : *Semper mortificationem Jesu in corpore circumferentes.* Et illud : *Mortificate membra vestra super terram, fornicationem, immunditiam, luxuriam, idololatriam, veneficia* (*Coloss.* III), et cætera. Horum omnium utilis ruina facta est. Et de hac ruina dicitur : *Ubicumque erit cadaver, illic congregabuntur aquilæ* (*Matt.* XIV). Cadaver [a] quippe a casu nomen accepit. Una est hæc ruina, ad quam primum 297-298 venit Jesus : nec potest facere resurrectionem, nisi ruina præcesserit. Venit ante de- A struere quod in me malum fuit, ut, illo destructo et mortificato, consurgat in me et vivificetur id quod bonum est, ut consequamur regnum cœlorum per Dominum nostrum Jesum Christum, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVII.

De eo quod scriptum est : *Erant pater ejus et mater admirantes super his quæ dicebantur de eo*, et rursum usque ad eum locum ubi de Anna scribitur. Cap. II.

Lucas qui scripsit : *Spiritus sanctus veniet super te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, propter hoc et quod natum fuerit sanctum, vocabitur Filius Dei :* et qui manifeste nobis tradidit, quoniam Virginis filius Jesus est, nec de humano conceptus est semine : iste patrem ejus Joseph testatus est, dicens: B *Erant pater illius et mater admirantes super his quæ dicebantur de eo.* Quæ igitur causa exstitit, ut eum qui pater non fuit, patrem esse memoraret? Qui simplici expositione contentus est, dicit : Honoravit eum Spiritus sanctus Patris vocabulo, quia nutrierat Salvatorem. Qui autem altius aliquid inquirit, potest dicere : quia generationis ordo a David usque ad Joseph deducitur (*Matt.* I), et ne videretur frustra Joseph nominari, qui pater non fuerat Salvatoris, ut generationis ordo haberet locum : pater appellatus est Domini (*Luc.* III). Admirabantur igitur pater illius et mater super his quæ dicebantur de eo, tam ab angelo, quam a multitudine cœlestis exercitus, nec non a pastoribus. Omnia quippe hæc audientes, vehementissime mirabantur. C Dehinc Scriptura ait : *Benedixit ei Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus : Ecce iste positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicitur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Quomodo Salvator in ruinam et in resurrectionem multorum venerit, est contemplandum.

Qui [*Al.* Quid] simpliciter exponit, potest dicere, in ruinam eum venisse infidelium, et in resurrectionem credentium. Qui vero curiosus interpres est, dicit, nequaquam eum cadere qui ante non steterit. Da mihi igitur, qui fuerit ille qui steterit, et in cujus ruinam Salvator advenerit, necnon et eum qui consurgat. Nam utique ille consurgit, qui antea corruerat. Videndum est utique, ne forte Salvator non D aliis atque aliis in ruinam venerit et resurrectionem multorum, sed iisdem et in ruinam et in resurrectionem venerit. *In judicium,* ait, *ego veni, ut qui non videbant videant, et qui videbant cæci fiant* (*Joan.* IX). Est enim in nobis quod videbat prius, et postea videre desivit : et aliud quod non videbat, et postea cœpit videre. Verbi gratia : Volo videre illis oculis, quibus antea non videbam, et qui mihi postea reserati sunt, quoniam

[a] Hæc minime necesse est a Latino Interprete verba suppleta arbitrari : *Cadaver quippe a ca u nomen accepit.* Non enim semel Origenes in hac ludit etymologia, ut S. Epiphanius testatur Epist. ad Joannem Jerosolymitanum inter Hieronymianas 51 n. 4 : *Corpus hoc ob id juxta Græcos* δέμας, *id est,* vinculum, *sive juxta aliam proprietatem* πτῶμα, *id est*, cadaver, *dici*, *quia animæ de cœlo ruerint.* Enimvero sic vocant Græci corpus exanime πτῶμα. Adamantius et commodam nactus suæ expositioni etymologiam, quam alias ad opinationem suam asserendam torquebat, hic ipse scripserit, πτῶμα γοῦν ἀπὸ πτώσεως λέγεται : *Cadaver quippe a casu nomen accepit.*

post inobedientiam et Adam et Evæ oculi sunt aperti, de quibus superiori sermone tractavimus. Nunc autem interpretandum, quid sibi velit hoc quod ait : *Ecce hic positus est in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel.* Me oportet primum cadere, et cum cecidero, postea bene resurgere, ne Salvator causa fuerit malæ ruinæ; sed propterea cadere me fecit, ut consurgam, et multo mihi ruina utilior fuerit, quam illud tempus quo videbar stare. Stabam enim in peccato eo tempore, quo peccato vivebam : et quia peccato stabam, prima mihi utilitas fuit ut caderem, et peccato morerer. Denique et sancti prophetæ, quando augustius aliquid contemplabantur, cadebant in faciem suam. Propterea autem cadebant, ut peccata per ruinam plenius purgarentur. Hoc ipsum et Salvator tibi primum concedit, ut corruas. Ethnicus eras, cadat in te ethnicus : diligebas scortum, primum in te scortum intereat : peccator eras, cadat in te peccator, ut possis dehinc resurgere et dicere : *Si commortui sumus, et convivemus : et si mortis conformes, simul et resurrectionis erimus* (*Rom.* VI).

297-298 Iste igitur in ruinam et in resurrectionem multorum positus est in Israel, hoc est, in his qui plena possunt acie, et ratione conspicere. *Et in signum cui contradicetur.* Omnibus quæ narrat historia de Salvatore, contradicitur. Virgo mater est, cui contradicitur. Marcionitæ contradicunt huic signo, et aiunt, penitus eum de muliere non esse generatum. Ebionitæ contradicunt signo, dicentes ex viro et muliere ita natum esse, ut nos quoque nascimur. Habuit corpus humanum, et hoc signum est cui contradicitur. Alii enim dicunt, eum venisse de cœlis : alii, tale [a] quale nos corpus habuisse, ut per similitudinem corporis etiam nostra corpora redimeret a peccatis, et daret nobis spem resurrectionis. Resurrexit a mortuis : et hoc signum est cui contradicitur, quomodo resurrexit, et utrum ipse, et talis qualis mortuus est, an certe in melioris substantiæ corpus resurrexerit. Et est infinita contentio : aliis dicentibus, fixuram clavorum Thomæ

A ostendit in manibus suis (*Joan.* XX) : aliis e regione tractantibus, si idem corpus habuit, quomodo clausis ingressus est ostiis, et stetit? Vides igitur quemadmodum argumentis variis etiam resurrectioni ejus quæstio concitetur, et fit signum cui contradicitur. Ego et hoc quod prophetarum ore prædictum est, puto signum esse cui contradicitur. Sunt enim plures hæretici, qui asserunt eum a prophetis penitus non fuisse prædicatum. Et quid me necesse est multa prosequi? Omnia quæ de eo narrat historia, signum est cui contradicitur. Non quod contradicant hi qui credunt in eum : nos quippe omnia scimus vera esse quæ scripta sunt; sed quia apud incredulos universa, quæ de eo scripta sunt, signum sit cui contradicitur. Deinde Simeon ait : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Quis est iste gladius, B qui non aliorum tantum, sed etiam Mariæ cor pertransit? Aperte scribitur, quod in tempore passionis omnes sint apostoli scandalizati, ipso quoque Domino dicente : *Omnes vos scandalizabimini in nocte hac* (*Matth.* XXVI). Ergo scandalizati sunt universi, in tantum ut Petrus quoque apostolorum princeps tertio denegarit. Quid? putamus quod, scandalizatis apostolis, [b] Mater Domini a scandalo fuerit immunis? Si scandalum in Domini passione non passa est, non est mortuus Jesus pro peccatis ejus. Si autem omnes peccaverunt, et egent gloria Dei, justificati gratia ejus et redempti, utique et Maria illo tempore scandalizata est. Et hoc est quod nunc Simeon prophetat, dicens : *Et tuam ipsius animam,* C quæ scis absque viro peperisse te Virginem, quæ audisti a Gabriele : *Spiritus sanctus veniet super te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, *pertransibit* infidelitatis *gladius*, et ambiguitatis mucrone ferieris, et cogitationes tuæ te in diversa lacerabunt, cum videris illum, quem Filium Dei audieras, et sciebas absque semine viri esse generatum, crucifigi et mori, et suppliciis humanis esse subjectum, et ad postremum lacrymabiliter conquerentem atque dicentem : *Pater, si possibile est, pertranseat calix iste a me* (*Matth.* XXVI). *Et tuam ergo animam pertransibit*

[a] Observatum est supra ad homiliam 14 verissime creditum probatumque Origeni, vere humanum corpus, et non ementitum Christum gestasse. Nunc ergo quando hæreticos pronuntiat, qui eum putant, *tale quale nos corpus habuisse*, et a semetipso dissentire, atque a veritate longius aberrare prima fronte videatur. Verum res aliter putanda est, Ebionitas siquidem perstringit, qui communi lege naturæ ex viro et muliere generatum corpus assumpsisse sibi Christum impie definiebant. Hincque adeo de illa putandus est loqui dissimilitudine, quam ipsemet in procemio librorum de Principiis astruit inter nostrum et Christi corpus : *Incarnatus*, inquit, *est* (Christus) *cum Deus esset, et homo mansit, quod Deus erat, corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solo differens, quod natum ex Virgine de Spiritu sancto est. Et quoniam hic Jesus Christus natus et passus est in veritate, et non per imaginem, communi hac morte vere mortuus est, vere enim a mortuis resurrexit.*

[b] Hoc quoque supra notatum est nobis ad homiliam 14 contra Origenem, ubi Mariam Christi matrem, utpote hominem, purgatione indiguisse a peccato sensit, refragari hanc sententiam orthodoxæ Ecclesiæ consensui, Tridentinique concilii decreto, sect. 6, can. 23, quo B. Virgo nullum umquam in se peccatum admisisse *speciali Dei privilegio* D declaratur. Idipsum hic reponimus Adamantio, qui *scandali*, *infidelitatis*, *ambiguitatisque* reas notas, culpamque sanctissimæ Dei Matri audet inurere. Quamquam, ut ne quid dissimulem, scio, et cl. Huetius notat, hanc ipsam Origenis sententiam totidem propemodum verbis in epistolam suam 317 retulisse Magnum Basilium, qui gladii nomine fluctuationem quamdam indicari a Simeone scribit, divisuram in partes Mariæ animam, mortem patiente Filio, juxta ejusdem oraculum : *Omnes scandalizabimini in me.* Alioquin ad sanctam Virginem mortis Christi fructum non fuisse perventurum. Addit laudatus Abricensis episcopus Titum Bostrenum, Amphilochium, Orat. 3 de Occursu Domini, Chrysostomum in psal. XIII, Cyrillum in Joannem, aliosque nonnullos, qui Simeonis prophetiam eodem explicant sensu : tametsi post dubitationem statim animo confirmatam Mariam fuisse, plerique omnes minime diffitentur.

gladius, ut revelentur ex multorum cordibus cogitationes. Cogitationes erant malæ in hominibus, quæ propterea revelatæ sunt, ut prolatæ in medium perderentur, et interfectæ atque emortuæ esse desinerent, et occideret **301-302** eas ille qui pro nobis mortuus est : quamdiu enim absconditæ erant cogitationes, nec prolatæ in medium, impossibile erat eas penitus interfici. Unde et nos, si peccaverimus, debemus dicere : *Peccatum meum notum feci tibi, et iniquitatem meam non abscondi. Dixi, Annuntiabo injustitiam meam contra me Domino* (*Psal.* xxxii). Si enim hoc fecerimus, et revelaverimus peccata nostra non solum Deo, sed et his qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo, qui ait : *Ecce delebo ut nubem iniquitates tuas, et sicut caliginem peccata tua* (*Isai.* xliv). Post Simeonis prophetiam, quia necesse erat ut mulieres etiam salvarentur, venit prophetes mulier, de qua scribitur : *Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel de tribu Aser.* Quam pulcher ordo ! Non venit ante virum mulier, sed primum venit Simeon, qui apprehendit infantem, et tenuit in brachiis suis : deinde mulier, cujus non sunt quidem verba digesta; sed dictum est generaliter quod confessa sit Domino, et locuta de eo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel. Et juste sancta mulier spiritum prophetandi meruit accipere, quia longa castitate, longisque jejuniis ad hoc culmen ascenderat. Videte, mulieres, testimonium Annæ, et imitamini illud, si quando vobis evenerit ut perdatis viros. Considerate quid de ea scriptum sit : *Septem annis vixit a virginitate sua cum viro suo*, et reliqua, *propterea prophetes fuit.* Neque enim ut libet et fortuito Spiritus sanctus habitavit in ea. Bonum est et primum, si qua potest virginitatis gratiam possidere. Si autem hoc non potuerit, sed evenerit ei ut perdat virum, vidua perseveret. Quod quidem non solum post mortem viri, sed etiam cum ille vivit debet habere in animo, ut etiamsi non venerit voluntas ipsius et propositum, a Domino coronetur, et dicat : Hoc voveo atque promitto, si mihi humanum aliquid quod non opto contigerit, nihil aliud faciam quam incontaminata viduaque perseverem. Nunc vero et secundæ et tertiæ et quartæ nuptiæ, ut de pluribus taceam, reperiuntur, et non ignoramus quod tale conjugium [a] ejiciet nos de regno Dei. Sicut enim ab ecclesiasticis dignitatibus non solum fornicatio, sed et nuptiæ repellunt, neque enim episcopus, nec presbyter, nec diaconus, nec vidua possunt esse digami : sic forsitan et de cœtu primitivorum, immaculatorumque Ecclesiæ, quæ non habet maculam, neque rugam, ejicietur digamus : non quo in æternum mittatur incendium, sed quo partem non habeat in regno Dei. Memini, cum interpretarer illud, quod ad Corinthios scribitur : *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, cum omnibus qui invocant eum*, dixisse me diversitatem Ecclesiæ, et eorum qui invocant nomen Domini. Puto enim monogamum, et virginem, et eum qui in castimonia perseverat, esse de Ecclesia Dei : eum vero qui sit digamus, licet bonam habeat conversationem, et cæteris virtutibus polleat, tamen non esse de Ecclesia et de eo numero, qui non habent rugam aut maculam, aut aliquid istiusmodi; sed esse de secundo gradu, et de his qui invocant nomen Domini, et qui salvantur quidem in nomine Jesu Christi, nequaquam tamen coronantur ab eo. Cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

303-304 HOMILIA XVIII.

De eo quod scriptum est : *Puer autem crescebat et confortabatur*, usque ad eum locum, ubi ait : *An nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Cap. II.

Natus est Dominus meus Jesus, et ascenderunt parentes ejus in Jerosolymam, ut complerent ea quæ fuerant in Lege præcepta, et offerrent pro eo par turturum, et duos pullos columbarum. Tenuit eum brachiis suis Simeon, ut dudum lectum est, et prophetavit de eo quæ narrat historia : et postquam omnia in more completa sunt, revertuntur parentes quo Jesus [b] tunc agebat : et tamen *crescebat et confortabatur sapientia et gratia.* Necdum quadraginta dies purgationis impleverat, necdum Nazareth venerat, et jam totam sapientiam respiciebat. Potuit Scriptura dicere, crescebat et confortabatur, et accipiebat spiritum; sed qui evacuaverat se formam servi accipiens (*Philip.* ii), statim ut pro mundatione [c] ejus sacrificium oblatum est, id quod vacuefecerat, adimplevit : non quod corpus ejus illico majus fuerit effectum; sed quod sacratius quippiam demonstraretur, Scriptura referente : *Puer autem crescebat et confortabatur, et replebatur sapientia.* Quæramus sicubi alibi de parvulo scriptum sit, *crescebat et confortabatur*, ut ex collatione multorum quid plus in Domino nostro dicatur, intelligere valeamus. De Joanne : *Puer autem crescebat et confor-*

[a] Hæc quoque absona Ecclesiæ dogmatis sententia est de iteratis nuptiis, quod ejiciant de regno Dei. Et licet paulo post summam severitatem ipse temperet Adamantius, et metuentis potius quam asserentis modo pronuntiet : cum tamen eas quasi pio et Christiano homine indignas traducat, nolitque digamum *esse de Ecclesia, et de eo numero, qui non habet rugam aut maculam*, et merito vapulat ab ecclesiasticis scriptoribus, præcipueque Theophilo, et notionem Ecclesiæ pessime videtur accepisse. Notum Montanistarum et Novatianorum hujusmodi placita orthodoxorum anathematis confixa ; nec tamen diffitendum Origenis ævo secundas nuptias licuisse quidem, sed aliquam tamen incontinentiæ speciem præ se tulisse, et pœnitentiæ impositione notatas.

[b] Rescripsimus *tunc*, pro quo *nunc* legebatur antea, idque genus alia interdum taciti castigamus. Hic vero contextus paulo adhuc videtur impeditus.

[c] Recole quæ superius ad homil. 14 hac de purgatione ex Origenis sensu diximus, quibus ad tollendam blasphemiæ suspicionem, adde præclaram ex subsequenti ejusdem Homilia sententiam : *Anima Jesu numquam peccati sorde maculata est.*

batur; et tamen non additur, *et replebatur sapientia*, sed, *confortabatur spiritu*. Hic vero de Domino: *Crescebat*, inquit, *et confortabatur, et replebatur sapientia, et gratia Dei erat super eum* (*Luc.* II). Hæc omnia de puero, qui necdum duodecim annos impleverat, dicta sunt. Cum autem duodecim esset annorum, remanet in Jerusalem. Parentes ejus ignorantes, quærunt eum sollicite, et non inveniunt. Quærunt inter affines, quærunt in comitatu, quærunt inter notos, et in his omnibus non reperiunt. Quæritur ergo Jesus a parentibus suis cum patre, qui nutritius et comes fuerat Ægyptum descendentis: et tamen non statim ut quæritur, invenitur. Non enim inter cognatos et carnis propinquos invenitur Jesus, non in his qui corporaliter ei juncti sunt. In multorum comitatu Jesus meus non potest inveniri. Disce ubi eum quærentes reperiant, ut et tu quærens cum Joseph Mariaque reperias. *Et quærentes*, inquit, *invenerunt illum in templo*. Non ubicumque in alio loco, sed in templo. Neque in templo simpliciter, sed in medio doctorum, audientem et interrogantem eos. Et tu ergo quære Jesum in templo Dei, quære in Ecclesia: quære eum apud magistros, qui in templo sunt, et non egrediuntur ex eo. Si enim ita quæsieris, invenies eum. Porro si quispiam dicit se magistrum esse, et Jesum non habet, iste nomine tantum magister est, et ideo apud eum non potest inveniri Jesus Verbum Dei et sapientia. *Inventus est*, inquit, *in medio doctorum*. Quomodo in alio loco de prophetis scriptum est, sic et nunc intellige in medio doctorum. *Si*, inquit, *alteri revelatum fuerit sedenti, primus tacet* (I *Cor.* XIV). In medio doctorum sedentem inveniunt eum: et non solum sedentem, sed et sciscitantem et audientem eos. Et nunc præsens est Jesus, interrogat nos, et audit loquentes. *Et mirabantur*, inquit, *omnes*. Super quo mirabantur? Non super interrogationibus ejus, licet et ipsæ mirabiles erant, sed super responsionibus ejus. Aliud est enim interrogare, aliud respondere. Interrogabat magistros, et quia respondere non poterant, ipse his, de quibus interrogaverat, respondebat. Quod autem responsio non vicissitudinem sermocinandi, sed doctrinam in Scripturis sanctis sonet, Lex divina te doceat. Moyses loquebatur, Deus autem respondebat ei voce. Responsio illa eorum erat, super quibus **305-306** ignorantem Moysen Dominus instruebat. Interdum interrogat Jesus, interdum respondet, sicut supra diximus. Quamquam mirabilis ejus interrogatio sit, tamen multo mirabilior est responsio. Ut igitur et nos audiamus eum, et proponat nobis quæstiones, quas ipse dissolvat, obsecremus illum, et cum labore nimio et dolore quæramus, et tunc poterimus invenire quem quærimus. Non enim frustra scriptum est: *Ego et pater tuus dolentes quærebamus te*: oportet enim qui quærit Jesum, non negligenter, non dissolute, non transitorie quærere, sicut quærunt nonnulli, et ideo invenire non possunt. Nos autem dicamus: *Dolentes quærimus te*. Et cum hoc dixerimus, ad laborantem animam nostram et cum dolore quærentem, respondebit, et dicet: *Nescitis quia in his quæ sunt Patris mei me oportet esse?* Ubi sunt hæretici impii atque vesani, qui asserunt non esse Patris Jesu Christi legem et prophetas? Certe Jesus in templo erat, quod a Salomone constructum erat, et confitetur templum illud patris sui esse, quem nobis revelavit, cujus Filium esse se dixit. Respondeant quomodo alter bonus, et alter sit justus Deus. Quia igitur Salvator Creatoris est Filius, in commune Patrem, Filiumque laudemus, cujus lex, cujus et templum est. Cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA XIX.

De eo quod scriptum est: *Puer autem crescebat et confortabatur*, usque ad eum locum ubi ait: *Seniores in templo interrogat*. Cap. II.

Quia nonnulli qui sanctæ Scripturæ videntur credere, quasi in gloriam omnipotentis Dei divinitatem Salvatoris negant, justum mihi videtur, ut ipsarum Scripturarum auctoritate doceantur in humanum corpus quiddam venisse divinum: et non solum in humanum corpus, sed in humanam quoque animam. Quamquam si diligenter sensum intendimus Scripturarum, plus aliquid anima illa habuit, quam cæteræ hominum animæ. Omnis quippe anima hominis, antequam ad virtutes veniat, vitiis sordidatur. Porro anima Jesu numquam peccati sorde maculata est. Siquidem antequam ad duodecimum ætatis pervenerit annum, Spiritus sanctus de eo in Lucæ scribit Evangelio: *Puer autem crescebat et confortabatur, et replebatur sapientia*. Hoc hominum natura non recipit, ut ante duodecim annos sapientia compleatur. Aliud est partem habere sapientiæ, aliud sapientia esse completum. Non ambigimus ergo divinum aliquid in carne Jesu apparuisse: et non solum super hominem, sed super omnem quoque rationalem creaturam. *Et crescebat*, inquit. Humiliaverat enim se, formam servi accipiens, et eadem virtute qua se humiliaverat, crescit. Apparuerat infirmus: quia infirmum corpus assumpserat, et ob id iterum confortatur. Evacuaverat se Filius Dei (*Phil.* II): et propterea rursum completur sapientia: et gratia Dei erat super eum. Non quando venit ad adolescentiam, non quando manifeste docebat; sed cum adhuc esset parvulus habebat gratiam Dei: et quomodo omnia in illo mirabilia fuerant, ita et pueritia mirabilis fuit, ut Dei sapientia compleretur. Ibant itaque parentes ejus, juxta consuetudinem, in Jerusalem ad solemnem diem Paschæ. *Et cum factus fuisset annorum duodecim*. Diligenter observa, quia priusquam duodecim esset annorum, sapientia Dei et cæteris, quæ de eo scripta sunt, complebatur. Cum ergo, ut diximus, duodecim esset annorum, et juxta morem dies solemnitatis expleti essent, et reverterentur parentes cum infantulo Jesu, remansit puer in Jerusalem, et nesciebant parentes ejus. Et hic sublimius quiddam quam humana natura patitur, intellige. Non enim simpliciter remansit, et parentes ejus ubi esset ignorabant; sed quomodo in Joannis Evangelio scriptum

est, quoniam insidiabantur ei Judæi, et elapsus est de medio eorum, et non apparuit : sic et nunc **307-308** puto remansisse puerum in Jerusalem, et parentes ejus ubi remanserit ignorasse. Nec miremur parentes vocatos, quorum alter ob partum, alter ob obsequium, patris et matris meruerunt vocabula. Sequitur : *Dolentes*, inquit, *quærebamus te*. Non puto eos idcirco doluisse, quia putarent errasse puerum, vel periisse : nec poterat accidere, ut Maria, quæ sciebat se de Spiritu sancto concepisse, quæ et angelum loquentem, et currentes pastores, et Simeonem audierat prophetantem, timeret, ne puerum perderet oberrantem. Amove hanc opinionem maxime de Joseph, cui ab angelo præceptum fuerat, ut tolleret puerum, et in Ægyptum pergeret, qui audierat : *Ne timeas tollere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est* (*Matth.* I *et* II). Numquam fieri poterat, ut perditum formidaret infantem, quem divinum esse cognoverat. Aliud quidquam dolor et quæstio parentum, quam simplex lector intelligit, sonat. Quomodo enim tu, si quando Scripturas legis, quæris in eis sensum cum dolore quodam ac tormento, non quo Scripturas errasse, aut perperam quid habere arbitreris; sed quod illæ intrinsecus habeant veritatis sermonem atque rationem, et tu nequeas invenire quod verum est : ita et illi quærebant ne forte recessisset ab eis, ne relinquens eos, ad alia transmigrasset, et quod magis puto, [a] ne revertisset ad cœlos, cum illi placuisset, iterum descensurus. Dolentes ergo quærebant Filium Dei. Et cum quærerent, non invenerunt inter cognatos. Neque enim poterat humana cognatio Dei Filium continere. Non invenerunt inter cognatos, quia divina majora erant notitia scientiaque mortali. Ubi igitur inveniunt eum? In templo. Ibi enim invenitur Filius Dei. Si quando et tu quæsieris Filium Dei, quære primum in templo, illuc propera, ibi Christum, sermonem atque sapientiam, id est, Filium Dei, reperies. Quoniam vero parvulus erat, invenitur in medio præceptorum, sanctificans et erudiens eos. Quia parvulus erat, invenitur in medio, non eos docens, sed interrogans, et hoc pro ætatis officio, ut nos doceret quid pueris, quamvis sapientes et eruditi sint, conveniret, ut audiant potius magistros, quam docere desiderent, et se vana ostentatione non jactent. Interrogabat, inquam, magistros, non ut aliquid disceret, sed ut interrogans erudiret. Ex uno quippe doctrinæ fonte manat et interrogare et respondere sapienter : et ejusdem scientiæ est, scire quid interroges, quidve respondeas. Oportuit primum Salvatorem eruditæ interrogationis magistrum fieri, ut postea interrogationibus respondcret juxta rationem Dei, atque sermonem. Cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XX.

De eo quod scriptum est : *Quid est quod quærebatis me?* usque ad eum locum ubi ait : *Conservabat Maria omnia verba hæc in corde suo.* Cap. II.

Quærebant Maria et Joseph inter affines Jesum, et non inveniebant : in comitatu, et invenire non poterant. Quæsierunt in templo; sed apud magistros, et in medio præceptorum inveniunt eum. Ubicumque magistri fuerint, in medio magistrorum invenitur Jesus : si tamen magister sedeat in templo, et numquam egrediatur ex eo. Profuit Jesus magistris suis, et eos quos interrogare videbatur, docuit in medio eorum loquens, et quodammodo concitabat eos ad quærenda, quæ usque ad id locorum, utrum scirent, an ignorarent, nosse non poterant. Invenitur Jesus in medio magistrorum, et inventus dicit quæsitoribus suis : *Quid est quia quærebatis me? Nesciebatis quia in his quæ sunt Patris mei oportet me esse?* Primum simpliciter sentientes armemur adversus impios hæreticos, qui dicunt non esse **309-310** conditorem patrem Christi Jesu, neque Deum legis, sed nec prophetarum. Ecce pater, Deus templi asseritur. Erubescant Valentiniani audientes Jesum inquientem : *In his quæ sunt Patris mei oportet me esse.* Erubescant omnes hæretici, qui Evangelium recipiunt secundum Lucam, et quæ in eo sunt scripta contemnunt. Hæc, ut dixi, sint intellecta simplicius. Quoniam vero infertur : *Ipsi autem non intellexerunt sermonem*, sensum Scripturæ diligentius ventilemus, si erant stulti et insipientes, ut nescirent quid diceret, quia hoc quod ait : *In his quæ sunt Patris mei, me esse oportet*, significaret in templo, an aliud quiddam altius significet, et quod magis ædificet audientes. Unusquisque nostrum si bonus fuerit atque perfectus, possessio Dei Patris est, et habet in medio sui Jesum. Credamus quippe dicenti, *Quoniam in his quæ sunt Patris mei, me oportet esse.* Magis rationabile atque vivens, et verum templum Dei hoc esse suspicor, quam illud quod typice terreno opere constructum est. Unde illo in templo, ut typice fuit, ita recessit et typice. Egressus est enim de templo terreno dicens : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Matt.* XXIII), et relinquens domum illam venit ad possessionem Dei Patris, ad Ecclesias in toto orbe dispersas, et dicit : *In his qui sunt Patris mei, me oportet esse.* Tunc ergo non intellexerunt verbum, quod locutus est eis. Simul et illud attendite, quod quamdiu in possessione Patris sui fuit sursum erat, quia necdum plenam fidem Joseph et [b] Maria habebant, propterea sursum

[a] Hoc vero est præ reliquis absonum omnibus.

[b] Verum est adeo, in S. Virginem injuriosum esse Adamantium. Quam dixerat supra homil. 14, purgatione indiguisse, et postea homil. 17, scandalum passam dubitationemque de Filio : nunc multo audacius incredulitatis accusat aut exiguæ fidei. Recole quæ laudatis locis, ad retundendam calumniam ac vindicandam ab omni peccati labe Dei matrem, diximus. Nunc si tanti est ad excusandum Origenem, Sixti Senensis lib. v. Bibliothecæ annotationem 140 subnectamus. Puto, inquit, Origenem vocabulo plenæ fidei, intellexisse plenam cognitionem omnium mysteriorum divinitatis et humanitatis Christi, quam Maria Virgo nondum eo tempore habebat, quamvis ea omnia quæ tum de Christo noverat, certissima et inconcussa fide teneret.

cum eo manere non poterant : sed dicitur descendisse cum eis. Crebro Jesus descendit cum discipulis suis, nec semper versatur in monte, nec absque fine sublimia tenet. In monte cum Petro est, cum Jacobo, cum Joanne, et rursum in alio loco cum cæteris discipulis (*Matth.* XVII). Porro quia non valebant hi qui variis ægrotationibus laborabant, in montem conscendere, idcirco descendit, et venit ad eos qui deorsum erant. Nunc quoque scribitur, *Descendit cum eis, et venit Nazareth, et subjiciebatur eis.* Discamus, filii, subjecti esse parentibus nostris : major minori subjicitur. Nam quia majorem Joseph videbat ætate, propterea eum parentis honore coluit, omnibus filiis exemplum tribuens, ut subjiciantur parentibus. Quod si patres iis non fuerint, subjiciantur his qui patrum ætatem habent. Quid loquor de parentibus et filiis? Si Jesus filius Dei subjicitur Joseph et Mariæ, ego non subjiciar episcopo, qui mihi a Deo ordinatus est pater? Non subjiciar presbytero, qui mihi Domini dignatione præpositus est? Puto quod intelligebat Joseph, quia major se erat Jesus, quod subjiciebatur sibi, et sciens majorem esse subjectum, trepidus moderabatur imperium. Videat ergo unusquisque, quod sæpe melioribus præpositus sit inferior, et nonnunquam accidat, ut ille qui subjectus est, melior sit eo qui sibi videtur esse præpositus. Quod cum intellexerit dignitate sublimior, non elevabitur superbia ex eo quod major est, sed sciet ita sibi meliorem esse subjectum, quomodo et Jesus subjectus fuit Joseph. Deinde sequitur : *Maria autem conservabat omnia verba hæc in corde suo.* Plus aliquid quam de homine suspicatur, unde et custodiebat omnia verba ejus in corde suo, non quasi pueri qui duodecim esset annorum, sed ejus qui de Spiritu sancto conceptus fuerat, quem videbat proficere sapientia et gratia apud Deum et homines. Jesus proficiebat sapientia, sapientior per singulas videbatur ætates. Numquid sapiens non erat, ut sapientior fieret? An quoniam evacuaverat se formam servi accipiens, id quod amiserat resumebat, et replebatur virtutibus, quas, paulo ante assumpto corpore, visus fuerat relinquere? Proficiebat ergo non solum sapientia, sed ætate. Est ætatis profectus. Duæ in Scripturis feruntur ætates, altera corporis quæ non est in potestate nostra, sed in lege naturæ : altera animæ, quæ proprie in nobis sita est, juxta quam, si volumus, quotidie crescimus, et ad summitatem venimus, ut non simus ultra parvuli fluctuantes, et qui circumferamur omni vento doctrinæ, sed esse parvuli desinentes, **311-312** incipiamus esse viri, atque dicamus : Quando factus sum vir, destruxi ea quæ erant parvuli (*I Cor.* XV). Hujus, ut dixi, ætatis profectus, qui incrementum habet animæ, in nostra est potestate. Si autem non sufficit testimonium, etiam illud de Paulo sumamus exemplum : *Donec perveniamus*, inquit, *omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis corporis Christi* (*Ephes.* IV). In nobis ergo est, ut ad mensuram perveniamus ætatis corporis Christi,
A et si in nobis est, omni labore nitamur deponere parvulum, et destruere illum, et ad ætates reliquas pervenire, ut nos quoque audire possimus : *Tu autem ibis ad patres tuos cum pace, nutritus* [Al. *nutritos*] *in senecta bona*, utique spiritali, quæ est vere senectus bona, canescens et in finem usque perveniens in Christo Jesu. Cui est gloria et honor et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXI.

De eo quod scriptum est : *Quintodecimo anno imperii Tiberii Cæsaris*, usque ad locum ubi ait : *Rectas facite semitas ejus.* Cap. III.

Quando ad Judæos tantum sermo propheticus
B mittebatur, Judaici reges ponebantur in titulo : Verbi gratia : *Visio quam vidit Isaias filius Amos, adversus Judæam et adversus Jerusalem in regno Osiæ et Jonathan, et Achaz, et Ezechiæ* (*Isa.* I) : nec alium quemquam, exceptis Judææ regibus, Isaiæ video tempore designatum. In quibusdam prophetis et Israel reges legimus, sicut ibi : Et in diebus, inquit, *Jeroboam filii Joas regis Israel* (*Amos.* I). Quando vero sacramentum Evangelii prædicandum erat, et in toto orbe Evangelium disseminandum, cujus princeps Joannes in eremo fuit, et orbem Romanum Tiberii regebat imperium, et tunc in quintodecimo anno verbum Domini ad Joannem factum esse describitur. Et si tantum his qui de nationibus credituri erant
C annuntianda salus fuisset, et penitus excludendus Israel, suffecerat dicens : *In quintodecimo anno Tiberii Cæsaris, præside Judææ Pontio Pilato.* Quia vero et de Judæa et de Galilæa multi credituri erant, idcirco et hæc regna ponuntur in titulo, diciturque : *Tetrarcha Galilææ Herode, et Philippo fratre ejus tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis, et Lysania tetrarcha Abilenæ, sub principibus sacerdotum Anna et Caipha factum est verbum Domini ad Joannem filium Zachariæ in deserto.*

Olim verbum Dei fiebat ad Jeremiam filium Elchiæ in Anathoth in diebus Josiæ regis Judæ (*Jer.* I) : nunc sermo Dei fit ad Joannem filium Zachariæ, qui numquam factus est ad prophetas in deserto. Sed quia plures filii credituri erant desertæ magis quam
D ejus quæ habet virum (*Galat.* IV ; *Isai* LIV) : idcirco factum est verbum Dei ad Joannem filium Zachariæ in deserto. Simulque considera quod magis rationem habet si mystice intelligatur desertum, et non secundum simplicem litteram. Qui enim in deserto prædicat, superflue facit ibi vociferari, ubi se loquentem nullus exaudiat. Præcursor ergo Christi, et vox clamantis in deserto, prædicat in deserto animæ, quæ non habebat pacem (*Joan.* I). Non solum autem tunc, sed et in præsenti primum lucerna ardens et lucens venit, et prædicabat baptisma pœnitentiæ, in remissionem peccatorum (*Marc.* I) : deinde lux vera subsequitur, quando lucerna ipsa loquitur : *Illum oportet crescere, me autem minui* (*Joan.* III) : Fit ver-

A bum in deserto, et venit ad omnem circa regionem Jordanis. Quæ enim alia loca debuit circuire Baptista, nisi vicina Jordanis, ut quicumque voluissent agere pœnitentiam, præsto essent ad lavacrum aquæ? Porro Jordanis [a] *descendens* interpretatur. Descendens autem et largo impetu currens fluvius Dei Salvator noster Dominus est, in quo baptizamur. Quam veram aquam salutarem, in remissionem quoque peccatorum in baptismo prædicat: venite, catechumeni, agite pœnitentiam, ut in remissionem peccatorum baptisma consequamini. In remissionem **313-314** peccatorum ille accipit Baptisma, qui peccare desistit. Si quis enim peccans ad lavacrum venit, et [*Al.* ei] non fit remissio peccatorum. Propterea obsecro vos, ne B absque cautela et diligenti circumspectione ad baptismum veniatis, sed ostendatis primum fructus dignos pœnitentiæ. Facite aliquid temporis in conversatione bona, mundos vos a cunctis sordibus vitiisque servate: et tunc vobis remissio peccatorum fiet, quando cœperitis et ipsi propria peccata contemnere. Dimittite delicta vestra, et dimittentur vobis. Hoc autem ipsum quod nunc de veteri instrumento ponitur, in Isaia propheta scriptum legimus, ibi enim dicitur: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus* (*Isai.* XL). Vult Dominus in vobis reperire viam, ut possit in vestras animas ingredi, et iter suum facere. Præparate ei semitam, de qua dicitur: *Rectas facite semitas ejus: Vox clamantis in deserto.* Vox clamat, præparate C viam. Primo enim vox ad aures pervenit: deinde post vocem, immo cum voce, auditum sermo penetrat. Juxta hunc sensum a Joanne annuntiatus est Christus. Videamus ergo quid vox de verbo annuntiet. *Præparate*, inquit, *viam Domino*. Quam viam Domino præparemus? Numquid corpoream? Aut potest sermo Dei tali itinere pergere? An intrinsecus præparanda est Domino, in corde nostro recta et æqualis semita componenda? Hæc est via per quam ingressus est sermo Dei, qui in humani corporis capacitate consistit. Magnum est cor hominis, et spatiosum, et capax, si tamen mundum fuerit: Vis ejus magnitudinem latitudinemque cognoscere? Vide quantam divinorum sensuum magnitudinem capiat. D Ipse, ait, dedit mihi eorum, quæ sunt, notitiam, rationem mundi scire, et opera elementorum, principium et finem et medietatem sæculorum, temporum varietates, et translationem mensium, annorum circulos, et siderum sedes, naturas animalium, et furores bestiarum, spirituum violentias, et cogitationes hominum, diversitates arborum, et vim radicum (*Sap.* VII, 17). Vides non parvum esse cor hominis, quod tanta capiat. Neque in corporis quantitate, sed in fortitudine ejus intellige, quæ tantam scientiam capiat veritatis. Ut autem et simplices quosque quotidianis exemplis ad credendum adducam, quod grande sit cor hominis, videamus. Quascumque urbes transivimus, habemus illas in animo, et qualitates, et situs platearum, murorumque, et ædificiorum in corde nostro versantur. Viam quam ingressi sumus, in memoriæ pictura ac descriptione retinemus: mare quod navigavimus tacita cogitatione amplectimur. Non est parvum, ut dixi, cor hominis, quod potest tanta capere. Si autem non est parvum tanta capiens, consequenter in illo via Domini præparatur, et recta fit semita, ut ambulet in illa sermo Dei, atque sapientia. Præpara viam Domino per conversationem bonam, et egregiis operibus tene semitam: absque offensa ulla deambulet in te Verbum Dei, et donet tibi mysteriorum suorum adventusque notitiam. Cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXII.

De eo quod scriptum est: *Omnis vallis implebitur*, usque ad eum locum ubi ait: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*. Cap. III.

Videamus quæ in Christi prædicentur adventu, inter quæ primum de Joanne scribitur: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Et quod sequitur proprie de Domino Salvatore est. Neque enim a Joanne omnis vallis impleta est, sed a Domino Salvatore. Seipsum unusquisque consideret, quis erat antequam crederet: tunc animadvertet, vallem humilem, vallem se fuisse præcipitem in ima demersam. Quando venit Dominus Jesus, et misit Spiritum sanctum vicarium suum, vallis omnis expleta est. Expleta est autem operibus bonis et fructibus Spiritus Sancti. **315-316** Charitas non sinit permanere te vallem. Quod si pacem habueris et sapientiam et bonitatem, non solum vallis esse desistes, sed etiam mons esse incipies Dei. Quod tamen de gentibus quotidie magis fieri videmus, atque compleri, *Omnis vallis implebitur;* quam de populo Israel, qui de excelso depositus est: *Omnis*, inquit *mons et collis humiliabitur.* Mons erat quondam ille populus et collis, qui depositus est atque destructus. Illorum delicto salus gentibus data est ad æmulandum eos (*Rom.* XI). Quod et si contrarias fortitudines, quæ adversus mortales erigebantur, dixeris montes et colles esse depositos, non peccabis. Ut enim impleantur hujuscemodi valles, humiliandæ sunt. Sed et hoc quod in adventu Christi prophetatum est, utrum expletum sit, contemplemur. Sequitur enim: *Et omnia prava erunt in directa.* Unusquisque nostrum pravus erat, si tamen non et usque hodie perseverat: et per adventum Christi qui factus est ad animam nostram, prava quæque directa sunt. Quid enim tibi prodest, si Christus quondam venit in carnem, nisi quoque ad tuam animam venerit? Oremus ut illius quotidie nobis ad-

[a] Et vero in Origenian. Lexico κατάβασις, id est, *descensio*, interpretatur, quæ et Philoni etymologia placuit.

ventus fiat, et possimus dicere : *Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus* (*Gal.* III). Si enim Christus vivit in Paulo, non vivit in me, quid mihi proderit? Cum autem et ad me venerit, et fruitus illo fuero, sicut fruitus est Paulus, tunc et ego Paulo similiter loquar : *Vivo jam non ego, vivit vero in me Christus.* Consideremus ergo cætera, quæ in Christi prædicentur adventu. Nihil te asperius erat. Vide pristinos motus tuos, vide iram, et cætera vitia, si tamen cessaverunt esse quæ fuerant, et intelligis nihil te asperius, et (ut significantius loquar) nihil fuisse inæqualius. Conversatio tua inæqualis erat, et sermo et opera inæqualia. Venit ergo Dominus meus Jesus, et exæquavit asperitates tuas, incomposita quæque vertit in vias planas, ut fieret in te iter sine offensione, et leve [*Forte* læve], atque purissimum, graderetur que in te Deus Pater, et Christus Dominus mansionem apud te faceret, diceretque : *Ego et Pater meus veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV). Sequitur : *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Tu quondam caro eras, immo ut mirabilius loquar, cum adhuc in carne sis, vides salutare Dei. Quid autem sibi velit quod dicitur, omnis caro, eo quod nulla excipiatur quæ non videat salutare Dei, relinquo intelligendum his qui sciunt Scripturarum mysteria. Quænam egredientibus ad baptismum Joannes loquitur, attendendum. Si quis vult baptizari, egrediatur. Manens enim in pristino statu, et mores suos et consuetudinem non relinquens, nequaquam rite ad baptismum venit. Ut autem intelligas quid sit egredi ad baptismum, accipe testimonium et ausculta verba quibus Deus loquitur ad Abraham : *Egredere de terra tua* (*Gen.* XII), et reliqua. Egredientibus itaque ad lavacrum turbis, non egressis, sed tantum egredientibus, Joannes loquitur quæ sequuntur. Si enim jam egressi fuissent, nunquam ad eos diceret, *generatio viperarum*. Quæcunque igitur ad illos loquitur, ad vos, o catechumeni et catechumenæ, loquitur. Qui disponitis venire ad baptismum, considerate non forsitan vobis dici possit, *generatio viperarum*. Sed et illud quod sequitur, nisi pravitatem venenaque serpentum de corde vestro expuleritis, dicetur ad vos : *Quis ostendit vobis fugere ab ira ventura?* Magna huic sæculo impendet ira : omnis iram Dei passurus est mundus : tantam vastitatem cœli, et latitudinem terræ, et stellarum choros, splendorem solis, et lunæ nocturnæ solatia, Dei ira subvertet. Hæc enim omnia propter hominum peccata transibunt. Et olim quidem super omnia tantum in terra venit ira Dei, quia omnis caro reliquerat viam suam super terram (*Gen.* VI) : nunc autem et super cœlum, et super terram ventura est ira Dei. *Cœli pertransibunt, tu autem permanebis* (ad Deum dicitur), *et omnes sicut vestimentum veterascent* (*Ps.* CII). Videte qualis et quanta ira sit, quæ mundum omnem consumptura sit, et puniet eos qui pœna digni sunt, invenietque materiam in qua se exerceat. Unusquisque nostrum ex eo quod gessit, iræ materiam præparavit. *Secundum duritiam enim tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei*, dicitur ad Romanos (*Rom.* II). Dein sequitur : *Quis ostendit vobis fugere ab ira ventura? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Et vobis qui venitis ad baptismum, dicitur : *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Vultis scire qui sunt fructus pœnitentiæ? Charitas fructus **317-318** est Spiritus, gaudium fructus est Spiritus, pax, patientia, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, et reliqua hujuscemodi (*Galat.* V). Si hæc omnia habuerimus, fecimus fructus dignos pœnitentiæ. Rursum dicitur ad eos qui ad Joannis baptismum veniebant : *Et ne incipiatis dicere intra vosmetipsos, patrem habemus Abraham : dico enim vobis, quia potest Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham.* Prophetat Joannes novissimus prophetarum expulsionem prioris populi, et vocationem gentium. Illis enim qui de Abraham gloriabantur dicit : *Et ne incipiatis dicere in vobismetipsis, patrem habemus Abraham.* Et de gentibus rursum loquitur : *Dico enim vobis, quia potest Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* De quibus lapidibus? Non utique lapides irrationabiles corporeosque monstrabat, sed homines insensibiles et quondam duros, qui quia lapides et ligna adorabant, impletum est illud quod in psalmo cantabatur : *Similes illis fiant* [Al. *fiunt*] *qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* (*Ps.* CXV). Vere qui faciunt idola, et confidunt in eis, similes sunt diis suis, absque sensu, sine ulla ratione, in lapides lignaque conversi sunt. Cum enim tantum videant creaturarum ordinem, decorem, officium, tantam mundi pulchritudinem, nolunt de creaturis intelligere Creatorem, neque considerant tantæ dispensationis aliquam providentiam, aliquem esse rectorem, sed sunt cæci, his tantum oculis mundum videntes, quibus irrationabilia jumenta et bestiæ vident. Non enim animadvertunt in his quæ vident ratione regi, aliquam inesse rationem. Hæc propterea, quia Joannes dixerat : *Potest Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Et nos igitur obsecremus Deum, ut si quando fuimus lapides, vertamur in filios Abrahæ pro his filiis qui ejecti sunt, et repromissionem adoptionemque suo vitio perdiderunt. Unum testimonium adhuc de lapidibus ponam. Siquidem in cantico Exodi scribitur : *Vertantur in lapides, donec pertranseat populus tuus, Domine, donec transeat populus tuus iste quem possedisti* (*Exod.* XV). Rogatur itaque Deus, ut paulisper convertantur in lapides; hoc enim [a] Græcus sermo significantius sonat, ἀναλιθούσθωσαν, donec pertranseat populus Judæorum. Haud dubium quin postquam illi transierint, gentes lapideæ esse cessabunt, et pro duro corde recipient humanam in Christo rationabilemque naturam. Cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[a] Hæc quoque, ut nemo non sentit, interpretantis Hieronymi observatio est.

HOMILIA XXIII.

De eo quod scriptum est : *Ecce securis ad radices arborum posita est*, usque ad eum locum ubi ait : *Venerunt autem et Publicani, ut baptizarentur ab eo*. Cap. III.

Joannes illo jam tempore loquebatur : *Ecce securis ad radices arborum posita est.* Et siquidem jam ingrueret consummatio, et temporum finis instaret, nulla mihi quæstio nasceretur. Dicerem enim hoc quod ait : *Ecce securis ad radices arboris posita est*, et illud : *Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, præcidetur, et in ignem mittetur*, propterea prophetatum, quia in illo tempore complebatur. Cum autem tanta post sæcula fluxerint, et tam innumerabiles anni ab illo tempore usque ad præsentem diem transierint, quomodo Spiritus sanctus in propheta dicat : *Ecce securis ad radices arborum posita est*, debemus inquirere. Ego puto Israelitico populo prophetari, quod præcisio ejus vicina sit. His enim qui egrediebantur ad eum, ut baptizarentur, inter cætera loquebatur : *Facite fructus dignos pœnitentiæ;* et quasi Judæis dicebat : *Ne incipiatis dicere in vobismetipsis, patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potest Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Hoc ergo quod ait : *Ecce securis ad radices arborum posita est*, Judæis loquitur. Cui sensui et Apostolicum illud congruit, fractos esse ab hac securi infidelitatis **319-320** ramos atque succisos, ut amputaret ex arbore non radicem, sed ea quæ de radice pullularunt, ut in radice pristinæ arboris, rami possint oleastri inseri (*Rom.* XI). Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, præciditur et in ignem mittetur : hunc enim finem habet, ut incendio concremetur. Deinde tres ordines inducuntur sciscitantium Joannem super salute sua : unus quem Scriptura appellavit populos exeuntes ad baptisma, alius quem publicanos nominat, tertius qui militum appellatione censetur. *Interrogabant eum turbæ, dicentes : Quid faciemus? Qui respondens eis : Qui habet duas tunicas, det ei qui non habet : et qui habet cibos, similiter faciat.* Quod quidem, nescio si turbæ conveniat præcipi. Magis enim apostolis quam vulgo congruit, ut qui duas tunicas habet, unam tribuat non habenti. Et ut scias magis hoc apostolis quam populis convenire, audi quid a Salvatore dicatur ad eos : *Neque duas tunicas tollatis in via* (*Matth.* XX). Duplex itaque vestimentum quo unusquisque vestitur, et præcipitur ut alterum tribuat non habenti, aliam intelligentiam sonat. Vult enim nos Salvator, quomodo non habemus duobus servire dominis, sic nec duas habere tunicas, nec duplici veste circumdari, ne sit unum indumentum veteris hominis, et alterum novi. Econtrario autem cupit, ut exspoliemus nos veterem hominem, et induamus novum. Hucusque facilis expositio est. Porro quæritur, quomodo juxta hanc interpretationem jubeatur nobis non habenti A tribuere vestimentum. Quisnam est ille qui ne unum quidem indumentum super carnem suam habet, qui nudus est, qui omnino nulla veste coopertus? Neque vero hoc dico, quo non præcipiatur liberalitas, et in pauperes misericordia. Hyperbolica clementia : ut etiam nudos altera tunica protegamus. Sed hoc aio, quod et profundiorem locus iste respiciat intellectum, et oporteat ei dare tunicam qui omnino non habebat. Quis est ergo iste, qui tunicam non habet? Nempe ille qui penitus Deum non habet. Debemus igitur exuere nos, et ei dare qui nudus est. Alius habet Deum, alius omnino non habet, contraria videlicet fortitudo. Et quomodo scriptum est, ut in profundo maris præcipitemus delicta nostra (*Mich.* VII) : sic projici a nobis oportet vitia atque peccata, et B jacere super eum qui eorum nobis causa exstitit. *Et qui habet*, inquit, *cibum, similiter faciat.* Qui habet cibos tribuat non habenti, ut non solum ei vestimentum, sed etiam id quod possit comedere, largiatur. *Venerunt autem et publicani baptizari ab eo.* Hoc et juxta simplicem intelligentiam docet publicanos nihil amplius quærere, quam in Lege præceptum est; qui enim plus exegerint, non Joannis mandatum prævaricant, sed Spiritus sancti qui locutus est in Joanne. Nescio autem utrum, ut secundum ἀναγωγήν, aliud quiddam excellentius sermo significet, et an debeamus in tali auditorio res tam mysticas prodere, maxime inter eos qui Scripturarum medullas non introspiciunt, sed tantum superficie delectantur. Periculosum quidem, sed tamen strictim breviterque C tangendum. Cum exierimus a sæculo, et hæc vita nostra fuerit commutata, erunt quidam in finibus mundi sedentes velut publicanorum officio diligentissime perscrutantes, ne quid sui in nobis inveniant. Videtur mihi princeps sæculi hujus quasi publicanus esse, unde scriptum est de eo : *Venit princeps mundi istius, et in me habet nihil* (*Joan.* XIV). Illud quoque quod in Apostolo legimus : *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal : cui honorem, honorem; nemini quid debeatis nisi ut invicem diligatis* (*Rom.* XIII), sacrate intelligendum est. Quamobrem consideremus ne forte cum non habuerimus, quod pro vectigali queamus reddere, ipsi trahamur ob debitum, ut solet apud sæculi quoque fieri vectigales, quando quis pro debito ipsi reipu-D blicæ serviturus includitur. Complures e nobis, ab istiusmodi publicanis tenendi sunt : quos Jacob ille vir sanctus non magnopere formidabat, nec verebatur, ut de publicanorum vectigalibus in eo aliquid reperiretur. Unde et audacter ad publicanum illum loquebatur Laban : *Cognosce si quid tuarum rerum est apud me* (*Gen.* XXXI). Super quod agit testimonium Scriptura dicens : *Et non cognovit Laban apud Jacob quicquam.* Docet igitur Salvator noster et Spiritus sanctus qui locutus est in prophetis, non solum homines, [a] sed etiam angelos, et virtutes **321-**

[a] Sentit hac tota peroratione, nedum a Salvatore, sed et a prophetis, et demum ab Ecclesia edoctos angelos quæ rescirent, perque eorum doctrinam profecisse ad salutem. Et siquidem non absolutissimam Dominicæ incarnationis, ejusque mysteriorum cognitionem habuisse angelos dixisset, ita tamen ut

322 invisibiles. Quid loquar de Salvatore? prophetæ quoque ipsi et apostoli, omne quod resonant, non solum hominibus, sed et angelis prædicant. Quod ut scias verum : *Attende*, inquit, *cœlum*, *et loquar; in conspectu angelorum psallam tibi*; et : *Laudate Dominum, cœli cœlorum, et aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini* (*Psal.* CXLVIII, 4); et : *Laudent eum angeli*; et : *In omni loco potestatis ejus benedic, anima mea, Domino*. Inveniens in plurimis locis, et maxime in psalmis, et ad angelos sermonem fieri, data homini potestate, ei tamen qui Spiritum sanctum habet, ut et angelos alloquatur. E quibus unum exemplum ponam, ut sciamus angelos quoque humanis vocibus erudiri. Scriptum est in Apocalysi Joannis : *Angelo Ephesiorum Ecclesiæ scribe : Habeo aliquid contra te* (*Apoc.* II); et rursum : *Angelo Ecclesiæ Pergami scribe : Habeo quippiam contra te.* Certe homo est qui scribit angelis, et aliquid præcipit. Ego non ambigo et in cœtu nostro adesse angelos, non solum generaliter omni Ecclesiæ, sed etiam singillatim. De quibus Salvator ait : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII). Duplex hic adest Ecclesia, una hominum, altera angelorum. Si quid juxta rationem, et juxta Scripturarum dicimus voluntatem, lætantur angeli, et orant nobiscum. Et quia præsentes angeli sunt in Ecclesia, in illa dumtaxat quæ meretur, et Christi est, propterea orantibus feminis præcipitur, ut habeant velamen super caput propter angelos, [a] utique illos qui assistunt sanctis, et lætantur in Ecclesia (I *Cor.* XI). Quos quidem nos, quia peccatorum sordibus oculi nostri obliti sunt, non videmus, sed vident apostoli Jesu ad quos loquitur : *Amen amen dico vobis, videbitis cœlum apertum*, *et angelos Dei ascendentes et descendentes super Filium hominis* (*Joan.* I). Quod si haberem hanc gratiam, ut quomodo apostoli, sic viderem, et sicut Paulus aspexit, intuerer, cernerem nunc angelorum multitudinem, quod videbat Elisæus, et Giezi qui cum eo steterat non videbat. In metu erat Giezi, ne ab hostibus ca- A peretur, solus Elisæus videns. Sed Elisæus ut propheles Domini, deprecatur, et dicit : *O Domine, aperi oculos pueri istius, et videat quoniam multo plures nobiscum sunt quam cum illis* (IV *Reg.* VI). Et statim ad preces sancti viri angelos quos prius Giezi non videbat, intuitus est. Hæc idcirco diximus, ut ostenderemus et publicanos doceri a Joanne, et non solum eos qui reipublicæ vectigalibus serviunt, sed etiam illos qui veniebant ad pœnitentiam. Et alii erant a corporalibus publicani, sicut et alii milites, qui egrediebantur ad baptismum pœnitentiæ. Venit enim non Joannes et propheta tantum, sed etiam ipse Salvator, et hominibus, et [b] angelis, et virtutibus cæteris salutarem pœnitentiam prædicare, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœles- B tium, et terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philip.* II) : cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

323-324 HOMILIA XXIV.

De eo quod scriptum est : *Ego quidem baptizo vos aqua*, usque ad eum locum ubi ait : *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto et igne.* Cap. III.

Joannem, qui minor est Christo, suscepit populus, reputans et cogitans ne forte ipse esset Christus : eum vero, qui major illo venerat, non suscepit. Vis causam scire? Cognosce : Joannis baptisma videbatur, Christi baptismus invisibilis erat. *Ego enim*, C inquit, *baptizo vos in aqua : qui autem post me venit, major me est, ipse vos baptizabit Spiritu sancto et igni.* Quando baptizat Jesus Spiritu sancto, et rursum quando igne baptizat? Numquid uno atque eodem tempore Spiritu et igni baptizat, an vario atque diverso? *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies.* Baptizati sunt apostoli post ascensionem ejus ad cœlos Spiritu sancto (*Act.* II) : quod autem igni fuerint baptizati, Scriptura non memorat. Sed quomodo Joannes juxta Jordanem

prius illis, quam hominibus revelata fuerint, et recta : sicque credidisset eruditos per Ecclesiam angelos, quasi rerum testes et conscios, ab aliorum non abluderet Patrum sententiis. Nam et ipse Hieronymus Commentario paulo post recensendo in Epist. ad Ephesios cap. III, vers. 10, multiplicem illam sapientiam angelis ignoratam, de qua loquitur Apostolus, vitæ Christi mysteriis contentam docet. Verum Adamantius, ut ex inferiori magis contextu liquet, et non secus quam homines Christi morte ad salutem angelos indiguisse, et quasi discipulos prophetarum, atque apostolorum præceptis informatos, atque ad virtutem arrectos autumat : quæ cum Scripturæ sacræ innumeris testimoniis, fideique orthodoxæ decretis sententia manifesto pugnat. Est vero solemnis ejus deridiculæ doctrinæ quasi consectarium, qua peccare posse angelos statuit, eorumque officium non nisi ex merito constare : unde et adversarias potestates propter offensiones hominibus prabitas, corpus subire humanum, in eoque pœnas luere, et vicissim ex humani generis ordine seligi animas, quæ post rite pieque emensum in terris vitæ curriculum, in angelorum ordinem assumantur. D Noster Hieronymus, ut alios nunc prætermittam, in præfat. Comment. in Malachiam, atque alibi sæpe hocce abnorme placitum impugnat. Vide quæ nos ad homiliam ejusdem Origenis 4 in Ezechielem ad fere huic geminam sententiam animadvertimus.

[a] Hic, quemadmodum et laudato Apocalypsis loco angelorum nomine, episcopos, et sacramentorum ministros designari, verissime Interpretes plerique omnes docent, inepteque adeo Origenes argumentatur. Cæterum neque id certum habuisse videtur, singulisne hominibus, an Christi fidem solum professis, et sanctis custos angelus assignetur; cum enim dudum Homil. 12 pronuntiasset unicuique hominum duos præfici, bonum unum, et alterum nequam; et nunc repetat, *Adesse angelos non solum generaliter omni Ecclesiæ, sed etiam singillatim; subdit tamen, præsentes esse in Ecclesia dumtaxat quæ meretur, et Christi est* : in quam sæpius alibi sententiam libentius concedit. Vide quæ infra ad Homil. 35 annotamus.

[b] Recole paginæ proxime præcedentis annotationem. Cl. Huetius hocce Origenis paradoxum singulari disceptatione exagitat.

fluvium venientes ad baptismum præstolabatur, et alios abigebat dicens : *Generatio viperarum*, et reliqua; porro eos qui confitebantur vitia atque peccata, suscipiebat : sic stabit in igneo flumine Dominus Jesus juxta flammeam romphæam (*Gen.* III), ut quemcumque [a] post exitum vitæ hujus, qui ad paradisum transire desiderat, et purgatione indiget, hoc eum amne baptizet, et ad cupita transmittat : eum vero, qui non habet signum priorum baptismatum, lavacro igneo non baptizet. Oportet enim prius aliquem baptizari aqua et spiritu, ut cum ad igneum fluvium venerit, ostendat se et aquæ et spiritus lavacra servasse, et tunc mereatur etiam ignis accipere baptismum in Christo Jesu : cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXV.

De suspicione quam habebat populus de Joanne, ne forte ipse esset Christus. Cap. III.

Habet periculum et dilectio, si modum transeat. Debet enim qui aliquem diligit, naturas et causas considerare dilecti, et non eum plus diligere quam meretur. Nam si mensuram charitatis, modumque transcenderit, et qui diligit, et qui diligitur, in peccato erunt. Quod ut manifestius fiat ponamus exemplum. Joannem populus mirabatur, et diligebat eum : et revera erat dignus miraculo, ut plus ei quam cæteris hominibus deferretur, quia aliter quam cuncti mortales vixerat. Non omnes sumus simplici contenti cibo, sed varietate delectamur escarum ; unum nobis ad potandum vinum sufficit, varii gustus vina mercamur. Joannes vero semper locustis, semper vescebatur melle silvestri, et contentus erat simplici et tenui cibo, ne corpus illius crassioribus pulmentis pinguesceret, et exquisitis dapibus gravaretur ; **325-326** hujusmodi quippe natura corpora nostra sunt, ut escis superfluis aggraventur ; et cum corpus fuerit aggravatum, anima quoque oneretur, A quæ per totum diffusa corpus passionibus illius subjacet. Quamobrem recte præcipitur eis qui observare possunt : *Bonum est non manducare carnem, neque bibere vinum, neque in quo frater tuus scandalizetur* (*Rom.* XIV). Erat igitur Joannes vitæ mirabilis et multum ab aliorum hominum conversatione diversus. Non habebat sacculum, non famulum, non saltem vile tugurium. Morabatur in deserto non solum usque ad diem ostensionis suæ ad Israel, verum eo tempore, quo pœnitentiam populo prædicabat, erat in solitudine Judææ, et aqua simplici irrigabatur, ut et in potu esset diversus a cæteris. Nos qui versamur in urbibus, qui in medio populorum sumus, et vestes quærimus lautiores, et cibos, et [b] habilia : ille vero qui in eremo morabatur, vide te quali vestimento B indutus fuerit. De pilis camelorum sibi tunicam fecerat, et zona pellicea cingebatur. Omnia ergo in illo noverant, et propter dissimilitudinem vitæ universi qui videbant, admirabantur eum, et mirantes studiosissime colebant, super omnia quod pœnitentes in remissionem peccatorum baptizabat. Quas ob causas diligebant quidem eum justissime, sed non servabant in charitate modum : cogitabant enim ne forte ipse esset Christus. Quam inordinatam et irrationabilem charitatem cavens apostolus Paulus de semetipso loquebatur : *Timeo autem ne quis de me cogitet super id quod videt in me, aut audit ex me, et ne magnitudo revelationum extollat me*, (I *Cor.* XII), etc. Quod metuens ne etiam ipse incurrat, nolebat omnia de se judicare quæ norat, ne C quis eo plus arbitretur esse quam cerneret, et mensuram honoris excedens, diceret quod dictum fuerat de Joanne, quia ipse esset Christus. Quod quidem nonnulli etiam de Dositheo [c] Samaritarum hæresiarcha dixerunt, alii vero de Juda Galilæo. Denique in tantam quidam dilectionis audaciam proruperunt, ut nova quædam et inaudita super Paulo monstra confingerent. Alii enim aiunt hoc, quod

[a] Notatum Genebrardo, doctisque aliis viris, purgatorium ignem post vitæ exitum satis luculenter hoc testimonio Adamantium profiteri. Addere possim ego sexcenta alia loca, quibus idem apertissime declarat : neque enim umquam id crimini datum Origeni, quod purgatorium negaret esse; sed econtrario hoc ipsum, quod suo modo constituerit : ita nempe, ut non alium ignem, non alia supplicia maneant quævis admissa scelera, quam purgatorii ; neque adeo aliis quam temporariis tormentis putarit animas torqueri. Quod vero nefariam eam doctrinam hic quoque loci propinet, equidem affirmare non ausim, nam etsi *quemcumque*, dicat, *post exitum vitæ hujus hoc amne baptizandum* : neque adeo unum aliquem excipiat (ut paulo superius ad Homil. 14, ubi de hoc ipso igneo baptismo disputat, animadvertimus), et ne sanctissimos quidem viros, qui aut nulla, aut certe temporaria pœna lustrantur : attamen quod hic quasi sententiam temperans, subdit, *et purgatione indiget*, suspicionem tollit erroris, seque innuit de iis dicere, quibus leviores eluendæ sint culpæ. Et vero nescio an alius in Origenianis scriptionibus locus exstet, qui tam commode interpretatione donari possit.

[b] Fortasse legendum videatur, *altilia*.

[c] Huc referendus omnino insignis ejusdem Origenis locus libro I, contra Celsum num. 57, qui sic in Latino sonat. *Census tempore, quando constat natum esse Jesum, Judas quidem Galilæus a populo Judaico deficiens, multos secum traxit, tum sapientia, quam* D *simulabat, tum novis, quas moliebatur rebus. Sed postquam ipse sceleris pœnas dedit, exstincta statim est ejus doctrina, nec nisi apud perpaucos nullius nominis obtinuit. Post Jesu tempora voluit et Dositheus quidam Samarita suis persuadere se esse Christum illum, quem Moyses prædixerat, visusque est nonnullos sibi sua doctrina conciliare.* Varia de Dositheo alii tradunt, quem nec ipsi Judaici scriptores satis norunt. Ipse etiam aberrare videtur Hieronymus cum Dialogo adversus Luciferianos n. 23, Dositheum Samaritanorum principem facit, qui prophetas repudiarit, et ex cujus radice ortum Sadducæi traxerint; nam et multo antea Scripturas Samaritæ repudiaverant, et Tsadocho principe Sadducæorum recentior Dositheus fuit. Alii plures Dositheos comminiscuntur, ut diversa veterum de eo testimonia concilient. Quibus omnibus Origenem præfero, quocum faciunt et Hegesippus apud Eusebium lib. IV, cap. 22; Theodoritus hæret. Fab. lib. I, cap. 1; Recognitiones Clementi attributæ lib. II, aliique.

scriptum est, sedere a dextris Salvatoris et sinistris, de Paulo et de Marcione dici, quod Paulus sedet a dextris, Marcio sedeat a sinistris. Porro alii legentes : *Mittam vobis advocatum Spiritum veritatis* (*Joan.* XIV), nolunt intelligere tertiam [a] personam a Patre et Filio, et divinam sublimemque naturam, sed apostolum Paulum. Nonne tibi omnes videntur plus amasse quam expedit, et dum virtutem uniuscujusque mirantur, dilectionis perdidisse mensuram? Quod quidem in Ecclesia patimur : [b] plerique enim dum plus diligunt quam meremur, hæc jactant, et loquuntur, sermones nostros doctrinamque laudantes, quæ conscientia nostra non recipit. Alii vero tractatus nostros calumniantes, ea sentire nos criminantur, quæ numquam sensisse nos novimus. Sed neque hi qui plus diligunt, neque illi qui B oderunt, veritatis regulam tenent : et alii per dilectionem, alii per odium mentiuntur. Unde oportet charitati frena imponere, et tantum ei vagandi permittere libertatem, quantum in prærupta non corruat. Scriptum est in Ecclesiaste : *Ne sis justus multum, neque ampliora cogites, ne forte obstupescas.* Quod exemplum sequens possum simile quid dicere : Ne diligas hominem ex tota anima tua, et ex tota virtute tua : **327-328** ne ames angelum de toto corde, de tota anima, de tota virtute; sed præceptum juxta eloquium Salvatoris soli serva Deo. *Diliges enim*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua* (*Matth.* XXII). Respondeat mihi aliquis, et dicat : C Salvator præcipit : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua, et proximum tuum tamquam teipsum.* Volo diligere Christum : doce ergo me quomodo eum diligam. Si enim dilexero eum ex toto corde meo, et ex tota anima mea, et ex tota virtute, contra præceptum facio, ut alterum absque uno Deo sic diligam. Sin autem minus eum dilexero, quam omnipotentem Patrem, timeo ne in Primogenitum universæ creaturæ impius et profanus inveniar. Doce me, et ostende rationem, quomodo inter utrumque medius incedens, diligere debeam Christum. Vis scire qua charitate Christus diligendus sit? Breviter ausculta. Diliges Dominum Deum tuum in Christo. Putas diversam habere posse in Patre et Filio charitatem? D Simul dilige Dominum Christum. Dilige Patrem in Filio, Filium in Patre, ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute. Quod si aliquis sciscitatur, et dicit : hoc quod asseris de Scripturis proba, audiat apostolum Paulum, qui habebat rationabilem charitatem, loquentem : *Certus enim sum, quia ne-* A *que mors, neque vita, neque angeli, neque potestates, nec præsentia, nec futura, nec fortitudo, nec altitudo, nec profundum, nec alia creatura poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino Salvatore nostro* (*Rom.* VIII), cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVI.

De eo quod scriptum est : *Cujus ventilabrum in manu, et mundabit aream suam*, usque ad eum locum ubi ait : *Et congregabit triticum in horreum.* Cap. III.

Christus est Deus : et qui adorat eum, in spiritu et veritate oportet adorare (*Joan.* IV). Deus quoque B noster, ignis consumens est (*Deut.* IV). Dupliciter appellatur Deus et spiritus, et ignis. Justis spiritus, ignis peccatoribus, Sed dum et angeli spiritus, ignisque dicuntur : *Qui facit*, inquit, *angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem* (*Hebr.* I) ; angeli sanctis quibusque sunt spiritus : his vero qui merentur, addicunt ignem, et fervorem subministrant. Juxta quem sensum et Deus noster atque Salvator, cum sit spiritus, ignem venit mittere super terram. Spiritus, secundum illud quod scribitur : *Cum autem conversus fueris ad Dominum, auferetur velamen : et Dominus spiritus est* (II *Cor.* III). Ignem autem venit mittere non super cœlum, sed super terram, ut ipse demonstrat dicens : *Ignem veni mittere super terram, et quid volo nisi ut jam ardeat* (*Luc.* XI)? C Si enim conversus fueris ad Dominum, qui est spiritus, Christus tibi spiritus erit, et non venit ignem mittere super terram. Quod si non converteris ad Deum, sed habes terram et fructum ejus, ignem venit mittere super terram tuam. Huic quid simile etiam de Deo scriptum est : *Ignis accensus est furoris ejus, non usque ad cœlum sursum, sed usque ad infernum deorsum : et devorabit non cœlum, sed terram et germina ejus.* Quorsum ista memoravi? Quia et baptismus, quo baptizat Jesus, in Spiritu Sancto est, et igni. Memini eorum, quæ nuper locutus sum, nec præterit explanatio superior; sed volo et novum aliquid inferre. Si sanctus fueris, Spiritu sancto baptizaberis : si peccator, in ignem mergeris; et unum atque idem baptisma indignis et peccatoribus D in condemnationem ignemque vertetur : his vero qui sancti sunt, et tota fide ad Dominum convertuntur, Spiritus sancti gratia salusque tribuenda est. *Is ergo, qui Spiritu sancto et igne dicitur baptizare, habet ventilabrum in manu sua, et mundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum,*

[a] Si cui *Personæ* vocabulum in Divinis recentius Origenis ævo videatur, reputet eo usum S. Interpretem, pro quo ὑπόστασιν auctor scripserit. Cæterum et tomo secundo in Joannem luculentissime Adamantius : Ἡμεῖς μέντοιγε τρεῖς ὑποστάσεις πειθόμενοι τυγχάνειν, τὸν Πατέρα (καὶ τὸν υἱὸν, qui perperam in editis libris desideratur) καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα : Latine ex Ferrarii versione, *Nos autem, qui tres Personas, Patrem et Filium atque Spiritum sanctum esse credimus.*

[b] Idipsum Hieronymus queritur epist. 62, ad Tranquillinum : quod *vel in amorem Origenis nimium, vel odium stomachi sui pravitate* homines ducerentur. Profecto dubium est, majorine ei fuerint detrimento adversariorum calumniæ, an profusæ nimis amicorum laudes, quibus æmulorum invidia acuebatur.

paleas autem comburet igni inexstinguibili. Volo invenire rationem, quare Dominus noster habeat ventilabrum, et quod blando vento leves paleæ huc illucque rapiantur, **329-330** grave vero triticum in unum deferatur locum, neque enim absque vento possunt triticum et paleæ separari; existimo tentationes pro vento intelligi, quæ confuso credentium acervo, alios paleas, alios triticum esse demonstrant. Cum enim anima tua fuerit aliqua tentatione superata, non tentatio te vertit in paleas; sed cum esses palea, levis videlicet et incredulus, ostendit te esse tentatio quod latebas. Econtrario autem cum fortiter tentamenta toleras, non te facit fidelem tentatio, atque patientem, sed virtutem, quæ in te erat, patientiæ et fortitudinis, et latebat, profert in medium. *Putas enim*, ait Dominus, *aliter me tibi locutum fuisse quam ut pareres justus?* Et alibi: *Afflixi te, et affeci penuria, ut manifesta fierent, quæ erant in corde tuo.* In hunc modum et tempestas non facit super arenam ædificium consistere, sed super terram. Quæ cum fuerit exorta, id quod super terram fundatum est, non evertet: quod vero super arenam fluctuat, probat illico non bene fuisse fundatum. Quapropter antequam oriatur tempestas, antequam ventorum flabra consurgant, priusquam intumescant flumina, dum adhuc silent universa, omne studium nostrum ad ædificiorum fundamenta vertamus, ædificemus domum nostram variis firmisque lapidibus præceptorum Dei, ut cum persecutio sævierit adversus Christianos, durusque turbo surrexerit, ostendamus nos habere ædificium super petram Christum Jesum (*Matth.* VII). Si quis autem (quod procul absit a nobis) negaverit, iste sciat non se illo tempore quo negasse visus est, Christum negasse; sed semina et radices habuisse negandi jam veteres, tunc vero fuisse agnitum quod habebat, et in medium esse productum. Oremus igitur Dominum, ut simus ædificium, quod tempestas nulla subvertat, fundatum supra petram, per Dominum nostrum Jesum Christum, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVII.

De eo quod scriptum est: *Multa quidem et alia exhortans annuntiabat*, usque ad eum locum ubi ait: *Spiritus sanctus descendit super eum*. Cap. III.

Qui Evangelii sermonem docet, non unam rem nuntiat, sed plurimas. Hoc quippe Scriptura significat, dicens: *Multa quidem et alia exhortans annuntiabat.* Itaque etiam alia, quæ scripta non sunt, Joannes populo prædicabat: quæ autem scripta, considerate quanta fuerint quæ annuntiant Christum. Monstravit enim baptismum Spiritus sancti, prædicavit publicanis salutem, docuit milites disciplinam, aream purgari, succidi arbores, et cætera quæ Evangelii narrat historia. Exceptis ergo his quæ scripta sunt, etiam illa quæ scripta non sunt, annuntiasse monstratur in eo quod dicitur: *Multa quidem et alia exhortans annuntiabat populo.* Et quomodo

A in Evangelio secundum Joannem de Christo refertur: *Quia multa et alia locutus est, quæ non sunt scripta in libro isto, quæ si scriberentur, neque ipsum puto mundum capere potuisse libros, qui scribendi erant* (*Joan.* XXI); sic et in præsenti loco intellige, quod forsitan Lucas, quoniam majora quædam a Joanne annuntiabantur, quam ut deberent litteris credi, voluerit ea nominatim dicere, sed tantum significaverit quod dicta sint: et idcirco dixisse: *Multa quidem et alia exhortans annuntiabat populo.* Miremur quidem Joannem ex his quæ sequuntur, maxime quod inter natos mulierum major Joanne Baptista nemo fuerit (*Matth.* XI), et in tantam opinionem merito virtutis ascenderit, ut a plerisque Christus putaretur; sed aliud multo mirabilius. Herodes

B tetrarcha habebat regiam potestatem, et poterat eum, cum voluisset, occidere (*Marc.* VI): et cum rem fecisset injustam, et contra legem Moysi, ut uxorem fratris sui acciperet, quæ habebat filiam de priori viro, non eum timuit, non accepit personam, non cogitavit, ut dixi, regiam potestatem, non formidavit interitum; sciebat enim, etiamsi **331-332** propheta non esset, quod lacessitus eum posset occidere. Hæc igitur universa cum nosset, libertate prophetica corripuit Herodem, et incestas nuptias arguit, et ob id clausus in carcere, non de morte sollicitus, non de incerto judicii, sed in vinculis de Christo, quem annuntiaverat, cogitabat. Et quia ipse ad eum ire non poterat, mittit discipulos suos sciscitantes: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Animadver-

C tis, quod et in carcere docuerit, videns eum et in illo loco discipulos habere, et quam ob causam ibidem per se erudiebat. Inter quæ etiam cum de Jesu orta esset quæstio, mittit ex discipulis et interrogat: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Revertuntur discipuli, et nuntiant magistro, quæ Salvator jusserat nuntiari: cujus verbis Joannes armatus ad prælium, confidenter emoritur, et libenter capite truncatur, ipsa vox Domini voce firmatus, verum esse Dei filium quem credebat. Hæc de Joanne et libertate ejus, et Herodis insania, qui super multa scelera etiam hoc addidit, ut Joannem primum carcere clauderet, et postea decollaret. Quia vero Dominus baptizatus est, *et cœli aperti sunt, et Spiritus sanctus descendit super eum, voxque de cœlis intonuit*

D *dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* XVII): dicendum est in baptismo Jesu, cœlum esse reseratum, et ad dispensationem remissionemque peccatorum, non illius, *qui peccatum non fecerat, neque inventus est dolus in ore ejus* (*Ephes.* IV), sed totius mundi apertos esse cœlos, et Spiritum sanctum descendisse: ut postquam Dominus ascendisset in excelsum, et captivam duxisset captivitatem, tribueret nobis Spiritum, qui ad se venerat: quem quidem dederat, et resurrectionis tempore dicens: *Accipite Spiritum sanctum. Si cui dimiseritis peccata, dimittentur eis: si cui tenueritis, tenebuntur* (*Joan.* XX). Descendit enim Spiritus sanctus super Salvatorem in specie columbæ

avis mansuetæ, innocentis et simplicis. Unde et nobis præcipitur, ut imitemur innocentiam columbarum. Talis est Spiritus sanctus, mundus, et volucris, et sublime consurgens. Quamobrem orantes dicimus : *Quis dabit mihi pennas ut columbæ, et requiescam* (*Ps.* LV) ? id est, quis dabit mihi pennas Spiritus sancti ? Et in alio loco sermo propheticus pollicetur : *Si dormieritis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ : et posteriora dorsi ejus in virore auri* (*Ps.* LXVIII). Si enim inter medios cleros veteris et novi Testamenti requieverimus, dabuntur nobis pennæ columbæ deargentatæ, id est, sermones Dei, et posteriora ejus auri fulgore et virore radiantia, ut sensus noster Spiritus sancti sensibus compleatur, id est, sermo et mens illius compleatur adventu, et nec loquamur aliquid, nec intelligamus, nisi quod ille suggesserit; sed omnis sanctificatio, tam in corde, quam in verbis, et in opere, a sancto Spiritu veniat in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA XXVIII.

De Genealogia Salvatoris, eo quod in Matthæo et in Luca diversi ejus referantur auctores. Cap. III.

Dominus noster atque Salvator, qui multorum Salvator, cujus generationem Scriptura non docuit, quæ melior fuit, nunc secundum patrum ordinem natus esse describitur. Et cum divinitas ejus non subjaceat exordio, propter te, qui ortus in carne es, nasci voluit, et tamen non æque ab Evangelistis nativitatis ejus ordo narratur : quæ res nonnullos plurimum conturbavit. Matthæus enim incipiens nativitatis illius seriem texere, ab Abraham usque ad id pervenit ut diceret : *Christi autem Jesu generatio sic erat :* et describit non eum qui baptizatus est, sed qui venit in mundum. Lucas vero, exponens nativitatem ejus, non a superioribus ad inferiora deducit; sed cum baptizatum ante dixisset, usque ad ipsum pervenit Deum. Nec eædem personæ sunt in generatione ejus, quando descendere dicitur, et quando conscendere **333-334**. Qui enim fecit eum cœlis tibi descendentem, mulieres non quaslibet, sed peccatrices, et quas Scriptura reprehenderat, introducit : qui vero baptizatum narrat, nullius facit mulieris mentionem. In Matthæo enim (*Cap.* I), ut diximus, nominatur Thamar, quæ cum socero fraude concubuit, et Ruth Moabitis nec de genere Israel : et Raab, quæ unde sumpta sit, scire nequeo : et conjux Uriæ, quæ violavit mariti torum. Quia enim Dominus noster atque Salvator ad hoc venerat, ut hominum peccata susciperet (I *Cor.* V), et eum qui non fecerat peccatum, pro nobis peccatum fecit Deus : propterea descendens in mundum, assumpsit peccatorum hominum vitiosorumque personam, et nasci voluit de stirpe Salomonis, cujus peccata conscripta, et Roboam, cujus delicta feruntur, et de cæteris, e quibus multi fecerunt malum in conspectu Dei. Quando vero de lavacro conscendit, et secundus ordo esse describitur, non per Salomonem, sed per Nathan nascitur, qui ejus arguit patrem super Uriæ morte ortuque Salomonis. Sed in Matthæo semper generationis nomen adjungitur : hic vero penitus siletur : Scriptum est enim ibi : *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, Jacob genuit Judam et fratres ejus, Judas genuit Phares et Zaram de Thamar*, et usque ad finem, *genuit*, semper apponitur. In Luca vero, ubi de lavacro conscendit Jesus, filius dicitur : *Sicut putabatur filius Joseph :* et in tam multa serie nominum, excepto quod *putabatur filius Joseph*, generationis nomen ascriptum non est. In Matthæo non est scriptum, *incipiebat :* hic vero, quia de baptismate conscensurus erat, *incipiebat* legitur, Scriptura referente : *Et ipse erat Jesus incipiens*. Quando enim baptizatus est, et mysterium secundæ generationis assumpsit, ut tu quoque priorem nativitatem destruas, et in secunda regeneratione nascaris, tunc dicitur incepisse. Et quomodo populus Judæorum, quando erat in Ægypto, non habebat initium mensium : quando vero egressus ex Ægypto, tunc [*Al.* nunc] dicitur ad eum : *Mensis iste initium mensium primus erit vobis de mensibus anni* (*Exod.* XII) : sic qui necdum est baptizatus, nec cœpisse narratur. Nec enim frustra additum putemus ad id quod dicitur : *Ipse erat Jesus*, quod sequitur, *incipiens*. Sed et quod ait : *Quasi annorum triginta*, considerandum, Joseph triginta annorum erat, quando dimissus e vinculis, et interpretatus somnium Pharaonis, Ægypti effectus est princeps, ubertatisque tempore triticum congregavit, ut famis tempore haberet quod distribueret. Ego puto quod triginta anni Joseph, in triginta annorum præcesserint Salvatoris. Iste enim Joseph non tale triticum congregavit, quale in Ægypto ille Joseph, sed triticum verum, atque cœleste, ut tempore ubertatis tritico congregato haberet quod distribueret, cum fames esset missa in Ægyptum, *non fames panis, neque sitis aquæ, sed fames audiendi sermonem Dei*. Congregat de prophetis, de lege, de apostolis, verba abundantiæ : unde quando jam non scribuntur libri, nec novum aliquod conficitur instrumentum, nec mittuntur ab apostolis ea quæ ab Jesu in horrea apostolorum fuerant comportata, hoc est in animas eorum, omniumque sanctorum, distribuat et nutriat Ægyptum fame periclitantem, maximeque fratres, de quibus scribitur : *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ cantabo te* (*Psal.* XXI). Habent et alii homines verba patientiæ : verbaque judicii et reliquarum verba virtutum : hoc est triticum quod Joseph Ægyptiis distribuit. Sed aliud est frumentum quod fratribus, id est, discipulis suis distribuit de Jessem terra, de ea quæ ad orientem respicit, triticum evangelicum, triticum apostolicum. De hoc tritico debemus panes facere, ita tamen ut non commisceatur veteri fermento, habeamusque panem novum de Scripturarum tritico, farinamque commolitum in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

335-336 **HOMILIA XXIX.**

De eo quod scriptum est : *Jesus autem plenus Spiritu sancto reversus est*; et de tentatione ejus prima. Cap. IV.

Quando legis in Evangelio, *Jesus autem plenus Spiritu sancto reversus est*, et in Actibus apostolorum ubi dicitur, quod repleti fuerint Spiritu sancto (*Act.* II), vide ne æquales putes esse apostolos Salvatori : sed et Jesum, apostolos, et alium quemlibet sanctorum plenos Spiritu sancto cognosce secundum mensuram vasculi sui : et quomodo, verbi gratia, si volueris dicere, hæc vasa plena sunt vino vel oleo, non statim judicas quod æquali mensura plena sint (siquidem aliud sextarium capere potest, aliud urnam, aliud amphoram), eodem modo et Jesus et Paulus pleni erant Spiritu sancto : sed multo vas B Pauli minus erat vase Jesu, et tamen erat secundum mensuram suam utrumque completum. Accepto itaque baptismo, Salvator plenus Spiritu sancto, qui super eum in specie columbæ de cœlis venerat, ducebatur a spiritu. *Quia enim quotquot Spiritu Dei ducuntur, hi filii sunt Dei* (*Rom.* VIII); iste autem extra omnes proprie Filius Dei erat, ideo et ipsum oportebat Spiritu sancto duci. Siquidem scriptum est : *Ducebatur autem in desertum a spiritu* (*Matth.* IV). Quadraginta diebus tentatur Jesus, et quæ fuerint tentamenta nescimus : quæ ideo forsitan prætermissa sunt, quia majora erant quam ut litteris crederentur. Etsi sic oportet dicere, sicut mundus capere non poterat omnes libros, si scripta fuissent quæ fecit et docuit Jesus : sic quadraginta dierum tentationes quibus tentatus est Dominus a diabolo, mun- C dus ferre non poterat, si Scriptura docuisset. Sufficit nobis hoc tantum scire, quod quadraginta diebus in deserto fuerit, et tentabatur a diabolo, et non comederit quicquam in diebus illis. Mortificabat enim sensum carnis jugi continuoque jejunio : et cum completi fuissent dies, esuriit. *Dixit autem ei diabolus : Si Filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat. Dic*, inquit, *lapidi huic*. Cui lapidi? utique monstrabat diabolus quem vult panem fieri. Quænam est ista tentatio, ut rogato Patre a Filio panem, nec lapidem, quod ne ipse quidem adversarius voluit, versipellis fallax, det lapidem pro pane? hoc est enim quod diabolus voluit, ut lapis panis fieret : et non potius, ut non in panem lapidem, sed hominem D in lapidem verteret, quem diabolus pro pane monstraverat? Ego puto quod usque hodie lapidem diabolus ostendat et hortetur singulos ad loquendum : *Dic ut lapis iste, panis fiat*. Omni tentatione qua tentandi erant homines, primus secundum assumptionem carnis tentatus est Dominus. Tentatur autem ob id, ut nos quoque, illo vincente, vincamus. Ob- A scurum fit forte quod dico, nisi manifestius exemplo fiat. Si videris hæreticos dogmatum suorum mendacium pro pane comedere, scito lapidem eorum esse sermonem, quem monstrat diabolus. Neque vero existimes unum eum habere lapidem; habet plures lapides, de quibus a Matthæo introducitur loquens : *Dic ut lapides isti panes fiant*. Dixit et Marcion, et lapis diaboli ei factus est panis. Dixit Valentinus, et alius lapis ei est versus in panem. Habuit et Basilides ejusmodi, et cæteri hæretici. Unde sollicite providendum, ne forte diaboli lapidem comedentes, putemus pane vesci Dei. Alioquin quæ erat tentatio de lapide panem fieri, et a Salvatore comedi? Fingamus enim quod, diabolo proponente, Dominus lapidem in panem verterit [*Al.* vertit], et id quod virtute sua ipse fecerat comederit, et satiarit esuriem : quænam esset ista tentatio, quæ victoria diaboli, si hæc simpliciter scriberentur? Quæ ut diximus ratione perspecta et tentationem ostendunt fuisse si fierent, et victoriam, quod contempta sunt fieri. Simulque monstratur istum panem qui de lapide fiat, non esse verbum Dei, quod pascit hominem, de quo scriptum est : *Non in pane solo vivit homo, sed in omni verbo quod egredietur per os Dei, vivet homo*. Respondebo tibi, o versipellis et nequam, qui me 337-338 tentare non metuis : alius est panis, sermo Dei qui vivificat hominem. Simulque videamus quod hæc loquatur non Filius Dei, sed homo, quem Filius Dei dignatus est assumere, quasi de homine enim respondet, et dicit : *Scriptum est, non in pane solo vivit homo* (*Matt.* IV); ex quo manifestum, non Deum, sed hominem fuisse tentatum. Scripturæ sensum diligenter eventilans, reor invenire me causam, quare Joannes tentationem Domini non descripserit; sed tantum Matthæus, Lucas, et Marcus. Joannes enim qui a Deo exordium fecerat dicens : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I) : nec poterat divinæ generationis ordinem texere, sed tantummodo quod ex Deo et cum Deo esset expresserat, adjecit : *Et Verbum caro factum est*. Porro quia Deus tentari non potest, de quo ei erat sermo : ideo tentari illum a diabolo non introducit. Quia vero liber generationis Jesu Christi de eo in Matthæi Evangelio narratur, et in Luca generatio ejus describitur, et in Marco homo est qui tentatur, propterea ejus fertur simile responsum : *non in pane solo vivit homo*. Si igitur Filius Dei Deus pro te homo factus est, et tentatur : qui natura homo es, non debes indignari si forte tentaris. Quod si tentatus, illum imitatus fueris qui pro te tentatus est, et omne viceris tentamentum, habebis spem cum eo qui tunc homo fuit, nunc autem [a] homo esse cessavit. Nam si qui quondam homo erat, postquam

[a] Id quidem objectum Origeni est, teste Pamphilo in Apologia, quod putarit, Salvatorem *non in carne sedere ad dextram Patris, sed exspoliasse carnem, et posuisse in sole*; adductum nempe ex illo decimi octavi psalmi versiculo, *In sole posuit tabernaculum suum*. Ac fuisse olim dicitur fere simile Marcelli Ancyrani deliramentum, scilicet rejectum iri carnem a Christo post resurrectionem, futurumque adeo ut homo et rex esse desinat. Verum alia hic est Origenis ratiocinatio; quod enim ait, hominem esse Christum desiisse, revera non hominem, sed mortalem permanere negat, et non carnem a Salvatore exutam; sed, quæ semel est humanitatis conditio, mortem significat superatam. Itaque colligit : *Qui nequaquam*

tentatus est, et recessit ab eo diabolus usque ad tempus mortis, a mortuis resurgens ultra non morietur : omnis autem homo morti subjacet : iste ergo qui nequaquam moritur, jam non est homo, sed Deus est. Si autem Deus est qui quondam homo fuit, et oportet te illi similem fieri, *Quando similes ejus fuerimus, et viderimus eum sicuti est*, te quoque necesse erit Deum fieri, in Christo Jesu. Cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXX.

Tentatio Salvatoris secunda. Cap. IV.

Tam Filio Dei, quam Antichristo regnandi studium est. Sed et Antichristus regnare desiderat, ut occidat quos sibi subjecerit; Christus ad hoc regnat ut salvet. Et unusquisque nostrum, si felix est, regnatur a Christo, sermone, sapientia, justitia, veritate. Si autem amatores voluptatis sumus magis quam amatores Dei, regnamur a peccato, de quo Apostolus loquitur : *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore* (*Rom.* VI). Duo igitur reges certatim regnare festinant : peccati rex peccatoribus diabolus, justitiæ rex justis Christus. Sciensque diabolus ad hoc venisse Christum, ut regnum illius tolleret, et hi qui sub eo erant, inciperent esse sub Christo : ostendit ei omnia regna mundi, et hominum hujus sæculi, quomodo alii regnentur a fornicatione, alii ab avaritia, illi populari rapiantur aura [*Al.* aura], hi formæ capiantur illecebris. Neque vero arbitrandum est, quod regna ei mundi ostendens, Persarum, verbi gratia, regnum Indorumque monstraverit; sed ostendat ei omnia regna mundi, id est, regnum suum quomodo regnaret in mundo, ut cohortans eum facere quod volebat, inciperet etiam Christum habere subjectum. Vis, inquit, in hominibus his regnare? Ostendit innumerabiles hominum multitudines, quæ suo tenebantur imperio. Et revera si miseriam **339-340** et infelicitatem nostram simpliciter volumus confiteri, pene totius mundi rex diabolus est : unde et princeps istius sæculi a Salvatore vocatur. Quod ergo dicit : Vides hos homines qui sub meo regno sunt, ostendit ei in puncto temporis, hoc est, in præsenti temporum cursu, qui ad comparationem æternitatis puncti instar obtinet. Neque enim necessarium habuit Salvator, ut ei dignitates sæculi istius et negotia monstrarentur : statim ut aciem luminum suorum ad contemplandum vertit, et peccata regnantia, et eos qui regnarentur a vitiis conspexit, et ipsum principem sæculi diabolum supervenientem, atque gaudentem in propriam perniciem, quia tantos sub suo habebat imperio. Dicit ergo ad Dominum diabolus : Ideo venisti, ut adversus me dimices, et tollas de imperio meo quos nunc subjectos habeo? Nolo contendas, nolo nitaris, ne habeas ullam in certando molestiam. Unum est quod precor : procidens adora A me, et accipe regnum omne quod teneo. Verum Dominus noster atque Salvator vult quidem regnare, et omnes gentes subjectas esse ut serviant justitiæ, veritati, cæterisque virtutibus; sed vult regnare quasi justitia, ut absque labore regnet, ut nihil faciat indecorum, et non vult absque labore subjectus diabolo coronari, nec sic regnare cæteris, ut ipse regnetur a diabolo. Unde loquitur ad eum Jesus : *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, et ipsi soli servies* (*Matth.* IV). Hos, inquit, omnes propterea volo mihi esse subjectos, ut Dominum Deum adorent, et ipsi soli serviant. Hæc est cupido regni mei. Tu autem a me vis accipere peccata, quæ dissoluturus veni, quæ etiam a cæteris auferre desidero. Scito atque cognosce me in hoc manere quod dixi, ut adoB retur Dominus Deus solus, et hos omnes sub meam faciam potestatem, meoque regno subjiciam : cui gaudeamus nos quoque esse subjectos, et deprecemur Dominum, ut regnans peccatum in corpore nostro mortificet, et regnet nobis solus Christus Jesus, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXI.

De tertia tentatione Salvatoris. Cap. IV.

Scrutamini Scripturas, ut et in his quæ putantur esse simplicia, reperiatis non minima sacramenta. Scrutemur principium Evangelicæ lectionis, quotquot hodie audivimus, et id quod latebat, procedit in medium. *Adduxit autem diabolus Jesum in Jerusalem*. Hoc incredibile est, ut diabolus duceret Filium C Dei, et ille sequeretur. Sequebatur plane quasi athleta ad tentationem, sponte proficiscens. Non formidabat tentantem, neque insidias callidissimi pertimescebat inimici, et quodammodo loquebatur : Duc quo vis, tenta ut placet. Ad tentandum sponte me tribuo, sustineo quæ suggesseris. Præbeo me in quibuscumque tentaveris, invenies me in omnibus fortiorem. *Adduxit ergo eum in Jerusalem, et posuit super pinnam templi, et dixit : Si Filius Dei es, mitte te deorsum*. Adduxit eum in culmen ad summitatem templi, et hortatur, ut se inde præcipitet. Quod cum ille fraudulenter proponeret, et sub ostentatione gloriæ niteretur, dicebat Salvator : *Scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum*. Simulque considera quomodo tentet diabolus. Non aliunde tentare D audet, nisi de divinis libris et de psalmis sumens testimonium, ait : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum; scriptum est enim : Quia angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*. Unde tibi, diabole, hoc scire quod ista scripta sunt? Numquid legisti prophetas, vel divina eloquia cognovisti? Licet tu taceas, ego pro te respondebo. Legisti non ut ipse ex lectione sanctorum melior fieres, sed ut simplicitate eos qui amici sunt litteræ, interficias. Scis quia si de aliis ei volumini-

moritur, *jam non est homo, sed Deus :* Sed morti amplius non est Christus obnoxius : Christus igitur homo esse desivit. Ejus tota est quæstio nominis, quod nequaquam sub hominis appellatione censeri eum velit, qui morti non subjacet : et cum bene de re ipsa sentiat, sola fortassis culpanda sit affectata subtilitas.

bus loqui volueris, non decipies neque habere poterunt auctoritatem assertiones tuæ. Sic legit Scripturas **341-342** Marcion ut diabolus, sic Basilides, sic Valentinus, ut cum diabolo dicerent Salvatori : *Scriptum est, quia Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum* (*Matth.* IV). Si quando testimonium de Scriptura audieris, vide ne statim loquenti acquiescas, sed considera illum cujus sit, ac cujus sententiæ, cujus sit voluntatis : ne forte simulet sanctum se esse quomodo non est, et venenis infectus hæreseos, sub ovis pelle lupus latitet, ne forte loquatur in eo diabolus de Scripturis. Quomodo autem diabolus per occasionem temporum de Scripturis loquitur : sic econtrario Paulus pro utilitate eorum qui audiunt, non solum de Scripturis, sed etiam de [a] sæcularibus libris assumit testimonium, et ait : *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri* (*Tit.* I, 12). Et rursum de alio : *Ipsius enim et genus sumus* (*Act.* XVII, 28). Necnon et de Comico : *Corrumpunt mores bonos colloquia mala* (I *Cor.* XV). Sed neque diabolus si de Scripturis locutus fuerit, poterit me hac occasione decipere : neque Paulus, si de gentilibus litteris aliquod exemplum sumpserit, quoquo modo me eloquio deterrebit. Ideo enim assumpsit Paulus verba etiam de his quæ foris sunt, ut sanctificet ea. Videamus ergo quod de Scripturis diabolus loquatur ad Dominum. *Scriptum est enim : Angelis suis mandavit ad te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Vide quomodo et in ipsis testimoniis versipellis est. Vult enim imminuere gloriam Salvatoris : quasi angelorum indigeat auxilio, offensurus pedem, nisi eorum manibus sublevetur. Assumit testimonium, et interpretatur illud de Christo, quod non de Christo, sed de sanctis generaliter scriptum est. Libere quippe et tota confidentia contradico diabolo, super Christi persona hoc non posse intelligi. Neque enim indiget Angelorum auxilio, *qui major Angelis, et melius ipsis hæreditatem consecutus et nomen. Nulli angelorum umquam dixit Deus : Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Hebr.* I). Ad nullum eorum quasi ad filium locutus : *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem* (*Psal.* II) ; sed ad Filium proprie suum, de quo innumerabilia loquitur in prophetis. Non indiget, inquam, angelorum auxilio Filius Dei. Quin potius disce, diabole, quod nisi Jesus adjuverit angelos, [b] offendent pedem suum. Et si quis angelorum visus est offendere, de quibus dudum lectum est, quia angelos judicabimus : ideo offendit, quia non extendit manum suam ad Jesum, ut apprehensus ab eo non offenderet. Quoniam enim in propria virtute confidens, non invocas præsidium Jesu, offendis, et credere in Jesum Christum Filium Dei noluisti. Ut autem scias quod male interpretatus es, et A non de Christo, sed de sanctis intelligi quæ sequantur, ausculta. A ruina et dæmonio meridiano non Jesum Christum liberat Deus, sed sanctos. Lege nonagesimum psalmum, cujus principium : *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur*, et invenies hæc magis justo viro, quam Dei Filio convenire : *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis ; ad te autem non appropinquabit, verumtamen oculis tuis videbis, et retributionem aspicies peccatorum*, et reliqua, super personam justi interpretans. Sed et sic quoque perverse afferens diabolus testimonia, ut assereret super Salvatore intelligi, silet et transit versiculos qui contra se scripti sunt. Cum enim dixisset : *angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad* B *lapidem pedem tuum*, tacuit illud quod sequitur : *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem*. Quare, diabole, siles, nisi quod tu es basiliscus, tu es omnium serpentium regulus, nocentiora habens venena quam cæteri ? Qui statim ut videris aliquem, interficis, et aliam fortitudinem contrariam sociam tui assumis, quæ aspis appellatur, et viro justo subjecta est, et idcirco omnia taces. Tu es draco, tu es leo, de quibus scribitur : *Super aspidem et basiliscum calcabis, et conculcabis leonem et draconem.* Sed licet tu taceas, nos qui scripturas rectius legimus, scimus habere [c] nos potestatem conculcandi te, et datam nobis hanc ditionem, non solum in veteri Testamento sicut nunc cantatur in psalmo, sed etiam in novo, Salvatore dicente : C **343-344** *Ecce do vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebunt* (*Luc.* X). Sumamus arma tanta potestate firmati, et universa faciamus : ut per conversationem nostram leonem conculcemus et draconem. Porro ut scias quomodo conculcetur leo et conteratur draco, Pauli Epistolam lege, in qua asserit conculcari peccatores Filio Dei. Sicut ergo qui peccator est conculcatur Filio Dei : sic econtrario qui justus est conculcat leonem et draconem, et omnem virtutem inimici conculcat in nomine Jesu Christi, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXII.

D De eo quod scriptum est : Reversus est Jesus in virtute spiritus, usque ad eum locum, ubi ait : *Et omnium oculi erant in synagoga intendentes in eum.* Cap. IV.

Primum quidem Jesus plenus Spiritu sancto reversus est a Jordane, et agebatur in spiritu in deserto diebus quadraginta. Cum tentaretur a diabolo, quia adhuc vi certaturus erat adversus eum, et semel, et bis, non cum additamento aliquo *spiritus* ponitur. Quando vero tres tentationes quas Scriptura commemorat, pugnando superavit, quid

[a] Luculentissimam Hieronymi hac de re dissertionem lege sis epist. 70, ad Magnum, num. 2.

[b] Recole quæ superius ad homilias 10 et 23 de hac diximus Origenis opinatione.

[c] Antea falso legebatur *vos*. Hujusmodi manifesta menda non semel infra, lectore nec admonito, castigantur.

de spiritu signanter cauteque ponatur, ait : *Et reversus est Jesus in virtute spiritus*. Virtus addita est, quia conculcaverat draconem, et tentatorem cominus vicerat. Reversus est ergo Jesus in virtute spiritus in Galilæam terram, et fama exiit per omnem regionem de eo : ipse docebat in synagogis eorum, et glorificabatur ab omnibus. Cave ne beatos illos tantum judices, et te arbitreris primum esse doctrina. Si vera sunt quæ scripta sunt, non solum tunc in congregationibus Judæorum, sed et hodie in hac congregatione Dominus loquitur : et non solum in hac, sed etiam in alio cœtu, et in toto orbe docet Jesus, quærens organa per quæ doceat. Orate, ut me quoque compositum, ad canendum, aptumque reperiat. Sicut enim quærit omnipotens Deus prophetas eo tempore quo prophetia mortales indigent, et invenit, verbigratia Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, Danielem : sic quærit Deus organa per quæ doceat sermonem suum, vel erudiat populos in synagogis eorum, et glorificetur ab omnibus. Nunc magis glorificatur ab omnibus Jesus, quam illo tempore quo tantum in una provincia cognoscebatur. *Deinde venit Nazareth ubi nutritus fuerat, et ingressus juxta morem in synagogam die sabbatorum, surrexit legere, et datus est ei liber prophetæ Isaiæ, et revolvens librum et locum ubi erat scriptum : Spiritus Domini super me, propter quod unxit me* (*Matt.* x). Non fortuitu revolvit librum, et apud se vaticinans reperit lectionem, sed et hoc providentiæ Dei fuit. Sicut enim scriptum est : *In laqueum non cadit passer sine voluntate Patris*. Et quia *capilli capitis* apostolorum *omnes numerati sunt* ; sic forsitan et hoc quod Isaiæ potissimum liber inventus est ; et lectio non alia, sed hæc quæ Christi mysterium loquebatur : *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me* (*Isai.* xv), Christus est enim qui ista commemorat, non ut libet et casu venisse arbitrandum est, sed providentia, et dispensatione Dei. Quæ sunt igitur quæ in propheta loquebatur, et postea de se ipse in synagoga personet contemplemur. *Evangelizare* (ait) *pauperibus misit me*. Pauperes, nationes significant. Isti enim erant pauperes, nihil omnino possidentes, non Deum, non Legem, non Prophetas, non justitiam, reliquasque virtutes. Ob quam causam misit eum Deus, ut pauperibus nuntiaret : *Prædicare captivis remissionem*. Captivi nos fuimus, quos tantis annis vinxerat Satanas, habens captivos, sibique subjectos. Venit Jesus prædicare captivis remissionem, et cæcis ut viderent. Sermone quippe, et prædicatione doctrinæ ejus, cæci vident. Prædicatio ergo remissionis intelligatur non solum super captivis, sed etiam super cæcis.
245-246 *Emittere confractos in libertatem*. Quid ita fractum, atque collisum fuit, ut homo qui a Jesu dimissus est et sanatus? *Prædicare annum Domini acceptum*. Juxta simplicem intelligentiam aiunt, uno anno Salvatorem in Judæa Evangelium prædicasse, et hoc esse quod dicitur : *Prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis* : nisi forte quidam sacramenti in prædicatione anni Domini divinus sermo significat. Futuri sunt enim alii dies, non tales quales nunc in mundo cernimus, et menses alii, et kalendarum ordo diversus. Sicut igitur ista alia, sic annus Domini futurus est placens. Ista autem omnia prædicta sunt, ut post visionem ex cæcitate, post libertatem ex vinculis, post sanitatem a diversis vulneribus, veniamus ad annum Domini acceptum. *Cum enim hæc legisset Jesus, involvens librum reddidit ministro, et sedit, et omnium oculi erant in synagoga attendentes in eum*. Et nunc si vultis, in hac synagoga cœtuque possunt oculi vestri attendere in Salvatorem. Cum enim principalem cordis tui direxeris aciem ad sapientiam, et veritatem, Deique Unigenitum contemplandum, oculi tui intuentur Jesum. Beata congregatio, de qua Scriptura testatur, quod omnium oculi erant attendentes in eum. Quam vellem istum cœtum simile habere testimonium, ut omnium oculi, et catechumenorum et fidelium, et mulierum et virorum, et infantium non corporis oculi, sed animæ aspicerent Jesum. Cum enim respexeritis ad eum, de lumine ejus et intuitu clariores vestri vultus erunt, et dicere poteritis : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* iv). Cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIII.

De eo quod scriptum est : *Utique dicitis mihi parabolam istam*, et cætera, usque ad eum locum ubi ait : *Sed nullus eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus*.

In Capharnaum, quantum ad lucem historiæ pertinet, necdum moratus est Jesus, nec aliquod in ea signum fecisse describitur, quippe in qua non fuit. Porro antequam veniret in Capharnaum, in patria sua, hoc est, in Nazareth fuisse signatur. *Utique dicitis mihi parabolam istam : Medice, cura teipsum. Quæcumque audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua*. Unde puto aliquid in sermone præsenti latitare mysterii, et Nazareth in typo Judæorum, Capharnaum in typo præcessisse gentilium (*Rom.* xi). Sciens itaque Jesus quod non haberet in patria sua honorem, nec ipse, nec propheta, nec apostoli, noluit ibi prædicare, sed prædicavit in gentibus, ne sibi a patriæ suæ hominibus diceretur : *Utique dicitis mihi parabolam istam : Medice, cura teipsum*. Erit enim tempus quando dicturus sit populus Judæorum : Quæcumque audivi facta in Capharnaum apud gentes signa atque portenta, fac et apud nos in patria tua. Quæ ostendisti universo orbi, ostende et nobis. Prædica sermonem tuum populo Israel ; ut saltem cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus fiat (*Rom.* xi). Quamobrem mihi videtur consequenti ordine Nazarænis interrogantibus respondisse Salvator : *Nemo propheta acceptus est in patria sua*. Et puto plus juxta sacramentum, quam juxta litteram verum esse quod dicitur, licet Jeremias in Anatoth patria sua non fuerit acceptus (*Jerem.* i), et Isaias, quæcumque fuit patria illius, et reliqui prophetæ ; sed magis mihi videtur sic intelligi, ut dicamus patriam fuisse omnium prophetarum, popu-

lum circumcisionis, et hanc non recepisse prophetas, et eorum vaticinia: porro nationes quæ longe fuerant a prophetis, et eorum notitiam non habebant, suscepisse vaticinium Jesu Christi. Nemo est ergo propheta acceptus in patria sua, hoc est in populo Judæorum. Nos autem qui eramus alieni a testamento et peregrini a promissionibus (*Ephes.* II), toto prophetas corde suscepimus, magisque habemus Moysen et prophetas de Christo **347-348** prædicantes, quam illi qui ex eo quod non susceperunt Jesum, nec illos susceperunt qui de illo annuntiaverunt. Unde ad id quod dixerat: *Nemo propheta acceptus in patria sua:* et aliud adjungit: *In veritate enim dico vobis, quia multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus, et mensibus sex.* Quod dicit tale est: Elias propheta erat, sed erat in populo Judæorum. Sed quando mirabile quid facturus erat cum essent plures viduæ in Israel, reliquit eas, et venit ad viduam in Sareptam Sidoniæ, ad gentilem mulierculam, figuram futuræ rei explicans, quia occupante fame non panis, neque siti aquæ, sed fame audiendi sermonem Dei, venit ad viduam, de qua et propheta testatur dicens: *Multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum* (*Isai.* LIV). Et cum venisset, panem illius et alimenta multiplicat. Tu eras vidua in Sarepta Sidoniæ, e cujus finibus Chananæa mulier egreditur, et cupit sanari filiam suam, et propter fidem meruit accipere quod petebat. Multæ ergo viduæ erant in populo Israel, sed ad nullam earum missus est Elias, nisi in Sareptis ad mulierem viduam. Sed et aliud ad eumdem sensum pertinens loquitur: *Multi erant leprosi in Israel in diebus Elisæi prophetæ, et nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus,* qui utique non erat ex Israel. Considera usque ad præsentem diem multos leprosos in Israel secundum carnem, vide econtrario lepræ squalore perfusos, [a] atque spiritali Elisæo Domino nostro et Salvatore, te autem purgari baptismi sacramento, et dici ad te: *Surge et vade in Jordanem, et lavare, et restituetur tibi caro tua* (IV *Reg.* V). Surrexit Naaman et abiit, et locutus implevit mysterium baptismi, et facta est caro ejus quasi caro pueri, qui in lavacro regenerationis ortus fuerit in Christo Jesu. Cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIV [b].

De eo quod scriptum est: *Magister, quid boni faciens vitam æternam possidebo?* usque ad eum locum ubi ait: *Vade et tu fac similiter.*

Cum multa in lege præcepta sint, hæc tantum Salvator in Evangelio posuit quæ quodam compendio A ad æterna obedientes ducerent. Ad id enim respicit quod legis doctor interrogaverat eum dicens: *Magister, quid faciens vitam æternam possidebo?* quæ lectio secundum Lucam hodie vobis recitata est: respondit: *In Lege quid scriptum est? Quomodo legis? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota virtute tua, et ex tota mente tua, et proximum tuum tamquam teipsum.* Ac deinde. *Bene,* ait, *respondisti: hoc fac, et vives.* Haud dubium quin sempiternam vitam hoc faciendo accepturus sis, de qua et legis doctor interrogaverat. Simulque perspicue docemur in legis præcepto, ut diligamus Deum. In Deuteronomio scriptum est: *Audi,* inquit, *Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Et diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua,* et reliqua, B *et proximum tuum quasi teipsum* (*Deut.* VI). Et Salvator super his testatus est dicens: *In his duobus mandatis tota Lex pendet et Prophetæ* (*Matt.* XXII). Volente autem doctore legis justificare semetipsum, et ostendere quod nemo sibi esset proximus, atque dicente: *Quis est proximus meus?* intulit Dominus parabolam, cujus exordium est: *Homo quidam descendebat de Jerusalem in Jericho* (*Luc.* X), et reliqua: et docet nullius fuisse proximum descendentem, nisi illius qui voluerit custodire præcepta, et præparare se, ut sit proximus **349-350** omni homini qui auxilio indiget. Hoc enim est quod post parabolam in fine ponitur. Quis de his tribus videtur tibi proximus esse ejus qui in latrones incidit? Nec enim sacerdos, nec Levites proximi ejus fuerunt: C sed, ut ipse quoque legis doctor respondit, ille qui fecit misericordiam, proximus ejus fuit. Unde et a Salvatore dicitur, *Vade, et tu fac similiter.* Aiebat quidam de presbyteris volens parabolam interpretari, hominem qui descendit esse Adam; Jerusalem, paradisum; Jericho, mundum; latrones contrarias Fortitudines; sacerdotem, Legem; Levitem, prophetas; Samaritem, Christum; vulnera vero, inobedientiam; animal, corpus Domini; pandochium, [c] id est, stabulum, quod universos volentes introire suscipiat, Ecclesiam interpretari. Porro duos denarios, Patrem et Filium intelligi; stabularium, Ecclesiæ præsidem, cui dispensatio credita est. De eo vero quod Samarites reversurum se esse promittit, secundum Salvatoris figurabat adventum. Hæc cum D rationabiliter pulchreque dicantur, non est tamen existimandum quod ad omnem hominem pertineant. Neque enim omnis homo descendit de Jerusalem in Jericho, nec universi propterea in præsenti sæculo commorantur: licet ille qui missus est, propter perditas oves venerit domus Israel. Homo igitur qui

[a] Aut *absque* legendum est, pro *atque*, sensu utcumque non incommodo, aut certe mutilus verbis aliquot misere detruncatis hic textus est.

[b] Postremæ hæ subsequentes sex homiliæ, cum continuatum in superioribus ordinem non teneant, manifesto se produnt a majori detractas homiliarum, quas Adamantius elucubraverit, numero. Ipse auctor, quod et cl. Huetius animadvertit, tomo XIII, in Joannem plures istis triginta novem, quæ supersunt, abs Hieronymo Latine redditis, a se fuisse adornatas declarat, cum ait, τὰ δὲ περὶ τῶν ἑκατὸν προβάτων ἔχεις εἰς τὰς κατὰ Λουκᾶν ὁμιλίας: *Quæ autem ad centum oves pertinent, ea habes in homilias, quas in Lucam conscripsimus.* Nihil enim tale in his, quæ exstant, Homiliis in Lucam invenias.

[c] Hoc quoque profectum ex Hieron. est calamo, quod *stabulum* Latine sonet, quod in Græc. est πανδοχεῖον.

de Jerusalem descendit in Jericho, quia voluit ipse descendere, propterea in latrones incidit. Latrones autem nulli sunt alii, nisi de quibus Salvator ait: *Omnes qui ante me venerunt, fures fuerunt et latrones* (*Joan.* x). Verumtamen non incidit in fures, sed in multo furibus nequiores latrones, qui descendentem eum de Jerusalem cum incidisset in illos, spoliaverunt et imposuerunt ei plagas. Quæ sunt plagæ? quæ vulnera quibus vulneratus est homo? Vitia atque peccata. Deinde quia latrones qui nudaverant eum, et vulneraverant, non assident nudo, sed plagis rursus impositis relinquunt eum, idcirco scriptum est: *Spoliantes eum, et vulnera apponentes abierunt*, eo non mortuo, sed *seminece*. Factum est autem ut in eadem via primus sacerdos, deinde Levites descenderent, qui forsitan aliis hominibus bona quædam fecerant, non tamen huic, qui descenderat ab Jerusalem in Jericho. Hunc enim vidit sacerdos, puto Lex vidit: Levites, ut reor, sermo propheticus. Et eum vidissent reliquerunt, et transierunt. Servabat quippe seminecem providentia ei qui fortior erat Lege et Prophetis, Samaritano videlicet, qui interpretatur *custos*. Iste est qui non dormitat, neque dormit custodiens Israel: propter seminecem profectus est iste Samaritanus non de Jerusalem in Jericho, sicut sacerdos et Levita descendens: aut si descendit, idcirco descendit, ut salvaret custodiretque morituram. Ad quem locuti sunt Judæi: *Samaritanus es tu, et dæmonium habes* (*Joan.* viii). Qui cum negasset se habere dæmonium, Samaritem negare se noluit. Sciebat enim se custodem. Itaque cum venisset ad seminecem, et vidisset eum in suo sanguine volutari, misertus accessit ad eum ut fieret ejus proximus. Ligavit vulnera, infudit oleum vino mistum, neque dixit quod in propheta legitur: *Non est malagma imponere, neque oleum, neque alligaturas* (*Isai.* i). Iste est Samaritanus, cujus cura et auxilio omnes qui male habent, indigent. Hujus vel maxime Samaritani indigebat auxilio qui de Jerusalem descendens inciderat in latrones, et vulneratus ab eis, semianimis fuerat derelictus. Ut autem scias quod juxta providentiam Dei Samarites iste descenderit ut curaret eum qui inciderat in latrones, manifesto doceberis ex eo quod secum habebat alligaturas, secum oleum, secum vinum. Quæ quidem ego puto, non propter istum unum seminecem, sed propter alios quoque qui ob varias causas fuerant vulnerati, et indigebant alligaturis, et oleo, et vino, secum portasse Samaritem. Habebat oleum de quo scriptum est: *Ut exhilaret faciem in oleo* (*Psal.* ii); haud dubium quin ejus qui curatus fuerat, oleo etiam tumores vulnerum sedarentur. Sed et vino mundat vulnera, asperitatis aliquid admiscens: eumque qui fuerat vulneratus imposuit jumento, id est, proprio corpori, juxta id quod est, hominem dignatus assumere. Iste Samaritanus peccata nostra portat (*Isai.* liii), et pro nobis dolet, portat seminecem, inducit in pandochium, id est, in Ecclesiam, quæ omnes suscipit, et nulli auxilium suum denegat, ad quam cunctos provocat Jesus dicens: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati* **351-352** *estis, et ego reficiam vos* (*Matt.* xi). Et postquam induxit eum, non statim recedit, sed uno die in stabulo cum seminece perseverat, et curat vulnera non solum in die, verum etiam in nocte, reliquam sollicitudinem suam et industriam tribuens. Cumque vellet mane proficisci, de probato argento suo, de probata pecunia sua tollit duos denarios, et onerat stabularium, haud dubium quin angelum Ecclesiæ, cui præcipit ut diligenter curet eum, et ad sanitatem usque perducat, quem pro angustia temporis etiam ipse curaverat. Duo denarii notitia mihi videtur esse Patris et Filii, et scientia sacramenti, quomodo Pater in Filio, et Filius in Patre sit: [a] qui vult, mercedes donantur angelo, ut diligentius curet sibi hominem commendatum, et promittitur ei quidquid de suo in medelam seminecis expenderit, illico esse reddendum. Vere Legis et prophetiæ custos animarum iste vicinior, qui fecit misericordiam ei qui inciderat in latrones, et proximus ejus apparuit non tam sermone quam opere. Quia ergo possibile est juxta illud quod sequitur, imitari nos Christum, et misereri eorum qui inciderant in latrones, accedere ad eos, ligare vulnera, infundere oleum et vinum, imponere super proprium jumentum, et ferre onera ipsorum; propterea ad talia nos cohortans Filius Dei, non tam doctori legis quam nobis quoque omnibus loquitur: *Vade et tu fac similiter*. Quæ si similiter fecerimus, vitam consequemur æternam in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXV.

De eo quod scriptum est: *Quando vadis cum adversario tuo*, et cætera, usque ad eum locum ubi ait: *Et novissimum minutum reddes*.

Nisi esset nobis natura insitum, id quod justum est judicandi, numquam Salvator diceret: *Quare autem, et a vobismetipsis non quod justum est judicatis* (*Luc.* xii)? Verum ne ad probationem hujus sententiæ longius evagemur, maxime cum multa difficiliora huic capitulo subnexa sint, tantum superbos significasse sufficiet. Quin potius animarum nostrarum ad Deum vela pandamus, deprecemurque adventum sermonis ejus, ut interpretetur parabolam de qua scribitur: *Quando vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam, ut liberes te ab eo, ne forte tradat te judici, et judex tradat te exactori, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non inde exies, donec novissimum minutum reddas* (*Ibidem*). Quatuor personas poni video, adversarii, principis, judicis, exactoris, et quia videtur evangelista Matthæus simile quid locutus in eo quod ait: *Esto benevolus adversario tuo dum es in via cum eo*, quæro utrum idem sensus sit, an aliqua sit vicinia, siquidem apud Matthæum una persona

[a] Malim, ut sensus constet, voculas, *qui vult*, induci. Legeris cum De La Rue Origenis Editore *donentur* pro *donantur*, et salva res erit.

prætermissa sit, et alia immutata. Prætermissus est princeps, et pro exactore minister insertus : adversarius vero et judex similiter ab utroque sunt positi. Imus itaque cum adversario nostro ad principem, et oportet nos, dum adhuc in via sumus, fortiter laborare, ut liberemur ab eo. Quoniam ambiguum [a] quippe verbum est, et potest tam ad principem quam adversarium, referri : *Ne forte tradat te*, sive adversarius, sive princeps, *judici, et judex tradat te exactori, et non inde exies, donec novissimum* [b] neutrum reddas : pro quo Matthæus ait : *Donec reddas novissimum quadrantem* (*Matt.* v). Verbum vero *novissimum* uterque scribit : discrepare autem sunt visi, quod hic quadrantem, ille minutum posuit : quædam mihi sunt secretiora tangenda, ut intelligamus alium esse adversarium, alias tres personas, id est, principem, judicem, exactorem. Legimus (si tamen cui placet hujusmodi Scripturam recipere) justitiæ et iniquitatis angelos super Abrahæ salute et interitu disceptantes, dum utræque turmæ suo eum volunt cœtui vindicare. Quod si cui displicet, transeat **353-354** ad volumen quod titulo pastoris scribitur, et inveniet cunctis hominibus [c] duos adesse angelos : malum, qui ad perversa exhortatur, et bonum qui ad optima quæque persuadet. Scribitur alibi, quod assistant homini, sive in bonam, sive in malam partem duplices angeli. De bonis etiam Salvator meminit, dicens : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII). Simul quære utrum parvulorum in Ecclesia semper videant angeli faciem Patris, et aliorum angeli non habeant libertatem vultum Patris attendere : neque enim sperandum est, omnium angelos videre faciem Patris qui in cœlis est. Si fuero de Ecclesia, quamvis minimus sim, habet libertatem angelus meus et fiduciam semper videre faciem Patris mei qui in cœlis est. Si autem forinsecus, nec de illa Ecclesia quæ non habet maculam aut rugam (*Ephes.* v), aut quid istius modi, et ipsa re probor alienus esse a tali congregatione, non habet fiduciam angelus meus respiciendi vultum Patris mei qui in cœlis est. Quam ob causam angeli pro bonis solliciti sunt, scientes quod si nos bene gubernaverint, et ad salutem usque perduxerint, habeant etiam ipsi fiduciam videndi faciem Patris. Quomodo enim si per curam eorum et industriam salus hominibus comparatur, faciem patris semper attendunt : sic si per negligentiam eorum homo corruerit, etiam sui periculi rem esse non nesciunt. Et sicut bonus episcopus, et optimus Ecclesiæ dispensator scit sui meriti esse atque virtutis, si oves gregis sibi crediti fuerint custoditæ,

A ita intellige et de angelis. Ignominia angelo est si homo justus creditus fuerit, et peccaverit : ut econtrario gloria est angelo si creditus sibi saltem minimus in Ecclesia fuerit. Videbunt enim non aliquando, sed semper, faciem Patris qui est in cœlis, cum alii semper non videant. Secundum meritum enim eorum quorum angeli sunt, aut semper, aut numquam, vel parum, vel plus, faciem Dei angeli contemplabuntur. Cujus rei ad liquidum notitiam Deus noverit, et si quis (licet raro) fuerit inventus quem Christus illuxerit. Videamus ergo primum quis sit adversarius cum quo iter faciamus. Semper nobiscum est adversarius. Infelices nos, atque miserabiles. Quotiescumque peccaverimus, adversarius noster exsultat, sciens quoniam habet facultatem B apud principem sæculi hujus, qui se miserat exsultandi et gloriandi, eo quod adversarius, verbi gratia, hujus vel illius, eum fecerit principi sæculi hujus esse subjectum per talia totque peccata, per hoc illudque delictum. Evenit autem interdum, ut si qui fuerit præparatus armatura Dei, et ex omni parte se texerit, conetur quidem adversarius vulnus inferre, sed facultatem non habeat percutiendi. Semper nobiscum adversarius graditur, numquam nos deserit, quærit occasionem insidiarum, si quo modo nos subvertere queat, ut in principali [ἡγεμονικῷ] cordis nostri malam subjiciat cogitationem. *Quando vadis ad principem*. Quisnam iste princeps est? *Quando dividebat Altissimus gentes, quando disseminabat filios Adam, statuit terminos nationum se-* C *cundum numerum angelorum Dei, et facta est portio Domini populus ejus Jacob, funiculus hæreditatis ejus Israel* (*Deut.* x). Igitur principibus, id est, angelis ab exordio terra divisa est. Daniel quippe manifestius quos Moyses angelos nominarat, principes esse testatur, dicens : *Princeps regni Persarum, et princeps regni Græcorum, et Michael princeps gentium.* Et unusquisque nostrum secum habet adversarium cohærentem, cujus opus est ducere nos ad principem, et dicere : O princeps, verbi gratia, regni Persarum, iste qui subter erat tibi, eum ut opus fuerat, custodivi : nullus enim de reliquis principibus ad se potuit transducere, ne ille quidem, qui ad hoc se venisse jactabat, ut de cunctis hæreditatibus Persarum, sive Græcorum, omniumque natio- D num raperet homines, et hæreditate Dei faceret esse subjectos. Christus Dominus noster omnes principes vicit, et terminos eorum transiens, captivos populos ad se transtulit in salutem. Et tu de parte alicujus principis eras : venit Jesus et rapuit te **355-356** de potestate perversa, et Deo Patri ob-

[a] Græcum sacri textus verbum, κατασύρᾳ substituendum hic videatur Latino, *quippe*.

[b] Videtur de industria lectionem illam præferre Græci archetypi, quæ in neutro habet τὸ ἔσχατον : alteri quæ in aliis occurrit exemplaribus, τὸν ἔσχατον.

[c] Diximus supra ad homil. 23 videri Origenem sensisse bonis tantum, sanctisque viris custodem angelum adjungi : hic multo aliter duos cuique hominum assignatos apocryphorum quoque librorum auctoritate contendit : et paulo inferius luculentissime iis etiam qui ab Ecclesia alieni sunt, assignatos pronuntiat custodes angelos, dum eos ait non audere ad cœlestis Patris faciem oculos attollere, et pro hominum sibi subditorum meritis *aut semper, aut numquam, vel parum, vel plus faciem Dei contemplari* posse; quæ exaggeratio, quantum ab orthodoxa sententia abhorreat, nemo non sentit.

talit. Adversarius ergo noster ambulat, ducens nos ad principem suum. Unde ego credens omnia Scripturarum verba habere rationem, non puto frustra judicem [a] apud Græcos, cum articulo positum, qui singularitatis significator est; principem vero sine articulo scriptum esse simpliciter. *Quando vadis cum adversario tuo.* Signanter ait, *tuo*. Neque enim omnes omnium sunt adversarii, sed singuli singulos habent, qui ubique eos sequantur, et sint comites. *Quando vadis cum adversario tuo ad principem.* Non cum articulo principem posuit, ne certum videretur ostendere; sed sine articulo, ut e pluribus unum esse monstraret: quod apud Græcos magis intelligitur. Unusquisque enim nostrum non habet proprium principem. Qui Syrus est, sub Syrorum principe est, et unusquisque sub suo principe gentis est: si tamen hucusque processisse me sufficit, et ab hac disputatione ad aliam transire majorem, ut cæteras quoque gentes etiam commemorem. Unde dicitur: *Videte Israel secundum carnem* (*Num.* XI). Prudenti cœpisse, dixisse est: licet et hoc in populo cœpisse sermonem. Qui te vult, inquit, ducere ad principem suum, et ab alio principe conducere, quando vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam ut libereris ab eo. Nisi omni studio laboraveris, dum adhuc viam carpis, antequam ingrediaris ad principem, priusquam princeps tradat te judici ab adversario præparatum, postea frustra conaberis. Da ergo operam, ut libereris ab eo, sive a principe ad quem te trahit adversarius. Da operam ut habeas sapientiam, justitiam, fortitudinem, atque temperantiam, et tunc complebitur: *Ecce homo, opera ejus ante faciem suam.* Nisi dederis operam, non poteris adversarii pactum infringere, cujus amicitia est in Deum. *Quando vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam.* Latitat in hoc loco nescio quid, et secretum est, *in via da operam.* Salvator ait: *Ego sum via, veritas, et vita* (*Joan.* XIV). Si dederis operam, ut libereris ab adversario, esto in via: et cum steteris in eo qui dicit: *Ego sum via*, stetisse non sufficit, sed da operam ut libereris ab adversario. Nisi dederis operam, ut ab adversario libereris, quæ te sequantur ausculta. Trahit te ad judicem adversarius, sive princeps cum te susceperit ab adversario, trahit te ad judicem. Quam elegans verbum, trahit, ut ostendat quodammodo retractantes et nolentes ad condemnationem trahi et ire compelli? Quis enim homicida concito gradu pergit ad judicem? quis gaudens ad condemnationem suam ire festinat, et non invitus trahitur, ac repugnans. Scit enim se ad hoc ire, ut sententiam mortis accipiat. Ne forte trahat te ad judicem. Quis putas iste judex est? Ego nescio alium judicem nisi Dominum meum Jesum Christum,

A de quo alibi dicitur. Et statuet oves a dextris, hædos autem a sinistris. Et iterum: *Qui confessus fuerit me, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est* (*Matth.* XXV). Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo qui in cœlis est. Trahat te ad judicem, et judex tradat te exactori. Unusquisque nostrum per singula peccata damnum sustinet, et juxta qualitatem rationemque delicti, damni magnitudo reputatur. Debeo aliquod de Scripturis afferre testimonium super damno mulctaque pecuniæ. Alius damnum sustinet quingentorum denariorum, et debet eos, alius quinquaginta denariis condemnatur: quæ summa ambobus a creditore conceditur. Porro alius, sicut Scriptura dicit: *Oblatus est ei unus qui debebat decem millia talenta*

B (*Matth.* XVIII), decem millibus talentorum condemnatur. Et quid me necesse est plura persequi? Unusquisque pro qualitate et quantitate peccati, diversam mulctæ sententiam expendit. Si parum est quod peccas, ferieris damno minuti, ut Lucas scripsit, ut vero Matthæus, quadrantis. Verumtamen etiam necesse est hoc ipsum quod exstitit debitor, solvere. Non enim inde exies nisi et minima quæque persolveris. Qui vero fidelis est, nullo damno percutitur, sed quotidie ditatur: [b] *Totus enim mundus* **357-358** *divitiarum ejus est. Infidelis autem nec obolum habet.* Alius damnatur denario, alius mna, alius talento. Et quæsitor hujus negotii, qui mensuras universorum noverit peccatorum. Hoc delictum talento condemnatur: illud peccatum mulctam is-

C tiusmodi meretur. Scriptum est enim: *Cum autem cœpisset facere rationem.* Supputanda est omnibus nobis gratia. Non est aliud tempus faciendæ rationis nisi tempus judicii, quando liquido cognoscetur quid nobis creditum est, et quid lucri, quidve detrimenti fecerimus, quis nostrum acceperit mnam, qui unum talentum, quis duo, quis quinque (*Matth.* XXV). Necesse non est plura indicare, cum hoc in commune dixisse sufficiat, reddituros nos esse rationem: et si debitores inventi fuerimus trahi ad judicem, et a judice exactori tradi. Singuli exactores proprios habemus: omnis vero multitudo, pluribus traditur, secundum id quod in Isaia scriptum est: *Populus meus, exactores vestri spoliant vos, et qui potentes sunt dominantur vestri* (*Isai.* III). Dominantur exactores,

D si debuerimus aliquid. Si autem habuerimus fiduciam, et fronte libera vixerimus, servabo præceptum libens: *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum: cui timorem, timorem: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem* (*Rom.* XIII). Si omnibus universa reddidero, venio ad exactorem, et intrepida mente respondeo; Nihil tibi debeo. Venit exactor ad deposcendum, resisto ei. Scio enim quod si nihil

[a] Duas voculas, *apud Græcos*, itemque illas paulo post, *quod apud Græcos magis intelligitur*, de suo Hieronymus adjunxerit. Est vero Græce, ἐπ' ἄρχοντα, *ad principem*, absque articulo: et πρὸς τὸν κριτὴν καὶ κριτής, cum articulo.

[b] Sumpta ex Proverbiorum libro sententia cap. XVII, post vers. 6, juxta LXX, τοῦ πιστοῦ ὅλος ὁ κόσμος τῶν χρημάτων, τοῦ δὲ ἀπίστου οὐδὲ ὀβολός. Interpretatur Hieronymus epist. 53, ad Paulinum, num. 10: *Credenti totus mundus divitiarum est: infidelis autem etiam obolo indiget.* Vide quæ ad hunc locum observamus.

debuero, in me non habet potestatem. Quod si debitor fuero, mittet me exactor meus in carcerem, illo ordine qui prædictus est. Adversarius enim me ducit ad principem, princeps, ad judicem, et judex tradet me exactori, et exactor mittet in carcerem. Quæ [a] est lex carceris istius? Non egredior ex eo, neque me exactor patitur exire, nisi debitum omne persolvero. Non habet exactor potestatem, ut mihi saltem quadrantem, vel minimam portionem valeat concedere, unus est, qui debitoribus non habentibus unde persolvant, potest concedere. *Accessit*, inquit, *ad eum unus qui debebat quingentos denarios, et alius quinquaginta : et cum non haberent unde redderent, ambobus donavit* (*Luc.* VII). Qui donavit, Dominus est : iste vero qui exactor est, non est dominus, sed a domino ad exigenda debita præpositus. Non fuisti dignus ut tibi quingenti, sive quinquaginta denarii donarentur, nec audire meruisti, dimissa sunt tibi delicta tua : sed mitteris in carcerem, et ibi exigeris per laborem et opera, sive per pœnas atque supplicia, et non inde exies nisi reddideris quadrantem, vel novissimum minutum, quod [b] Græce *tenue* dici potest. Peccata autem nostra pinguia sunt. Scribitur enim : *Incrassatum est cor populi hujus* (*Matth.* XIII; *Act.* XXVIII). Aut comparatione majoris, tenue atque subtile. Beatus est igitur, primum qui non peccat, secundo ut in collatione aliquis saltem tenue peccatum habeat. Et inter ipsa quoque tenuia atque subtilia, est diversitas peccatorum. Nisi esset pecunia subtilis, numquam diceretur : *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Quomodo sine pecunia diceret novissimum minutum, quod est denarius, sive nummus, sive obolus, vel statera. Quod si magnam pecuniam debuerimus, sicut ille qui scribitur decem millia talenta debuisse (*Matth.* XVIII), quanto tempore claudamur in carcere, donec reddamus debitum, non possum manifeste pronuntiare. Si enim qui parum debet, non egredietur, nisi exsolvat minutum quadrantem : utique qui tanto debito fuerit obnoxius infinita ei ad reddendum debitum sæcula numerabuntur. Quapropter [c] demus operam, ut liberemur ab adversario, dum sumus in via, et jungamur Domino Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

359 - 360 HOMILIA XXXVI.

De eo quod scriptum est : *Qui voluerit animam suam salvare, perdet eam*, usque ad eum locum ubi ait : *Regnum Dei intra vos est.*

Qui quæsierit, inquit, *animam suam salvare, perdet*

A *eam : et qui perdiderit eam, salvabit eam.* Martyres quærunt salvare animam suam : propterea perdunt, ut salvent eam. Qui vero volunt salvare animam suam, ut non perdant eam, hi et corpus et animam perdunt pariter in gehennam. *Quamobrem nolite timere eos*, ait, *qui possunt corpus occidere, sed timete magis eum qui potest animam et corpus perdere in gehennam* (*Luc.* XVII). Hoc ad propositum, juxta vires ingenii nostri breviter dixerimus. *Animalis autem non recipit ea quæ sunt spiritus* (I *Cor.* II) : et idcirco salvari non potest. *Seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale* (I *Cor.* XV). Porro qui adhæret Domino, spiritus unus efficitur. Si ergo qui Domino copulatur, cum animalis esset per id in spiritalem vertitur, et unus est spiritus : nos quoque perdamus B animam nostram, ut adhærentes Domino in unum spiritum transformemur. Sed et de regno Dei interrogatus, respondit Salvator Pharisæis : *Quando venerit*, inquit, *non venit regnum Dei cum observatione, neque dicunt, ecce hic, aut ecce ibi. Regnum enim Dei intra vos est* (*Luc.* XVII). Non omnibus Salvator dicit, *regnum Dei intra vos est :* siquidem in peccatoribus regnum peccati est, et absque ulla ambiguitate, aut regnum peccati, aut regnum Dei in corde nostro imperat. Unde sive quæ facimus, sive quæ loquimur, sive quæ cogitamus, contemplemur attentius, et tunc videbimus utrum Dei imperium regnet in nobis, an imperium delictorum. Quam diversitatem sciens Apostolus, quosdam commonet, dicens : *Non regnet peccatum in mortali vestro corpore* (*Rom.* VI). Si quis C nostrum desiderat regnum Dei, regnatur ab eo. Si quis avaritiæ ardore cruciatur, regnatur ab avaritia. Porro qui injustitiam reginam habet, regnatur ab ea. Qui vanæ gloriæ ambitione sustollitur, regnat ei aura popularis. Qui mœret, qui aliquid reformidat, qui amat, qui desiderat, imperant ei singula, prout perturbationibus variis possidetur. Quæ omnia cognoscentes, et quam multa sint genera regnorum, surgamus precemurque Deum, ut auferat a nobis regnum inimici, et possimus sub regno esse Dei omnipotentis, id est sub regno sapientiæ, pacis, justitiæ, veritatis, quæ cuncta in unigenito Dei Filio intelliguntur, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXVII.

De eo quod a discipulis pullus asinæ solutus est.

D Lectum est in Evangelio secundum Lucam, quomodo cum venisset Salvator Bethphage, et Bethaniam juxta montem Oliveti, miserit duos e discipulis suis, ut solverent pullum asinæ, qui vinctus erat, et su-

[a] Ex hoc item loco cl. Huetius colligit, putasse Origenem, pœnis damnatorum finem impositum iri, et omnia unum in Deo tandem aliquando futura; neque adeo alias quam purgatorias pœnas admisisse. Nobis, quamquam et supra ad Homil. 24 animadvertimus, et aliis compluribus ex locis manifestum erroris teneamus Origenem in quæstione de pœnarum æternitate : non tamen hunc eadem laborare culpa contextum existimamus, quin potius econtrario ex iis unus videatur, qui in ejus defensionem adduci queant. Certe cum posset commode Adamantius propositam parabolam in suum sensum perverse detorquere, catholico fere sensu exposuit : tum luculentissime definivit, graviorum criminum reos æternis addicendos suppliciis, cum ait : *Si magni pecuniam debuerimus, sicut ille qui scribitur decem millia talenta debuisse, quanto tempore claudamur in carcere, donec reddamus debitum, non possum manifeste pronuntiare..... Utique qui tanto debito fuerit obnoxius,* INFINITA *ei ad reddendum debitum sæcula numerabuntur.*

[b] Additum hoc quoque comma est abs Hieronymo, ut quod in λεπτὸν vocis varia significatione ludit Origenes, Latinus lector assequeretur.

[c] Vitiose legebatur antea *debemus*, pro *demus*.

per quem nullus hominum aliquando sederat (*Luc.* XIX). Quod quidem mihi videtur magis ad altiorem intelligentiam, quam ad simplicem historiam pertinere. Asinus vinctus erat. Ubinam? Contra Bethphage et Bethaniam. E quibus Bethania interpretatur [a] *domus obedientiæ*, Bethphage vero, *domus maxillarum*: sacerdotalis **361 - 362** quidam locus: maxillæ enim sacerdotibus dabantur, sicut in lege præcipitur. Illuc ergo ubi obedientia, ubi locus sacerdotibus mancipatus, mittit Salvator discipulos suos, ut solvant pullum asinæ super quem nullus hominum aliquando sederat. Porro quid aliud super asinum sedere potest absque homine? Volo paulisper exemplum sumere, ut quod dicturus sum, possit intelligi. Scriptum est in Isaia: *Visio quadrupedum in tribulatione et angustia* (*Isai.* XXX), et reliqua, usque ad eum locum ubi ait: *Non proderunt eis divitiæ aspidum.* Unusquisque nostrum consideret quantas opes aspidum ante portaverit, quantas divitias bestiarum, et quomodo numquam rationabilis homo sederit super asinum nostrum, non sermo Moysi, non Isaiæ, non Jeremiæ, nec reliquorum omnium prophetarum: et videbit tunc sedisse super nos sermonem Dei atque rationem, quando venit Dominus Jesus, et præcepit discipulis suis, ut euntes solverent pullum asinæ, qui prius vinctus fuerat, ut liber incederet. Solutus itaque pullus asinæ adducitur ad Jesum, ad cujus solutionem mittens discipulos dixerat: *Si quis vos interrogaverit quare solvitis pullum, dicite ei quia Dominus necessarium illum habet.* Multi erant domini hujus pulli [b] antequam Salvator eum haberet necessarium: postquam vero ille cœpit esse dominus, plures domini esse cessaverunt. Nemo enim potest Deo servire et mammonæ. Quando malitiæ serviebamus, multis sumus passionibus vitiisque subjecti. Solvitur ergo pullus, quia Dominus necessarium eum habet. Vos estis pullus asinæ, quid vestri Filius Dei necessarium habet? quid a vobis expetit? salute vestra opus habet, cupit vos solvi vinculis peccatorum. Deinde mittunt discipuli vestes suas super asinum, et sedere faciunt Salvatorem. Assumunt sermonem Dei, et imponunt eum super animas auditorum. Vestibus exuuntur, substernunt eas in via. Super nos sunt vestimenta apostolorum: opera eorum bona, ornamenta nostra sunt, volunt apostoli indumenta sua calcari a nobis. Et revera solutus a discipulis asinus, et portans Jesum, incidit super vestimenta apostolorum, quando doctrinam eorum imitatur et vitam. Quis nostrum ita beatus est, ut sedeat super illum Jesus? Qui quamdiu in monte fuit, cum suis apostolis morabatur: quando vero cœpit vicinus esse descensui, tum occurrit ei turba populorum. Si non venisset ad descensum, non ei poterat occurrere multitudo. Descendit, seditque super pullum asinæ, et omnis populus voce consona laudabat Deum. Quod Pharisæi videntes, dicebant Domino: *Increpas eos.* Quibus ille respondit: *Si isti tacuerint, lapides clamabunt* (*Matth.* III). Quando nos loquimur, lapides silent: quando nos tacemus, lapides clamant. Potest enim Dominus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Quo tempore nos tacebimus? Quando refrixerit charitas multorum, quando illud quod a Salvatore prædicatum est, fuerit impletum: *Putas veniens Filius hominis inveniet fidem super terram?* Propterea Domini misericordiam deprecemur, ne nobis tacentibus, lapides clamitent; sed loquamur et laudemus Deum in Patre, et Filio, et Spiritu sancto: cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXVIII.

De eo quod scriptum est: *Cum autem appropinquasset, vidit civitatem, et flevit super eam*, usque ad eum locum ubi ait: *Ejecit omnes vendentes columbas.* Cap. XIX.

Cum appropinquasset Jerusalem Dominus noster, videns eam flevit, et dixit: Si cognosceres et tu in die ista quæ ad pacem sunt tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, quoniam venient dies super te, et circumdabunt te inimici tui vallo. Sacramenta sunt quæ dicuntur, et speramus, pandente Deo, aperire posse **363-364** quod latitat. Primum ergo de fletu ejus videndum. Omnes beatitudines quas locutus est in Evangelio Jesus, suo firmat exemplo, et quod docuit, pro testimonio probat. *Beati*, inquit, *mites*. Huic simile est de semetipso: *Discite a me, quoniam mitis sum* (*Matth.* XI). *Beati pacifici*: et quis alius ita pacificus, ut Dominus meus Jesus, qui est pax nostra, qui solvit inimicitiam, et in sua eam carne destruxit? *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Nemo sic persecutionem passus est propter justitiam, ut Dominus Jesus, qui pro peccatis nostris crucifixus est. Omnes igitur beatitudines in semetipso Dominus ostendit. Ad quam similitudinem etiam illud quod dixerat, *Beati flentes*, ipse flevit, ut hujus quoque beatitudinis jaceret fundamenta. Flevit autem super Jerusalem, dicens: *Si cognovisses et tu in die ista quæ ad pacem sunt tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*, et reliqua, usque ad eum locum ubi ait: *Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Dicat aliquis auditorum: Manifesta sunt quæ dicuntur, et opere completa de Jerusalem. Circumdedit enim eam Romanus exercitus, et ad internecionem usque vastavit, tempusque veniet quando lapis super lapidem non relinquetur super eam. Non nego et illam quidem Jerusalem propter habitatorum scelera fuisse destructam, sed quæro si et ad hanc nostram Jerusalem fletus iste pertineat. Nos enim sumus Jerusalem quæ defletur, qui nobis videmur intuitum habere majorem. Quod si post mysteria veritatis, post sermonem Evangelii, post doctrinam Ecclesiæ, post visio-

[a] Confer libros Nominum, et quæ ad harum vocum etymologias nos animadvertimus, Hieronymus non semel *Bethphage, villam sacerdotalium maxillarum* interpretatur.

[b] Recolenda hujus loci Hieronymiana expositio in Comment. in Matthæum, quæ iisdem plane contexitur sensibus.

nem sacramentorum ejus, aliquis e nobis peccaverit, A plangitur atque fletur. Nemo enim gentilis fletur, sed ille qui fuit de Jerusalem, quod post peccata circumdant eam inimici, contrariæ videlicet fortitudines, spiritus nequam, et immittant in circuitu ejus vallum, et obsideant eam, et lapidem super lapidem non relinquant: maxime si post multam continentiam, post aliquot annos castitatis victus quis fuerit, blandimentisque carnis illectus patientiam pudicitiamque amiserit. Si fueris fornicatus, lapidem super lapidem non relinquent super te. Ait enim in alio loco: *Non recordabor priorum justitiarum ejus: in peccato suo, in quo deprehensus fuerit, in ipso judicabo eum* (*Ezech.* XXVIII). Hæc est ergo quæ defletur Jerusalem. Post quæ dicitur: *Ingressus est templum. Quod cum fuisset ingressus, ejecit eos qui ven-* B *debant columbas.* Non ejecit ementes, qui enim emunt, et quod emerint possident. Illos ejecit de templo Patris Jesus, qui vendunt et abjiciunt quod habuerant, in similitudinem illius luxuriosi filii, qui substantiam suam accepit a patre, et universa perdidit nimie potando (*Luc.* XV). Si quis ergo vendit, ejicitur, præcipue si vendebat columbas. Quare alias aves non posuit nisi columbas? Hoc animal simplex est, et decorum. Vereor ne et in nobis vitium istius modi deprehendatur. Si enim ea quæ mihi a sancto Spiritu revelata sunt, et credita, ut in vulgus efferrem, pretio vendidero, et absque mercede non docuero, quid aliud facio, nisi columbas, id est, Spiritum sanctum vendo? Quem cum vendidero, ejicior de templo Dei. Quapropter rogemus Dominum, ut C omnes emamus potius quam vendamus. Si enim non vendiderimus, cognoscimus et intelligimus salutem nostram: alioquin inimici circumdabunt urbem nostram. Quod si semel nos exercitus hostilis cinxerit, lacrymas Dei non merebimur. Surgamus ergo diluculo, et obsecremus Dominum, ut saltem micas quæ de mensa ejus cadunt, comedere possimus. Miratur Scriptura reginam Saba venisse ab extremo terræ audire sapientiam Salomonis: quæ cum vidisset prandium, et supellectilem, et ministeria domus ejus, obstupuit, et tota in miraculo fuit (III *Reg.* X). Nos si tantas Domini nostri opes, tantam sermonis supellectilem, et abundantiam doctrinarum non libenter amplectimur, si non comedimus panem vitæ, si non carnibus Christi vescimur, et cruore potamur, D si contemnimus dapes Salvatoris nostri, scire debemus quod habeat Deus, et benignitatem, et severitatem. E quibus benignitatem ejus magis orare debemus, in Christo Jesu Domino nostro: cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

365-366 HOMILIA XXXIX.

De quæstione Sadducæorum, quam proposuerant Domino, mulieris ejus quæ septem viros habuit; et rursus de denario quem sibi Salvator jussit ostendi. Cap. XX.

Est hæresis in Judæis, quæ dicitur Sadducæorum, hæc resurrectionem mortuorum negat, et putat animam interire cum corpore, nec post mortem ultra respirare. Igitur quæstionem Domino proponente, composuerunt fabulam mulieris septem virorum, quæ post primum virum ad resuscitandum semen prioris alterum duxerit: quo mortuo, tertium quoque, et rursum quartum: atque in hunc modum ad septimum usque pervenerat. Quæritur ergo in resurrectione mortuorum, quis eam sibi e septem fratribus sit vindicaturus uxorem. Hoc autem problema insidiantes verbis Salvatoris, eo tempore proposuerunt, quo eum viderant de resurrectione docere discipulos. Quibus respondens Salvator ait: *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim mortuorum neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli in cœlis.* Qui erunt sicut angeli, utique [a] angeli erunt. Simulque discendum, quod angeli connubia non habeant. Hic vero ubi mors, et nuptiæ, et liberi necessarii sunt: ubi immortales, nec conjugio opus est, nec filiis. Proponam mihi quæstionem valde molestam, et quæ non facile solvitur, ex persona eorum, qui studiosissimi Scripturarum sunt, et die ac nocte meditantur in Lege Domini (*Ps.* I). Ubi, inquiunt, scriptum est: *Quia neque nubent, neque nubentur?* Tam vetus quam novum Testamentum memoria ac mente perlustrans, nusquam memini tale quid relatum. Quod si forte me fallit, qui plus novit doceat. Libenter disco quod nescio. Sed quantum ego existimo, nec in veteri, nec in novo instrumento quidquam tale reperiet. Omnis ergo eorum error de prophetica, quam non intelligunt, lectione surrexit: e quibus illud est in Isaia: *Lecti mei non habebunt liberos in maledictionem* (*Isai.* LXV). Et in Deuteronomio in benedictionibus: *Benedicti filii uteri tui* (*Deut.* XXVIII). Et putant hæc futura in resurrectione, non intelligentes spiritales benedictiones esse prædictas. Paulus enim vas electionis, omnes has benedictiones, quæ ponuntur in Lege, spiritaliter interpretans, et sciens non esse carnales, ad Ephesios loquitur: *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali, cum a mortuis resurgentes æternam beatitudinem consequeremur* (*Ephes.* I). Sed et in psalmis simile quid reperientes, eodem labuntur errore. *Uxor*, inquit, *tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ* (*Ps.* CXXVII), usque ad eum locum ubi ait: *Benedicat te Dominus ex Sion, et videas quæ bona sunt Jerusalem.* Ergo cum instructa fuerit Jerusalem, et instaurata in antiquum statum,

[a] Quin econtrario, ut perquam erudite notat Hieronymus epist. 75, ad Theodoram, n. 2: *Quando, dicit*, neque nubent, neque nubentur, *sed erunt* sicut angeli in cœlis, *non natura, et substantia corporum tollitur, sed gloriæ magnitudo monstratur. Neque enim scriptum est*, *erunt angeli*, *sed*, sicut angeli: *ubi similitudo promittitur, veritas denegatur.* Erunt, *inquit*, sicut angeli, *id est*, *similes angelorum: ergo homines esse non desinent.* Cæterum multis sæpe locis hocce Origenis commentum S. doctor refellit.

tunc visurus est bona quæ Scriptura commemorat. A Qui spiritaliter intelligunt Jerusalem, et de ea dici sciunt quæ cœlestis est, quæ sursum est, quæ est mater nostra (*Gal.* IV) ; videbunt bona illius, de quibus sæpe diximus, et id quod nunc de psalmo posuimus : *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Quæ omnia corporaliter intelligentibus Sadducæis, [a] qui erant portio Judæorum,
365-366 dicit Salvator : *Nescitis Scripturas, neque virtutem Dei.* Hæc de quæstione, quam Sadducæi Domino proposuerunt, breviter dicta sint. Porro [b] quod adjectum est de imagine Cæsaris, etiam super hoc debemus pauca perstringere. Putant quidam a Salvatore dictum esse simpliciter : *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, id est, tributum reddite quod debetis. B Quis enim nostrum de tributis reddendis Cæsari contradicit ? Habet igitur locus quiddam mystici atque secreti. Duæ sunt imagines hominis, unam quam accepit a Deo factus in principio, sicut in Genesi scriptum est : *Juxta imaginem et similitudinem Dei* (*Gen.* I) ; altera choici, id est, terreni, postquam propter inobedientiam atque peccatum ejectus de paradiso assumpsit eam, principis sæculi hujus suasus illecebris. Sicut enim nummus atque denarius habet imaginem imperatorum mundi ; sic qui facit opera rectoris tenebrarum istarum, portat imaginem ejus cujus habet opera ; quam præcepit Jesus esse reddendam et projiciendam de vultu nostro, assumendamque eam imaginem, juxta quam a principio ad similitudinem Dei conditi sumus. Atque C ita fit, ut quæ Cæsaris sunt, Cæsari, et quæ Dei, reddamus Deo. *Ostendite*, inquit, *mihi nummum*. Pro quo in Matthæo scribitur denarius (*Matth.* XXII, 19). *Quem cum accepisset, ait : Cujus scriptionem habet ? Qui respondentes, dixerunt : Cæsaris. Ad quos rursum ; reddite ergo*, inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* Quorum consequentiam et Paulus locutus est, dicens : *Sicut portavimus imaginem choici, portemus et imaginem cœlestis* (I *Cor.* XV). Quod ergo ait : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, hoc dicit : Deponite personam choici, abjicite imaginem terrenam, ut possitis vobis personam cœlestis imponentes, reddere quæ sunt Dei Deo. Repetit nos Deus. Quidnam repetit ? Lege Moysen : *Et nunc quid Dominus repetit a te ?* et reliqua quæ sequuntur. Postulat igitur a nobis Deus, et deprecatur, non quia necessarium habet aliquid, ut ei tribuamus : postulat et postquam ei dederimus, idipsum tribuat in salutem. Quod ut manifestius fiat, ponam parabolam mnarum. Qui unam acceperat mnam, et fecerat decem ; et obtulit Domino, a quo sibi credita mna fuerat, accepit et aliam quam antea non habebat. Illius enim mnam, qui non multiplicaverat quod accepit, jubet Dominus auferri, et dari ei qui alias habet. *Tollite*, inquit, *mnam, et date ei qui habet decem mnas.* Atque in hunc modum quæ dederimus Deo, nobis ea ipsa restituet cum his quæ ante non habueramus. Exigit et postulat a nobis Deus, ut habeat occasionem donandi, ut ipsi tribuat qui erogavit. Ipsius enim gratia duplicata est mna, et dignus quibusque plus datum est quam sperabant. Quapropter surgentes oremus Deum, ut digni simus offerre ei munera quæ nobis restituat, et pro terrenis cœlestia largiatur, in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[a] Nonnullis post Dallæum visus est Origenes existimare hoc loco, Sadducæos (quos constat, ipso neutiquam diffitente, solos Moysis libros in sacrarum Scripturarum censum admisisse) prophetis quoque, et psalmis eamdem tribuisse auctoritatem ; siquidem Isaiæ LXV et psalmi CXXVII testimonia, quæ laudat, ab iis tradit corporaliter intellecta, cujus ignorantiæ a Salvatore accusantur. Verum etsi dederimus ita hunc superiori contextum hærere, ut, quæ laudat Origenes, prophetæ ac Davidis verba perperam a Sadducæis diceret accepta, non hinc tamen colligas sensisse illum eos libros a Sadducæis in Canonem Scripturarum relatos. Potuit vero illud dumtaxat Deuteronomii XXVIII testimonium, quod utique et Sadducæi reciperent, respexisse.

[b] Lectum antea *quæ*, manifesto errore, pro *quod*, aut *quia*.

S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

[a] COMMENTARIORUM

IN

EPISTOLAM AD GALATAS

LIBRI TRES.

PROLOGUS.

367-368 Pauci admodum dies sunt, [b] ex quo A epistolam Pauli ad Philemonem interpretatus, ad Galatas transcenderam, multis retrorsum in medio prætermissis ; et ecce subito litteræ mihi de Urbe allatæ sunt, nuntiantes et Albinam venerabilem anum præsentiæ Domini redditam, et sanctam Marcellam matris contubernio destitutam, magis nunc vestrum, o Paula et Eustochium, flagitare solatium. Et quia hoc interim fieri non potest, propter grandia maris in medio spatia atque terrarum, repente vulnus impressum saltem Scripturarum vellem curare medicamine. Scio equidem ardorem ejus, scio fidem, quam flammam semper habeat in pectore, superare sexum, oblivisci hominis, et divinorum voluminum tympano concrepante, rubrum hujus sæculi pelagus transfretare. Certe cum Romæ B essem, numquam tam festina me vidit, ut non de Scripturis aliquid interrogaret. Neque vero more Pythagorico quidquid responderam, rectum putabat : nec sine ratione præjudicata apud eam valebat auctoritas ; sed examinabat omnia, et sagaci mente universa pensabat, ut me sentirem non tam discipulam habere, quam judicem. Itaque quod et illi absenti pergratum fore, et vobis quæ in præsentiarum estis, utile existimo, aggrediar opus intentatum ante me linguæ nostræ scriptoribus, et a Græcis quoque ipsis vix paucis, ut rei poscebat dignitas, usurpatum. Non quod ignorem Caium Ma- **369-370** rium Victorinum, qui Romæ, [c] me puero, rhetoricam docuit, edidisse Commentarios in Apostolum; sed quod occupatus ille eruditione sæcularium litterarum, Scripturas omnino [d] sanctas ignoraverit : et nemo possit, quamvis eloquens, de eo bene disputare, quod nesciat. Quid [e] igitur, ego stultus aut temerarius, qui id pollicear quod ille non potuit? Minime. Quin potius [f] in eo, ut mihi videor, cautior atque timidior, quod imbecillitatem virium mearum sentiens, Origenis Commentarios sum secutus. Scripsit enim ille vir in epistolam Pauli ad Galatas quinque [g] proprie volumina, et decimum

[a] Hosce in epistolam ad Galatas Commentarios, ut et consequentes in reliquas tres ad Ephesios, Titum, ac Philemonem exegimus ad trium mss. exemplarium fidem, unum Palatinum numero prænotatum 340 probæ antiquitatis et notæ : duoque alia Cisterciensium, quæ Romæ est, bibliothecæ, olim Nonantulani monasterii, quorum alterum sub numero censetur 61, alterum numero caret : utrumque autem emendatione ac vetustate præstans. Nec Rabbanum, qui totidem de more verbis Hieronymum descripsit, suisque Commentariis intexuit, prætermisimus : siquidem haud raro inter innumera C quibus scatet menda, meliorem lectionem ex antiquissimis, quibus utebatur, exemplaribus profert. Denique ex editis rarioribus libris, Coloniensem editionem Joannis Gymnici anno 1531 non frustra contulimus.

[b] Nostri, et quos laudat Martian. Mss., *quòd epistolam*, etc.

[c] Antea aut falso, aut incommodo sensu legebatur, *qui Romæ pueros rhetoricam docuit*, vel, ut in aliquot etiam mss. invenire est, *qui Romæ me puerum rhetoricam docuit*, vel denique, *Romæ me a puero*, etc. Veram lectionem nos restituimus, suppetias ferente uno Cisterciensi ms. alteroque Cluniacensi, quem in Addendis ipse laudat editor Benedictinus. Neque vero Victorinum audivit Hieronymus, neque fortasse per infantilem adhuc ætatem potuit. Hujus ipse rei fidejussor in Chronico est ad annum 358, ubi ait : *Victorinus rhêtor, et Donatus grammaticus præceptor meus* (non *præceptores mei*, plurium numero) *Romæ insignes habentur.* Cæterum vide et librum de Viris Illustribus, cap. 101, et quæ ibi annotamus.

[d] Vocem *sanctas* Palatinus ms. nescit.

[e] Consequentem viginti fere versuum pericopen, in sui excusationem recitat S. Doctor, ingeritque Augustino epistola in nostra recensione 112, n. 4 : *Primum*, inquit, *respondeo, debuisse prudentiam tuam Præfatiunculæ Commentariorum meorum meminisse dicentis ex persona mea : Quid igitur, ego stultus*, etc.

[f] In Palat. ms. : *Quin potius, ut mihi videor, cautior atque timidior, qui imbecillitatem*, etc.

[g] Antea erat, *propria*, minus recte.

Stromatum suorum librum commatico super explanatione ejus sermone complevit : Tractatus quoque varios, et Excerpta, quæ vel sola possint [*Al.* possent] sufficere, composuit. Prætermitto Didymum, videntem meum, et Laodicenum (Apollinarem) de Ecclesia nuper egressum, et Alexandrum veterem hæreticum, Eusebium quoque Emesenum, et Theodorum Heracleoten, qui et ipsi nonnullos super hac re Commentariolos [*Al.* Commentarios] reliquerunt. E quibus si vel pauca decerperem, fieret aliquid quod non penitus contemneretur. Itaque ut simpliciter fatear, legi hæc omnia, et in mente mea plurima coacervans, accito notario, vel mea, vel aliena dictavi, nec ordinis, nec verborum interdum, nec sensuum [a] memoriam retentans. Jam Domini tantum misericordiæ est, ne per imperitiam nostram ab aliis bene dicta dispereant, et non placeant inter extraneos, quæ placent inter suos. Argumentum itaque Epistolæ hujus breviter comprehendens, [b] hac præfatione commoneo, ut sciatis eamdem esse materiam et Epistolæ Pauli ad Galatas, et quæ ad Romanos scripta est. Sed hoc differre inter utramque, quod in illa altiori sensu et profundioribus usus est argumentis, hic quasi ad eos scribens, de quibus in consequentibus ait : *O insensati Galatæ :* Et : *Sic insipientes estis*, tali se sermone moderatus est, quod increparet potius, quam doceret : et quem possent stulti intelligere, ut communes sententias, communi oratione vestiret, et quos ratio suadere non poterat, revocaret auctoritas. Nullus quidem Apostoli sermo est, [c] vel per Epistolam, vel præsentis, in quo non laboret docere antiquæ Legis onera deposita, et omnia illa quæ in typis et imaginibus præcesserunt, id est, otium sabbati, circumcisionis injuriam, Kalendarum et trium per annum solemnitatum recursus,

A scrupulositatem ciborum, et per dies singulos lavacra iterum sordidanda, **371-372** gratia Evangelii subrepente cessasse, quam non sanguis victimarum, sed fides animæ credentis impleret. Verum alibi pro parte, et ut se aliud agenti hæc quæstio obtulerat, ex latere disputatum est, et pene perstrictum. In his autem duabus, ut dixi, Epistolis, specialiter antiquæ legis cessatio, et novæ introductio continetur. Sed ad Galatas hoc proprium habet, quod non scribit ad eos qui ex Judæis in Christum crediderant, et paternas putabant cæremonias observandas : sed ad eos qui ex gentibus fidem Evangelii receperant, et rursum retro lapsi, quorumdam fuerant auctoritate deterriti, asserentium Petrum quoque et Jacobum, et totas Judææ

B Ecclesias, Evangelium Christi cum lege veteri miscuisse. Ipsum etiam Paulum aliud in Judæa facere, aliud nationibus prædicare : et frustra eos in Crucifixum credere, si id negligendum putarent quod Apostolorum [d] principes observarent. Quamobrem ita caute inter utrumque et medius incedit, ut nec Evangelii prodat gratiam, pressus pondere et auctoritate majorum, nec præcessoribus faciat injuriam, dum assertor est gratiæ : oblique vero et quasi per cuniculos latenter incedens : ut [*Al.* et] Petrum doceat pro commissa sibi circumcisionis plebe facere, ne ab antiquo repente vivendi more desciscens, in crucem scandalizata non crederet, et sibi prædicatione gentium credita, [e] æquum esse id pro veritate defendere, quod

C alius pro dispensatione simularet. Quod nequaquam intelligens [f] Bataneotes et sceleratus ille Porphyrius, in primo operis sui adversum nos libro, Petrum a Paulo objecit esse reprehensum, quod non recto pede incederet ad evangelizandum : volens et illi maculam erroris inurere, et huic procacitatem reprehendendi.

[a] In laudata ad Augustinum epist. brevius : *nec sensuum memor. Jam Domini misericordiæ est*, etc.

[b] Palat. ms. *hoc præfatione commoneo :* et mox, *materiam epistolæ*, absque *et* copula.

[c] Idem Palat. codex, *sermo est*, *vel epistola*, *in quo non laboret*, etc., expunctis interjectis voculis, *vel*, et *præsentis*.

[d] Penes Rabanum minori numero, *princeps observaret.*

[e] Palatin. ms., *æquum esset pro veritate defendere*, etc.

[f] Cur Balaneotes ab Hieronymo Porphyrius appelletur, diu multumque est quod certant eruditi. Plerique autem in eam concessere opinionem, ut vocabulum ipsum cubare in mendo arbitrati sint, et pro suo quisque ingenio contenderint emendare. Sirmondus, epist. quadam ad Holstenium, βαλαντιώτην rescribendum conjecit, cujus verbi significatus, id est, *ardelio*, *perversus*, *affectatus*, hisque similia, ab ejus philosophi moribus non abludit. Minime vero Holstenio ipsi conjectura hæc placuit, qui maluit βιοθάνατος reponi, quod in antiquis libris, *Biothaniotes*, sive *Bethaniotes* scriptum repererit. Hoc quoque vocabulum Porphyrio quadrat, impio homini, et cui violenta morte vita eriperetur, dignissimo. Aliis placet natale ejus solum denotari, Bataneam scilicet Syriæ oppidum, de quo Stephanus Byzant. loquitur, Tyriorum facile coloniam : quare et civitate donatus a Tyriis Porphyrius fuerit, quandoquidem Tyrium vulgo exstitisse eum tradunt Eunapius, et Plotini Vita, cap. 7. Denique visum est aliis, Bataneotem per convicium dici, quod taurorum instar βαταναιωτῶν petulco ausu in Christum ejusque fidem insurrexerit. Atque ego quidem, ut sedulo dicam, duabus hisce conjecturis in unam junctis, sibique invicem suffragantibus libentius accedam. Neque enim adduci possum, ut putem, vitii aliquid vocabulo inolevisse, corruptumque librariorum culpa nomen. Nam et a Chrysostomo,

D homil. 6 in I ad Corinth. Epistolam, et ab Anastasio Sinaita in Hodego, ubi Severianum quasi novum Porphyrium perstringit, βαταναιώτης appellatur : et siquidem velis falsos in exotica voce describenda Latinos amanuenses in Hieronymo, idipsum et de vernaculis Græcis putare necesse habeas penes Chrysostomum, et Sinaitam, quod ab omni veritatis specie abhorret immane quantum. Sic autem existimo, quando patriæ nomen in maledictum contorquere per ipsiusmet vocis significatum in promptu erat, ita Bataneotem, cum ab Hieronymo, tum ab aliis scriptoribus appellatum Porphyrium, ut magis impium atque effrene hominis ingenium exprobrarent. Huic fere geminum illud est, quod epist. ad Ctesiphontem, 133, noster Evagrium Ponticum vocat Hyperiboritam, quod est, super Iberitas populares suos malum.

cæcitatis, et in commune ficti dogmatis accusare mendacium, dum inter se Ecclesiarum principes discrepent [*Al.* discreparent]. Quæ quidem et nunc, orantibus vobis, leviter quo sensu sint dicta, con- A tingimus, et in suis locis plenius exsequemur. Sed jam tempus est, ut ipsius Apostoli verba ponentes, singula quæque pandamus.

LIBER PRIMUS.

(Cap. I.—Vers. 1.) **373** *Paulus apostolus, non ab hominibus, neque per hominem : sed per Jesum Christum et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis.* Non superbe, ut quidam putant, sed necessarie, neque ab hominibus, neque per hominem, se Apostolum esse proponit : sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, ut eos qui Paulum extra duodecim apostolos ventilabant, et nescio unde subito prorupisse, vel a majoribus ordinatum [a] astruebant, hac auctoritate confunderet. Potest autem et oblique in Petrum et in cæteros dictum accipi, quod non ab apostolis ei sit traditum Evangelium : sed ab ipso Jesu Christo, qui et illos apostolos elegerat. Hoc autem totum ideo præparatur, ut nemo sibi contra Legis onera pro Evangelii gratia disputanti, possit opponere : sed Petrus hoc dixit, sed apostoli hoc statuerunt, sed præcessores tui aliud decreverunt. Quod quidem in sequentibus, nunc quasi occulto sermone præludens, manifestius facit; dum ab eis qui videntur esse aliquid, nihil in se collatum refert, et ipsi Petro in faciem restitisse se scribit, nulla se dicens necessitate compulsum, ut hypocrisi cederet Judæorum. Quod si temerarium quibusdam videtur, eum contra apostolos, quamvis occulte, locutum; qui Jerosolymam idcirco perrexerit [*Al.* perrexerat], ut cum eis conferret Evangelium, ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset, illo intelligentiam transferamus : Usque hodie [b] a patriarchis Judæorum apostolos mitti, a quibus etiam tunc reor Galatas depravatos Legem observare cœpisse, vel certe alios de Judæis credentibus in Christum perrexisse Galatiam, qui assererent Petrum quoque apostolorum principem, et Jacobum fratrem Domini, Legis cæremonias custodire. Ad distinctionem itaque eorum qui mittuntur ab hominibus, et sui, **374** qui sit missus a Christo, tale sumpsit exordium : *Paulus apostolus, non ab hominibus, neque per hominem.* Apostolus autem, hoc est, *missus*, Hebræorum proprie vocabulum est, quod *Silas* [Al. *Silai*], quoque sonat, cui a mittendo *missi*, nomen impositum est. Aiunt Hebræi inter ipsos quoque prophetas, et sanctos viros esse quosdam, qui et prophetæ et apostoli sint, alios vero qui tantum prophetæ. Denique Moysen, cui dicitur : *Et ego mittam te ad Pharaonem* (*Exod.* III, 10, 11); et ipse respondeat : *Provide alium quem mittas :* Et Isaiam, cui loquitur Deus : *Quem mittam et quis ibit ad populum istum* (*Isai.* VI, 8)? esse et apostolos et prophetas. Unde et nos possumus intelligere Joannem quoque Baptistam et prophetam et apostolum appellandum, siquidem ait Scriptura : *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes* (*Joan.* I, 6). Et in Epistola ad Hebræos (*Hebr.* III) propterea Paulum solita consuetudine nec nomen suum, nec apostoli vocabulum præposuisse, quia de Christo erat dicturus : *Habentes ergo principem sacerdotum, et apostolum confessionis nostræ Jesum;* nec fuisse congruum, ut ubi Christus apostolus dicendus erat, ibi etiam Paulus apostolus poneretur. Quatuor autem genera apostolorum sunt. Unum, quod neque ab hominibus est, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem; aliud, quod a Deo quidem est; sed per hominem; tertium, quod ab homine, non a Deo; quartum, quod neque a Deo, neque per hominem, neque ab homine, sed a semetipso. De primo genere potest esse Isaias, cæterique prophetæ, et ipse apostolus Paulus, qui neque ab hominibus, neque per hominem, sed a Deo Patre et Christo missus est. De secundo, Jesus filius Nave, qui a Deo quidem est apostolus constitutus, sed per hominem, Moysen. Tertium genus est, cum hominum **375** favore et studio aliquis ordinatur. Ut nunc videmus plurimos non Dei judicio, sed redempto favore vulgi in sacerdotium subrogari. Quartum est pseudoprophetarum et pseudoapostolorum, de quibus apostolus : *Istiusmodi*, inquit, *pseudoapostoli*, *operarii iniquitatis, transfigurantes se in apostolos Christi, qui dicunt : Hæc dicit Dominus : et Dominus non misit eos* (II *Cor.* X, 13). Verum non talis apostolus Paulus, qui neque ab hominibus, neque per hominem, sed a Deo Patre per Jesum Christum missus est. Ex quo approbatur, Ebionis et Photini etiam hinc hæresis retundenda, quod Dominus noster Jesus Christus, Deus sit : dum Apostolus quia a Christo ad prædicationem Evangelii missus est, negat se missum esse ab homine. Subrepunt hoc loco cæteræ hæreses, quæ putativam Christi carnem vendicantes, Deum aiunt Christum esse, non hominem. Necnon et nova hæresis, quæ dimidiatam Christi asserit dispensationem. Atque ita Ecclesiæ fides inter tanta falsorum dogmatum naufragia constituta, si Christum fateatur [*Al.* fateretur] hominem, Ebion Photinusque subrepunt : si Deum esse contenderit, Manichæus, et Marcion, novelli dogmatis [c] auctor ebulliunt. In commun

[a] Verbum, *astruebant*, et paulo inferius, *se scribit* in Palatin. cod. desiderantur.

[b] De Judæorum per hæc tempora patriarchis, atque apostolis luculenter P. Bacchinius disserit libro de Ecclesiastic. Metropol.

[c] Duo mss. habent plurium numero, *auctores*.

itaque audiant, Christum et Deum esse et hominem. A Non quod alius Deus sit, et alius homo : sed qui Deus semper erat, homo ob nostram salutem esse dignatus est. Sciendum quoque in Marcionis [a] Apostolo non esse scriptum, *et per Deum Patrem*, volentis exponere Christum non a Deo Patre, sed per semetipsum suscitatum, ut est illud : *Solvite templum hoc, et ego in triduo suscitabo illud* (*Joan.* II, 19). Necnon et alibi : *Nemo tollit animam meam a me; sed ego pono eam a meipso. Potestatem habeo ponendi eam et rursum potestatem habeo sumendi illam* (*Ibid.*, X, 18).

(Vers. 2.) *Et qui mecum sunt omnes fratres, Ecclesiis* [Al. *Ecclesiæ*] *Galatiæ*. In aliis Epistolis, Sosthenes, et Silvanus, interdum et Timothæus in exordio præponuntur : in hac tantum, B quia necessaria erat auctoritas plurimorum, omnium fratrum nomen assumitur. Qui et ipsi forsitan ex circumcisione erant, et a Galatis non **376** contemptui ducebantur. Plurimum quippe facit ad populum corrigendum, multorum in una re sententia atque consensus. Quod autem ait, *Ecclesiis Galatiæ;* et hoc notandum quia hic tantum generaliter non ad unam Ecclesiam unius urbis, sed ad totius provinciæ scribat Ecclesias, et Ecclesias vocet, quas postea errore arguat depravatas. Ex quo noscendum dupliciter Ecclesiam posse dici, et eam quæ non habeat maculam aut rugam, et vere corpus Christi sit, et eam quæ in Christi nomine absque plenis perfectisque virtutibus congregatur (*Ephes.* V). C Quomodo sapientes bifariam nuncupantur, tam hi qui sunt plenæ perfectæque virtutis, quam illi qui incipiunt, et in profectu positi sunt. De perfectis dicitur : *Mittam in vos sapientes* (*Luc.* XI, 49). De insipientibus : *Argue sapientem, et diliget te* (*Prov.* VIII, 9). Qui enim plenæ consummatæque virtutis est, correptione non indiget. Juxta hunc sensum de cæteris quoque virtutibus intelligendum : quod scilicet fortis et prudens, pius, castus, justus, et temperans, interdum plene, interdum abusive accipiantur.

(Vers. 3.) *Gratia vobis, et pax a Deo Patre, et Domino nostro Jesu Christo.* Non ut in cæteris Epistolis, Dei Patris et Domini nostri Jesu Christi gratiam ponit, et pacem, per quas absque operum merito, D et peccata nobis concessa sunt pristina, et pax indulta post veniam : sed prudenter jam causam agit adversum eos qui fuerant a Lege præventi, et putabant se posse ex operibus justificari, ut scirent se salvos gratia, in eo perseverare debere quod cœperant.

(Vers. 4.) *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo malo, secundum voluntatem Dei et Patris nostri, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Neque Filius se dedit pro peccatis nostris absque voluntate Patris, neque Pater tradidit Filium sine Filii voluntate; sed hæc est voluntas Filii, voluntatem Patris implere ut ipse loquitur in psalmo: *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui* (*Psal.* XXXIX, 9). Deditse autem Filius, ut injustitiam quæ erat in nobis, justitia ipse subverteret. **377** Tradidit se sapientia, ut insipientiam expugnaret. Sanctitas et fortitudo se obtulit, ut spurcitiam, [b] infirmitatemque deleret. Atque ita non solum in futuro sæculo juxta promissam spem qua credimus, sed etiam hic de præsenti sæculo nos liberavit : dum commortui Christo, transfiguramur in novitatem sensus, et non sumus de hoc mundo, a quo merito nec amamur. Quæritur quomodo præsens sæculum malum dictum sit. Solent quippe hæretici hinc capere occasiones, ut alium lucis et futuri sæculi, alium tenebrarum et præsentis asserant conditorem. Nos autem dicimus, non tam sæculum ipsum, quod die ac nocte, annis currit et mensibus, appellari malum, quam ὁμωνύμως, ea quæ in sæculo fiant: quomodo sufficere dicitur diei malitia sua (*Matth.* VI) : et dies Jacob modici esse scribuntur et pessimi (*Genes.* XLVII). Non quo spatium temporis, in quo vixit Jacob, malum fuerit, sed quo ea quæ sustinuit, per varia eum exercuerint tentamenta. Denique eo tempore quo ille pro conjugibus serviebat, et multis conflictabatur angustiis (*Gen.* XXIX), Esau in requie erat, atque ita idem temporis spatium, alii bonum, alii malum fuit; nec scriptum esset in Ecclesiaste : *Ne dixeris quia dies mei priores* [Al. *pejores*] *erant boni super istos* (*Eccles.* VII, 11), nisi ad discrimen malorum. Unde Joannes ait : *Mundus omnis in maligno positus est* (1 *Joan.* V, 19). Non quod mundus ipse sit malus, sed quod mala in mundo fiant ab hominibus, *Manducemus et bibamus*, dicentibus, *cras enim moriemur* (*Isai.* XXII, 17). Et ipse Apostolus : **378** *Redimentes*, inquit, *tempus : quia dies mali sunt* (*Ephes.* V, 16). Infamantur et saltus, cum latrociniis pleni sunt, non quo terra peccet et silvæ, sed quo infamiam homicidii loca quoque traxerint. Detestamur et gladium, quo humanus effusus est cruor, et calicem in quo venenum temperatum est, non gladii, calicisque peccato; sed quod odium mereantur illi qui his male usi sunt. Ita et sæculum, quod est spatium temporum, non per semetipsum, aut bonum, aut malum est, sed per eos qui in illo sunt, aut bonum appellatur aut malum. Quapropter Valentini deliramenta et fabulæ contemnendæ sunt, qui triginta αἰῶνας [c] suos, ex eo quod in Scripturis sæcula legantur, affinxit, dicens eos esse animalia, et per quadradas et ogdoadas, decadas quoque et duodecadas, tot edidisse nume-

[a] In aliis libris, *Apostolico*. Et vero, cæteris repudiatis omnibus Scripturæ libris, duos tantum suis commendaverat Marcion, quorum alter *Evangelium* erat *Lucæ*, alter *Apostolicus*, sive *Apostolus*, quo decem Pauli Epistolæ variis a se interpolationibus deformatæ continebantur. Videndus Tertullianus lib. I, contra hunc hæresiarcham, cap. 1, et lib. IV, cap. 4, nec non S. Epiphanius, hæresi 42.

[b] Amovimus hinc verbum, *inscitiam*, quod vacabat, et nostri mss. ipseque olim Rabbanus ignorabant. Mox unus Palatin., *juxta promissa, spesque, quas credimus.*

[c] Duo mss. *triginta æonas suo sensu, quod in Scripturis*, etc.

ros sæculorum, quot Æneia [a] fetus scropha generavit. Quærendum quoque quid sit inter sæculum, et sæculum sæculi, sive sæcula sæculorum, et ubi pro brevi temporis spatio, ubi pro æternitate ponatur : quia in Hebræo sæculum, id est, [b] OLAM (עולם), ubi VAV litteram positam habuerit, æternitatem signifi-A cat, ubi vero sine VAV scribitur [c] annum quinquagesimum, quem illi Jubilæum vocant. Ob hanc causam et ille Hebræus qui propter uxorem et liberos amans Dominum suum aure pertunsa servitio subjugatur, servire jubetur in sæculum (*Exod.* XXI), hoc est, usque ad annum quinquagesimum. [d] Et Moabitæ et

[a] In aliis libris, *quot in Ænea*, vel, *in Æneide fetus*, etc. Notissimum porro apud Virgilium, lib. III Æneidos Heleni vaticinium :

Littoreis ingens inventa sub ilicibus sus
Triginta capitum fetus enixa jacebit,
Alba solo recubans, albi circum ubera nati, etc.

quos versus etiam sub octavi libri initium replicat,

[b] Vitiose scripserat Martianæus אולם, cum Aleph, pro עולם.

[c] Arguunt hunc commentarium Hieronymi scriptores nuperi, præsertim imperiti clerici, quibus respondere compulsus sum in prolegomeno tertio tomi II editionis nostræ. Videsis nostram ibi responsionem. MART.

[d] Hieronymi observatio isthæc de varia vocis *olam* scriptione, atque adeo significatu tristes criticorum ferulas non effugit, et cumprimis Joannis Clerici, qui famosum Quæstionum Hieronymianarum librum conscribendi hinc ansam arripuit. Conclamant falsam esse cum ipso Deuteronomii exemplo, quod laudat, ubi עולם plene scribitur, cum ex aliorum collatione locorum, non sane exiguo numero, in quibus vox illa plene occurrit, sive cum *vau*, nec tamen ibi de æternitate proprie dicta sermo est : deinde Rabbinicæ subtilitatis incusant, incuriæque in Hieronymo, qui a Judæo præceptore sibi fucum fieri sit passus, nec sacrum codicem suis ipse oculis usurparit. Nec ignoramus, quid in sancti Patris defensionem repositum hactenus fuerit : non eam videri ejus esse mentem, ut omnibus Scripturæ locis, quibus vox illa sive plene, ut vocant, sive non plene descripta C occurrit, distinctio illa varii significatus sit adhibenda, sed duobus hisce dumtaxat, Exodi scilicet, ac Deuteronomii, quos in exemplum adducit. Et sane prioris propositi loci עלם absque *vau* scriptum hodienum superat in Hebraicis libris : alterius vero, tametsi plene nunc scribitur, in eo quo Hieronymus exemplari utebatur, *vau* defecisse par sit opinari ex ipsiusmet testimonio. Ausim vero ego confidentissime pronuntiare S. Patris mentem, ipsaque verba perspecta habuisse hactenus neminem, quod mirum magis sit post tantopere vexatum a doctorum hominum ingeniis locum. Nempe ita accipiunt pari omnes consensu, ut utrumque exemplum eidem inserviat proposito, brevis videlicet temporis per *vau* defectum ea in voce demonstrandi, factumque inde, cum ille oppositum plane doceat, ut falso ac temere alii accusarint, et qui tueri conati sunt, supposititio errori miseram exceptionem adhiberent. Vult enimvero Hieronymus hocce altero Deuteronomii testi-D monio perpetui temporis præferre exemplum, quod plena עולם voce denotetur, quodque priori illi Exodi ex adverso respondeat, ubi per *vau* defectum breve spatium, sive quinquagesimus annus designatur. Id ut planissime constet, tantum animadverte, duo sibi proposuisse S. Doctorem de *olam* voce ac significatu ex Scripturarum testimoniis demonstranda conceptis verbis, alterum : *Ubi pro brevi temporis spatio*, alterum : *Ubi pro æternitate ponatur*. Igitur cum prius exemplum brevis, sive definiti temporis Exodi testimonio monstrarit, posterius hocce ex Deuteronomio petitum, quod æternæ durationis sit nota, et revera sentit, et ex orationis ipsa serie ad propositi sui partem alteram explendam, dicere necesse habuit. Quod vero ita sentiens, verissime dixerit, nec sentire aliter posset, res clamat ipsa. Ammonitarum, Moabitarumque prohibita a publicis in populo Dei officiis in æternum gens fuit ; nec alio referri quam ad temporis perennitatem significandam illorum exemplum potuit. Statim ipsa incurrit in oculos, quam fere de verbo laudat S. Pater, sacri textus sententia : *Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt in Ecclesiam Domini in æternum.* Et : *Non facies eis pacem, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum.* Clamat et ipsa, quam toto urget contextu, phrasis Hebraici archetipi, et scriptio, ad quam provocat, plena semel atque iterum in omnibus libris, B עד־עולם, et כל־ימיך לעולם ut commentum sit plane inutile, nullaque nixum probabilitate existimare, quod in eo *vau* deficeret, quo S. Doctor exemplari utebatur. Quid quod ipsam videatur Scripturæ sententiam exaggerare Hieronymus? Certe quod ait Moses, *neque post decimam*, ille, *usque ad quintam et decimam generationem* protendit. Neque vero quod hoc utitur adverbio, *usque ad*, sequitur ut postea eos admittendos populos putarit, sed juxta Scripturarum idioma, quod et numquam fieret, *et factum non sit ostendit.* Adde quod quindecim generationes, quarum se unaquæque ad Septuaginta eoque amplius annos ex Scripturarum consuetudine, ipsiusque supputatione Hieronymi in cap. XXVI. Ezechielis extendit, millenos una simul annos exsuperant. Et qui, rogo, hoc potuit pro brevi haberi temporis intervallo, nec pro brevi ἁπλῶς tantum, sed habito ad quinquaginta annos respectu, ut simile et geminum Jubilæi spatio sit? Profecto qua tandem ex parte lo-C cum istum expendas, mirari non desinas, potuisse præconceptam hominum opinionem ad plane oppositum illi, quem verissime auctor præferebat, sensum detorquere.

Ecquid vero erit pretii, si erroris causas indicavero, sensumque S. Patris ab immani qua laborat luxatura restituam? Ut brevissime dicam, quæ huic alteri exemplo subjungitur clausula : *Quia omnis dura conditio Jubilæi solvebatur adventu*, quod ad ejus una serie sensum referri videretur, tota erroris occasio fuit. Peccat vero manifesta scribarum trajectione, movendaque loco est, et priori subnectenda exemplo ante tres fere versus post verba, *hoc est usque ad annum quinquagesimum.* Equidem hujusce restitutionis fidejussores manu exarati libri, aut vulgati nulli suppetunt, iis tamen argumentis certam evincemus, ut nihil sit dubii reliquum, eaque una nulli amplius calumniæ Hieronymi textus obnoxius sit, nulla imposterum defensione indigeat. Est autem et id genus hic loci scribarum D lapsus, quod in antiquis codicibus passim usuvenit, dum vel ab auctore, ut Hieronymus ait, *in latere descripta*, vel ab amanuensibus prætermissa verba atque ad libri oram annotata, postmodum alius in textum illaturus imprudens non suo loco posuit. Verum hæc facile evidentiora argumenta sunt. Primo ad Moabitas atque Ammonitas, qui ex Judæa gente non erant, nullo modo Jubilæus pertinebat, nec pertinuisse umquam potuit : stulteque adeo pericope illa ad populos referatur, qui ab iis moribus abhorrebant immane quantum. Econtrario Hebræum, et proprie manumissum spectat, qui certo consilio libertatem suam abjudicans ob uxoris filiorumque amorem, ut habes Exodi XXI, 5, 6, aure perforata servire jubetur *in sæculum*, hoc est, ad Jubilæum usque, sive prope fuerit is annus, sive multum abfuerit. Secundo Jubilæus quinquagesimo quoque anno recurrebat, opportuneque Hebræi ser-

Ammonitæ (*Deut* XXIII), non ingrediuntur Ecclesiam
379 Domini, usque ad quintam et decimam generationem, et usque in sæculum : Quia omnis dura conditio Jubilæi solvebatur adventu. Quidam dicunt eumdem esse sensum in sæculis sæculorum, quem in sanctis sanctorum, in cœlis cœlorum, in operibus operum, in Canticis canticorum : et quam habent differentiam cœli ad eos, quorum cœli sunt, et sancta, quæ sanctorum comparatione sunt sanctiora, et opera, quæ operum prælatione meliora sunt, et Cantica, quæ inter Cantica universa præcellunt : eamdam habere et sæculum, quæ sæculorum collatione sunt sæcula. Præsens itaque sæculum ita edisserunt, ut dicant ex eo tempore illud esse numerandum, ex quo cœlum et terra sunt condita, et currere usque ad consummationem mundi, quo Christus judicaturus est omnia. Revocant quoque ultra, et in
380 priora promovent gradum, de præteritis et futuris sæculis disputantes, bona an mala fuerint, seu futura sint : et in tam profundas incidunt quæstiones, ut libros quoque et infinita volumina super hac dissertione condiderint. Quod autem prologus Pauli, AMEN, Hebræo sermone concluditur : AMEN (אמן), Septuaginta transtulerunt, γένοιτο, id est, *fiat :* Aquila πεπιστωμένος, *vere*, sive *fideliter*. Quod etiam in Evangelio a Salvatore semper assumitur, sua per AMEN verba firmante.

(Vers. 6.) *Miror, quod* [a] *tam cito tranferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi Jesu, in aliud Evangelium quod non est aliud, nisi si sunt aliqui qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi.* Verbum translationis in Genesi primum legimus (*Genes.* V), ubi *Enoch transtulit Deus, et non inveniebatur.* Et in Regnorum postea libris (III *Reg.* XXI), quando Achab a cultu Dei
381 ad idolorum venerationem transtulit uxor sua Jezabel, ut faceret juxta omnia quæ fecit Amorrhæus, quem disperdidit Dominus a facie filiorum Israel. Sed cum sit utraque translatio, illa Dei est, hæc diaboli. Qui transfertur a Deo, non invenitur ab inimicis suis : nec ei potest insidiator obrepere. Hoc quippe significare æstimo, *et non inveniebatur.* Qui vero transfertur a diabolo, in hoc transfertur quod videtur esse, sed non est. Sapientes quoque sæculi eos qui de dogmate transferuntur ad [b] dogma, *translatos* vocant, ut Dionysius ille (cujus fuit ante sententia, dolorem non esse malum : postquam oppressus calamitatibus et dolore cruciatus, cœpit affirmare quod dolor esset summum omnium malorum) ab his appellatus est *Transpositus*, sive *Translatus*, quod scilicet a priori decreto recedens, in contrarium recidisset. Miratur itaque Paulus : primum quod translati sunt ab Evangelii libertate, in legalium operum servitutem. Deinde quod tam cito translati : quia non ejusdem reatus est transferri ab aliquo [c] difficulter, et cito transferri ; ut in Martyrio non eadem pœna plectitur, qui absque colluctatione et tormentis statim prosiluit ad negandum, et ille qui inter equuleos, fidiculas, ignesque distortus, compulsus est quod credebat, negare. Recens adhuc erat Evangelii prædicatio, non grande tempus in medio, quo Galatas Apostolus ab idolis ad Christum traduxerat. Miratur itaque quomodo tam cito recesserint ab eo, ad cujus nomen dudum facti fuerant Christiani. Habet autem et locus ipse ὑπέρβατον, quod ita suo ordine legi potest. Miror quod tam [*Al. addit* sic] cito transferimini a Christo Jesu, qui vos vocavit in gratiam, dicens : *Non veni vocare justos, sed peccatores* ad pœnitentiam (*Marc.* II, 17). Gratia quippe salvi facti sumus, et non per legem (*Ephes.* II, 8). Translati autem, inquit, estis in aliud Evangelium, quod non est aliud : quia omne quod falsum est, non subsistit, et quod veritati contrarium est,
382 non est, ut illud : *Ne tradas, Domine, sceptrum*

vi duram conditionem suo dicitur adventu solvere, quorum ut longissima servitus quinquagesimum annum superare ex Lege non poterat : Moabitarum vero atque Ammonitarum erat et post decimam generationem et sempiternum repudium. Tertio demum, quo tandem modo Hieronymianam dissertionem accipias (etiamsi reclamante Scriptura, reique veritate, velis definitum hoc quoque altero exemplo spatium indici, longissimum tamen fatearis, et quod omnino cum Jubilæo nequeat componi), propositum tamen omne hæc destruit in fine clausula, secumque ipso cogit pugnare Hieronymum, qui Moabitas, atque Ammonitas usque ad quintam et decimam generationem ab Ecclesia Dei prohiberi, eosque singulis quinquaginta annis admitti dixerit. Puto intelligis, non hæc a S. Doctore scribi potuisse, quin fuisse omnino ab eo verba illa priori, cui optime quadrant, exemplo subjuncta. Lege itaque sodes et meo periculo ad hunc modum integrum textum : *Ob hanc causam et ille Hebræus, qui propter uxorem et liberos, amans dominum suum, aure pertusa, servitio subjugatur, servire jubetur in sæculum, hoc est, usque ad annum quinquagesimum : quia omnis dura conditio Jubilæi solvebatur adventu. Et Moabitæ et Ammonitæ non ingrediuntur Ecclesiam Domini, usque ad quintam et decimam generationem, et usque in sæculum. Quidam dicunt, eumdem esse sensum*, etc. Manum ab ipso refigendo textu abstinuimus, quod nulla aut veteris libri, aut boni Scriptoris auctoritas suffragio sit. Cæterum restituta ad hunc modum lectione, S. quoque Doctor ab omni prorsus calumnia vindicatur. Nihilque jam interest quærere, si eadem sit et in reliquis Scripturæ omnibus locis regula in plene, aut secus pro vario significatu *olam*, voce describenda, cum hoc satis abunde sit, propositæ defensioni, si quæ duo exempla in rem suam Hieronymus laudat, ita verissime, quemadmodum ille constituit, se habere demonstraverimus.

[a] Duo mss. et vetus editio, *quod sic tam cito*, etc., hic atque infra, ubi locus iste recurrit.

[b] Antea erat, *ad dogmata*, minus recte. Græci Μετατιθεμένους vocant qui priorem sententiam retractant : ipseque Dionysius, quem Hieron. ridet, quod primum Zenonis Cittiei auditor, a Stoicis postea defecerit ad Cyrenaicos, Μεταθέμενος, *Metathemenus* cognomento audiit. Vide Athenæum, lib. x, ubi haud bene Μεταθέμενον interpres reddit, *transpositorem*, pro *translatum*, ut Hieronymus vertit, sive *mutatum*. Multa de hoc philosopho tradit Laertius.

[c] Penes Rabbanum, *et difficultate transferri*, minus bene, sicuti et paulo post, ubi *faculas*, pro *fidiculas* legit.

tuum his qui non sunt (*Esther*. XIV, 12). Et ea quæ non erant, vocavit Deus, ut [a] faceret esse quod non erat. Si autem hoc de his qui in eumdem credebant Deum, et easdem Scripturas habebant, dicitur, quod translati sint in aliud Evangelium, quod non est Evangelium, quid de Marcione et cæteris hæreticis, qui Conditorem respuunt, et alterius Dei Christum simulant, æstimare debemus? Qui non interpretatione legis [b] et litteræ, vel pugna carnis et spiritus labuntur et corruunt, sed de toto Ecclesiæ jure discordant. Pulchre autem ait: *Nisi sunt aliqui qui vos conturbent, et volunt convertere Evangelium Christi.* Volunt, inquit, Evangelium Christi mutare, convertere, turbare: sed non valent. Quia hujus naturæ est, ut non possit aliud esse, quam [c] verum est. Omnis qui Evangelium alio interpretatur spiritu et mente quam scriptum est, credentes turbat, et convertit Evangelium Christi, ut id quod in facie est, post tergum faciat, et ea quæ post tergum sunt, vertat in faciem. Si quis tantum litteram sequitur, posteriora ponit in faciem. Si quis Judæorum interpretationibus acquiescit, post tergum mittit ea quæ ex natura sua in faciem constituta sunt. Necnon et illud congrue, quod translationis verbum Galatis coaptatum est: [d] *Galatia* enim *translationem* in nostra lingua sonat.

(Vers. 8.) *Sed licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis, præter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, et nunc iterum dico: si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Potest et hyperbolice dictum accipi, non quo aut apostolus, aut angelus aliter potuerint prædicare quam semel dixerant: sed etiamsi hoc posset fieri, ut et apostoli et angeli mutarentur: tamen non esse [*Al.* esset] ab eo quod semel acceptum fuerat, recedendum: maxime cum ipse apostolus in **383** alio loco firmitatem fidei suæ ostendat dicens: *Scio quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque præsentia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura, poterit nos separare a dilectione Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom.* VIII, 38). *Veritatem dico, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea* (*Rom.* IX, 1). Hæc quippe dicta non sunt ejus qui possit a Christi fide et dilectione aliquando discedere. Qui autem nolunt [e] καθ' ὑπόθεσιν hoc dictum esse, sed vere: quod scilicet possint et apostoli et angeli ad pejora converti, illud opponunt, quod et ipse Paulus scierit posse se labi, si segnius ageret, dicens: *Subjicio autem corpus meum, et in servitutem redigo, ne aliis prædicans, ipse reprobus inveniar* (I *Cor.* IX, 27). Angelos quoque esse mutabiles, qui non servaverint principatum suum; sed relinquentes proprium domicilium, in judicio magni diei vinculis æternis sub caligine reservantur (*Judæ*, VI). Dei solius naturam esse immutabilem, de quo scribitur: *Tu vero ipse es* (*Ps.* CI, 28). Et ipse de se: *Ego Deus vester, et non mutor* (*Malach.* III, 6). Cecidisse luciferum, qui mane oriebatur; et eum qui mittebat [f] quondam ad omnes gentes, in terra esse contritum. Eleganter in hoc loco vir doctissimus Tertullianus, adversus Apellem, et ejus virginem Philumenem, quam angelus quidam diabolici spiritus et perversus impleverat, hunc esse scribit angelum, cui multo antequam Apelles nasceretur, Spiritus sancti vaticinio sit anathema per Apostolum prophetatum. Porro ἀνάθεμα, verbum proprie Judæorum est, et positum [*Al.* proprium] tam in Jesu Nave (*Jos.* VI, 7), quam in Numeris (*Num.* XXI), quando omnia quæ erant in Jericho et Madianitarum detestationi et anathemati habenda Dominus imperavit. Interrogemus eos, qui Christum et apostolum Paulum, boni Dei et usque ad illud tempus ignorati, vel filium asserunt esse, vel servum, qui maledicere nesciat, nec noverit aliquem condemnare: quomodo nunc Apostolus ejus, verbo Judæorum, id est, Creatoris **384** utatur: et perire vel angelum vel apostolum velit, cum ipse non soleat ulcisci. Quod autem addidit, *sicut prædiximus, et nunc iterum dico*, ostendit se et in principio hoc ipsum caventem, denuntiasse anathema eis qui aliter prædicaturi erant, et nunc postquam prædicatum est, id anathema decernere quod ante prædixerat. Propterea autem et sibi, quem aliud in Judæa facere, aliud docere in gentibus criminabantur, et angelo quem majorem etiam præcessoribus suis apostolis esse constabat, anathema denuntiavit: ut non magna Petri et Joannis putaretur auctoritas, cum nec sibi liceret qui eos ante docuerat, nec angelo aliter prædicare, quam semel didicerant. Se itaque et angelum nominatim posuit; alios vero absque nomine. *Si quis*, inquit, *vobis evangelizaverit*, ut in generali vocabulo, nec præcessoribus faceret injuriam; et tamen nomina eorum latenter ostenderet.

[a] Palat. ms., *ut faceret ea esse quæ non erant.*

[b] Penes Victorium, *in interpretatione Legis, et litteræ pugna, vel spiritus labuntur.* etc.

[c] Rectius fortasse Rabban., *quam quod verum est.*

[d] Utique juxta tunc vulgo receptas libri Nominum etymologias ex I ad Corinth. Cæterum nemo non sentit, *Galatiam* Græcum esse vocabulum, non Hebræum, nihilque sonare aliud quam Galatarum regionem, quorum ἀπὸ τοῦ γάλακτος, *a lacte*, ducitur etymologia. Gallos, sive, ut Livius vocat, Gallogræcos, trajecta Græcia sub rege Seleuco Nicanore, Asiam invasos, a lacteo colore corporis sortitos hoc nomen esse apud Græcos, omnium receptissima sententia est. Confer paulo post alteram, sive in secundum librum præfationem S. Patris.

[e] Pro verbo, καθ' ὑπόθεσιν, quod nunc e Cisterciensi ms. restituo, falso hactenus obtinuit istud, ὑπερβολικῶς. Fraudi fuit antiquariis, quod paucis abhinc versibus hac Hieronymus voce usus est: *Potest et hyperbolice dictum accipi*, ut hanc ex ingenio facile substituerent, nullo fere boni sensus dispendio. Verum et multo concinnior ad S. Patris mentem, eaque una germana est, quam reponimus lectio, καθ' ὑπόθεσιν, quamquam et in syllabis probe assequendis in ms. multo difficilior: scribitur enim uno tenore sic, ΚαΘΥΝΟΘΕC in. Sciunt porro omnes quid sit καθ' ὑπόθεσιν, sive *per suppositionem*, et non tamquam constitutum aut verum aliquid pronuntiare.

[f] Palat. ms., *qui mittebat, quondam ad gentes scandalum in terra esse*, etc.

(*Vers.* 10.) ***Modo enim hominibus suadeo an Deo : aut quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.*** A Non putemus ab Apostolo nos doceri, ut exemplo suo hominum judicia contemnamus, qui in alio loco dixerit : *Scientes ergo timorem Domini, hominibus suademus : Deo autem manifesti sumus* (II *Cor.* v, 11); et illud : *Sine offensione estote, Judæis, et gentibus, et Ecclesiæ Dei : sicut et ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salventur* (I *Cor.* 10). Sed si fieri potest, ut pariter Deo et hominibus placeamus, placendum est et hominibus. Sin autem aliter non placemus hominibus, nisi Deo displiceamus : Deo magis quam hominibus placere debemus. Alioquin et ipse infert, cur omnibus per omnia placeat : *Non quærens*, inquiens, *quod mihi* B *utile est : sed quod multis, ut salventur*. Qui autem ex ea charitate, [a] quæ non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliena sunt, placet omnibus ut salventur : utique Deo primum placet, cui salus hominum curæ est. Habet autem et verbum, quod **385** hic specialiter additum est, *modo*, vel placendum esse pro tempore hominibus, vel displicendum : ut qui modo non placet propter Evangelii veritatem, placuerit quondam ob salutem plurimorum. Placuerat Paulus aliquando Judæis, cum æmulator existens paternarum traditionum, sine querela ante in lege versatus est : et tantum habuit in majorum cæremoniis ardoris et fidei, ut in Stephani nece particeps fuerit [*Al.* fieret], et Damascum perrexerit ad eos, qui a lege desciverant, vinciendos (*Actor.* ix). C Sed postquam in vas electionis de persecutore translatus est, et cœpit prædicare fidem, quam quondam expugnaverat, cœpit pariter displicere Judæis, quibus ante placuerat. Hoc est ergo quod ait : Numquid quæro Judæis placere, quibus displicendo, Deo placui? Si enim illis placerem, adhuc Christi servus non essem. Assererem quippe legem, et Evangelii gratiam destruerem. Nunc autem propterea nec in simulationem quidem observandæ legis adducor : quia non queo [*Al.* quæro] et Deo placere pariter et Judæis; quibus quicumque placet, Deo displicet. Ipsum quoque verbum, *suadere*, de humano usu sumptum est, cum quis id quod ipse habet, et semel imbibit, etiam cæteris conatur inserere : et in plurimis Scripturarum locis legitur, ex quibus illud est : D *Suasio non est ex eo qui vocavit vos* (*Gal.* v, 8). Necnon et in Actibus apostolorum : *Venerunt ergo ad eum Judæi in hospitium multi : quibus exponebat*, [b] *contestans eis regnum Dei, suadensque eis de Jesu, ex Lege Moysi et Prophetis usque ad vesperum.* Hoc autem totum ideo, quia disseminatum [*Al.* diffamatum] de eo fuerat, occulte illum custodire Legem, et in Jerosolymis cum his qui judaizabant, consortium miscuisse.

(*Vers.* 11, 12.) ***Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum est a me : quia non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; sed per revelationem Jesu Christi.*** Ex hoc loco Ebionis et Photini dogma conteritur : quod Deus sit Christus, et non tantum homo. Si enim Evangelium Pauli non est secundum hominem, neque ab homine accepit illud, aut didicit, sed per revelationem Jesu Christi; **386** non est utique homo Jesus Christus, qui Paulo Evangelium revelavit. Quod si non est homo, consequenter Deus est. Non quo hominem negemus assumptum; sed quo tantum hominem renuamus. Quæritur utrum totius orbis Ecclesiæ Dei acceperint Evangelium, an hominis : quotus enim quisque nostrum per revelationem Christi didicit, et non homine prædicante cognovit? Ad quod respondebimus, eos qui possunt dicere : *An experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* xiii, 3)? Et : *Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus* (*Galat.* ii, 20), non tam ipsos docere, quam in ipsis Deum, qui ad sanctos loquatur : *Ego dixi, dii estis, et filii excelsi omnes* (*Ps.* lxxxi, 6); et statim de peccatoribus : *Vos autem ut homines moriemini, et tamquam unus de principibus cadetis.* Cum igitur Paulus loquitur et Petrus, qui non moriuntur ut homines neque ut unus de principibus corruunt, deos eos esse, manifestum est. Qui autem dii sunt, tradunt Dei Evangelium, et non hominis. Marcion et Basilides et cæteræ hæreticorum pestes, non habent Dei Evangelium; quia non habent Spiritum sanctum, sine quo humanum fit Evangelium, quod docetur. Nec putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu : non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis. Dicitur in propheta de Deo : *Sermones ejus boni sunt cum eo* (*Mich.* ii, 7). Tunc Scriptura utilis est audientibus, cum absque Christo non [c] dicitur, cum absque patre non profertur, cum sine Spiritu non eam insinuat ille qui prædicat. Alioquin et diabolus qui loquitur de Scripturis, et omnes hæreses secundum Ezechielem (*Cap.* xiii) inde sibi consuunt cervicalia, quæ ponant sub cubito universæ ætatis. Ego quoque ipse qui loquor, si Christum in me habeo, non habeo Evangelium hominis; si autem peccator sum, dicitur mihi : *Peccatori dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas : et assumis in labiis tuis Testamentum meum? Tu autem odisti disciplinam, et projecisti verba mea post te* (*Ps.* xlix, 16, 17), et cætera quæ sequuntur. Grande periculum est in Ecclesia loqui, ne forte interpretatione perversa, de Evangelio Christi, hominis **387** fiat Evangelium : aut quod pejus est, diaboli. Inter accipere autem, et discere, hoc interest, quod ille accipit Evangelium, cui primum insinuatur, et ad fidem ejus adducitur, ut credat vestra

[a] Idem ms., *ex ea charitate non quærit*, etc. Mox in ms. Cisterciensi, *placet hominibus ut salventur.*

[b] Duo mss., *contestans eos de regno Dei.*

[c] Reponendum fortasse sit, *discitur*. Mox unus Cisterciens., *non prophetatur*, pro *non profertur*. Et paulo post, *alioquin et diabolus loquitur de Scripturis*, etc.

esse quæ scripta sunt. Discit autem is, qui ea quæ in illo per ænigmata et parabolas figurata sunt, explanata et disserta cognoscit : [a] et cognoscit, non homine revelante sed Christo, qui revelavit Paulo, [b] aut per Paulum, in quo loquitur Christus. Verbum quoque ipsum ἀποκαλύψεως, id est, *revelationis*, proprie Scripturarum est, et a nullo sapientum sæculi apud Græcos usurpatum. Unde mihi videntur quemadmodum in aliis verbis, quæ de Hebræo in Græcum Septuaginta interpretes transtulerunt, ita et in hoc magnopere esse conatos, ut proprietatem peregrini sermonis exprimerent, nova novis rebus verba fingentes : et sonare, cum quid tectum et velatum, ablato desuper operimento, ostenditur et profertur in lucem. Hoc ut manifestius fiat, accipite exemplum. Moyses cum Deo revelata et aperta facie loquebatur (*Exod.* XXXIII, XXXIV), id est, absque velamine : ad populum autem loquens, quia in vultum ejus attendere non valebant, velamen ponebat in facie (*Num.* IV). Ante Arcam quoque Testamenti velum oppansum erat : quod cum fuisset reductum, ea quæ ante abscondita fuerant, prodebantur : et ut ipso verbo utar, *revelabantur*. Si itaque hi qui disertos sæculi legere consueverunt, cœperint nobis de novitate et vilitate sermonis illudere, mittamus eos ad Ciceronis libros, qui de quæstionibus philosophiæ prænotantur : et videant, quanta ibi necessitate compulsus sit, tanta verborum portenta proferre, quæ numquam Latini hominis auris audivit : et hoc cum de Græco, quæ lingua vicina est, transferret in nostram. Quid patiuntur illi, qui de Hebræis difficultatibus proprietates exprimere conantur? et tamen multo pauciora sunt in tantis voluminibus Scripturarum quæ novitatem sonent, quam ea quæ ille in parvo opere congessit. Potest autem, **388** sicut in principio diximus, cum exponeremus: *Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem :* ita et in præsenti loco oblique in Petrum accipi, et in cæteros præcessores ejus : quod nullius pro Lege et auctoritate moveatur, qui Christum solum Evangelii habeat [c] præceptorem. Porro, revelationem illam significat, cum Damascum vadens, in itinere Christi vocem meruit audire : et cæcatis oculis, verum mundi lumen intuitus est.

(Vers. 13.) *Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo : quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei ; et expugnabam illam : et proficiebam in Judaismo, supra multos coætaneos* [d] *in genere meo : abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.* Plurimum prodest Galatis ista narratio, quomodo Paulus, vastator quondam Ecclesiæ et

A Judaismi acerrimus defensator, ad Christi fidem repente conversus sit. Et hoc eo tempore quo crucifixus primum annuntiabatur in mundo; quo novum dogma et a gentibus et a Judæis totius orbis finibus pellebatur. Dicere enim poterant : Si ille qui a parva ætate Pharisæorum institutus est disciplinis, qui omnes coætaneos suos in Judaica traditione superabat, nunc defendit Ecclesiam, quam quondam validissime persequebatur; et magis Christi gratiam et novitatem vult habere cum invidia omnium, quam vetustatem Legis cum laude multorum : quid nos facere oportet, qui ex gentilitate esse cœpimus Christiani? Pulchre vero adjunxit : *Supra modum persequebar Ecclesiam Dei,* ut et hinc quoque admiratio nasceretur, quod non [e] unusquisque de his qui leviter persequebantur Ecclesiam : sed ille qui cæteros B in persecutione vincebat, conversus ad fidem sit. Et prudenter dum aliud narrat, interserit non tam Dei se servisse Legi, quam paternis, id est, Pharisæorum traditionibus; qui docent doctrinas et mandata hominum (*Matth.* XV; *Marc.* VII); et rejiciunt Legem Dei, ut statuant **389** traditiones suas. Quam pulchra autem observatio pondusque verborum : *Audistis*, inquit, *conversationem meam aliquando in Judaismo*, conversationem, non gratiam : *aliquando*, non modo : *in Judaismo*, non in lege Dei. *Quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei ; et devastabam illam.* Non persequebatur ut cæteri, sed supra modum. Nec sufficiebat quamvis vehemens persecutio : sed quasi quidam grassator Ecclesiam et præ-C do vastabat. Nec ait, *Ecclesiam Christi*, ut tunc putabat [*Al.* putabatur] : quem ducebat contemptui, quem persequebatur : sed ut nunc credit, *Ecclesiam Dei* : vel ipsum Christum Deum esse significans, vel ejusdem Dei esse Ecclesiam, qui quondam Legis dator fuit. *Et proficiebam*, inquit, *in Judaismo supra multos coætaneos in genere meo : abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.* Rursum profectum non Legis Dei, sed Judaismi vocat. Nec supra omnes, sed supra plurimos, nec supra senes, sed supra coætaneos, ut et studium suum referret in Lege, et jactantiam declinaret. Paternas autem traditiones, non Domini mandata commemorans, et se Pharisæum ex Pharisæis indicavit, et habuisse quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam. D Usque hodie autem qui Judaico sensu Scripturas intelligunt, persequuntur Ecclesiam Christi, et populantur illam, non studio Legis Dei, sed traditionibus hominum depravati.

(Vers. 15.) *Cum autem placuit ei qui me segregavit de utero matris meæ : et vocavit per gratiam suam*, ut

[a] Alterum, *et cognoscit*, duo e nostris mss. ignorant.

[b] Verba, *aut per Paulum*, Cisterc. ms. nescit. Cæterum quod ait S. Pater, *verbum ἀποκαλύψεως proprie Scripturarum esse, et a nullo sapientum sæculi apud Græcos usurpatum*, perbelle iis consonat, quæ nobis notata sunt ad Catalogi cap. 9, ubi de Joanne tradit Hieronymus eum *in Pathmos insulam relegatum scripsisse Apocalypsin, quam interpretatur Justinus Martyr, et Irenæus.* Scilicet, cum Joannis revelationem, sive scriptionem ita laudati Patres de nomine *Apocalypsin* appellarunt. Recole quæ ibi annotamus.

[c] Unus Palat., *habeat præcessorem.*

[d] Voculam, *meos*, quam hic atque infra editi libri interserebant, mss. nostrorum auctoritate expunximus, quod et a Græco exemplari absit.

[e] Duo mss., *non unus quicumque de his*, etc.

A *revelaret Filium suum in me, ut evangelizem illum in gentibus.* Non solum in hoc loco, sed ad Romanos Paulus segregatum in Evangelium Dei esse se scribit. Et Jeremias antequam formaretur in utero, et conciperetur in vulva matris suæ, notus Deo sanctificatusque perhibetur (*Jerem.* I). Et ex justi, sive, ut quidam putant, ex Salvatoris persona dicitur (*Ps.* XXI, 11) : *In te projectus sum ex vulva : ex utero matris meæ,* **390** *Deus meus es tu.* Contra de peccatoribus David canit : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum : et in delictis concepit me mater mea* (*Ps.* L, 7). Et in alio loco : *Abalienati sunt peccatores a vulva* (*Ps.* LVII, 4). Et in utramque partem antequam parvuli nascerentur : *Deus Jacob dilexit, Esau autem odio habuit* (*Malach.* I, 1, 2). Inveniunt locum B hæretici, qui diversas naturas esse prætendunt, spiritualem videlicet et animalem, et χοϊκὴν, et aliam salvari, aliam perire, aliam inter utramque consistere, quod numquam aut justus [a] eligeretur, antequam aliquid boni faceret, aut peccator odiretur ante delictum, nisi esset pereuntium et salvandorum natura diversa. Ad quod potest simpliciter responderi, hoc ex Dei præscientia evenire, ut quem scit justum futurum, prius diligat quam oriatur ex utero : et quem peccatorem, oderit [b] antequam peccet : non quo et in amore et in odio iniquitas Dei sit; sed quo non aliter eos habere debeat, quod scit vel peccatores futuros esse, vel justos : nos ut homines tantum de præsentibus judicare, illum cui futura jam facta sunt, de fine rerum, non C de exordiis ferre sententiam. Et hæc quidem simplicius dicta sunt : et absque altiori dissertione possunt utcumque placere lectori. Cæterum [c] qui injustum Deum nituntur asserere, post illud quod dudum posuimus, *abalienati sunt peccatores a vulva,* inferunt etiam cætera quæ sequuntur : *Erraverunt ab utero, locuti sunt falsa.* Et dicunt, quomodo statim ab utero erraverunt peccatores, et falsa locuti sunt, qui nec sermonem potuerunt habere, nec sensum? Aut quæ est ista justitia præscientiæ Dei, alium amare et custodire prius quam nascatur, alium detestari? Et causas hujus rei ad priorem vitam referunt, quod unusquisque pro merito suo, a primo statim ortu bonis aut malis angelis assignetur. Totumque illum locum de Jacob et Esau, cujus nunc fecimus mentionem, ita ad Romanos scriptum **391** ventilant (*Rom.* IX), ut non absque sudore et Chrysippi eis possit [d] helleboro responderi. Non est autem ipsum, *ut revelaret Filium suum in me*, quod si [*Al.* quasi] diceret, *ut revelaret Filium suum mihi.* Cui enim quid revelatur, huic illud potest revelari, quod ante in eo non erat. In quo vero revelatur, illud revelatur quod prius fuit in eo, et postea revelatum est. Simile est illud in Evangelio : *Medius in vobis stat, quem vos nescitis* (*Joan.* I, 26). Et alibi : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum* (*Ibid.*, 9). Ex quo perspicuum fit, natura omnibus Dei inesse notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, et non habere semina in se sapientiæ, et justitiæ, reliquarumque virtutum. Unde multi absque fide et Evangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte, ut parentibus obsequantur : ut inopi manum porrigant : non opprimant vicinos : non aliena diripiant : magisque judicio Dei obnoxii fiant [*Al.* fiunt], quod habentes in se principia virtutum, et Dei semina, non credunt [*Al.* credant] in eo sine quo esse non possunt. Potest et aliter accipi in Paulo Dei Filius revelatus : quod, prædicante illo, agnitus sit gentibus, quem antea nesciebant.

(Vers. 16). *Continuo non acquievi carni et sanguini.* Sive ut in Græco melius [e] habet : *Non contuli cum carne et sanguine.* Scio, plerosque de apostolis hoc dictum arbitrari. Nam et Porphyrius objicit, quod post revelationem Christi non fuerit dignatus ire ad homines, et cum eis conferre sermonem : ne post doctrinam videlicet Dei, a carne et sanguine instrueretur. Sed absit ut ego, Petrum, Joannem et Jacobum carnem et sanguinem putem; quæ regnum Dei possidere non possunt (I *Cor.* I). Si [f] spirituales

[a] Vitiose hactenus obtinuit, *justus intelligeretur antequam*, etc., pro quo e nostris mss., Rabbano iterum suffragante, restituimus, *eligeretur*. Quamquam concinniori adhuc sensu malim rescribi, *diligeretur;* hoc nempe verbum et commode magis illi, quod subsequitur, *odiretur* respondet, et propius ad mentem videtur Hieronymi, qui illud toto contextu D replicat. Multum in uno Palatino sententia hæc abludit : *Quod numquam aut justus eligeretur, aut nequam aliquid boni faceret, aut peccator odiret ante delictum*, etc.

[b] Quam huic adhibeas sententiæ exceptionem, docet theologorum schola.

[c] Hæc, ut et inferior totus contextus, Origenem ejusque asseclas verissime petunt; hanc enim ille blasphemiam incurrit cum alibi, tum homil. 20 in Josue, ubi multas intra nos ponit divinas virtutes, animarum vel corporum curam gerentes, multasque item noxias obsidentes, atque insidiantes. Unde et lib. VIII contra Celsum : Ἑλλήνων οἱ σοφοὶ λεγέτωσαν δαίμονας εἰληχέναι τὴν ἀνθρωπίνην ψυχὴν ἀπὸ γενέσεως : *Dicant Græcorum sapientes, dæmonas ab hominis nativitate sortitam esse animam.* His fere gemina ex homil. 12 in Lucam nos supra perstrinximus.

[d] Non invenio helleborum Chrysippi, sed Carneadis Academici, qui scripturus adversum Stoici Zenonis libros, candido helleboro superiora corporis purgare solitus legitur, ne quis ex corruptis in stomacho humoribus ad domicilia usque animi redundaret et instantiam vigoremque mentis labefaceret. Docet porro hoc in loco Hieronymus difficiles esse quæstiones cum hæreticis; ne opus nos Chrysippi dialectica habere, ut argutias caveamus hæreticorum Scripturis abutentium. MART. — Quamquam scio, alios esse bonos auctores, a Menagio ad Vit. Carneadis laudatos, qui Chrysippum helleboro usum tradant, antequam scribere aggrederetur : non repugno, si quis velit suspicari, vocabulum ipsum, *helleboro*, cubare in mendo. Equidem peculiaris et propria Chrysippi subtilitas in disserendo fuit : helleboro autem purgasse cerebrum, Carneadi contra Zenonem disputaturo proprium imputant Veteres uno consensu.

[e] Cistercienses mss., *melius habetur : Non contuli carne et sanguine.*

[f] Palat., *Si spirituales et apostoli*, etc., sup. *homines.*

A apostoli, caro et sanguis sunt, quid de χοϊκοῖς arbitramur? Non contulit plane Paulus post revelationem Christi cum carne et sanguine, quia noluit margaritas projicere ante porcos, nec dare sanctum canibus (*Matth.* VII). Vide quid de peccatoribus scriptum sit: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro* [Al. *carnes*] *sunt* (*Genes.* VI, 3). Cum talibus qui caro et sanguis erant, quæ **392** Petro quoque non revelaverunt Filium Dei (*Matth.* XVI), non contulit Apostolus Evangelium quod ei fuerat revelatum, sed paulatim eos de carne et sanguine vertit in spiritum: et tunc demum eis occulta Evangelii sacramenta commisit. Dicat quispiam: Si statim non contulit cum carne et sanguine Evangelium, tamen subintelligitur, quod [a] postmodum cum sanguine et carne contulerit: B et sensus hic, quo apostoli excusantur, ne caro et sanguis sint, stare non poterit: dum nihilominus qui in principio cum carne et sanguine non contulit, postmodum, ut dixi, cum carne et sanguine contulerit. Quæ præpositio nos coarctat, ut sic distinguamus, ne *statim*, sive *continuo*, cum carne jungamus et sanguine; sed cum superioribus hærere faciamus, et legatur: *Cum autem placuit ei qui me segregavit de utero matris meæ.* Ac deinde: *Ut revelaret Filium suum in me.* Et ad extremum: *Ut evangelizarem illum in gentibus continuo:* ut a proprio incipiat exordio: *Non contuli cum carne et sanguine;* magisque arbitrandum est sic stare sensum: quia qui statim missus sit, post revelationem Christi Evangelium gentibus annuntiare, C non steterit: nec moris quibusdam tempus produxerit eundo ad apostolos, et revelationem Domini cum hominibus conferendo: sed abierit in Arabiam, et rursus reversus Damascum, post tres annos Evangelium prædicaverit: et tunc demum Jerosolymam veniens, Petrum, Joannem et Jacobum viderit.

(Vers. 17.) *Neque veni Jerosolymam ad antecessores meos apostolos.* Si de apostolis dixerat, *non contuli cum carne et sanguine*, quid necesse fuerat idipsum iterare dicendo: *Neque veni Jerosolymam ad antecessores meos apostolos?* Is itaque sensus tenendus, quem supra exposuimus.

Sed abii in Arabiam: et iterum reversus sum Damascum. Non sibi videtur historiæ ordo concinere, D referente Luca in Actibus apostolorum (*Act.* IX), quod cum Paulus post fidem Christi per dies multos Evangelium Damasci loqueretur audenter, factæ fuerint ei insidiæ, et **393** in sporta per murum nocte demissus sit, et venerit Jerosolymam tentans se jungere discipulis. A quibus cum vitaretur, et timerent ad eum accedere, a Barnaba ad apostolos illum esse perductum: et ibi narrasse quomodo Dominum viderit in itinere, et Damasci fiducialiter egerit in nomine Domini [*Al. addit* Jesu]. *Erat*, inquit, *cum illis, intrans et exiens in Jerusalem, fiducialiter agens* [Al. *agentes*] *in nomine Domini. Loquebatur quoque et disputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum. Quod cum cognovissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, et dimiserunt Tarsum* (*Act.* XXVIII). Hic autem dicit se primum isse in Arabiam; et iterum reversum Damascum post triennium venisse Jerosolymam, vidisse Petrum, et cum eo mansisse diebus quindecim, nec præter Jacobum, fratrem Domini, alterum convenisse. Quæ ut vera credantur (dubia quippe videri absentibus poterant), sub testatione confirmat, dicens: *Quæ autem dico vobis, ecce coram Deo quia non mentior.* Possumus igitur æstimare esse quidem Paulum, secundum Lucæ historiam, Jerosolymam, non quasi ad antecessores apostolos, ut aliquid ab illis disceret: sed ut persecutionis impetum declinaret, qui sibi Damasci propter Evangelium Christi fuerat concitatus: et sic venisse Jerosolymam quasi ad quamcumque aliam civitatem. Inde eum statim propter insidias recessisse, et venisse Arabiam, sive Damascum: atque inde post triennium ad videndum Petrum Jerosolymam revertisse. Vel certe ita: Statim ut baptizatus sit, et accepto cibo confortatus, fuisse eum cum discipulis qui erant Damasci per dies aliquot: et stupentibus cunctis in synagogis Judæorum, prædicasse continuo quod Jesus esset Filius Dei; et tunc isse in Arabiam, et de Arabia Damascum revertisse, et ibi fecisse triennium: quos dies multos Scriptura testatur, dicens: *Cum implerentur autem dies multi, consilium fecerunt Judæi ut eum interficerent* (*Actor.* IX, 23). Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum: et custodiebant portas die ac nocte, ut eum interficerent. Accipientes ergo discipuli ejus nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta. Cum autem venisset Jerusalem, tentabat jungere se discipulis. Lucam vero **394** idcirco de Arabia præterisse, quia forsitan nihil dignum apostolatu in Arabia perpetrarat: et ea potius compendiosa narratione dixisse, quæ digna Christi Evangelio videbantur. Nec hoc segnitiæ Apostoli deputandum, si frustra in Arabia fuerit [*Al.* commoratus sit]: sed quod aliqua dispensatio et Dei præceptum fuerit ut taceret. Nam et postea legimus Paulum cum Sila egressum, prohibitum esse a Spiritu sancto verbum in Asia loqui (*Actor.* XVI). Aliter: *Sed abii in Arabiam; et iterum reversus sum Damascum.* Quid mihi prodest ista relatio, si legam quod Paulus post revelationem Christi statim ierit in Arabiam; et de Arabia statim Damascum fuerit reversus: nec sciam quid ibi gesserit, quidve utilitatis habuerit itus ac reditus? Dat mihi occasionem altioris intelligentiæ in hac eadem Epistola ipse Apostolus, cum de Abraham, Agar, et Sara disputans: *Quæ quidem sunt*, inquit, *per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo Testamenta: unum quidem a monte Sina, in servitutem generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui junctus est ei, quæ nunc est Jerusalem* (*Gal.* IV, 24, 25). Et docet vetus Testamentum, hoc est,

[a] In altero Cisterciensi, *quia post modicum cum sanguine*, etc.

A ancillæ [*Al.* in ancillæ] filium, in Arabia (quæ interpretatur *humilis* et *occidua*) constitutum. Statim itaque ut credidit Paulus, ad Legem, ad Prophetas, ad veteris Testamenti jam in occiduo positi sacramenta conversus, quæsivit in eis Christum, quem jussus fuerat in gentibus prædicare: et reperto illo, non est ibi diutius commoratus; sed reversus est Damascum, hoc est, ad sanguinem et passionem Christi: et inde prophetica lectione firmatus pergit Jerosolymam, locum visionis et pacis: non tam disciturus aliquid ab apostolis, quam cum eis Evangelium quod docuerat, collaturus.

(Vers. 18.) ***Deinde post annos tres, veni Jerosolymam videre Petrum.*** Non ut oculos, genas, vultumque ejus aspiceret, utrum macilentus, an pinguis; B adunco naso esset, an recto: et utrum frontem vestiret coma: an (ut Clemens in Periodis ejus refert) calvitiem haberet in capite. Nec puto Apostolicæ fuisse gravitatis, ut post tantam [a] triennii præparationem, aliquid humanum in Petro voluerit aspicere. Sed his oculis aspexit eum, quibus et modo in **395** Epistolis suis videtur. His oculis Paulus vidit Cepham, quibus nunc a prudentibus quibusque Paulus ipse conspicitur. Quod si cui non videtur, cum superiori sensu jungat [*Al.* junget] hæc omnia: quod nihil sibi apostoli contulerint. Nam et quod visus [*Al.* jussus] sit ire Jerosolymam, ad hoc isse ut videret apostolum, [b] non discendi studio, quia et ipse eumdem prædicationis haberet auctorem; sed honoris priori apostolo deferendi.

C ***Et mansi apud eum diebus quindecim.*** Non grandi indiguit magisterio qui tanto se ad videndum Petrum tempore præparavit. Et licet quibusdam superfluum videatur, numeros quoque qui in Scripturis sunt observare: tamen non abs re arbitror quindecim dies, quibus apud Petrum Paulus habitavit, plenam significare scientiam, consummatamque doctrinam. Siquidem quindecim sunt carmina in Psalterio, et quindecim gradus per quos ad canendum [c] ascendunt Deo, et in atriis ejus consistendum justus ascendit. Ezechias quoque quindecim annorum spatio sibi ad vitam dato, signum accipere meretur in gradibus (*Isa.* XXXVIII): et solemnitates Dei a quinto decimo die incipiunt (*Exod.* XII). Necnon (quia duplicem intelligentiam sequamur) propterea quindecim ponit dies, ut ostendat non fuisse grande tempus, quo potuerit aliquid a Petro discere; ut ad illum sensum a quo cœpit, cuncta referantur: se non ab homine doctum esse, sed a Deo.

(Vers. 19.) ***Alium autem apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.*** Memini me dum Romæ essem, impulsu fratrum librum de sanctæ Mariæ virginitate edidisse perpetua. In quo mihi necesse fuit de his qui fratres Domini dicti sunt, diutius disputare. Unde qualiacumque sunt illa quæ scripsimus, his contenti esse debemus. Nunc hoc sufficiat, ut propter egregios mores, et incomparabilem fidem sapientiamque non [d] mediam frater dictus sit Domini: et quod primus ei Ecclesiæ præfuerit, quæ prima in **396** Christum credens ex Judæis fuerat congregata. Dicuntur quidem et cæteri apostoli fratres Domini, sicut in Evangelio: *Vade, dic fratribus meis: vado ad Patrem meum, et ad Patrem vestrum: et ad Deum meum, et ad Deum vestrum* (*Joan.* XX, 17). Et in psalmo: *Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ cantabo te* (*Ps.* XXI, 22). Sed præcipue hic frater dicitur, cui filios matris suæ ad Patrem vadens Dominus commendaverat. Et quomodo Job et cæteri patriarchæ dicti sunt quidem famuli Dei, sed quasi egregium quiddam Moyses habuit, ut scriberetur de eo, *Sed non sicut Moyses famulus meus* (*Hebr.* III, 5): sic et beatus Jacobus specialiter frater Domini (ut ante diximus) appellatus est. Quod autem exceptis duodecim, quidam vocentur apostoli, illud in causa est: omnes qui Dominum viderant, et eum postea prædicabant, fuisse apostolos appellatos, ut ad Corinthios scribitur: *Quia visus est Cephæ, post hæc illis undecim: deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc: quidam autem dormierunt: deinde visus est Jacobo, deinde apostolis omnibus* (I *Cor.* XV, 5 *seqq.*). Paulatim vero tempore procedente; et alibi ab his quos Dominus elegerat, ordinati sunt apostoli; sicut ille ad Philippenses sermo declarat dicens: *Necessarium autem existimavi Epaphroditum fratrem, cooperatorem et commilitonem meum, vestrum autem apostolum, et ministrum necessitatis meæ mittere ad vos* (*Philip.* II, 25). Et ad Corinthios de talibus scribitur: *Sive apostoli Ecclesiarum, gloriæ* [Al. *in gloria*] *ei* (II *Cor.* VIII, 23).

[a] Nihil ejusmodi in Recognitionum libris Clementi perperam ascriptis hodienum est invenire. Mox unus Cisterciensis, *triennii prædicationem* legit.

[b] Duo mss. *non videndi studio, quia et ipse*, etc. Antea erat, *qui* pro *quia*.

[c] In uno Palatino desiderantur voces, *ad canendum*. Victorius quemadmodum et Rabbanus rectius tacent subsequens verbum, *ascendunt*.

[d] Hanc vocem non intellexit Marianus Victorius: ideo de suo posuit *modicam* contra consensum mss. codd., qui omnes retinent, *sapientiamque non mediam*, id est non mediocrem, sed primi gradus, plenam et consummatam. MART. — Maluit Victorius, *non modicam*. Cæterum vide quæ et nos observamus laudato contra Helvidium libro ad Hieronymianam de fratribus Domini sententiam, cui omnis theologo- D rum schola subscribit. Exponenda latius sententia est, dictum *fratrem Domini Jacobum*, juxta receptam apud Judæos consanguinitatem, utpote qui natus sit ex Maria sorore Deiparæ, quæ Maria Cleophæ, id est, Cleophæ uxor fuit, eique Jacobum, Josem, Simonem et Judam peperit, et fratres Domini una omnes a Judæis apud Matthæum nominantur. Solebant autem Hebræi אחים fratres vocare hujusmodi consanguineos sive consobrinos, quos et nos aliquando *Germanos* sive *fratres germanos* dicimus. Tota difficultas in eo est, quod Jacobus iste, ut et alii, Alphæi filius dicitur, non Cleophæ: cui satisfacimus demonstrando illud חלפי nomen Judæis familiare, posse utroque modo legi et *Chalphai*, et *Cleophai*, atque ita a Latino sive Græco interprete alibi *Halphai*, alibi *Cleophai* lectum. Vide supr. Comment. in Matth. XII.

Silas quoque et Judas ab apostolis, apostoli nominati sunt. Unde vehementer erravit, qui [a] arbitratus est Jacobum hunc de Evangelio, esse apostolum fratrem Joannis: quem constat post Stephanum juxta fidem Actuum apostolorum sanguinem fudisse pro Christo (*Actor.* XII). Hic autem Jacobus episcopus Jerosolymorum primus fuit, cognomento Justus: vir tantæ sanctitatis et rumoris in populo, ut fimbriam vestimenti ejus certatim **397** cuperent attingere. Qui et ipse postea de templo a Judæis præcipitatus, successorem habuit Simonem, quem et ipsum tradunt pro Domino crucifixum. Negat se itaque præter hos quemquam apostolorum convenisse, ne occulta contradictio nasceretur: etiamsi a Petro non es doctus, alios habuisti apostolos præceptores. Non vidit autem eos: non quod contemptui duceret, sed quod illi ad Evangelium prædicandum toto fuerant orbe dispersi.

(Vers. 20.) *Quæ autem scribo vobis: ecce coram Deo, quia non mentior.* Sive simpliciter accipiendum, ut sit: Quæ scribo vobis, vera sunt, et Deo teste confirmo, quia nulla arte verborum, nullo sunt fucata mendacio. Sive altius, ut legatur: Quæ scribo vobis, coram Deo sunt, id est, Dei digna conspectu. Quare autem Dei digna conspectu? Quia scilicet, non mentior. Et quomodo oculi Domini super justos (*Psal.* XXXIII); avertit autem faciem suam a conspectu impiorum: ita nunc ea quæ scribuntur, coram Domino sunt, me non mentiente qui scribo: quæ non essent coram Domino, si mentirer. Hoc autem non solum de his quæ nunc scribit ad Galatas, potest accipi; sed et generaliter de his omnibus Epistolis: quia non sunt falsa quæ scribat et cor ejus verbaque non discrepent.

(Vers. 21.) *Deinde veni in partes Syriæ et Ciliciæ.* Post Jerosolymæ visionem venit ad Syriam, quæ nobiscum dicitur *excelsa* atque *sublimis*. Et inde transiit ad Ciliciam, quam in fide Christi cupiebat assumere, evangelizans ei vocationem pœnitentiæ: *Cilicia* quippe interpretatur *assumpti*, sive *vocatio lamentabilis*.

(Vers. 22-24.) *Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo Jesu. Tantum autem auditum habebant: quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem quam quondam expugnabat: et in me glorificabant Deum.* Ecclesiæ quæ erant in Judæa, Paulum tantum rumore cognoverant. Ex quibus pleræque eum magis persecutorem, quam apostolum viderant. Syria vero et partes Ciliciæ, Arabia et Damascus, ex vultu quoque eum forsitan noverant: quia Doctor gentium Evangelium Christi non Judæis, sed gentibus **398** prædicabat. Totum autem quod [b] agit, illud est: ut doceat se numquam de persecutore apud eos ipsos quos prius

A persecutus fuerat, potuisse existere gloriosum, nisi prædicatio ejus, eorum quoque qui ante eum [c] malum noverant, esset judicio comprobata. Et ad propositum occulte redit, tam breve tempus se in Judæa fecisse confirmans ut etiam vultu credentibus esset ignotus. Ex quo ostendit, non Petrum, non Jacobum, non Joannem se habuisse doctores, sed Christum, qui sibi Evangelium revelasset. Simul autem notandum quod supra dicatur Ecclesiam expugnasse, hic fidem: ibi homines, hic rem; ut nunc [*Al.* tunc] opportunius inferretur: *Evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat.* De Ecclesia enim similiter sonare non poterant.

(Cap. II. — Vers. 1, 2.) *Deinde post annos quatuordecim, rursum ascendi Jerosolymam, cum Barnaba, assumpto et Tito. Ascendi autem secundum revelationem: et contuli cum eis Evangelium, quod prædico in gentibus: seorsum autem his qui videbantur, ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Id quod supra Latinus interpres, *acquievi*, dixerat in eo loco ubi scriptum est: *Continuo non acquievi carni et sanguini*, in præsenti loco, *contuli*, magis quam *acquievi*, interpretatus est. Et ut verius dicam, [d] sermo Græcus ἀνεθέμην aliud quiddam quam apud nos intelligitur, cum scilicet ea quæ novimus, conferimus cum amico; et quasi in sinum ejus et conscientiam reponimus, ut pari consilio vel probanda sint, vel improbanda, quæ novimus. Ascendit igitur post quatuordecim annos Jerosolymam, et qui prius tantum ad videndum perrexerat Petrum, et diebus quindecim manserat apud eum, nunc se dicit ideo perrexisse, ut conferret cum apostolis Evangelium; assumpto Barnaba circumciso, et Tito ex gentibus habente præputium: ut sub ore duorum et trium testium, staret omne verbum (*Deut.* XIX, 15). Aliud est autem conferre, aliud discere. Inter conferentes æqualitas est; inter docentem et discentem, minor est ille qui discit. In principio fidei, in transitu apostolos vidit [*Al.* videt]. Post annos (ut ipse ait) decem et septem, plene cum eis loquitur, et se humiliat: et ne **399** forte in vacuum aut curreret, aut cucurrisset, inquirit. Duplicem ob causam, quo et humilitas ostenderetur Pauli, qui doctor in toto orbe jam gentium, ad præcessores apostolos cucurrisset: et Galatæ discerent [*Al.* dicerent] non reprobasse Evangelium ejus, eos quoque qui in Judæa Ecclesiis præsidebant. Simul autem et illud docet, quod pro Christi fide et Evangelii libertate, ad eos ipsos qui de eo plura cognoverant, quod Legem infringeret, Moysen destrueret, circumcisionem penitus auferret, ausus sit ducere Titum, hominem incircumcisum. Et inter tantam multitudinem Judæorum et inimicos suos, qui quasi ob zelum Legis sanguinem ejus haurire cupiebant, nec ipse, nec Titus aliquo

[a] Unus videtur ita sensisse auctor Quæst. in Sacram Scripturam inter S. Athanasii opera, quæst. 132; siquidem illud Apostoli ad Hebræos XI, 35: ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν, de decollato Jacobo fratre Domini interpretatur.

[b] Legebatur antea, *quod ait*, contradicentibus mss., pro *agit*.

[c] Duo mss., Rabbanus et Victor., *eum male noverant*.

[d] Audiant illud imperiti Clerici, qui peritiam linguæ Græcæ in Hieronymo nolunt fuisse, nisi minimam et fere nullam. MART.

sint terrore superati necessitati cedere. Quæ potuit A habere veniam, vel pro loco, vel pro auctoritate majorum, vel pro numero Ecclesiarum, quæ de Judæis in Christo credebant, vel pro tempore, ne tantum simul invidiam sustinerent. Quidam post quatuordecim annos eum Jerosolymam ascendisse tunc dicunt, quando in Actibus apostolorum de quæstionibus observandæ, vel prætermittendæ Legis, inter credentes Antiochiæ orta dissensio est; et placuit ire Jerosolymam, et sententiam majorum præstolari, quando ipse quoque Paulus et Barnabas missi sunt: et hoc esse quod in codicibus legatur Latinis: *Quibus ad horam cessimus subjectioni, ut veritas Evangelii perseveraret apud vos.* Quod scilicet propterea Paulus et Barnabas de re manifesta, quasi dubia se mitti passi sunt [*Al.* sint] Jerosolymam: ut ma- B jorum quoque judicio Evangelii gratia confirmata, credentibus probaretur, et nulli resideret ultra dubitatio circumcisionis omissæ: cum apostolorum esset litteris imperatum, jugum Legis ab his qui in Christum crediderant ex [a] gentibus, auferendum. Potest autem hoc quod ait: *Contuli cum eis Evangelium, quod prædico in gentibus: seorsum autem his qui videbantur: ne forte in vacuum currerem, vel cucurrissem*, et sic intelligi, ut abscondite cum apostolis gratiam Evangelicæ libertatis, **400** et Legis abolitæ vetustatem contulerit, propter multitudinem credentium Judæorum, qui necdum poterant Christum adimpletionem et finem Legis audire, qui et absente Paulo, Jerosolymæ jactaverant [*Al.* jactitaverant], frustra eum currere aut cucurrisse, qui C putaret Legem veterem non sequendam. Non quod Paulus timuerit, ne per decem et septem annos falsum in gentibus Evangelium prædicasset; sed ut ostenderet præcessoribus suis non se in vacuum currere aut cucurrisse, sicut putaverant ignorantes.

(Vers. 3-5.) *Sed neque Titus qui mecum erat, cum esset ex gentibus, compulsus est circumcidi. Propter subintroductos autem falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent: quibus neque ad horam cessimus subjectioni, ut veritas Evangelii permaneat apud vos.* Si Titus, cum esset ex gentibus, nullo potuit terrore compelli, ut circumcideretur Jerosolymis, in Judæorum metropoli civitate, in qua tanta Paulus blasphemiæ in Moysen flagrabat D invidia: ut postea pene a Judæis interfectus sit, quando a tribuno liberatur, et Romam vinctus ad Cæsarem mittitur: quomodo quidam [b] putant legendum esse, *quibus ad horam cessimus subjectioni, ut veritas Evangelii permaneat apud vos*, et intelligendum quod Titus ipse qui compelli ante non potuit ad circumcisionem, rursum circumcisus sit, atque subjectus? Aut, quæ est ista veritas Evangelii, hypocrisi cedere Judæorum; et ea quæ prius scybala æstimaveris, et quasi damna contempseris, observare, et esse aliquid æstimare, cum nihil sint? Sed et ipsius Epistolæ sensui valde repugnat, Galatas ad circumcisionem revocare. Hoc toto sermonis sui textu agit, ut doceat se Hebræum ex Hebræis, omnia quondam Legis opera servantem, circumcisum octava die secundum Legem Pharisæorum: nihilominus tamen ob Christi gratiam universa contemnere. Nam cum isset Jerosolymam, et falsi fratres qui ex circumcisione crediderant eum vellent impellere **401** ut circumcideret Titum: nec Titum, nec se cessisse violentiæ, quo minus custodirent Evangelii veritatem. Quod si dicit se necessitate superatum ut circumcideret Titum: quomodo Galatas revocat a circumcisione, a qua nec Titum, qui secum fuerat ex gentibus, Jerosolymis potuit excusare? Itaque aut juxta Græcos codices est legendum, *Quibus neque ad horam cessimus subjectioni*; ut consequenter possit intelligi: *ut veritas Evangelii permaneat apud vos.* Aut si Latini exemplaris alicui fides placet, secundum superiorem sensum accipere debemus: ut ad horam cessio non circumcidendi Titi, sed eundi Jerosolymam fuerit. Quo scilicet idcirco subjectioni cesserint Paulus et Barnabas eundi Jerosolymam, seditione ob Legem Antiochiæ concitata: ut per Epistolam apostolorum, sua sententia firmaretur, et maneret apud Galatas Evangelii veritas, quæ non esset in littera, sed in spiritu; non in carnali sensu, sed in intelligentia spirituali; nec in manifesto Judaismo, sed in occulto. Sciendum vero, quod, *autem*, conjunctio quæ in præsenti loco ponitur: *Propter subintroductos autem falsos fratres*, superflua sit: et si legatur, non habeat quod ei respondeat, illamque concludat; sed esse ordinem lectionis et sensus: Sed neque Titus qui mecum erat, cum esset ex gentibus, compulsus est circumcidi. Statimque subjungat quæ causa fuerit, ut ad circumcisionem impelleretur invitus: *Propter subintroductos*, inquit, *falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent.* [c] Qui cum minis terrerent, et multitudine vellent nos a libertate Christi in Legis traducere servitutem, ne ad tempus quidem eis cessimus, ut circumcideremus Titum: maxime cum et aliqua ob Ecclesiasticam pacem potuerit nos necessitas excusare: et hoc totum fecimus, ut vobis nulla fieret occasio ab Evangelii gra-

[a] Voces, *ex gentibus*, nostri mss. ignorant.

[b] Opinor Latinæ veteris, quam *Italicam* vocant, interpretationis auctores perstringi. Hanc enim fuisse ejus lectionem absque negandi particula colligere licet cum ex vetustissimis Pauli Epistolarum Latinis codd., tum ex aliquot, qui locum hunc ita laudant, Latinis Patribus. Tertullianus, lib. v contra Marcionem, cap. 5, nedum respuit ipse negandi particulam, sed hoc insuper contra hæreticum, qui cum ea legerat, contendit, manifestam eam esse *vitiationem Scripturæ*. Hodierna autem exemplaria cum Latina, tum Græca, Hieronymianæ lectioni, *neque ad horam*, astipulantur. Quod paulo inferius addit S. Pater de Græcorum codicum sui temporis variatione, idipsum Ambrosiaster observat.

[c] Unus Palatinus, *Qui cum minis terrere multitudinem vellent, et nos a libertate*, etc.

tia re edendi. Si igitur nos Jerosolymis inter tantos Judæos imminentibus hinc inde falsis fratribus, et his qui majores erant aliqua ex parte cohibentibus, nulla potuimus vi ac ratione compelli, ut observaremus circumcisionem quam sciebamus esse finitam : vos ex gentibus, **402** vos in Galatia, vos quibus vis nulla inferri potest, ultro a gratia recedentes, ad Legis jam abolitæ transcendistis vetustatem.

(Vers. 6.) *Ab his autem qui videbantur esse aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea interest : Deus personam hominis non accipit.* Licet, inquit, Petrum et Joannem Dominus secum apostolos habuerit, et transfiguratum eum in monte viderint (*Matt.* XII; *Marc.* IX), et super ipsos Ecclesiæ sit positum fundamentum : mihi tamen nihil refert, quia non adversum eos loquor qui eo tempore Dominum sequebantur, sed adversum eos loquor qui nunc legem præponunt gratiæ : nec detraho præcessoribus, nec in aliqua parte accuso majores, sed hæc dico, quia Deus personam hominis non accipit. Non enim accepit Moysi, non accepit David, non accepit aliorum : nec eorum ergo accipiet, qui cedere quibusdam videntur ad tempus, tametsi ipsi mecum sentiant, Petro quoque dicente : *In veritate cognosco, quia non est acceptor personarum Deus : sed in omni loco qui timet eum, et operatur justitiam acceptabilis ei est* (*Act.* X, 34, 35). Quo itaque argumento ipse sanctus apostolus Petrus adversum eos qui in Cornelio ex gentibus baptizato, nec circumciso, scandalum sustinebant, utitur, et placat eos se non potuisse negare aquam his qui Spiritum sanctum acceperant : eodem nunc sanctus apostolus Paulus adversum ipsum Petrum disputat, quod personarum non sit acceptor Deus, sed unumquemque pro veritate judicet. Et ita caute et pedetentim inter laudem et objurgationem Petri medius incedit, ut et præcessori apostolo deferat, et nihilominus audacter ei resistat in faciem, veritate compulsus.

Mihi enim qui videbantur, nihil contulerunt. Ipse superius cum illis contulit, et multa ad eos retulit, quæ in gentibus perpetraret : illi nihil contulerunt ei, sed tantummodo quæ ab eo dicta sunt comprobantes, dexteras dederunt consortii, et unum suum Paulique Evangelium firmaverunt. Rursum notandum, quod [a] *contulerunt*, verbum ipsum sit in Græco, de quo ante tractavimus.

(Vers. 7, 8.) *Sed contra cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut* **403** *Petro circumcisionis. Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes. Et cum cognovissent gratiam quæ data est mihi, Petrus et Jacobus, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi et Barnabæ, societatis : ut nos in gentes ; ipsi autem in circumcisio-*

A *nem.* Ὑπέρβατον est, et multis quæ in medio sunt interjecta sublatis, sic breviter legi potest : Mihi enim qui videbantur esse nihil contulerunt : sed econtra dexteras dederunt mihi et Barnabæ, societatis. Aut certe ille absque jactatione sui, occultus est sensus : Mihi qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt; sed econtra a me eis collatum est, dum fiunt in Evangelii gratia firmiores. Totum autem quod dicit, hoc est : unus atque idem mihi Evangelium præputii, et Petro circumcisionis credidit. Me misit ad gentes, illum posuit in Judæa. Nec gentes poterant adulta jam ætate non profuturo circumcisionis dolore cruciari, et abstinere se ab escis, quibus semper assueverant, et quas Deus creaverat ad utendum : nec hi qui ex Judæis crediderant et cir-
B cumcisi erant, et ex consuetudine quasi secunda natura, putabant se a cæteris gentibus plus habere, facile contemnere poterant ea in quibus gloriabantur. Providentia itaque Dei, alius apostolus circumcisis datus est, qui Legis umbris videretur acquiescere, alius in præputio constitutis, qui Evangelii gratiam non putaret esse servitium, sed liberam fidem. Ne sub aliqua occasione impedimentum fidei nasceretur : et propter circumcisionem sive præputium, non crederetur in Christum. Nec hoc dicimus quod Petrus, qui et ipse in Actibus apostolorum nullum hominem communem esse testatus est (*Actor.* X), et in illo vase, quod quatuor angulis de cœlo missum viderat, edocetur nihil interesse, Judæus sit aliquis, an gentilis, quasi oblitus priorum,
C super Evangelii gratia, Legem putaverit observandam : sed ut ipse quoque Legem custodire se simulans, paulatim Judæos ab antiquo vivendi more deduceret. Non enim poterant tantum observationis laborem, et veteris vitæ cautissimam **404** conversationem, quasi purgamenta subito et damna contemnere. Ex quo perspicimus, propterea dexteras datas Paulo et Barnabæ [b] societatis, a Petro, Jacobo et Joanne : ne observatione varia, diversum Christi Evangelium putaretur; sed et circumcisorum et habentium præputium esset una communio. Pulchre autem præstruxit, dicens : *Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis :* ne quis eum putaret detrahere Petro, sed ut laudibus ejus ante præmissis, intelligeretur Petrus ideo cir-
D cumcisionem aliqua ex parte suscipere, ut eos qui sibi ex Judæis crediti fuerant lucrifaceret, et in Christi fide et Evangelio custodiret. [c] Subintelligit etiam quod si ille absque culpa faceret, et ad tempus observando, quod non licet, ne sibi creditos perderet, se magis pro Evangelii veritate facere debere quod sibi creditum est in præputio, ne gentes Legis onere et difficultate deterritæ, a Christi fide et [d] credulitate discederent. Occulta hic oritur quæstio : Quid igitur ? Petrus si invenisset ex gentibus, non eos adducebat ad fidem? Aut Paulus si ex circum-

[a] Veteres editi ipsum verbum Græcum inserunt : quod *προσανέθεντο*, *contulerunt*, etc.
[b] Vocem *societatis* Palatin. ms. ignorat.

[c] Idem ms., *subintelligi etiam*, *quod ille*, etc.
[d] Supino errore legebatur antea, *crudelitate*.

cisione aliquos reperisset, non eos ad Christi baptismum provocabat? Quæ ita solvitur, ut dicamus principale singulis in Judæos et gentes fuisse mandatum, ut qui defendebant Legem, haberent quem sequerentur; qui Legi gratiam præferebant, non deesset eis doctor et prævius. In commune vero hoc eos habuisse propositi, ut Christo ex cunctis gentibus Ecclesiam congregarent. Legimus enim et a sancto Petro gentilem baptizatum fuisse Cornelium, et a Paulo in synagogis Judæorum, Christum sæpissime prædicatum. *Petrus, et Joannes, et Jacobus, qui videbantur columnæ esse* (*Actor.* x, xiii, xvii). Ter supradictum de apostolis legimus: *Scorsum autem his qui videbantur*. Et: *Ab his qui videbantur esse aliquid*. Et: *Mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt*. Sollicitus itaque requirebam, quidnam esset quod diceret, *qui videbantur*: sed nunc me omni scrupulo liberavit, adjiciens, *qui videbantur columnæ esse*. Columnæ igitur sunt Ecclesiæ apostoli, et maxime Petrus, Jacobus, et Joannes, ex quibus duo cum Domino ascendere merentur **405** in montem, quorum unus in Apocalypsi Salvatorem introducit loquentem: *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei* (*Apoc.* iii, 12), docens omnes credentes qui adversarium vicerint, posse columnas Ecclesiæ fieri. Ad Timotheum vero Paulus scribens ait: *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna autem et firmamentum veritatis* (I *Tim.* iii, 15). His et cæteris instruimur, tam apostolos omnesque credentes, quam ipsam quoque Ecclesiam columnam in Scripturis appellari, et nihil interesse de corpore quid dicatur, an membris, cum et corpus dividatur in membra, et membra sint corporis. Dederunt itaque Petrus, et Jacobus, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras Paulo et Barnabæ, societatis; sed Tito qui cum eis erat, dextras non dederunt. Necdum quippe ad eam mensuram pervenerat, ut possent [*Al.* possint] ei Christi mercimonia ex æquo cum majoribus credi, et eumdem [a] tenere negotiationis locum quem Barnabas tenebat, et Paulus.

(Vers. 10.) *Tantum ut pauperum memores essemus, quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere*. Sancti pauperes, quorum præcipue ab apostolis Paulo et Barnabæ cura mandatur, hi sunt, qui ex Judæis credentes, pretia possessionum suarum ad pedes apostolorum deferebant egentibus largienda, vel quia contribulibus, cognatis et parentibus suis, quasi desertores Legis, et in crucifixum hominem credentes, detestationi et piaculo ducebantur. In horum ministerio sanctus apostolus Paulus quanto labore sudaverit, Epistolæ ejus testes sunt, scribentis ad Corinthios, et ad Thessalonicenses, ad omnes gentium Ecclesias, ut præpararent munus hoc per se vel per alios qui eis placuissent, Jerosolymam deferendum. Unde nunc confidenter dicit, *quod etiam sollicitus fui facere hoc ipsum*. Possunt autem et alio genere pauperes accipi, de quibus in Evangelio dicitur: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum* (*Matth.* v, 3). Merentur quippe tales in memoria esse apostolorum. Necnon et illi pauperes, de quibus in Salomone scribitur: *Redemptio viri animæ, propriæ divitiæ* (*Prov.* xiii, 8). **406** Pauper vero non sustinet comminationem. Non enim potest futurum [*Al.* futurarum] pœnarum audire terrorem, pauper in fide, pauper in gratia, non habens divitias spirituales, nec scientiam Scripturarum, quæ auro et argento, et pretioso lapidi comparantur. Quoniam igitur non egent sani medico, sed hi qui male habent, propterea et apostolis in dexterarum communicatione convenit, ne spernerent pauperes, ne despicerent peccatores; sed semper meminissent eorum, sicut Paulus Corinthii illius meminit, quem cum in priore Epistola contristasset ad tempus, ut corpore per pœnitentiam laborante, spiritu salvus fieret (I *Cor.* v): in secunda, ne majori tristitia absorberetur, revocat ad Ecclesiam. Petitque cunctos, ut confirment in eum charitatem, et donent fratri sicut ipse unicuique eorum in facie Christi donaverit, implens pactum quod Jerosolymis fecerat, ut semper pauperum recordaretur.

(Vers. 11 seq.) *Cum autem venisset Petrus* [b] *Antiochiam, in faciem ei restiti: quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat. Cum autem venissent, subtrahebat et segregabat se timens eos qui ex circumcisione erant, et simulationi ejus consenserunt, et cæteri Judæi: ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illa simulatione*. Ex eo quod Petrus antequam quidam de Jerosolymis Antiochiam venirent, edebat cum gentibus, ostenditur non eum oblitum fuisse præcepti: nullum hominem communem et immundum dicere; sed quia propter eos, qui adhuc Legem observandam putabant, paululum se a convictu subtraxerat gentium (ita ut etiam cæteri qui ex Judæis erant, similiter facerent, et Barnabas qui cum Paulo in gentibus Evangelium prædicabat, hoc facere cogeretur), hi qui Antiochiæ crediderant ex gentibus, nec fuerant circumcisi, compellebantur ad Legis onera transcendere: non intelligentes dispensationem Petri, qua Judæos salvari cuperet: sed putantes ita se Evangelii habere rationem. Cum itaque vidisset apostolus Paulus periclitari gratiam Christi, nova bellator [c] vetus usus est arte pugnandi, ut dispen-

[a] Subintellige, *posset*, quod verbum elegantius ex Latinæ linguæ ingenio S. Pater non repetit; nequidquam enim, *teneret*, Victorius rescripsit, cui alioquin claudicare Latina locutio visa est.

[b] Iterum audet Victorius super quam liceat: nam quod in Vulgata et Græco, *Cephas*, pro *Petro*, scribitur, ut eamdem servet nomenclaturam tam hic, quam paulo infra, Hieronymi lectionem mutat, ac Petro Cepham substituit.

[c] Rescribimus *vetus*, cum Victorio, pro quo retinuit Martianæus minus bene, *ejus*.

esse quæ scripta sunt. Discit autem is, qui ea quæ A in illo per ænigmata et parabolas figurata sunt, explanata et disserta cognoscit : [a] et cognoscit, non homine revelante sed Christo, qui revelavit Paulo, [b] aut per Paulum, in quo loquitur Christus. Verbum quoque ipsum ἀποκαλύψεως, id est, *revelationis*, proprie Scripturarum est, et a nullo sapientum sæculi apud Græcos usurpatum. Unde mihi videntur quemadmodum in aliis verbis, quæ de Hebræo in Græcum Septuaginta interpretes transtulerunt, ita et in hoc magnopere esse conatos, ut proprietatem peregrini sermonis exprimerent, nova novis rebus verba fingentes : et sonare, cum quid tectum et velatum, ablato desuper operimento, ostenditur et profertur in lucem. Hoc ut manifestius fiat, accipite B exemplum. Moyses cum Deo revelata et aperta facie loquebatur (*Exod.* XXXIII, XXXIV), id est, absque velamine : ad populum autem loquens, quia in vultum ejus attendere non valebant, velamen ponebat in facie (*Num.* IV). Ante Arcam quoque Testamenti velum oppansum erat : quod cum fuisset reductum, ea quæ ante abscondita fuerant, prodebantur : et ut ipso verbo utar, *revelabantur*. Si itaque hi qui disertos sæculi legere consueverunt, cœperint nobis de novitate et vilitate sermonis illudere, mittamus eos ad Ciceronis libros, qui de quæstionibus philosophiæ prænotantur: et videant, quanta ibi necessitate compulsus sit, tanta verborum portenta proferre, quæ numquam Latini hominis auris audivit : et hoc cum de Græco, quæ lingua vicina est, trans- C ferret in nostram. Quid patiuntur illi, qui de Hebræis difficultatibus proprietates exprimere conantur? et tamen multo pauciora sunt in tantis voluminibus Scripturarum quæ novitatem sonent, quam ea quæ ille in parvo opere congessit. Potest autem, **388** sicut in principio diximus, cum exponeremus: *Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem :* ita et in præsenti loco oblique in Petrum accipi, et in cæteros præcessores ejus : quod nullius pro Lege et auctoritate moveatur, qui Christum solum Evangelii habeat [c] præceptorem. Porro, revelationem illam significat, cum Damascum vadens, in itinere Christi vocem meruit audire : et cæcatis oculis, verum mundi lumen intuitus est.

(Vers. 13.) *Audistis enim conversationem meam ali-* D *quando in Judaismo : quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei; et expugnabam illam : et proficiebam in Judaismo, supra multos coætaneos* [d] *in genere meo : abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.* Plurimum prodest Galatis ista narratio, quomodo Paulus, vastator quondam Ecclesiæ et Judaismi acerrimus defensator, ad Christi fidem repente conversus sit. Et hoc eo tempore quo crucifixus primum annuntiabatur in mundo; quo novum dogma et a gentibus et a Judæis totius orbis finibus pellebatur. Dicere enim poterant : Si ille qui a parva ætate Pharisæorum institutus est disciplinis, qui omnes coætaneos suos in Judaica traditione superabat, nunc defendit Ecclesiam, quam quondam validissime persequebatur; et magis Christi gratiam et novitatem vult habere cum invidia omnium, quam vetustatem Legis cum laude multorum : quid nos facere oportet, qui ex gentilitate esse cœpimus Christiani? Pulchre vero adjunxit : *Supra modum persequebar Ecclesiam Dei*, ut et hinc quoque admiratio nasceretur, quod non [e] unusquisque de his qui leviter persequebantur Ecclesiam : sed ille qui cæteros in persecutione vincebat, conversus ad fidem sit. Et prudenter dum aliud narrat, interserit non tam Dei se servisse Legi, quam paternis, id est, Pharisæorum traditionibus; qui docent doctrinas et mandata hominum (*Matth.* XV; *Marc.* VII); et rejiciunt Legem Dei, ut statuant **389** traditiones suas. Quam pulchra autem observatio pondusque verborum : *Audistis*, inquit, *conversationem meam aliquando in Judaismo*, conversationem, non gratiam : *aliquando*, non modo : *in Judaismo*, non in lege Dei. *Quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei ; et devastabam illam.* Non persequebatur ut cæteri, sed supra modum. Nec sufficiebat quamvis vehemens persecutio : sed quasi quidam grassator Ecclesiam et prædo vastabat. Nec ait, *Ecclesiam Christi*, ut tunc putabat [*Al.* putabatur] : quem ducebat contemptui, quem persequebatur : sed ut nunc credit, *Ecclesiam Dei* : vel ipsum Christum Deum esse significans, vel ejusdem Dei esse Ecclesiam, qui quondam Legis dator fuit. *Et proficiebam*, inquit, *in Judaismo supra multos coætaneos in genere meo : abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.* Rursum profectum non Legis Dei, sed Judaismi vocat. Nec supra omnes, sed supra plurimos, nec supra senes, sed supra coætaneos, ut et studium suum referret in Lege, et jactantiam declinaret. Paternas autem traditiones, non Domini mandata commemorans, et se Pharisæum ex Pharisæis indicavit, et habuisse quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam. Usque hodie autem qui Judaico sensu Scripturas intelligunt, persequuntur Ecclesiam Christi, et populantur illam, non studio Legis Dei, sed traditionibus hominum depravati.

(Vers. 15.) *Cum autem placuit ei qui me segregavit de utero matris meæ : et vocavit per gratiam suam*, ut

[a] Alterum, *et cognoscit*, duo e nostris mss. ignorant.

[b] Verba, *aut per Paulum*, Cisterc. ms. nescit. Cæterum quod ait S. Pater, *verbum ἀποκαλύψεως proprie Scripturarum esse, et a nullo sapientum sæculi apud Græcos usurpatum*, perbelle iis consonat, quæ nobis notata sunt ad Catalogi cap. 9, ubi de Joanne tradit Hieronymus eum *in Pathmos insulam relegatum scripsisse Apocalypsin, quam interpretatur Justinus Martyr, et Irenæus*. Scilicet, cum Joannis revelationem, sive scriptionem ita laudati Patres de nomine *Apocalypsin* appellarunt. Recole quæ ibi annotamus.

[c] Unus Palat., *habeat præcessorem.*

[d] Voculam, *meos*, quam hic atque infra editi libri interserebant, mss. nostrorum auctoritate expunximus, quod et a Græco exemplari absit.

[e] Duo mss., *non unus quicumque de his*, etc.

revelaret Filium suum in me, ut evangelizem illum in A *gentibus.* Non solum in hoc loco, sed ad Romanos Paulus segregatum in Evangelium Dei esse se scribit. Et Jeremias antequam formaretur in utero, et conciperetur in vulva matris suæ, notus Deo sanctificatusque perhibetur (*Jerem.* I). Et ex justi, sive, ut quidam putant, ex Salvatoris persona dicitur (*Ps.* XXI, 11) : *In te projectus sum ex vulva : ex utero matris meæ*, **390** *Deus meus es tu.* Contra de peccatoribus David canit : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum : et in delictis concepit me mater mea* (*Ps.* L, 7). Et in alio loco : *Abalienati sunt peccatores a vulva* (*Ps.* LVII, 4). Et in utramque partem antequam parvuli nascerentur : *Deus Jacob dilexit, Esau autem odio habuit* (*Malach.* I, 1, 2). Inveniunt locum hæretici, qui diversas naturas esse prætendunt, B spiritualem videlicet et animalem, et χοϊκὴν, et aliam salvari, aliam perire, aliam inter utramque consistere, quod numquam aut justus [a] eligeretur, antequam aliquid boni faceret, aut peccator odiretur ante delictum, nisi esset pereuntium et salvandorum natura diversa. Ad quod potest simpliciter responderi, hoc ex Dei præscientia evenire, ut quem scit justum futurum, prius diligat quam oriatur ex utero : et quem peccatorem, oderit [b] antequam peccet : non quo et in amore et in odio iniquitas Dei sit; sed quo non aliter eos habere debeat, quod scit vel peccatores futuros esse, vel justos : nos ut homines tantum de præsentibus judicare, illum cui futura jam facta sunt, de fine rerum, non de exordiis ferre sententiam. Et hæc quidem simpli- C cias dicta sunt : et absque altiori dissertione possunt utcumque placere lectori. Cæterum [c] qui injustum Deum nituntur asserere, post illud quod dudum posuimus, *abalienati sunt peccatores a vulva*, inferunt etiam cætera quæ sequuntur : *Erraverunt ab utero, locuti sunt falsa.* Et dicunt, quomodo statim ab utero erraverunt peccatores, et falsa locuti sunt, qui nec sermonem potuerunt habere, nec sensum? Aut quæ est ista justitia præscientiæ Dei, alium amare et custodire prius quam nascatur, alium detestari? Et causas hujus rei ad priorem vitam referunt, quod unusquisque pro merito suo, a primo statim ortu bonis aut malis angelis assignetur. Totumque illum locum de Jacob et Esau, cujus nunc fecimus mentionem, ita ad Romanos scriptum **391** ventilant (*Rom.* IX), ut non absque sudore et Chrysippi eis possit [d] helleboro responderi. Non est autem ipsum, *ut revelaret Filium suum in me*, quod si [*Al.* quasi] diceret, *ut revelaret Filium suum mihi.* Cui enim quid revelatur, huic illud potest revelari, quod ante in eo non erat. In quo vero revelatur, illud revelatur quod prius fuit in eo, et postea revelatum est. Simile est illud in Evangelio : *Medius in vobis stat, quem vos nescitis* (*Joan.* I, 26). Et alibi : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum* (*Ibid.*, 9). Ex quo perspicuum fit, natura omnibus Dei inesse notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, et non habere semina in se sapientiæ, et justitiæ, reliquarumque virtutum. Unde multi absque fide et Evangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte, ut parentibus obsequantur : ut inopi manum porrigant : non opprimant vicinos : non aliena diripiant : magisque judicio Dei obnoxii fiant [*Al.* fiunt], quod habentes in se principia virtutum, et Dei semina, non credunt [*Al.* credant] in eo sine quo esse non possunt. Potest et aliter accipi in Paulo Dei Filius revelatus : quod, prædicante illo, agnitus sit gentibus, quem antea nesciebant.

(Vers. 16). *Continuo non acquievi carni et sanguini.* Sive ut in Græco melius [e] habet : *Non contuli cum carne et sanguine.* Scio, plerosque de apostolis hoc dictum arbitrari. Nam et Porphyrius objicit, quod post revelationem Christi non fuerit dignatus ire ad homines, et cum eis conferre sermonem : ne post doctrinam videlicet Dei, a carne et sanguine instrueretur. Sed absit ut ego, Petrum, Joannem et Jacobum carnem et sanguinem putem; quæ regnum Dei possidere non possunt (I *Cor.* I). Si [f] spirituales

[a] Vitiose hactenus obtinuit, *justus intelligeretur antequam*, etc., pro quo e nostris mss., Rabbano iterum suffragante, restituimus, *eligeretur.* Quamquam concinniori adhuc sensu malim rescribi, *diligeretur;* hoc nempe verbum et commode magis illi, quod subsequitur, *odiretur* respondet, et propius ad mentem videtur Hieronymi, qui illud toto contextu replicat. Multum in uno Palatino sententia hæc abludit : *Quod numquam aut justus eligeretur, aut nequam aliquid boni faceret, aut peccator odiret ante delictum*, etc.

[b] Quam huic adhibeas sententiæ exceptionem, docet theologorum schola.

[c] Hæc, ut et inferior totus contextus, Origenem ejusque asseclas verissime petunt; hanc enim ille blasphemiam incurrit cum alibi, tum homil. 20 in Josue, ubi multas intra nos ponit divinas virtutes, animarum vel corporum curam gerentes, multasque item noxias obsidentes, atque insidiantes. Unde et lib. VIII contra Celsum : Ἑλλήνων οἱ σοφοὶ λεγέτωσαν δαίμονας εἰληχέναι τὴν ἀνθρωπίνην ψυχὴν ἀπὸ γενέσεως : *Dicant Græcorum sapientes, dæmonas ab hominis nativitate sortitam esse animam.* His fere gemina ex homil. 12 in Lucam nos supra perstrinximus.

[d] Non invenio helleborum Chrysippi, sed Carneadis Academici, qui scripturus adversum Stoici Zenonis libros, candido helleboro superiora corporis purgare solitus legitur, ne quis ex corruptis in stomacho humoribus ad domicilia usque animi redundaret et instantiam vigoremque mentis labefaceret. D Docet porro hæc in loco Hieronymus difficiles esse quæstiones cum hæreticis; ne opus nos Chrysippi dialectica habere, ut argutias caveamus hæreticorum Scripturis abutentium. MART. — Quamquam scio, alios esse bonos auctores, a Menagio ad Vit. Carneadis laudatos, qui Chrysippum helleboro usum tradant, antequam scribere aggrederetur : non repugno, si quis velit suspicari, vocabulum ipsum, *helleboro*, cubare in mendo. Equidem peculiaris et propria Chrysippi subtilitas in disserendo fuit : helleboro autem purgasse cerebrum, Carneadi contra Zenonem disputaturo proprium imputant Veteres uno consensu.

[e] Cistercienses mss., *melius habetur : Non contuli carne et sanguine.*

[f] Palat., *Si spirituales et apostoli*, etc., sup. *homines.*

apostoli, caro et sanguis sunt, quid de χοϊκοῖς arbitramur? Non contulit plane Paulus post revelationem Christi cum carne et sanguine, quia noluit margaritas projicere ante porcos, nec dare sanctum canibus (*Matth.* VII). Vide quid de peccatoribus scriptum sit : *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro* [Al. *carnes*] *sunt* (*Genes.* VI, 3). Cum talibus qui caro et sanguis erant, quæ **392** Petro quoque non revelaverunt Filium Dei (*Matth.* XVI), non contulit Apostolus Evangelium quod ei fuerat revelatum, sed paulatim eos de carne et sanguine vertit in spiritum : et tunc demum eis occulta Evangelii sacramenta commisit. Dicat quispiam : Si statim non contulit cum carne et sanguine Evangelium, tamen subintelligitur, quod [a] postmodum cum sanguine et carne contulerit : et sensus hic, quo apostoli excusantur, ne caro et sanguis sint, stare non poterit : dum nihilominus qui in principio cum carne et sanguine non contulit, postmodum, ut dixi, cum carne et sanguine contulerit. Quæ præpositio nos coarctat, ut sic distinguamus, ne *statim*, sive *continuo*, cum carne jungamus et sanguine; sed cum superioribus hærere faciamus, et legatur : *Cum autem placuit ei qui me segregavit de utero matris meæ.* Ac deinde : *Ut revelaret Filium suum in me.* Et ad extremum : *Ut evangelizarem illum in gentibus continuo :* ut a proprio incipiat exordio : *Non contuli cum carne et sanguine;* magisque arbitrandum est sic stare sensum : quia qui statim missus sit, post revelationem Christi Evangelium gentibus annuntiare, non steterit : nec moris quibusdam tempus produxerit eundo ad apostolos, et revelationem Domini cum hominibus conferendo : sed abierit in Arabiam, et rursus reversus Damascum, post tres annos Evangelium prædicaverit : et tunc demum Jerosolymam veniens, Petrum, Joannem et Jacobum viderit.

(Vers. 17.) *Neque veni Jerosolymam ad antecessores meos apostolos.* Si de apostolis dixerat, *non contuli cum carne et sanguine*, quid necesse fuerat idipsum iterare dicendo : *Neque veni Jerosolymam ad antecessores meos apostolos?* Is itaque sensus tenendus, quem supra exposuimus.

Sed abii in Arabiam : et iterum reversus sum Damascum. Non sibi videtur historiæ ordo concinere, referente Luca in Actibus apostolorum (*Act.* IX), quod cum Paulus post fidem Christi per dies multos Evangelium Damasci loqueretur audenter, factæ fuerint ei insidiæ, et **393** in sporta per murum nocte demissus sit, et venerit Jerosolymam tentans se jungere discipulis. A quibus cum vitaretur, et timerent ad eum accedere, a Barnaba ad apostolos illum esse perductum : et ibi narrasse quomodo Dominum viderit in itinere, et Damasci fiducialiter egerit in nomine Domini [*Al. addit* Jesu]. *Erat*, inquit, *cum illis, intrans et exiens in Jerusalem, fiducialiter agens* [Al. *agentes*] *in nomine*

A *Domini. Loquebatur quoque et disputabat cum Græcis : illi autem quærebant occidere eum. Quod cum cognovissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, et dimiserunt Tarsum* (*Act.* XXVIII). Hic autem dicit se primum isse in Arabiam; et iterum reversum Damascum post triennium venisse Jerosolymam, vidisse Petrum, et cum eo mansisse diebus quindecim, nec præter Jacobum, fratrem Domini, alterum convenisse. Quæ ut vera credantur (dubia quippe videri absentibus poterant), sub testatione confirmat, dicens : *Quæ autem dico vobis, ecce coram Deo quia non mentior.* Possumus igitur æstimare esse quidem Paulum, secundum Lucæ historiam, Jerosolymam, non quasi ad antecessores apostolos, ut aliquid ab illis disceret : sed ut persecutionis impetum declinaret, qui sibi Da-
B masci propter Evangelium Christi fuerat concitatus : et sic venisse Jerosolymam quasi ad quamcumque aliam civitatem. Inde eum statim propter insidias recessisse, et venisse Arabiam, sive Damascum : atque inde post triennium ad videndum Petrum Jerosolymam revertisse. Vel certe ita : Statim ut baptizatus sit, et accepto cibo confortatus, fuisse eum cum discipulis qui erant Damasci per dies aliquot : et stupentibus cunctis in synagogis Judæorum, prædicasse continuo quod Jesus esset Filius Dei; et tunc isse in Arabiam, et de Arabia Damascum revertisse, et ibi fecisse triennium : quos dies multos Scriptura testatur, dicens : *Cum implerentur autem dies multi, consilium fecerunt Judæi ut eum interficerent* (*Actor.* IX, 23). Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum :
C et custodiebant portas die ac nocte, ut eum interficerent. Accipientes ergo discipuli ejus nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta. Cum autem venisset Jerusalem, tentabat jungere se discipulis. Lucam vero **394** idcirco de Arabia præterisse, quia forsitan nihil dignum apostolatu in Arabia perpetrarat : et ea potius compendiosa narratione dixisse, quæ digna Christi Evangelio videbantur. Nec hoc segnitiæ Apostoli deputandum, si frustra in Arabia fuerit [*Al.* commoratus sit] : sed quod aliqua dispensatio et Dei præceptum fuerit ut taceret. Nam et postea legimus Paulum cum Sila egressum, probibitum esse a Spiritu sancto verbum in Asia loqui (*Actor.* XVI). Aliter : *Sed abii in Arabiam; et iterum reversus sum Damascum.* Quid mihi
D prodest ista relatio, si legam quod Paulus post revelationem Christi statim ierit in Arabiam; et de Arabia statim Damascum fuerit reversus : nec sciam quid ibi gesserit, quidve utilitatis habuerit itus ac reditus? Dat mihi occasionem altioris intelligentiæ in hac eadem Epistola ipse Apostolus, cum de Abraham, Agar, et Sara disputans : *Quæ quidem sunt*, inquit, *per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo Testamenta : unum quidem a monte Sina, in servitutem generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui junctus est ei, quæ nunc est Jerusalem* (*Gal.* IV, 24, 25). Et docet vetus Testamentum, hoc est,

[a] In altero Cisterciensi, *quia post modicum cum sanguine*, etc.

ancillæ [*Al.* in ancillæ] filium, in Arabia (quæ interpretatur *humilis* et *occidua*) constitutum. Statim itaque ut credidit Paulus, ad Legem, ad Prophetas, ad veteris Testamenti jam in occiduo positi sacramenta conversus, quæsivit in eis Christum, quem jussus fuerat in gentibus prædicare: et reperto illo, non est ibi diutius commoratus; sed reversus est Damascum, hoc est, ad sanguinem et passionem Christi: et inde prophetica lectione firmatus pergit Jerosolymam, locum visionis et pacis: non tam disciturus aliquid ab apostolis, quam cum eis Evangelium quod docuerat, collaturus.

(Vers. 18.) *Deinde post annos tres, veni Jerosolymam videre Petrum.* Non ut oculos, genas, vultumque ejus aspiceret, utrum macilentus, an pinguis; adunco naso esset, an recto: et utrum frontem vestiret coma: an (ut Clemens in Periodis ejus refert) calvitiem haberet in capite. Nec puto Apostolicæ fuisse gravitatis, ut post tantam [a] triennii præparationem, aliquid humanum in Petro voluerit aspicere. Sed his oculis aspexit eum, quibus et modo in **395** Epistolis suis videtur. His oculis Paulus vidit Cepham, quibus nunc a prudentibus quibusque Paulus ipse conspicitur. Quod si cui non videtur, cum superiori sensu jungat [*Al.* junget] hæc omnia: quod nihil sibi apostoli contulerint. Nam et quod visus [*Al.* jussus] sit ire Jerosolymam, ad hoc isse ut videret apostolum, [b] non discendi studio, quia et ipse eumdem prædicationis haberet auctorem; sed honoris priori apostolo deferendi.

Et mansi apud eum diebus quindecim. Non grandi indiguit magisterio qui tanto se ad videndum Petrum tempore præparavit. Et licet quibusdam superfluum videatur, numeros quoque qui in Scripturis sunt observare: tamen non abs re arbitror quindecim dies, quibus apud Petrum Paulus habitavit, plenam significare scientiam, consummatamque doctrinam. Siquidem quindecim sunt carmina in Psalterio, et quindecim gradus per quos ad canendum [c] ascendunt Deo, et in atriis ejus consistendum justus ascendit. Ezechias quoque quindecim annorum spatio sibi ad vitam dato, signum accipere meretur in gradibus (*Isa.* XXXVIII): et solemnitates Dei a quinto decimo die incipiunt (*Exod.* XII). Necnon (quia duplicem intelligentiam sequamur) propterea quindecim ponit dies, ut ostendat non fuisse grande tempus, quo potuerit aliquid a Petro discere; ut ad illum sensum a quo cœpit, cuncta referantur: se non ab homine doctum esse, sed a Deo.

(Vers. 19.) *Alium autem apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.* Memini me dum Romæ essem, impulsu fratrum librum de sanctæ Mariæ virginitate edidisse perpetua. In quo mihi necesse fuit de his qui fratres Domini dicti sunt, diutius disputare. Unde qualiacumque sunt illa quæ scripsimus, his contenti esse debemus. Nunc hoc sufficiat, ut propter egregios mores, et incomparabilem fidem sapientiamque non [d] mediam frater dictus sit Domini: et quod primus ei Ecclesiæ præfuerit, quæ prima in **396** Christum credens ex Judæis fuerat congregata. Dicuntur quidem et cæteri apostoli fratres Domini, sicut in Evangelio: *Vade, dic fratribus meis: vado ad Patrem meum, et ad Patrem vestrum: et ad Deum meum, et ad Deum vestrum* (*Joan.* XX, 17). Et in psalmo: *Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ cantabo te* (*Ps.* XXI, 22). Sed præcipue hic frater dicitur, cui filios matris suæ ad Patrem vadens Dominus commendaverat. Et quomodo Job et cæteri patriarchæ dicti sunt quidem famuli Dei, sed quasi egregium quiddam Moyses habuit, ut scriberetur de eo, *Sed non sicut Moyses famulus meus* (*Hebr.* III, 5): sic et beatus Jacobus specialiter frater Domini (ut ante diximus) appellatus est. Quod autem exceptis duodecim, quidam vocentur apostoli, illud in causa est: omnes qui Dominum viderant, et eum postea prædicabant, fuisse apostolos appellatos, ut ad Corinthios scribitur: *Quia visus est Cephæ, post hæc illis undecim: deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc: quidam autem dormierunt: deinde visus est Jacobo, deinde apostolis omnibus* (I *Cor.* XV, 5 *seqq.*). Paulatim vero tempore procedente; et alibi ab his quos Dominus elegerat, ordinati sunt apostoli; sicut ille ad Philippenses sermo declarat dicens: *Necessarium autem existimavi Epaphroditum fratrem, cooperatorem et commilitonem meum, vestrum autem apostolum, et ministrum necessitatis meæ mittere ad vos* (*Philip.* II, 25). Et ad Corinthios de talibus scribitur: *Sive apostoli Ecclesiarum, gloriæ* [Al. *in gloria*] *Christi* (II *Cor.* VIII, 23).

[a] Nihil ejusmodi in Recognitionum libris Clementi perperam ascriptis hodienum est invenire. Mox unus Cisterciensis, *triennii prædicationem* legit.

[b] Duo mss. *non videndi studio, quia et ipse*, etc. Antea erat, *qui* pro *quia*.

[c] In uno Palatino desiderantur voces, *ad canendum*. Victorius quemadmodum et Rabbanus rectius tacent subsequens verbum, *ascendunt*.

[d] Hanc vocem non intellexit Marianus Victorius: ideo de suo posuit *modicam* contra consensum mss. codd., qui omnes retinent, *sapientiamque non mediam*, id est non mediocrem, sed primi gradus, plenam et consummatam. MART. — Maluit Victorius, *non modicam*. Cæterum vide quæ et nos observamus laudato contra Helvidium libro ad Hieronymianam de fratribus Domini sententiam, cui omnis theologorum schola subscribit. Exponenda latius sententia est, dictum *fratrem Domini Jacobum*, juxta receptam apud Judæos consanguinitatem, utpote qui natus sit ex Maria sorore Deiparæ, quæ Maria Cleophæ, id est, Cleophæ uxor fuit, eique Jacobum, Josem, Simonem et Judam peperit, et fratres Domini una omnes a Judæis apud Matthæum nominantur. Solebant autem Hebræi אחים fratres vocare hujusmodi consanguineos sive consobrinos, quos et nos aliquando *Germanos* sive *fratres germanos* dicimus. Tota difficultas in eo est, quod Jacobus iste, ut et alii, Alphæi filius dicitur, non Cleophæ: cui satisfacimus demonstrando illud חלפי nomen Judæis familiare, posse utroque modo legi et *Chalphai*, et *Cleophai*, atque ita a Latino sive Græco interprete alibi *Halphai*, alibi *Cleophai* lectum. Vide supr. Comment. in Matth. XII.

Silas quoque et Judas ab apostolis, apostoli nominati sunt. Unde vehementer erravit, qui [a] arbitratus est Jacobum hunc de Evangelio, esse apostolum fratrem Joannis: quem constat post Stephanum juxta fidem Actuum apostolorum sanguinem fudisse pro Christo (*Actor.* XII). Hic autem Jacobus episcopus Jerosolymorum primus fuit, cognomento Justus: vir tantæ sanctitatis et rumoris in populo, ut fimbriam vestimenti ejus certatim **397** cuperent attingere. Qui et ipse postea de templo a Judæis præcipitatus, successorem habuit Simonem, quem et ipsum tradunt pro Domino crucifixum. Negat se itaque præter hos quemquam apostolorum convenisse, ne occulta contradictio nasceretur: etiamsi a Petro non es doctus, alios habuisti apostolos præceptores. Non vidit autem eos: non quod contemptui duceret, sed quod illi ad Evangelium prædicandum toto fuerant orbe dispersi.

(Vers. 20.) *Quæ autem scribo vobis: ecce coram Deo, quia non mentior.* Sive simpliciter accipiendum, ut sit: Quæ scribo vobis, vera sunt, et Deo teste confirmo, quia nulla arte verborum, nullo sunt fucata mendacio. Sive altius, ut legatur: Quæ scribo vobis, coram Deo sunt, id est, Dei digna conspectu. Quare autem Dei digna conspectu? Quia scilicet, non mentior. Et quomodo oculi Domini super justos (*Psal.* XXXIII); avertit autem faciem suam a conspectu impiorum: ita nunc ea quæ scribuntur, coram Domino sunt, me non mentiente qui scribo: quæ non essent coram Domino, si mentirer. Hoc autem non solum de his quæ nunc scribit ad Galatas, potest accipi; sed et generaliter de his omnibus Epistolis: quia non sunt falsa quæ scribat et cor ejus verbaque non discrepent.

(Vers. 21.) *Deinde veni in partes Syriæ et Ciliciæ.* Post Jerosolymæ visionem venit ad Syriam, quæ nobiscum dicitur *excelsa* atque *sublimis*. Et inde transiit ad Ciliciam, quam in fide Christi cupiebat assumere, evangelizans ei vocationem pœnitentiæ: *Cilicia* quippe interpretatur *assumpti*, sive *vocatio lamentabilis*.

(Vers. 22-24.) *Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo Jesu. Tantum autem auditum habebant: quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem quam quondam expugnabat: et in me glorificabant Deum.* Ecclesiæ quæ erant in Judæa, Paulum tantum rumore cognoverant. Ex quibus pleræque eum magis persecutorem, quam apostolum viderant. Syria vero et partes Ciliciæ, Arabia et Damascus, ex vultu quoque eum forsitan noverant: quia Doctor gentium Evangelium Christi non Judæis, sed gentibus **398** prædicabat. Totum autem quod [b] agit, illud est: ut doceat se numquam de persecutore apud eos ipsos quos prius persecutus fuerat, potuisse existere gloriosum, nisi prædicatio ejus, eorum quoque qui ante eum [c] malum noverant, esset judicio comprobata. Et ad propositum occulte redit, tam breve tempus se in Judæa fecisse confirmans ut etiam vultu credentibus esset ignotus. Ex quo ostendit, non Petrum, non Jacobum, non Joannem se habuisse doctores, sed Christum, qui sibi Evangelium revelasset. Simul autem notandum quod supra dicatur Ecclesiam expugnasse, hic fidem: ibi homines, hic rem; ut nunc [*Al.* tunc] opportunius inferretur: *Evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat.* De Ecclesia enim similiter sonare non poterant.

(Cap. II. — Vers. 1, 2.) *Deinde post annos quatuordecim, rursum ascendi Jerosolymam, cum Barnaba, assumpto et Tito. Ascendi autem secundum revelationem: et contuli cum eis Evangelium, quod prædico in gentibus: seorsum autem his qui videbantur, ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Id quod supra Latinus interpres, *acquievi*, dixerat in eo loco ubi scriptum est: *Continuo non acquievi carni et sanguini*, in præsenti loco, *contuli*, magis quam *acquievi*, interpretatus est. Et ut verius dicam, [d] sermo Græcus ἀνεθέμην aliud quiddam quam apud nos intelligitur, cum scilicet ea quæ novimus, conferimus cum amico; et quasi in sinum ejus et conscientiam reponimus, ut pari consilio vel probanda sint, vel improbanda, quæ novimus. Ascendit igitur post quatuordecim annos Jerosolymam, et qui prius tantum ad videndum perrexerat Petrum, et diebus quindecim manserat apud eum, nunc se dicit ideo perrexisse, ut conferret cum apostolis Evangelium; assumpto Barnaba circumciso, et Tito ex gentibus habente præputium: ut sub ore duorum et trium testium, staret omne verbum (*Deut.* XIX, 15). Aliud est autem conferre, aliud discere. Inter conferentes æqualitas est; inter docentem et discentem, minor est ille qui discit. In principio fidei, in transitu apostolos vidit [*Al.* videt]. Post annos (ut ipse ait) decem et septem, plene cum eis loquitur, et se humiliat: et ne **399** forte in vacuum aut curreret, aut cucurrisset, inquirit. Duplicem ob causam, quo et humilitas ostenderetur Pauli, qui doctor in toto orbe jam gentium, ad præcessores apostolos cucurrisset: et Galatæ discerent [*Al.* dicerent] non reprobasse Evangelium ejus, eos quoque qui in Judæa Ecclesiis præsidebant. Simul autem et illud docet, quod pro Christi fide et Evangelii libertate, ad eos ipsos qui de eo plura cognoverant, quod Legem infringeret, Moysen destrueret, circumcisionem penitus auferret, ausus sit ducere Titum, hominem incircumcisum. Et inter tantam multitudinem Judæorum et inimicos suos, qui quasi ob zelum Legis sanguinem ejus haurire cupiebant, nec ipse, nec Titus aliquo

[a] Unus videtur ita sensisse auctor Quæst. in Sacram Scripturam inter S. Athanasii opera, quæst. 132; siquidem illud Apostoli ad Hebræos XI, 35: ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν, de decollato Jacobo fratre Domini interpretatur.

[b] Legebatur antea, *quod ait*, contradicentibus mss., pro *agit*.

[c] Duo mss., Rabbanus et Victor., *cum male noverant*.

[d] Audiant illud imperiti Clerici, qui peritiam linguæ Græcæ in Hieronymo nolunt fuisse, nisi minimam et fere nullam. MART.

sint terrore superati necessitati cedere. Quæ potuit habere veniam, vel pro loco, vel pro auctoritate majorum, vel pro numero Ecclesiarum, quæ de Judæis in Christo credebant, vel pro tempore, ne tantam simul invidiam sustinerent. Quidam post quatuordecim annos eum Jerosolymam ascendisse tunc dicunt, quando in Actibus apostolorum de quæstionibus observandæ, vel prætermittendæ Legis, inter credentes Antiochiæ orta dissensio est; et placuit ire Jerosolymam, et sententiam majorum præstolari, quando ipse quoque Paulus et Barnabas missi sunt: et hoc esse quod in codicibus legatur Latinis: *Quibus ad horam cessimus subjectioni, ut veritas Evangelii perseveraret apud vos.* Quod scilicet propterea Paulus et Barnabas de re manifesta, quasi dubia se mitti passi sunt [*Al.* sint] Jerosolymam: ut majorum quoque judicio Evangelii gratia confirmata, credentibus probaretur, et nulli resideret ultra dubitatio circumcisionis omissæ: cum apostolorum esset litteris imperatum, jugum Legis ab his qui in Christum crediderant ex [a] gentibus, auferendum. Potest autem hoc quod ait: *Contuli cum eis Evangelium, quod prædico in gentibus: seorsum autem his qui videbantur: ne forte in vacuum currerem, vel cucurrissem,* et sic intelligi, ut abscondite cum apostolis gratiam Evangelicæ libertatis, **400** et Legis abolitæ vetustatem contulerit, propter multitudinem credentium Judæorum, qui necdum poterant Christum adimpletionem et finem Legis audire, qui et absente Paulo, Jerosolymæ jactaverant [*Al.* jactitaverant], frustra eum currere aut cucurrisse, qui putaret Legem veterem non sequendam. Non quod Paulus timuerit, ne per decem et septem annos falsum in gentibus Evangelium prædicasset; sed ut ostenderet præcessoribus suis non se in vacuum currere aut cucurrisse, sicut putaverant ignorantes.

(Vers. 3-5.) *Sed neque Titus qui mecum erat, cum esset ex gentibus, compulsus est circumcidi. Propter subintroductos autem falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent: quibus neque ad horam cessimus subjectioni, ut veritas Evangelii permaneat apud vos.* Si Titus, cum esset ex gentibus, nullo potuit terrore compelli, ut circumcideretur Jerosolymis, in Judæorum metropoli civitate, in qua tanta Paulus blasphemiæ in Moysen flagrabat invidia: ut postea pene a Judæis interfectus sit, quando a tribuno liberatur, et Romam vinctus ad Cæsarem mittitur: quomodo quidam [b] putant legendum esse, *quibus ad horam cessimus subjectioni, ut veritas Evangelii permaneat apud vos,* et intelligendum quod Titus ipse qui compelli ante non potuit ad circumcisionem, rursum circumcisus sit, atque subjectus? Aut, quæ est ista veritas Evangelii, hypocrisi cedere Judæorum; et ea quæ prius scybala æstimaveris, et quasi damna contempseris, observare, et esse aliquid æstimare, cum nihil sint? Sed et ipsius Epistolæ sensui valde repugnat, Galatas ad circumcisionem revocare. Hoc toto sermonis sui textu agit, ut doceat se Hebræum ex Hebræis, omnia quondam Legis opera servantem, circumcisum octava die secundum Legem Pharisæorum: nihilominus tamen ob Christi gratiam universa contemnere. Nam cum isset Jerosolymam, et falsi fratres qui ex circumcisione crediderant eum vellent impellere **401** ut circumcideret Titum: nec Titum, nec se cessisse violentiæ, quo minus custodirent Evangelii veritatem. Quod si dicit se necessitate superatum ut circumcideret Titum: quomodo Galatas revocat a circumcisione, a qua nec Titum, qui secum fuerat ex gentibus, Jerosolymis potuit excusare? Itaque aut juxta Græcos codices est legendum, *Quibus neque ad horam cessimus subjectioni;* ut consequenter possit intelligi: *ut veritas Evangelii permaneat apud vos.* Aut si Latini exemplaris alicui fides placet, secundum superiorem sensum accipere debemus: ut ad horam cessio non circumcidendi Titi, sed eundi Jerosolymam fuerit. Quo scilicet idcirco subjectioni cesserint Paulus et Barnabas eundi Jerosolymam, seditione ob Legem Antiochiæ concitata: ut per Epistolam apostolorum, sua sententia firmaretur, et maneret apud Galatas Evangelii veritas, quæ non esset in littera, sed in spiritu; non in carnali sensu, sed in intelligentia spirituali; nec in manifesto Judaismo, sed in occulto. Sciendum vero, quod, *autem,* conjunctio quæ in præsenti loco ponitur: *Propter subintroductos autem falsos fratres,* superflua sit: et si legatur, non habeat quod ei respondeat, illamque concludat; sed esse ordinem lectionis et sensus: Sed neque Titus qui mecum erat, cum esset ex gentibus, compulsus est circumcidi. Statimque subjungat quæ causa fuerit, ut ad circumcisionem impelleretur invitus: *Propter subintroductos,* inquit, *falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent.* [c] Qui cum minis terrerent, et multitudine vellent nos a libertate Christi in Legis traducere servitutem, ne ad tempus quidem eis cessimus, ut circumcideremus Titum: maxime cum et aliqua ob Ecclesiasticam pacem potuerit nos necessitas excusare: et hoc totum fecimus, ut vobis nulla fieret occasio ab Evangelii gra-

[a] Voces, *ex gentibus*, nostri mss. ignorant.

[b] Opinor Latinæ veteris, quam *Italicam* vocant, interpretationis auctores perstringi. Hanc enim fuisse ejus lectionem absque negandi particula colligere licet cum ex vetustissimis Pauli Epistolarum Latinis codd., tum ex aliquot, qui locum hunc ita laudant, Latinis Patribus. Tertullianus, lib. v contra Marcionem, cap. 5, nedum respuit ipse negandi particulam, sed hoc insuper contra hæreticum, qui cum ea legerat, contendit, manifestam eam esse *vitiationem Scripturæ*. Hodierna autem exemplaria cum Latina, tum Græca, Hieronymianæ lectioni, *neque ad horam*, astipulantur. Quod paulo inferius addit S. Pater de Græcorum codicum sui temporis variatione, idipsum Ambrosiaster observat.

[c] Unus Palatinus, *Qui cum minis terrere multitudinem vellent, et nos a libertate*, etc.

tia recedendi. Si igitur nos Jerosolymis inter tantos Judæos imminentibus hinc inde falsis fratribus, et his qui majores erant aliqua ex parte cohibentibus, nulla potuimus vi ac ratione compelli, ut observaremus circumcisionem quam sciebamus esse finitam : vos ex gentibus, **402** vos in Galatia, vos quibus vis nulla inferri potest, ultro a gratia recedentes, ad Legis jam abolitæ transcendistis vetustatem.

(Vers. 6.) *Ab his autem qui videbantur esse aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea interest : Deus personam hominis non accipit.* Licet, inquit, Petrum et Joannem Dominus secum apostolos habuerit, et transfiguratum eum in monte viderint (*Matt.* XII ; *Marc.* IX), et super ipsos Ecclesiæ sit positum fundamentum : mihi tamen nihil refert, quia non adversum eos loquor qui eo tempore Dominum sequebantur, sed adversum eos loquor qui nunc legem præponunt gratiæ : nec detraho præcessoribus, nec in aliqua parte accuso majores, sed hoc dico, quia Deus personam hominis non accipit. Non enim accepit Moysi, non accepit David, non accepit aliorum : nec eorum ergo accipiet, qui cedere quibusdam videntur ad tempus, tametsi ipsi mecum sentiant, Petro quoque dicente : *In veritate cognosco, quia non est acceptor personarum Deus : sed in omni loco qui timet eum, et operatur justitiam acceptabilis ei est* (*Act.* X, 34, 35). Quo itaque argumento ipse sanctus apostolus Petrus adversum eos qui in Cornelio ex gentibus baptizato, nec circumciso, scandalum sustinebant, utitur, et placat eos se non potuisse negare aquam his qui Spiritum sanctum acceperant : eodem nunc sanctus apostolus Paulus adversum ipsum Petrum disputat, quod personarum non sit acceptor Deus, sed unumquemque pro veritate judicet. Et ita caute et pedetentim inter laudem et objurgationem Petri medius incedit, ut et præcessori apostolo deferat, et nihilominus audacter ei resistat in faciem, veritate compulsus.

Mihi enim qui videbantur, nihil contulerunt. Ipse superius cum illis contulit, et multa ad eos retulit, quæ in gentibus perpetraret : illi nihil contulerunt ei, sed tantummodo quæ ab eo dicta sunt comprobantes, dexteras dederunt consortii, et unum suum Paulique Evangelium firmaverunt. Rursum notandum, quod [a] *contulerunt*, verbum ipsum sit in Græco, de quo ante tractavimus.

(Vers. 7, 8.) *Sed contra cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut* **403** *Petro circumcisionis. Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes. Et cum cognovissent gratiam quæ data est mihi, Petrus et Jacobus, et Joannes, qui videbantur* ***columnæ esse, dextras dederunt mihi et Barnabæ, societatis : ut nos in gentes ; ipsi autem in circumcisionem.*** Ὑπέρβατον est, et multis quæ in medio sunt interjecta sublatis, sic breviter legi potest : Mihi enim qui videbantur esse nihil contulerunt : sed econtra dexteras dederunt mihi et Barnabæ, societatis. Aut certe ille absque jactatione sui, occultus est sensus : Mihi qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt ; sed econtra a me eis collatum est, dum fiunt in Evangelii gratia firmiores. Totum autem quod dicit, hoc est : unus atque idem mihi Evangelium præputii, et Petro circumcisionis credidit. Me misit ad gentes, illum posuit in Judæa. Nec gentes poterant adulta jam ætate non profuturo circumcisionis dolore cruciari, et abstinere se ab escis, quibus semper assueverant, et quas Deus creaverat ad utendum : nec hi qui ex Judæis crediderant et circumcisi erant, et ex consuetudine quasi secunda natura, putabant se a cæteris gentibus plus habere, facile contemnere poterant ea in quibus gloriabantur. Providentia itaque Dei, alius apostolus circumcisis datus est, qui Legis umbris videretur acquiescere, alius in præputio constitutis, qui Evangelii gratiam non putaret esse servitium, sed liberam fidem. Ne sub aliqua occasione impedimentum fidei nasceretur : et propter circumcisionem sive præputium, non crederetur in Christum. Nec hoc dicimus quod Petrus, qui et ipse in Actibus apostolorum nullum hominem communem esse testatus est (*Actor.* X), et in illo vase, quod quatuor angulis de cœlo missum viderat, edocetur nihil interesse, Judæus sit aliquis, an gentilis, quasi oblitus priorum, super Evangelii gratia, Legem putaverit observandam : sed ut ipse quoque Legem custodire se simulans, paulatim Judæos ab antiquo vivendi more deduceret. Non enim poterant tantum observationis laborem, et veteris vitæ cautissimam **404** conversationem, quasi purgamenta subito et damna contemnere. Ex quo perspicimus, propterea dexteras datas Paulo et Barnabæ [b] societatis, a Petro, Jacobo et Joanne : ne observatione varia, diversum Christi Evangelium putaretur ; sed et circumcisorum et habentium præputium esset una communio. Pulchre autem præstruxit, dicens : *Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis :* ne quis eum putaret detrahere Petro, sed ut laudibus ejus ante præmissis, intelligeretur Petrus ideo circumcisionem aliqua ex parte suscipere, ut eos qui sibi ex Judæis crediti fuerant lucrifaceret, et in Christi fide et Evangelio custodiret. [c] Subintelligit etiam. quod si ille absque culpa faceret, et ad tempus observando, quod non licet, ne sibi creditos perderet, se magis pro Evangelii veritate facere debere quod sibi creditum est in præputio, ne gentes Legis onere et difficultate deterritæ, a Christi fide et [d] credulitate discederent. Occulta hic oritur quæstio : Quid igitur ? Petrus si invenisset ex gentibus, non eos adducebat ad fidem? Aut Paulus si ex circum-

[a] Veteres editi ipsum verbum Græcum interserunt : quod προσανέθεντο, *contulerunt*, etc.
[b] Vocem *societatis* Palatin. ms. ignorat.
[c] Idem ms., *subintelligi etiam*, *quod ille*, etc.
[d] Supino errore legebatur antea, *crudelitate*.

cisione aliquos reperisset, non eos ad Christi baptismum provocabat? Quæ ita solvitur, ut dicamus principale singulis in Judæos et gentes fuisse mandatum, ut qui defendebant Legem, haberent quem sequerentur; qui Legi gratiam præferebant, non deesset eis doctor et prævius. In commune vero hoc eos habuisse propositi, ut Christo ex cunctis gentibus Ecclesiam congregarent. Legimus enim et a sancto Petro gentilem baptizatum fuisse Cornelium, et a Paulo in synagogis Judæorum, Christum sæpissime prædicatum. *Petrus, et Joannes, et Jacobus, qui videbantur columnæ esse* (*Actor.* X, XIII, XVII). Ter supradictum de apostolis legimus: *Scorsum autem his qui videbantur*. Et: *Ab his qui videbantur esse aliquid*. Et: *Mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt*. Sollicitus itaque requirebam, quidnam esset quod diceret, *qui videbantur:* sed nunc me omni scrupulo liberavit, adjiciens, *qui videbantur columnæ esse*. Columnæ igitur sunt Ecclesiæ apostoli, et maxime Petrus, Jacobus, et Joannes, ex quibus duo cum Domino ascendere merentur **405** in montem, quorum unus in Apocalypsi Salvatorem introducit loquentem: *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei* (*Apoc.* III, 12), docens omnes credentes qui adversarium vicerint, posse columnas Ecclesiæ fieri. Ad Timotheum vero Paulus scribens ait: *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna autem et firmamentum veritatis* (I *Tim.* II, 15). His et cæteris instruimur, tam apostolos omnesque credentes, quam ipsam quoque Ecclesiam columnam in Scripturis appellari, et nihil interesse de corpore quid dicatur, an membris, cum et corpus dividatur in membra, et membra sint corporis. Dederunt itaque Petrus, et Jacobus, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras Paulo et Barnabæ, societatis; sed Tito qui cum eis erat, dextras non dederunt. Necdum quippe ad eam mensuram pervenerat, ut possent [*Al.* possint] ei Christi mercimonia ex æquo cum majoribus credi, et eumdem [a] tenere negotiationis locum quem Barnabas tenebat, et Paulus.

(Vers. 10.) *Tantum ut pauperum memores essemus, quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere*. Sancti pauperes, quorum præcipue ab apostolis Paulo et Barnabæ cura mandatur, hi sunt, qui ex Judæis credentes, pretia possessionum suarum ad pedes apostolorum deferebant egentibus largienda, vel quia contribulibus, cognatis et parentibus suis, quasi desertores Legis, et in crucifixum hominem credentes, detestationi et piaculo ducebantur. In horum ministerio sanctus apostolus Paulus quanto labore sudaverit, Epistolæ ejus testes sunt, scribentis ad Corinthios, et ad Thessalonicenses, ad omnes gentium Ecclesias, ut præpararent munus hoc per se vel per alios qui eis placuissent, Jerosolymam deferendum. Unde nunc confidenter dicit, *quod etiam sollicitus fui facere hoc ipsum*. Possunt autem et alio genere pauperes accipi, de quibus in Evangelio dicitur: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v, 3). Merentur quippe tales in memoria esse apostolorum. Necnon et illi pauperes, de quibus in Salomone scribitur: *Redemptio viri animæ, propriæ divitiæ* (*Prov.* XIII, 8). **406** Pauper vero non sustinet comminationem. Non enim potest futurum [*Al.* futurarum] pœnarum audire terrorem, pauper in fide, pauper in gratia, non habens divitias spirituales, nec scientiam Scripturarum, quæ auro et argento, et pretioso lapidi comparantur. Quoniam igitur non egent sani medico, sed hi qui male habent, propterea et apostolis in dexterarum communicatione convenit, ne spernerent pauperes, ne despicerent peccatores; sed semper meminissent eorum, sicut Paulus Corinthii illius meminit, quem cum in priore Epistola contristasset ad tempus, ut corpore per pœnitentiam laborante, spiritu salvus fieret (I *Cor.* v): in secunda, ne majori tristitia absorberetur, revocat ad Ecclesiam. Petitque cunctos, ut confirment in eum charitatem, et donent fratri sicut ipse unicuique eorum in facie Christi donaverit, implens pactum quod Jerosolymis fecerat, ut semper pauperum recordaretur.

(Vers. 11 seq.) *Cum autem venisset Petrus* [b] *Antiochiam, in faciem ei restiti: quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat. Cum autem venissent, subtrahebat et segregabat se timens eos qui ex circumcisione erant, et simulationi ejus consenserunt, et cæteri Judæi: ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illa simulatione*. Ex eo quod Petrus antequam quidam de Jerosolymis Antiochiam venirent, edebat cum gentibus, ostenditur non eum oblitum fuisse præcepti: nullum hominem communem et immundum dicere; sed quia propter eos, qui adhuc Legem observandam putabant, paululum se a convictu subtraxerat gentium (ita ut etiam cæteri qui ex Judæis erant, similiter facerent, et Barnabas qui cum Paulo in gentibus Evangelium prædicabat, hoc facere cogeretur), hi qui Antiochiæ crediderant ex gentibus, nec fuerant circumcisi, compellebantur ad Legis onera transcendere: non intelligentes dispensationem Petri, qua Judæos salvari cuperet: sed putantes ita se Evangelii habere rationem. Cum itaque vidisset apostolus Paulus periclitari gratiam Christi, nova bellator [c] vetus usus est arte pugnandi, ut dispensatione Pauli novam Petri dispensationem...

[a] Subintellige, *posset*, quod verbum elegantius ex Latinæ linguæ ingenio S. Pater non repetit; nequidquam enim, *teneret*, Victorius rescripsit, cui alioquin claudicare Latina locutio visa est.

[b] Iterum audet Victorius super quam liceat: nam quod in Vulgata et Græco, *Cephas*, pro *Petro*, scribitur, ut eamdem servet nomenclaturam tam hic, quam paulo infra, Hieronymi lectionem mutat, ac Petro Cepham substituit.

[c] Rescribimus *vetus*, cum Victorio, pro quo retinuit Martianæus minus bene, *ejus*.

sationem **407** Petri, qua Judæos salvari cupiebat, A nova ipse contradictionis dispensatione corrigeret, et resisteret ei in faciem: non arguens propositum; sed quasi in publico contradicens, ut ex eo quod Paulus eum arguens, resistebat, hi qui crediderant ex gentibus, servarentur. Quod si putat aliquis, vere Paulum Petro apostolo restitisse, et pro veritate Evangelii intrepide fecisse injuriam præcessori, non [a] ei stabit illud quod et ipse Paulus Judæis Judæus factus est, ut Judæos lucrifaceret, et ejusdem simulationis tenebitur reus, quando caput totondit in Cenchris, et facto calvitio, oblationem obtulit in Jerusalem (*Actor.* XVIII), et Timotheum circumcidit (*Ibid.*, XVI), et nudipedalia exercuit, quæ utique manifestissime de cæremoniis Judæorum sunt. Si itaque ipse qui ad prædicationem gentium missus B erat, non putavit abs re dicere: *Sine offendiculo estote Judæis et Ecclesiæ Dei* (I *Cor.* XIII, 31); quomodo et ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salventur; et fecit aliqua quæ contraria essent Evangelii libertati, ne scandalizaret Judæos: qua auctoritate, qua fronte audet hoc in Petro reprehendere, qui circumcisionis apostolus erat, quod ipse apostolus gentium arguitur commisisse? Sed ut ante jam diximus, restitit secundum faciem publicam Petro et cæteris, ut hypocrisis observandæ Legis, quæ nocebat eis qui ex gentibus crediderant, correptionis hypocrisi emendaretur, et uterque populus salvus fieret, dum et qui circumcisionem laudant, Petrum sequuntur; et qui circumcidi nolunt, Pauli prædi- C cant libertatem. Quod autem ait, *reprehensibilis erat*, propterea inediæ temperavit; ut intelligamus non tam Paulo eum fuisse reprehensibilem, quam his fratribus cum quibus ante edens, se ab eis postea separabat. Utilem vero simulationem, et assumendam in tempore, Jehu regis Israel nos doceat exemplum, qui [b] non potuisset interficere sacerdotes Baal, nisi se finxisset velle idolum colere, dicens: *Congregate* [Al. *congrega*] *mihi omnes sacerdotes* **408** *Baal: si enim Achab servivit Baal in paucis: ego serviam in multis* (IV *Reg.* X, 18). Et David quando mutavit faciem suam coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit (I *Reg.* XXI). Nec mirum, quamvis justos homines, tamen aliqua simulare pro tempore, ob suam et aliorum salutem, cum et ipse Dominus noster non habens peccatum, nec carnem peccati, simulationem peccatricis carnis assumpserit, ut condemnans in carne peccatum, nos in se faceret justitiam Dei. Legerat utique Paulus in Evangelio Dominum præcipientem: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucrifeceris fratrem tuum* (*Luc.* XVII, 3). Et quomodo cum etiam de minimis fratribus hoc faciendum jusserit, ausus est apostolorum maximum in publica facie tam procaciter, tam constanter arguere; nisi et Petro sic placuisset argui, et Paulus non ei faceret injuriam de quo ante dixerat: *Veni Jerosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim: alium autem apostolorum vidi neminem.* Et rursum: *Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis.* Et infra: *Petrus et Jacobus et Joannes, qui videbantur columnæ esse*, et cætera quæ in ejus laudes perorat. Aliquoties cum adolescentulus Romæ controversias declamarem, et ad vera certamina fictis [c] me litibus exercerem, currebam ad tribunalia judicum, et disertissimos oratorum tanta inter se videbam acerbitate contendere, ut omissis sæpe negotiis, in proprias contumelias verterentur, et joculari se invicem dente morderent. Si hoc illi faciunt, ut apud reos nullam suspicionem prævaricationis incurrant, et fallunt populum circumstantem: quid putamus tantas Ecclesiæ columnas, Petrum et Paulum, tanta vasa sapientiæ inter dissidentes Judæos atque gentiles facere debuisse? nisi ut eorum simulata contentio, pax credentium fieret, et Ecclesiæ fides sancto inter eos [*Al.* se] jurgio concordaret. Sunt qui Cephan, cui hic in faciem Paulus restitisse se scribit, non putant apostolum [d] Petrum, sed alium de septuaginta **409** discipulis isto vocabulo nuncupatum. Et

[a] Forlasse verius, *et*, voculam duo e nostris mss. inducunt.

[b] Ex iisdem mss. amovimus hinc, *cum*, adverbium, quod hiantem reddebat sensum. Unus Palat. nomen, *Judæorum*, præponit verbis, *nos doceat*. D

[c] Veram hanc lectionem retinet codex Regius ms. n. 3758. Erasmiana editio et nonnulli mss. codd. corrupte legunt *fictis militibus exercerer*. MART. —Quod olim erat, *fictis militibus*, Victor. emendavit, *me litibus*, ex mss. quibus et nostri consonant, uno tantum abludente in voce, *factis*, pro *fictis*.

[d] Mearum minime est partium vetustissimam quæstionem, quæque spectatissimos auctores studia in contraria distraxit, hic loci recoquere. Satis abunde fuerit, sive quos Hieronymus notat, sive quos tulit sequior ætas, Patres de nomine compellare, qui in eam concessere sententiam, ut alium a Petro Cepham, quem Paulus reprehendit, arbitrati sunt. Laudandus cum primis S. Clemens Alexandrinus quinto Hypotyposeon libro: et qui ejus recitat testimonium Eusebius Pamphili libro Eccles. Hist. I, cap. 12. His subscripsere sæculo quarto Dorotheus Tyrius, qui Cepham a Paulo redargutum non inter apostolos, sed inter septuaginta discipulos censet: et Chrysostomus tom. V, homil. 64, quibus hoc ipsum Hieronymi testimonium, tum aliud S. Gregorii M. in Ezechielem homil. 18 astipulantur, utpote qui testes sint, suo quilibet ævo, nonnullos exstitisse, qui Cepham a Petro distinguerent. Taceo Alexandrini Chronici auctorem ad Christi annum 30 et multo post Œcumenium: denique et auctorem Commentarii in Pauli Epistolas S. Anselmo perperam inscripti, recentioresque alios magni nominis viros, qui aut propriam, aut aliorum de diversa Petri apostolorum principis a Cepha, uno e septuaginta discipulis, persona opinationem probarunt. Multa quoque sunt, quæ me ex sacri textus serie, Paulinarumque rerum historia in eamdem sententiam pertrahant: atque ut semel dicam, potissimum illud argumentum, quod eo tempore Petrus non ageret Antiochiæ, quo Cepham Paulus reprehendit, in promptu esset novis rationum momentis validissimum demonstrare, nisi nos hæc longius quam patitur Notarum propositum abducerent. Interim

dicant nequaquam Petrum a convictu gentium se potuisse subtrahere, qui et centurionem Cornelium baptizarat. Et cum ascendisset Jerosolymam, disceptantibus adversus se qui erant ex Circumcisione, et dicentibus: *Quare introisti ad viros præputium habentes, et manducasti cum illis* (*Act.* XI, 3)? post narrationem visionis, tali responsionem suam fine concluserit: *Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, sicut et nobis qui credidimus in Dominum Jesum Christum: ego quis eram qui possem prohibere Deum? Quibus auditis, tacuerunt, et glorificaverunt Deum, dicentes: ergo et gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit;* maxime cum Lucas scriptor historiæ, nullam hujus dissensionis faciat mentionem; nec dicat umquam Petrum Antiochiæ fuisse cum Paulo, et locum dari Porphyrio blasphemanti; si autem Petrus B errasse, aut Paulus procaciter apostolorum principem confutasse credatur. Quibus primum respondendum, alterius nescio cujus Cephæ nescire nos nomen, nisi ejus qui et in Evangelio, et in aliis Pauli Epistolis, et in hac quoque ipsa modo *Cephas*, modo *Petrus*, scribitur. Non quod aliud significet Petrus, aliud Cephas: sed quod [a] quam nos Latine et Græce *petram* vocemus, hanc Hebræi et Syri propter linguæ inter se viciniam, *Cephan* nuncupent. Deinde totum argumentum epistolæ quod oblique de Petro, Jacobo, et Joanne dicitur, huic intelligentiæ repugnare. Nec mirum esse si Lucas hanc rem tacuerit, cum et alia multa quæ 410 Paulus sustinuisse se replicat, historiographi licentia prætermiserit: et non statim esse contrarium, si quod alius ob causam dignum putavit relatu, alius inter cætera dereliquit. Denique primum episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse accepimus, et Romam exinde translatum, quod Lucas penitus omisit. Ad extremum si propter Porphyrii blasphemiam, alius nobis fingendus est Cephas, ne Petrus putetur errasse, infinita de Scripturis erunt radenda divinis, quæ ille, quia non intelligit, criminatur. Sed et adversum Porphyrium, in alio, si Christus jusserit, opere pugnabimus; nunc reliqua prosequamur.

(Vers. 14.) *Sed cum vidissem quod non recto pede* [b] *incedunt ad veritatem Evangelii, dixi Petro coram* A *omnibus.* Sicut hi qui sanis gressibus claudicare se simulant, non vitium habent in pedibus, sed est aliqua causa cur claudicent, ita et Petrus sciens circumcisionem et præputium nihil esse, sed observationem mandatorum Dei, edebat quidem ante cum gentibus, sed pro tempore ab eis se, ne Judæos a fide Christi perderet, subtrahebat. Unde et Paulus eadem arte qua ille simulabat, ei restitit in faciem, et loquitur coram omnibus; non tam ut [c] Petrum arguat, quam ut hi, quorum causa Petrus simulaverat, corrigantur, vel ut etiam Judæis superbia, gentibus desperatio tolleretur. Quod si cui [d] iste non placet sensus, quo nec Petrus peccasse, nec Paulus procaciter ostenditur arguisse majorem, debet exponere qua consequentia 411 hoc Paulus in altero reprehendat, quod ipse commisit.

Si tu, cum Judæus sis, gentiliter, et non Judaice vivis: quomodo gentes cogis judaizare? Indissolubili argumento constringit Petrum, immo per Petrum, eos qui pugnantia illum inter se facere cogebant; Si, inquit, o Petre, tu natura Judæus es, circumcisus a parva ætate, et universa Legis præcepta custodiens, nunc ob gratiam Christi scis ea nihil per se habere utilitatis, sed exemplaria esse et imagines futurorum, et cum his qui ex gentibus sunt, cibum capis, nequaquam ut ante superstitiose, sed libere et indifferenter victitans: quomodo eos qui ex gentibus crediderunt, nunc recedens ab eis; et quasi a contaminatis te separans et secernens, compellis judaizare? Si enim immundi sunt a quibus recedis, C idcirco autem recedis, quia non habent circumcisionem, compellis eos circumcidi et Judæos fieri: cum tu ipse natus Judæus, gentiliter vixeris. Et lætanter ostendit causam quare adversum eum disputaverit: quia scilicet gentes simulatione sua judaizare compelleret, [e] dum eum cupiunt æmulari.

(Vers. 15.) *Nos natura Judæi, et non ex gentibus peccatores.* Subrepunt hoc loco Hæretici, qui ridicula quædam et inepta fingentes, aiunt, nec spiritualem peccare posse naturam: nec juste aliquid facere terrenam. Quos interrogemus quare de bona oliva rami fracti sunt, et cur de oleastro in radicem bonæ olivæ inserti sint, si nec de bono cadere quidquam potest, nec de malo surgere? Aut quomodo

certum est, Latinos plerosque omnes Scriptores, Cyprianum, Tertullianum, Hilarium Diaconum, Gregorium M. Thomam; ac sequiores magno numero interpretes (ne ipso quidem excepto Augustino, qui contra probatam Hieronymo simulationem sensit) pro uno eodemque Petrum Cephamque habuisse, nostrumque Hieronymum etiam cum multo post, ac fere sub vitæ finem, adversus Pelagianos scriberet, eamdem tenuisse sententiam, vere Petrum tunc errasse, eique jure plane merito Paulum succensuisse: *Quis*, ait, *indignabitur, id sibi denegari quod princeps apostolorum non habuit?* D *solidum.*

[a] Palatin. ms. *quem nos Latine et Græce Petrum vocamus, hunc Hebræi*. etc. Est vero Cephas כיפא, a כף radice, unde כפים pluralium numero Jerem. IV, 29, et Job XXX, 6, *petræ* appellantur. Desipit Erasmus, qui Hieronymum negare ait, Cephas Hebraicum esse nomen, sed Syrum, et significare

[b] Rescribit Victorius, *incederent*, ut in Vulgata: contenditque minus recte in Græco haberi, ὀρθοποδοῦσι, pro ὀρθοποδῶσι: quin etiam impressam lectionem nec sensum, nec Grammatices sequi regulam.

[c] Haud scio num rectius in uno Palatin. ms. *non tam ut Petrus, quam ut hi, quorum causa Petrus simulaverat, corrigantur*, reliquis, quæ hic subsequuntur verbis, *vel ut etiam Judæis superbia, Gentibus desperatio tolleretur*, prætermissis, quæ et Victorius, et vetus editio ignorat.

[d] Nimirum S. cum primis Augustinus, qui datis ad Hieronymum epistolis in nostra recensione 56 et 57 contra hanc sententiam velitatur.

[e] Vitiose erat, *dum enim*. Hujusmodi manifesta menda sæpius taciti castigamus.

vel Paulus persecutus sit ante Ecclesiam, si de natura spirituali fuit : aut postea Apostolus factus, si de terrena fæce generatus est. Quod si terrenum eum non fuisse contenderint, ipsius verba ponamus : *Eramus filii natura iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 3). Natura Judæus est qui de genere est Abraham, et a parentibus die octavo circumcisus est. [a] Non natura Judæus, qui postea est factus ex gentibus. Ut autem totum argumentum brevi sermone comprehendam, sensus est iste qui texitur : Nos, id est, ego et tu, Petre (miscuit enim personam suam, ne illi facere videretur **412** injuriam), cum essemus, inquit, natura Judæi, ea facientes quæ lege præcepta sunt, et non ex gentibus peccatores, qui vel generaliter, quia idolis serviunt, peccatores sunt, vel quos nunc putamus immundos, scientes quod non possimus ex Legis opere, sed ex Christi salvari fide, credidimus in Christum, ut quod Lex nobis non dederat, fides tribueret quam habebamus [*Al.* habemus] in Christo. Quod si recedentes a Lege, in qua salvari non potuimus, transcendimus ad fidem, in qua non carnis quæritur circumcisio, sed cordis puri devotio : et nunc a gentibus recedendo hoc agimus, ut quicumque non sit circumcisus, immundus sit : ergo fides in Christum, in qua nos putabamus ante salvari, magis peccati est ministra, quam justitiæ, quæ aufert circumcisionem, quam qui non habuerit, immundus est. Sed absit, ut quod semel destruxi, et scivi mihi non profuisse, rursum vindicem. Semel a Lege discedens, Legi sum mortuus, ut in Christo viverem, crucique ejus affixus, et in novum renatus hominem, fide magis quam carne subsisterem, et cum Christo egrederer e mundo. Quod semel adorsus sum, teneo. Non mihi gratis Christus est mortuus : in quo frustra credidi, [b] si potui absque fide ejus in veteri Lege salvari.

(Vers. 16). *Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Jesu Christi : et nos in Christo Jesu credidimus, ut justificemur in fide Christi, et non ex operibus Legis.* Aiunt quidam : si verum hoc sit quod Paulus affirmat, ex operibus Legis neminem justificari, sed ex fide Jesu Christi, patriarchas et prophetas, et sanctos, qui ante Christi adventum fuerunt, imperfectos fuisse. Quos admonere debemus eos hic dici justitiam non consecutos, qui tantum ex operibus justificari posse se credunt. Sanctos autem, qui antiquitus fuerint, ex fide Christi justificatos. Siquidem Abraham vidit diem Christi, et lætatus est. Et Moyses majores divitias æstimavit thesauro Ægyptiorum, improperium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem. Et Isaias vidit glo-

A riam Christi (*Isai.* VI), ut Joannes evangelista commemorat, et Judas de omnibus generaliter : *Commonere*, inquit, *vos volo*, **413** *scientes semel omnia : quoniam Jesus populum de terra Ægypti salvans : secundo eos qui non crediderunt, perdidit* (*Jud.* V). Unde non tam Legis opera damnantur, quam hi qui tantum ex operibus justificari se posse confidunt, Salvatore quoque ad discipulos loquente, *Nisi superabundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* V, 20). Congregandum [*Al.* considerandum] hoc in loco quanta in Lege præcepta sint, quæ explere nullus queat. Et econtrario dicendum, quædam Legis etiam ab his fieri qui ignorent eam. Sed ideo non justificari operatores ejus, quia absque fide B Christi fiant : verbi gratia, non dormire cum viro dormitatione mulieris, non adulterari, non rapere, sed magis honorare patrem et matrem, et cætera, quæ imperata sunt, facere. Quod si de sanctis viris nobis exempla protulerint : quod in Lege versati, ea quæ Legis fuerant, perpetrarint, dicemus : Quia justo Lex non est posita, sed iniquis et non subditis, impiis et peccatoribus, contaminatis et immundis (I *Tim.* I). Qui autem a Deo doctus sit, non habere eum necesse, ut [c] vel de charitate doceatur, Paulo dicente : *De charitate autem non necesse habeo scribere vobis : ipsi enim vos a Deo docti estis, ut diligatis invicem* (IV *Thess.* IV, 9).

(Vers. 17, 18.) *Propter quod ex operibus Legis non justificabitur omnis caro.* [d] *Quod si quærentes justifi-* C *cari in Christo, inventi sumus et ipsi peccatores : numquid Christus peccati minister est? Absit. Si enim quæ destruxi, hæc iterum reædifico, prævaricatorem me constituo.* Non justificabitur [*Al.* justificatur] ex operibus Legis caro illa, de qua scribitur : *Omnis caro fenum; et omnis gloria ejus, quasi flos* [e] *agri* (*Isai.* XL, 6). Justificatur autem ex fide Jesu Christi caro illa, de qua in resurrectionis dicitur sacramento : *Omnis caro videbit salutare Dei* (*Luc.* III, 6). Sed et juxta humiliorem intellectum, justificabatur quondam ex Lege non omnis caro, sed tantum hi homines qui in Palæstina erant. Nunc autem ex fide Jesu Christi justificatur omnis caro, dum Ecclesia ejus in toto orbe fundatur.

(Vers. 19.) *Ego enim per Legem Legi mortuus sum,* D **414** *ut Deo vivam.* Aliud [f] est per Legem mori, aliud Legi mori. Qui Legi moritur, vivebat ei antequam moreretur, observans sabbata et neomenias, et dies festos, et victimarum typicam curiositatem, et fabulas Judaicas, et genealogias. Postquam autem venit Christus et Lex, de qua scriptum est : *Scimus*

[a] Iterum vitiose et contrario sensu penes Martianæum erat, *Nam natura*, pro, *Non*, etc.

[b] Nostrorum codd. et quos Victor. consuluit, melior hæc visa est lectio præ illa quæ obtinebat, *si putavi*.

[c] Duo e nostris mss. et Rabbanus, *ut saltem de charitate doceatur*.

[d] Quæ hinc subsequitur sacri textus pericopen ostri codd. tacent.

[e] Rescribit Victorius *feni*, ex Græco χόρτου, et codicum suffragio. Putatque ab imperitis substitutam vocem, *agri*, qui Hieronymi consuetudinem ignorarint, quod LXX scilicet, non suam ille citaret editionem. Nobis in hanc ejus opinationem concedere per mss. auctoritatem non licet.

[f] Unus Palatinus, *Aliud est per Legem Legi mori, aliud*, etc.

autem quia Lex spiritualis est (*Rom.* VII, 14), per Evangelicam legem, Legi pristinæ mortuus est : et anima, quæ secundum id quod scribitur ad Romanos : Viro vivente, si nupsisset, adultera vocabatur : mortuo viro suo, id est, lege veteri, nupsit Legi Spirituali, ut fructificaret Deo. Unde et in Osee ad eam dicitur : *Ex me fructus tuus inventus est* (*Osee* XIV, 9). Cui pulchre mysticum illud infertur : *Quis sapiens, et intelliget ista :* [a] *intelligens, et cognoscet ea?* Qui per legem igitur spiritualem, Legi litteræ moritur, Deo vivit, cum non sit sine lege Dei, sed in lege sit Christi. Qui vero legi moritur ob peccata, mortuus quidem est; sed non potest de eo dici quod sequitur, *ut vivat Deo.* Esse autem legem aliam spiritualem extra Legem litteræ, et alibi Apostolus docet, dicens : *Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum* (*Rom.* VII, 12). Et Ezechiel ex persona Dei : *Eduxi*, inquit, *eos*, id est, populum Judæorum, *de terra Ægypti : et adduxi eos in desertum : et dedi eis præcepta mea, et justificationes meas ostendi illis : quas faciet homo, et vivet in eis* (*Ezech.* XX, 10). De ea vero lege quæ iram operatur, cui et Apostolus mortuus est, postea infert : *Et ego dedi eis præcepta non bona, et justificationes in quibus non vivent in eis* (*Ibid.*, 25). Idipsum significatur et in Psalterio : *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in fortitudinem Domini* (*Ps.* LXX, 51).

Christo confixus sum cruci. Quia dixerat se per legem legi mortuum, quomodo mortuus fuerit, ostendit : *Christo confixus sum cruci*, tollens crucem suam, et Christum sequens, et in ipsa [b] obsecrans passione : *Memento mei, cum veneris in regnum tuum* (*Luc.* XXIII, 42, 43). Statimque audiens : *Hodie mecum eris in paradiso.* Si quis mortificatis membris super terram, et mundo mortuus, configuratus
415 fuerit morti Jesu Christi, crucifigitur cum Jesu, et tropæum mortificationis suæ, in ligno Dominicæ passionis affigit.

(Vers. 20.) *Vivo autem jam non ego : vivit autem in me Christus.* Non vivit ille qui quondam vivebat in Lege, quippe qui persequebatur Ecclesiam. Vivit autem in eo Christus, sapientia, fortitudo, sermo, pax, gaudium, cæteræque virtutes; quas qui non habet, non potest dicere : *Vivit autem in me Christus*, hoc autem totum sub sua persona adversum Petrum de Petro disputat.

Quod autem nunc vivo in carne. Aliud est in carne esse, et in carne vivere. *Qui enim in carne sunt, Deo placere non possunt* (*Rom.* VIII, 8, 9). Unde ad bene viventes dicitur : *Vos autem non estis in carne.*

In fide vivo Filii Dei [c], *qui dilexit me et tradidit* A *semetipsum pro me.* Ad Romanos de Deo loquitur, quod Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradiderit eum. Nunc vero de Christo; quod se ipse tradidit : *Qui dilexit me*, inquit, *et tradidit semetipsum pro me.* In Evangelio vero ubi Apostoli enumerantur, infertur : *Et Judas Iscariotis* [Al. *Scarioth*] *qui et tradidit eum* (*Luc.* VI, 16). Rursum in eodem : *Ecce appropinquavit qui tradet me* (*Matt.* XXVI, 46). De principibus vero sacerdotum, et senioribus populi Scriptura commemorat, quod condemnaverint Jesum morti, et ligantes eum, duxerint et tradiderint Pilato præsidi (*Ibid.*, XXVII, *et Marc.* XV). Et deinceps de Pilato : *Dimisit eis Barrabam, Jesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigerent illum* (*Joan.* XIX). Igitur et Pater tradidit Filium : et Filius ipse se B tradidit : et Judas et sacerdotes eum principibus tradiderunt, et ad extremum traditum sibi, tradidit ipse Pilatus. Sed Pater tradidit, ut salvaret perditum mundum : Jesus ipse se tradidit, ut Patris suamque faceret voluntatem : Judas autem et sacerdotes et seniores populi, et Pilatus, vitam morti nescii tradiderunt. Quæ cum ipsa quoque se pro nostra salute tradiderit, beatus multumque felix, qui vivente in se Christo, per singulas cogitationes et opera potest dicere : *In fide vivo Filii* **416** *Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.*

(Vers. 21.) *Non abjicio gratiam Dei : si enim per Legem justitia; ergo Christus gratis mortuus est.* Abjicit gratiam Dei, tam ille qui post Evangelium vivit in Lege, quam is qui peccatis post baptismum sor- C didatur. Qui autem potest juxta Apostolum dicere : *Gratia ejus in me non fuit vacua* (I *Cor.* XV, 10), iste et hoc loquitur confidenter : *Non abjicio gratiam Dei.* Quod autem sequitur, valde necessarium est adversum eos qui post fidem Christi putant Legis præcepta servanda. Dicendum quippe eis : Si per legem justitia est, ergo [*Al.* quod] Christus gratis mortuus est [*Al.* sit]. Aut certe doceant, quomodo non Christus gratis mortuus sit, si opera justificant [*Al.* justificent]. Sed quamvis sint hebetes, dicere non audebunt Christum sine causa mortuum. Ad particulam itaque syllogismi, quæ hic proponitur, id est : *Si enim per Legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est*, debemus illud assumere quod consequenter infertur, et negari non potest : Christus au- D tem non est gratis mortuus; et concludere : Non igitur per Legem justitia. Hucusque contra Petrum, nunc ad Galatas revertitur.

(Cap. III. — Vers. 1.) *O Insensati Galatæ, quis vos fascinavit* [d] ? Dupliciter hic locus intelligi potest. Vel ideo insensatos Galatas appellatos, a majoribus

[a] Idem ms., *aut intelligens.*
[b] In aliis libris, *et in ipsam observans passionem*, etc.
[c] Interserunt duo mss. et Rabbanus, *et Christi*, quæ verba Græcus ipse textus recusat.
[d] In ante nos editis libris falso additur, *non credere veritati*, cum ipse Hieronymus doceat hæc verba non haberi in exemplaribus Adamantii, quæ Vir sanctus secutus est. MART. — Quæ olim hic subjungebantur ex Vulgato Interprete verba, *non credere veritati*, Victorius pridem jure optimo expunxit, quod ex ipsiusmet Hieronymi expositione subnexa constet a se prætermissa, propterea quod in Origenis exemplaribus non inveniebantur. Idipsum luculentissime confirmat S. Pater infra, dum exponit ea verba capitis quinti : *Currebatis bene : quis vos impedivit veritati non obedire?* Adde quod neque in his, quibus nos utimur, mss. sint.

ad minora venientes, quia cœperint spiritu, et carne consummentur ; vel ob id, quod unaquæque provincia suas habeat proprietates. Cretenses semper mendaces, malas bestias, ventres pigros, vere ab Epimenide poeta dictos, Apostolus comprobat. Vanos Mauros, et feroces Dalmatas, Latinus pulsat historicus. Timidos Phrygas, omnes poetæ lacerant. Athenis expeditiora nasci ingenia, philosophi gloriantur. Græcos leves, apud C. Cæsarem suggillat Tullius, dicens : *Aut levium Græcorum, aut immanium barbarorum.* Et pro Flacco : *Ingenita*, inquit, *levitas, et erudita vanitas.* Ipsum Israel, gravi corde, et dura cervice, omnes Scripturæ arguunt. In hunc ergo modum arbitror et Apostolum **417** Galatas regionis suæ proprietate pulsasse. Licet quidam profundis se quæstionibus inserentes, quasi sub obtentu vitandæ hæreseos, quæ diversas naturas infert, dicant, Tyrios quoque et Sidonios, Moabitas et Ammonitas, et Idumæos, Babylonios et Ægyptios, omnesque Gentes, quæ in Scripturis nominantur, habere quædam idiomata ex causis præcedentibus, et merito operum pristinorum, ne justitia Dei veniat in dubium : cum unaquæque gens vel bonum, vel malum habere asseratur, quod alia non habeat. Nos istas altitudines declinantes, superiora sectabimur : aut stultitiæ eos argui, dicentes, per quam spiritum Legis et litteram dijudicare non possint : aut vitio [*Al.* via] gentis corripi, quod indociles sint et vecordes, et ad sapientiam tardiores. Quod autem sequitur : *Quis vos fascinavit* (I *Cor.* XI), digne Paulo (qui etsi imperitus est sermone, non tamen scientia) debemus exponere : non quo scierit esse fascinum, qui vulgo putatur nocere; sed usus sermone sit trivii [*Al.* trito], et ut in cæteris, ita et in hoc quoque loco, verbum quotidianæ sermocinationis assumpserit. Legimus in Proverbiis : *Donum invidi cruciat oculos.* Qui apud nos *invidus*, in Græco significantius ponitur, *fascinator :* et in Sapientia quæ Salomonis scribitur : *Fascinatio malignitatis obscurat bona* (*Sap.* IV, 22). Quibus docemur exemplis, quod vel invidus aliena felicitate crucietur : vel is in quo bona sint aliqua, alio fascinante, id est, invidente noceatur. Dicitur fascinus proprie infantibus nocere, et ætati parvulæ, et his qui necdum firmo vestigio figant gradum. Unde et quidam e Gentibus :

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.
(*Virgil. Eclog.* 3.)

Hoc utrum verum, necne sit, Deus viderit : quia potest fieri, ut et dæmones huic peccato serviant ; et quoscumque in Dei opere vel cœpisse, vel profecisse cognoverint, eos a bonis operibus avertant. Nunc illud in causa est, quod ex opinione vulgi

A sumptum putamus exemplum : ut quomodo tenera ætas noceri dicitur fascino : sic etiam Galatæ in Christi fide nuper nati, et nutriti lacte, et non solido cibo (I *Cor.* III), veluti quodam fascinante **418** sint nociti : et stomacho fidei nauseante [*Al.* nauseantes], Spiritus sancti cibum evomuerint. Quod si aliquis contradicit, exponat quomodo de communi opinione sit sumptum, vallis Titanorum, in Regnorum libris (IV *Reg.* XXIII), Sirenæ et Onocentauri in Isaia (*Cap.* XXXIV), Arcturus et Orion, et Pleiades in Job (*Cap.* IX), et cætera his similia, quæ utique vocabula, Gentilium fabularum et causas et origines habet. Interrogemus ergo hoc loco Marcionem, qui prophetas repudiat, quomodo interpretetur id quod sequitur.

B *Ante quorum oculos Jesus Christus* [a] *proscriptus est, in vobis crucifixus est.* Nobis enim recte præscriptus est Christus, de cujus patibulo et passione, alapis et flagellis, omnis prophetarum prædicit chorus : ut crucem ipsius non de Evangelio tantum, in quo crucifixus refertur; sed multo antequam descendere dignaretur ad terras, et hominem qui est crucifixus assumeret, noverimus. Nec parva laus Galatarum est, quod ita crediderint in crucifixum, ut ante fuerat eis præscriptus : quo scilicet lectitantes prophetas, et omnia veteris Legis sacramenta noscentes, via et ordine venerint ad credendum. Legitur in quibusdam codicibus : *Quis vos fascinavit non credere veritati?* Sed hoc quia in exemplaribus Adamantii non habetur, omisimus.

C (Vers. 2.) *Hoc solum a vobis volo discere : ex operibus Legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Sunt quidem, ait, multa quæ possunt interrogatione vos cogere, Legi Evangelium præferendum : sed quoniam insensati estis, et nequaquam ea potestis audire, simplici vobiscum sermone loquor, et de eo quod promptum est, sciscitor : Spiritum sanctum quem accepistis, utrum vobis Legis opera, sabbati observatio, circumcisionis, et neomeniarum superstitio dederint, an auditus fidei, per quam ex gentibus credidistis? Quod si negari non potest, Spiritum sanctum et virtutes, quæ in principio fidei acceptum Spiritum sequebantur, non ex operibus Legis, sed ex fide Christi datas, manifestum est, vos a melioribus exorsos [*Al.* exosos], in pejora corruere. Con-
D sideremus autem diligenter, quia non dixerit : *Volo a vobis discere utrum ex operibus Spiritum accepistis;* sed adjecerit, *ex* **419** *operibus Legis.* Sciebat enim et Cornelium centurionem Spiritum ex operibus accepisse (*Actor.* X); sed non ex operibus Legis, quam nesciebat. Si autem econtrario dicitur : ergo et sine auditione fidei accipi Spiritus potest. Nos respondebimus, accepisse quidem eum Spiritum, sed ex au-

[a] *Proscriptus* similiter legunt editi libri ; sed mss. codd. retinent ubique vocem *præscriptus*, et hoc modo legendum satis ostendunt expositiones S. Hieronymi, qui ait Christum nobis esse *præscriptum*, id est *prædictum*, in omnibus prophetis. MART. — Placeret Martianæo legi, *præscriptus*, quemadmodum et in subnexa expositione Hieronymus præfert, et in suis ille codicibus se ait invenisse. Nostri econtrario hic impressam lectionem asserunt, quæ nec re ipsa dissentit abs Hieronymiana acceptione, nec a Græco textu, προεγράφη. Victorius continuo *proscriptus* legit.

ditu fidei, et [a] naturali lege, quæ loquitur in cordibus nostris, bona quæque facienda, et vitanda mala: per quam dudum quoque Abraham, Moysen, et cæteros sanctos justificatos retulimus, quam augere deinceps potest operum observatio, Legisque [*Al.* Legis quoque] justitia : non tamen carnalis legis, quæ præteriit, sed spiritualis, quia Lex spiritualis est. Neque vero, quia fidem præferimus, Legis opera destruimus (*Rom.* III), nec dicimus secundum quosdam : *Faciamus mala, donec veniant bona* (quorum damnatio justa est), sed servituti gratiam anteponimus. Dicimusque, quod Judæi propter metum faciunt, id nos facere propter charitatem. Illos servos esse, nos filios : illos cogi ad bonum, nos bonum sponte suscipere. Non igitur ex fide Christi licentia nascitur delinquendi; sed ex dilectione fidei voluntas boni operis augetur, dum bona ideo facimus, non quia judicem formidamus, sed quia scimus ea ei placere in quem credimus. Quærat quispiam, si fides non est nisi ex auditu, quomodo qui surdi nati sunt, possunt fieri Christiani. Deum quippe Patrem ex magnitudine et pulchritudine creaturarum potest quis intelligere, et a conditionibus conditor consequenter agnoscitur. Christi autem nativitas, crux, mors, resurrectio, nisi ex auditu sciri non potest. Aut surdi igitur Christiani non sunt : aut si surdi sunt Christiani, falsum est quod alibi ab apostolo dicitur : *Itaque fides ex auditu : auditus autem per verbum Dei.* Ad quod qui simplici responsione contentus est, dicit, non eum generaliter dixisse, fides omnium ex auditu est; sed fides ex auditu, quod et in parte, et in toto accipi potest : eorum scilicet fides ex auditu, qui audiunt, qui credunt. Qui autem huic [b] scrupulo satisfacere conatur, prius illud tentabit asserere, quod nutibus **420** quoque et quotidiana conversatione, et ut ita dixerim, totius corporis loquente gestu, surdi possunt Evangelium discere : deinde etiam hoc, quod Dei sermo cui nihil surdum est, ad eas magis loquatur aures, de quibus et ipse ait in Evangelio : *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Luc.* VIII, 8). Et in Apocalypsi : *Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis* (*Apoc.* II, 11). Et Isaias : *Dominus addidit mihi auriculam* (*Isai.* VI, 33 *et* 35). Iste est alius homo, cui Deus loquitur in occulto, qui clamat in corde credentis : *Abba, Pater* (*Rom.* VIII, 15) : et (ut frequenter exposuimus) quomodo corpus omnia membra, et sensus habet : ita animam quoque universos et sensus, et membra habere, [c] et inter cætera aures etiam : quas qui habuerit, non magnopere indigebit his auribus corporis ad Christi Evangelium cognoscendum. Simul autem etiam illud attendite, quod hic Spiritus absque ullo additamento Sanctus intelligatur, A quem ex dono Dei consequimur, et non hominis : de quo alibi scribitur : *Incorruptus Spiritus est in omnibus* (*Sap.* XII, 1). Et : *Ipse Spiritus testimonium reddit* [Al. *reddet*] *spiritui nostro* (*Rom.* VIII, 16). Et in alio loco : *Nemo scit ea quæ in homine sunt, nisi spiritus hominis qui est in eo* (I *Cor.* II, 11). Et in Daniele : *Benedicite, spiritus et animæ justorum, Dominum* (*Dan.* III, 86).

(Vers. 3.) *Sic stulti estis, ut cum Spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?* Si sanctum Spiritum acceperant Galatæ, quomodo stulti erant? Verum statim solvitur, cœpisse quidem eos Spiritum, sed cum carne consummarentur, Spiritum ab eis fuisse sublatum. Unde sine causa passi sunt tanta quæ passi sunt. Quod ne sibi post peccatum eveniret, David B precatur, dicens : *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me* (*Ps.* L, 13). Diligenter attendite quod qui Scripturas juxta litteram sequitur, consummari carne dicatur. Quamobrem illud quod ad Corinthios scriptum est : *In carne viventes, non juxta carnem militamus* (II *Cor.* X, 3), melius sic intelligi potest, ut hi militare dicantur in carne, qui vetus Testamentum humiliter edisserunt. Qui vero sequuntur intelligentiam spiritualem, sint quidem in carne, quia eamdem habeant litteram **421** quam Judæi, sed non juxta carnem militent, a carne ad spiritum transcendentes. Quando videritis eum qui primum credit ex Gentibus, et ad Christi aratrum mittit manum, prævio aliquo doctore prudente, sic per Legis iter ad Evangelium pergere, ut omnia illa quæ ibi scripta sunt, C de sabbato, de azymis, de circumcisione, de victimis, digne Deo intelligat, et deinceps post Evangelii lectionem a Judæo aliquo, aut Judæorum socio persuaderi, ut umbras et allegoriæ nubila derelinquens, sic Scripturas interpretetur, ut scriptæ sunt : de hoc potestis dicere : Sic stultus es, ut cum spiritu cœperis, nunc carne consummeris?

(Vers. 4.) *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa.* Consideremus infelices Judæos, quanta superstitione et observationis labore vivant inter cæteras nationes, dicentes, ne tetigeris, ne gustaveris, ne attrectaveris, et probabimus verum esse quod dicitur : *Tanta passi estis sine causa*; sed non statim ad eos sententia temperatur, et dubia fit, *si tamen sine causa* : quia de his dicitur, qui possunt post Le- D gem ad Evangelium reverti. Melius autem sic intelligi potest, quod primum credentes Galatæ in Crucifixum, et a Judæis, et a gentibus opprobria multa perpessi sint, persecutiones non minimas sustinuerint. Quas frustra arguuntur fuisse perpessi, si a gratia Christi recedant, propter quam tanta perpessi sunt. Simul et [d] illa spes, quod quicumque ob Christi fidem laboraverit, et postea lapsus fuerit in pec-

[a] Legi Naturæ hic plus justo tribuere videatur Hieronymus : qui non est tamen alio sensu accipiendus, quam quo in cap. Isaiæ XXIV, 5, scribit, præmia adepturos, qui naturalem Legem servaverint : et in Ezechiel. XX, 17 : *condemnari nos comparatione Gentilium, si illi Lege faciant naturali, qua nos scripta negligimus.* Conferendus Augustinus, cujus summa in hac quæstione auctoritas est lib. de Spirit. et Littera, cap. XXVII et seqq. et S. Fulgentius de Incarnat. et Gratia Christi, cap. XXVI.

[b] In uno Palat., *scrupulositates facere.*

[c] Apud Victorium, *legimus et inter cætera*, etc.

[d] Penes Victorium, *simul et hic aspiciendum, quod*, etc.

catum, sicut priora sine causa dicitur passus fuisse dum peccat, sic rursum non perdat ea, si ad pristinam fidem et ad antiquum studium revertatur. Aliter: Si circumcisionem, inquit, putatis sequendam esse post gratiam : ergo usque ad præsens tempus sine circumcisione viventes, omnia quæ passi estis, in irritum sunt deducta. Quæ quidem mihi videmini non frustra sustinuisse, qui scio Legem post Evangelium non valere. Vel certe sic : Non leve erat damnum, si circumcisionem sequentes, tantum pristinum fidei perdidissetis laborem : nunc vero ad hoc detrimentum etiam prævaricationis pœna sociatur, ut et præterita sine causa perpessi sitis, et in **422** futuro cruciemini. Quidam coactius ita intelligunt : Considerate pristinam gratiæ libertatem et præsentis onera observationis in Lege, et videbitis quam multa casso studio feceritis : licet non penitus fructus erroris istius desperandus sit, dum zelo Dei ad hoc ipsum estis adducti. Ignorantibus enim concedi venia potest, si ad meliora conversi, scientiam in vobis doceatis fluctuasse, non studium.

(Vers. 5.) *Qui ergo tribuit vobis spiritum, et operatur virtutes in vobis, ex operibus Legis, an ex auditu fidei? Tribuit*, hoc est, *administrat*, præsentis temporis est legendum ; ut ostendatur per singulas horas atque momenta semper dignis sanctum Spiritum ministrari ; et quanto quis in Dei opere et amore profecerit, tanto magis sancti Spiritus in se habere virtutes, quas auditus fidei, et non Legis opera consummant. Non quo Legis opera contemnenda sint, et absque eis simplex fides appetenda ; sed quo ipsa opera fide Christi adornentur. Scita est enim sapientis viri illa sententia, « Non fidelem vivere ex justitia, sed justum ex fide. » Simul ostenditur Galatas, accepto post fidem sancto Spiritu, dona habuisse virtutum, id est, prophetiam, genera linguarum, morborum curationes, et cætera, quæ ad Corinthios in donis spiritualibus enumerantur (I *Cor.* VII). Et tamen post tanta (quia forsitan gratiam discernendorum spirituum non habebant) a falsis doctoribus irretiti sunt. Observandum etiam, quod operari virtutes dicantur in his, qui non tenent Evangelii veritatem : sicut in illis qui Dominum non sequentes, in nomine ejus signa faciebant, Joanne vel maxime conquerente : *Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, et prohibuimus eum quia non sequitur nobiscum* (*Marc.* IX, 37). Hoc adversum hæreticos, qui probationem fidei suæ ex eo si signum aliquod fecerint, arbitrantur. Qui cum manducaverint et biberint in nomine Domini (habent quippe et ipsi altare sacrilegum), et signa multa, invocato Salvatore, fecisse se jactent, in die judicii merebuntur audire : *Non novi vos, discedite a me qui operamini iniquitatem* (*Matth.* VII, 23).

(Vers. 6.) *Sicut Abraham credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* Ab hoc loco usque ad eum ubi scribitur : *Qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham*, Marcion de suo Apostolo erasit. **423** Sed quid profuit hoc tulisse, cum cætera quæ reliquit, insaniæ ejus adversa sint? Credidit autem Abraham Deo, exiens de patria sua in terram quam nesciebat (*Gen.* XII *seqq.*) : Sara nonagenariam, et sterilem confidens esse parituram ; et audita repromissione Dei, quod in Isaac vocaretur semen ejus, [a] ipsum Isaac offerens victimam, et tamen de Domini repromissione non dubitans. Recte tali reputatur fides ad justitiam, qui Legis opera supergressus, Deum non metu, sed dilectione promeruerit [*Al.* promeruit].

(Vers. 7.) *Cognoscitis ergo, quia qui ex fide sunt, hi filii sunt Abraham.* Plenius de hoc in epistola ad Romanos disputat, quod fides reputata sit Abrahæ ad justitiam, non in circumcisione, sed in præputio (*Rom.* IV). Et diligenter observans, docet eos filios esse Abrahæ, quicumque hac mente crediderunt, qua incircumcisus credidit Abraham, qui exsultavit ut videret diem Domini, et vidit, et lætatus est (*Joan.* VIII). Unde et ad infideles Judæos dicitur : *Si filii essetis Abrahæ, opera Abrahæ faceretis* (*Ibid.* 39). Quæ autem alia (illo in tempore cum hæc dicebantur) ab eis opera Dominus expetebat, nisi credulitatem in Filium Dei, quem Pater miserat loquentem : *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui me misit* (*Joan.* XII, 44)? Unde et in alio loco de generis sibi antiquitate, et nobilitate plaudentibus respondetur : *Et ne dixeritis, quia patrem habemus Abraham. Potest enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham* (*Matth.* III, 9). Lapides ibi nemo ambigit dura significari corda Gentilium, quæ mollita sunt postea, et fidei recepere signaculum. Virtutes Abraham in quibus ante circumcisionem Deo placuit, diligens lector enumera, et quoscumque in simili opere repereris, dicito filios esse Abraham, justificati in præputio, qui circumcisionem non ob meritum operum, sed in signum fidei prioris accepit. Quia enim ex semine ejus erat Christus oriundus (in quo universarum Gentium fuerat benedictio repromissa, et ab Abraham usque ad Christum multa erant sæcula transitura), providens Deus, ne soboles dilecti Abrahæ cæteris nationibus misceretur, et paulatim familia ejus **424** fieret incerta, gregem [b] Israeliticum quodam circumcisionis cauterio denotavit, ut viventes inter Ægyptios, inter Assyrios, Babylonios atque Chaldæos, hoc signaculo distinguerentur. Denique per quadraginta annos in eremo nullus est circumcisus : soli quippe sine Gentis alterius admixtione vivebant : statim ut Jordanis ripam transgressus est populus, et in Palæstinæ terram Judæum se examen infudit, circumcisio ne-

[a] Duo mss., *in ipsum Isaac conferens victimam.*

[b] Constat vero et plures alias, quæ ex populo Dei non erant, ex Oriente nationes circumcisionem suscepisse; nec ipse diffitetur Hieronymus cum alibi, tum inferius lib. II, cap. 4 : *Et Ægypti sacerdotes et Ismaelitas, et Madianæos præputium non habere.*

cessaria futuro ex commixtione Gentium providit A errori. Quod autem a Jesu duce, secundo scribitur populus circumcisus (*Jos.* v), significat et in eremo cessasse circumcisionem, quæ in Ægypto rationabiliter exercebatur; et a Domino Jesu Christo spirituali circumcisione credentes esse mundandos.

(Vers. 8, 9.) *Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deum, prænuntiavit Abrahæ, quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.* Non quo ipsa Scriptura, atramentum videlicet et membranæ, quæ [a] insensibiles sunt, possint futura prænoscere; sed quo Spiritus sanctus, et sensus, qui in littera latet, multis post sæculis ventura prædixerint. Porro exemplum quod de Genesi sumptum est, ita in pro- B prio volumine continetur: *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ* (*Gen.* XXVI, 4). Quod apostolus super Christo interpretatus, ait: *Non est scriptum ex seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno, et semine tuo, qui est Christus.* Hoc autem in omnibus [*Al.* novis] pene testimoniis, quæ de veteribus libris in novo assumpta sunt Testamento, observare debemus, quod memoriæ crediderint evangelistæ vel apostoli; et tantum sensu explicato, sæpe ordinem commutaverunt, nonnumquam vel detraxerint verba vel addiderint. Nulli vero dubium quod in Isaac et Jacob, sive in duodecim patriarchis, et cæteris qui de Abraham stirpe descendunt, non fuerint benedictæ universæ nationes; sed in Christo Jesu, per quem omnes gentes laudant Deum, et benedicitur novum nomen super terram. Potest autem [b] intelligi apostolus et de alio Geneseos loco exemplum seminis usurpasse, ubi scribitur: *Eduxit autem foras* **425** (haud dubium quin Abraham) *Deus, et dixit ei: Aspice in cœlum et numera stellas, si poteris dinumerare eas. Et ait illi: Sic erit semen tuum; et credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam* (*Gen.* XV, 5, 6). Quicumque igitur credunt, benedicentur cum fideli Abraham, qui ob egregiam in Deum fidem prius in eum credidisse narratur. **426** Sicut Enos ob principalem in Deum spem, et inter cæteros eminentem, sperasse scribitur invocare Dominum Deum (*Gen.* IV, 26). Non quo et Abel de quo Dominus ait: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me* (*Ibid.* IV, 10); et cæteri deinceps, Deum non speraverint invocare; sed quo ex ea parte unusquisque appelletur, quam vel maxime habet.

[a] Duo mss. *quæ invisibiles sunt*: ex quo mox reponimus *latet* pro *latens*.

[b] Verbum, *intelligi*, Victorius tacet.

LIBER SECUNDUS.

425-426 Quod in primo Commentariorum ad C Galatas libro, cum de Gentium proprietatibus disputarem, intactum reliqueram, nunc in secundo reddendum videtur: qui sint Galatæ, vel quo, et unde transierint. Utrum indigenas eos fuderit, an advenas quam nunc incolunt, terra susceperit: et utrum linguam connubio perdiderint, an et novam didicerint, et non amiserint suam. Marcus Varro, cunctarum antiquitatum diligentissimus perscrutator, et cæteri qui eum imitati sunt, multa super hac gente, et digna memoria tradiderunt. Sed quia nobis propositum est, incircumcisos homines non introducere in templum Dei (et ut simpliciter fatear, multi jam anni sunt quod hæc legere desivimus), Lactantii nostri quæ in tertio ad Probum volumine de hac gente opinatus sit, verba ponemus: « Galli, inquit, antiquitus a D candore corporis Galatæ nuncupabantur; et Sibylla sic eos appellat. Quod significare voluit poeta, cum ait: *Tum lactea colla — Auro innectuntur* (*Virg.* lib. VIII *Æneid.*): Cum posset dicere, candida. Hinc utique Galatia provincia, in quam Galli aliquando venientes, cum Græcis se miscuerunt. Unde primum ea regio Gallogræcia, post Galatia nominata est. » Nec mirum si hoc ille de Galatis dixerit, et Occidentales populos tantis in medio terrarum spatiis prætermissis, in Orientis plaga consedisse memorarit: cum constet Orientis contra et Græciæ examina, ad Occidentis ultima pervenisse. Massiliam Phocæi condiderunt: quos ait Varro trilingues esse, quod et Græce loquantur, et Latine, et Gallice. Oppidum Rhoda, coloni Rhodiorum locaverunt: unde [a] amnis Rhodanus nomen accepit. Prætermitto Carthaginis conditores Tyrios, et Agenoris urbem; prætereo **427-428** Thebas Liberi, quas in Africa condidit: quæ civitas nunc Thebestis dicitur. Relinquo eam partem Libyæ, quæ Græcis urbibus plena est. Ad Hispanias transgredior: nonne Saguntum Græci ex insula Zacintho profecti condiderunt: et

[a] Notatum ante nos eruditis viris, hanc de Rhoda sententiam, quod dederit Rhodano nomen, S. Doctorem delibasse ex his Plinii lib. III, cap. 4: *Atque ubi Rhoda Rhodiorum fuit, unde dictus multo Galliarum fertilissimus Rhodanus amnis.* Jam vero, quod hoc longius a veritatis specie absit, danda Hieronymo venia, qui sibi fucum ab eruditissimo auctore fieri sit passus. Nimirum ultro fatemur Rhodam Rhodiorum coloniam, non Galliarum esse oppidum, sed Hispaniarum, immani a Rhodano dissitum spatio: cui dare nomen neque ob loci distantiam potuit, neque per ætatem, cum diu ante Rhodanus et de nomine exstiterit; quam Rhoda esset. Hodie illa *Roses* dicitur, et quæ circa Rhodanum est, *Rhodanusia*: constatque ex eo deceptum Plinium vocum similitudine, quod sicuti nullam Rhodæ in Hispania mentionem fecit, ita Rhodanusiæ circa Rhodanum nullam. Porro Rhodanusiam non dedisse Rhodano nomen, sed accepisse, nemo non intelligit.

oppidum Tartesson, quod nunc vocatur [a] Carteia, A Iones Græci homines locasse referuntur? Montes quoque Hispaniarum, Calpe, [b] Idrus, Pyrene: item insulæ Aphrodisiades, et Gymnesiæ, quæ vocantur Baleares, nonne Græci sermonis indicia demonstrant? Ipsa Italia a Græcis populis occupata, Major quondam Græcia vocabatur. Certe quod negari non potest, Romani de Æneæ Asiani hominis stirpe generati sunt. Ex quo evenit, ut et in Occidente Græci sæpe acuminis reperiantur ingenia, et in Oriente [c] stoliditatem barbaram redoleant. Nec hoc dicimus, quod non e regione utrobique diversa nascantur: sed quod ex magna parte etiam cætera quæ non sunt similia, nuncupentur. Itaque non mirum est stultos, et ad intelligentiam tardiores Galatas appellatos; B cum et Hilarius Latinæ eloquentiæ Rhodanus, Gallus ipse et Pictavis genitus, in Hymnorum [d] Carmine Gallos indociles vocet. Et quod nunc oratorum fertiles sunt, non tam ad regionis diligentiam, quam ad rhetoricorum [*Al.* rhetoricum] clamorem pertinet: maxime cum Aquitania [*Al.* Aquitanica] Græca se jactet origine: et Galatæ non de illa parte terrarum, sed de ferocioribus Gallis sint profecti. Vultis scire, o Paula et Eustochium, quomodo Apostolus unamquamque provinciam suis proprietatibus denotarit? Usque hodie eadem vel virtutum vestigia permanent, vel errorum. Romanæ plebis laudatur fides (*Rom.* I). Ubi alibi tanto studio et frequentia, ad Ecclesias et ad Martyrum sepulcra concurritur? ubi sic ad similitudinem cœlestis tonitrui *Amen* reboat, C et vacua idolorum templa quatiuntur? Non quod aliam habeant Romani fidem, nisi hanc quam omnes Christi Ecclesiæ: sed quod devotio in eis major sit, et simplicitas ad credendum. Rursum facilitatis et superbiæ arguuntur. Facilitatis, ut ibi: *Rogo vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt; et declinate ab illis: hujusmodi enim Christo Domino* [Al. addit *nostro*] *non serviunt, sed suo ventri; et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. Vestra enim obedientia in omnem locum pervulgata est. Gaudeo igitur in vobis: et volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo* (*Rom.* XVI, 17 *seqq.*). Superbiæ vero: *Noli altum sapere, sed time* (*Rom.* II, 20 *et* 25). Et: *Nolo vos ignorare, fratres,* D *mysterium hoc, ut non sitis ipsi vobis sapientes.* Et in sequentibus: *Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos: non plus sapere quam oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* XII, 3). Et apertius: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Idipsum invicem sentientes. Non alta sapientes; sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos* (*Ibid.*, XV, 16). Corinthios quoque notat quod mulieres eorum intecto capite sint, et viri comam nutriant (I *Cor.* X): et indifferenter vescantur in templis [*Al.* tempus] (II *Cor.* X, 20); et inflati sapientia sæculari, resurrectionem carnis negent. Hæc ex parte usque hodie permanere, non potest dubitare, qui Achaiam **429-430** viderit (I *Cor.* IV). Macedones in charitate laudantur, et hospitalitate ac susceptione fratrum. Unde ad eos scribitur: *De charitate autem fraternitatis, non necesse habemus scribere vobis. Ipsi enim vos a Deo didicistis, ut diligatis invicem. Etenim facitis illud in omnes fratres in universa Macedonia* (I *Thess.* IV, 9). Sed reprehenduntur quod otiosi domos circumeant: et alienum exspectantes cibum, dum singulis placere desiderant, et huc illucque discurrant, quid apud singulos agatur, enuntiant. Sequitur enim: *Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis, et operam detis ut quieti sitis: ut* [e] *et vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris sicut præcepimus vobis: ut et honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis* (*Ibid.*, X, 11). Quod ne quis putet officio magis docentis, quam vitio gentis admonitum, in secunda ad eosdem inculcat ac replicat, dicens: *Nam et cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis operari non vult, nec manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. His autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent* (II *Thess.* III, 10 *seqq.*). Longum est si velim de Apostolo, et de Scripturis omnibus singularum gentium, vel virtutes observare, vel vitia: cum ad hæc ipsa quæ diximus, inde devoluti simus quod Galatæ stulti et vecordes pronuntiati sint. Scit mecum qui vidit Ancyram [*Al.* Anchiram] metropolim Galatiæ civitatem, quot [*Al.* quod] nunc usque schismatibus dilacerata sit, quot [*Al.* quod] dogmatum varietatibus constuprata. Omitto Cataphrygas, Ophitas, Borboritas, et Manichæos; nota enim jam hæc humanæ calamitatis vocabula sunt. Quis umquam Passalorynchitas, et [f] Ascodrobos, et Artotyritas, et cætera magis portenta quam nomina [*Al.* numina] in aliqua parte

[a] Palatin. ms. *Carceia*: porro junctis Cisterciensibus, *Hydria*, pro *Idrus*, et *Gymnasiæ*, pro *Gymnesiæ*. Consule Plinium.

[b] Non *Idrus*, sed *Hydria* legunt mss. codices: *Calpe, Hydria, Pyrene.* MART.

[c] Duo mss., *stoliditatis Barbarorum.*

[d] Hymnum et Carmen unum idemque sonare, docet ipse Hilarius in tractatu psalmi LIV. Ex ejus vero Hymnis nulli superant, tantumque verosimile est, quosdam in Ecclesiastica Psalmodia fuisse susceptos.

[e] Ita et mss. nostri præferunt, et Græc. textus, καὶ πράσσειν τὰ ἴδια. Antea voculæ, *et vestrum* desiderabantur.

[f] Legi malim, *Ascodrogos*, vel *Tascodrogos*, cum ex aliorum veterum Scriptorum testimoniis, tum ex ipsa portentosi nominis derivatione ac significatu. Nam et sic eos appellat S. Epiphanius in Panario, qui et alibi hoc donatos nomine Quintilianus tradit, hæreticos nempe illos, qui a projectæ nequitiæ femina Quintilla, adversus quam Tertullianus de Baptismo scripsit, traxere nomen. Et Theodoritus *Tascodrugos*, seu *Tascodrugetas* vocat, et Marcosiis jungit: nec tacet, eorum præstigias, ac nefaria dog-

Romani orbis audivit? Antiquæ stultitiæ usque hodie A manent vestigia. Unum est quod inferimus, et promissum in exordio reddimus, Galatas excepto sermone Græco, quo omnis Oriens loquitur, propriam linguam eamdem pene habere quam Treviros, nec referre, si aliqua exinde corruperint, cum et Aphri Phœnicum linguam nonnulla ex parte [a] mutaverint, et ipsa Latinitas et regionibus quotidie mutetur et tempore. Sed jam ad propositum revertamur.

Quicumque enim ex operibus Legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim : Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea. Hunc morem habeo, ut quotiescumque ab Apostolis de veteri Instrumento aliquid sumitur, recurram ad originales libros, et diligenter B inspiciam, quomodo in suis locis scripta sint. Inveni **431** itaque in Deuteronomio hoc ipsum apud Septuaginta interpretes ita positum : *Maledictus omnis homo qui non permanserit in omnibus sermonibus Legis hujus, ut faciat illos : et dicet* [Al. *dicit*] *omnis populus, fiat* (*Deut.* XXVII, 26). Apud Aquilam vero sic : *Maledictus qui non statuerit verba Legis hujus, ut faciat ea : et dicet omnis populus, vere.* Symmachus : *Maledictus qui non firmaverit sermones* [Al. addit *istos*] *Legis istius, ut faciat eos, et dicet omnis populus, amen.* Porro Theodotio sic transtulit : *Maledictus qui non suscitaverit sermones Legis hujus, facere eos, et dicet omnis populus, Amen.* Ex quo intelligimus, Apostolum, ut in cæteris, sensum magis testimonii posuisse quam verba : et incertum habe- C mus, utrum Septuaginta Interpretes addiderint, *omnis homo*, et, *in omnibus*, an in veteri Hebraico ita fuerit, et postea a Judæis deletum sit. In hanc me autem suspicionem illa res stimulat, quod verbum, *omnis*, et *in omnibus*, quasi sensui suo necessarium, ad probandum illud, quod quicumque ex operibus Legis sunt, sub maledicto sint, Apostolus vir Hebrææ peritiæ, et in Lege doctissimus, numquam protulisset nisi in Hebræis voluminibus haberetur. Quam ob causam Samaritanorum Hebræa volumina relegens, inveni [b] CHOL, quod interpretatur, *omnis*, sive, *omnibus*, scriptum esse, et cum Septuaginta interpretibus concordare. Frustra igitur illud tulerunt Judæi, ne viderentur esse sub maledicto, si non possent omnia complere quæ scripta sunt : cum antiquiores alterius quoque gentis litteræ id positum fuisse testentur. Quoniam autem nemo possit implere Legem, et cuncta facere quæ jussa sunt, et alibi testatur Apostolus, dicens : *Quod enim erat impossibile Legi, in quo infirmabatur per carnem : Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato condemnavit peccatum in carne* (*Rom.* VIII). Quod si verum est, potest nobis objici : Ergo et Moyses, et Isaias, et cæteri prophetæ, qui sub operibus Legis fuerunt, sub maledicto sunt? Quod non timebit annuere, qui dicentem Apostolum legerit : *Quia Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum;* **432** et respondere unumquemque sanctorum suo tempore maledictionem factum esse pro populo. Nec statim hoc tribuens et justis viris, videbitur detrahere Salvatori, quasi nihil præcipuum et excellens habuerit, factus pro nobis maledictum, cum et cæteri pro aliis maledictum facti sint. Nemo enim illorum quamvis factus fuerit ipse maledictio, de maledicto quempiam liberavit, absque solo Domino Jesu Christo, qui pretioso sanguine suo, et nos [c] omnes, et ipsos, Moysen dico et Aaron, prophetasque cunctos et patriarchas, de maledicto Legis redemit. Nec hoc ex meo sensu dictum putetis, Scriptura testis est : quia *Christus gratia Dei*, sive ut in quibusdam exemplaribus legitur, *absque Deo*, *pro omnibus mortuus est* (II *Cor.* V). Si autem pro omnibus, et pro Moyse, et pro universis prophetis, e quibus nullus potuit delere chirographum vetus, quod adversum nos scriptum erat, et affigere illud cruci (*Colos.* II) : *Omnes peccaverunt, et indigent gloria* [id est, *gratia*] *Dei* (*Rom.* III, 23). Ecclesiaste quoque hanc firmante sententiam : *Homo non est justus in terra, qui* [Al. *qua*] *faciat bonum et non peccet* (*Eccles.* VII, 21). Denique et inferius Apostoli dictum manifeste docet, nec Moysen, nec illustrem aliquem de antiquis virum, apud Deum justificari potuisse per Legem. Sequitur enim :

(Vers. 11, 12.) *Quoniam autem in Lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est, quia justus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea, vivet in illis.* Exemplum quo probatur justus ex fide vivere, et non ex operibus, de Abacuc tulit, quod ita Septuaginta interpretes ediderunt : *Justus*

mota Quintillam fuisse æmulatam. Sed et Timotheus Constantinopolit. et Antiochus Monachus, qui et dicitur, *genere Galata ex vico Medosaga vice imo* [illegible] *lapide*, Ἀσκοδρουγιτῶν, *Ascodrugitarum* meminere. Denique et in codice Theodosii M. lege [illegible] de Hæreticis *Tascodrogitæ* (ut emendat Gothofredus in Commentariis, *Tascodrogitæ*) appellantur : [illegible] *Ascodrogitæ* lege [illegible], et *Ascodrogi* Novella Theodosii Jun. [illegible] in fine. Porro ex Phrygio idiomate, sive Galatico vox ea derivatur, componiturque ex duobus verbis, quorum alterum Τάσκος, Latine, *dicitur*, alterum δρουγγος, *nasum* sonat. Etenim inter orandum naribus digitum infigebant hominum dementissimi. Græci alio nomine, eadem autem significatione, *Passaloryncitas*, vel *Paxillonassones* vocant, quod nomen, cum et Hieronymus hic memoret, D ne putes quasi diversam hæresim commentari, sed duplex unius ejusdemque vocabulum recitare, quod pari vocis portento terreat.

[a] Hinc falli visus est S. Augustinus in Exposit. inchoat. Epist. ad Roman. ubi eos tradit, ut qui circa Carthaginem aut Hipponem de suæ gentis origine interrogati, *Punice responderent Chanani, corrupta scilicet voce sicuti in talibus solet, quid aliud respondent, quam Chananei?* Neque vero corrupta vox ea est, sed omnino Punica.

[b] Samaritanis utique elementis, [Samaritan letters], quæ tamen vox altero tantum loco, non ut apud LXX etiam primo apponitur. Id vero perquam erudite notatum Hieronymo, quem et Samariticas calluisse litteras, hinc persuademur.

[c] Duo mss., *et nos, et omnes*, etc.

autem ex fide mea vivit (*Abac.* II, 4). [a] Aquila et Theodotio : *Justus autem ex fide ejus vivit*, id est, *Dei*. Considerandum itaque quia non dixerit, homo aut vir ex fide vivit, ne occasionem tribueret ad virtutum opera contemnenda ; sed, *justus ex fide vivit:* ut quicumque fidelis esset, et per fidem victurus, non aliter posset [*Al.* possit] ad fidem venire, vel in ea vivere, nisi prius justus fuisset, et puritate vitæ quasi quibusdam ad fidem gradibus **433** ascendisset. Potest ergo fieri, ut sit aliquis justus, et tamen [b] non vivat absque fide Christi. Si legenti scrupulus commovetur, Pauli verba suscipiat, in quibus de se ait : *Secundum justitiam, quæ in Lege est, sine reprehensione* (*Philip.* III, 6). Erat igitur Paulus tunc justus in Lege, sed necdum vivere poterat, quia non habebat in se Christum loquentem : *Ego sum vita* (*Joan.* XI, 25). In quem credens postea cœpit et vivere. Faciamus et nos aliquid simile huic quod dicitur, *justus ex fide vivit;* et dicamus : castus ex fide vivit, sapiens ex fide vivit, fortis ex fide vivit, et a cæteris virtutum partibus vicinam sententiam proferamus adversum eos, qui in Christum non credentes, fortes et sapientes, temperantes se putant esse, vel justos : ut sciant nullum absque Christo vivere, sine quo omnis virtus in vitio est. Potest præsens testimonium et sic legi : *quia justus ex fide*, ut deinceps inferatur, *vivit* [Al. *vivet*]. Quod autem ait : *Lex non est ex fide, sed qui fecerit ea, vivet in illis*, manifestissime demonstratur non simplicem dici vitam, sed eam quæ referatur ad aliquid. *Justus* quippe *ex fide vivit :* et non additur, in his, sive in illis. Vivens autem in Lege qui fecerit ea, vivit in illis, hoc est, in his quæ fecit, quæ putavit bona : mercedem laboris sui habens ea tantum opera quæ fecit, sive longitudinem vitæ (ut Judæi putant) sive declinationem, pœnæ per quam transgressor Legis occiditur. *Vivere autem in illis*, non putemus Apostoli verba esse, sed Ezechielis prophetæ, qui ait : *Et eduxi eos in desertum, et dedi eis præcepta mea et justificationes meas demonstravi eis, quas faciet homo, et vivet in eis* (*Ezech.* XX, 10, 11). Qui cum illos qui in præceptis et justificationibus ambulassent, vivere dixisset, adjecit : *Et dedi eis præcepta non bona, et justificationes in quibus non* [c] *viverent in eis* (*Ibid.*, 25). Quanta in verbis consideratio ! ubi dixit : *Dedi eis præcepta et justificationes in quibus viverent in eis*, non adjunxit bona. Ubi vero posuit, *in quibus non viverent in eis*, addidit : *Et ego dedi eis præcepta non bona, et justificationes in quibus non vivent in eis*. Sed hæc plenius in Ezechiele : nunc ad ordinem Epistolæ revertamur.

(Vers. 13.) **434** *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum*. Subrepit in hoc loco Marcion de potestate Creatoris, quem sanguinarium, crudelem infamat et vindicem [*Al.* judicem], asserens nos redemptos esse per Christum, qui alterius boni Dei Filius sit. Qui si intelligeret quo differunt [*Al.* differrent] emere, et redimere (quia qui emit, alienum emit; qui autem redimit, id emit proprie quod suum fuit, et suum esse desivit) numquam Scripturarum verba simplicia in calumniam sui dogmatis detorqueret. Redemit ergo nos Christus de maledicto Legis, quod peccantibus constitutum est, quos ipse increpat per prophetam, dicens : *Ecce peccatis vestris venditi estis, et in iniquitatibus vestris dimisi matrem vestram* (*Isai.* L, 1). Et apostolus hoc ipsum replicat, dicens : *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato* (*Rom.* VII, 14). Maledicta quoque Legis quæ in Levitico et Deuteronomio scripta sunt, non Deo auctore complentur, sed prophetico spiritu his qui peccaturi erant, ea quæ eis ventura sunt, nuntiantur. Quod si apostoli voluerit nos testimonio coarctare dicentis : *Quicumque ex operibus Legis sunt, sub maledicto sunt : scriptum est enim : Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea* (*Deut.* XXVII, 26), et asserere omnes qui sub Lege fuerint, fuisse maledictos, interrogemus eum, utrum hi qui sub Evangelio Christi sunt, et ejus præcepta non faciunt, maledicti sint, an non. Si maledictos dixerit, id habebit in Evangelio, quod nos habemus in Lege. Si maledictos negaverit, frustra ergo Evangelii præcepta sint posita, et absque mercede erunt hi qui illa compleverint. Solvitur itaque utrumque hoc modo : quomodo Christus Jesus ex maledicto nos Legis liberavit, factus pro nobis maledictum : ita de maledicto quoque Evangelii quod statutum est super eos qui ejus præcepta non fecerint, eruit nos, factus pro nobis ipse maledictum, sciens talenti quoque minimam non dimittere portionem, et novissimum exigere quadrantem (*Matth.* V, *et Marc* XII).

(Vers. 14.) *Quia scriptum est : Maledictus omnis qui pendet in ligno : ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut* [d] *pollicitationem* **435** *spiritus accipiamus per fidem*. Antequam de sensu et

[a] Hic locus in nupera Hexaplorum collectione prætermittitur. Est vero cum illo conferendus testimonio, quod habes in ipsiusmet S. Patris Commentario ad hunc Abacuci versiculum : *Ubi Septuaginta posuerunt :* Justus autem ex fide mea vivet, *omnes æqualiter transtulerunt*, Ex fide sua vivet. *Denique Symmachus significantius interpretans ait :* Justus autem per fidem suam propriam vivet, *quod Græce dicitur*, etc. Hic vides Aquilam et Theodotionem interpretatos, *ex fide ejus*, id est *Dei*, contra quam ibi docet, omnes, excepto Symmacho, æqualiter transtulisse, *ex fide sua*. Cæterum et *vivet*, pro *vivit* hic sit reponendum, quod Victorius continuo facit, ex τῶν LXX Græco, ζήσεται.

[b] Expungenda videatur negandi particula, quam et Victor. respuit. Nec tamen inde arguas sensisse Hieron. eam justitiam, quæ necessaria est ad salutem, quemquam absque fide Christi consequi potuisse. Confer S. Augustin. lib. de Natur. et Grat. cap. 44; et lib. II de Peccator. Remiss. c. 9; lib. de Genes. ad lit. c. 33, denique epist. 157 et 190.

[c] Hic atque infra, ubi locus iste recurrit, *vivent* legunt mss. nostri, pro *viverent*. Græcus quoque textus, ζήσονται.

[d] Duo mss., *ut repromissiones*; in Græco, ἐπαγγελίαι.

verbis Apostoli disputemus, justum videtur Deuteronomii testimonium, de quo et apostolus hæc sumpsit (*Deut.* XXI, 22, 23), paucis replicare, et componere illud cæteris editionibus. Septuaginta ergo interpretes ita hunc locum transtulere : *Si autem fuerit in aliquo peccatum et judicium mortis, et mortuus fuerit, suspenderitis eum in ligno, non dormiet corpus illius super lignum, sed sepelientes sepelietis eum in die illa; quia maledictus a Deo omnis qui pendet in ligno : et non contaminabis terram tuam quam Dominus* [a] *Deus tuus dabit tibi in hæreditatem.* Aquila : *Et cum fuerit in viro peccatum in* [Al. *et*] *judicium mortis, et occisus fuerit, et suspenderis eum super lignum, non commorabitur morticinium ejus super lignum, sed sepeliens sepelies eum in die illa, quia* [b] *maledictio Dei est, qui suspensus est : et non* B *contaminabis humum tuam quam Dominus Deus tuus dabit tibi hæreditatem.* Symmachus : *Si autem fuerit homini peccatum ad judicium mortis, et occisus fuerit, et suspenderis eum super lignum : non pernoctabit cadaver ipsius super lignum, sed sepultura sepelies eum* [Al. *illud*] *in die ipsa, quia propter blasphemiam Dei suspensus est : et non contaminabis terram tuam quam Dominus Deus tuus dabit tibi ad hæreditatem.* Theodotio : *Et quia erit in viro peccatum in* [Al. tacet *in*] *judicium mortis, et morietur, et suspendes eum in ligno, non dormiet morticinium ejus super lignum, quia sepultura sepelies eum in die ipsa, quia maledictio Dei est suspensus : et non contaminabis adama* [Al. *adamam*] *tuam quam Dominus Deus tuus dederit tibi hæreditatem.* Porro ADAMA (אדמה), *terra* sive *humus*, C lingua Hebræa appellatur. In eo autem loco ubi Aquila et Theodotio similiter transtulerunt, dicentes : *quia maledictio Dei est suspensus*, in Hebræo ita ponitur [c] CUI CALALATH ELOIM THALUI. Hæc verba Ebion ille hæresiarches Semichristianus, et Semijudæus **436** ita interpretatus est, ὅτι ὕβρις Θεοῦ ὁ κρεμάμενος, id est, *quia injuria Dei est suspensus.* Memini me in [d] Altercatione Jasonis et Papisci, quæ Græco sermone conscripta est, ita reperisse : λοιδορία Θεοῦ ὁ κρεμάμενος, id est, *maledictio Dei qui appensus est.* Dicebat mihi [e] Hebræus qui me in Scripturis aliqua

A ex parte instituit, quod possit et ita legi : *quia contumeliose Deus suspensus est.* Hæc idcirco congessimus, quia famosissima quæstio est, et nobis soleat a Judæis pro infamia objici, quod Salvator noster et Dominus sub Dei fuerit maledicto. Primum igitur intuendum est, quod non quicumque in ligno pependerit maledictus sit apud Deum, sed qui peccaverit, et propter scelus morti fuerit adjudicatus sublatusque in crucem : non ideo maledictus quia crucifixus est, sed quia in talem inciderit reatum, ut meruerit crucifigi. Deinde illud opponendum, quod inferius causa patibuli plenius exponatur, Scriptura referente, ob maledictum et blasphemiam Dei eum esse crucifixum. Quod apertius Symmachus transtulit, dicens : *quia propter blasphemiam Dei suspensus est.* Ad extremum interrogemus eos, si Ananias et Azarias et Misael, nolentes adorare idolum Nabuchodonosor, fuissent in ligno suspensi (*Dan.* III); Eleazarus quoque nonagenarius sub Antiocho rege Syriæ, et cum septem filiis gloriosa mater, utrum maledictos eos æstimaturi fuerint (II *Mach.* VII), an omni benedictione dignissimos? Certe si crucem quam Aman paraverat Mardochæo (*Esther* VII), non ipse pro suo merito conscendisset, puto Mardochæus in eam, non ut maledictus, sed ut vir sanctus ascenderet [*Al.* ascenderat]. His et cæteris similibus comprobantur illum esse maledictum, qui dignum facinus patibulo perpetrarit : non eum qui iniquitate judicum, et inimicorum potentia, vel clamore vulgi, aut virtutum invidia, aut regis **437** ira fuerit crucifixus. Et Naboth [*Al.* Nabutham] quondam, ad Jezabel litteras, tota Jezrael civitas morte damnavit (III *Reg.* XXI); sed sanguis ejus in typo Christi, multa post sæcula vindicatur, dicente Domino ad Osee : *Voca nomen ejus Jezrael, quia adhuc modicum, et ulciscar sanguinem Jezrael super domum Jeu.* (*Osee* I, 4). Hæc adversum Judæos. Cæterum ut ad nos redeat disputatio, scire non possum quare Apostolus in eo quod scriptum est : *Maledictus a Deo omnis qui pendet in ligno* (*Deut.* XXI, 2), vel subtraxerit aliquid vel addiderit. Si enim semel auctoritatem Septuaginta interpretum

[a] Ferme juxta Græc. Oxoniense exemplar, ubi, ὁ Θεὸς ἡμῶν δίδωσι ὑμῖν, *Deus noster dabit vobis;* duo e nostris mss., *Deus vester dabit vobis.* Paulo post tam ad Aquilæ, quam ad Symmachi versionem plu- D rium numero, *suspenderitis*, pro *suspenderis* legunt : at Græcus horum interpretum textus desideratur.

[b] In Cisterciensi ms. *quia maledictus est qui suspensus*, etc., falso, cum Aquilam, et Theodotionem similiter transtulisse, *quia maledictio Dei est suspensus*, Auctor ipse Hieronymus sit.

[c] Hebræa hæc verba sunt, כי קללת אלהים תלוי.

[d] Laudat hanc disputationem Hieronym. etiam initio Quæst. Hebraic. in Genesim, nec tamen quid rei esset, aut cui eam tribuat, auctorem notat. Nunc quando opus istud jamdiu olim intercidit, de ejus auctore disputant eruditi. Clemens Alexandrinus in sexto hypotyposeon libro, eam tradit a S. Luca conscriptam; qui vero ejus testimonium recitat Maximus in Scholiis ad Dionysium de mystica Theologia cap. 1, Aristoni Pellæo tribuit. Inter S. Cypriani Opera superest nunc Celsi cujusdam præfatio in eam altercationem, quam idem ipse Celsus Latine se testatur vertisse, summque laborem Vigilio nescio cui episcopo inscribit. Ex variis ejus præfationis locis colligere est, Celsum illum scribere, cum adhuc sub persecutionibus Ecclesia laboraret, imperatorumque Romanorum animi necdum essent Christi religione imbuti.

[e] Hinc colligit Morinus quem et Martianæus secutus est, fuisse Hieronymi præceptorem ex Hebræo Christianum; neque enim, inquiunt, ita fassus fuisset Judæus, qui in lege perstaret. Verum hanc laudem non tacuisset puto Hieronymus, qui illum simpliciter Hebræum dicit. Quin immo hoc ipsum quod ex eo profert testimonium, ideo plus habet momenti, quod ex Hebrææ religionis est homine, atque ob hanc causam abs Hieronymo adducitur. Videtur præterea hic ille idem esse, quem Barhanınam de nomine vocavit paulo ante in proœmio ad Ephesios, et quem Judæum exstitisse nihil est dubium.

sequebatur, debuit, sicut ab illis editum est, et Dei nomen adjungere. Sin vero ut Hebræus ex Hebræis, id quod in sua lingua legerat, putabat esse verissimum, nec *omnis*, nec *in ligno*, quæ in Hebræo non habentur, assumere [*Al.* assumeret]. Ex quo mihi videtur, aut veteres Hebræorum libros aliter habuisse, quam nunc habent : aut Apostolum (ut ante jam dixi) sensum Scripturarum posuisse, non verba : aut quod magis est æstimandum, post passionem Christi, et in Hebræis, et in nostris codicibus ab aliquo Dei nomen appositum, ut infamiam nobis inureret, qui in Christum maledictum a Deo credimus. Audaci itaque pede ad hoc procedo certamen, ut ad libros provocem, nullo loco scriptum, a Deo quemquam esse maledictum, et ubicumque maledictio ponitur, numquam Dei nomen adjunctum. *Maledictus tu ab omnibus bestiis* (*Genes.* III, 14), dicitur ad serpentem. Et ad Adam : *Maledicta terra in operibus tuis* (*Ibid.*, 17). Et ad Cain : *Maledictus tu super terram* (*Gen.* IV, 11). Et alibi : *Maledictus Chanaan puer, famulus erit fratribus suis* (*Gen.* IX, 25). Necnon et in alio loco : *Maledictus furor eorum, quia audax, et ira eorum, quia dura* (*Gen.* XLIX, 7). Longum est si universas maledictiones, quæ in Levitico, et in Deuteronomio, et in Jesu Nave scribuntur, enumerem; et tamen in nulla earum, Dei nomen est additum : intantum ut etiam ipse Satanas, cum de Job polliceretur, quod si grandibus pressus fuisset angustiis, blasphemaret, a meliori parte hoc significaverit, dicens : *Nisi te benedixerit in faciem* (*Job* I, 11). Et in Regnorum libris, Naboth [*Al.* Nabutham] propterea lapidatus refertur : *quia benedixerit Deum et regem* (III *Reg.* XXI). Nullum autem debet movere quod Christus pro nobis maledictum factus sit, quia et Deus qui eum dicitur fecisse **438** maledictum, ipse (cum nesciret Christus peccatum) pro nobis eum peccatum fecit, et Salvator de plenitudine Patris exinanivit se, formam servi accipiens (*Philip.* II) : vita mortua [*Al.* mortuus] est, et sapientia Dei fatuitas est appellata, ut quod stultum erat Dei sapientius fieret hominibus (I *Cor.* I). Et in sexagesimo octavo psalmo de se loquitur : *Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita* (*Psal.* LXVIII, 7). Injuria itaque Domini, nostra gloria est. Ille mortuus est, ut nos viveremus. Ille descendit ad inferos, ut nos ascenderemus ad cœlum. Ille factus est stultitia, ut nos sapientia fieremus. Ille se de plenitudine et de forma Dei evacuavit, formam servi accipiens, ut in nobis habitaret plenitudo divinitatis, et Domini fieremus e servis. Ille pependit in ligno, ut peccatum quod commiseramus in ligno scientiæ boni et mali, ligno deleret appensus. Crux ejus amaras aquas vertit in dulcem saporem, et securim perditam, in profundumque demersam, missa in fluenta Jordanis levavit (IV *Reg.* VI). Ad postremum factus est ille maledictio, factus, inquam, non

A natus : ut benedictiones quæ promissæ fuerant Abrahæ, ipso auctore et prævio transferrentur ad gentes, et spiritus repromissio per fidem illius compleretur in nobis : quam dupliciter debemus accipere, aut in virtutum spiritualibus donis, aut in Scripturarum intelligentia spirituali (I *Cor.* IX).

(Vers. 15 seqq.) *Fratres, secundum hominem dico : tamen hominis testamentum confirmatum nemo spernit, aut superordinat : Abrahæ dictæ sunt repromissiones, et semini ejus. Non dicit, et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, et semini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico testamentum confirmatum a Deo, quæ post quadringentos et triginta annos facta est Lex, non irritum facit ad evacuandam repromissionem, quia si ex Lege hæreditas, jam non ex promissione.*

B *Abrahæ autem per promissionem donavit Deus.* Apostolus, qui omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret, debitor Græcis ac Barbaris, sapientibus et insipientibus, Galatis quoque quos paulo ante stultos dixerat, factus est stultus. Non enim ad eos his usus est argumentis quibus ad Romanos, sed simplicioribus; et quæ stulti possent intelligere, et pene de trivio. Quod ne videretur imperitia et non [a] arte fecisse, prudentem placat ante lectorem, et quæ dicturus est, **439** temperat præfatione præmissa : *Fratres, secundum hominem dico.* Quod enim dicturus sum, non dico secundum Deum : non dico secundum reconditam sapientiam, et eos qui solido possunt vesci cibo, sed secundum eos qui ob teneritudinem stomachi lacteo rore pascuntur, et nequaquam valent audire

C quæ grandia sunt (I *Cor.* V). Unde et ad Corinthios in quibus audiebatur fornicatio, et talis fornicatio quæ ne inter gentes quidem, ait : *Ego dico, et non Dominus* (I *Cor.* VII, 12). Et ad eosdem in secunda : *Quod loquor, non secundum Dominum loquor, sed quasi in insipientia* (II *Cor.* XI, 17). Putant aliqui quod de testamento hominis, et de testatoris [b] morte, et cæteris humanæ similitudinis disputaturus exemplis, dixerit : *Fratres, secundum hominem dico* : mihi autem videtur, et propter hoc quidem quod illi arbitrantur, sed maxime propter illud quod sequitur esse præmissum [*Al.* promissum], id est : *Non dicit, et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, et semini tuo, qui est Christus.* Omnes Scripturas sensu ac memoria peragrans, numquam plurali numero semina scripta

D reperi, sed sive in bonam partem, sive in malam, semper in singulari numero. Necnon et illud quod infert : *Hoc autem dico testamentum confirmatum a Deo*, si quis diligenter Hebræa volumina, et cæteras editiones cum Septuaginta interpretum translatione contulerit, inveniet ubi testamentum scriptum est, non *testamentum* sonare, sed *pactum*, quod Hebræo sermone dicitur BERITH (ברית). Unde manifestum est, id fecisse Apostolum quod promisit, nec reconditis ad Galatas usum esse sensibus, sed quotidianis, et vilibus, et quæ possent (nisi præmisisset, *secundum*

[a] Penes Victor., *ante fecisse prudenti, placat ante*, etc.

[b] Voculas, *morte, et cæteris*, Palatin. ms. ignorat.

hominem dico) prudentibus displicere. Supputandi in A hoc loco anni ab eo tempore quo Dominus ad Abraham locutus est, dicens : *Et in semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Genes.* XXII, 18), usque ad legislatorem Moysen : utrum quadringenti triginta sint, vel quomodo in Genesi ipsi Abrahæ Dominus polliceatur, quod post quadringentos annos de terra servitutis filii ejus exituri sint. Non enim parva res est, et a multis quæsita, nescio an ab aliquo **440** sit inventa. Illud etiam quod in eodem libro de Thamar et duobus ejus parvulis legitur (*Genes.* XXXVIII), quod scilicet primus qui dicitur Zara, miserit manum suam, et obstetrix ligaverit ei coccinum, et dehinc illo manum intrinsecus retrahente, [a] manum posterior, qui Phares vocatur, porrexerit, præsenti loco congruit, quod ostenderit Israel in Legis opere B manum suam, et eam prophetarum, et ipsius Salvatoris pollutam cruore contraxerit. Postea vero proruperit populus Gentium, propter quem dicitur sæpius esse destructa, et medius paries qui inter Judæos et Gentiles fuerat dissipatus, ut fieret unus grex et unus pastor, et esset gloria, et honor, et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco. Simplex autem sensus qui in hoc loco texitur, hanc vim habet, ut doceat Apostolus, non posse per Legem, quæ postea data est, repromissiones quæ ante factæ sunt ad Abraham destrui, et posteriora prioribus præjudicare, cum repromissiones ad Abraham ante quadringentos triginta annos datæ sint, quod benedicerentur in illo universæ nationes. Legis autem observatio, quod qui fecisset eam, viveret in ea, post C quadringentos triginta annos Moysi data sit in monte Sina. Econtrario hic dici poterat : Quid ergo necesse fuit Legem post tantum tempus repromissionis dari, cum et data Lege, suspicio destructæ sponsionis potuerit [*Al.* putaverit] oboriri, et manente repromissione non profutura Lex data sit? Quam prævidens Apostolus quæstionem, in sequentibus ipse sibi proponit et explicat, dicens :

(Vers. 19, 20.) *Quid igitur? Lex propter transgressiones posita est donec veniret semen cui promissum erat : ordinata per angelos in manu mediatoris, Mediator autem* [b] *unius non est, Deus autem unus est.* Quia manente repromissione, quæ facta fuerat ad Abraham, Lex postea data per Moysen frustra videbatur illata, cur data sit explicat : *propter transgressiones,* inquit. Post offensam enim in eremo populi, post adoratum vitulum, et murmur in Dominum, Lex transgressiones prohibitura successit. *Justo quippe lex non* **441** *est posita, iniquis autem et non subjectis, impiis et peccatoribus* (I *Tim.* II, 9) : et ut altius repetam, post idololatriam, cui in Ægypto fuerant mancipati, ita ut Deum patrum suorum obliviscerentur, et deinceps dicerent : *Isti sunt dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti,* ritus colendi Deum et delinquentium pœna sancita est in manu mediatoris Christi Jesu, quia omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil : non solum cœlum, terra, mare et universa quæ cernimus, sed etiam illa quæ per Moysen duro populo quasi jugum Legis imposita sunt (*Joan.* I). Scribitur et ad Timotheum : *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus* (I *Tim.* II, 5). Postquam [c] ob nostram salutem de Virginis utero dignatus est nasci mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, sequester est dictus. Antequam vero humanum corpus assumeret, et esset apud Patrem in principio Deus Verbum, ad omnes sanctos ad quos factus est sermo Dei, Enoch videlicet, Noe, Abraham, Isaac, et Jacob, et postea Moysen et cunctos Prophetas, quos Scriptura commemorat, sine additamento hominis, quem necdum assumpserat, mediator tantummodo nuncupatur. Quod autem ait : *Lex ordinata per angelos,* hoc vult intelligi, quod in omni veteri Testamento, ubi angelus primum visus refertur, et postea quasi Deus loquens inducitur : Angelus quidem vere ex ministris pluribus quicumque sit visus, sed in illo [d] mediator loquatur qui dicat : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* III, 6). Nec mirum si Deus loquatur in angelis, cum etiam per angelos qui in hominibus sunt, loquatur Deus in **442** prophetis, dicente

[a] Hic quoque vocem, quæ repetitur, *manum,* idem ms. tacet. In periodi fine Victorius rescribit, *subtraxeris,* pro *contraxeris,* ex eo quod superius dixerat S. P. : *Dehinc illo manum intrinsecus detrahente.*

[b] Correximus post Victorium, *unius* pro *unus,* nedum ex Vulgata, quod illi satis est, editione et Græco ipso codice, sed ex mss. quoque Hieronymianis, uno Palatino, altero Cisterciensi.

[c] Hæc ex Origene pene ad verbum descripsit. Insignis locus servatur in Apologia Pamphyli, quem, ut cum Hieronymiano conferas, apponemus : *Data est autem Lex Moysi per angelos in manum mediatoris Christi, et virtute; qui cum esset in principio Verbum, et apud Deum esset, et Deus esset Verbum, Patri in omnibus ministravit. Omnia per ipsum facta sunt, id est, non solum creaturæ, sed et Lex et Prophetæ; et ipsemet est mediator Dei, et hominum. Quod Verbum quidem in fine sæculorum homo factus est Jesus Christus, sed ante hunc manifestum in carne adventum mediator quidem erat hominum, sed nondum erat homo. Erat tamen et tunc mediator Dei et* D *hominum; unde et data Lex per angelos, in ipsius mediatoris manibus data esse dicitur, ut esset Lex sancta, et mandatum sanctum, et justum et bonum, et omnia hæc sanctificarentur a Christo.* Tantum Hieronymus priorem mediationem, quod *sine additamento hominis,* nuncupetur (quando antequam humanum corpus indueret Christus, patriarchis et prophetis Dei parentis mandata detulit, præcipue autem Moysi legem), expressius ab altera distinguit, postquam per utriusque naturæ conjunctionem, cum utrumque esset, Deus et homo, hominem cum Deo conciliavit.

[d] Unus Palatin. verba isthæc, *vere ex ministris pluribus quicumque,* prætermittit. Cæterum vulgatissima hæc apud Veteres sententia erat, Filium ab exordiis mundi sub angeli specie hominibus se spectabilem præbuisse, quod et superius ad Origenis Homilias observatum est. Hic unum aut alterum fidejussorem ex Antiquis adjungam. S. Athanasius Orat. 4 contra Arianos : *Is quidem qui sentiebatur oculis, Angelus erat; sed Deus in Angelo loquebatur.* Et S. Hilarius lib. XII de Trinitate : *Certe qui*

[a] Zacharia. *Et ait angelus qui loquebatur in me* (*Zach.* II, 3); ac deinceps inferente: *Hæc dicit Dominus omnipotens*. Neque enim angelus qui esse dictus fuerat in propheta, ex sua persona audebat loqui: *Hæc dicit Dominus omnipotens*. Manum mediatoris, potentiam et virtutem ejus debemus accipere. Qui cum secundum Deum, unum sit ipse cum Patre, secundum mediatoris officium alius ab eo intelligitur. Quia vero lectionis ordo confusus est, et hyperbato perturbatur, sic nobis reddendus videtur: Lex posita est per angelos in manu mediatoris, propter transgressiones ordinata per angelos, donec veniret semen cui repromissum erat. Semen autem haud dubium quin Christum significet, qui ex Matthæi quoque principio comprobatur esse filius Abraham, Scriptura referente: *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham.*

(Vers. 21 seqq.) *Lex ergo adversus promissa Dei? Absit. Si enim data esset Lex quæ posset vivificare, vere ex Lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem quæ revelanda erat.* Sicut mediator Dei et hominum, inter dantem et accipientem Legem medius fuit: ita Lex ipsa, quæ post repromissionem data est, inter repromissionem et completionem ejus media subrepsit. Quæ non idcirco arbitranda est promissionem excludere, quia postea subsecuta eam, quæ prius fuit, videtur abolere; sed ex eo quod non potuit vivificare, nec id tribuere quod repromissio prima pollicita est, manifestum est **443** in custodiam eam repromissionis, non in subversionem datam. Si enim data esset Lex quæ posset præstare vitam, et id quod repromissio spoponderat exhibere, vere promissio per Legem putaretur exclusa. Nunc autem propter transgressiones, ut supra diximus, posita, magis arguit eos peccatores, quibus post repromissionem in custodiam, et, ut ita dicam, in carcerem data est, ut quia per arbitrii libertatem noluerant innocentes exspectare promissum, legalibus [b] vinculis præpediti, et in servitutem mandatorum redacti, custodirentur in adventum futuræ in Christo fidei, quæ finem repromissionis afferret. Nec vero æstimandum Scripturam auctorem esse peccati, quia omnia sub peccato conclusisse dicatur, cum mandatum quod ex jure præcipitur, ostendat potius arguatque peccatum, quam sit causa peccati. Quomodo et judex non est auctor sceleris, nequam homines vinciendo: sed concludit eos, et no-

A centes sententiæ suæ auctoritate pronuntiat, ut debitos pœnæ indulgentia postea si voluerit, principalis absolvat.

(Vers. 24 seqq.) *Itaque Lex pædagogus noster fuit in Christo*, [c] *ut ex fide justificaremur. At ubi venit fides, jam non sub pædagogo sumus. Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu.* Pædagogus parvulis assignatur, ut lasciviens refrenetur ætas, et prona in vitia corda teneantur, dum tenera studiis eruditur infantia, et ad majores philosophiæ ac regendæ reipublicæ disciplinas, metu pœnæ coercita præparatur. Non tamen pædagogus magister et pater est, nec hæreditatem et scientiam pædagogi is qui eruditur, exspectat; sed alienum custodit filium pædagogus, ab eo postquam ille ad le-

B gitimum capiendæ hæreditatis tempus advenerit, recessurus. Denique et nomen pædagogi hoc ipsum sonat, et est compositum ab eo quod pueros agat, id est, ducat. Itaque et Moysi lex, populo lascivienti, ad instar pædagogi severioris apposita est, ut custodiret eos, et futuræ fidei præpararet, quæ postquam venit, et credidimus in Christum, jam non sumus sub pædagogo, tutor a nobis curatorque discedunt, **444** et legitimum ætatis tempus ineuntes, veri Dei filii nominamur, cui nos generat non Lex abolita, sed mater Fides, quæ est in Christo Jesu. Quod si quis post consummatum ætatis suæ tempus, quando jam hæres et liber et filius appellatur, voluerit esse sub pædagogo, sciat se non posse legibus parvuli vivere. Ubi enim nunc compleri potest illud:

C *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui* (*Exod.* XXIII, 17), subversa Jerusalem, et templo usque ad cineres dissipato? Ubi salutares et pro peccato hostiæ? Ubi ad simulacrum cœlestium siderum, holocaustorum æternus ignis, altari omnino destructo? Noxiis vero quæ poterit pœna decerni, Scriptura dicente: *Auferetis malum de medio vestrum* (*Deut.* XIII, 5), servientibus Judæis, et Romanis regnantibus? Atque ita fiet, ut nec sub patre nec sub pædagogo vivant: dum et Lex impleri non potest post successionem fidei, et fides dum pædagoga Lex appetitur, non tenetur.

(Vers. 27, 28.) *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus, ne-*

D *que Græcus. Non est servus, neque liber. Non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Quomodo Filii Dei per fidem, quæ est in Christo Jesu, nascamur, ostendit dicens: *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Quod autem Christus sit indumentum, non solum de præsenti loco, verum etiam de alio com-

ante angelus, nunc etiam homo est, ne naturalem hunc esse Dei speciem diversitas hujus assumptæ creationis pateretur intelligi. Adde Augustinum epist. 147 et lib. II contra Maxim., sanctum quoque Gregorium Præfat. in Job, atque alios magno numero.

[a] Ad nostrorum codd. fidem, et Rabbani lectionem restituimus *Zacharia*. Ita et Victorius pridem emendaverat ad antiquorum codd. auctoritatem: in Zacharia enim cap. II penes LXX testimonium hoc legitur; in Aggæo autem nusquam. Martianæus tamen vitiosum *Aggæo* retinuit.

[b] Huc referendus Chrysostomus homil. 10 in epist. ad Romanos, ubi idcirco Legem asserit datam, ut multo acrius Judæos sponte jam liberales ac dissolutos coargueret. Videndus et S. Augustinus lib. II contra Julianum.

[c] Addit Palatin. ms. nomen *Jesu*. Tum *justificemur* legit, pro *justificaremur*.

probatur, Paulo eodem cohortante: *Induite vos Dominum Jesum Christum* (*Rom.* XIII, 14). Si igitur qui in Christo baptizati sunt, Christum induerunt, manifestum est eos qui non sunt induti Christum, non fuisse baptizatos in Christo. Ad eos enim qui fideles et baptisma Christi consecuti putabantur, dictum est: *Induite vos Dominum Jesum Christum.* Si quis hoc corporeum et quod oculis carnis aspicitur, aquæ tantum accipit lavacrum, non est indutus Dominum Jesum Christum. Nam et Simon ille de Actibus apostolorum, acceperat lavacrum aquæ; verum quia sanctum Spiritum non habebat, indutus non erat Christum (*Actor.* VIII). Et hæretici vel hypocritæ, et hi qui sordide victitant, 445 videntur quidem accipere baptismum, sed nescio an Christi habeant indumentum. Itaque consideremus ne forte B et in nobis aliquis deprehendatur, qui ex eo quod Christi non habet indumentum, arguatur non baptizatus in Christo. Cum autem quis semel Christum indutus fuerit, et missus in flammam, Spiritus sancti ardore canduerit, non intelligitur aurum sit an argentum. Quamdiu calor massam sic possidet, unus igneus color est, et omnis diversitas generis, conditionis et corporum aufertur istiusmodi vestimento. Non est enim Judæus, neque Græcus. Pro Græco [a] Gentilem accipere debemus, quia Ἕλλην, et Græcum et Ethnicum utrumque significat. Nec Judæus idcirco melior est, quia circumcisus est; nec Gentilis ideo deterior, quia præputium habet; sed pro qualitate fidei, vel Judæus, vel Græcus melior, sive deterior est. Servus quoque et liber, C non conditione separantur, sed fide, quia potest et servus libero esse melior, et liber servum in fidei qualitate prævertere. Masculus similiter et femina, fortitudine et imbecillitate corporum separantur. Cæterum fides pro mentis devotione censetur, et sæpe evenit ut et mulier viro causa salutis fiat, et mulierem vir in religione præcedat. Cum autem ita se res habeat, et tota diversitas generis, conditionis et corporum, Christi baptismate, et indumento illius auferatur, omnes unum sumus in Christo Jesu: ut quomodo Pater et Filius in se unum sunt, ita et nos in ipsis unum simus.

(Vers 29.) *Si autem vos Christi: ergo Abrahæ semen estis, secundum promissionem hæredes.* Quia repromissiones ad Abraham et ad semen ejus factæ D sunt, quod est Christus Jesus, consequenter hi qui Christi filii, id est, semen ejus sunt, semen quoque dicuntur Abraham, cujus sunt semen ex semine. Verum quotiescumque Dominus noster Jesus semen Abrahæ nominatur, corporaliter sentiendum est, quod ex ejus stirpe generetur. Quoties autem nos, qui Salvatoris sermone suscepto, credidimus in eum, et nobilitatem generis Abrahæ, ad quem est promissio facta, suscepimus: tunc spiritualiter semen fidei et prædicationis accipere debemus. Deinde etiam

A 446 hoc considerandum, quod quando de Domino loquitur: *Abrahæ autem dictæ sunt promissiones et semini ejus*, hoc est, Christo Jesu, repromissiones pluraliter ponat. Quando vero de his qui per Christum semen sunt Abrahæ, singulariter repromissio nuncupetur, ut in præsenti loco: *Ergo Abrahæ semen estis, secundum promissionem hæredes.* Decens quippe erat ut quod in Christo uno pluraliter dicebatur, id in multis hominibus singulariter poneretur. Sequitur:

(Cap. IV.—Vers. 1, 2.) *Dico autem, quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit Dominus omnium, sed sub tutoribus est et actoribus usque ad præfinitum tempus a patre.* Hæres iste parvulus, qui nihil differt a servo cum sit Dominus omnium, sed sub tutoribus et actoribus est, usque ad præfinitum tempus a patre, totum humanum genus usque ad adventum Christi, et, ut amplius dicam, usque ad mundi consummationem significat. Quomodo enim omnes in protoplasto Adam, necdum nati moriuntur: ita et omnes etiam hi, qui ante adventum Christi nati sunt, in secundo Adam vivificantur. Atque ita fit, ut et nos Legi servierimus in patribus: et illi gratia salventur in filiis. Iste intellectus Ecclesiæ catholicæ convenit, quæ et veteris et novi Testamenti unam asserit providentiam: nec distinguit in tempore, quos conditione sociavit. Omnes ædificati sumus super fundamentum apostolorum et prophetarum, continente nos angulari lapide Jesu Christo Domino nostro, qui fecit utraque unum, et medium parietem dissipans, inimicitiam utriusque populi in sua carne destruxit, et antiquæ Legis difficultatem, Evangelicorum dogmatum integritate mutavit (*Ephes.* II, 20). Vere in Christo omnes unus panis sumus, et duo consensimus super terram. Et quomodo nos super prophetas fundati sumus: ita et patriarchæ in apostolorum fundamine constiterunt. Tutores autem et actores, possunt et prophetæ accipi, quorum verbis quotidie in adventum Salvatoris erudiebamur: sicut pædagoga Moysi Lex supra disserta est; et angeli parvulorum qui quotidie vident faciem Patris, et interpellant pro eis. De quibus dictum est: *Immittet* 447 *angelos Domini in circuitu timentium eum, et eruet eos* (*Ps.* XXXIII, 8). Possunt intelligi et sacerdotes et principes, qui tum populo dominati, nunc formam præbere censentur. Et recte hi sub tutoribus et actoribus esse dicuntur, qui habentes spiritum timoris, necdum meruere spiritum libertatis et adoptionis accipere. Ætas enim infantiæ ad peccata formidat, pædagogum metuit, non confidit esse se liberam, licet per naturam domina sit. Et secundum utramque intelligentiam qua tutores et actores, vel prophetas, vel angelos diximus, parvulus iste tamdiu sub actoribus est atque tutoribus, donec legitimum perfecti viri tempus impleverit. Legitimum autem tempus, sicut Romanis legibus, viginti quinque annorum spatio terminatur, ita ad humani generis perfectionem Christi reputatur

[a] Sic passim Veteres accipiunt: e quibus ut et Ecclesiasticum quempiam auctorem nominem, Calchedonensis concilii Patres: μήτε συνάπτειν πρὸς γάμον αἱρετικῷ, ἢ Ἰουδαίῳ, ἢ Ἕλληνι, etc.

adventus. Statim ut ille venerit, et omnes in virum A perfectum creverimus, pædagogus a nobis tutorque discedunt. Tunc auctoritate Domini et hæreditatis possessione perfruemur, in qua prius nati quodammodo putabamur alieni.

(Vers 3.) *Ita et nos, cum essemus parvuli, sub elementis hujus mundi eramus servientes.* Elementa mundi, eosdem quos supra tutores et actores dixerat, appellavit: quod sub ipsis primum præsidibus constituti, quia necdum Dei Filii capere ad nos poteramus adventum, erudiebamur in medio. Nonnulli eos esse angelos arbitrantur, qui quatuor mundi elementis præsideant: terræ videlicet, aquæ, igni, et aeri: et necesse esse, ut priusquam quis credat in Christo, illis arbitris gubernetur. Elementa mundi cœlum et terram, et ea quæ intra hæc sunt, plerique appellata B putant: quod videlicet solem, lunam, maria, silvarum, et montium deos, et sapientes Græciæ, et Barbaræ nationes, Romanique, omnium superstitionum sentina, venerentur: quibus cum Christus venerit, liberamur, intelligentes ea creaturas esse, non numina. Alii elementa mundi, Legem interpretantur Moysi et eloquia prophetarum: quod per hæc quasi initia et exordia litterarum, Dei timorem, qui sapientiæ principium est, suscipiamus. Denique ad eos qui jam deberent esse perfecti, et veritate neglecta, **448** adhuc disciplinarum principiis inhærebant, scribit in Epistola ad Hebræos Apostolus: *Etenim cum deberetis esse magistri propter tempus, rursum necesse habetis ut doceamini quæ sint elementa principii sermonum Dei* (*Hebr.* v, 12). Econtrario nobis objici potest, quod ad Colossenses Paulus apostolus scribens, C elementa mundi alia nuncuparit: *Videte*, dicens, *ne quis vos deprædetur per philosophiam, et inanem deceptionem, secundum traditionem hominum: secundum elementa mundi, et non secundum Christum* (*Coloss.* II, 8). Sed ex eo quod addidit, *secundum traditionem hominum, et inanem deceptionem*, ostendit non eadem elementa ad Colossenses et ad Galatas nominari. Ab his quippe elementis postquam venerit temporis plenitudo redimimur, et ad majora gradientes adoptionem recipimus filiorum. Ab illis vero nihil tale dicitur quid sequatur; sed simpliciter elementa pro litteris accipiuntur. Potest igitur, ut diximus, Moysi Lex et prophetæ pro elementis accipi litterarum, quod per eas syllabæ jungantur et nomina, et [a] non tam sui, quam D alterius rei utilitate discantur: ut possimus orationem legere contextam, in qua sensus magis et ordo verborum quam litterarum principia considerantur. Quod autem Legem et prophetas, elementa mundi interpretati sumus, mundus pro his qui in mundo sunt, accipi solet, eodem Paulo dicente: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi* (II *Cor.* v, 9). Et in Evangelio: *Et mundus per eum factus est, et mundus eum non recipit* (*Joan.* x). Quidam etiam in illa liberius evagantur: ut quia Lex umbram habet futurorum bonorum, requirant utrum in alio mundo, de quo Salvator ait: *Ego non sum de mundo isto* (*Joan.* VIII, 23), primum parvuli simus, et sub elementis initiorum constituti, paulatim procedamus ad summum, et recipiamus adoptionis locum quem quondam amisimus.

(Vers. 4.) *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege: ut eos qui sub Lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Diligenter attendite quod non dixerit, *factum per mulierem:* quod Marcion et cæteræ hæreses volunt, quæ putativam Christi carnem simulant: sed *ex muliere*, ut non per illam, **449** sed ex illa natus esse credatur. Quod autem sanctam et beatam Matrem Domini, mulierem, non Virginem nominavit, hoc idem et in Evangelio κατὰ Ματθαῖον scriptum est: quando uxor appellatur Joseph (*Luc.* II), et ab ipso Domino quasi mulier increpatur (*Joan.* II). Non enim necesse erat semper quasi caute et timide Virginem dicere, cum mulier sexum magis significet quam copulam viri: et secundum intelligentiam Græcitatis, γυνὴ tam uxor, quam mulier valeat interpretari. Sed ut cuncta prætercam: quomodo sub lege factus est, ut eos qui sub lege erant, redimeret: sic propter illos qui nati erant ex muliere, ex muliere nasci voluit. Nam et baptismum in Jordanis fluento idcirco quasi pœnitens, cum esset a peccatis liber, accepit: ut cæteros edoceret mundandos esse per baptismum, et in filios nova Spiritus adoptione generari. Quod nequaquam intelligens Joannes Baptista, eum ad lavacrum prohibebat accedere, dicens: *Ego a te debeo baptizari* (*Matt.* III, 14). Et statim sacramentum [*Al.* sacramento] docetur: *Sine modo: sic enim decet nos adimplere omnem justitiam*, ne qui ob hominum salutem venerat, aliquid de [b] conversatione hominum præteriret. Quærat quispiam, et dicat: Si ideo sub Lege factus est, ut eos qui sub Lege erant, redimeret: quod videlicet impossibile fuerit redimi eos qui erant sub Lege, nisi factus fuisset ipse sub Lege: aut sine Lege factus est, ut redimeret eos, qui sub Lege non erant: aut si non est factus ipse sine Lege, non redimit eos qui sub Lege non fuerant. Quod si possibile erat eos qui sine Lege erant, redimi; ita ut sine Lege ipse non fieret: ergo superflue sub Lege factus est; ut redimeret eos qui sub Lege erant. Breviter solvet hanc quæstionem, si quis illo utatur exemplo: *et cum his qui sine Lege erant, reputatus est.* Nam licet in Latinis codicibus propter simplicitatem interpretum male editum sit: *Et cum iniquis reputatus est* (*Luc.* XXII, 37); tamen sciendum aliud apud Græcos significare ἄνομον, quod hic scriptum est; aliud ἄδικον, quod in Latinis voluminibus habetur. Ἄνομος enim dicitur ille, qui sine lege est, et nullo **450** jure constringitur. Ἄδικος vero iniquus, sive injustus. Unde et ipse Apostolus in alio loco: *cum non essem*,

[a] Palat. ms., *et non tam alterius rei utilitate discantur quam ut possemus*, etc.

[b] Fortasse verius in uno Palatino, *de conversione*, pro *conversatione*.

sit, *sine Lege Dei; sed in Lege essem Christi* (I *Cor.* IX): et certe in hoc quoque testimonio ἄνομος in Græco scriptum est; et qui hic bene interpretatus est, potuit idem verbum et ibi similiter interpretari: nisi eum ambiguitas fefellisset. Alius vero ipsum verbum, *redimeret*, acutius intuebitur; et dicet eos significari redemptos, qui primum de Dei parte fuerint, et postea esse cessaverint: illos vero qui sub Lege non fuerint, non tam redimi, quam emi. Unde et ad Corinthios, in quibus audiebatur fornicatio, et talis fornicatio quæ ne inter Gentes quidem (*Ibid.* V), scribitur: *Pretio empti estis*, non *redempti*: sub Lege quippe non fuerant. Recipimus igitur adoptionem filiorum Dei: et redempti a Christo, sub servitute elementorum mundi et tutorum potestate esse desistimus. Quomodo autem inter redimere et emere quid interesset, ostendimus, sic quid sit inter accipere, et recipere adoptionem filiorum, consideremus.

(Vers. 6.) *Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, Abba, Pater.* Manifeste apostolus Paulus tres spiritus nominat, Spiritum Filii Dei, ut in præsenti loco, *Misit Deus Spiritum Filii in corda nostra* (*Rom.* VIII, 14). Et Spiritum Dei, ut in illo: *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt.* Et Spiritum sanctum ut ibi: *Corpora vestra templum sancti Spiritus sunt, qui est in vobis* (I *Cor.* VI, 19). Alium autem sanctum Spiritum esse quam Filium Dei, manifeste et in Evangelio comprobatur: *Qui dixerit verbum contra Filium hominis, dimittetur ei. Quicumque autem dixerit contra Spiritum sanctum, nec hic, nec in futuro dimittetur ei* (*Luc.* XII, 10). Hoc ideo: quia multi per imperitiam Scripturarum (quod et Firmianus in [a] octavo ad Demetrianum Epistolarum libro facit) asserunt Spiritum sanctum sæpe Patrem, sæpe Filium nominari. Et cum perspicue in Trinitate credamus, tertiam personam auferentes, non substantiam ejus volunt esse, sed nomen. Ne autem longum faciam (non enim dialogus, sed **451** commentarius scribitur), de quinquagesimo psalmo tres spiritus nominatos breviter ostendam, propheta dicente: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua: et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.* Principalem spiritum, Patrem appellat: quia Filius ex Patre, et non Pater ex Filio. Spiritum autem rectum, veritatis atque justitiæ, Christum Dominum significat: *Quia Pater omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V, 22), ut David ait: *Deus, judicium tuum regi da, et [b] potentiam tuam filio regis* (*Ps.* LXXI, 1). Porro Spiritum sanctum aperto nomine vocat. Quæ quidem cum

A vocabulis personisque dissentiant, substantia naturaque sociata sunt: et indifferenter idem Spiritus ob naturæ societatem, nunc Patris dicitur esse, nunc Filii. Argumentum autem quo asserere conatur, nos jam non esse sub Lege, sed sub gratia Domini Jesu, tali fine concludit. Superius dixerat, *ut adoptionem filiorum reciperemus*: nunc Dei esse nos filios, ex spiritu probat quem habemus in nobis. Numquam enim, inquit, auderemus dicere: *Pater noster qui es in cœlis: Sanctificetur nomen tuum*, nisi de conscientia Spiritus habitantis in nobis, et magna sensuum et dogmatum voce clamante: *Abba, Pater* (*Rom.* VIII, 15). Abba Hebraicum est, idipsum significans quod et Pater. Et hanc consuetudinem in pluribus locis Scriptura conservat, ut Hebraicum verbum cum interpretatione sua ponat. Bartimeus, *filius Timei*. Aser, *divitiæ*. Tabitha, *Dorcas* (*Act.* IX): et in Genesi, Mesech, *vernaculus* (*Gen.* XV), et cætera his similia. Cum autem Abba Pater Hebræo Syroque sermone dicatur: et Dominus noster in Evangelio præcipiat, nullum patrem vocandum nisi Deum (*Matt.* XXIII), nescio qua licentia in monasteriis vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos acquiescamus. Et certe ipse præcepit hoc qui dixerat non esse jurandum (*Matth.* V). Si non juramus, nec patrem quidem quempiam nominemus. Si de patre interpretabimur aliter, et de jurando aliter sentire cogemur [*Al.* cogemus]. Notandum etiam, quia clamor in Scripturis, non **452** magnæ vocis emissio, sed scientiæ intelligatur et dogmatum magnitudo. Nam et in Exodo respondit Dominus ad Moysen: *Quid clamas ad me* (*Exod.* XIV, 15)? cum penitus Moysi vox nulla præcesserit. Verum compunctum cor et pro populo lacrymabiliter ingemiscens, Scriptura clamorem vocavit. Quomodo igitur, qui Spiritum Filii Dei habet, filius Dei est; sic in reciprocum, qui spiritum Filii Dei non habet, Dei filius non potest appellari.

(Vers. 7.) *Itaque jam non est servus, sed filius. Quod si filius, et hæres [c] per Christum.* Habentes, inquit, spiritum Filii Dei in vobis clamantem, Abba, Pater, non servi cœpistis esse, sed filii. Quia ante nihil differebatis a servo cum essetis natura quidem Dei; sed sub tutoribus et actoribus parvuli degebatis: quod si filii estis, consequenter vobis debetur hæreditas, ut quomodo spiritum Filii Dei accipientes, facti estis filii Dei: ita in libertatem de servitute mutati, hæredes sitis cum hærede Patris Christo Jesu, qui ex persona hominis assumpti loquitur in psalmo: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Ps.* II, 7, 8). Quod autem in hoc loco dicimus, in

[a] Suspicor numerum cubare in mendo; Lactantii enim libros epistolarum, *ad Demetrianum auditorem suum*, nonnisi duos recenset ipse Hieronymus libro de Viris Illustribus, cap. 80. Proinde malim ex ingenio hic *altero*, pro *octavo* rescribi: quamquam tacentibus mss. nihil muto. Cæterum consule S. Hilarium de Trinitate.

[b] Palatin. ms., *et justitiam tuam*, quemadmodum pridem rescripserat Victorius, codicibus, ut ait, et editionibus adjuvantibus.

[c] Duo mss., *per Deum*, pro, *per Christum*: Græcus utrumque habet, κληρονόμος Θεοῦ διὰ Χριστοῦ, ad quem refigi placeret, *hæres Dei per Christum*.

cæteris quoque observare debemus, de toto genere hominum singulari numero disputari. Omnes enim credentes, unum sumus in Christo Jesu, et membra corporis ejus, et in perfectum virum redacti, illum habemus caput, quia caput viri Christus est (I *Cor.* xi, 2).

(Vers. 8, 9.) *Sed tunc quidem nescientes Deum servistis his qui natura non erant dii. Nunc vero cognoscentes Deum, magis autem cogniti ab eo, quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus rursum servire vultis?* Galatas quos ab idolorum cultu ad fidem Dei veri transtulerunt, arguit, quomodo idolis derelictis, quæ natura non erant dii, et cognoscentes Deum, magis autem cogniti ab ipso, spiritu quoque adoptionis accepto, rursum quasi parvuli, et sub tutoribus et pædagogo esse cupientes, ad infirma et [a] paupertina revertantur elementa, quæ propterea infirmo et pauperi sensu populo data sunt **453** in deserto, quia non poterat accipere et sustinere majora. Eadem autem elementa, quæ nunc infirma et egena appellavit, superius tantum mundi elementa posuit. Et ubi elementa mundi dicta sunt, ibi non est additum, *infirma et egena*. Hinc rursum ubi infirma vocata sunt, *mundi*, ut supra diximus, nomen est tacitum. Puto itaque quamdiu quis parvulus est, nec statutum a patre tempus implevit, ut filius et hæres appellari queat, sub elementis cum mundi, Lege videlicet esse Moysi. Cum autem post libertatem filio debitam rursus reversus fuerit ad Legem, circumcidi volens, et totam Judaicæ superstitionis litteram sequi, tunc quæ prius ei mundi tantum fuerant elementa, infirma quoque et egena dicuntur exordia. Intantum enim nihil prosunt cultoribus suis, ut ne hoc quidem eis exhibere valeant quod ante præstiterant, Jerosolyma, templo altarique destructis. Respondeat aliquis, et dicat : Si lex et præcepta quæ in Lege conscripta sunt, infirma et egena elementa sunt, et hi qui cognoverunt Deum, magis autem cogniti sunt ab eo, Legem observare non debent (ne incipiant non tam Deum colere a quo cogniti sunt, quam ad eos reverti qui natura non sunt dii), aut Legem observaverunt Moyses et prophetæ, et non cognoverunt Deum, nec cogniti sunt ab eo; aut si cognoverunt Deum, mandata Legis minime compleverunt. Quod utrumque periculosum est dicere : Aut illos non fecisse quæ Legis sunt, et sic cognovisse Deum : aut non cognovisse Deum, dum infirma et egena Legis elementa custodiunt. Quod quidem sic solvi potest, ut dicamus illos, quomodo Paulus factus est Judæis Judæus, ut Judæos lucrifaceret (I *Cor.* ix), et in Cenchris ex voto comam totondit (*Act.* xviii), et nudipedalia atque calvitium Jerosolymis in templo exercuit, ut eorum sedaret invidiam, qui [b] catechisati de eo fuerant, quod contra Legem Moysi, et Deum faceret

A prophetarum : ita et sanctos viros fecisse quidem ea quæ Legis erant, sed sensum magis Legis secutos esse quam litteram. Qui non minus quam Abraham sublato de facie velamento, cupierunt videre diem Christi, et viderunt **454** et lætati sunt : Facti infirmo populo infirmi, ut infirmos lucrifacerent (I *Cor.* ix), et his qui sub Lege erant quasi essent ipsi sub Lege, ut eos ab idolis, quibus in Ægypto assueverant, separarent. Absurdum quippe est Moysen et cæteros confabulatores Dei in ea fuisse conditione, ut [c] non credamus eis, et præfinitum tempus a Patre venisse, et redemptos eos esse de servitute legali, et adoptionem filiorum consecutos, et hæreditatem cepisse cum Christo. Quæcumque enim toto generi humano sapientia Dei quasi [d] uni B Filio præstitit, hæc eadem unicuique sanctorum semper suo ordine et dispensatione largita est. Legem nobis Moysi infirma et egena dicentibus elementa, occasionem invenerunt hæretici, ut detrahant Creatori, quia mundum condiderit, et Legem sanxerit. Quibus nos respondebimus, id quod supra diximus, infirma his esse et egena elementa, qui ad ea post Evangelii gratiam revertuntur. Antequam vero præfinitum tempus veniret a Patre, non tam infirma et egena appellata esse elementa, quam mundi. Denique priusquam Christi in toto orbe Evangelium coruscaret, habuerunt suum fulgorem præcepta legalia : postquam vero majus evangelicæ gratiæ lumen effulsit, et sol justitiæ toti mundo se prodidit, stellarum lumen absconditum est, et eaC rum radii caligaverunt, ita ut Apostolus in alio loco diceret : *Nam nec glorificatum est, quod glorificatum fuit in hac parte, propter excellentem gloriam* (II *Cor.* iii). Quod aliis verbis nunc loquitur, ut dicat, Lex Moysi quæ ante Evangelium dives, et opulenta, et clara fuit, post adventum Christi ad comparationem ejus quasi infirma et egena, imminuta atque destructa est ab eo qui major fuit Salomone, et templo, et Jona. Quod enim scriptum est : *Illum oportet crescere, me autem minui* (*Joan.* iii, 30) : non tam ex Joannis, quam ex Legis persona dictum puto, quia semper cedunt minora majoribus, et perfecta initiis præponuntur. Alias autem infirma et egena elementa, Judæorum traditiones, et secundum litteram vilem intelligentiam confirmabimus, quæ sunt D justificationes non bonæ, et præcepta non bona. **455** Robusta quippe et dives est Legis intelligentia spiritualis (*Ezech.* xx), ita ut aut penitus elementum non debeat appellari, aut elementum quidem sit comparatione futuri sæculi, et vitæ in Christo Jesu, qua nunc vivunt angeli supernæque virtutes. Sensui vero Judaico comparata, non tam elementum, hoc est, initium, quam perfectio nuncupetur. Quod autem ait : *Nunc vero cognoscentes Deum, magis autem cogniti ab eo*, illud ostendit, quod post idolorum cul-

[a] Iidem mss., *ad infirma et egena revertantur.*

[b] Rescribit Victorius ad suorum mss. fidem, *qui causati de eo*, etc. Nostri cum impressa lectione faciunt.

[c] Absque negandi particula Palatin. mss., *ut credamus eis.*

[d] Alii editi libri, *quasi in Filio præstitit*, etc.

tum, Deum intellexerint Galatæ, vel potius ipsi cognitione ejus digni sint judicati. Non quod Deus Creator omnium aliquid ignoret; sed quod eos tantum scire dicatur, qui errorem pietate mutaverint. *Cognoscit Dominus qui sunt ejus* (II *Tim.* II, 19). Et Salvator in Evangelio : *Ego sum*, ait, *pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meæ* (*Joan.* X, 14). Econtra ad impios : *Nescio vos, recedite a me, operarii iniquitatis* (*Luc.* XIII, 27). Et ad stultas virgines: *Nescio vos quæ estis* [Al. *sitis*] (*Matth.* XXV, 12).

(Vers. 10, 11.) ***Dies observatis, et menses, et tempora, et annos, timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis.*** Qui non adorat Patrem in spiritu et veritate, nescit sabbatismum sanctis repositum, de quo loquitur Deus : *Si introierunt in requiem meam* (*Psal.* XCIV, 11) : et non de illis temporibus recordatur, de quibus scriptum est : *Recordamini dierum sæculi* (*Isai.* XLVI, 9). Et alibi : *Memoratus sum dies antiquos, et annos æternos in mente habui* (*Psal.* LXXVI, 6). Dies Judaicos observat, et menses, et tempora, et annos. Dies, ut sabbati, et neomeniæ, et a decima mensis primi usque ad quartam decimam, qua agnus corporeus victimæ reservatur, et a quarta decima usque ad vicesimam primam ejusdem mensis, quando azyma comeduntur, non sinceritatis et veritatis, sed in fermento veteri malitiæ et nequitiæ Pharisæorum. Septem quoque septimanas, qui ritu Judaico post azyma computat, dies Israeliticæ Pentecostes colit. Nec non et clangorem tubarum mense septimo prima mensis. Decima quoque ejusdem mensis, expiationem et jejunium, et scenopegias ex more figentes, Judaicos observant dies. Menses autem custodiunt, qui primum et septimum mensem, non intelligentes mysterium veritatis, observant. Tempora quoque **456** colunt, qui ter per annos singulos Jerosolymam venientes, putant se Domini implere præceptum, dicentis : *Tribus temporibus anni diem festum agetis mihi, solemnitatem azymorum, et solemnitatem messis primitivorum; et solemnitatem consummationis in exitu anni* (*Exod.* XXIII, 14, *seqq.*). Et alibi : *Tribus temporibus anni apparebit masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui* (*Ibid.* XVII). Quod autem ait, *et annos*, puto de septimo remissionis anno dici, et de quinquagesimo, quem illi Jubileum vocant. Plenius hunc locum ad Colossenses Apostolus explicat, dicens : *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum* (*Coloss.* II, 16). Partem diei festi ad distinctionem perpetuæ festivitatis hic posuit, ut non brevem, et, ut ita dicam, totius cor-

A poris quamdam particulam, sed totum vitæ nostræ spatium perpetuæ in Christo solemnitatis habeamus. Et ut posterioribus priora connectam, quid de lege Moysi et de superflua ciborum curiositate in hac eadem Epistola sentiat, statim subjungit et loquitur : *Si enim mortui estis cum Christo, ab elementis mundi hujus, quid adhuc tamquam viventes in hoc mundo decernitis? Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis, quæ sunt omnia in interitu ipso usu, secundum præcepta et doctrinas hominum.* Dicat aliquis : Si dies observare non licet, et menses, et tempora, et annos, nos quoque simile crimen incurrimus quartam sabbati observantes, et parasceven, et diem Dominicam, et jejunium Quadragesimæ, et Paschæ festivitatem, et Pentecostes lætitiam, et pro
B varietate regionum, diversa in honore martyrum tempora constituta. Ad quod qui simpliciter respondebit, dicet : non eosdem Judaicæ observationis dies esse quos nostros. Nos enim non azymorum pascha celebramus, sed resurrectionis et crucis. Nec septem juxta morem Israel numeramus hebdomadas in Pentecoste, sed Spiritus sancti veneramur adventum. Et ne inordinata [a] congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, ut in unum omnes pariter veniremus. Non quo celebrior sit dies illa qua convenimus, sed quo quacumque die conveniendum sit, **457** ex conspectu [*Al.* et aspectu] mutuo lætitia major oriatur. Qui vero oppositæ quæstioni acutius respondere conatur, illud affirmat, omnes dies
C æquales esse, nec per parasceven tantum Christum crucifigi, et die Dominica resurgere, sed semper sanctum resurrectionis esse diem et semper cum carne vesci Dominica. Jejunia autem et congregationes inter dies propter eos a viris [b] prudentibus constitutos, qui magis sæculo vacant, quam Deo, nec possunt, immo nolunt toto in Ecclesia vitæ suæ tempore congregari, et ante humanos actus, Deo orationum suarum offerre sacrificium. Quotus enim quisque est, qui saltem hæc pauca quæ statuta sunt, vel orandi tempora, vel jejunandi semper exerceat? Itaque sicut nobis licet vel jejunare semper, vel semper orare, et diem Dominicam accepto Domini corpore indesinenter celebrare gaudentibus : non ita et Judæis fas est omni tempore immolare agnum, Pente-
D costem agere, tabernacula figere, jejunare quotidie. Satis vero caute inter auctoritatem Apostoli, et sancti hominis lenitatem verba moderatus est, inferens : *Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis.* Si enim abrupte condemnare voluisset, dixisset uti-

[a] Unus Palatin. ms., *ne inordinate congregati populi fides*, etc.

[b] Sumit hinc sibi Dallæus animos, probaturus, non ab apostolis, sed postmodum a viris prudentibus jejunia fuisse constituta. At vero non alios quam apostolos virorum prudentium nomine designari ab Hieronymo, liquet ex hoc ipso contextu planissime, cum diem Dominicam et *congregationes inter dies ejusdem*, atque jejunia institutionis esse non dubitet. Dominicam vero diem non jam inde fuisse ab apostolis sacris constitutam operandis, nemo, opinor, ierit inficias. Cæterum et diserte alibi professus est S. Pater in epist. 41 ad Marcellam, quæ contra Montanum inscribitur, *quadragesimam secundum* traditionem apostolorum *jejunari :* docetque adeo *ex necessitate*, non *ex voluntate* quotannis observandam, quod ab ipsis apostolis ortum duxerit. Adde in aliquot mss. et penes Rabbanum hic, *a viris credentibus* legi, pro *prudentibus*.

que : *Timeo vos : sine causa enim laboravi in vobis.* A Nunc autem videns eos zelum Dei habere, sed non secundum scientiam, nec penitus eorum desperavit salutem, qui pio fuerant errore decepti, nec rursum irreprehensos reliquit, ne et ipsis perseverandi in errore, et cæteris occasionem similiter tribueret errandi. *Timeo autem vos*, posuit, pro eo quod est, *timeo de vobis*. Sine causa laborat magister, cum ipse provocat ad majora discipulos, et illi retro lapsi ad minora et humilia revolvuntur.

(Vers. 12.) *Estote sicut et ego, quia et ego sicut vos.* Quod dicit tale est, quomodo ego vobis infirmis sum factus infirmus, et non potui loqui ut spiritualibus, sed quasi carnalibus et parvulis in Christo, et quia necdum poteratis solido cibo vesci, **458** Evangelico vos tantum lacte potavi, nolens in ætate vos semper infan- B tiæ permanere, sed paulatim ad adolescentiam et juventutem usque perducere, ut solidum cibum possetis accipere : ita et vos debetis esse sicut et ego sum, perfectiora videlicet sapere, dimisso lacte, ad fortiores cibos, et ad pabula transire majora. Hoc autem loquitur quasi Salvatoris imitator, qui non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens; et habitu inventus est ut homo, ut nos dii fieremus ex hominibus, et non ultra moreremur; sed [a] consurgentes Christo, amici ejus diceremur et fratres, et ut esset discipulus sicut magister, et servus sicut dominus. Potest autem et ita intelligi : Obsecro vos, inquit, fratres, ut Judaica observatione contempta, dierum, mensium, temporum, atque annorum, quæ sunt umbræ C futurorum, me imitemini, qui sine querela in Lege versatus, omnia arbitratus sum quasi purgamenta atque quisquilias, ut Christum lucrifacerem. Fui quippe et ego sicut vos nunc estis, cum eisdem observationibus strictus tenebar, et Ecclesiam Christi, quia ista non faceret, persequens devastabam.

(Vers. 13.) *Fratres, obsecro vos, nihil me læsistis. Scitis autem quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jam pridem.* Superiori sententiæ junge quod sequitur, quod ut fiat manifestius, sit ordo iste quem fingimus : Obsecro vos, fratres, estote sicut et ego, quia et ego sicut vos. Simile est huic illud : *Rogamus pro Christo, reconciliamini Deo* (II *Cor.* v, 40). Nec non et alibi : *Obsecro primum omnium fieri deprecationes, orationes, postulationes, gratiarum actio-* D *nes* (I *Tim.* II, 1). Petri quoque verba dicentis : *Seniores in vobis rogo consenior ipse, et testis passionum Christi* (I *Petr.* v, 1). Quæ quidem et nos ad humilitatem provocant, et supercilium decutiunt episcoporum, qui velut in aliqua sublimi specula constituti, vix dignantur videre mortales, et alloqui conservos suos. Discant ab Apostolo, **459** errantes et insipientes Galatas fratres vocari. Discant post increpationem blanda verba dicentis : *Obsecro vos* (I *Cor.* XI). Quod autem obsecrat, illud est, ut imitatores ejus sint, sicut ipse Christi; immo ut præsentem locum sequar, nihil est grande quod postulat : ut quomodo ipse propter illos de majori factus est minor : sic illi a minoribus ad majora conscendant. *Nihil me*, inquit, *læsistis*. Lædit discipulus magistrum, si per negligentiam suam præcepta ejus laboremque disperdat. Non læserant Galatæ Apostolum, usque in præsens tempus Evangelium ejus ac mandata servantes. Aut certe ita : Quando vobis primum Evangelium annuntiavi; et propter infirmitatem carnis vestræ, quia non poteratis sacramenta suscipere majora, prædicavi vobis quasi parvulis, et meipsum infirmum esse simulavi, ut vos infirmos lucrifacerem: nonne quasi angelum suscepistis me, quasi Christum Jesum? Cum igitur in nullo me illo tempore læseritis [*Al.* læsistis], et me vestri causa humilem atque dejectum similem Dei Filio putaveritis : quomodo ad majora vos provocans lædor a vobis, perdendo laborem meum, et dispensationem illam, qua me parvulum esse simulaveram, irrito opere nunc [b] lugetis? Per infirmitatem autem carnis non suæ, sed audientium, Galatis Paulus annuntiat : qui non poterant carnem subjicere verbo Dei, sed quasi carnei, nihil intelligentiæ suscepere spiritualis. Quod ut evidentius fiat, ponamus exemplum. Per infirmitatem carnis docet, qui dicit : *Si se non continent, nubant*. Et : *Mulier si mortuus fuerit vir ejus, libera est: cui vult nubat, tantum in Domino* (I *Cor.* VII, 9, 39). Nequaquam vero per infirmitatem carnis docet, ista commemorans : *Solutus es ab uxore : noli quærere uxorem*. Et : *Tempus est, ut et qui habent uxores, sic sint quasi non habentes* (*Ibid.* 27, 29). Alia quippe præcepta ad spirituales, alia dantur ad carneos. Et aliud est quod juxta imperium, aliud quod juxta indulgentiam præcipitur.

(Vers. 14.) *Et tentationem vestram, quæ erat in carne mea, non sprevistis, neque respuistis : sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum.* Obscurus locus, et **460** acrius attendendus. Ego quidem, ait, quasi parvulis vobis atque lactentibus per infirmitatem carnis vestræ jam pridem evangelizavi, a minoribus incipiens, et (ut ita dicam) apud vos pene balbutiens. Quæ dispensatio et prædicationis infirmæ simulatio, mea quidem gubernatio erat; sed vestra tentatio, an vobis placerent, et magna viderentur ea quæ pro conditione sui minora erant, et a me quasi humilia promebantur. Quæ quidem vos, non ut parva, sed ut magna capientes, intantum admirati estis, ut me qui ea loquebar quasi angelum, et, ut plus dicam, quasi Dei Filium susciperetis. Hæc ergo vestra tentatio, qua ego vos in carnali mei sermonis annuntiatione tentabam, non fuit contempta, nec vilis; sed plus quam æstimabam, habuit dignitatis. Potest et locus iste ita edisseri : quando veni ad vos, non veni in sermone sapientiæ, sed homo humilis atque contemptus, nihil magnum deferens [c], referas ad ipsummet Paulum.

[a] Iterum Palatin. mss., *sed resurgentes :* et paulo superius, *conresurgentes*, pro simplici, *consurgentes*.

[b] Fortasse verius in uno Palatino est, *lugens*, quod

[c] Addit de suo Marianus Victorius particulam *nisi*, id est, *nihil magnum deferens, nisi crucifixum*. Mss.

crucifixum. Cum igitur me videretis in corpore infirmitatibus obnoxio constitutum, regna cœlestia pollicentem non irrisistis, nec æstimastis dignum esse contemptu : intelligebatis quippe humilitatem carnis meæ, et ipsius habitus vilitatem, ad vestram tentationem fieri : an videlicet contemneretis eum, qui ab incredulis miserabilis putabatur; sed econtra illum humilem, vilem atque contemptum, ita ut angelum, et plusquam angelum suscepistis. Aut certe suspicari possumus, Apostolum eo tempore quo primum venit ad Galatas, ægrotasse; et aliqua corpusculi infirmitate detentum, non cessasse tamen, nec vocem silentio repressisse, quo minus cœptum Evangelium prædicaret. Nam tradunt eum gravissimum capitis dolorem sæpe perpessum : et hunc esse angelum Satanæ, qui appositus ei sit, ut eum colaphizaret in carne, ne extolleretur. Hæc infirmitas, et languor hic corporis, apud eos quibus annuntiabatur Evangelium, tentatio fuit : an contemnerent eum sublimia promittentem, quem languoribus corporis subjectum videbant. Nec non et illud dici potest, quod in principio adventus sui ad Galatas, contumelias, **461** et persecutiones, et plagas corporis ab his qui contraibant Evangelio sustinuerit : et hanc fuisse tentationem vel maximam Galatis, Apostolum Christi cernentibus verberari. Quod autem ait, sicut angelum, sicut Christum Jesum suscepistis me : et angelo [*Al.* angelis] Christum esse ostendit majorem, quem secundum dispensationem corporis minorem Psalmista cantaverat, dicens : *Minorasti eum paulo minus ab angelis* (*Psal.* VIII, 6); et tantum sua verba in principio valuisse demonstrat, ut angeli putarentur et Christi.

(Vers. 15, 16.) *Ubi est ergo beatitudo vestra? Testimonium enim perhibeo vobis : quia si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi. Ergo inimicus vobis factus sum veritatem dicens vobis?* Beatus est qui ambulat in virtutum via, sed si ad virtutes usque pervenerit. Nec prodest a vitiis recessisse, nisi optima comprehendas. Quia non tam initia sunt in [a] bonis studiis laudanda, quam finis. Sicut enim in vinea multi usque ad prælum uvæ gradus sunt : et primum necesse est ut vitis gemmet in pampinis, spem promittat in floribus : dehinc ut flore decusso, futuri botri species deformetur, paulatimque turgescens uva parturiat, ut pressa torcularibus dulcia musta desudet. Ita et in doctrina singuli beatitudinum sunt provectus [*Al.* profectus] : ut audiat quis verbum Dei, ut concipiat, ut in utero animæ ejus adolescat, et ad partum usque perveniat. Ut cum pepererit illum, lacte enutriat, et per infantiam, pueritiam, adolescentiam, juventutem, ad perfectum virum usque perducat. Cum ergo singuli, ut diximus,

A gradus, juxta provectus suos habeant beatitudinem : si finis, et ut ita loquar, extrema manus operi defuerit, totus labor irritus fiet; et dicetur : *Ubi est ergo beatitudo vestra?* Quamvis, inquit, vos eo tempore quo Evangelium juxta carnem susceperatis, beatos dicerem quod in initiis fervebatis : tamen nunc quia non video ædificio culmen impositum, et pene [b] nequaquam jacta fundamina, cogor dicere : *Ubi est ergo beatitudo vestra*, qua vos beatos arbitrans ante laudabam? Vere enim et ipse fateor, quia sic me vobis humilia prædicantem vel persecutionibus **462** conflictatum, in principio dilexistis : ut si fieri posset (hyperbolice autem sunt accipienda quæ loquitur) eruissetis vobis oculos; et mihi, ut omnium vestrum luminibus plus cernerem,
B dedissetis. Optabatis quippe vos cæcos esse per ineffabilem in me charitatem; ut plus in meo corde Evangelii lumen oriretur, emolumentum meum vestris damnis crescere volebatis : et hoc illo tempore, quo vobis quasi parvulis atque lactentibus, sive propter infirmitatem carnis vestræ parva et humilia annuntiabam, sive propter meæ carnis injurias, non dignus videbar fide. Nunc vero quia ab elementis et syllabis et lectione puerili cœpi vos ad majora studia provocare, ut libros teneatis in manibus, ut plena eruditionis, et sensuum verba discatis, recalcitratis, irascimini, gravis vobis videtur esse perfectio doctrinarum : et intantum in alios mutati estis affectus, ut me quem quasi angelum et Christum susceperatis, cui volebatis oculos vestros tradere,
C nunc habeatis inimicum : quia vobis plenam annuntio veritatem. Eleganter autem sententiam terminavit, dicens : *Ergo inimicus vobis factus sum veritatem dicens vobis?* ut ostenderet initia prædicationis, non tam veritatem fuisse, quam umbram et imaginem veritatis. Similis est huic illa sententia nobilis apud Romanos poetæ (*Terent. in And.* I, 1) :

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Sed vide quanto hic melius quam ille; Apostolus enim his quos stultos dixerat, quos parvulos appellarat, hanc sententiam temperavit, et specialem fecit : dum proprie ad personas Galatasque direxit. Ille vero et generalem, et ita se apud omnes habere denuntians, vehementer erravit. Obsequium enim,
D quo putavit amicos fieri, veritate dempta, non tam obsequium est, quam adulatio, et assentatio : quas clandestinas magis inimicitias, quam amicitias dici debere, perspicuum est. Simul autem et illud considerandum, quod hodie quoque quamdiu parvulis atque lactentibus, et his in quorum cordibus numquam Christus [c] adolescit, nec proficit ætate et sapientia, et gratia apud **463** Deum et homines, juxta litteram Scripturas explanamus, laudamur, suspici-

codices legunt quod nos posuimus. Sensus iste esse videtur, *nihil magnum præter crucifixum deferens*; vel, *nihil magnum, deferens crucifixum solum*. MART. — Ita et nostri mss. præferunt bono satis sensu. Victorius de suo addit, *nisi*, id est, *nihil magnum deferens, nisi Crucifixum*.

[a] Nec male unus Palatinus, *non tam initia sunt nobis studii laudanda, quam*, etc.

[b] Penes Victorium, *pene nequidquam*.

[c] Cum Victorio duo mss., *numquam Christus levit, nec profecit*.

mur, admirationi habeamur. Cum autem paululum cœperimus eos provocare, ut transeant ad majora, de præconibus nostris inimici fiant; et malint Judæos potius quam apostolos sequi, [a] qui a Pharisæorum doctrina et traditionibus recedentes, ad ipsum Christum propitiatorium et perfectionem Legis ingressi sunt: nec divinum sermonem accipere dignentur, qui Ecclesiæ magistros jubet ad altiora dogmata scandere, et totis viribus sublimare vocem, nec circumlatrantium strepitum pertimescere parvulorum, dicentem [*Al.* dicens]: *Super montem excelsum ascende, qui evangelizas Sion. Exalta in virtute vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem. Exalta, noli timere* (*Isai.* XL, 9).

(Vers. 17, 18.) *Æmulantur* [b] *vos non bene: sed excludere vos volunt, ut illos æmulemini. Bonum autem æmulamini in bono semper: et non tantum cum præsens sum apud vos.* Æmulantur bene, qui cum videant in aliquibus esse gratias, dona, virtutes, ipsi tales esse desiderant: et fidem, vitam atque industriam eorum per quæ illa meruerunt, nituntur imitari, ut possint ea quoque quæ bona æmulatione digna sunt, consequi. De quibus et Apostolus ait: *Æmulamini spiritualia: magis autem ut prophetetis.* Ac deinceps: *Sic et vos, quoniam æmulatores estis spiritualium, ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut abundetis.* Et iterum: *Itaque, fratres, æmulamini prophetare, et loqui linguis nolite prohibere.* Æmulantur autem non bene, qui non tam ipsi cupiunt esse meliores, ut imitentur eos qui æmulatione digni sunt, quam illos ipsos volunt facere pejores, et retrorsum trahere æmulatione perversa. Verbi gratia dictum sit: Christianus est quispiam, legit Moysen et prophetas; scit omnia in umbra et in imagine illi populo præcessisse; scripta autem esse propter nos in quos fines sæculorum decurrerunt. Circumcisionem non tam præputii, quam aurium et cordis intelligit. Resurrexit cum Christo: ea quærit quæ sursum sunt. Liberatus est ab onere et servitute Legis, ne tangas, ne gustes, ne contamines, imperantis: huic si quis Scripturarum verbis voluerit persuadere, ut non per tropologiam, sed occidentem **464** litteram quæ sunt scripta, suscipiat: ut in manifesto fiat Judæus, non in occulto, æmulatur eum non bene: sed concito cursu ad majora gradientem retrahere festinat; ut se potius æmuletur qui retrorsum vadit: aut certe [c] eum multum ultra non promovet. Loquitur itaque Galatis, qui ab assertoribus Legis inducti fuerant, ut eos imitarentur, cum illi potius Galatas debuerint imitari. Quia naturale est, majorem de minori, non minorem fieri de majore, et dicit: *Bonum æmulamini in bono*, id est, nolite assertores Judaicæ observationis imitari, sed ea quæ bona sunt, imitamini. Quomodo enim qui divitias, potentiam, dignitatem alicujus imitatur, non tam bona, quam ea quæ fugienda sunt, æmulatur: ita et vos econtrario, bonum æmulamini in bono: magis quærentes spiritualia quam carnalia; ut non illi vos Judæos, sed vos illos Christianos esse doceatis. Hoc autem facite semper, ut perseveranti gradu, ad finem boni operis pervenire possitis. Æmulabamini siquidem bonum in bono, prius cum apud vos essem: qui postquam a vobis recessi, omnia quæ tradideram perdidistis, de statione certa et fido portu, rursum in altum unda relabente subtracti. Nec mirum si, recedente Apostolo, vase electionis, et in quo Christus Dominus loquebatur, Galatæ sunt mutati: cum etiam nunc cernamus et in Ecclesiis idipsum fieri. Si quando enim doctor quis in Ecclesia contigerit sermone ornatus et vita, qui audientes quasi stimulis quibusdam concitet ad virtutes, videmus omnem plebem circa eleemosynas, jejunia, castitatem, susceptionem pauperum, sepulturas, et cætera similia festinare, fervere, discurrere. Cum autem ille recesserit, paulatim emarcescere, et subtracto cibo, tenuari, pallere, languescere, et interitum sequi omnium quæ prius vigebant. Quamobrem quia messis multa, operarii autem pauci (*Matth.* IX, 37), precemur Dominum messis, ut mittat operarios ad metendum, qui spicas populi Christiani, quæ stant in Ecclesia, futuro tritico præparatæ, metant, colligant, et in horrea comportantes, nequaquam perire patiantur. **465** Hoc de eo zelo et æmulatione perversa, de qua et alibi dictum est: *Noli æmulari in malignantibus* (*Ps.* XXXVI, 1): et hic: *Æmulantur vos non bene.* Invenimus autem et alium zelum, quo zelati sunt filii Jacob, Joseph fratrem suum (*Genes.* XXXVII *seqq.*): et Maria et Aaron amicum Domini Moysen (*Num.* XII). Neque enim aut illi, aut hi, ut meliores essent Joseph et Moyse, ad zelum sunt concitati: sed quia dolebant illos esse meliores. Hic zelus vicinus invidiæ est. Longum est si velim omnia zeli genera, boni seu mali de Scripturarum proferre thesauro. Bonum zelum legimus Phinees (*Num.* XXV), Eliæ (III *Reg.* XIX), Mathathiæ (I *Mach.* II), et apostoli Judæ (sed non proditoris) qui ob insignem zeli in se virtutem, etiam *Zelotis* nomen accepit (*Actor.* I). Malum autem, ut Cain in Abel (*Genes.* IV), et cæterorum in alios. Et Zelum viri, de quo scriptum est: *Et venerit ei spiritus zeli* (*Num.* V). Nisi forte medius hic zelus est, et nec in bonam, nec in malam partem accipi potest; sed inter utrumque zelotypia potius appellatur. Aliter: Videntes hi qui ex circumcisione erant Galatas ex gentibus, Spiritus sancti abundare virtutibus, se vero non linguis loqui, non dona habere curationum; non gratiam prophetiæ, cupiebant eos zeli stimulis incitati, ad Legis onera transducere, ut inciperent et illi sui similes fieri.

(Vers. 19.) *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Quantis difficultatibus et dolore fetus promantur ex utero, maledictio prima

[a] Apud Victorium, *et cum a Pharisæorum*, etc.
[b] In Palat. ms, *æmulantur v. bis.*
[c] Idem Victor., *certe ut multum ultra non promoveat.*

declarat, dicens : *In tristitia paries filios* (*Gen.* III, 16). Volens igitur Paulus ostendere magistrorum pro discipulis sollicitudinem, quos patiantur affectus, ne sectatores sui excidant a salute, ait : *Filioli mei, quos iterum parturio.* Qui enim in alio loco quasi pater dixerat : *Si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres* (I *Cor.* IV, 15), jam non quasi pater, sed ut mater loquitur in Christo, ut utriusque anxietatem, et pietatem in se parentis agnoscant. Tale quid et Moyses de populo loquebatur : *Numquid ego in utero accepi omnem populum istum* (*Num.* XI, 12)? Quis, putas, nostrum ita de discipulorum anxius est salute, ut non paucis horis, aut ut multum biduo triduove, sed toto vitæ suæ tempore torqueatur, **466** donec Christus formetur in eis? Exemplum fetæ mulieris quod assumpsit, concipientis et formantis in se semina, diligenter tenendum, ut possimus intelligere quod dicitur. Natura non erubescenda, sed [a] veneranda est. Sicut enim in vulvam mulieris primum semen jacitur informe, ut sulcis et fundo ejus quasi quodam glutino adhæreat : de quo et propheta initii sui recordatus, ait : *Incompositum meum viderunt oculi tui* (*Ps.* CXXXVIII, 16) : deinde per novem menses restricto sanguine, futurus homo coagulatur, corporatur, pascitur atque distinguitur; ut postquam in utero palpitarit, statuto tempore fundatur in lucem, et tantis difficultatibus nascitur, quantis postea ne intereat, enutritur : ita et semen sermonis Christi cum in animam audientis inciderit, per gradus suos crescit, et, ut multa præteream (possumus siquidem facile corporalem descriptionem transferre ad intelligentiam spiritualem), tamdiu in ancipiti est, quamdiu pariat qui concepit. Nec statim finis industriæ est edidisse, sed tunc alterius laboris exordium est, ut lactentem infantiam sedulis nutrimentis et studiis, usque ad plenam Christi perducat ætatem. Et quomodo in conjugio sæpe viri semen in causa est ne liberi procreentur, nonnumquam sterilis uxor semina non tenet, et frequenter neuter ad generandum aptus est, et econtrario uterque fecundus : ita et in his qui verbum Dei seminant, quadrifaria hæc divisio custoditur, ut impleat quidem suum doctor officium, sed sit sterilis auditor : vel auditor bonæ indolis sit, sed per imperitiam doctoris, verbi semen intereat : aut certe tam vecors sit qui docetur, quam ille est qui præcipit; raroque contingit, ut et magister et discipulus sibi consentiant, scilicet ut tantum iste

A doceat, quantum ille possit haurire : vel tantum suscipere doctus, quantum doctor ingerere. At nunc omnes judices sumus. Nescimus quotus psalmus sit, quæ pars prophetiæ, quod Legis capitulum, et loquendi facilitate interpretamur audacter, quod nequaquam intelligimus. Non ad nos pertinet, ut Christus formetur in populo : ut ad domum suam unusquisque rediens habeat semen verbi Dei, quod cum conceperit, possit dicere cum **467** propheta : *A timore tuo, Domine, concepimus* [b] *et peperimus, filios salvationis tuæ fecimus super terram* (*Isai.* XXVI, 17, 18). Tales in apostolos transeunt, et a Salvatore merentur [*Al.* merebantur] audire : *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse est frater meus, et soror, et mater*

B (*Matt.* XXII, 50) : diversitate profectuum, in diversis nominibus ostensa [*Al.* ostendente]. Formatur quoque Christus in corde credentium, cum omnia illis sacramenta panduntur, et ea quæ obscura videbantur, perspicua fiunt. Sed et illud est intuendum, quod qui [c] per peccatum quodammodo homo esse desierat, per pœnitentiam concipitur a magistro, et rursum in eo Christi formatio repromittitur. Hoc adversum Novatianos, qui nolunt reformari eos quos semel peccata contriverint.

(Vers. 20.) *Vellem autem esse apud vos modo, et mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis.* Scriptura divina ædificat et lecta; sed multo plus prodest, si de litteris vertatur in vocem, ut qui per Epistolam docuerat, præsens instruat audientes.

C Magnam siquidem vim habet vox viva : vox de auctoris sui ore resonans, quæ ea pronuntiatione profertur atque distinguitur, qua in hominis sui corde generata est. Sciens itaque Apostolus majorem vim habere sermonem qui ad præsentes fiat, [d] cupit vocem Epistolicam, vocem litteris comprehensam, in præsentiam commutare : et quia hoc magis expediebat his qui in errore fuerant depravati, vivo eos ad veritatem retrahere sermone. Hoc autem ideo, quia confundebatur [*Al.* confundatur] in illis : quod quidem Græce magis proprie dicitur. Ἀπορούμαι enim non tam *confusionem*, quæ apud illos αἰσχύνη sive σύγχυσις appellatur, quam *indigentiam* et *inopiam* sonat. Sensus itaque iste est : Vellem apud vos nunc adesse, et litterarum vocem præsens ipse

D proferre, quia indigeo in vobis. Non quippe habeo fructus quos solent de discipulis habere doctores : et sine causa semen jactum est doctrinarum, cum

[a] Atque adeo immerito culpæ datum Hieronymo, quod lubricis turpibusque uteretur in disserendo exemplis. Satis apposite S. Augustin. lib. XIV de Civit. Dei cap. 23 : *Quisquis ad has litteras impudicus accedit, culpam refugiat, non naturam : facta denotet suæ turpitudinis, non verba nostræ necessitatis, in quibus mihi facile pudicus lector, vel auditor ignoscet.*

[b] Pro hoc uno verbo, *et peperimus*, integrius penes Victorium, *parturivimus, et peperimus spiritum* : in Vulgata, *et quasi parturivimus, et peperimus spiritum*; sed et in Græco additur, καὶ ὠδινήσαμεν καὶ ἐτέκομεν πνεῦμα.

[c] Palatinus ms., *quod qui peccator quodammodo esse desierat*, etc. Rabbanus tantum voculam, *homo*, prætermittit.

[d] Corruptus hic locus est in antea editis, qui legunt in hunc modum : *Cupit vocem suam apostolicam litteris comprehensam in præsentiam commutare.* Regius codex ms. legit consequenter, *vivo eos ad veritatem retrahere sermone conaretur.* MART. — Fere cum olim editis Cisterciens. ms. *cupit vocem apostolicam, vocem litteris comprehensam in præsentia commutare.* Et paulo post, *vivos eos ad veritatem retrahere sermones.*

penitus in vobis patiar egestatem : ita ut in Jeremiæ possim vocem prorumpere : *Non profui, neque profuit mihi quisquam* (*Jerem.* XXIII, 23). Potest et aliter locus iste interpretari : **468** Paulus apostolus qui factus fuerat Judæis Judæus, ut Judæos lucrifaceret (I *Cor.* IX), et his qui erant sub Lege, quasi ipse esset sub Lege, et infirmis infirmus, ut infirmos lucrifaceret : pro qualitate eorum quos salvare cupiebat, mutabat vocem suam, et in histrionum similitudinem (factus siquidem est theatrum mundo, et angelis, et hominibus [I *Cor.* IV] habitum in diversas figuras vertebat et voces. Non quod id esset, quod se esse simulabat; sed quod id tantum videretur esse, quod cæteris proderat. Cernit Galatas alia indigere doctrina, alia via debere salvari, non illa qua primum ad Christi fidem fuerant de gentilitate transducti : et compellitur dicere : *Vellem nunc esse apud vos, et mutare vocem meam,* [a] *quoniam confundor in vobis.* Non, inquit, video me prodesse, si ea loquar quæ prius locutus sum, propter quod ignorans quid agam, et in diversa distractus, laceror, confundor atque dilanior. Et quomodo medici cum vim artis suæ in primo viderint non valere medicamine, transeunt ad aliud, et tamdiu experiuntur quid prosit e pluribus, donec perveniant ad curationem : ut quod per mollitiem alicujus emplastri nequaquam sanari valuit, mordaciori pulvere, et austeriori curatione sanetur : ita et ego quia confundor in vobis, et ignorantia huc atque illuc distrahor, vellem litterarum vocem præsens de meo ore proferre, ut vos solito severior ipse corriperem; quoniam epistola non potest vocem objurgantis exprimere; non valet irascentis resonare clamorem, et dolorem pectoris apicibus explicare. Potest autem et simplicius intelligi : Blandis apud vos modo verbis usus sum, dicens : *Fratres, obsecro vos.* Et : *Filioli mei, quos iterum parturio donec Christus formetur in vobis;* sed ego blandus et lenis, qui ad vos quasi pater locutus sum, pro ea charitate qua [b] filios meos perire non patior et errare perpetuo, vellem nunc præsens esse si confessionis me vincula non arctarent, et blandam vocem in objurgantis verba mutare. Nec levitatis est, si nunc **469** blandiar, nunc irascar; impellit me charitas, impellit me dolor, diversis affectibus loqui. Nescio enim in quæ primum verba prorumpam, et quo vos debeam sanare medicamine, quia confundor in vobis.

(Vers. 21.) *Dicite mihi qui sub Lege vultis esse, Legem non audistis?* Notandum Legem hic dictam esse Geneseos historiam, non ut vulgo æstimant, quæ facienda sint, quæve vitanda, sed totum quod de Abraham, et ejus uxoribus liberisque contexitur, legem appellatam (*Joan.* XV). Legimus et in alio loco, Prophetas quoque Legem vocari. Audit ergo Legem, qui juxta Paulum non superficiem, sed medullam ejus introspicit. Non audit Legem, qui similis Galatarum, exteriorem tantum corticem sequitur.

A ¶ (Vers. 22, 23.) *Scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla et unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est : qui autem de libera, per repromissionem.* Nimiæ difficultatis est demonstrare, Isaac tantum, qui de Sara natus est, fuisse de repromissione generatum, et non etiam Ismael, qui de Agar ancilla est ortus Ægyptia. Scriptura quippe refert, quod cum, persequente Sara, Agar feta fugisset, et venisset ad eam angelus in deserto, moneretque ut subjiceretur dominæ potestati, idem ipse angelus etiam hæc locutus sit : *Multiplicans multiplicabo semen tuum, et non numerabitur præ multitudine* (*Genes.* XVI, 10). Et postea de Ismael (quæ utique repromissionis verba nemo dubitarit) : *Iste erit rusticanus homo, manus ejus* B *super omnes, et manus omnium super eum, et contra faciem omnium fratrum suorum habitabit.* Sed responderi potest, minoris auctoritatis esse repromissionem angeli, quam ipsius Dei. Sicut enim stella, orto sole, non rutilat : ita et angeli verba ad comparationem repromissionis Dei obscurari, et evanescere, et pro nihilo computari Videtur quidem hæc responsio aliquid habere momenti; sed statim sequentis Scripturæ auctoritate conteritur. Scriptum est enim : *Abraham autem dixit ad Deum : Ismael iste vivat in conspectu tuo* (*Ibid.*, XVII, 18 *seqq.*) : et Deus respondit ad eum ita : *Ecce Sara uxor tua pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Isaac, et statuam testamentum meum ad eum, in testamentum æternum, et semini ejus post eum. De Ismael autem :* **470** C *Ecce exaudivi te, et ecce benedixi eum, et augebo eum, et multiplicabo illum vehementer. Duodecim gentes generabit, et dabo eum in gentem magnam, testamentum autem meum statuam ad Isaac, quem generabit tibi Sara in tempore isto, anno venturo.* Ex quibus evidens est ipsius quoque sermonibus Dei, Ismael secundum repromissionem esse generatum. Sed et hoc ita solvitur, repromissionem proprie in testamenti datione compleri, et aliud esse benedicere, augere, multiplicare vehementer, quod in Ismael scriptum est : aliud hæredem facere per testamentum, quod de Isaac dicitur : *Statuam testamentum meum ad eum, in testamentum æternum, et semini ejus post eum.* Et in consequentibus : *Testamentum autem meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara* D (*Gen.*, XVII, 19). Et quomodo aliud sunt dona, aliud substantia : aliud legata, aliud hæreditas (legimus enim filiis concubinarum Abrahæ dona tradita : filio autem Saræ totius substantiæ hæreditatem relictam); ita aliud esse, ut diximus, benedictionem atque legata, aliud testamentum. Sed et hoc dici potest de Ismaele, post conceptum ejus, vel angelum, vel Deum locutum. De Isaac vero antequam in Saræ utero conciperetur, Deum fuisse pollicitum. Hæc interim quantum ingenii nostri mediocritas patitur dicta sint. Cæterum si quis potest majus aliquid invenire, quomodo Ismael qui de ancilla natu

[a] Duo verba, *quoniam confundor*, Victor. hic tacet.

[b] Idem Victorius, *qua vos perire*, etc.

est, non sit repromissionis filius, sed Isaac qui de libera : ille potius audiendus est. *Et si quid*, inquit Apostolus, *aliter sentitis, et hoc vobis Deus revelavit.* Nunc breviter ad altiora tendendum est, ut dicamus unumquemque nostrum primum, non juxta repromissionem nasci, quamdiu Scripturarum verbis simplicibus instruitur, et Judaicis adhuc expositionibus delectatur : quando vero ad sublimiora transcenderit, et legem intellexerit spiritualem, tunc eum de repromissione generari : et, ut apertius loquar, quotidie eos qui faciunt opera Abrahæ, de Abraham nasci. Verum illos qui habent spiritum servitutis iterum in timore, ex ancilla generari Ægyptia ; eos autem qui spiritum adoptionis acceperint, ex Sara libera : qua libertate a Christo donati sumus. Loquitur Dominus ad Judæos, qui adhuc ancillæ filii esse malebant : **471** *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberos faciet vos* (*Joan.* VIII, 31, 32). Unde et illi ignorantes mysticum esse quod dicebatur, aiunt : *Semen Abrahæ sumus, et nemini umquam servivimus : quomodo tu dicis, liberi eritis? Respondit eis Jesus: Amen, amen dico vobis , quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Servus autem non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum.* Si servi sumus peccati, Agar nos generavit Ægyptia : si non regnat peccatum in nostro mortali corpore, vere Dei filii sumus.

(Vers. 24.) *Quæ* [a] *sunt per allegoriam dicta.* Allegoria proprie de arte grammatica est, et quo a metaphora, vel cæteris tropis differat, in scholis parvuli discimus. Aliud prætendit in verbis, aliud significat in sensu. Pleni sunt oratorum (*Sup.* allegoriis), et poetarum libri. Scriptura quoque divina, per hanc non modica ex parte contexta est. Quod intelligens Paulus apostolus (quippe qui et sæculares litteras aliqua ex parte contigerat) ipso verbo figuræ usus est, ut allegoriam, sicut apud suos dicitur, appellaret : quo scilicet sensu magis loci hujus Græci sermonis abusionem monstraret. Scisse autem Paulum, licet non ad perfectum [b], litteras sæculares, ipsius verba testantur : *Dixit quidam ex eis, proprius eorum propheta : Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri* (*Tit.* I, 12). Hic versus heroicus Epimenidis poetæ est, cujus et Plato, et cæteri scriptores veteres recordantur. Apud Athenienses quoque cum in Areopago satisfaceret, hæc addidit : *Sicut et quidam de vobis poetæ dixerunt : Ipsius enim et genus sumus* (*Act.* XVII, 28). Hoc hemistichium fertur in Arato, qui de cœlo stellisque conscripsit. Necnon et illud : *Corrumpunt bonos mores confabulationes pessimæ* (I *Cor.* XV, 33); trimeter iambicus de comœdia sumptus est Menandri. Ex quibus et aliis, evidens est Paulum non ignorasse litteras sæculares, et quam hic allegoriam dixit, alibi vocasse intelligentiam spiritualem. Ut ibi : *Scimus enim quod Lex spiritualis est* (*Rom.* VII, 14), pro eo quod est, allegoria, sive allegorice figurata. Et alibi : *Omnes eamdem spiritualem* **472** *comederunt escam, et eumdem spiritualem biberunt potum. Bibebant autem de spirituali sequenti eos petra, petra autem erat Christus* (*I Cor.* X, 34). Manna hic, et subiti fontis eruptio, et petra ipsa quæ sequitur, quod allegorice accipienda sint, nemo est qui dubitet. Scio quid econtrario possit opponi : *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto : vos spirituales instruite istiusmodi in spiritu mansuetudinis* (*Infra*, VI, 1). Et in alio loco : *Spiritualis autem dijudicat omnia : ipse autem a nullo dijudicatur* (I *Cor.* II, 25) : quod scilicet aliud quam supra diximus, verbum spirituale sonet. Sed nos spiritualem, quia omnia judicet, et ipse a nemine dijudicetur, eum virum dicimus, qui universa Scripturarum sacramenta cognoscens, sublimiter ea intelligat : et Christum in divinis libris videns, nihil in eis Judaicæ traditionis admittat.

(Vers. 25, 26.) *Hæc enim sunt duo testamenta, unum quidem a monte Sina, in servitutem generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui conterminus est ei, quæ nunc est Jerusalem, et servit cum filiis suis. Illa autem quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrum.* Pene cunctorum super hoc loco ista est explanatio, ut Agar ancillam, interpretentur in Lege, et in populo Judæorum : Saram autem liberam, in Ecclesia, quæ de gentibus congregata est, quæ mater sanctorum sit, Paulo dicente : *Quæ est mater omnium nostrum.* Hæc diu non peperit, antequam Christus de Virgine nasceretur, et sterilis fuit : necdum risu mundi Isaac de electo patre cum voce sublimium dogmatum resonante : siquidem et *Abraham* in nostra lingua, *pater electus cum sonitu* [c] refertur. *Agar* autem quæ interpretatur παροικία, id est, *incolatus*, sive *peregrinatio*, sive *mora*, generat Ismael, qui tantum *audiat Dei* præcepta, nec faciat hominem rusticum, sanguinarium, deserta sectantem : qui universis fratribus suis de libera procreatis inimicus sit, et adversa eis fronte resistat. Nec mirum vetus Testamentum, quod in monte Sina, qui est in Arabia, et confinis est ei, quæ nunc **473** est Jerusalem, constitutum est atque conscriptum, non esse perpetuum : cum et incolatus a perpetua possessione diversus sit, et *Sina* montis nomen *tentationem* sonet : et *Arabia* significet *occasum* : et econtrario quæ sursum est Jerusalem, quæ

[a] In ms. Palatino, et penes Victorium, *Quæ quidem sunt allegorica.*

[b] Confer Epist. 120, ad Hedibiam, quæst. 11, et quæ ibi annotamus.

[c] Sic nempe, quod Martianæus notat, interpretatus est Philo : Ἀβραὰμ, πατὴρ ἐκλεκτὸς ἠχοῦς, *Abraham, pater electus soni :* satis violenter, quasi tribus hisce verbis constaret, אב, *pater*, בחר, *electus*, המה, *sonitus*. Jam nec probari Hieronymo liquet, qui cum suo sensu nomen istud exposuit, optime omnium ex ipso sacri textus indicio, Genes. XVII, 5. interpretatus est, *patrem multitudinis gentium*, ex Hebræis vocibus, אב, *pater*, רב, *multitudo*, et הם, quod idem est atque המון, et *turbas*, *populos*, *gentes*, idque genus ingentis numeri sonat.

est libera materque sanctorum, demonstret hanc Jerusalem, quæ in præsenti est, deorsum esse, et in humili [a] infimoque demersam. Sunt qui duo Testamenta et aliter intelligant : ut Scripturam divinam, tam veterem quam novam, juxta diversitatem sensus eorumque sententiam qui legunt, aut ancillam interpretentur, aut liberam, et eos, qui adhuc litteræ serviant, et spiritum timoris habeant in servitutem, de Agar Ægyptia velint esse generatos : eos autem qui ad superiora conscendant, et allegorice velint sentire quæ scripta sunt, filios esse Saræ, quæ in lingua nostra ἄρχουσα, id est, *princeps* interpretatur, genere feminino. Et hoc ob illam necessitatem se asserunt [*Al.* asserat] usurpare : quia iniquum sit Moysen, et cunctos prophetas de ancilla, quoslibet vero gentilium de libera intelligere procreatos. Unde melius esse, ut non solum de his qui in Ecclesia sunt, pro diversitate (ut supra diximus) intellectuum, alios servos, alios liberos arbitremur : sed etiam de uno eodemque homine quamdiu sequitur historiam, ancillæ eum esse filium : cum autem aperiente Jesu Scripturas, incensum fuerit cor ejus, et in fractione panis inspexerit eum quem antea non videbat (*Luc.* XXIV) : tunc et ipsum Saræ filium nominari. Marcion et Manichæus hunc locum in quo dixit Apostolus : *Quæ quidem sunt allegorica*, et cætera quæ sequuntur, de codice suo tollere noluerunt, putantes adversum nos relinqui : quod scilicet Lex aliter sit intelligenda, quam scripta est; cum utique etiamsi allegorice (quod nos quoque fatemur, et Paulus docet) accipienda sit, non pro voluntate legentis, et pro scribentis auctoritate sic condita sit : et eo ipso, quod contra nos servare visi sunt, conterantur : quod Moyses creatoris Dei servus, spiritualia scripserit [b], Apostolo quoque eorum idipsum docente, quem ipsi alterius Christi, **474** et melioris Dei asserunt prædicatorem.

(Vers. 27.) *Scriptum est enim : lætare, sterilis, quæ non paris : erumpe et clama, quæ non parturis : quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum* (*Isai.* LIV, 1.) Virum habuit synagoga Legem : et juxta Annæ quoque prophetiam, fetosa quondam in liberis fuit (I *Reg.* I.) Sterilis vero Ecclesia, sine viro Christo, sine ullo sponsi sermonis alloquio, diu jacuit in deserto. Sed postquam accepit illa librum repudii in manus suas, et omnia ornamenta viri in idoli vertit ornamentum : tunc maritus, priore cingulo putrescente, alium lumbis suis baltheum, aliud de gentibus lumbare contexuit : quæ statim ut est viro juncta, concepit et peperit. Et in Isaac exclamat Dominus per prophetam : *Si est gens nata simul* (*Isai.* XLIX, 54) : quando una die in Actibus apostolorum tria millia, et quinque millia hominum crediderunt (*Actor.* III, *seqq.*) Nec puto necesse esse, ut de multitudine Christiana, et de Judæorum paucitate dicamus, cum in toto mundo crucis vexilla resplen-

A deant : et vix rarus atque notabilis in urbibus Judæus appareat.

(Vers. 28.) *Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus.* Apostolum et similes ei secundum Isaac promissionis esse filios, nulla intelligentiæ difficultas est. Sed quia Origenes hunc locum edisserens, ita Apostoli posuit exemplum : *Vos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii estis*, quæritur quomodo Galatas, quos stultos appellarat, et incœpisse dixerat spiritu, carne finire, nunc secundum Isaac filios repromissionis vocet? Dicimus itaque Apostolum ideo eos appellare secundum Isaac filios repromissionis, quia non penitus eorum desperet salutem, et rursum eos ad spiritum quo cœperant æstimet reversuros, fiantque filii liberæ. Qui
B si carne fuerint consummati, filii sunt ancillæ.

(Vers. 29-31.) *Sed quomodo tunc qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum : ita et nunc. Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam et filium ejus : non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ. Qua libertate Christus nos liberavit.* Non puto invenire non posse ubi Ismael persecutus **475** fuerit Isaac : sed tantum illud, quod cum filius Ægyptiæ, qui major natu erat, luderet cum Isaac, indignata sit Sara, et dixerit ad Abraham : *Ejice ancillam et filium ejus : Non enim hæreditabit filius ancillæ cum filio meo Isaac* (*Gen.* XXI, 10). Et utique simplex lusus inter infantes, expulsione et abdicatione indignus est. Verum Apo-
C stolus quasi Hebræus ex Hebræis, et ad pedes magistri Gamalielis edoctus : qui quondam furentes adversus Dominum [*Al.* eum] Pharisæos concilio refrenaret, ex verbis Saræ dicentis : *non enim hæreditabit filius ancillæ, cum filio meo Isaac*, intellexit lusum illum simplicem non fuisse. Sed quia forsitan Ismael quasi major natu, et eo tempore circumcisus quo jam poterat intelligere et sentire quod passus est, sibi primogenita vindicabat, Scriptura jurgium parvulorum, lusum vocavit. Unde et Sara hæc verba non sustinens, et consuetudinem sibi primogenita vindicantis ancillæ filii a parva ætate non patiens, erupit in vocem : *Ejice ancillam cum filio suo : Non enim hæreditabit filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Quod cum durum visum fuisset
D Abrahæ (semper enim primogenitis majora debentur) non solum Ismaelem priorem esse desinere; sed ne æqualem quidem cum minore fratre accipere portionem : Deus qui liberam intus esse, et foras expelli volebat ancillam, Saræ verba confirmat, et loquitur ad Abraham : *Non durum sit coram te de puero et ancilla. Omnia quæ dixerit* [Al. *dixit*] *tibi Sara, audi vocem ejus : quoniam in Isaac vocabitur tibi semen.* Sicut ergo tunc major frater Ismael lactentem adhuc et parvulum persequebatur Isaac, sibi circumcisionis prærogativam, sibi primogenita vin-

[a] Minus cohærenter antea, *infirmoque*, pro *infimo*, quod præferunt mss. In uno autem Palatino sejunctis verbis bono æque sensu legitur, *in fimoque*.

[b] Scilicet libro, qui *Apostolus* inscribitur juxta Marcionis recensionem. Recole superius cap. 4 col. 375, not. *b* (*Edit. nost. col.* 313, *not.* a).

dicens : ita et nunc secundum carnem Israel [*Al.* Ismael], adversum minorem fratrem de gentibus populum Christianum sustollitur, inflatur, erigitur. Consideremus insaniam Judæorum, qui et Dominum interfecerunt, et prophetas, et apostolos persecuti sunt, et adversantur voluntati Dei : et videbimus multo majores persecutiones, quas nos etiam Historiæ docent, a Judæis in Christianos quam a gentibus concitatas. Miramur de Judæis? [a] Hodie quoque hi qui in Christo parvuli sunt, **476** et vivunt carnaliter, persequuntur eos qui ex aqua et spiritu nati sunt; et cum Christo resurgentes, ea quærunt quæ sursum sunt, non deorsum. Faciant quod volunt : cum Ismaele persequantur Isaac : ejicientur foras cum ancilla matre Ægyptia : nec accipient hæreditatem, quam solus qui de repromissione natus est, consequetur. Eleganter autem et illud, quod is qui secundum carnem natus est, persequitur spiritualem. Numquam enim spiritualis persequitur carnalem; sed ignoscit ei quasi rusticano fratri : scit eum posse proficere per tempus. Et si quando Ægyptiæ filium viderit irascentem, recordatur unius patris, qui lucem [b], boves crearit et culicem : et in magna domo, non solum esse vasa aurea et argentea; sed lignea et fictilia. Itaque cum apostolo Paulo dicamus : *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ* (II *Tim.* II); et renovati in Christo, audiamus verba Domini ad Judæos loquentis : *Si manseritis in sermone meo, cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* (*Joan.* VIII, 31, 32). Hac libertate et Apostolus liberatus aiebat : *Cum enim sim liber ex omnibus. Qui facit peccatum, servus peccati est* (I *Cor.* IX, 19). Ille quia se ab omnibus vitiis liberum, ab omni concupiscentia et errore sciebat alienum, recte in Christi libertate gaudebat dicens : *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ : qua libertate Christus nos liberavit* (*Joan.* VIII, 34).

(Cap. V. — Vers. 1.) *State, et nolite iterum jugo servitutis contineri.* Et ex hoc ostenditur, quia non stet qui jugo inhæreat servitutis. Et quia is qui a Christo libertate donatus est, tamdiu fuerit sub jugo, quamdiu spiritum servitutis habuerit in timore, et Legis initia sit secutus. Quod autem ait, *state*, firmam et stabilem in Christo hortatur fidem, ut Ecclesiæ Galatiæ fixo in Salvatore permaneant pede. De quo et in alio loco justus loquitur : *Statuit super petram pedes meos* (*Ps.* XXXIX, 3), pro eo quod est, *super Christum* : ne scilicet circumferantur omni vento doctrinæ, et in diversa rapiantur (*Ephes.* IV). Unde et ad stantes dicitur : *Et qui stat, videat ne cadat* (I *Cor.* X, 12). Et in alio loco : *State, viriliter agite, confortamini* (*Ibid.* XVI, 13), ut stent cum eo, quem Stephanus a dextris Patris stantem vidit in martyrio perseverans (*Act.* VII), **477** et qui locutus est ad Moysen : *Tu vero sta mecum* (*Exod.* XXXIV, 2). Jugum autem servitutis, Legem vocat duram, difficilem, laboriosam, quæ die ac nocte cultores suos gravi opere consumit. Sicut et Petrus in Actibus apostolorum : *Quid tentatis*, inquit, *imponere jugum grave super collum fratrum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuerunt* (*Act.* XV, 10)? Quod autem apposuit, *nolite iterum*, non quo prius Legem Galatæ custodierint; sed quo et idololatriæ jugum grave sit, quo Ægyptiorum populus oppressus, ad instar plumbi in Rubrum mare mersus est (*Exod.* XV). Juxta quem sensum et supra dixerat : *Quomodo convertimini iterum ad infirma, et egena elementa; quibus rursum servire vultis, dies observantes, et menses, et tempora, et annos?* Galatæ enim qui ad Pauli apostoli prædicationem, idolis derelictis, statim ad Evangelii conscenderant gratiam, non revertebantur ad Legis Judaicæ servitutem, quam numquam prius cognoverant : sed volentes observare tempora, circumcidi carne, et hostias offerre corporeas, quodammodo in eosdem revertebantur cultus, quibus in idololatria ante servierant. Aiunt enim, et Ægypti sacerdotes, et Ismaelitas, et Madianæos præputium non habere. Quod autem nationes observent dies, menses, et annos, utinam nesciremus, ne [*Al.* nec] nobis cum eis esse umquam mixta festivitas.

(Vers. 2.) *Ecce ego Paulus dico vobis : quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil* [c] *prodest.* In Evangelio Salvator ad discipulos loquitur. *Qui vos audit, me audit : qui vos suscipit, me suscipit* (*Luc.* X, 16). Et Apostolus testatur, dicens : *Vivo autem, jam non ego; vivit autem in me Christus* (*Supra*, II, 20); et alibi : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII, 3)? Ex quo liquido comprobatur hoc quod nunc dicit : *Ecce ego Paulus dico vobis*, non quasi Pauli tantum verba accipienda, sed Domini. Nam cum et in prima ad Corinthios præmisisset : *His autem qui nupti sunt denuntio, non ego, sed Dominus* (I *Cor.* VII, 10); et statim intulisset : *cæteris autem ego præcipio* (*Ibid.*, 12), ne vilis sua putaretur auctoritas : *puto*, inquit, *quod* **478** *et ego spiritum Dei habeo* : ut spiritu et Christo in se loquente, non contemptui duceretur, qui prophetas imitans diceret : *Hæc dicit Dominus omnipotens.* Majus autem fiet id quod dictum est : *Ecce ego Paulus dico vobis : quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest*, si cum principio copuletur, in quo ait : *Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum*, et reliqua : ut audientes, non tam missi, quam mittentis auctoritate moveantur. Potest aliquis dicere : Contrarium est huic loco illud quod ad Romanos scribitur : *Circumcisio quidem prodest, si Legem custodis legit, nihil proderit* : similiter et Græcus codex legit, ὠφελήσει. Hieronymus in commentario quinquies, hoc est, ubicumque locum citat, legit, *nihil prodest*. Lectionem, ab exemplaribus Hieronymianis destituti, mutare ausi non sumus. Ita enim forte legebat.

[a] Unus Palatinus sub asserentis nota : *Miramur de Judæis hodie, quia qui in Christo*, etc.

[b] Idem mss., *qui luce boves crearit, et*, etc. Omnino autem in vocula *lucem* edidit pariter ac mss. peccant.

[c] Victorius ait : Vulgata editio constanter in cunctis exemplaribus tam impressis, quam manuscri-

stodias (*Rom.* xi, 25); et infra : *Quid ergo est amplius* A *Judæo : aut quæ utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei* (*Ibid.*, 1, 2). Si enim his qui circumcisi fuerint Christus nihil prodest : quomodo Legem custodientibus prodest circumcisio? Quod quidem hac responsione solvetur, ut dicamus [*Al.* dicatur], Epistolam quæ ad Romanos scripta est, ad eos esse dictatam, qui ex Judæis Gentibusque crediderant : et hoc egisse Paulum, ut [*Al.* ne] neuter populus offenderetur : quo scilicet suum utraque plebs privilegium possideret : ut nec gentiles circumciderentur, nec circumcisi adducerent præputium. Ad Galatas autem scribens alio usus sit argumento. Non enim erant ex circumcisione : sed ex gentibus qui crediderant. Nec poterat eis prodesse B circumcisio, qui post Evangelii gratiam iterum ad Legalia reverterentur elementa. Et in Actibus apostolorum narrat historia (*Actor.* xv) : cum quidam de circumcisione surgentes asseruissent eos qui ex gentibus crediderant, debere circumcidi, et legem custodire Moysi, seniores qui Jerosolymis erant, et apostolos pariter congregatos, statuisse per litteras, ne superponeretur eis jugum Legis, nec amplius observarent, nisi ut custodirent se tantum ab idolothytis, et sanguine, et fornicatione, sive ut in nonnullis exemplaribus scriptum est, [a] *et a suffocatis.* Et ne resideat ulla dubitatio, **479** quod circumcisio nihil prosit, sed propter eos qui ex Judæis crediderant, ad Romanos de circumcisione sententiam temperavit, paulatim ad Epistolæ ejusdem posteriora C descendens, nec circumcisionem, nec præputium aliquid valere, monstravit dicens : *Circumcisio itaque nihil est, et præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei* (I *Cor.* vii, 19). Intantum enim circumcisio nihil est, ut Israeliticæ quoque domui, se de circumcisione jactanti, nihil profuerit, propheta memorante : *Omnes gentes incircumcisæ carne, domus autem Israel incircumcisa corde* (*Ezech.* xliv, 9), et incircumcisus Melchisedec, circumcisum benedixit Abraham. Nam quod ait : *Si circumcidamini* (*Genes.* xliv); tale est, [b] quale si dicere voluisset, si carne circumcidamini. Quam in alio loco non circumcisionem, sed concisionem vocat, dicens : *Videte concisionem. Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu Dei servimus, et gloriamur in Christo, et non in carne confidimus* (*Philipp.* D iii, 2, 3). Non confidit in carne, qui omnem utilitatem exspectat a Christo, et non seminat in carne, ut de carne metat corruptionem; sed in spiritu, de quo vita æterna generatur. Subtilius intuenda sententia : *Si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest.* Quod non solum in eo si circumcidantur, non eis prosit ipsa circumcisio; sed etiamsi cæteras videantur extra circumcisionem in Christo habere virtutes, universæ pereant, cum post fidem Christi fuerint circumcisi. Quid igitur? nihil profuit Timotheo circumcisio? Multum per omnem modum. Non enim tam ideo circumcisus est, ut ex ipsa circumcisione aliquid emolumenti æstimaret posse se consequi, quam ut cæteros lucrifaceret (I *Cor.* ix). Factus Judæis Judæus, ut Judæos ad fidem Christi sua circumcisione transduceret. Tunc siquidem non prodest circumcisio, cum aliquid per semetipsam putatur utilitatis [*Al.* utilitas] afferre.

(Vers. 3.) *Contestor autem omnem hominem circumcidentem se, quoniam debitor est universæ Legis faciendæ.* Deus qui circumcisionem primo ad Abraham, deinde per Moysen in Lege præcepit, non solum circumcisionem, sed et alia multa **480** observanda constituit : Dies festos Jerosolymis frequentandos : hostiarum holocausta, mane semper et vespere : immolationem in uno tantum loco agni, [c] terræ septima ætate ferias : quinquagesimum remissionis annum, et cætera quæ facile est de Scripturis excerpere sibi unumquemque lectorem. Coarctabimus itaque Ebionem, et sectatores ejus, qui post Evangelium credentes in Christo circumcidendos putant, ut aut circumcisionem faciant, et cætera quæ præcipiuntur in Lege : aut si impossibile est cuncta fieri, cesset et circumcisio, quæ cum cæteris quasi inutilis prætermissa est. Quod si responderint, possibilia tantum debere se facere (non enim Deum ea a nobis exigere quæ non possumus, sed ea quæ possimus implere), dicemus eis, non ejusdem esse Dei, custodiri velle Legem, et eos qui Legem custodiant derelinquere. Aut quomodo propter intermissam Legem reos eos faciat, qui etiamsi velint, universa complere non possint? Nos vero legem sequi spiritualem, quæ dicat : *Non infrenabis os bovi trituranti* (*Deut.* xxv, 4), et cum Apostolo intelligere : *Numquid de bobus cura est Deo* (I *Tim.* x, 18; I *Cor.* ix, 9)? sed propter nos utique dicit, et observare sabbata delicata (*Isai.* lviii, 13), non ut bos et asinus noster, et vilia pecora lætentur in sabbato; sed illi homines, et pecora, de quibus scriptum est : *Homines et jumenta salvos facies, Domine* (*Ps.* xxxv, 7). Homines rationabiles quosque et spirituales viros, animalia vero, eos qui tardioris ingenii sunt, et a spiritualibus ad agenda Domini sabbata erudiuntur. Nec contrarium esse id quod supra dictum est :

[a] Hoc vero Patrum magna pars novit, ac laudat, utpote ab apostolis proditum comma, et pauci e contrario sunt ex antiquis, qui illud silentio prætereant. Ex his S. Irenæus, lib. iii adversus Hæres. cap. 12. S. Cyprianus, lib. iii Testimoniorum, nonnullique alii. Non itaque audiendus Pseudo-Ambrosius commentario in hanc Pauli Epistolam cap. ii, ubi a Græcorum sophistis sacro illud textui intrusum esse contendit.

[b] In aliis libris, *quasi dicere*, etc.

[c] Qua interpunctionis vitio, qua voculæ unius depravatione laborabat hic sensus. Nempe erat in vulgatis omnibus, *Immolationem in uno tantum loco agni terræ : septima æstate ferias :* ut vox, *terræ*, ad locum referretur, cum ad septimam ætatem spectet. Laudatur illud Levitici xxv, 3. *Sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus ejus : septimo autem anno sabbatum erit terræ, requietionis Domini.*

Si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest : Et A quod sequitur : *Testificor omnem hominem circumcidentem se, quoniam debitor est universæ Legis faciendæ*, huic quod infertur a nobis. Neque enim auditores Legis sunt justi apud Deum : sed factores Legis justificabuntur. Quia factor ille sit Legis, qui potest dicere : *Non sumus circumcisio*; et, *In occulto Judæus*: et, *scimus quia Lex spiritualis est*. Qui autem concisionem et interfectricem sequatur litteram, eum non Legis esse factorem, sed vere legis inimicum, **481** maxime post Salvatoris adventum, qui ad se convertentibus tollat velamen de corde, ut omnes revelata facie gloriam Domini contemplantes, transfiguremur de vetustate litteræ in novitatem spiritus.

(Vers. 4.) *Evacuati estis a Christo : qui in Lege justificamini, a gratia excidistis.* Quomodo nemo B potest duobus dominis servire (*Matth.* VI), sic umbram pariter et veritatem Legis implere difficile est. Umbra in Lege veteri est, donec aspiret dies, et amoveantur umbræ : veritas in Evangelio Christi : *Gratia enim et veritas per Jesum Christum factæ sunt* (*Joan.* I, 17). Perdit ergo gratiam Christi, et Evangelium quod tenuerat, amittit, qui in aliqua observatione Legis se justificari putat : et cum gratiam amiserit, a Christi fide destituitur, et in ejus opere conquiescit : κατηργήθητε enim ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, non ut in Latino male interpretatum est : *Evacuati estis a Christo*, sed, *in Christi* [Al. *Christo*] *opere cessastis*, magis intelligitur, ut id quod supra specialiter de circumcisione præceperat, dicens : *si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest*, [b] nunc C de tota Lege generaliter comprehendat, nihil eos in Christi opere proficere, qui in quacumque observatione Legis se crediderint justificandos.

(Vers. 5.) *Nos enim spiritu ex fide, spem justitiæ exspectamus.* Spiritum, ad distinctionem litteræ posuit. Spes vero justitiæ, Christus intelligendus : quia ipse est veritas, patientia, spes, justitia, omnesque virtutes, cujus nos secundum exspectamus adventum, quod judicaturus est omnia, et jam non patientia, sed justitia affuturus, ut reddat unicuique secundum opera sua. Cujus [c] Dei præsentiam apostolus, et qui ei sunt similes exspectantes, aiunt : *Adveniat regnum tuum* (*Matth.* VI, 10), ut cum Filius Deo et Patri tradiderit regnum, et in subjectis D omnibus fuerit et ipse subjectus : tunc caput subjiciatur in corpore, et sit Deus omnia in omnibus (I *Cor.* XV). Quia qui nunc est ex parte, per singulos, tunc incipiet totus esse per cunctos.

(Vers. 6.) *Nam in Christo Jesu, neque circumcisio* **482** *aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.* His qui in Christo Jesu volunt vivere, virtutes appetendæ sunt, vitia fugienda . media vero quæ inter virtutes et vitia sunt, nec fugienda, nec appetenda, ut circumcisio et præputium, et cætera his similia. Circumcisio quidem prodest, si Legem custodias. Quæ idcirco utilis fuit his qui in Lege vixerunt, non quia circumcisi erant, sed quia credita sunt illis eloquia Dei, quæ in opera vertentes, a salute extranei non fuerunt. Nec nos moveat quod a Sephora tollens calculum, filium circumcidit, et suffocantem angelum prohibuit a marito (*Exod.* IV), sive ut aliter in Hebræo scriptum refertur, quia nunc non tam circumcisionem penitus nil prodesse, quam in Christo Jesu eam non valere testatus est, ex eo siquidem tempore quo Evangelium in toto orbe radiavit, superflua est circumcisionis injuria. Quæ tunc, ut cætera quoque Legis, valuit, quando et benedictiones carnales Legem servantibus spondebantur ; quod scilicet, si implessent eam, benedicti essent in civitate, benedicti in agro, plena haberent horrea, et multa alia quæ in repromissionibus continentur (*Deut.* XXVIII). Nos autem in Christo Jesu valere volumus et confortari, id est, in vera circumcisione, et non in concisione Judaica. *Neque enim qui in aperto Judæus est, neque manifesta in carne circumcisio, sed in abscondito Judæus, et circumcisio cordis in spiritu, non littera* (*Rom.* II, 28, 29). Nihil itaque prodest in Christo carnis circumcisio, sed cordis et aurium, quæ aufert illud opprobrium Judæorum : *Ecce incircumcisæ aures vestræ, et non potestis audire* (*Exod.* VI, 12). Prodest circumcisio labiorum, quam juxta humilitatem, necdum se habere causabatur Moyses, ut in Hebraico scriptum est : *Ego autem sum præputium habens in labiis.* Multum utilitatis præbet, et in rebus venereis circumcisio cum per castitatem impudicitia desecatur. Igitur in Christo Jesu nec circumcisio valet, nec præputium corporale, quia in medio, id est, inter vitia virtutesque sunt posita ; **483** sed fides, quæ per charitatem operatur, ut et fides quæ reputata est Abrahæ in justitiam, comprobetur, et omne opus fidei in charitate ponatur, tota Lege et Prophetis ex charitate pendentibus. In his siquidem duobus præceptis : *Diliges Deum tuum, et diliges proximum*, Salvator asseruit Legem Prophetasque consistere. Et Paulus in alio loco : *Etenim non adulterabis, non furaberis, non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur : Diliges proximum tuum sicut te* (*Rom.* XIII, 9). Si ergo omne mandatum recapitulatur in eo quod dictum est : *Diliges proximum tuum tam-*

[a] Duo e nostris mss., *a Christi fide struitur* : ad quorum mox auctoritatem correximus, *conquiescit*, pro quo erat antea, sensu prorsus contrario, *non quiescit*. Victorius quoque ex Brixianis codd. ita pridem reposuerat, monueratque, *conquiescit*, idem hoc loco sonare ac *cessat*. Exponit se in hunc sensum statim Hieronymus, subdens, *κατηργήθητε enim ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, non, ut in Latine male interpretatum est*, evacuati estis a Christo, sed, in *Christi opere cessastis*, etc.

[b] Penes Victorium negandi est particula, *non de tota*, etc.

[c] Palatinus ms. cum Victorio, *cujus diei præsentiam*, et paulo post rectius, *cum Filius Deo Patri tradiderit regnum.*

quam te, fides autem per charitatem operata valet plurimum, manifestum est operationem fidei per charitatem, plenitudinem mandatorum omnium continere. Quomodo autem juxta apostolum Jacobum, fides absque operibus mortua est (*Jacob.* III): sic absque fide, quamvis bona opera sint, mortua computantur. Qui igitur in Christo non credunt, et sunt probis moribus, aliud quid magis habent quam opera virtutum? Exemplum fidei quæ per charitatem operatur, de Evangelio illa meretrix tribuat, quæ cum in domo Pharisæi accubanti Domino **484** pedes lavisset lacrymis, tersisset crinibus, linisset [*Al.* levisset] unguento, et Pharisæo murmuranti, Dominus parabolam quinquaginta et quingentos denarios debitoris proposuisset, adjecit : *Propter quod dico tibi : Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit* B *multum* (*Luc.* VII, 47 *et* 50). Et ad ipsam mulierem A conversus, ait : *Fides tua te salvam fecit : vade in pace.* Aperte enim in hoc loco demonstratum est mulierem istam habuisse fidem per charitatem operatam, quæ multum valuerit in Christo. Esto quis dicat : Bene circumcisionem in Christo nihil valere monstravit, quam sciebat aliquando valuisse : numquid et de præputio aliquis ambigebat, ut diceret, *neque præputium?* Sed si consideremus plurimos Christianorum, id est, e nostris, qui de oleastro inserti sumus in radicem bonæ olivæ (*Rom.* XI), exsultare contra fractos ramos populi Judæorum, et dicere, magis valere præputium, in quo Abraham Deo placuit, et reputata est ei fides ad justitiam, quam circumcisionem, quæ in signum fidei data est, et habenti eam non profuit Israeli : videbimus etiam hanc quorumdam usurpationem cautissime nunc exclusam.

LIBER TERTIUS.

483-484 Tertium ad Galatas, o Paula et Eustochium, volumen hoc [a] cudimus : non ignari imbecillitatis nostræ, et exilis ingenii rivulum, vix parvo strepentem murmure sentientes. Jam enim et in Ecclesiis ista quæruntur : omissaque apostolicorum simplicitate et puritate verborum, quasi ad Athenæum [b], et ad auditoria convenitur, ut plausus circumstantium suscitentur : ut oratio rhetoricæ artis fucata mendacio, quasi quædam meretricula procedat in publicum, non tam eruditura populos, quam C favorem populi quæsitura, et in modum psalterii et tibiæ dulce canentis, sensus demulceat audientium; ut vere illud prophetæ Ezechielis nostris temporibus possit aptari, dicente Domino ad eum : *Et factus es eis quasi vox citharæ suave canentis, et bene compositæ : et audiunt verba tua, et non faciunt ea* (*Ezech.* XXXIII, 32). Verum quid agam? Taceamne? Sed scriptum est : *Non apparebis in conspectu Domini tui vacuus.* Et Isaias (sicut in Hebræis tamen habetur voluminibus) ingemiscit : *Væ mihi misero, quia tacui.* Loquar? **485-486** Sed omnem sermonis elegantiam, et Latini eloquii venustatem, stridor lectionis Hebraicæ sordidavit. Nostis enim et ipsæ, quod plus quam quindecim anni sunt, [c] ex quo in manus meas numquam Tullius, numquam Maro, numquam gentilium D litterarum quilibet Auctor ascendit : et si quid forte inde dum loquimur, obrepit, quasi antiqui per nebulam somnii recordamur. Quod autem profecerim ex linguæ illius infatigabili studio, aliorum judicio derelinquo : ego quid in mea amiserim, scio. Accedit ad hoc, quia propter oculorum et totius corpusculi infirmitatem, manu mea ipse non scribo : nec labore et diligentia compensare queo eloquii tarditatem : quod de Virgilio quoque tradunt, quia libros suos in modum ursorum fetum [*Al.* fetuum] lambendo figuraverit : verum accito notario, aut statim dicto quodcumque in buccam venerit : aut si paululum voluero cogitare, melius aliquid prolaturus, tunc me tacitus ille reprehendit, manum contrahit, frontem rugat, et se frustra adesse, toto gestu corporis contestatur. Oratio autem etsi de bonæ indolis ingenio sit profecta, et distincta inventionibus, et ornata flore verborum : tamen nisi auctoris sui manu limata fuerit et polita, non est nitida, non habet mixtam cum decore gravitatem; sed in modum divitum rusticorum, opibus suis magis arguitur, quam exornatur. Quorsum ista? videlicet ut et vobis, et cæteris (qui forte legere voluerint) sit responsum, me non panegyricum, aut controversiam scribere, sed commentarium, id est, hoc habere propositum, non ut mea verba laudentur, sed ut quæ ab alio bene dicta sunt, ita intelligantur ut dicta sunt. Officii mei est obscura disserere, manifesta perstringere, in dubiis immorari. Unde et a plerisque commentariorum opus, explanatio nominatur. Si quis eloquentiam quærit, vel declamationibus delectatur, habet in utraque lingua Demosthenem et Tullium, Polemonem et Quintilianum. Ecclesia Christi non de Academia, et Lyceo, sed de vili plebecula congregata est. Unde et Apostolus : *Videte*, inquit, *vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt hujus mundi elegit Deus, ut confundat sapientes : et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia : et ignobilia hujus mundi, et contemptibilia elegit Deus, et quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret* (I *Cor.* I, 26, 27, 28).

[a] Alii libri, *condimus ;* et mox, *strepente murmure ;* denique, *Apostolorum simplicitate.*

[b] *Athenæum*, locus Minervæ dicatus, ubi professores sua studia profitebantur, ubi controversia declamabant, etc. MART.

[c] Confer epist. 22, ad Eustochium, num. 30.

Quia enim ex creaturarum ordine, [a] varietate, constantia, non cognoverat mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis, salvos facere credentes : non in sapientia verbi, ut non evacuaretur crux Christi. Ubi enim sapiens, ubi grammaticus, ubi causarum naturalium scrutatores? Nec in persuasibilibus sapientiæ verbis, sed in ostensione virtutis et spiritus : ut fides credentium non esset in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Quamobrem et ipse Apostolus ad eosdem Corinthios loquebatur : *Et ego veniens ad vos, fratres, veni non per sublimitatem sermonum, et sapientiæ, annuntians vobis testimonium Domini. Non enim judicavi scire me aliquid inter vos, nisi Christum Jesum et hunc crucifixum* (I *Cor.* II, 1, 2). **487-488** Et ne forsitan putaretur, hæc dicens, esse insipientiæ prædicator, mente præsaga, quod opponi poterat, evertit. *Sed loquitur*, inquit, *Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est : quam nemo principum hujus sæculi cognovit.* Quotusquisque nunc Aristotelem legit? quanti Platonis vel libros novere, vel nomen? Vix in angulis otiosi eos senes recolunt. Rusticanos vero et piscatores nostros totus orbis loquitur, universus mundus sonat. Itaque sermone simplici, simplicia eorum verba pandenda sunt. Verba, inquam, non sensus. Cæterum si, orantibus vobis, illum possim [*Al.* possem] in exponendis Epistolis eorum habere spiritum, quem illi in dictando habuerunt : tunc videritis [*Al.* videretis] tantam majestatem et latitudinem in his veræ fuisse sapientiæ, quanta in sæculi litteratis arrogantia et vanitas fuit. Breviter vobis meæ mentis fateor arcanum : Qui per me intellecturus est Apostolum, nolo ut mea scripta difficulter intelligat, et ad interpretem cognoscendum, alium quærat interpretem. Sed jam tempus est, ut reliqua persequamur.

(Vers. 7.) *Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire?* Id quod nunc Latinus posuit interpres, *veritati non obedire*, et in Græco scriptum est, τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι, in superiori loco ita interpretatus est, *non credere veritati.* Quod quidem nos, in vetustis codicibus non haberi, in suo loco annotavimus : licet et Græca exemplaria hoc errore confusa sint. Sensus autem iste : Adorabatis Patrem in spiritu et veritate, et de plenitudine Christi accipientes, sciebatis, quia Lex data est tantum populo per Moysen, et non etiam facta. Gratia autem et veritas non solum data, sed et facta per Jesum Christum. Cum igitur tam bene curreretis, veritati magis quam imaginibus servientes, a quo præpediti doctore perverso, umbram Legis sequimini, et Evangelii relinquitis veritatem? Sequitur.

Nemini consenseritis. Sed quia nec in Græcis libris, nec in his qui in Apostolum commentati sunt, hoc scriptum invenimus, prætereundum videtur.

A (Vers. 8.) *Persuasio vestra non est ex eo qui vocavit vos.* In Latinis codicibus ita scriptum reperi : *Persuasio vestra ex Deo est, qui vocavit vos.* Quod quidem puto, *ex eo*, fuisse, et non intellectum, paulatim ob similitudinem, *ex Deo*, increbuisse, pro eo quod est, *ex eo.* Sed nec sic potest stare sensus, ut quos modo accusaverat quare non obedierint veritati, ostendens in eorum arbitrio positum, vel obedire, vel non obedire, nunc econtrario asserat persuasionem et obedientiam eorum, non tam ex ipsis esse qui vocentur, quam ex eo qui vocet. Melius igitur et verius sic legitur : *Persuasio vestra non est ex eo qui vocavit vos.* Aliud quippe Dei opus est, aliud hominum. Dei opus est, vocare : hominum, vel credere, vel non credere. Et sicubi [b] de scripturis liberum B hominis affirmatur arbitrium ut ibi : *Si volueritis et audieritis me* (*Exod.* XIX, 5). Et iterum : *Et nunc, Israel, quid petit a te Dominus Deus tuus* (*Deut.* X, 12), et ex hoc loco vel maxime comprobatur. Verum simpliciores [c] quique putantes se deferre Deo, ut persuasio quoque nostra in ejus sit potestate, abstulerunt partem orationis *non* et sensum contrarium Apostolo reddidere. Sive ergo in bonam, sive in malam partem, nec Deus, nec diabolus in causa est, quia persuasio nostra non est ex eo qui vocavit nos, sed ex nobis, qui vel consentimus, vel non consentimus vocanti. Aliter : Persuasio hæc quam nunc sequimini, non est ex Deo, qui in principio vos vocavit, sed ex his qui vos postea turbaverunt.

(Vers. 9.) *Modicum fermentum totam conspersio-* C *nem fermentat.* Male in nostris codicibus habetur : *Modicum fermentum totam massam corrumpit*, et sensum potius interpres suum, quam verba Apostoli transtulit. **489** Hac autem ipsa sententia Paulus et ad Corinthios utitur : ubi præcepit eum qui uxorem patris sui habebat, tolli de medio, et tradi pœnitentiæ in interitum et vexationem carnis per jejunia et ægrotationes, ut spiritus salvus fiat in die Domini [*Al.* addit nostri] Jesu Christi. Ait quippe : *Non bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit* (I *Cor.* V, 5, 6 *seqq.*)? sive (ut jam [*Al.* et jam] emendavimus) *totam conspersionem fermentat?* Et statim intulit : *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi, etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque* D *epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.* Nunc autem per hanc eamdem sententiam docet panem Ecclesiæ spiritualem, qui de cœlo descendit, non debere Judaica interpretatione violari : et Dominus idipsum discipulis præcepit, ut caveant a fermento Pharisæorum (*Joan.* VI). Quod evangelista manifestius faciens addidit : *Dixerat autem eis de doctrina Pharisæorum* (*Matth.* XVI, 12). Porro quæ est ista alia doctrina Pharisæorum, nisi Legis secundum carnem observatio? Sensus itaque iste est :

[a] Duo mss., *varia constantia.*

[b] Interserunt vulgati libri voculam, *alibi*. quam mss. nostri omnes ignorant.

[c] Martianæus, *simpliciores quippe.*

Nolite putare paucorum hominum, qui de Judæa venientes aliud docent, insidias contemnendas. Scintilla res parva est, et pene dum cernitur, non videtur; sed si fomitem comprehenderit, et nutrimenta sui quamvis parvus ignis invenerit, mœnia, urbes, latissimos saltus, regionesque consumit. Fermentum quoque cujus ad aliam partem in Evangelio parabola temperata est (*Luc.* XIII), res modica videtur et nihili; sed cum farinæ conspersum, totam massam suo vigore corruperit, in illius vim transit omne quod mixtum est: ita et doctrina perversa ab uno insipiens vix duos aut tres primum in exordio reperit auditores; sed paulatim ut cancer serpit in corpore, et juxta vulgare proverbium, unius pecudis scabies, totum commaculat gregem. Igitur et scintilla statim ut apparuerit, exstinguenda est, et fermentum a massæ vicinia semovendum, secandæ putridæ carnes, et scabiosum animal a caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus et pecora, ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. Arius in Alexandria una scintilla fuit; sed quia non statim **490** oppressa [*Al.* oppressus] est, totum orbem ejus flamma populata est.

(Vers. 9.) *Ego confido in vobis in Domino, quia nihil aliud sapietis.* Non per conjecturam, ut quidam volunt, sed prophetico spiritu Paulus pronuntiat, Galatas ad veritatis viam, quam amiserant, regressuros (I *Cor.* XII). Etenim qui alios hortabatur, ut æmularentur charismata, magis autem ut prophetarent: ipse quoque eadem plenus gratia loquebatur: *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus* (*Ibid.*, XIII, 9). Prævidens igitur spiritu, quia nihil aliud essent credituri, nisi quod per Epistolam docebantur, ait: *Ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis.* Nam et additio Dominici nominis, idipsum significat. Si enim per conjecturam hoc æstimabat, potuerat dicere: *Ego confido in vobis.* Nunc autem apponens, *in Domino*, divino quodam confidens spiritu, quod futurum cognoverat, prophetavit.

(Vers. 10.) *Qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumque est ille.* Occulte, inquiunt, Petrum lacerat, cui supra in faciem restitisse se scribit, quod non recto pede incesserit ad Evangelii veritatem. Sed nec Paulus tam procaci maledicto de Ecclesiæ principe loqueretur (*Galat.* II), nec Petrus dignus qui conturbatæ Ecclesiæ reus fieret. Ex quo arbitrandum est de alio quodam dici, qui aut cum Apostolis fuerat, aut de Judæa venerat, aut ex Pharisæis crediderat, aut certe magnus sit apud Galatas æstimatus, ut portet judicium Ecclesiæ conturbatæ, quicumque est ille. Portare autem judicium, id est, quod aliis verbis in sequentibus dixit: *Unusquisque proprium onus portabit.* Et puto in Scripturis, onus et in bonam et in malam partem posse accipi, hoc est, et in his qui peccatis gravibus opprimuntur, et in illis qui virtutum levia onera sustentant. De peccatis in psalmo pœnitens loquitur: *Iniquitates meæ elevatæ sunt super caput meum, quasi onus grave gravatæ sunt super me* (*Psal.* XXXVII, 5). De virtutibus, A doctrinaque virtutum Salvator ait: *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve est* (*Matth.* XI, 30). Quod autem et doctrina pro onere accipiatur, perspicuum fit in Evangelio. Alligant quippe Pharisæi onera gravia, et quæ portari non possunt, et superponunt [*Al.* ponunt] ea super humeros hominum, ipsi autem uno ea digito nolunt contingere (*Ibid.*, XXIII). Quam **491** grave sit aliquem de tranquillitate turbare, et serena corda hominum quibusdam quasi fluctibus concitare, Salvatoris ad apostolos verba testantur, dicentis: *Ne conturbetur cor vestrum, neque timeatis* (*Joan.* XIV). Expedit quippe ei qui conturbat et scandalizat quempiam in Ecclesia, ut lapis molaris circumdetur collo ejus, et mittatur cum eo in mare, quam ut scandalizet unum B de his minimis, qui a Salvatore monstrantur (*Luc.* XVII). Turbati ergo fuerant Galatæ inter spiritum et litteram, circumcisionem et concisionem, Judaismum occultum et manifestum, quid agerent ignorantes. Brevius autem et sic accipi potest: Quicumque est ille qui vos ad Pharisæorum doctrinam retrahit, et in carne desiderat circumcidi, quamvis sit eloquens, et in Legis eruditione se jactitet, nihil amplius dico, nisi hoc (quod etiam vos abnuere non potestis) quod portabit pro hoc opere judicium, et consequetur pro suo labore mercedem.

(Vers. 11.) *Ego, autem, fratres, si circumcisionem prædico, quid adhuc persecutionem patior? Ergo evacuatum est* (sive ut in Græco melius habet, *cessavit*) *scandalum crucis.* Legimus in Actibus apostolorum, C ipse quoque apostolus Paulus in Epistolis suis sæpe commemorat, se a Judæis persecutiones creberrimas sustinuisse, propterea quod doceret eos qui de gentibus crediderant in Christo, non debere circumcidi. Hi itaque de quibus supra ait: *Qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumque est ille*, ut deciperent Galatas, etiam hoc addebant: Non solum Petrus, et Jacobus, et Joannes, et cæteri in Judæa apostoli circumcisionem, et alia præcepta Legis observant, sed ipse quoque Paulus, qui vos aliter docuit, quam se rei veritas habet, Timotheum circumcidit, et Judæis frequenter Judæus factus est, veritate cogente. Quam opinionem de Galatarum mentibus Paulus nunc volens tollere, ait: *Ego autem, fratres, si circumcisionem prædico, quid adhuc perse-* D *cutionem patior?* Omne, inquit, in me odium Judæorum, et qua adversum me furiunt insania, ob nihil aliud est, nisi quod doceo gentes non debere circumcidi, et Legis onera superflua et jam abolita custodire. Cum autem persecutionem **492** patiar, manifestum est me circumcisionem non prædicare, quam destruo. Non enim tam persecutionem patior a Judæis, quia prædico crucifixum, et Jesum dico esse Christum, quem Lex et prophetæ præuuntiaverunt, quam quia doceo Legem esse completam. Quod autem crux Judæis scandalum sit, gentibus stultitia, ipse Dominus noster ostendit, qui lapis dicitur offensionis, et petra scandali (*Matth.* XXI; *Luc.* XX): propter nihil aliud puto, nisi quia prædicatio cum plenis

velis ad audientes processerit, statim ut ad crucem A venerit, impingit: et nequaquam libero cursu potest ultra procedere. [a] Sed hæc crux quæ apud Judæos scandalum est, et apud gentes stultitia, nobis qui credimus virtus est et sapientia. *Christus enim Dei virtus est, et Dei sapientia* (I *Cor.* I, 24), ut propter id quod stultitia dicebatur, fatuum Dei sapientius fieret hominibus: et propter id quod infirmitas et scandalum, infirmum Dei fortius fieret hominibus. Cum autem, inquit, crucis Christi scandalum maneat, et ego persecutionem patiar, quam non paterer, si scandalum non maneret: frustra quidam jactitant me circumcisionem prædicare, quam impugnando sustineo persecutionem.

(Vers. 12.) *Utinam et abscindantur qui vos conturbant.* Quæritur quomodo Paulus discipulus ejus qui B ait: *Benedicite maledicentibus vobis.* Et ipse loquens: *Benedicite et nolite maledicere* (*Rom.* XII, 14). Et in alio loco: *Neque maledici regnum Dei possidebunt* (I *Cor.* XV): nunc et maledixerit eis, qui Ecclesias Galatiæ conturbant [*Al.* conturbabant], et cum optantis voto maledixerit: *Utinam et abscindantur qui vos conturbant.* Tam enim detestanda abscisionis est passio, ut et qui invitis eam intulerit, legibus publicis puniatur, et qui seipsum castraverit, infamis habeatur. Ut enim illud, aiunt, verum sit: *Vivit in me Christus* (II *Cor.* XIII, 3); et hoc: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* certe maledictionis vox non potest ejus intelligi, qui dicit: *Discite a me, quia humilis sum, et mitis, et mansuetus corde* (*Matth.* XI, 29). Et magis putatur Judaico fu- C rore, et quadam effrenata insania se non potuisse cohibere, quam imitatus esse eum, qui tamquam agnus coram tondente se, non aperuit os suum, et maledicentibus non remaledixit (*Isai.* LIII). Tradidit autem 492 se morti condemnatus. Ad quod qui pro Paulo respondebit, hæc dicet: non tam furoris in adversarios, quam dilectionis in Ecclesias Dei, verba esse quæ locutus sit. Videbat quippe totam provinciam, quam ipse suo sanguine, et periculis ab idololatria, ad Christi transduxerat fidem, subita persuasione turbatam, et dolore apostolico, dolore patris, se tenere non poterat: mutabat vocem, et quibus blanditus fuerat, irascebatur, ut quos nequiverat lenitate, saltem objurgatione retineret. Nec mirum esse si Apostolus, ut homo, et adhuc vasculo clausus infirmo, D vidensque aliam legem in corpore suo captivantem se, et ducentem in lege peccati, semel fuerit hoc locutus, in quod frequenter sanctos viros cadere perspicimus. Sed et illud dici potest (licet superfluum quibusdam esse videatur) quod Paulus non tam maledixerit eis, quam oraverit pro illis, ut eas partes corporis perderent, per quas delinquere cogebantur. Et quomodo in Evangelio dictum est: melius esse aliquem sine oculo, et sine manu, et sine pede, et qualibet alia parte membrorum intrare in regnum cœlorum, quam totum ire in gehennam (*Matth.* XVIII): ita et nunc optare eis magis unam partem corporis perdere, quam per occasionem integri corporis perpetuo igne damnari. Hic locus si quando ab ethnicis reprehenditur, quomodo eis responderi possit, ostendimus. Nunc a nobis contra hæreticos proferatur, Marcionem videlicet, et Valentinum [b] et omnes qui contra vetus latrant Testamentum, qua ratione illi qui Creatorem sanguinarium, severum bellatorem, et tantum judicem criminantur, hoc in Apostolo Dei boni valeant excusare. Et certe nullam [c] puto in veteri Lege tam trucem, tam cruentam in aliquo esse sententiam, quam, *utinam abscindantur qui vos conturbant.* Nec possunt dicere orasse Apostolum pro inimicis Christi, qui ejus Ecclesias conturbabant. Nec ex dilectione prolatum, quod tumore et indignatione plenum, ipso verborum pondere demonstratur. Quidquid ergo illi pro Apostolo excusationis attulerint, 494 hoc non pro Lege veteri defendemus.

(Vers. 13.) *Vos enim in libertatem vocati estis, fratres: tantum ne libertatem in occasionem carni* (subauditur) *detis:* quod quia in Græco non habetur, Latinus posuit interpres. Hunc locum quia valde obscurus est, de decimo [d] Stromatum libro transferri placuit ad verbum. Non quo singula non possint suis locis et sensibus explanari; sed quo a superiori negotio separata, unum difficile corpus efficiant: et si sic intelligantur ut resonant, inconsequenter et abrupte repugnare inter se et scatere videantur. Origenis itaque hæc verba sunt: « Difficilis locus est: et ita nobis disserendus videtur. Qui liber est, et altiori sensu spiritum, et veritatem sequitur, præcedentes et typos contemnit et litteram: non idcirco debet minores despicere, et occasionem dare his qui non possunt sentire sublimius, de se penitus desperandi. Licet enim infirmi sint et caro comparatione spiritus appellentur: caro tamen Christi sunt. Si enim intelligit mysterium charitatis infirmioribus [e] servientis, faciat aliquid propter infirmos: ne in scientia sua frater pereat, pro quo Christus est mortuus. Diligenter itaque attende, an ex consequentibus sensus iste texatur. *Vos*, inquit, *fratres, in libertatem vocati estis:* forsitan ideo, quia non omnes vocationem capere poterant libertatis. Propter quod nunc auditis: *Tantum ne libertatem in occasionem detis carni.* Per dilectionem enim oportet minoribus servire majores: quia qui vult esse major, erit omnium servus

[a] Codex Palatin., *ultra procedere. Sed hæres, crux que apud Judæos scandalum est.*

[b] Interserunt duo e nostris codd. hic vocem *Manichæos.*

[c] Iidem mss. et Victor, ex parte, *nulla puto inveniri Lege, tam trucem, tam cruentam in aliquo esse sententiam.*

[d] Hunc ipsum et in priori præfatione Hieron. laudat decimum Stromatum Origenis librum, quem ait, *commatico super explanationem ejus* (Pauli ad Galatas) *sermone completum.* Liber jamdiu olim intercidit: hocque puto maximum ejus superesse Operis ἀποσπασμάτιον, quod hic exhibet Latine Hieronymus.

[e] Palat. ms., *infirmioribus serviens faciat aliquid*, etc.

(*Matth.* xx; *Marc.* x). Neque ergo spiritualis laceret Christi carnes : neque occasionem illis tribuat, ut se remordeant provocantem ne ab invicem consumantur. Oportet ergo spiritu ambulantem, et spiritu Scripturarum verba sectantem, non perficere desiderium carnis earum. Si autem hoc quod dicitur : *Spiritu ambulate, et desiderium carnis non perficietis*, simpliciter intelligimus (ut plerique arbitrantur) contra argumentum et hypothesin totius Epistolæ, in hæc subito Paulus erumpet; **495** statim quippe sequitur : *Si autem spiritu ducimini, non estis sub Lege.* Et cum hucusque aliqua ex parte sibi sermo cohæreat, rursum si simplicem intelligentiam sequamur, ad inordinata repente præcepta nos transfert, de carne et spiritu disserens, id est : *Manifesta autem sunt opera carnis illa et illa.* Et econtrario : *Fructus autem spiritus, est charitas*, et reliqua. Sed neque in his consequentiam desperare debemus : quia opera carnis divinorum voluminum historia continet; non valde eos juvans qui sic eam intelligunt, ut scripta est. Quis enim non docebitur servire luxuriæ, et fornicationem habere pro nihilo : cum Judam ad meretricem legerit ingredientem (*Gen.* xxviii) ; et patriarchas habuisse multas pariter uxores? Quomodo non ad idololatriam provocabitur, qui sanguinem taurorum, et cæteras Levitici victimas non plus quam quod in littera sonat, putaverit indicare? Quod autem inimicitias, in aperto positus Scripturæ sermo doceat, et ex hoc loco probatur : *Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram* (*Ps.* cxxxvi, 8, 9). Et ex illo : *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ* (*Ps.* c, 8), et cætera his similia : de contentionibus videlicet, æmulatione, ira, rixis, dissensionibus. Ad quæ (si [a] non altius aliquid sentiamus) provocant nos magis historiæ exempla, quam prohibent. Hæreses quoque magis de carnali Scripturæ intelligentia, quam de opere carnis nostræ, ut plurimi æstimant, substiterunt. Necnon invidiam et ebrietates per Legis litteram discimus. Inebriatur Noe post diluvium, et patriarchæ apud fratrem Joseph in Ægypto (*Gen.* ix *et* xliii). Sed et comessationes in Regnorum libro scriptæ sunt; saltante David et concrepante tympanis coram Arca testamenti Dei (I *Reg.* vi), et his similia. Quæritur quomodo ad veneficia, et ad maleficas artes, simplex Scripturæ divinæ sermo qui dicitur caro, [b] nos provocet : nisi ad ejusdem Scripturæ spiritum transcendamus. Puto hoc significare, decies Danielem, et tres pueros, magis, incantatoribus, et Gazarenis **496** atque Chaldæis sapientiores repertos, et Moysen omni sapientia et doctrina Ægyptiorum eruditum. Multorum ergo malorum occasio est, si quis in Scripturæ carne permaneat. Quæ qui fecerint, regnum Dei non consequentur. Quamobrem spiritum Scripturæ fructusque quæramus, qui non dicuntur esse manifesti. Multo quippe labore et sudore, et digno cultu in Scripturis fructus spiritus invenitur. Unde arbitror, Paulum diligenter et caute de Scripturæ sensibus dixisse carnalibus : *Manifesta autem sunt opera carnis* (*Galat.* v, 19). De spiritualibus vero non ut ibi posuisse, *manifestus est fructus spiritus*; sed ita : *Fructus autem Spiritus, est charitas, gaudium, pax*, et reliqua (*Ibid.*, 22). Quod si relictis typis, ad veritatem Scripturæ transeamus et spiritum, statim nobis prima charitas panditur, et ad gaudium inde gradientes, pervenimus ad pacem, per quam consequimur patientiam. Quis autem non ad miserationem et bonitatem erudiatur, cum etiam ea quæ quibusdam tristia putantur in Lege supplicia dico et prælia, et eversiones gentium, et comminationes ad populos per prophetas, magis remedia intellexerit esse, quam pœnas? Non enim in æternum irascetur Dominus (*Isai.* lvii). Cum hæc ergo nobis aperta fuerint, rationabiliorem habebimus fidem, et correctos mores temperantia comitabitur, quam continentia [c] sequetur et castitas ; et post hæc omnia incipiet esse Lex pro nobis. » Hucusque Origenes. Quibus nos possumus addere, ut dicamus de servitute legali ad Evangelii libertatem vocatos (quibus superius dicitur : *State, et nolite rursum jugo servitutis hærere*) etiam nunc moneri, ut leve Christi jugum et delectabilia Evangelii præcepta sectantes, nequaquam putent sibi licere, ut hac ipsa libertate vivendi, in occasione carnis utantur : scilicet ut juxta carnem vivant, juxta carnem circumcidantur : sed spiritu magis stent, spiritu præputium carnis abscindant, et ad spiritus altiora tendentes, humilitatem litteræ derelinquant. Potest autem et aliter intelligi. Discat quispiam : Si cessavi, o Paule, esse sub Lege, et de servitute **497** libertatem vocatus sum : ergo debeo ita vivere ut convenit libertati, nec aliquibus præceptis teneri, sed quodcumque placuerit, et voluntas suggesserit, hoc facere implere, sectari. Ad quod respondit Apostolus : Vocatos quidem nos esse in spiritus libertatem : sed ita, ut libertas ipsa carni non serviat. Nec putemus quia nobis omnia licent, omnia expedire : quin potius quia servi Legis esse cessavimus, facti liberi, magis per charitatem nobis invicem serviamus, ut laciniosæ Legis præcepta, uno dilectionis capitulo concludantur.

(Vers. 14.) *Sed per charitatem servite invicem, omnis enim lex in uno sermone impletur. Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Qui cum esset liber ex omnibus, omnium se propter charitatem servum fecit, ut plures lucrifaceret (I *Cor.* xiii), recte hortatur et cæteros, ut per charitatem sibi serviant : quæ non quærit quod suum est, sed quod proximi. Qui enim vult fieri primus, erit omnium servus (*Marc.*, x, 44): ut quomodo Salvator in forma Dei constitutus, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed seipsum exinanivit, formam servi accipiens, et ha-

[a] Contrario sensu unus Palatin. absque negandi particula, *si altius aliquid.*

[b] Idem ms., *caro ejus nos provocet.* Mox quoque pro *decies*, habet, *dici eos.*

[c] Antea legebatur, *continentiam;* legunt nostri mss. in recto.

bitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II) : ita et nos quæcumque ante sub Legis necessitate facere videbamur, nunc sciamus, nobis liberis, magis per charitatem esse facienda. Tantum autem bonum est charitas, ut omnis lex in illa recapituletur. Enumerat et in alio loco Apostolus charitatis bona, dicens : *Non zelatur, non agit perperam* (I *Cor.* XIII, 7, 8). Multisque in medio replicatis, in fine concludit : *Omnia sperat, omnia sustinet, charitas numquam excidit.* Et Salvator in Evangelio, hoc signum sui, ait, esse discipuli, si [*Al.* ut] diligat proximum (*Matth.* XXII). Quod quidem puto non solum hominibus, sed etiam angelis convenire. Aliis verbis idipsum dicitur : *Quæ vobis fieri non vultis, aliis ne feceritis, et quæ vultis ut vobis faciant homines, hæc eadem et vos eis facite similiter* (*Ibid.*, VII, 12). Nolo adulterari uxorem meam, nolo substantiam diripi, nolo me falso opprimi testimonio, et ut cuncta brevi sermone comprehendam, indigne fero aliquid mihi fieri quod injustum est. Hæc eadem si **498** per charitatem in me operantem, vel fecero alteri, vel voluero, lex omnis impleta est. Nec difficile est docere quomodo universa præcepta, non occides, non adulterabis, non furaberis, non falsum testimonium dices, et cætera his similia, una charitatis observatione teneantur. Hoc ostendere arduum est, quomodo hostiæ quoque, quæ in Levitico sunt præceptæ, et ciborum vel abstinentia, vel permissio, cum alia munda, alia dicantur immunda, solemnitatum quoque jugis per annos recursus, in uno charitatis præcepto recapitulentur. Nisi forte quis illo se transferat, ut affirmet Legem spiritualem esse, et imaginibus et exemplaribus nos cœlestium deservisse, antequam verus Pontifex adveniret : qui postquam semel seipsum offerens victimam, suo sanguine nos redemit, omnis illa priscæ Legis varietas, et difficultas, in ipsius super homines dilectione completa est. Intantum quippe Pater amavit mundum, ut Filium suum charissimum, et unigenitum daret pro nobis. Ei autem qui semel spiritu vivens, opera carnis mortificavit, et a Salvatore dilectus, nequaquam servus, sed amicus vocatur, non est ultra Lex posita, quæ impiis et peccatoribus, et non subjectis et nefariis constituta est. At nunc cum omnia quæ difficiliora sunt, vel modica ex parte faciamus, hoc solum non facimus, quod et factu facilius est, et absque quo cassa sunt universa quæ facimus. Jejunii corpus sentit injuriam : vigiliæ carnem macerant : eleemosynæ labore quæruntur : sanguis in Martyrio, quamvis ardeat fides, tamen sine dolore et timore non funditur. Hæc omnia sunt qui faciant : sola charitas sine labore est. Et quia sola cor mundum efficit, a A diabolo expugnatur in nobis, ne Deum pura mente videamus. Quando enim sedens loquor contra fratrem meum, et contra filium [a] matris meæ pono scandalum (*Ps.* XLIX, 20), quando aliena torqueor felicitate, et alterius bonum, meum malum facio, nonne hoc quod sequitur, in me expletur : *Si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini?* Charitatis [b] rara possessio est. Quis vult ipse anathema esse a Christo pro fratribus suis, Apostolum sequens? Quis **499** cum lugentibus lugens, cum gaudentibus gaudens, alieno vulnere vulneratur? Quis fratris morte perimitur? Omnes magis amatores nostri, quam amatores Dei sumus. Vide quantum bonum sit charitatis. Si ita martyrium fecerimus, ut nostras velimus ab hominibus reliquias B honorari : si opinionem vulgi sectantes, intrepidi sanguinem fuderimus, et substantiam nostram usque ad mendicitatem propriam dederimus, huic [*Al.* hinc] operi non tam præmium quam pœna debetur : et perfidiæ magis tormenta sunt, quam corona victoriæ.

(Vers. 15.) *Quod si invicem mordetis, et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Potest hoc et simpliciter accipi, ne detrahamus invicem, ne maledicto nos putemus ulcisci, ne contristati contristare cupiamus, et similes bestiarum, mordere pariter et remorderi, ut post morsus sequatur interitus atque consumptio. Melius autem est, ne contra rationem et totius Epistolæ consequentiam, subito in extraordinaria præcepta, Paulus erumpat, hoc C ita intelligere, ut ad circumcisionem observationemque Legis cuncta referamus. Si vos, inquit, conturbant alii, vos autem conturbamini. Si totam Scripturam veterem legentes, sic intelligitis ut scripta est : *Oculum pro oculo : dentem pro dente* (*Deut.* XIX, 21), et ira desiderat ultionem, ultio vero imponit dolorem : quod Lex non solum non prohibet, verum etiam præcipit, justitiam in talione restituens, sequitur, ut et nudatus nudet, et vulneratus revulneret, et [c] comestus remordeat, et quæ videtur justitia esse, comsumptio sit, non unum vindicans, sed utrumque consumens.

(Vers. 16.) *Dico autem : Spiritu ambulate, et desiderium carnis non perficietis.* Et hoc **500** secundum superiora dupliciter accipiendum, ut dicamus eos D qui spiritu opera carnis mortificaverint et seminaverit in spiritu, ut de spiritu metant vitam æternam, quotiescumque voluptatem carnis senserint titillare, non perficere desiderium ejus (quod quidem si expletum fuerit, blandiri videtur ad tempus), sed spiritu refrenare, et secundum sententiam Historici (Sallust.) [d], Animi imperio, corporis servitio magis vivere. Nec non et illud, quia Lex spiritualis est (*Rom.* VII), et non [e]

[a] Martian. legerat, *fratris mei*, pro, *matris meæ*, dissentientibus mss. et sacro, quem alludit Hieronymus textu.

[b] Codex Palatinus sub asserentis nota, *Charitas cara* (sec. man. *rara*) *possessio est ei, qui vult ipse anathema esse*, etc.

[c] Rectius Palat. ms. *et conrosus remordeat*. Corrupte autem ante tres versus, *justitiam in tali onere instituens*, pro, *in talione restituens*.

[d] Idem ms. cum negandi particula, *blandire non videtur*. Est porro Salustii, quam laudat, sententia *Animi imperio, corporis servitio magis utendum.*

[e] Duo mss. *non quia in manifesto Judæus, sed quia in occulto, et circumcisionem cordis in spiritu, non*

qui in manifesto Judæus, sed qui in occulto, et circumcisio cordis in spiritu, non littera, eos ambulare spiritu, et carnis desiderium non perficere dicimus, qui spiritualiter egrediuntur Ægyptum, et spiritualem escam potumque de spirituali hauriunt petra, qui non judicantur in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ et sabbati, sed ambulant in omnibus spiritualiter, non perficientes carnem legis, litteræve desiderium, sed fructus metentes intelligentiæ spiritualis. Tertia quoque interpretatio a quibusdam in hoc loco dicta est, sed quæ non multum discrepet a secunda, ut desiderium carnis in his asserant esse qui parvuli in Christo sunt : iter autem spiritus in perfectis viris, et esse sensum : In gravitate spiritus, id est, in itinere viri ambulate perfecti, et non facietis desideria parvulorum.

(Vers. 17.) *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Caro præsentibus delectatur et brevibus : spiritus perpetuis et futuris. Inter hoc jurgium media [a] anima constitit, habens quidem in sua potestate bonum et malum, velle et nolle, sed non habens hoc ipsum velle ac nolle perpetuum : **501** quia fieri potest, ut cum carni consenserit, et opera ejus fecerit, rursum per pœnitentiam se remordens, spiritui copuletur, et opera ejus efficiat. Hoc est ergo quod ait : *Hæc enim sibi invicem adversantur*, id est, caro et spiritus : *ut non quæcumque vultis, illa faciatis*. Non quo proprium nobis tulerit arbitrium, quo vel carni, vel spiritui assentiamur : sed quia quod facimus, non est nostrum proprie, sed opus ipsum vel carni, vel spiritui deputatur [*Al.* deputetur]. Grandis laboris et disputationis est nimiæ, ostensis carnis operibus et spiritus, media aliqua reperire, quæ nec ad carnem videantur pertinere, nec ad spiritum. Carnales dicimur, quando totos nos voluptatibus damus. Spirituales, quando Spiritum sanctum prævium sequimur, id est, cum ipso sapimus instruente, ipso docemur auctore. Animales reor esse philosophos, qui proprios cogitatus putant esse sapientiam, de quibus recte dicitur : *Animalis autem homo non recipit* [Al. *percipit*] *ea quæ sunt spiritus. Stultitia quippe est ei*. Quod ut manifestius fiat, aliquod sumamus exemplum : Caro, terra, anima, aurum, spiritus, ignis vocentur. Quamdiu aurum fuerit in terra, perdit vocabulum suum, et a terra cui commixtum est, appellatur. Cum vero separatum ab humo, auri et speciem et nomen acceperit, aurum quidem dicitur, sed necdum probatum. Si autem per ignem excoctum fuerit et purgatum, tunc auri splendorem, et ornatus sui accipit dignitatem. Ita et anima inter humum et ignem, hoc est, inter carnem spiritumque consistens, quando se tradiderit carni, caro dicitur ; quando spiritui, spiritus appellatur. [b] Quod si proprio crediderit cogitatui, et absque gratia Spiritus sancti invenire se æstimaverit veritatem, quasi aurum sordidum, animalis hominis appellatione signatur [*Al.* signabitur]. Potest locus iste sic melius explanari, et quasi una series corpusque fieri, se invicem nectens, sibique non discrepans. Fratres, de servitute Legis vocati estis in Evangelii libertatem. Verum obsecro vos, ne libertate pro licentia abutamini, et putetis vobis cuncta expedire quæ licent : detisque occasionem **502** carni atque luxuriæ. Quin potius discite quod libertas hæc major sit servitus, ut quod ante Lex ab invitis extorquebat obsequium, nunc per charitatem vobis invicem serviatis. Siquidem omne illud Legis onus, et multiplicia præcepta, non tam exclusa sunt per Evangelii gratiam, quam uno charitatis sermone breviata, ut diligamus proximum sicut nosmetipsos. Qui enim diligit proximum, totam legem implet (*Matth.* XXII), bona ei tribuens, mala non inferens. [c] Quod si cesset dilectio, et non sit charitas, per quam lex universa completur, publicum quoddam inter homines latrocinium erit, ut contra se invicem defurentes [*Al.* deferentes], seque mordentes, consumantur ab invicem. Vos autem fratres, propterea secundum spiritualem legem debetis vivere, ne desideria quæ carnis sunt, perficiatis. Caro enim frigus timet, aspernatur famem, attenuatur vigiliis, libidinibus exardescit, mollia quæque et jucunda desiderat. E contra spiritus, ea quæ carni contraria sunt, et quæ illam debilitare queant, expetit. Et ita fit, ut non ideo quia sub servitute Legis esse cessastis, putetis esse vos liberos : sed sciatis magis naturæ vos lege

littera. Eos itaque ambulare spiritu et carnis desiderium non perficere jubet, qui spiritualiter, etc.

[a] Origeniana sententia hæc est, animam mediam esse quodammodo spiritum inter et carnem : *Cum dicitur*, inquit ille lib. I. in Epistolam ad Romanos I, *quia caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, media procul dubio ponitur anima, quæ vel desideriis spiritus acquiescat vel ad carnis concupiscentias inclinetur*. His paria in plerisque ejus libris invenire est : nec profecto dubitandum, quin ab illo, ad cujus se imitationem contulisse non diffitetur. Hieronymus doctrinam hanc hauserit. At certum quoque est, in bonam accipi posse partem, et quem spiritum dicunt, ex eorummet sensu auctorum pro animæ ἡγεμονικῷ, sive, *principali*, debere intelligi : pluresque alios Patres occurrere, qui hoc sensu superiorem animæ quasi partem spiritus appellatione donent. Unus pro cunctis Augustinus, lib. II de Genesi ad lit. cap. 12, laudari possit, ubi animam tamquam in medio positam nonnumquam a carne ad vitia deprimi, nonnumquam a spiritu ad virtutem erigi, scribit. Plures vero quam qui possint indicari in ejus Operibus loci sunt, in quibus spiritum carnis adversarium pro animæ principali plane juxta Origenem intellexit. Ex quo mirum magis est, quod Pelagianismi hanc sententiam accuset Jansenius, *omniumque omnino Pelagianorum, quorum scripta videre potuit*, propriam dicat, cum luculenter adeo nedum Hieronymo probetur, sed et Augustino, cujus summa contra illos hæreticos sententia atque auctoritas fuit.

[b] Duo mss. : *Quando se proprio tradiderit cogitatui*, etc.

[c] In Palatin. mss. : *Quasi si cesset dilectio* : secunda manu : *quasi sic esset dilectio*.

retineri, quia non statim si lex non imperat, et natura cessavit, ne voluntatem scilicet vestram, opera subsequantur, sed frequenter ea facere compellamini, repugnante carne adversus spiritum, quæ facere non vultis. Ex quo, fratres, obsecro, ut non detis libertatem vestram in occasionem carnis, sed magis spiritui serviatis, ut incipiatis ea facere quæ vultis, et nihil debere legi, id est, non esse sub carne. Quia libertatem [a] legis abolitæ tunc vere in Evangelio habere poteritis, cum vos nequaquam caro compulerit facere quæ non vultis, sed spiritui servientes, docueritis vos non esse sub Lege. Et quia supra secundum duplicem intelligentiam hunc locum cœperamus exponere, reddenda sunt quæ omisimus. Caro concupiscit adversus spiritum, id est, historia et Scripturæ carneus intellectus, contra allegoriam et spiritualem doctrinam repugnat. Spiritus autem adversus carnem, id est, sublimiora dejectis, æterna brevibus, umbræ veritas refragatur. **503** Et carneus Scripturæ sensus, qui adimpleri [*Al.* quia impleri] non potest (nec enim valemus omnia quæ scripta sunt facere) ostendit nos non in nostra potestate Legis explendæ, cum etiam si velimus litteram sequi, impossibilitas non admittat.

(Vers. 18.) *Quod si spiritu ducimini, non estis sub Lege.* Spiritum non eum, de quo Apostolus in alio loco loquitur : *Ipse Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod sumus filii Dei* (*Rom.* VIII, 16), id est, non spiritum hominis qui in ipso est, sed Spiritum sanctum significat : quem sequentes, efficimur spirituales, et sub Lege esse desistimus. Notandum ergo quod hic spiritus non cum ἄρθρῳ (*articulo*), et cum additamento aliquo, sicut in cæteris legimus, spiritum mansuetudinis, et spiritum fidei : sed simpliciter Spiritus appellatur : quæ quidem minutiæ magis in Græco, quam in nostra lingua observatæ (qui ἄρθρα penitus non habemus) videtur aliquid habere momenti. Quæritur in hoc loco, si quicumque spiritu ducitur, non est sub Lege, utrum Moses et prophetæ, vel spiritu acti sint, et sub Lege vixerint, quod Apostolus negat : aut habentes spiritum, sub Lege non fuerint, quod Apostolus hic affirmat : aut quod est tertium, sub Lege viventes, spiritum non habuerint, quod de tantis viris nefas est credere. Ad quod nos breviter respondebimus : Non idem esse sub Lege esse, et esse quasi sub Lege : quomodo non idipsum est, in similitudine carnis peccati, et in carne esse peccati. Nec idem sonat verus serpens, et æris similitudo serpentis, quem Moyses in eremo suspendit (*Num.* XXI). Sic igitur et sanctos prophetas, et Moysen, ambulantes spiritu, et spiritu viventes, non sub Lege, sed quasi sub Lege vixisse, ut ipsi viderentur quidem esse sub Lege; sed eos qui sub Lege erant lucrifacerent, et ab humilitate litte-

A ræ, ad altitudinem spiritus provocarent. Nam et Paulus qui Judæis Judæus factus est, et omnibus omnia, ut omnes lucrifaceret (I *Cor.* IX) : non dixit, *factus sub Lege*, sed, *factus quasi sub Lege*, ut ostenderet se non veritatem Legis, sed similitudinem custodisse. Videmur nobis solvisse propositam quæstionem. Sed quid faciemus de illo Pauli capitulo **504** dicentis : *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant, redimeret* (*Supra*)? Si enim Christus sub Lege fuit, et non quasi sub Lege, tota illa superior disputatio vacua fiet. Verum et hæc oppositio de suo solvetur loco. Qui enim propterea factus sub Lege est, ut eos qui erant sub Lege, redimeret, utique cum esset liber a Lege,

B Legi se subdidit voluntate : et multo erat Paulo liberior, qui non sub Lege, sed quasi sub Lege se fuisse testatus est. Et quomodo in cœnum et barathrum mortis propter nos descendit, qui orabamus dicentes : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII, 24)? ita et ex muliere nasci voluit, et esse sub Lege, ut eos qui nati erant de muliere, et sub Lege, salvaret. Et certe non est natus de muliere, id est, de nupta, sed de virgine. Verum abusive virgo mulier appellata est, propter eos qui illam fuisse virginem nesciebant. Ut itaque propter illos, qui sanctam Mariam arbitrabantur [b] maritum habere, mulier pro virgine posita est : sic propter eos qui æstimabant Christum esse sub Lege, nescientes quia factus esset his qui erant sub Lege, quasi sub

C Lege, dicitur et ipse factus esse sub Lege.

(Vers. 19-21.) *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia,* [c] *luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis sicut et prædixi : quoniam qui hæc agunt, regnum Dei non possidebunt :* Superius cum exponeremus de carne et spiritu, triplicem intelligentiam dixeramus: vel eos esse carneos, qui parvuli et corporei, in Christo solidum cibum, et perfectæ ætatis alimenta capere non possent : vel carnales eos esse, qui more Judaico historiam tantum sequerentur et litteram : aut certe, juxta simplicem sensum, in hominis fictione carnem spiritumque subsistere, et juxta diver-

D sitatem substantiæ, vel opera carnis esse, vel spiritus. Nunc ergo quæ hic carnis opera nominantur, fornicatio videlicet, immunditia, luxuria, et cætera quæ sequuntur, magis mihi videntur ad simplicem carnis **505** et spiritus intelligentiam, quam ad carnem Legis, et parvulos in Christo referri, licet in eo loco, ubi supra de decimo Origenis Stromate verbum transtulimus ad verbum, quid etiam de his sentiri possit, [d] expressum sit. Quod autem ait : *Manifesta*

[a] Idem mss., *libertatem carnis abolitæ.*
[b] Verbum *habere* duo mss. nesciunt, et pro *maritum*, legunt *maritatam* ; concinnius *maritam* legas.
[c] Interserunt duo mss. *impudicitia*, quam vocem in fine subnexæ expositionis testatur ipsemet Hieronymus, *in Latinis codicibus in hoc catalogo vitiorum scriptam referri.*
[d] Pro verbis, *expressum sit*, nostri mss. habent, *exemplo præsumpsi* : haud scio num verius.

autem sunt opera carnis, vel omnibus ea nota esse A demonstrat : quia per se pateant mala esse et fugienda, intantum ut etiam hi qui ea faciunt, cupiant occultare quod faciunt. Vel certe his tantum manifesta, qui in Chritso crediderint. Plurimi quippe gentilium in suis ignominiis gloriantur, et putant si expleverint voluptatem, quamdam se turpitudinum victoriam consecutos. Sed et illud eleganter, quod in carne opera posuit, et fructus in spiritu : quia vitia in semetipsa finiuntur et pereunt, virtutes frugibus pullulant et redundant. Nec putemus animæ nullum esse opus, si vitia carni, virtutes spiritui deputentur. Quia anima (ut supra diximus) in quodam meditullio posita, vel carni jungitur, et dicitur de ea : *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia carnes sunt* (*Gen.* VI, 3) ; vel spiritui copu- B latur, et in spiritus vocabulum transit. *Qui enim adhæret Domino, unus spiritus est* (I *Cor.* VI, 17). Primum itaque carnis opus, est fornicatio. Manifesta in exordio posuit, ne de mediis ambigamus. Omne enim quodcumque fecerit homo, extra corpus est : qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Et non sumus nostri : empti enim sumus pretio, glorificemus et portemus Deum in corpore nostro. In eo fornicator majoris est criminis : quia tollit membra Christi, et facit ea membra meretricis. Erunt quippe duo in carne una. Qui non est fidelis, nec credit in Christo, sua membra facit membra meretricis : qui credit et fornicatur, Christi membra facit membra meretricis. Econtrario infidelis in fornicatione sua utrum violet, an ædificet templum idolo, nescio. C Per vitia quippe vel maxime dæmones coluntur. Hoc unum scio : quod qui post fidem Christi fornicatur, violat templum Dei. Secundum opus carnis, immunditia nuncupatur, et eam comes luxuria sequitur. Quomodo enim in veteri Lege de nefandis criminibus, quæ in occulto **506** fiunt, et ea nominare turpissimum est (ne et dicentis os et aures audientium polluerentur) generaliter Scriptura complexa est, dicens : *Verecundos*, vel *reverentes facite filios Israel ab omni immunditia* (*Levit.* XV, 31) : sic in hoc loco cæteras extraordinarias voluptates, ipsarum quoque opera nuptiarum, si non verecunde, et cum honestate, quasi sub oculis Dei fiant, ut tantum liberis serviatur, immunditiam et luxuriam nominavit. Quartum, in catalogo operum carnis, D idololatria locum tenet. Qui enim semel se luxuriæ voluptatique permiserit, non respicit Creatorem. Alias autem omnis idololatria, festivitate, gula, ventre, et his quæ infra ventrem sunt, delectatur. Et ne forsitan veneficia, et maleficæ artes non viderentur in novo prohibitæ Testamento, ipsæ quoque inter carnis opera nominantur. Quia sæpe magicis artibus, et amare miseris evenit et amari. Inimicitia quoque, quæ post veneficia ponitur, quem habeat reatum, [a] manifesti criminis subjectio declarat.

Quantum enim in nobis est, nullius esse debemus inimici, sed cum omnibus habere pacem. Quod si loquentes veritatem, aliquos meremur inimicos : non tam nos inimici eorum sumus, quam illi inimici sunt veritatis. Nam quod et in Genesi dicitur ad Abraham : *Inimicus ero inimicis tuis : et adversabor adversantibus tibi*, sicut supra intelligendum, non tam Abraham illis inimicum fuisse, quam illos Abrahæ virtutibus et religioni, per quam, calcatis idolis, cognitum venerabatur Deum. Illud quoque quod populo præcipitur Israel, ut odio sempiterno, et in posteros transmissa discordia, inimici sint Madianeis (*Num.* XXXI), quasi his dicitur, qui sub pædagogo erant, et in alio loco merebantur audire : *Odio habebis inimicum tuum* (*Matth.* V, 43). Aut certe non tam personarum, quam morum est facta dissensio : ut quomodo Deus utiliter inter serpentem et mulierem inimicitias posuit, ne amicitiæ eorum inutiles essent homini, per quas projectus est de paradiso : ita et in Israelitis, et Madianeis vita magis dissimilis, quam gens una damnata est. Septimum locum inter carnis opera, contentio possidet, quodam quasi sacrato, et eminenti **507** inter vitia numero collocata. *Servum autem Domini non oportet rixari, sed esse mansuetum ad omnes, doctorem, longanimem, cum mansuetudine erudientem, etiam eos qui econtra disputant* (II *Tim.* II, 24, 25). Post contentionem, octava succedit æmulatio, quæ Græco sermone ζῆλος significantius et notius appellatur. Quo quidem malo, nescio quis nostrum careat. Zelati sunt enim, et patriarchæ Joseph fratrem suum : et Maria, et Aaron prophetes Dei et sacerdos, contra Moysen tali passione decepti sunt (*Genes.* XXXVII, *Num.* XII) : intantum ut illa de qua Scriptura narraverat, dicens : *Tollens autem Maria prophetes tympanum* (*Exod.* XV, 20), [b] et cætera, postea extra castra projecta, lepræ vitio sordidata sit, et pœnitentiam longiorem septem dierum separatione signaverit (*Num.* XII). Ira deinde succedit, quæ justitiam Dei non operatur (*Jacob.* I), et species est furoris. Inter iracundiam autem et iram, hoc interest : quod iracundus semper irascitur : iratus pro tempore concitatur. Et nescio quis possit regnum Dei possidere : cum is qui irascitur, separetur a regno (*Matth.* V). Rixæ quoque quas aliud Græci significantes, ἐριθείας vocant (siquidem rixa μάχη dicitur) a regno Dei prohibent. Est autem ἐριθεία, cum quis semper ad contradicendum paratus, stomacho delectatur alieno : et muliebri jurgio contendit, et provocat contendentem. Hæc alio nomine apud Græcos φιλονεικία appellatur. Necnon et dissensiones opera carnis sunt : cum quis nequaquam perfectus, eodem sensu, et eadem sententia dicit : *Ego sum Pauli, et ego Apollo, et ego Cephæ, et ego Christi* (I *Cor.* I, 12). Sed et domorum inter se hæc eadem dissensio reperitur : mariti videlicet ad uxorem, patris ad filium, fratris ad fratrem, con-

[a] Penes Victorium, *manifesto crimini subjecta declarat.*

[b] Unus Palatin., *et citharam*, pro *et cætera.* Mox quoque vocem *separatione* ignorat.

servi ad conservum, militis ad contubernalem, artificis ad ejusdem operis artificem. Nonnumquam evenit, ut et in expositionibus Scripturarum oriatur dissensio: e quibus hæreses quoque quæ nunc in carnis opere ponuntur, ebulliunt. Si enim sapientia carnis inimica est Deo (*Rom.* VIII) (inimica autem sunt omnia dogmata falsitatis Deo repugnantia) consequenter et hæreses inimicæ Deo, ad carnis opera referuntur. Αἵρεσις autem Græce, ab electione **508** dicitur: quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem. Quicumque igitur aliter Scripturam intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, quo conscripta est: licet de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest, et de carnis operibus est, eligens quæ pejora sunt. Hæreses sequitur invidia, quam non putemus idem esse quod zelum. Quia zelus et in bonam partem accipi potest, cum quis nititur ea quæ meliora sunt, æmulari. Invidia vero aliena felicitate torquetur, et in duplicem scinditur passionem: cum aut ipse est aliquid in eo, in quo alium esse non vult: aut alium esse videns meliorem, dolet se ei non esse consimilem. Pulchre quidam de neotericis, Græcum versum transferens, elegiaco metro de invidia lusit, dicens:

Justius invidia nihil est: quæ protinus ipsum
Auctorem rodit, excruciatque animum.

Scripsit et beatus Cyprianus librum de *Zelo* et *Livore* valde optimum: quem qui legerit, non dubitabit annumerare operibus carnis invidiam. Inter invidum autem et invidiosum hoc interest: quod invidus feliciori [a] invidet. Invidiosus autem is est, qui ab alio patitur invidiam. Quartumdecimum locum inter carnis opera ebrietas tenet. Ebriosi quippe regnum Dei non possidebunt. Et Dominus ad discipulos: *Cavete*, ait, *ne forte graventur corda vestra in vino et crapula* (*Luc.* XXI, 34). Vino homini sensus evertitur: pedes corruunt: mens vacillat: libido succenditur: Unde Apostolus clamitat: *Et vinum in quo est luxuria* (*Ephes.* V, 18). Habet unusquisque suæ sententiæ potestatem. Ego Apostolum sequor: in vino esse luxuriam, in vino ebrietatem. Ebrietatem autem et luxuriam inter carnis opera numerari, nec ille potest negare qui eisdem passionibus vincitur. Et licet me quidam in eo libro, quem de servanda virginitate scripsi, reprehendendum putent: quod dixerim adolescentulas ita vinum debere fugere ut venenum: non me sententiæ pœnitebit. Opus quippe ibi magis vini, quam Dei a nobis creatura damnata est: et licentiam tulimus **509** virgini proprio ætatis calore ferventi, ne sub occasione parum bibendi, plus biberet et periret. Alioquin sciebamus, et in Christi sanguinem vinum consecrari: et Timotheo vinum ut biberet, imperatum. Ebrietas autem tam ex vino quam ex cæteris bibendi generibus, quæ vario modo conficiuntur, potest accidere; ex quo et de sancto dicitur: *Vinum et siceram non bibet* (*Luc.* I, 15). Sicera interpretatur *ebrietas*. Et ne quis vinum non bibens, aliud sibi putaret bibendum, exclusa [b] causatio est; dum omne quod inebriare potest, cum vino pariter aufertur. Quintadecima, quæ et extrema inter carnis opera, commessatio est. *Manducavit quippe populus et bibit, et surrexerunt ludere* (*Exod.* XXXII, 6). Semper ebrietati juncta luxuria est. Pulchre quidam non ignobilis orator, cum ebrium de somno describeret excitatum, ait: « Nec dormire excitatus, nec vigilare ebrius poterat. » Qua sententia expressit, quodammodo nec mortuum eum fuisse nec vivum. Longum erat universa carnis opera replicare, et catalogum facere vitiorum. Uno igitur omnia sermone conclusit dicens, *et his similia*. Quæ utinam tam facile vitare possemus, quam facile intelligimus. *Prædico*, inquit, *vobis sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*. Ubi ante prædixerat: *Non regnet*, inquit, *peccatum in mortali vestro corpore, ad obediendum desideriis ejus* (*Rom.* VI, 12). Peccatum omnes istas species habet, in quibus nunc discriminandis plus forsitan quam oportuit, immorati sumus. Ergo in anima, in qua peccatum regnaverit, non potest Dei regnare regnum. *Quæ enim participatio justitiæ et iniquitati? quæ communicatio luci ad tenebras? qui consensus Christo et Belial* (II *Cor.* VI, 14, 15). Et putamus nos regnum Dei consequi, si a fornicatione, idololatria, et veneficiis immunes simus. Ecce inimicitiæ, contentio, ira, rixa, dissensio, ebrietas quoque, et cætera quæ parva arbitramur, excludunt nos a regno Dei. Nec refert [c] uno quis a beatitudine excludatur, an pluribus, cum omnia similiter excludant. In Latinis codicibus, adulterium quoque, et impudicitia, et [d] homicidia, **510** in hoc catalogo vitiorum scripta referuntur. Sed sciendum non plus quam quindecim carnis opera nominata, de quibus et disseruimus.

(Vers. 22.) *Fructus autem spiritus, est charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, adversus hujusmodi non est Lex*. Et quæ alia inter fructus spiritus debuit tenere primatum, nisi charitas, sine qua virtutes cæteræ non reputantur esse virtutes, et ex qua nascuntur universa quæ bona sunt? Siquidem et in Lege, et in Evangelio ipsa obtinet principatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua: et diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Deut.* VI, 5; *Matt.* XXII, 37). Quantis bonis referta sit charitas, et supra breviter perstrinximus, et nunc vel parum dixisse sufficiat: quod dilectio non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliena (I *Cor.* XIII). Et quamvis suo quis vitio inimicus sit diligenti, et tranquillitatem ejus ad odiorum fluctus concitare nitatur: tamen numquam ille turbatur: numquam creaturam Dei odio dignam æstimat. Cha-

[a] Idem ms., *feliciora invidet*, pro *feliciori*.
[b] Palat. ms., *exclusa cautio est*.

[c] Idem ms., *nec refert, si unus quis*.
[d] Duo mss. tacent *et homicidia*.

ritas enim operit multitudinem peccatorum (I *Petr.* IV, 8). Illud quoque quod a Salvatore dicitur: *Non potest arbor bona fructus afferre malos: neque arbor mala, fructus afferre bonos* (*Matt.* VII, 18), non tam de hominibus, quam de fructibus carnis et spiritus, arbitror pronuntiatum: quia nec spiritus umquam potest ea vitia, quæ in carnis operibus numerata sunt, facere; nec caro his fructibus qui oriuntur ex spiritu redundare. Potest autem fieri per negligentiam possidentis, ut spiritus qui versatur in homine, fructus non habeat suos: et econtrario caro operibus suis mortificatis, peccare desistat. Non tamen illo usque procedunt, ut et neglecta arbor spiritus, opera carnis afferat, et arbor carnis exculta, fructus germinet spirituales. In secundo spiritualium fructuum loco, gaudium positum est: quod Stoici quoque qui distinguunt inter verba subtilius, [a] aliud quid esse æstimant quam lætitiam. Gaudium quippe, esse, aiunt elationem animi super his quæ digna sunt exsultantis: Lætitiam vero effrenatam animi elationem, **511** quæ modum nesciat, et in his quoque quæ vitio sint mixta, lætetur. Alii e regione gaudii voluptatem ponunt: non hanc quæ corpus ad libidinem concitat, titillat sensus, dulci blanditur affectu; sed alium huic ὁμώνυμον, quæ sine moderatione, et ullo decore lætitiæ, in risu exaltat vocem suam. Quod si verum est, et eorum inter verba distinctio non fallit et fallitur, consideremus ne forsitan idcirco sit dictum: *Non est gaudere impiis, dicit Dominus* (*Isai.* LVII, 21). Simul autem et illud notandum, quod post dilectionem, gaudium sequitur. Qui enim diligit quempiam, semper in ejus felicitate lætatur. Et si eum viderit aliquo errore deceptum, et peccatorum lubrico concidisse, dolebit quidem, et eruere festinabit: sed non poterit gaudium mutare tristitia, sciens nullam rationabilium creaturarum apud Deum perire perpetuo. Tertius fructus spiritus, est pax, a qua Salomon quoque qui in typo Christi præcessit, nomen accepit. Et de Ecclesia Psalmista canit: *Factus est in pace locus ejus* (*Ps.* LXXV, 2). Et inter octo Evangelii [b] benedictiones scribitur: *Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matt.* V, 9). In primo etiam graduum psalmo cantatur: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus* (*Ps.* CXIX, 6). Nec putemus pacem tantum in eo esse quærendam, si cum alio non jurgemur: sed tunc pax Christi, hoc est, hæreditas nostra nobiscum est, si tranquilla mens nullis passionibus perturbetur. Post pacem sequitur longanimitas, sive patientia: quia utroque modo

A μακροθυμίαν possumus interpretari. Huic contraria est pusillanimitas, de qua scribitur: [c] *Pusillanimus vehementer insipiens: qui vero patiens est, et universa sustentat, vir sapiens* (*Eccli.* VII). Et cum ἱκανῶς *multum sapiens* appellatur, ut in Proverbiis quoque scriptum est: *Longanimus vir, multus in prudentia* (*Prov.* XIV, 29). Benignitas etiam sive suavitas, quia apud Græcos χρηστότης utrumque sonat, virtus est lenis, blanda, tranquilla, et omnium bonorum apta consortio, invitans ad familiaritatem sui, dulcis alloquio, moribus temperata. Denique et hanc Stoici ita definiunt: Benignitas est virtus sponte ad bene faciendum **512** exposita. Non multum bonitas a benignitate diversa est: quia et ipsa ad benefaciendum videtur exposita. Sed in eo differt,
B quia potest bonitas esse tristior, et fronte severis moribus irrugata, bene quidem facere et præstare quod poscitur: non tamen suavis esse consortio, et sua cunctos invitare dulcedine. Hanc quoque sectatores Zenonis ita definiunt: Bonitas est virtus quæ prodest: sive, virtus ex qua oritur utilitas: aut, virtus propter semetipsam: aut affectus qui fons sit utilitatum.

Inter fructus spiritus, septimum et sacratiorem locum fides possidet, quæ etiam alibi inter tres ponitur: spes, fides, charitas. Nec mirum si spes in hoc catalogo non referatur: cum in fide sit quod speratur: et ita eam Apostolus ad Hebræos scribens definiat: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum necdum apparentium* (*Hebr.* XI, 1).
C Siquidem id quod speramus esse venturum, et necdum est in præsenti, fide possidemus, sperantes nos tenere quod credimus. Quæritur quoque quomodo fides in charitate sit posita. Qui diligit, numquam se lædi æstimat: numquam aliud nisi quod diligit [d] et diligitur, suspicatur. Cum autem dilectio procul abfuerit, et fides pariter abscedit. Post fidem mansuetudo numeratur, quæ adversa est iræ, rixis, dissensionibus: et numquam ad sui contraria provocatur, vere de bona spiritus arbore, bonos fructus egerminans. Per hanc famulus Dei Moyses, testimonium Scripturæ meruit accipere, dicentis: *Moyses mansuetus erat, plusquam omnes homines super terram* (*Num.* XII, 3). Super terram, inquit. Super eos enim qui facie ad faciem Deum videbant, esse non pote-
D rat: quia multa sæpe compellimur per carnis facere infirmitatem. De David quoque, licet multi de Domino nostro æstiment prophetatum, quod nos etiam non negamus, Spiritus sanctus in typo venturi ca-

[a] Conferendus Cicero, qui e Stoicorum ore loquitur lib. IV Quæst. Tusculan. idemque inter gaudium, ac lætitiam discrimen ponit. Lactantius quoque lib. VI Divin. Institut cap. 11: *Lætitia*, inquit, *nihil est quam profusum gaudium.* Vide, si lubet, et Cælium Rhodiginum lib. V, cap. 33. Ciceronis locus, *cum ratione animus movetur placide, atque constanter, tum illud gaudium dicitur: cum autem et inaniter et effuse animus exsultat, tum illa lætitia, gestiens vel nimia dici potest.*

[b] Ita et nostri mss. omnes, et Rabbani exemplar, et veteres vulgati libri præferunt. Victorius, eumque secutus Martianæus, rescribunt, *Beatitudines.* — Erasmiana editio retinet lectionem quorumdam mss. vetustiorum codicum, nempe, *inter octo Evangelii benedictiones scribitur.* Quæ lectio optima dici potest, qui Evangelii beatitudines sunt benedictiones a Christo Domino dictæ pacificis, lugentibus et cæteris in octonario numero positis. MART.

[c] Plurium numero nostri mss., *Pusillanimes vehementer insipientes.*

[d] Fortasse rectius verba, *et diligitur*. nostri mss. non habent.

nit: *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus* (*Ps.* cv, 1). A Cujus mansuetudo adversus Saul, Absalon, et Semei, vel maxime claruit (I *Reg.* xxiv: II *Reg.* xv)? Cum alius eum vellet occidere: alius res novas molitus, fraudare imperio niteretur: 513 alius lapides in eum jaciens, et pulverem ventilans, clamaret et diceret: *Egredere, egredere, vir inique* (*Ibid.*, xvi, 7). Extrema continentia in fructibus spiritus collocatur. Quam non solum in castitate debemus accipere, sed etiam in cibo et potu, in ira quoque et vexatione mentis, et detrahendi libidine. Inter modestiam autem et continentiam hoc interest, quod modestia in viris perfectis est, consummateque virtutis, de quibus Salvator ait: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* v, 4). Et de seipso: *Discite a me, quoniam mitis sum, et humilis, et mansuetus corde* (*Matth.* xi, 29). B Continentia vero in via quidem virtutis est, sed necdum pervenit ad calcem: quia cupiditates adhuc in ejus qui se continet, cogitatione nascuntur, et mentis polluunt principale, licet non superent, nec ad opus pertrahant cogitantem. Non solum autem in desideriis et cupiditate, continentia necessaria est, sed etiam in tribus reliquis perturbationibus, dolore scilicet, lætitia et timore. Adversus hujusmodi fructus spiritus, non est Lex. *Justo quippe Lex non est posita: iniquis autem et non subjectis, impiis et peccatoribus* (I *Tim.* i, 9). Lex mihi dicit: *Non adulterabis: non occides, non falsum testimonium dices: non fraudabis: non desiderabis aliena: non perjurabis: non furaberis* (*Exod.* xx, 12 *seqq.*): C si hæc omnia, fructu in me spiritus charitate regnante, non facio, superflua mihi sunt præcepta Legis. Denique et sapientes mundi de philosophia sic opinati sunt, ut quod leges publicæ facere homines necessitate compellunt, hoc illa persuadeat fieri voluntate.

(Vers. 24.) *Qui autem sunt Christi, carnem crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Origenes hunc locum superioribus nectens, ita legit: *Adversus hujusmodi non est Lex, qui* [a] *Christi carnem crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis*: ut non sicut in Latino sonat, eos qui Christi sunt, carnem suam dicat crucifixisse cum vitiis et concupiscentiis; sed Christi carnem ab his cum vitiis et concupiscentiis crucifixam. Et quærit quomodo in his qui fructus spiritus habeant, et adversum quos Lex esse cessavit, crucifixio D carnis Dominicæ ponatur in laude, cum ad Hebræos in vituperatione sit positum: *Rursum crucifigentes in semetipsis Filium Dei, et ostentui* 514 *habentes* (*Hebr.* vi, 6). Pro *rursus crucifigentes*, melius unum verbum compositum in Græco est, ἀνασταυροῦντες, quod nos interpretari possumus, *recrucifigentes*. Primum ergo attendum quod aliud sit crucifigere, aliud recrucifigere. Deinde quia non idipsum sit recrucifigere Filium Dei, et crucifigere carnem Christi cum vitiis et concupiscentiis. Caro quippe Christi non principaliter, et proprie Filius Dei est, sed Jesus Christus, qui cum esset in principio apud Patrem, Verbum Deus caro factus est, et seipsum exinanivit, formam servi accipiens, ut crucifigeret carnem, et despoliaret principatus et potestates, triumphans de eis in ligno (*Philip.* ii), ut compleretur illud Apostoli: *Quod enim mortuus est, peccato, mortuus est semel* (*Rom.* vi, 10). Igitur si corpora nostra membra sunt Christi, consequenter et caro nostra caro Christi est, quam crucifigimus, mortificantes per eam super terram, fornicationem, immunditiam, passionem, desiderium malum, et avaritiam: et de nobis in laude nunc ponitur, qui Christi Jesu carnem crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis, et semper mortificationem Jesu circumferimus in corpore nostro, ut et vita ejus manifestetur in carne nostra. Non modici autem laboris est, sic in præsenti sæculo vivere, ut jam nunc vita Jesu manifestetur in carne nostra. Ita enim vivificabuntur et mortalia corpora nostra per inhabitantem in nobis spiritum. Ubi Latinus interpres *vitia* posuit, in Græco παθήματα, id est, *passiones* leguntur. Et quia passio potest et dolorem, et cæteras necessitates significare corpusculi, caute Apostolus intulit *desideria*: ut non naturam corporis videretur in spiritualibus viris negare, sed vitia. Et hoc ita admonitum sit, si Vulgatam editionem sequimur, legentes: *Qui autem sunt Christi carnem* [b] *crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis*: ut non carnem Christi, sed suam eos crucifixisse dicamus. Pene oblitus sum interpretationis secundæ. Prædixeram enim omnia quæ sequuntur ad Legem, et ad circumcisionem esse referenda. Sensus itaque iste est: In quibus est fructus spiritus, charitas, gaudium, et reliqua, hi corpoream Scripturæ intelligentiam, quæ nunc caro Christi appellatur, crucifixerunt cum 515 passionibus ejus et desideriis, quæ generant parvulis atque lactentibus fomenta vitiorum. Crucifixit [c] Christi carnem, qui non juxta carnem historiæ militat, sed spiritum allegoriæ sequitur prævientem.

(Vers. 25.) *Si* [d] *spiritu vivimus, spiritu et ambulemus.* Utamur hoc testimonio adversum eos qui nolunt Scripturas spiritualiter intelligere. Quis est autem qui vivit spiritu, nisi absconditus homo noster, qui et juxta carnem interdum solet vivere? Sed cum spiritu vixerit, spiritu ambulat. Cum in carne voluerit ambulare, vivens mortuus est. Vir perfectus in Christo, semper vivit in spiritu: spiritui obedit, numquam vivit in carne. Et contra: Qui se totum carni dederit, et passionibus deputarit, numquam vivit in spiritu. Inter hos medii sunt, quos nec spirituales possumus appellare, nec carneos; sed qui inter virtutes et vitia fluctuantes, nunc ad meliora retrahuntur, et spiritus sunt: nunc carnis lubrico supplantantur, et caro sunt.

[a] Unus Palatin. *Christi* nomen hic tacet.
[b] Vulgati alii libri, *carnem suam crucifixerunt*, etc.
[c] Duo mss. et Rabbanus, *Crucifixit talem Christi carnem*.
[d] Palatin ms. cum Victorio, *si vivimus spiritu, spiritui obtemperemus. Utamur*, etc. Quibus et subnexa magis consonat expositio.

(Vers. 26.) *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* Unum verbum apud Græcos κενόδοξοι, trium verborum circuitu interpres Latinus expressit. Quantas autem habeat definitiones, et significantias gloria, et philosophorum innumerabiles libri, et Ciceronis duo volumina, quæ *de gloria* scripsit, inditio sunt. Verum nos quia non verborum etymologias, sed Scripturæ sensum disserere conamur, ita hunc locum cum superioribus copulabimus : Si [a] spiritu vivimus, spiritui obtemperemus, nequaquam per Legem, sed per charitatem nobis invicem servientes. Non debemus de Scripturarum interpretatione contendere et dicere : Circumcisio melior est : non, sed præputium. Contemnenda historia, et allegoria sequenda immo allegoria vana est et umbratica, et nullis veritatis fixa radicibus. Unde evenit, ut invicem nascantur invidiæ. *Excludere enim*, ait, *vos volunt, ut illos æmulemini :* non tam veritatem Legis volentes docere, quam vincere. Ne autem penitus verbum gloriæ prætermittamus intactum, suas philosophis ineptias relinquentes, de **516** Scripturis aliqua retractemus. Opinionem vulgi, et laudem hominum favore quæsitam, gloriæ nomen sonat, ubi dicitur : *Omnia autem faciunt, ut ab hominibus glorificentur* (*Matt.* XXIII, 5). Et alibi : *Quomodo potestis credere, gloriam ab invicem quærentes* (*Joan.* V, 44)? Porro in bonam partem in eodem loco : *Et gloriam ab eo qui solus est, non quærentes.* Ex quo intelligimus idem verbum, nunc virtutem significare, nunc vitium. Si ab hominibus quæro gloriam, vitium est : si a Deo, virtus est, qui et ad veram nos gloriam cohortatur, dicens : *Eos autem qui me glorificant, glorificabo.* Significat et aliud in Scripturis divinis gloria, cum augustius aliquid, et divinius hominum se præbet obtutibus. Visa est in tabernaculo gloria Domini, et in templo quod a Salomone constructum est, gloria erat (I *Reg.* VIII), et in facie Moysi, quando nesciebat quod glorificatus esset vultus ejus (*Exod.* XL), de qua vultus gloria, puto et Apostolum dicere : *Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini contemplantes, in eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam, sicut a Dei spiritu* (II *Cor.* III, 18). Et ipse Salvator, splendor gloriæ et figura substantiæ Dei dictus est (*Hebr.* I). Vidit et Stephanus gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris ejus (*Act.* VII). Ut autem et nos nobis fingendorum nominum licentiam præsumamus, rebus quippe novis (ut ait [b] quidam) nova

A fingenda sunt nomina : quia hic dictum est : *Non efficiamur inanis*, vel *vacuæ gloriæ cupidi :* nos eos asseramus plenæ gloriæ esse cupidos, qui gloriam Dei desiderant, et laudem virtute condignam, et aspectum divinius aliquid ostendentem. Unde et in plerisque locis. Nostri *majestatem* pro gloria transtulerunt. Jam dudum cupio in verba prorumpere, sed teneor timore dicendi. Dicam tamen, nec tacebo passionem meam, passionem pene communem, non de divitiis, non de potentia, non de pulchritudine, et corporum venustate; hæc enim manifeste inter carnis opera [c] nominantur. Eleemosyna si ob laudem fiat, inanis est gloria : longa oratio, pallor ex jejunio sequens. Non mea sunt verba, sed Salvatoris in Evangelio pertonantis (*Matth.* VI). Ipsa quoque castitas

B **517** in matrimonio, viduitate, virginibus, sæpe plausum quærit humanum : et quod dudum timeo dicere, sed dicendum est, martyrium ipsum, si ideo fiat ut admirationi et laudi habeamur a fratribus, frustra sanguis effusus est. Loquatur Apostolus, loquatur electionis vas : *Si tradidero corpus meum, ut glorier, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (I *Cor.* XIII, 3). Illi qui dixerat : *Scio hominem in Christo, ante annos quatuordecim, sive in corpore, nescio, sive extra corpus, nescio, Deus scit, raptum usque ad tertium cœlum* (II *Cor.* XII, 2). Et post modicum : *Raptus in paradisum, audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui :* illi, inquam qui plus omnibus laboravit, ne magnitudo revelationum extolleret eum, datus est stimulus carnis ejus, angelus

C Satanæ, qui eum colaphizaret, ut non tolleretur. Et certe ter Dominum rogavit ut discederet ab eo : sed dictum est ei : *Sufficit tibi gratia mea : virtus enim in infirmitate perficitur.* Quid tam Dei opus est, quam Scripturas legere, in Ecclesia prædicare, sacerdotium cupere, ante altare Domini ministrare ? Sed et hæc, nisi aliquis omni diligentia custodierit cor suum, de cupiditate laudis oriuntur. Videas plerosque (quod etiam Tullius ait) libros suos de contemnenda gloria inscribere, [d] et causa gloriæ, proprii nominis titulos prænotare. Interpretamur Scripturas : sæpe vertimus stylum : quæ digna lectione sunt, scribimus; et nisi Christi causa fiant, sed memoriæ in posteros, et famæ in populos, totus labor irritus fiet : et erimus quasi tympanum sonans, et cymba-

D lum concrepans (I *Cor.* XIII). Videas plerosque de Scripturis inter se contendere : e athleticum [e] scamma Dei facere sermonem : invicem provocant, et si

[a] Penes Victorium, *Si a spiritu vivimus.*

[b] Scilicet, quem et paulo superius laudat, Cicero lib. I Academicar. Quæst. ex Attici ad Varronem persona : *Aut enim*, inquit, *nova sunt rerum novarum facienda nomina, aut ex aliis transferenda*, etc.

[c] Aliter duo mss. *numerantur.*

[d] In Palatin. ms., *et propter gloriam nominis sui titulos prænotare.*

[e] Vitiose lectum est hactenus, *scomma*, pro quo *scamma* ad mss. fidem, ipso cogente recto sensu, restituimus. Erat athleticum scamma locus, fossa, sive linea circumscriptus, quem ultra prætergredi certantes in eo athletæ non poterant. Nomen a σκάπτω Græco verbo, quod est *fodio*, accepit. Satisque luculenter ipse Hieronymus alibi, libro contra Joannem Jerosolymit. *Cur tu*, inquit, *omissis super quibus pugna est, de scammate et loco certaminis egrediens*, etc. Passim vero latius pro ipso certamine sumitur, ut et noster hoc ipso in loco, et Tertullianus lib. ad Martyres : *Epistates vester Christus Jesus, qui vos spiritu unxit, et ad hoc scamma perduxit.* S. quoque Ambrosius lib. I Officior., cap. 16 : *Quid epulari gestis, antequam studium solvatur ? adhuc populus spectat, adhuc athletæ in scammate sunt.* Idem lib. de Elia et Jejunio cap. 3 : *In scammate si quis te manu levat.* Et cap. 21 : *Progressus in scamma,*

victi fuerint, invident : inanis quippe gloriæ cupidi sunt. Scio in Latinis codicibus in eo testimonio quod supra **518** posuimus : *Si tradidero corpus meum ut glorier*, [a] *ardeam* habere pro *glorier* ; sed ob similitudinem verbi, qua apud Græcos, *ardeam*, et *glorier*, id est, καυθήσομαι et καυχήσομαι, una litteræ parte distinguitur, apud nostros error inolevit. Sed et apud ipsos Græcos exemplaria sunt diversa.

(Cap. VI. — Vers. 1.) *Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu mansuetudinis : considerans teipsum, ne et tu tenteris.* Sciens Paulus ejus Dei se esse cultorem, qui nollet mortem peccatoris, sed pœnitentiam (*Ezech.* XVIII, XXXIII) : et excepta Trinitate, omnem creaturam, licet non peccet, tamen posse peccare : eum quoque qui spiritualis est, cohortatur sui timore ne peccet, manum porrigere corruenti. Et pulchre præoccupatum in delicto, hominem vocat, qui mori possit : ex ipso nomine fragilitatem conditionis ostendens ; ut dignus sit venia, qui velut homo errore deceptus, et mersus in voraginem, seipsum sine auxilio, et adjutore erigere non possit. Spirituali autem non additur homo : sed quasi Deo præcipitur, ut hominem præoccupatum in delicto instruat : sive (ut melius habetur in Græco) perficiat in spiritu lenitatis. Qui autem perficitur, non ei desunt universa, sed aliqua. Denique [b] si non peccatis pluribus, sed vitio aliquo præoccupatus erravit : lenitatis spiritum et mansuetudinis in correctione peccantis spiritualis adhibeat, ne rigidus, ne iratus et tristis corrigere cupiat errantem ; sed provocet eum, spondens salutem ; veniam repromittens : Christi testimonium proferat : quod gravi legis et peccatorum onere depressos, ad jugum suum suave, et leve invitet onus : ut discant, quia humilis sit et mitis, et mansuetus corde (*Matth.* XI), et inveniant requiem animabus suis. Utamur hoc testimonio adversum hæreticos : qui diversarum **519** fingentes fabulas naturarum, aiunt spiritualem, bonam esse arborem, et numquam malos afferre fructus. Ecce Apostolus, cujus et ipsi auctoritatem sequuntur, dicit eos qui spirituales sunt, posse peccare, si per altitudinem cordis sui inflentur et corruant. Quod et nos quoque fatemur ; et χοϊκούς (*terrenos*), spirituales fieri, si ad meliora revertantur. Opponi nobis potest illud quod ad Corinthios scribitur : *Quid vultis ? In virga veniam ad vos, an in charitate, et spiritu mansuetudinis* (I *Cor.* IV, 21)? Si enim ibi ad peccatores, non in spiritu mansuetudinis, sed in virga venire se dicit : quomodo hic his qui in aliquo pec-

A cato præventi fuerint, non virgam adhibet, sed spiritum mansuetudinis ? Verum ibi ad eos dicitur, qui post peccatum non sentientes errorem suum, nolebant majoribus suis subdi, et pœnitentia corrigi. Ubi vero peccator intelligens vulnus suum, tradit medico se curandum, ibi non est virga necessaria, sed spiritus lenitatis. Sed et illud forte quæratur, quod si propterea instruere quis debeat peccatorem in spiritu lenitatis : quia consideret se, ne et ipse tentetur ; ergo justus, qui de sua certus est mente, qui scit non posse se labi, [c] non debet instruere peccatorem in spiritu lenitatis ? Ad quod dicemus, etiamsi vicerit justus, sciens quanto labore superaverit, magis peccanti veniam largietur. Nam et Salvator propterea tentatus est, juxta omnia nobis simi-

B liter absque peccato : ut possit compati, et condolere infirmitatibus nostris, suo [d] doctus exemplo, quam difficilis sit in carne victoria. Si quis virgo ad senectam usque permanserit ; ignoscat ei qui adolescentiæ [e] quondam calore deceptus est, sciens quantis difficultatibus illam transierit ætatem. Si quis pro Christi nominis confessione cruciatus, alium in tormentis viderit denegare, compatiatur vulneribus negatoris, et non tam illum victum, quam se vicisse, miretur. Cautelam quoque scribentis attendite, quia non dixerit : *Considerans te, ne tu cadas;* sed, *ne et tu tenteris.* Vinci quippe vel vincere, nonnumquam in nostra est potestate : **520** cæterum tentari, in potestate tentantis est. Si enim Salvator tentatus est, quis potest esse securus intentatum se vitæ hujus

C maria transire ? Qui putant Paulum juxta humilitatem, et non vere dixisse : *Et si imperitus sermone, non tamen scientia*, defendant hujus loci consequentiam. Debuit quippe secundum ordinem dicere : *Vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerantes vosmetipsos, ne et vos tentemini;* et non plurali inferre numerum singularem. Hebræus igitur ex Hebræis, et qui esset in vernaculo sermone doctissimus, profundos sensus aliena lingua exprimere non valebat : nec curabat magnopere de verbis, cum sensum haberet in tuto. Hæc secundum simplicem intelligentiam. Cæterum, ut et secundæ expositionis ordinem prosequamur, locus iste de Epistolæ ad Romanos fine pandendus est. Ibi enim cum similiter de escis et observationibus scri-

D beret Judæorum, et eos qui Legis juxta litteram præcepta contemnerent, firmos atque perfectos : illos vero, qui adhuc antiqua consuetudine ducebantur, infirmos parvulosque narraret, et videret jurgium esse inter spirituales et carneos : admonuit spiri-

necesse est ut excipias pulverem. Et rursum : *Luctator in scammate*, etc., ut alios prætercam ecclesiasticos tractatores.

[a] Hanc, quæ Hieronymo probatur lectio, *glorier*, pro *ardeam*, vix in uno alterove exemplari invenire est, puta Græco ex Vechellii editione, et Copto : probatam vero cuipiam seu veterum, seu recentiorum interpretum, ne vix quidem Græci καυθήσωμαι, Latini *ardeam*, pari consensu Patres, Paulinianique codices legunt.

[b] Ex pridem vulgatis, *si*, voculam, quam Mart. prætermisit, suffecimus, et quæ subsequuntur uno sensu junximus.

[c] Palatin. ms., *non posse labi*, *non instruet peccatorem.*

[d] Idem ms. cum Cisterciensi altero, *suo docens exemplo.*

[e] Antea erat, *quodam* : nobis hæc melior visa ms. est lectio.

tuales ne contemnerent carneos, et ait: *Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. Alius enim credit manducare omnia: qui autem infirmus est, olus* [a] *manducet. Is qui manducat, non manducantem non spernat: et qui non manducat, manducantem non judicet, Deus enim illum assumpsit. Tu quis es qui judices alienum servum? Suo domino stat, aut cadit. Stabit autem: potens est enim Deus statuere illum* (*Rom.* XIV, 1, *seqq.*). Et multa in medio super hoc sensu disserens, adjecit in fine: *Noli propter escam destruere opus Dei.* Et iterum: *Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat ad bonam ædificationem* (*Rom.* XV, 1, 2).

(Vers. 2.) *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Quia peccatum onus sit, et Psalmista testatur dicens: *Iniquitates meæ elevatæ sunt super caput meum, quasi onus grave gravatæ sunt super me* (*Psal.* XXXVII, 5). Et Zacharias, in specie **521** mulieris, vidit super talentum plumbi sedere iniquitatem (*Zach.* V). Hoc onus Salvator pro nobis tulit, suo nos exemplo docens quid facere deberemus. Ipse quippe iniquitates nostras portat, et pro nobis dolet (*Isai.* LIII), et eos qui peccatorum ac Legis onere sunt depressi, ad leve onus virtutis invitat, dicens: *Jugum meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI, 30). Qui igitur fratris non desperat salutem, sed manum porrigit deprecanti, et quantum in se est, flet cum flente, infirmus est cum infirmo, suaque judicat aliena peccata, iste per charitatem adimplet legem Christi. Quæ Christi lex est? *Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem* (*Joan.* XIII, 34.) Quæ lex Filii Dei est? *Diligite alterutrum, sicut et ego dilexi vos.* Quomodo Dei Filius nos dilexit? *Major hac dilectione non est, quam ut quis animam suam ponat pro amicis suis* (*Joan.* XV, 13). Qui clementiam non habet, nec indutus est viscera misericordiæ et lacrymarum, quamvis spiritualis sit, non adimplebit legem Christi. Sed et hunc locum cum superioribus copulemus. Duplicem enim sequimur intelligentiam. Si quis infirmus in fide est, et adhuc lacte nutritur infantiæ, nec potest tam cito a legali observatione ad spiritualia sacramenta transire: vos qui robustiores estis, ejus onera portate: ne per scientiam vestram frater pereat, pro quo Christus est mortuus. Portat quoque fratris necessitatem, qui gravatum pauperem onere egestatis adjuvat, et facit sibi amicos de iniquo mammona (*Luc.* XVI), quem post resurrectionem Christus affatur: *Venite ad me, benedicti Patris mei: possidete præparatum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere* (*Matth.* XXV, 34, 35). Juxta hunc sensum etiam in alia Epistola Paulus Timotheum docens, addidit: *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere* (pro eo quod est, *non superbire*), *neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo qui præstat omnia abunde ad fruendum: bene agere, divites esse in operibus bonis, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam* (I *Tim.* VI, 1 *seqq.*). Qui veram vitam apprehendit [b], eum videlicet qui loquitur: *Ego sum vita* (*Joan.* XIV, 6), implevit legem Christi, quæ tendit ad vitam.

(Vers. 3.) **522** *Nam si quis existimat se esse aliquid, cum nihil sit, seipsum seducit.* Si quis non vult onera aliena portare, et immisericors suo tantum opere et virtute contentus est, non quærens quæ aliena sunt, sed quæ sua, hoc est, sui tantum amator, et non etiam Dei, ipse se seducit. Dupliciter autem legi potest atque distingui: Vel, *si quis existimat esse se aliquid, cum sit nihil:* aut ita: Si *quis existimat se esse aliquid*, ut postea inferamus, *cum sit nihil, se ipse seducit.* Et magis in Græco quam in Latino resonat ista distantia. Prioris distinctionis hic sensus est: Qui se aliquid existimat esse, et nihil est, ipse se decipit. Secundus sensus altior est, et qui nobis magis placet: Si quis existimat se esse aliquid, in eo quod se putat esse aliquid, et non ex clementia in proximum; sed ex suo opere et labore se judicat, sua tantum virtute contentus, iste ex hac ipsa arrogantia nihil fit, et ipso se decipit: quod melius in Græco dicitur φρεναπατᾷ, hoc est, mentem suam decipit: pro quo Latinus posuit Interpres, *se ipse seducit.* Mentem autem suam decipit, qui se putat esse sapientem, et secundum Isaiam, sapiens in se est, et in conspectu suo intelligens (*Isai.* V). Ad circumcisionem et Legem, ita loci hujus connectitur intellectus: Qui spiritualis est, et misericordiam in proximum non habet, contemnens humilem, quia ipse sublimior est, ipse se decipit, nesciens hanc spiritus esse legem, ut nos invicem diligamus.

(Vers. 4.) *Opus autem suum probet unusquisque: et sic in semetipso tantum gloriam habebit, et non in altero.* Sensus iste est: Tu qui te æstimas spiritualem, et de alterius [c] infirmitate robustior es, non debes imbecillitatem jacentis, sed tuam fortitudinem considerare. Neque enim si alius perfecte non potest ad Christianismum a Judaismo transire, idcirco tu perfectus es Christianus: sed si te propria conscientia non remordet, habes in temetipso gloriam et non in altero. Athleta non ideo fortis est, quia vicit infirmum, et languida adversarii membra superavit: sed si robustus est, et in sua fortitudine, non in infirmitate alterius gloriatur. **523** Intelligi potest et aliter: Qui conscientiam habet operis boni, et seipsum considerans, opus suum non reprehendit, non debet de hoc apud alium gloriari, et laudem suam foras fundere, et communicare cum cunctis, et ex hominum quærere favore jactantiam: sed in semetipso habeat gloriam, et

[a] Rescribit Victorius ex Vulgati interpretis lectione *manducat.*

[b] Alterum, *apprehendit*, hic duo e nostris mss. interserunt.

[c] Contrario sensu unus Palatin. ms., *de alterius firmitate.*

dicat : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Qui gloriam quærit ab altero, huic nec mundus crucifixus est, nec crucifixus est ipse cum Christo. Recepit quippe, quod quærebat ab hominibus, mercedem suam.

(Vers. 5.) *Unusquisque enim onus suum portabit.* Videtur superioribus contraire, ubi ait : *Alter alterius onera portate :* si enim onus suum unusquisque portabit, alter alterius onera portare non poterit. Sed videndum, quod ibi præceperit ut peccantes in hac vita nos invicem sustentemus, et in præsenti sæculo alterutrum auxilio simus : hic autem de Domini dicat [*Al.* dicebat] in nos judicio, quod non ex alterius peccato et comparatione deterioris; sed juxta nostrum opus, aut peccatores ab eo judicemur, aut sancti, recipiente unoquoque secundum opus suum. Obscure licet docemur per hanc sententiolam, novum dogma quod latitat : dum in præsenti sæculo sumus, sive orationibus, sive consiliis, invicem posse nos coadjuvari. Cum autem ante tribunal Christi venerimus, non Job, non Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare [a] opus suum (*Ezech.* XIV).

(Vers. 6.) *Communicet autem is qui catechizatur verbum, ei qui se catechizat in omnibus bonis.* Marcion hunc locum ita interpretatus est, ut putaret fideles, et catechumenos simul orare debere, et magistrum communicare in oratione discipulis; illo vel maxime elatus, quod sequatur, *in omnibus bonis.* Cum utique si de oratione sermo fuisset, non debuerit ei præcipi qui catechizatur, sed ei qui [b] se catechizat, id est, non discipulo, sed magistro. Deinde etiam cætera quæ sequuntur, cum ejus expositione non congruunt : *Quæ seminaverit homo, hæc et metet.* Et : *Bonum autem facientes, non deficiamus : tempore enim suo metemus, non deficientes.*
524 Sensus itaque iste est : Quia superius spiritualibus præceperat, ut eos qui præoccupati fuerant in aliquo delicto, instruerent in spiritu lenitatis, et alter alterius onera portarent, adimplentes legem Christi : nunc econtrario his qui adhuc imbecilliores, et discipuli, et carnales erant, præcipit, ut quomodo ipsi a magistris spiritualia metunt : sic magistris carnalia præbeant : qui totos se divinæ eruditioni et studio tradentes, vitæ hujus necessariis indigeant; et fiat illud quod de manna scriptum est : *Qui multum, non abundavit; et qui modicum, non minoravit* (II *Cor.* VIII, 15). Bona autem in præsenti loco juxta vulgi consuetudinem, moremque communem, victum et vestitum, et cætera quæ homines inter bona numerant, appellavit. *Habentes enim victum et vestitum, his contenti sumus* (I *Tim.* VI, 8). Nec mirum si Paulus ea quæ erant corpori necessaria boni appellatione signavit : cum etiam Salvator noster ad eos qui necdum ad virtutum culmen

A ascenderant, sed adhuc humilius incedebant, et sibi addi poscebant fidem, dixerit : *Si ergo vos cum mali sitis, scitis bona data dare filiis vestris : quanto magis Pater vester cœlestis dabit bona petentibus se* (*Matth.* VII, 11)! Ego puto et Job, cum ad uxorem, quasi unam de insipientibus mulieribus loqueretur, respectu ejus, quæ ita putabat, de corporalibus divitiis locutum : *Si bona accepimus de manu Domini* (*Job.* II, 10) : et rursum de angustiis et pressuris, et tentatione, quæ victoriam afferant : *Quare malum non sustineamus?* Cum utique mala et bona non in divitiis et pressuris, sed in virtutibus ponantur et vitiis, ut justus loquitur in psalmo : *Quis est homo qui vult vitam, cupit videre dies bonos? Prohibe linguam tuam a malo, et [c] labia tua ne loquantur dolum.*
B *Declina a malo, et fac bonum* (*Ps.* XXXIII, 13 *seqq.*, *et* XXXVI, 27). Proprie malum dicitur, quod vitandum est : bonum, quod facere debemus. Dives quoque ille in Evangelio, qui mali et boni scientiam non habebat, recte agrorum ubertatem bona arbitrabatur, dicens : *Anima, habes bona posita in annos multos : quiesce, comede, bibe, et lætare* (*Luc.* XII, 19). Et alius qui jacebat in purpura, et deliciis affluebat, audit apud inferos ab Abraham : *Recepisti bona in vita tua* (*Luc.* XVI, 25). Illud quoque attendendum
525 ne forte et hoc possit intelligi, dari discipulis mandatum, ut eis qui se instruunt, verbum communicent, obsequantur, dociles, facilesque se præbeant. In his tamen quæ bona sunt, quæ spiritualia, et non hæretica, vel Judaica pravitate perversa.

C (Vers. 7.) *Nolite errare, Deus non irridetur : quæ enim seminaverit homo, hæc et metet.* Prævidens spiritu, eos qui docentur, et debent magistris sumptus et vitæ necessaria ministrare, posse obtendere paupertatem, et dicere : Ager meus hoc anno aruit siccitate : vineam grando contrivit : redditus qui esse potuerunt [*Al.* poterunt], tributa rapuerunt : non habeo unde tribuam quod jubetur, adjecit : *Nolite errare, Deus non irridetur.* Scit, inquit, corda vestra, non ignorat facultates. Excusatio verisimilis hominem potest utcumque placare, Deum non potest fallere. Et simul cohortatur ad id quod præceptum est exhibendum, semen nominans, ne putet perditum, quod multiplicato fenore recepturus est. Ad Corinthios quoque rationem dati et accepti, simul
D docuit exemplo : *Qui parce seminat, parce et metet : et qui seminat in benedictione, de benedictione et metet. Unusquisque sicut propositum habet in corde, non ex tristitia, aut necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus* (I *Cor.* IX, 6, 7).

(Vers. 8.) *Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Omne quod loquimur, agimus, cogitamus, in duobus seminatur agris, carne et spiritu. Si bona sunt, quæ de manu, ore, corde promuntur, seminata in spiritu, vitam

[a] Reponimus ad mss. fidem, concinniori utique sensu, *opus*, pro quo lectum antea, *onus.*

[b] Hic, *se*, voculam Palatin. et Cisterc. mss. tacent, fortasse rectius.

[c] Iidem mss., *et os tuum ne loquatur dolum.*

æternæ fructibus redundabunt. Si mala, ab agro carnis excepta, corruptionis nobis segetem pullulabunt. Aliter : Qui legem carnaliter intelligit, repromissiones quoque carnales, et quæ in præsenti sæculo corrumpuntur, exspectat. Qui autem **526** spiritualis auditor est, seminat in spiritu, et de spiritu metet vitam sempiternam. Simul notemus [a] sermonis consequentiam, et eam cum superioribus copulemus : hominem vocari in spiritu seminantem, qui quando cœperit vitam metere sempiternam, homo fortasse esse desistit. [b] Cassianus, qui putativam Christi carnem introducens, omnem conjunctionem masculi ad feminam immundam arbitratur, Encratitarum vel acerrimus hæresiarches, tali adversum nos sub occasione præsentis testimonii usus est argumento : Si quis seminat in carne, de carne metet corruptionem : in carne autem seminat, qui mulieri jungitur : ergo et is qui uxore utitur, et seminat in carne ejus, de carne metet corruptionem. Respondebitur ei, primum non dixisse Paulum, qui seminat in carne ; sed, *in carne sua*. Nemo autem secum ipse concumbit, et in sua carne seminat. Deinde ut observationem hanc quam annotavimus, *in carne sua*, ex abundanti ei concedamus, addendum est eos quoque, qui comedant et bibant, et dormiant et aliquid faciant ob refrigerium corporis, juxta illum seminare in carne, et de ea metere corruptionem. Quod si ad hoc confugerit, ut dicat eos qui, sive bibant, sive manducent, sive dormiant, in nomine tamen Domini omnia cum ratione perficiant, non in carne seminare, sed in spiritu ; et nos ei similiter respondebimus, eos quoque qui Dei primam sententiam sequantur cum ratione facientes : *Crescite et multiplicamini, et replete terram* (*Genes.* I, 22), non in carne, sed in spiritu seminare. Syllogismus itaque ejus futilis et caducus, sophismate primum decipit audientem. Cæterum diligenter inspectus, facile solvitur : Neque enim possumus dicere, Abraham, Isaac et Jacob, et alios sanctos viros, qui de repromissione nati sunt, ipsum quoque Domini præcursorem, **527** quia in carne natus est, de corruptionis germine pullulasse, illud pariter observandum, quod qui seminat in carne, cum additamento suæ carnis ponitur : qui autem seminat in spiritu, non dicitur in spiritu [c] suo, sed simpliciter in spiritu. Qui enim

A bona seminat, non in suo quippiam, sed in Dei spiritu seminat, de quo et vitam est messurus æternam.

(Vers. 9.) *Bonum autem facientes, non deficiamus : tempore enim suo metemus, non deficientes.* Cohortatur eos ad studium perseverantiæ, qui in hac vita mercedem boni operis exspectant, nescientes quia sicut in semine aliud sationis, aliud messis est tempus : sic et in præsenti vita, sementem esse opera (quæ vel in spiritu, vel in carne metantur), messem vero futurum judicium, et pro qualitate vel diversitate sementis, diversas nos facere messuras, centesimum et sexagesimum, et tricesimum fructum, quam segetem nemo potest metere deficiens. *Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matt.* X, 22). B Sicut et in alio loco præcipitur : *Esto non deficiens* (*Isai.* V). Quale est autem, ut cum peccatores quotidie in malis operibus augeantur, nos in bono opere lassemur?

(Vers. 10.) *Ergo, dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Tempus sementis, ut diximus, tempus est præsens, et vita quam currimus. In hac licet nobis quod volumus seminare ; cum ista vita transierit, operandi tempus aufertur. Unde et Salvator ait : *Operamini dum dies est : veniet nox, quando jam nullus poterit operari* (*Joan.* IX, 4.) Ortus est nobis Dei sermo, sol verus, et congregatæ sunt bestiæ recedentes in cubilia sua : procedamus ut homines ad opus nostrum, et usque ad vesperam laboremus, sicut mystice can- C tatur in psalmo : *Posuisti tenebras, et facta est nox. In ipsa pertransibunt bestiæ silvæ, catuli leonum rugientes, ut rapiant, et quærant a Deo escam sibi. Ortus est sol, et congregatæ sunt, et in cubilibus suis dormierunt. Egredietur homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam* (*Ps.* CIII, 20 *seqq.*). Sive ægrotamus, sive sani sumus, humiles, vel potentes, pauperes, divites, ignobiles, honorati, esurientes, **528** sive vescentes, omnia in nomine Domini cum patientia et æquanimitate faciamus, et implebitur in nobis illud quod scriptum est : *Diligentibus autem Dominum, omnia cooperantur in bonum.* Ira ipsa et libido, et injuria quæ desiderat ultionem, si me refrenem : si propter Deum taceam : si per singulos D commotionis aculeos, et incentiva vitiorum, Dei

[a] Aliter, ac verius fortasse, Palatin. mss., *Simul notandus ordo sermonis, et cum superioribus, copulandus, quod homo vocatur in spiritu seminans, quia quando cœperit*, etc.

[b] Vulgati hactenus libri, *Tatianum*, hic pro *Cassiano* obtrudunt : quin Martianæus refragari suorum auctoritati exemplarium non dubitavit, impressæ lectionis præjudicio deceptus, et cum laudati ab eo codices Cluniacensis ac Regius Cassianum præferrent : Error, inquit, hic est exscriptorum veterum, quibus notior fuit Cassianus, quam Tatianus. Immo erat colligendum penitus econtrario. Julius enim Cassianus ex nefaria Valentinianorum colluvie ferme ignotior Tatiano est, cumque absolute hic Hieronymus Encratitas perstringat, notissimum Tatiani, ejus sectæ principis nomen proclive fuit sciolis amanuensibus pro *Cassiano* perquam simili comminisci. Et vero, uti fecimus, reponendum, *Cassianus*, omnium quot vidimus, codicum mss. in hac lectione consensus persuadet. Ipse etiam contextus, et quam Hieronymus impugnat, ejus evincit hæreseos historia ; qui enim *putativam Christi carnem introduxit*, sive qui primus ementitum Domino corpus affinxit, non Tatianus, sed Julius Cassianus fuit, qui adeo dicitur S. Clementi Alexandrino lib. III Stromatum, τῆς δοκήσεως ἐξάρχων, *Docetarum princeps*. Quin et librum, ex quo subnexa argumenta Hieronymus confutat, facile existimo eum ipsum, quem modo laudatus Clemens Alexandr. a Cassiano memorat lucubratum, ab eoque inscriptum, περὶ ἐγκρατείας ἢ περὶ εὐνουχίας.

[c] Unus Palatin. ms., *non dicitur, in spiritu, sed simpliciter, spiritu* : non ita bene. Et mox, *non in suo quopipiam*, pro, *quippiam*.

desuper me videntis recorder, fiunt mihi occasio (A) triumphorum. Ne dicamus in largiendo : Ille est amicus, hunc nescio : hic debet accipere, iste contemni. Imitemur Patrem nostrum, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matt.* v). Fons bonitatis omnibus patet. Servus et liber, plebeius et rex, dives et pauper, ex eo similiter bibunt. Lucerna cum accensa fuerit in domo, omnibus lucet æqualiter. Quod si in cunctos indifferenter liberalitatis frena laxantur, quanto magis in domesticos fidei, et in Christianos, qui eumdem habent Patrem, ejusque magistri appellatione censentur! Videtur autem mihi locus iste posse et superioribus cohærere, ut domesticos fidei, magistros nominet, quibus supra omnia quæ putantur bona, ab auditoribus suis jusserat ministrari. (B) Breve est vitæ istius curriculum. Hoc ipsum quod loquor, quod dicto, quod [a] scribo, quod emendo, quod relego, de tempore meo mihi aut crescit, aut deperit. Titus, filius Vespasiani, qui in ultionem Dominici sanguinis, subversis Jerosolymis, Romam victor ingressus est, tantæ dicitur fuisse bonitatis, ut cum quadam nocte [b] sero recordaretur, in cœna, quod nihil boni die illa fecisset, dixerit amicis : Hodie diem perdidi. Nos putamus non perire nobis horam, diem, momenta, tempus, ætates, cum otiosum verbum loquimur, pro quo reddituri sumus rationem in die judicii (*Matt.* xii)? Quod si hoc ille sine Lege, sine Evangelio, sine Salvatoris, et apostolorum doctrina, naturaliter et dixit, et fecit : quid nos oportet facere, in quorum condemnationem (C) habet et Juno univiras, et Vesta virgines, et alia idola continentes? Beatus Joannes evangelista cum Ephesi moraretur usque [c] ad ultimam **529** senectutem, et vix inter discipulorum manus ad ecclesiam deferretur, nec posset in plura vocem verba contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc : Filioli, diligite alterutrum. Tandem discipuli et fratres qui aderant, tædio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt : Magister, quare semper hoc loqueris? Qui respondit dignam Joanne sententiam : Quia præceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit. Hoc propter præsens Apostoli mandatum : *Operemur bonum ad omnes : maxime autem ad domesticos fidei.*

(Vers. 11.) *Videte qualibus litteris scripsi vobis mea manu.* (D) Ili qui circumcidi Galatas volebant, disseminaverant alia Paulum facere, alia prædicare, et [d] suo opere destruere sermonem, quod qui Legem assereret abolitam, ipse inveniretur in Lege. Hanc opinionem, quia non poterat Paulus apud omnes præsens ipse subvertere (prohibebatur quippe vinculis, quæ ob Christi martyrium sustinebat), seipsum per litteras repræsentat. Et ne aliqua suppositæ Epistolæ suspicio nasceretur, ab hoc loco usque ad finem, manu sua ipse perscripsit, ostendens superiora ab alio exarata. Quod autem sub nomine ejus a falsis doctoribus Epistolæ mitterentur, ad Thessalonicenses quoque demonstrat scribens : *Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, et nostræ congregationis in ipsum, ut non cito moveamini a vestro sensu, nec terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini, ne quis vos seducat ullo modo* (II *Thess.* ii, 1 *seqq.*). Et ut totam Epistolam quam mittebat, suspicione erueret falsitatis, manu sua in fine subscripsit, dicens : *Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni Epistola : ita* [e] *scribo : Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis* (II *Thess.* iii, 17, 18). Ad Colossenses etiam quas dictaverat litteras, manu sua similiter subnotavit : *Salutatio mea manu Pauli : Memores estote vinculorum meorum.* Et ubicumque sciebat falsos adesse doctores, qui possent per Apostoli auctoritatem nova dogmata seminare, Epistolam manu propria subscribebat. Denique et ad Corinthios scribens, in quibus erant schismata et hæreses, unoquoque **530** dicente : *Ego sum Pauli, et ego Apollo, ego autem Cephæ* (I *Cor.* i, 12), epistolam suam tali annotatione signavit : *Salutatio mea manu Pauli : Si quis non amat Dominum Jesum Christum, anathema sit, maranatha*, et cætera. Propter hoc igitur volens omnem occasionem falsis auferre doctoribus, qui et Galatas a veritate Evangelii depravarant, finem epistolæ manus suæ annotatione complevit, dicens : *Videte qualibus litteris scripsi vobis;* non quod grandes litteræ fuerint (hoc quippe in Græco sonat πηλίκοις), sed quod suæ manus essent eis nota vestigia, ut dum litterarum apices recognoscunt, ipsum se putarent videre, qui scripserat. In hoc loco vir apprime nostris temporibus [f] eruditus, miror quomodo rem ridiculam locutus sit. Paulus, inquit, Hebræus erat, et Græcas litteras nesciebat. Et quia necessitas expetebat, ut manu sua epistolam subscriberet, contra consuetudinem curves tramites litterarum, vix magnis apicibus exprimebat : etiam in hoc suæ ad Galatas indicia charitatis ostendens, quod propter illos id quoque quod non poterat, facere conaretur. Grandibus ergo Paulus litteris scripsit epistolam, quia sensus erat grandis in litteris, et spiritu Dei vivi, non atramento, nec calamo fuerat exaratus. Quod autem apposuit, *mea manu*, opera intelligamus in manibus. Quam ob causam crebro et in prophetis scribitur : *Sermo Dei qui factus est in manu Jeremiæ*, sive *Aggæi*, ut per hanc quoque similitudinem in manu Pauli sciamus factum Dei esse sermonem.

[a] Idem ms., *quod scribitur, quod emendo, quod lego.*

[b] Vocem, *sero*, mss. nostri non agnoscunt. Mox quoque legunt, *Amici, hodie diem perdidi.*

[c] Annum scilicet agebat nonagesimum quartum, juxta Epiphanii rationes lib. i, cap. 12. Confer et nostrum Hieronymum lib. de Viris Illustribus, cap. 9. Paulo post mss. suffragio restituimus, *in plura vocem verba contexere*, pro quo erat, *vocum verba*, etc.

[d] Rescribit Victorius, *et suum opere destruere*, etc.

[e] Palatin. ms., *ita subscribo.*

[f] Quamquam hoc ferme Chrysostomus sentiat, quod Hieron. impugnat, illum tamen hic denotari, non puto.

Grandes Paulus litteras non solum tunc ad Galatas, sed etiam hodie scribit ad cunctos, et quamvis parvi sint apices quibus ejus Epistolæ conscribuntur, tamen magnæ sunt litteræ, quia in litteris magnus est sensus.

(Vers. 12.) *Quicumque volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi : tantum ut crucis Christi persecutionem* [a] *non patiantur.* Superius ostendit ex quo loco sua subscripserit manu : nunc quid scripserit, replicat. Caius Cæsar, et Octavianus Augustus, et Tiberius successor Augusti, leges promulgaverant, ut Judæi qui erant in toto Romani imperii orbe dispersi, proprio ritu viverent, et patriis cæremoniis deservirent. Quicumque **531** igitur circumcisus erat, licet in Christum crederet, quasi Judæus habebatur a Gentibus. Qui vero absque circumcisione se non esse Judæum præputio præferebat, persecutionibus tam Gentilium, quam Judæorum, fiebat obnoxius. Has igitur persecutiones hi qui Galatas depravaverant declinare cupientes, circumcisionem pro defensione discipulis persuadebant quam nunc Apostolus confidentiam in carne vocat, quod scilicet tam Gentibus [*Al.* Gentilibus], quos timebant, quam Judæis, qui volebant placere, circumcisionem in persecutione proponerent. Nam nec Judæi persequi eos poterant, nec Gentiles, quos videbant [*Al.* volebant] et proselytos circumcidere, et ipsos Legis præcepta servare.

Neque enim qui [b] *circumcisi sunt, hi Legem custodiunt, sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur.* Propter infirmitatem, inquit, carnis, Lex impleri non potest. Unde et Judæi præcepta magis hominum et doctrinas, quam Dei mandata custodiunt, neque corporalem facientes Legem, impossibile quippe est : neque spiritualem, quam non intelligunt. Unde hoc est omne quod student, quod agunt, quod nituntur, ut apud Judæos de vestræ carnis injuria glorientur, et jactitent suo Gentes magisterio circumcisas. Hoc autem totum faciunt, ut Judæis placeant, et expugnatæ Legis invidia conquiescat.

(Vers. 14.) *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Solus potest in cruce Christi gloriari, qui tollit eam, et sequitur Salvatorem, qui crucifixit carnem suam cum vitiis et concupiscentiis, qui mortuus est mundo, et non contemplatur ea quæ videntur, sed quæ non videntur : videns mundum crucifixum, et transeuntem figuram ejus. Crucifigitur autem justo mundus ille, de quo Salvator ait : *Ego vici mundum* (*Joan.* XVI, 33). Et : *Nolite diligere mundum.* Et : *Non accepistis spiritum e mundo.* Cui crucifixus est mundus, huic mundus et mortuus est : et jam ei venit mundi consummatio, et dignus effectus novo cœlo, et nova terra, et novo Testamento, canit canticum novum, et accipit nomen novum scriptum **532** in calculo, quod nemo novit nisi qui acceperit illud. Quæritur quomodo nunc Paulus dicat : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*, cum in alio loco de aliis glorietur, ut ibi [c] ait : *Per vestram gloriam, quam habeo in Christo Jesu* (I *Cor.* XV, 31). Et iterum : *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi* (II *Cor.* XII, 9). Et in alio loco : *Bonum autem mihi est magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet* (I *Cor.* IX, 15), et cætera quæ in hunc modum scripta sunt. Sed sciendum quod omnis illa gloriatio ad crucem relata, gloria crucis sit : et quidquid dignum in virtutibus perpetratur, hoc fieri ob Domini passionem.

(Vers. 15.) *Neque enim circumcisio aliquid est, neque præputium, sed nova creatura.* Quomodo fidelis et infidelis, cum unus sit per substantiam, in duos dividitur juxta intelligentiæ diversitatem, Apostolo dicente : *Exspoliantes vos veterem hominem cum operibus ejus, et induentes novum, qui renovatur in cognitionem juxta imaginem Creatoris* (*Coloss.* III, 9, 10) : sic et mundus cum secundum substantiam unus sit, secundum sensum alius atque alius efficitur. Peccatori, mundus vetus est : sancto, novus. Cum enim sancto mundus fuerit crucifixus, nequaquam est ei circumcisio et præputium : non Judæus, neque Gentilis : sed nova creatura, in quam transfiguratur corpus humilitatis nostræ, conforme corporis gloriæ Christi : Vetera quippe transierunt, ecce facta sunt omnia nova (II *Cor.* V). Et quomodo alia est gloria solis, alia lunæ, alia stellarum : *Stella quippe a stella differt in gloria : sic et resurrectio mortuorum* (I *Cor.* XV, 41, 42). De qua et Daniel pari voce concordat, dicens : *Plurimi dormientium de terræ pulvere surgent : hi in vitam æternam, et hi in opprobrium et in confusionem æternam* (*Dan.* XII, 2); et : *Intelligentes fulgebunt sicut splendor firmamenti.* Et de justis : *Multi sicut stellæ in sempiternum.* Neque enim in sole et luna, firmamento et stellis, circumcisio aliquid valet, aut præputium : sed est nova conditio sine his partibus corporum, quæ possunt secari. Ita igitur et nos qui diligimus Deum, et præparata sunt nobis quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt (I *Cor.* II), cum de **533** corpore humilitatis transformati fuerimus in corpus gloriæ Domini Jesu Christi, illud habebimus corpus quod nec Judæus possit incidere, nec cum præputio custodire Gentilis. Non quod aliud juxta substantiam sit : sed quod juxta gloriam sit diversum. *Oportet enim mortale hoc induere immortalitatem, et corruptivum hoc incorruptione vestiri* (I *Cor.* XV, 53). Huic quid simile et beatus evangelista Joannes sentiens est locutus : *Charissimi, nunc Dei filii sumus : et necdum manifestum est quid futuri simus. Scimus quia si*

[a] Negandi particulam, quam tamen et Græcus probat textus, nostri hic ignorant mss.

[b] Nostri mss., *qui circumciduntur;* variant et Græca exemplaria, quorum alia περιτεμνόμενοι, alia περιτετμημένοι præferunt.

[c] Pro *ait* verbo, quod mss. nostri omnes præferunt, antea legebatur quasi sacri textus particula, *ita.*

manifestatum fuerit, similes ei erimus : quia videbimus eum sicut ipse est (I *Joan.* III, 2). Quia ergo necdum manifestatum [*Al.* manifestum] est illud corpus gloriæ Jesu Christi, quod et vestigia clavorum post resurrectionem habuit, et clausis januis est ingressum; nos qui jam nunc in baptismate Christo conresurreximus, in novum renati hominem, nec circumcisioni, nec præputio serviamus : sed quod futuri sumus, jam nunc nos esse credamus.

(Vers. 16.) *Et quicumque hanc regulam sequuntur, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei.* Ad normam omnia diriguntur; et utrum prava rectave sint, cum regula apposita fuerit, arguuntur. Ita et doctrina Dei quædam quasi norma sermonis est, quæ inter justa judicat et injusta : quam qui secutus fuerit, habebit pacem in semetipso quæ superat omnem sensum; et post pacem, misericordiam quæ præcipua est in Dei Israel. Dei vero Israel dictus est, ad distinctionem ejus qui Dei Israel esse cessavit. Dicunt enim se esse Judæos, et non sunt; sed mentiuntur, cum sint de synagoga Satanæ. Nec mireris, si ad imitationem spiritualis Israel, carnalis sit Israel, qui nec pacem habeat nec misericordiam; de quo et ad Corinthios scribitur: *Videte Israel secundum carnem* (I *Cor.* X, 18); cum ad imitationem quoque Dei et Domini, multi sint dii, et multi domini, sive in cœlo, sive in terra. Pulchre autem uno sermone, ut epistolam juxta propositum argumentum finiret, Israel Dei vocavit; quo scilicet omnia quæ supra dicta sunt, non extra causam; sed ex causa disputata doceantur.

(Vers. 17.) *De cætero nemo mihi molestus sit.* Non quasi defecerit in docendo; sed quo et agricola hunc habeat [a] laborem, si quæ **534** plantaverit virgulta siccentur; et pastor sollicitudinem, si pecora quæ congregaverat dissipata lanientur. Melius ergo in Græco legitur, *De cætero labores mihi nemo exhibeat;* ne rursum scilicet in vobis necessitatem habeam laborandi. Laborem præstat magistro, qui aliter et vivit et sentit, quam magister et docuit et fecit. Potest et contentionem eorum, si qui contradicere deinceps voluerint, prævenire, quod etiam ad Corinthios in velando mulieris capite, et masculi non velando, post multa complexus est, dicens : *Si quis autem videtur contentiosus esse : nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei* (I *Cor.* XI, 16) : hoc est, nos diximus quæ nobis honesta videbantur et justa; si quis autem nolens acquiescere veritati, quærit quid respondeat, et quibus nitantur contra, sciat se responsione non dignum, qui magis contendere paratus est, quam doceri.

Ego autem stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. Qui post adventum Christi in carne circumciditur, non portat stigmata Domini Jesu; sed habet gloriam in confusione sua. Qui vero in plagis supra modum, in carceribus frequenter, ter virgis cæsus est, semel lapidatus est, et cætera quæ in catalogo scripta sunt gloriandi, hic stigmata Domini Jesu in corpore suo portat. Forte et is qui macerat corpus suum, et subjicit servituti, ne aliis prædicans ipse reprobus inveniatur, portat stigmata Domini Jesu in corpore suo (I *Cor.* IX). Lætabantur et apostoli quod digni fuerant pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* V).

(Vers. 18.) *Gratia Domini nostri Jesu Christi, cum spiritu vestro, fratres, Amen.* Non dissensio, non Legis servitus, non rixa, non jurgium, sed gratia Domini Jesu Christi sit cum spiritu vestro. Nequaquam cum carne, nequaquam cum anima; sive quia spirituales facti, caro et anima esse desistis, sive quod in principali etiam ea, quæ minora sunt, comprehendantur. Anima enim et caro subjecta sunt spiritui. De quo et Ecclesiastes loquitur : *Spiritus revertetur ad eum qui dedit illum* (*Eccl.* XII, 7). Et Paulus in alio loco: *Ipse spiritus testimonium perhibet spiritui nostro* (*Rom.* VIII, 16). Hæc autem gratia Domini Jesu non cum omnibus est, sed cum his qui fratres ab apostolo merentur **535** vocari, fratres fideles, fratresque germani, quod AMEN verbum significat Hebræum. Amen enim Septuaginta interpretes, *fiat;* Aquila, Symmachus, et Theodotio, *fideliter*, sive, *vere*, interpretati sunt. Et quomodo in veteri Testamento quadam jurandi consuetudine Deus sua verba confirmat, dicens : *Vivo ego, dicit Dominus* (*Num.* XIV, 28) : per sanctos quoque juratur : *Vivit anima tua;* ita et Salvator noster in Evangelio per verbum **536** Amen, vera esse quæ loquitur, ostendit. Quod autem Amen consensum significet audientis, et sit signaculum veritatis, ad Corinthios quoque prima nos docet, in qua Paulus ait : *Cæterum si benedixeris spiritu, quis supplet locum idiotæ? Quomodo dicet amen super tua benedictione : quoniam quidem nescit quid dicas* (I *Cor.* XIV, 16)? Ex quo ostendit non posse idioten respondere verum esse quod dicitur, nisi intellexerit quod [b] docetur.

[a] Duo mss., *hunc habeat dolorem.*

[b] Iidem mss., *quod dicitur*, pro *docetur.*

S. EUSEBII HIERONYMI,

STRIDONENSIS PRESBYTERI,

COMMENTARIORUM

IN

EPISTOLAM AD EPHESIOS

LIBRI TRES.

Prologus.

537-538 Si quidquam est, Paula et Eustochium, quod in hac vita sapientem virum teneat, et inter pressuras et turbines mundi æquo animo manere persuadeat, id esse vel primum reor, meditationem et scientiam Scripturarum. Cum enim a cæteris animantibus hoc vel maxime differamus, quod rationale animal sumus et loqui possumus : ratio autem omnis et sermo divinis libris contineatur, per quos et Deum discimus, et quare creati sumus non ignoramus : miror quosdam exstitisse, qui aut ipsi se inertiæ et somno dantes, nolint quæ præclara sunt discere : aut cæteros, qui id studii habent, reprehendendos putent. Quibus cum possim districtius respondere, et breviter eos vel offensos dimittere, vel placatos, multo esse melius Scripturas legere, quam augendis et cumulandis opibus inhiare : illud dicam, quod vel apud iniquissimum judicem obtineam, placere mihi otium meum, et solitudinem omni celebritate jucundiorem videri. Et quomodo ego non reprehendo, non damno quod faciunt : ita illos ineptias meas mihi debere concedere. Parum eloquens sum, quid ad te? disertiorem lege. Non digne Græca in Latinum transfero : aut Græcos lege (si ejusdem linguæ habes scientiam); aut si tantum Latinus es, noli de gratuito munere judicare, et, ut vulgare proverbium est : Equi dentes inspicere donati. Numquid te manu conserta in jus traho, quia nostra non scribas [*Forte* legas]? Me imperitior quisque lecturus est : tua forsitan dicta si scripseris, Tullius admirabitur. Numquid aut Tertullianus beatum Martyrem Cyprianum, aut Cyprianus Lactantium, aut Lactantius Hilarium deterruit a scribendo? Taceo de cæteris minutalibus, qui mecum in libris suis garriunt. Nisi et parva fuerint, magna eminere non possunt. Primum non dicitur, nisi secundum sequatur et tertium. Ad summa non scandimus, nisi per **539-540** ima gradiamur. Quamobrem obsecro tam vos quæ in præsentiarum estis, quam sanctam Marcellam, unicum viduitatis exemplar, ne facile maledicis et invidis opuscula mea tradatis : neque detis sanctum canibus, et margaritas mittatis ante porcos (*Matth.* VII). Qui cum bona imitari non queant, quod solum facere possunt, invident : et in eo se doctos eruditosque arbitrantur, si de aliis detrahant. Quibus obsecro respondeatis, ut figant ipsi stylum, tria ut dicitur verba conjungant, sudent paululum, experiantur semetipsos, et ex labore proprio discant ignoscere laborantibus. Scitis enim et ipsæ quod ad hoc me explanationum opus, invitum et retractantem compuleritis. Non quo ab adolescentia, aut legere umquam, aut doctos viros ea quæ nesciebam interrogare cessaverim, et meipsum tantum, ut plerique, habuerim magistrum. Denique nuper ob hanc vel maxime causam Alexandriam perrexi, ut viderem Didymum, et ab eo in Scripturis omnibus quæ habebam dubia sciscitarer. Sed cum aliud sit proprios libros componere, verbi gratia, de avaritia, et de fide, de virginitate, de viduis, et super unaquaque materia testimoniis Scripturarum hinc inde quæsitis eloquentiam jungere sæcularem, et pene in communibus locis pompaticum jactare sermonem : aliud in sensum prophetæ et apostoli ingredi, intelligere cur scripserint, qua sententiam suam ratione firmaverint, quid habeant in veteri Lege proprium Idumæi, Moabitæ, Ammonitæ, Tyrii, Philistiim, Ægyptii, et Assyrii ; quid rursum in novo Testamento Romani, Corinthii, Galatæ, Philippenses, Thessalonicenses, Hebræi, Colossenses, et quam nunc ad Ephesios Epistolam habemus in manibus. Necesse est enim, ut juxta diversitates locorum et temporum, et hominum, quibus scriptæ sunt, diversas et causas, et argumenta, et origines habeant. Et quomodo beatus Joannes in Apocalypsi sua ad septem scribens Ecclesias, in unaquaque earum specialia, vel vitia reprehendit, vel virtutes probat : ita et sanctus apostolus Paulus per singulas Ecclesias vulneribus mede-

torillatis, nec ad instar imperiti medici uno collyrio A omnium oculos vult curare. Et quia jam ad Galatas, orantibus vobis, ante paucos dies quid nobis videretur, expressimus : nunc ad Ephesios transeundum est, mediam Apostoli epistolam, ut ordine ita et sensibus. Mediam autem dico, non quo primas sequens, extremis major sit; sed quomodo cor animalis in medio est : ut ex hoc intelligatis quantis difficultatibus, et quam profundis quæstionibus involuta sit. Scribebat ad Ephesios Dianam colentes non hanc venatricem, quæ arcum tenet, atque succincta est, [a] sed illam multimammiam quam Græci πολύμαστον vocant, ut scilicet ex ipsa **541-542** quoque effigie, mentirentur omnium eam bestiarum et viventium esse nutricem. Scribebat autem ad metropolim Asiæ civitatem, in qua ita idololatria, et quod semper idololatriam sequitur, ar- B tium [b] magicarum præstigiæ viguerant, ut Demetrius diceret, *et magnæ deæ templum Dianæ in nihilum reputabitur, destruetur quoque magnitudo ejus, quam cuncta Asia et universus orbis colit* (*Act.* XIX, 27). Denique triennio ibi Apostolus moratus est, nocte et die Dei Evangelium prædicans, ut, idololatriæ arce destructa, facile minorum urbium templa caperentur. Hoc ipsum Scriptura refert quomodo Paulus ad Ephesios sermocinetur, dicens : *Quapropter vigilate, recordantes quia triennio nocte ac die non cessavi cum lacrymis monere unumquemque vestrum : et nunc commendo vos Deo, et verbo gratiæ ejus, qui potens est ædificare et dare vobis hæreditatem in sanctificatis omnibus* (*Act.* XX, 31, 32). Indigebant enim commen- C datione Apostoli ad Deum, quos tanto tempore dæmonum error tenuerat, et sciebant esse spirituales aliquas potestates, et in extis atque auguriis et divinationibus quamdam similitudinem divinitatis agnoverant. Unde rursum ad eos loquitur : *Propter quod contestor vos in die hac, quia mundus sum ego a sanguine omnium. Non enim subtraxi quo minus annuntiarem vobis omnem voluntatem Dei.* Et in alio [*Al.* eodem] loco : *Quomodo nihil subtraxerim eorum quæ vobis proderant, quin annuntiarem, et docerem publice et domestice* (*Ibid.*, 20). Legerat in Ezechiele (*Ibid.*, 26, 27), quod speculator qui populo hostium non prædixisset adventum, sanguis civium exigeretur de manibus ejus, et propterea omnem se voluntatem Dei, et universa quæ illis utilia forent annuntiasse D memoravit, ut liber esset a sanguine eorum. Ut autem sciatis eos qui in Epheso crediderant, dæmoniacis præstigiis et magiæ fuisse artibus obligatos, in eisdem Apostolorum Actibus replicatur, et dicitur : *Plurimi quoque eorum qui curiosa gesserant, comportantes libros, combusserunt coram omnibus, et computaverunt pretium eorum, et invenerunt argenti quinquaginta millia : sic potenter verbum Domini crescebat, et confortabatur* (*Act.* XIX, 19). Hæc idcirco universa replicavimus, ut ostenderemus quare Apostolus in hac vel potissimum Epistola obscuros sensus et ignota sæculis sacramenta congesserit : et de sanctarum contrariarumque virtutum docuerit potestate : qui sint dæmones, quid valeant, quid ante fuerint, et quomodo post adventum Christi sunt diruti atque destructi. De quibus ait : *Non est nobis pugna adversum carnem et sanguinem, sed adversum principatus et potestates : adversus rectores tenebrarum istarum : adversum spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI, 12). Et in alio loco : *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten. Ostium enim mihi apertum est magnum, et efficax; sed adversarii multi* (I *Cor.* XVI, 8, 9). Permansit autem Ephesi usque ad Pentecosten, tempus lætitiæ atque victoriæ, quo non flectimus genua, nec curvamur in terram : sed cum Domino resurgentes ad cœlorum alta sustollimur. Et permansit : quia apertum ei erat ostium, et non ostium modicum, sed magnum, ut vincto forti atque superato, domum ejus invaderet, spoliaret, everteret, et captivam duceret captivitatem (*Matth.* XII) : qui satellitum suorum agminibus **543-544** congregatis, tota contra Apostolum acie dimicavit, et victus est. Qui sint autem Ephesii, et hinc vel maxime comprobatur, quod sicut Joannes mysterium nativitatis antiquæ Domini relaturus, in pectus ejus recubuit, et de purissimo fonte hausit rivulum doctrinarum (*Joan.* XIII et XXI) : ita et hi in abeuntis Pauli collum ruentes (*Actor.* 20), osculis atque complexibus suis indicaverunt unum se cum eo scientiæ habere thesaurum, et magistri desiderium lacrymis contestati sunt. Illud quoque in præfatione commoneo, ut sciatis [c] Origenem tria volumina in hanc Epistolam conscripsisse, quem et nos ex parte secuti sumus. Apollinarium etiam et Didymum quosdam commentariolos edidisse, e quibus licet pauca decerpsimus, et nonnulla, quæ nobis videbantur, adjecimus, sive subtraximus, ut studiosus statim in principio lector agnoscat hoc opus, vel alienum esse, vel nostrum.

[a] Sciunt hoc certissime, qui veterum Ethnicorum legerunt scripta, sive in antiquis nummis ac statuis mammosum illud simulacrum Dianæ Ephesi, a qua sibi urbe et nomen ascivit, venerationi habitum, etiamnum spectat. Nihilosecius hanc vulgo notissimam historiam conatus est Petrus Faber acri disputatione, hocque Hieronymi testimonium lacessens, convellere, pernegans Dianam multimammiam, quæ a venatrice alte succincta distingueretur, unquam exstitisse; sed pro ea Cererem mammosam, Veteres appellasse. Quod ut evincat, locum Minucii Felicis sollicitat, immo apertissime corrumpit. Cum enim scripsisset ille : *Diana interim est alte succincta venatrix, et Ephesia mammis multis, et uberibus exstructa*, legi vult Faber : *Venatrix Ephesia, et mammis multis Ceres exstructa.* Nobis tametsi multa occurrant ad vindicandum Auctorem nostrum certissima Veterum testimonia, satis abunde fuerit luculentissimum istud Apuleii lib. II Milesiarum opposuisse : *Phœbi sororem* (profecto non Cererem, sed Dianam) *partu fœtarum medelis lenientibus recreato, populos educare, præclarisque delubris Ephesi venerari.*

[b] Insigne illud exemplum est, quo scribitur Act. XIX, 19 quos una die magicos libros flammis Paulus Ephesi tradiderat, quinquaginta millium denariorum pecunia computato pretio constitisse.

[c] Trium horum scriptorum Origenis, Apollinarii, et Didymi commentarii in hanc Epistolam jamdiu olim interciderunt.

LIBER PRIMUS.

(Cap. I.—Vers. 1.) *Paulus apostolus Jesu Christi, per voluntatem Dei.* Si *per* præpositio ministerium A ejus per quem res agitur, ostendit, videtur mihi in illam sententiam sensus iste congruere : *Nemo venit ad me, nisi Pater meus attraxerit eum ad me* (*Joan.* VI, 44). Atque ita fiet, ut et illud quod in Joannis Evangelio legitur : *Omnia per illum facta sunt* (*Joan.* I, 3), haud dubium quin per Filium, non præjudicet Domino nostro Jesu Christo, quasi ex eo minor sit, quod Patris obtemperet voluntati : quomodo et nunc non præjudicat Patri, quod per voluntatem illius Paulus apostolus Jesu Christi sit. Alii vero ita locum istum intelligunt, ut Paulum apostolum Jesu Christi, per voluntatem Dei, qui sit Christus, ostendi putent : ut sicut sapientia et Verbum, et virtus Dei, et veritas et resurrectio, et via dicitur : ita etiam voluntas ap- B pelletur. Nonnulli nihil referre existimant, utrum per voluntatem Dei, an ex Dei dixerit voluntate : quia his præpositionibus Apostolus indifferenter utatur : et idipsum significare, per voluntatem Dei, quod si dixisset, *ex voluntate Dei.*

Sanctis omnibus qui sunt [a] *Ephesi.* **545** Quidam curiosius quam necesse est, putant ex eo quod Moysi dictum sit : *Hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me* (*Exod.* III, 14), etiam eos qui Ephesi sunt sancti et fideles, essentiæ vocabulo nuncupatos. Ut quomodo a sancto sancti, a justo justi, a [b] sapiente sapientes : ita ab eo qui est, hi qui sunt appellentur, et juxta eumdem Apostolum elegisse Deum ea quæ non erant, ut destrueret ea quæ erant. Ipsam etiam Scripturam quæ in testimonium adducta est, ita edisserunt : ut C destructionem eorum quæ erant, ex consequentibus intelligamus : *Ut non,* inquit, *glorietur omnis caro in conspectu Dei* (I *Cor.* I, 29). Si enim, aiunt, quispiam ex eo quod non erat, in id quod est [*Al.* erat] a Deo esse proficiens, non datori gratiam referat ; sed sui meriti et virtutis æstimet quod subsistat, statim quod est esse destruitur, et incipit non esse quod fuerat. Alii vero simpliciter, non ad eos qui sint [*Al.* sunt], sed qui Ephesi sancti et fideles sint, scriptum arbitrantur.

Et fidelibus in Christo Jesu. Quoniam sanctificata est mulier infidelis in fratre fideli, et vir infidelis sanctificatus est in muliere fideli (I *Cor.* VII, 14). Et sunt vasa quoque sancta, et mutæ pecudes quæ Deo mactantur in templo (*Num.* IV *et* XXXI) : propterea eos quos sanctos dixerat, vocavit et fideles : quia fides ex mentis propriæ descendit arbitrio : sanctificatio vero ex sanctificantis interdum, absque voluntate nostra, sumimur largitate. Quod autem ait, *fidelibus in Christo Jesu,* et hoc ad distinctionem diligentissimæ observationis est positum. Sunt quippe plures fideles ; sed non in Christo Jesu. Si quis reddat depositum ; si quis [c] commendata non abneget, fidelem se amicum exhibeat : animam magis quam fidem paratus sit [d] prodere, quod de nonnullis philosophis legimus (et ne illi satis gloriarentur, Atheniensis meretrix perpetravit), iste quidem fidelis est : sed non est fidelis in Christo Jesu.

(Vers. 2.) *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.* Sive ambo ad utrumque, hoc est, et gratia et **546** pax, tam ad Deum Patrem, quam ad Dominum nostrum Jesum Christum : sive ad singulos referenda sunt singula, ut gratia ad Deum Patrem, pax vero referatur ad Christum. Siquidem statim sequitur : *In laudem gloriæ gratiæ suæ : in qua glorificavit nos in dilecto* ; ut gratia Patris in eo sit, quod Filium pro salute nostra dignatus est mittere : Pax

[a] Ex inferiori toto contextu liquet, Hieronymum cum hanc sibi proponeret explicandam Epistolæ Paulinæ epigraphen, nomen prætermisisse *Ephesi.* Neque ex eo tantum dico, quod scitum vulgo est, nonnulla exstitisse vetera exemplaria, cum Græca tum Latina, quæ non apponerent civitatis nomen : quemadmodum et alia, quæ non *Ephesi* præferrent, sed *Laodiceæ.* Moveor autem ex eo potissimum, quod statim ex subnexa expositione notat S. Pater, quosdam hinc (nempe quod nullum adderetur Ecclesiæ sive urbis nomen) *curiosius putasse eos qui Ephesi sunt sancti, et fideles, essentiæ vocabulo nuncupatos. Alii vero simpliciter, non ad eos qui sint, sed qui Ephesi* D *sancti et fideles sint, scriptum arbitrentur.* Etenim si in proponenda epigraphe, addebatur *Ephesi,* jam nihil erat istas recitare sententias, ne verbo quidem causata ἀντιγράφων varietate aut silentio : et tamen ambæ cum referuntur, utpote quæ præ cæteris loci explicationi conferant, suo quæque argumento indicat, vocem *Ephesi* in archetypo desiderari. Cæterum nec omittam de priori sententia, notari abs Hieronymo Basilium, qui libro II adversus Eunomium vetustissimos libros laudat, qui absque addito, ἐν Ἐφέσῳ, legerent τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσι, καὶ πιστοῖς, atque adeo ἰδιάζοντας, sive per propriam dignitatem, et quodammodo natura sanctos eos dici ab Apostolo, ad quos Epistola data est : ad ejus instar effati Exod. III, 14 : *Ego sum qui sum,* quod quidem jocose potius quam graviter pronuntiari videatur. Sed quando in hac versamur disputatione, et illud obiter Tertulliani testimonium, contendentis a Marcione titulum Epistolæ interpolatum, ac *Laodiceæ* substitutum, pro *Ephesi. Ecclesiæ quidem,* inquit lib. V contra Marcion. cap. 17 : *Veritate Epistolam istam ad Ephesios habemus emissam, non ad Laodicenos ; sed Marcion ei titulum aliquando interpolare gestiit, quasi et in isto diligentissimus explorator.* Denique videri propiores ad fidem recentiorum interpretum conjecturas, qui hanc Epistolam opinantur encyclicarum more ad plures datam Asiæ minoris Ecclesias : quare ejus ad quam mittebatur, nomen ab Apostolo prætermissum, ad hunc fere modum : *Sanctis qui sunt... et fidelibus in Christo,* etc.

[b] Restituimus, *a sapiente,* ad mss. veterumque editorum fidem, seriemque contextus, cum antea esset, *a sapientia.*

[c] Hic quoque mss. præferunt, *commendata,* pro quo antea legebatur, *commodata.*

[d] Duo mss., *paratus sit ponere.*

vero Filii in eo, quod per ipsum Patri reconciliati sumus, et destructo medio pariete, inimicitias in carne sua evacuans, fecerit utrumque unum.

(Vers. 3.) *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus, in Christo.* Quomodo secundum substantiam atque naturam Deus bonus, nos communione sui effecit bonos, et loquitur ad Israel : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum* (*Levit.* xx, 7) : ita ipse benedictus nos præstet esse benedictos. Dat quippe legislator benedictiones, et benedictio Domini super caput justi (*Prov.* x) : cujus benedictionis cognomentum habet *Baruch*, qui in lingua nostra, *benedictum* sonat. Benedixit autem nos, non in una benedictione, sed in cunctis. Non quo omnes omnia consequamur, sed dum singuli, vel singulas, vel plures habemus ex omnibus, omnes [a] per singulas possideamus. Et non in terrenis benedictionibus, sed in spiritualibus. Sunt quippe terrenæ benedictiones, habere quempiam liberos, affluere opibus, honore et sanitate gaudere : quæ terrena benedictio usque ad irrationabilia jumenta descendit. Dictum est quippe de illis : *Benedixit eis Dominus, et dixit : Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I, 22). Spirituales vero benedictiones in cœlestibus sunt : quia terra benedictionem non capit spiritualem. Siquidem et benedictiones illæ quæ in Levitico Dei præcepta servantibus promittuntur (*Levit.* xxvi) : verbi causa, externis Gentibus fenerare, plena esse horrea frumentis, benedictos esse in urbibus (*Deut.* xxviii), benedictos in agris, et cætera his similia, in prophetis non videbimus [*Al.* videmus] expleta, hominibus, qui in melotis et in caprinis pellibus **547** erraverunt : in egestate, in angustia, in desertis montibus, in speluncis et cavernis petrarum, persecutorum impetus declinantes (*Hebr.* xi). Spiritualiter ergo accipienda sunt omnia, et spiritualia, non in terrenis locis, sed in cœlestibus exspectanda. Quod vero ait : *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus*, quasi jam in præterito factum sit, et non in futuro promissum, id est, benedixit, et non benedicturus est, quæritur quomodo adhuc in terra nos positos, cœlesti benedictione benedixerit. Sive igitur quod conversatio nostra in cœlis est, et non sumus de mundo isto; sed deposita imagine choici, portamus imaginem supercœlestis : et in carne non vivimus, sed in spiritu : et thesaurizamus nobis in cœlis ubi et cor habemus, dicimur nunc cœlesti benedictione benedicti : sive certe, quod omnis benedictio spiritualis in Christo, licet in terra sit, tamen de cœlestibus computetur. *Benedixit nos*, inquit, *in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo :* in sermone Dei, et sapientia, et veritate, cæterisque virtutibus. Dupliciter autem legendum : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi ;* ut sit benedictus Deus, qui universorum conditor est, et hucusque distinctio; deinceps inferatur : *qui est et Pater Domini nostri Jesu Christi*, vel ita ; ut Deus et Pater, ad Dominum nostrum, in commune referatur. Benedictus Deus ejus qui assumptus est hominis, et Pater ejus, qui in principio apud Deum fuit Deus Verbum. Non quo alius assumptus homo, et alius sit sermo qui assumpserit ; sed quo unus atque idem pro varietate causarum, nunc sublimis, nunc humilis, prædicetur.

(Vers. 4.) *Sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi : ut essemus sancti et immaculati coram ipso.* Pro [b] constitutione mundi, in Græco scriptum habet, [c] πρὸ καταβολῆς κόσμου; non idipsum autem καταβολὴ, quod *constitutio* sonat. Unde et nos propter paupertatem linguæ, et rerum novitatem, **548** et sicut quidam ait, quod sit Græcorum et sermo latior et lingua felicior, conabimur non tam verbum transferre de verbo, quod impossibile est, quam vim verbi quodam explicare circuitu. Καταβολὴ proprie dicitur, cum qui deorsum jacitur, et in inferiorem locum mittitur de sublimi, vel cum aliqua res sumit exordium. Unde et hi qui ædium futurarum prima jaciunt fundamenta καταβεβληκέναι, id est, deorsum initia fundamentorum jecisse dicuntur. Volens itaque Paulus ostendere quod Deus universa sit machinatus ex nihilo, non *conditionem*, non *creaturam* atque *facturam*, sed καταβολὴν, id est, *initium fundamenti* ad eum retulit : ut non juxta Manichæum, et cæteras hæreses (quæ factorem et materiam ponunt) aliquid [*Al.* aliud] unde creaturæ factæ sint, antecesserit creaturas : sed omnia ex nihilo substiterint. Quod autem electos nos, ut essemus sancti et immaculati coram ipso, hoc est, Deo, ante fabricam mundi testatus est, ad præscientiam Dei pertinet ; cui omnia futura jam facta sunt, et antequam fiant universa sunt nota. Sicut et Paulus ipse prædestinatur in utero matris suæ, et Jeremias in vulva sanctificatur (*Jerem.* I), eligitur, roboratur, et in typo Christi propheta gentibus mittitur. Alius [d] vero qui Deum justum conatur ostendere, quod non ex præ-

[a] Cirterciensis ms., *omnes vel singulas possidemus.*

[b] Hieronymus cum favoris in Origenem purgare suspicionem voluit, hosce cumprimis Commentarios in Pauli epistolam ad Ephesios, utpote quibus probari sua posset fides, Rufino calumnianti opposuit. Hic avide occasione arrepta, et quærens in scirpo nodum, hosmet libros iniquissima diligentia expendit, inque Origeniani sensus invidiam perverse trahit, facto ab his verbis accusandi initio. Nos quædam subinde pro S. Doctore contra Aquileiensem presbyterum animadvertemus ; sed quando ipsa rationum momenta ob oculos ponere per notarum angustias non licet, ut ipsos invectivarum Rufini libros, a prioris numero vigesimo tertio ad alterius finem usque, lectores consulant, ipsique dijudicent, auctores sumus.

[c] Ex hoc loco intelligimus quantum sibi tribuerint Erasmus et Marianus in editione Græcarum lectionum : neque vero ex codicibus Hieronymianis, sed ex proprio ingenio hic omittunt præpositionum πρὸ, adduntque articulum τοῦ, qui non legitur in Græco contextu S. Pauli, neque in exemplaribus manuscriptis hujusce commentarii S. Hieronymi. MART.

[d] Hunc alium, cujus hic dissimulat nomen, Origenem esse non diffitetur S. Pater in Apologia contra Rufinum ; seque ita, quod nomen ejus tacuerit, excu-

judicio scientiæ suæ, sed ex merito electorum unumquemque eligat, dicit, ante visibiles creaturas, cœlum, terram, maria et omnia quæ intra ea [*Al.* in eis] sunt, fuisse alias invisibiles creaturas, in quibus et animas, quæ ob quasdam causas, soli Deo notas, dejectæ sint deorsum in vallem istam lacrymarum, in locum afflictionis et peregrinationis nostræ, in quo sanctus constitutus orabat ut ad sedem pristinam reverteretur, dicens : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus* [Al. *habitationibus*] *Cedar, multum peregrinata est anima mea* (*Ps.* CXIX, 5). Et in alio loco : *Miser ego homo : quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et : *Melius est* **549** *reverti, et esse cum Christo.* Et alibi : *Antequam humiliarer ego peccavi* (*Ps.* CXVIII, 67), et cætera his similia. Itaque priusquam animæ, inquiunt, præcipitarentur in [a] mundum, et mundus ex animabus [*Al.* animalibus] fieret cum habitatricibus suis, in infimum ipse dejectus, elegit Paulum Deus et ei similes coram se, qui erant sancti et immaculati. Nemo autem eligitur nisi de pluribus : et ubi sunt aliqui viliores, ibi electio perpetratur. Quomodo autem in Babylonia captivitate, quando a Nabuchodonosor in Chaldæam abductus est populus, missi sunt prophetæ Ezechiel, Daniel, tres pueri, Aggæus, Zacharias, non quo et ipsi meruerint captivitatem, sed ut essent in solatio captivorum : ita et in illa dejectione mundi eos, qui antequam mundus fieret, electi erant a Deo, missos esse in eruditionem et magisterium animarum peccatricium, ut ad prædicationem eorum reverterentur ad eum locum unde corruerant : et hoc esse quod a Moyse in octogesimo nono psalmo dicatur : *Domine, refugium factus es nobis in generatione et generationem : antequam montes firmarentur, et fieret terra, et orbis terrarum* (*Psal.* LXXXIX, 1). Quod scilicet antequam mundus fieret, et universa generatio principium sumeret, sanctis suis Deus refugium fuerit. Quod autem ait, *ut essemus sancti et immaculati coram ipso*, inter sanctum et immaculatum hoc interest, quod sanctus et immaculatus quoque intelligi potest, immaculatus vero non statim et sanctus. Parvuli quippe immaculati sunt, quia integro corpore nullum fecere peccatum : et tamen non sancti, quia sanctitas voluntate et studio comparatur. Et quod immaculatus dici potest ille qui peccata non fecit, sanctus autem is qui virtutibus plenus sit, juxta illud quod in quodam psalmo scribitur : *Qui ambulat sine macula, et operatur justitiam* (*Psal.* XIV, 2) Et in Cantico canticorum : *Tota speciosa es, proxima mea, et macula non est in te* (*Cant.* IV, 7). Quæritur quomodo sanctus quis et immaculatus sit coram Deo, cum propheta testetur, dicens : *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Aut enim sancti et immaculati coram

A Deo Ephesii sunt, et falsum est hoc quod dicitur : *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Aut si nemo justificatur **550** in conspectu Dei, falsum est quod præcessit, sanctos et immaculatos esse in conspectu Dei, ad quod bifariam est respondendum. Non enim ait Paulus : Elegit nos ante constitutionem mundi, cum essemus sancti et immaculati; sed, elegit nos ut essemus sancti et immaculati, hoc est, qui sancti et immaculati ante non fuimus, ut postea essemus. Quod et de peccatoribus ad meliora conversis dici potest, et stabit illa sententia : *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, id est, in tota vita sua, in omni quo in mundo isto conversatus [*Al.* versatus] est tempore. Quidem ita intellectum, et adversum eum facit, qui antequam mundus fieret, B animas dicit electas esse propter sanctitatem et nullum vitium peccatorum. Non enim, ut ante jam diximus, eliguntur Paulus, et qui ei similes sunt, quia erant sancti et immaculati; sed eliguntur et prædestinantur, ut in consequenti vita per opera atque virtutes sancti et immaculati fiant. Deinde et sic sentiendum est, quia non dixerit : *Non justificabitur in conspectu tuo quispiam vivens*; sed, *omnis vivens*, id est, non justificabuntur omnes : justificabuntur vero aliqui.

(Vers. 5.) *In charitate prædestinans nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum.* Dupliciter legendum, ut charitas vel cum superioribus, vel inferioribus copuletur. Cum superioribus ita : *ut essemus sancti et immaculati coram ipso in charitate*, C et postea sequatur : *prædestinans nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum* [Al. ipso]. Cum inferioribus autem sic : *in charitate prædestinans nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum.* Differentiam vero Græci sermonis [b] προορίσας et ὁρισθέντος Latinus sermo non explicat. Superior quippe sermo ad eos refertur, qui antea non fuerunt, et priusquam fierent, de his cogitatum est, et postea substiterunt. Inferior vero de eo quem nulla cogitatio, voluntas nulla præcessit, sed semper fuit, et numquam ut esset, accepit exordium. Unde recte nunc de his qui cum ante non essent, postea substiterunt, dicitur προορισθέντες. De Filio vero, hoc est, de Domino nostro Jesu Christo, in alio loco scriptum est ὁρισθέντος, quia semper cum Patre fuit, D **551** et numquam eum ut esset, voluntas paterna præcessit. Ex quo colligitur semper Patrem, semper fuisse Filium, et in quibus æternitas coæqualis est, eamdem esse naturam. Nec non etiam hoc inferendum, quod cum prædestinet nos, sive præfiniat [*Al.* definiat] Deus, in adoptionem filiorum per Jesum Christum : tamen non ante filii esse possumus [*Al.* possimus], nisi Filii ejus Jesu Christi fidem et intelligentiam recipiamus. Et ille quidem natura Filius

sat : *Quia Commentatoris officium est, multorum sententias ponere, et hoc me facturum in præfatione promiseram, etiam Origenis absque invidia nominis ejus Explanationem posui, dicens : Alius vero qui Deum justum conatur ostendere*, etc.

[a] Cisterciensis ms., *præcipitarentur in profundum.* Porro conferendus Rufinus lib. laudato, num. 26

[b] Idem ms. προορισθέντος et ὁρισθέντος, fere rectius.

est : nos vero adoptione. Ille numquam Filius non fuit : nos antequam essemus, prædestinati sumus, et tunc spiritum adoptionis accepimus, quando credidimus in Filium Dei.

Secundum placitum voluntatis suæ. Verbum εὐδοκίαν, quod Latinus [a] sermo interpretatus est, *placitum*, apud Græcos compositum est ex duobus integris, ἀπὸ τοῦ Εὖ, καὶ τοῦ Δοκεῖν, a *bene*, et a *placito*, quod nos possumus dicere *beneplacitum*, quia non statim omne quod placuit, et bene placere potest, sed ibi tantum εὐδοκία hoc est, *beneplacitum* dicitur, ubi quod placuit, recte placitum comprobatur. Hunc autem sermonem de Hebraico RESON (רצון), Septuaginta interpretes transtulerunt, rebus novis, nova verba fingentes. Invadunt itaque in hoc loco occasionem, qui ante conditionem mundi, animas putant cum angelis et cæteris virtutum nominibus in cœlesti Jerusalem fuisse versatas, quod nec [b] beneplacitum Dei, nec in laudem gloriæ ejus, et gratiæ possit intelligi, alios nudos, barbaros, servos, debiles : alios divites, Romanos, liberos, sanos : ignobiles, vel nobiles in diversa orbis parte generari, nisi causæ præcesserint, quibus ex meritis hæc animarum unaquæque sortita sit. Et illud quod ad Romanos scriptum se quidam putant nosse, nec norunt : *An non habet potestatem figulus de eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam* (Rom. IX, 21)? ad eumdem sensum referunt : ut quomodo vita bona, sive mala, laboriosa, vel facilis, frustra in isto mundo agitur, nisi credamus Dei futurum judicium esse ; ita et diversitas in hoc mundo nascentium justitiam Dei arguat, nisi animarum merita præcesserint. Si enim, inquiunt, hæc non ita accipimus, nec beneplacitum **552** voluntatis Dei erit, nec in laudem gloriæ et gratiæ ejus [c], alios elegisse ante constitutionem mundi, ut essent sancti et immaculati, et haberent adoptionem per Jesum Christum : alios ultimæ conditioni, et pœnis perpetuis destinasse.

(Vers. 6.) *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto.* Quæ laus, inquiunt, gloriæ gratiæ Dei est, alios gratificare in Christo, alios æternis præparare suppliciis : amare Jacob, antequam oriatur ex utero ; odisse Esau priusquam digna odio perpetraret, nisi causæ præcesserint quæ justitiam Dei probent? Omnis ergo gratia quam consequimur in gloriam, et laudem ejus qui nos justificavit [*Al.* gratificavit] in dilecto, hoc est, in Domino nostro, et Salvatore completur : quia absque sapientia, veritate, justitia, pace, redemptione, cæterisque virtutibus, nullum bonum intelligi potest. Nec putandum quod in Latinis codicibus habetur scriptum esse, *in dilecto filio suo*, sed simpliciter, *in dilecto ;* et si quidem esset additum, *dilecto Dei*, vel *dilecto Patris*, esset simplex intelligentia, et omnium opinione vulgata, quod Dominus noster Jesus Christus diligeretur a Patre ; sed non magnum aliquid proprietati Filii concederemus, cum sic Filius diligeretur, ut cætera. Dicitur quippe ad Deum [*Al.* eum] : *Diligis omnia, et nihil abjicis eorum quæ fecisti : Neque enim odio quid habens condidisti* (Sap. XI, 23). Aut si esset oppositum, *in qua gratificavit nos in dilecto præ omnibus*, universus scrupulus fuisset ablatus, quia et patriarchas et prophetas, et omnes sanctos viros scimus a Deo fuisse dilectos. Nunc vero in eo quod absolute locutus est, dicens : *in dilecto*, ita mihi intelligendum videtur, ut subaudiatur, *ab omnibus.* Si enim Christus, ut sæpe jam diximus, sapientia est, justitia, pax, gaudium, continentia, et cætera, hæc virtutum vocabula etiam hi qui sequi nequeunt diligunt, et nullus tam confessi sceleris est, ut non sapientiam et justitiam amare se dicat. Quomodo et de substantia Dei omnium hominum consentit opinio, quod divina sit, et nullius sensu facile comprehendatur, errat vero unusquisque, dum talem, vel talem eam putat : ita et Christum, secundum **553** id quod diversas virtutes sonat, omnes diligunt, licet plures factis non possint probare quod diligunt. Iste est dilectus quem æstimo et in Isaia significari : *Cantabo dilecto canticum dilecti vineæ meæ* (Isai. V, 1) ; et : *Vinea facta est dilecto ;* et in vigesimo octavo psalmo : *Conteret Dominus cedros Libani, et comminuet eas, ut vitulum Libani, et dilectus sicut filius unicornium* (Psal. XXVIII, 6).

(Vers. 7.) *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum.* Ille redimitur qui captivus est, et in hostium veniens potestatem liber esse desivit : ita et nos quidam dicunt in hoc mundo esse captivos, et sub principibus et potestatibus jugo servitutis teneri, nec ante vinctas catenis explicare manus, et oculos sursum attollere, nisi redemptor advenerit. Sed quis iste, aiunt, tantus et talis, qui possit pretio suo totum orbem redimere? Jesus Christus Filius Dei proprium sanguinem dedit, et nos de servitute eripiens libertate donavit. Et revera si historiis gentilium credimus, quod Codrus, et Curtius, et Decii [d] Mures pestilentias urbium, et fames, et bella suis mortibus represserint, quanto

[a] Voculam, *sermo*, quæ deerat, nostri intersérunt mss.

[b] Verius legerit, *nec secundum beneplacitum Dei*, Rufinus lib. II, num 27 et seq., quem videsis.

[c] Addit idem Rufinus hic verbum, *referetur.*

[d] Exscriptores antiqui nescierunt Decios fuisse cognominatos *Mures* (ut *P. Decius Mus* apud Valer. Maxim. lib. I de Somniis, cap. 7) : ideo separatim legunt *Mures* inter clades quas Decii et alii suis mortibus represserint. Hunc errorem, nec Erasmus, nec Marianus Victorius castigavit in sua editione, sed de inemendatis inemendata scripserunt ambo, quamvis alioquin eruditi viri. Codrus itaque, rex Atheniensium, pro patriæ salute, certissimæ se morti objectavit. Responsum enim acceperant Peloponenses, ita demum se imperaturos, si hostium regem non occidissent. Fefellit ergo eos habitu mendici, eosque in suam necem per jurgia provocando, a nullo cognitus, fecit fidem oraculo. Unde Virgilius ecloga quinta hæc habet :

Si quos aut Phyllidis ignes,
Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.

Curtius vero, prænomine Marcus, is est adolescens Romanus nobilis, qui se, pro salute patriæ, diis Ma-

magis hoc in Dei Filio possibile judicandum est, quod cruore suo, non urbem unam, sed totum purgarit orbem! Dupliciter vero sanguis Christi, et caro intelligitur, vel [a] spiritualis illa atque divina, de qua ipse dixit: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (*Joan.* VI, 56); et: *Nisi manducaveritis carnem meam, et sanguinem meum biberitis, non habebitis vitam æternam* (*Ibid.*, 54); vel caro et sanguis, quæ crucifixa est, et qui militis [b] effusus est lancea. Juxta hanc divisionem et in sanctis ejus diversitas sanguinis et carnis accipitur, ut alia sit caro quæ visura est salutare Dei: alia caro et sanguis quæ regnum Dei non queant possidere. Consequenter autem post redemptionem sanguinis Christi, **554** remissionem accepisse scribimur peccatorum: quia nisi redempti fuerimus, frustra nobis peccata donantur. Nec ante veniam accipere possumus delictorum, et servi esse cessamus, nisi pretium pro nobis cruentus quondam victor acceperit.

(Vers. 8.) *Secundum divitias gratiæ ejus qua* [Al. *quæ*] *abundavit in nobis.* Qui intelligit hoc quod dictum est: *Gratia estis salvati, et non ex operibus* (*Ephes.* II), et quinquaginta et quingentorum denariorum in Evangelio debitorem (*Luc.* VII): quod qui plus dimittitur, plus diligat: iste potest scire quod secundum divitias suas Dei gratia abundarit in nobis: maxime in Ecclesia de gentibus congregata, quæ aliena fuit a testamento et promissionibus Israel, cujus delicto nos salutem consecuti sumus. Annon est magnitudo gratiarum in Paulo, et in cæteris sanctis, de quibus dicitur: *Nescitis quoniam Angelos judicabimus* (I *Cor.* V, 3)? et in alio loco: *In quem desiderant angeli considerare* (I *Petr.* I, 12): et rursum: *Pater, da ut quomodo ego, et tu unum sumus, sic et ipsi in nobis unum sint* (*Joan.* XVII, 21). Has divitias gratiarum ille id se non facit vacuas, qui quantum valet humana fragilitas, nititur, laborat, atque contendit, et cum Apostolo loquitur: *Gratia ejus in me non fuit* [c] *vacua* (I *Cor.* 15). Qui vero beneficii magnitudinem non recordans, ad deteriora delabitur, in isto dives gratia Dei, et opulenta largitio paupertate tenuatur.

(Vers. 9.) *In omni sapientia et prudentia notum nobis faciens mysterium voluntatis suæ.* Sapientiam et prudentiam esse diversas, Stoici quoque opinantur, dicentes: « Sapientia est rerum divinarum humanarumque cognitio; prudentia vero tantum mortalium. » Juxta hanc divisionem possumus sapientiam invisibilium, et visibilium accipere; prudentiam vero tantum visibilium. Quæritur itaque quomodo nobis Deus, in omni sapientia, et prudentia notum **555** fecerit mysterium voluntatis suæ. Et quidem primum simpliciter accipiendum, quod mysterium voluntatis ejus, redemptio nostra sit, per sanguinem Filii ipsius, et remissio peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus qua [*Al.* quæ] abundavit in nobis. Quod scilicet nos in Domini passione credentes (quæ est stultitia non credentibus) sapientiam possideamus atque prudentiam. Deinde quod per Scripturas suas nobis nota fecerit universa mysteria: quomodo primum cœlum, et terram machinatus sit, et omnia quæ intra ea sunt, fecerit, ordinarit atque distinxerit: ut plasmatus homo, et usque ad passionem Christi mundus impletus sit, quomodo ex visibilibus ea quæ sunt invisibilia cognoscantur. Ad extremum, quod etiam ea quæ in terra sunt, sapientia indigeant atque prudentia. Quotus enim quisque nostrum scit quid sit illud quod aves in aera suspen-

nibus devovit. Nam cum terra in medio foro ingenti hiatu desedisset, responsumque esset, non coituram labem, nisi quisquam ex primæ speciei adolescentibus sese in hiatum dejecisset, Curtius acceptam a patria vitam, eidem impendere non dubitavit. Conscenso igitur equo, sine mora in hiatum præcipitem se projecit. Liv. lib. VI. Tres Curtii se pro salute reipublicæ devoverunt. Duorum tantum meminit Valerius. lib. V de Pietate erga Patriam, cap. 4, ejus scilicet qui consulatum in familiam suam primus intulit, et filius ejusdem consulis, qui patris exemplum secutus est. De utroque Valerius Maximus loco citato: *Itaque dignosci arduum est, utrum Romana civitas utilius habuerit Decios duces, an amiserit. Quoniam vita eorum ne vinceretur obstitit, mors fecit ut vinceret.* Decii tamen tres fuerunt, pater, filius et nepos. Cicero I Tusculan.: *Nam cum Latinis decertans pater Decius, cum Hetruscis filius, etiam cum Pyrrho nepos, se hostium telis objecissent*, etc. MART. — Notatum et Martianæo Deciis hoc fuisse cognomen *Mures*, veteresque adeo peccare editiones, quæ separatim legunt *Mures*, interque eas numerant clades, quas e Deciis sua unus represserit morte. Nos ad verissimam lectionem asserendam quædam laudabimus Antiquorum testimonia. Cicero Philippica XIII, n. 13: *Est etiam ibi Decius ab illis, ut opinor, Muribus Deciis*, etc Levius lib. VIII: *Creavere coss. T. Manlium Torquatum III, et P. Decium Murem.* Tum lib. X: *Coss. novi Q. Fabius Maximus III, P. Decius Mus.* Demum Frontinus de Aquæductibus: *Appia M. Valerio Maximo, P. Decio Mure coss. anno XXI, post initium Samnitici belli inducta est Appio Claudio*, etc. Porro absque cognomento Murium notissimi tres sunt in Romana historia Decii, pater, filius, et nepos, qui *ad non dubiam mortem cucurrerunt*, ut ait Cicero I Tuscul. disputat. num. 37: *Cum Latinis decertans pater Decius, cum Hetruscis filius, cum Pyrro nepos.* Codri Atheniensium regis, et Curtii Romani equitis historiæ neminem latent.

[a] Divinam hic et spiritualem carnem Christi vocat Hieronymus, quia in sacramento Eucharistiæ divina virtute consecratur; spiritualis et invisibilis existit in eo; ac denique invisibiliter et spiritualiter sub specie visibili sumitur et manducatur. Quamvis autem his omnibus modis sit divina caro et spiritualis: vera tamen ac substantialis est juxta comparationem quam consequenter instituit idem Hieronymus, de diversitate sanguinis et carnis in homine Christiano. MART. — Atque hoc rursus notatum ante nos Martianæo, spiritualem abs Hieronymo carnem dici, quod in Eucharistiæ sacramento spiritualis, atque invisibilis sit, divina tamen et vera caro, ut ex ipso contextu liquet.

[b] Æque bene unus Cisterciensis ms., *et quæ militis effossa est lancea.*

[c] Notanda lectio codicis Cisterciensis, *parva*, pro *vacua*: nam et scimus vetustiora Latinæ interpretationis exemplaria prætulisse olim, *parca*, ex quo Ambrosiaster, *paupera*, legisse dicitur, et paupera. Græcus quoque variat textus in aliquot libris, in quibus est πτωχή, pro κενή.

dat, pisces in fluctibus, [a] nec non hominum gressus promoveat, et rabiem incitet bestiarum? Sed qui diligens lector est, statim nobis illud opponet: Si ex parte cognoscit Paulus, et ex parte prophetat, et nunc videt per speculum in ænigmate (I *Cor.* XIII), quomodo vel ipsi, vel Ephesiis, in omni sapientia atque prudentia Dei mysterium revelatum est? Hac itaque necessitate compellimur mutare ordinem lectionis, et facere: *Secundum placitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ tuæ, in qua gratificavit nos in dilecto; in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus, qua abundabit in nobis in omni sapientia et prudentia*, ut cum hucusque distinxerimus, quo scilicet, *omni sapientia et prudentia*, ad superiora jungantur, deinceps inferamus: *notum faciens nobis mysterium voluntatis suæ secundum placitum suum.* Potest autem et hac manente sententia, quod ex parte videant, et ex parte prophetent, nunc in omni sapientia et prudentia, dici revelatum eis esse mysterium. Non quo ipsi in omni sapientia et prudentia mysterium didicerint, sed Deus in omni sapientia sua atque prudentia, juxta quod consequi poterant, eis mysterium revelaverit.

556 *Secundum placitum suum quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum.* Supra dixerat, *secundum placitum voluntatis suæ;* nunc, *secundum placitum suum*, voluntate [b] detracta. Ibi προορισμὸν, id est, *prædestinationem in adoptionem filiorum per Jesum Christum* posuit: hic vero πρόθεσιν, id est, *propositionem.* Inter prædestinationem autem, et propositum, hi qui solent inter verba discernere, hoc asserunt interesse, quod prædestinatio alicujus rei multo ante in mente ejus qui destinet quid futurum sit, præfiguret: Propositum autem, cum jam vicina sit machinatio, et pene cogitationem sequatur effectus. Quod vero ait, *proposuit in eo*, ad mysterium referendum est: siquidem supra dixerat: *ut notum faceret nobis mysterium voluntatis suæ*, quod mysterium dispensatio est plenitudinis temporum, ut statuto tempore omnia compleantur. Quomodo enim hæres quamdiu parvulus est, licet ipsius bona sint, tamen necdum ei debetur hæreditas (*Galat.* IV): ita et mysterium quod prædestinatum fuerat a Deo in adoptionem filiorum ejus, ante non potuit dispensari, nisi suo veniret tempore. De quo et alibi numero singulari Paulus ait: *Ut autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum* (*Ibid.*, IV, 4): qui ante venire non potuit, nisi mysterium temporis impleretur.

(Vers. 10.) *Recapitulare omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra* [Al. addit *sunt*], *in ipso.* Pro *recapitulare* in Latinis codicibus scriptum est, *instaurare* [Al. *restaurare*]. Et miror cur ipso verbo Græco non usi sint translatores, cum istiusmodi licentia, dialectica et philosophia sicut in Græco habentur, assumptæ sint. Nam et oratores in epilogis, vel ante [*Al.* inter] epilogos, in fine causarum propter memoriam judicum et eorum qui audiere negotia, [c] *recordationem*, id est, ἀνακεφαλαίωσιν solent facere, ut quæ prius latius disputarant, brevi postea sermone comprehendant, et unusquisque recordari eorum incipiat quæ audivit. Sensus itaque in præsenti loco iste est: Omnis dispensatio quæ et ante mundum, et postea esse cœpit in mundo, tam invisibilium quam visibilium creaturarum, adventum Dei **557** Filii pollicebatur. Quod Adam qui de paradiso ejectus est, per Salvatorem revocandus erat (*Genes.* III). Quod in fabricatione turris, linguarum unitas scissa est (*Gen.* XI), in Actibus apostolorum portendebat dona linguarum (*Actor.* II). Quod Isaac in typo Domini, crucem suam ipse portavit (*Genes.* III). Quod Samson sanctam comam nutriens, Dalilæ pauperis dilexit amplexus, et omnia cordis sui secreta confessus est (*Judic.* XVI), Salvatoris et Ecclesiæ ex Gentibus vere pauperis et egenæ mysterium significabat (*Joan.* XIX). In cruce itaque Domini, et in passione ejus recapitulata sunt omnia, id est, universa in hac ἀνακεφαλαιώσει supputata. Quod ut manifestius fiat, quotidianæ consuetudinis aliquod ponamus exemplum. Verbi causa: Viginti denarios erogavi, rursum quinque, et alios quindecim; triginta quoque et ter decies, per diversa tempora dedi. Hæc si in unum voluero supputare, centenarii mihi numeri summa succrescit, et in uno numero habebo omnia quæ ante descripsi. Sic itaque universa mysteria et omnis dispensatio vetustatis non solum quæ in terris, sed etiam quæ in cœlis gesta est, in Christi passione completur. Cum enim semel mihi Christus passus fuerit, et sepultus, et resurrexit, et ad Patrem victor ascenderit: non necesse habeo veterem numerum, quia in uno omnia teneo. Diligenter attendite, quod non solum omnes historiæ Scripturarum, quas in terra gestas Spiritus sanctus enumerat: sed etiam in cœlestibus quæ nobis ocultæ sunt, in Christi recapitulata passione teneantur.

(Vers. 11.) *In quo et sorte vocati sumus: prædestinati secundum propositum ejus qui universa operatur secundum consilium voluntatis suæ.* Verbum hæreditatis et sortis, per quas in Christi partem venimus, ostendit nos de alia potestate ad aliam transmigrasse: et secundum illud quod in Deuteronomio scriptum est: *Quando dividebat Altissimus gentes, cum disseminaret filios Adam* (*Deut.* XXXII, 8), de angelorum ditione ad partem Domini esse translatos. Et illi quidem aliena, et sibi vel commissa vel usurpata tenuerunt. Iste vero recepit sua: et ascendens in altum captivam duxit captivitatem (*Ps.* LXVII), id

[a] Perplacuit isthæc nostrorum codd. atque imprimis Cisterciensium lectio, *necnon*, pro quo erat in vulgatis antea libris incommodo sensu, *non necet.*

[b] In uno Cisterciensi, *voluntate destructa.*

[c] Malim rescribi cum ex orationis proposito, tum ex Græcæ vocis significatu, *recapitulationem.* Cæterum et Latinos nonnullos Patres legisse constat hic loci, *recapitulare*, quod Hieronymo magis arridet, juxta Græcum textum: dico Tertullianum lib. V, contra Marcionem, cap. 17; et S. Irenæi interpretem lib. I, cap. 1.

est, eos qui ante capti fuerant in perditionem, ipse cepit ad vitam, ut reduceret 558 in excelsum : et quodammodo est capta captivitas, dum per secundam captivitatem qui prius capti fuerant, liberantur. Considerandum quod et hic προορισμὸς et πρόθεσις, id est, *prædestinatio* et *propositum*, simul posita sint, juxta quæ operatur omnia Deus secundum consilium voluntatis suæ. Non quo omnia quæ in mundo fiant, Dei voluntate et consilio peragantur : alioquin et mala Deo poterunt imputari; sed quo universa quæ facit, consilio faciat et voluntate, quod scilicet et ratione plena sint et potestate facientis. Nos homines pleraque volumus facere consilio : sed nequaquam voluntatem sequitur effectus. Illi autem nullus resistere potest, quin omnia quæ voluerit, faciat. Vult autem ea quæcumque sunt plena rationis atque consilii, vult salvari omnes, et in agnitionem veritatis venire (I *Tim.* II). Sed, quia nullus absque propria voluntate salvatur (liberi enim arbitrii sumus), vult nos bonum velle, ut cum voluerimus, velit in nobis et ipse suum implere consilium.

(Vers. 12.) *Ut simus in laudem gloriæ ejus, qui ante speravimus in Christo.* Si, *speravimus*, tantum [*Al.* ante] dixisset, *in Christo*, et non præmisisset, *ante speravimus*, quod Græce dicitur προηλπικότες, esset manifestior sensus, eos qui speraverunt in Christo, sorte vocatos esse [*Al.* et esse] et prædestinatos secundum propositum ejus, qui universa operatur juxta consilium voluntatis suæ. Nunc vero præpositionis adjectio [a], ad illam nos intelligentiam trahit, de qua superius disputavimus, exponentes hoc quod scriptum est : *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, ut essemus sancti et immaculati coram ipso :* quod scilicet sicut jam non benedixerit omni benedictione spirituali in cœlestibus, et elegerit ante constitutionem mundi : ita etiam nunc sperasse ante dicamur in Christo, ex eo tempore quo electi et prædestinati, et benedicti sumus in cœlestibus. Alius vero hoc dogma non sustinens, quod ante fuerimus et speraverimus in Christo, quam in isto corpore degeremus, illo intelligentiam transferet [*Al.* transfert], ut dicat : In adventu Domini Salvatoris, 559 quando in nomine ejus omne genu flectetur cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philipp.* III), cum ei fuerint universa subjecta, alios voluntate, alios necessitate subjiciendos, et eos qui ante præsentiam majestatis ejus speraverint in eum, futuros esse in laudem gloriæ ejus, et vocari [b] ἀπηλπικότας : eos vero qui reperti fuerint necessitate credentes, eo tempore quo nec diabolus, et angeli ejus poterunt negare regnantem, esse sperantes : sed non in laudem gloriæ ejus. Quod quidem et nunc ex parte videmus expleri, quia alia sit merces ejus, qui voluntate sequatur Deum, alia qui necessitate. Veruntamen sive per occasionem, sive per veritatem, tantum Christus annuntietur : dummodo sciat, et sperans, et ante sperans, quod pro diversitate spei diversa sint præmia recepturi.

(Vers. 13.) *In quo et vos audito verbo veritatis Evangelii salutis vestræ, in quo et credentes signati estis Spiritu sancto promissionis. In quo :* haud dubium quin in Christo. Inter cæteros qui audierunt, vos quoque, Ephesii, verbum veritatis audistis, Evangelium salutis vestræ, cui credentes, signati estis spiritu repromissionis sancto. Videtur autem juxta ordinem lectionis non stare sententia, nec ei quod prælatum est : *In quo et vos audito verbo veritatis Evangelii salutis vestræ*, redditum aliquid quod sequatur, quia statim secundo ponitur, *in quo*. quod quia superfluum est, sublatum e medio potest textum reddere lectioni. Hoc autem patiebatur Paulus de nimio amore Christi, ut eum semper quem diligebat, etiam superflue et extraordinarie nominaret. Quod potest absque nobis in omnibus Epistolis ejus lector diligens invenire. Unde et nunc secundo positum, *in quo* ordinem deprehenditur turbasse sententiæ, et anteriorem propositionem reliquisse pendentem. Neque vero parva laus Ephesiorum est, non prædicationem, sed verbum veritatis audisse. Siquidem inter prædicationem et verbum veritatis multam esse distantiam, et in alia Epistola legimus : *Et verbum*, inquit, *meum et prædicatio mea, non in persuasibilibus sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis* (I *Cor.* XI, 14). Quæramus 560 diligentius, ubi alibi scriptum sit, quod verbum quis audierit veritatis, ut ex collatione eorum possit perspicue Pauli sensus aperiri : ubi quoque Evangelium nominatum sit, sive cum additamento, sive absolute. Verbi gratia cum additamento, *Evangelium meum* (*Rom.* XVI, 25), et *Evangelium Jesu Christi* (II *Cor.* II, 11), et *Evangelium æternum* (*Apoc.* XIV, 6); vel quod nunc dicitur ad Ephesios, *Evangelium salutis vestræ.* Absolute vero, ut cum loquitur de Luca, *Cujus laus in Evangelio per omnes Ecclesias* (II *Cor.* VIII, 18). Signatur autem qui audierit verbum veritatis, et crediderit in eo, spiritu repromissionis sancto. Quia multi sunt qui audierunt, et increduli permanentes, nequaquam signaculum sancti Spiritus consecuti sunt. Dicitur et ad principem Tyri, *Tu es signaculum similitudinis Dei* (*Ezec.* XXVIII, 12). Signaculum autem Dei est, ut quomodo primus homo conditus est ad imaginem et similitudinem Dei : sic in secunda regeneratione quicumque Spiritum sanctum fuerit consecutus, signetur ab eo, et figuram conditoris accipiat. Quærendum etiam ubi alibi scriptum sit, *spiritus repromissionis sanctus :* vel quid significet. Ego enim æstimo quia sicut Spiritus sanctus sanctum facit eum cui fuerit infusus : et spiritus sapientiæ, his que similia rectius ferme legit.

[a] Rufinus, quem conferas, lib. I, num. 29, 30, et seq. hic interserit, *id est, ante.* Paulo quoque post, *benedixerat*, et *elegerat*, pro *benedixerit*, et *elegerit*,

[b] In Cisterciens. ms., προηλπικότας.

sapientem: et intelligentiæ, intelligentem: et consilii, cautum atque consultum: et fortitudinis, fortem: et scientiæ, scientem: et pietatis, pium: et timoris, timidum, Deique timore trepidantem: ita et spiritus repromissionis, vel spiritus Dei, sponsorem et Deum facit eum in quo habitaverit. Quomodo econtrario immundus spiritus immundum facit, et spurcam sibi domum præparat spurcus habitator: fornicationis quoque spiritus efficit scortatores, de quibus et propheta loquitur: *Spiritu fornicationis seducti sunt* (*Osee* IV, 12): et nequam spiritus, nequam facit homines atque perversos: et [a] dæmoniacus, dæmones: qualisque fuerit liquor, qui novæ testæ infusus est, talem diu testa et odorem retinet, et saporem.

(Vers. 14.) *Qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem adoptionis, in laudem gloriæ ipsius.* *Pignus* Latinus interpres pro *arrhabone* posuit. Non idipsum autem *arrhabo*, quod *pignus* sonat. Arrhabo enim futuræ emptioni quasi quoddam **561** testimonium, et obligamentum datur. Pignus vero, hoc est, ἐνέχυρον, pro mutua pecunia opponitur: ut cum illa reddita fuerit, reddenti debitum pignus a creditore reddatur. Rursum in eo ubi ait: *In redemptionem adoptionis*, non habet in Græco υἱοθεσίαν, [b] sed περιποίησιν, quam nos *acquisitionem*, sive *possessionem*, possumus dicere: nec tamen vim sermonis expressimus. Multa enim verba sunt, quæ nec de Græco in Latinum transferri valent, nec de Hebraico in Græcum: et reciproce nec de Latino in Græcum, nec de Græco in Hebræum. Quicumque igitur non tantum Spiritum sanctum, sed Spiritum sanctum repromissionis acceperit, simul consequetur, et arrhabonem hæreditatis, quæ hæreditas vita perpetua est. Et quomodo ex arrhabone æstimatur qualis emptio futura sit, et quæ possessio: verbi causa, ex decem solidis, centum solidorum villa, et ex centum solidis mille solidorum possessio; ita ex varietate arrhabonis, hæreditatis, quoque postea secuturæ magnitudo cognoscitur. Quamvis autem sanctus sit aliquis atque perfectus, et omnium judicio beatitudine dignus putetur: tamen ad futuram hæreditatem nunc arrhabonem est Spiritus consecutus. Si autem arrhabo tantus, quanta erit ipsa possessio? Quomodo autem arrhabo qui nobis tribuitur, non est extra nos; sed intra nos est: sic et ipsa hæreditas, hoc est regnum Dei quod intra nos est, in nobis versatur intrinsecus. Quæ enim potest esse major hæreditas, quam contemplari et videre sensu pulchritudinem Sapientiæ, et Verbi, et Veritatis, et Luminis, et ipsius ineffabilem, et magnificam Dei considerare naturam, omniumque quæ [*Al.* qui] ad similitudinem Dei condita [*Al.* conditi] sunt, substantiam contueri? Iste autem spiritus repromissionis sanctus, qui est arrhabo hæreditatis nostræ, idcirco nunc sanctis datur, ut redimantur et copulentur Deo in laudem gloriæ ipsius. Non quod Deus laude alicujus indigeat, sed quo laus Dei laudatoribus prosit, et dum per singula opera majestatem ipsius magnitudinemque cognoscunt, ad laudandum eum miraculo stuporis erumpant.

(Vers. 15 seqq.) **562** *Propterea et ego audiens fidem vestram in Domino Jesu, et in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis: ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri.* Licet verbi ad verbum expressa translatio possit Apostolum diligenti excusare lectori, quod videatur omnis sententiæ scatere contextus, et solœcismus fieri, tamen et in Græco vitium sonat. Unde et nos Græcis potius calumniatoribus respondentes, conabimur ita juxta sensum temperare: ordinem lectionis, ut dicamus Audiens fidem vestram in Domino Jesu, et in omnes sanctos ejus: vidensque differentiam fidei vestræ in Dominum, et in omnes sanctos ejus, non cesso gratias agere, et memoriam vestri facere in orationibus meis; ut Domini nostri Jesu Christi Deus, Pater autem gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis. Quod autem sequitur: *illuminatos oculos cordis vestri*, ita per hyperbaton reddi potest: Propterea et ego audiens fidem vestram in Domino Jesu in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri, et in omnes sanctos, non cesso, gratias agens pro vobis, memoriam vestri facere in orationibus meis, ut Deus Domini nostri Jesu Christi Pater [c] gloriæ det vobis spiritum sapientiæ, et revelationis in agnitionem; ut sciatis quæ sit spes vocationis vestræ, etc. Porro Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater autem gloriæ, ita intelligendus, ut quomodo Dominus noster Jesus Christus ipse est sermo, sapientia, veritas, pax, justitia, fortitudo, ipse sit etiam gloria, secundum illud quod alibi dicitur: *Apparebit gloria Dei* (*Levit.* IX, 23): et in omni pene veteri Lege, scriptum est super tabernaculum testimonii visam esse gloriam Dei (*Num.* IX). Et Psalmista canit: *Exsurge, gloria mea, exsurge* (*Ps.* CVII, 3). Quæ gloria illuminans suo fulgore mundum, templum sibi de virginali utero fabricata est. Cujus templi Pater gloriæ efficitur Deus. Et ubi Christus gloria est, ibi tantum Pater dicitur: ubi Jesus, ibi Deus ejus, absque additamento aliquo nominatur. **563** Iste igitur Deus assumpti hominis, Pater vero gloriæ, sapientiæ, veritatis, dat credentibus in Filium suum spiritum sapientiæ, et revelationis, ut sapientes fiant, et revelata facie gloriam Domini contemplentur. Quæ sapientia et revelatio cum eos sapientes fecerint, et

[a] Regius ms. codex, *et dæmoniacos, dæmon; qualisque*, etc., quæ lectio non potest penitus reprobari. MART.

[b] Veterem Latinam interpretationem ita habuisse, nonnulli etiamnum codices, auctoresque testantur: Claremontanus, Sangermanensis, Ambrosiaster, Hieronymiaster, aliique.

[c] Duo Cistercienses mss. *gratiæ*, pro *gloriæ* præferunt.

mysteria illis occulta aperuerint: statim sequitur ut habeant illuminatos oculos cordis. Ex verbis præsentibus approbatur secundum exterioris membra hominis, etiam interioris hominis membra dici. Ecce enim manifeste cordis oculos appellavit, quos absque sensu et mente intelligere non possumus. Huic et illud Psalmistæ convenit: *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte* (*Ps.* XII, 4). Et alibi: *Sapientes oculi in capite ejus* (*Eccles.* II, 14). Si enim simpliciter oculos carnis accipimus, utique non solum sapientis, sed etiam insipientis oculi in capite ejus sunt. Caput itaque sapientis, sensus accipitur: quia alio verbo mens, et animus, et principale cordis appellatur. Quod vero ait, *in agnitione ejus*, id est, [a] ἐπιγνώσει αὐτοῦ, quidam sic intelligunt, ut inter γνῶσιν et ἐπίγνωσιν, hoc est, inter *notionem* et *agnitionem*, illud intersit: quod notio eorum sit quæ ante non scivimus, et ea postea scire cœpimus. Agnitio vero eorum quæ prius scientes deinceps scire desivimus, eorumque postea recordamur, et priorem quamdam vitam in cœlestibus suspicantur, postquam in corpora ista dejecti et obliti Dei Patris, nunc eum per revelationem cognovimus, secundum illud: *Reminiscentur et convertentur ad Dominum omnes fines terræ* (*Ps.* XXI, 28), et cætera his similia replicantes [*Al.* replicantur].

(Vers. 18 seqq.) *Ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis, et quæ sublimis magnitudo virtutis ejus in nos qui credimus* [Al. *credidimus*] *secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis.* Cui semel, juxta orationem Pauli, datus fuerit spiritus sapientiæ et revelationis, ut apertis oculis cordis aspiciat, iste sciet quæ reposita sunt vocatis, et quæ speranda sanctis Dei, quæ abundanter, et large his qui hæreditatem ipsius sustinent, est daturus. Ad quam notitiam magnitudo **564** virtutis Dei est necessaria in his qui juxta similitudinem Pauli, credentes vocantur, per quam operatus est Deus in Christo Jesu, quem a mortuis resuscitavit. Dupliciter autem intelligenda hæreditas: sive quod primogenitus omnis creaturæ hæreditas sit animæ Domini nostri Jesu Christi, [b] et ejus qui ex corpore et anima assumptus est hominis, nosque cum hæreditate animæ hæreditemus Deum Verbum: sive quod in Christo hæreditas nostra sit, Patris et Filii, et Spiritus sancti una divinitas; ut quomodo vocatur hæreditas domorum atque villarum ea ipsa quæ ab hæredibus possidentur: sic ipse Deus hæreditas credentium sit atque sanctorum. Scriptum est et in veteri Testamento: *Filiis autem Levi non dabitis hæreditatem in medio fratrum suorum: quia ego pars eorum* (*Num.* XVIII, 20); et alibi: *Dominus hæreditas eorum est* (*Deut.* XVIII, 2); et sanctus qui extra Deum nihil habere se novit, audacter loquitur: *Pars mea Dominus* (*Ps.* LXXII, 26); et: *Tu es pars hæreditatis meæ et calicis mei* (*Psal.* XV, 5). Non ergo parvi studii est, ut sciamus spem vocationis, et divitias gloriæ hæreditatis Dei in sanctis: ea quippe indigemus ad hæc cognoscenda virtute, qua etiam in Filio suo Deus usus est suscitando; quem suscitavit non semel, sed semper a mortuis, et fecit eum in mortuis liberum, nulla mortis contagione maculatum. Quotidie Christus resurgit ex mortuis; quotidie in pœnitentibus suscitatur. Non quo non habuerit etiam secundum carnem potestatem animæ suæ ponendæ, et iterum resumendæ ejus (nemo quippe tollit eam, nisi ponat illam a semetipso), sed quo juxta dispensationem carnis et filii, homo et Filius a Deo et Patre suscitatus esse dicatur.

(Vers. 21.) *Et sedere eum faciens ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro.* Per humanam similitudinem, Dei potentiam demonstravit: non quo solium ponatur, et Deus Pater in eo sedeat, secumque Filium habeat residentem; sed quo nos aliter judicantem atque regnantem, nisi per nostra verba intelligere nequeamus. Ad hoc pertinet, et illud quod in centesimo **565** nono psalmo scriptum est: *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX, 1). Si enim juxta regnantis habitum Filius ad Patris dexteram sedet, necesse est ut juxta eamdem similitudinem major sit ab eo qui in læva parte consederit. Quod ut sciamus aliter intelligi quam litteræ resonant, idem psalmus in consequentibus docet, dicens: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec: Dominus a dextris tuis.* Quomodo enim cum Filius Patris ad dextram sedeat, rursum Pater a dextris ejus esse perhibetur? Aut qua ratione terra scabellum est pedum ejus, et cœlum thronus ipsius, cum et terram secundum Isaiam pugillo continere dicatur, et cœlum palmæ extensione metiri (*Isai.* XL)? Non enim potest intra id esse quod ab eodem continetur: nec in manu inclusum tenere, a quo ipse juxta sedentis habitum circumdetur. Sicut ergo proximum esse Deo, vel ab eo procul recedere, non secundum locorum spatia, sed juxta merita sentiendum est, quod sancti juxta eum sint: peccatores vero, de quibus ait propheta dicens: *Ecce qui elongant se a te, peribunt* (*Ps.* LXXII, 27), ab omni ejus vicinia submoveantur: sic et in dextris vel in sinistris Dei esse, accipiendum est: quod sancti a dextris ejus sint: peccatores vero a sinistris, Salvatore quoque idipsum in Evangelio comprobante, cum oves a dextris, hædos esse memoret a sinistris (*Matth.* XXV). Sed et ipsum verbum *sedere*, regni significat potestatem, per quam beneficium eis Deus tribuit, super quibus

[a] Iidem mss. εἰς ἐπίγνωσιν, absque addito αὐτοῦ. Confer. Rufinum lib. I, cap. 38.

[b] Rursum mss. Cistercienses, *et in ejus, qui*, etc.

sedere dignatur: quod scilicet regat eos, et in curru suo habeat, et ad nutum proprium vaga prius, et libera colla convertat. Post hæc quæritur, 566 quomodo id quod sequitur, possit intelligi, *super omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro.* Et quidem de dextris ac sinistris, et de sessione jam dictum est. Nunc quærendum ubi Apostolus hæc quatuor nomina, *principatum*, loquor, et *potestatem*, *virtutem*, et *dominationem*, scripta reperit, et in medium unde protulerit. Neque enim fas est eum qui divina lectione fuerat instructus, aliquid locutum putare quod in sanctis voluminibus non habetur. Arbitror itaque illum aut de traditionibus Hebræorum ea quæ secreta sunt, in medium protulisse: aut certe quæ quasi juxta historiam [a] scripta sunt, cum intelligeret legem esse spiritualem, sensisse, sublimius, et quod de regibus atque principibus, ducibus quoque, tribunis et centurionibus, in Numeris, et in Regnorum libris refertur, imaginem aliorum principum regnumque cognovisse: quod scilicet in cœlestibus sint principatus, sint potestates, sint dominationes atque virtutes, et cætera ministeriorum vocabula; quæ nec nos possumus nominare, nec ipsum Paulum, puto, ut in gravi corpusculo constitutum, enumerare valuisse. Si autem sunt principatus, et potestates, et virtutes, et dominationes, necesse est ut et subjectos habeant, et timentes se, et servientes sibi, et eos [b] qui sua fortitudine roborentur. Quæ distributiones officiorum non solum in præsentiarum, sed etiam in futuro sæculo erunt: ut per singulos profectus, et honores, et ascensiones, [c] etiam et descensiones, vel crescat aliquis, vel decrescat, et sub alia atque alia potestate, virtute, principatu, et dominatione
567 fiat. Nos homunculi cito in cinerem, et pul-

A verem dissolvendi, si consensu hominum levemur in reges, tantas habemus ministrorum diversitates et multitudines, quantas facilius possumus sentire, quam dicere: Verbi causa: quod [d] Præfectus in parte civili, judices, provincias, et ordinem suum habeat: rursum militia, in tot comites, duces, tribunos, et multiplicem scindatur exercitum; et putamus Deum, Dominum Dominorum et regem regnantium, simplici tantum ministerio contentum?

(Vers. 22, 23.) *Et omnia subjecit pedibus ejus, et ipsum dedit caput* [e] *super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius: plenitudo ejus qui omnia in omnibus adimpletur.* Huic videtur illud esse contrarium, quod alibi scribitur: *Necdum enim ei videmus omnia subjecta.* Sed et illud: *Oportet enim illum regnare,*
B *donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus* (I Cor. xv, 25). Si enim necdum ei subjecta sunt omnia, et oportet eum regnare, donec ei subjiciantur omnia: quomodo nunc sub pedibus ejus Deus universa subjecit? Maxime cum et in alio loco Paulus ipse testetur: *Cum autem ei subjecta fuerint omnia, tunc et ipse Filius subjicietur ei qui sibi subjecit omnia: ut sit Deus omnia in omnibus* (I Cor. xv, 28)? Ergo aut secundum præscientiam [*Al.* præsentiam] id quod futurum est, quasi jam factum esse commemorat, juxta sensum quem supra exposuimus, ubi ait: *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Aut certe si de præterito sentiendum est: sic debemus accipere, quod etiam ea quæ non sunt ei voluntate subjecta, naturæ conditione deser-
C viant: verbi causa, dæmones, Judæi atque Gentiles. Non enim serviunt Christo, nec subjecti sunt pedibus ejus, et tamen quia ab eo in bonam partem creati sunt, subditi sunt potestati ejus inviti, tametsi adversum eum repugnent liberi arbitrii voluntate. In hunc sensum et illud quod sequitur coaptatur: *Et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ, quæ* 568

[a] Facem hæc prætulit Grotio Hieronymi conjectura, ut isthæc dignitatum nomina ad instar earum, quæ in Persarum aula primas obtinebant, fuisse excogitata, perquam erudite docuerit. Equidem et numerus septem angelorum, qui præcipua cum dignitate stant coram Deo; optime cum septem ministris, qui regi Persidis astabant, eumque videre, alloqui, et consulere pro lubitu poterant: nec dubium est, Scripturam iis passim, quæ ad Hebræorum conceptum, mentemque propiora erant, ipsam se conformare.

[b] Penes Rufinum, *qui a sua fortitudine*, etc. Videsis librum Invectivarum II, num. 37.

[c] Voculam *etiam*, quæ nescio quid momenti superaddit, nostri ac Rufini codices supplent. Quod hæc vero sententia Origenianam doctrinam redoleret, ita se ab Aquileiensis presbyteri reprehensionibus accensuris tuetur S. Pater lib. I Apologiæ n. 25: *Sin autem putat, idcirco me Origenem sequi, quia profectus et honores, et ascensiones, et descensiones, incrementa et imminutiones in expositione mea posui, sciat multum interesse de angelis, et seraphim, et cherubim dicere, dæmones et homines fieri, quod affirmat Origenes: et ipsos inter se angelos diversa officiorum genera esse sortitos, quod Ecclesiæ non repugnat.* Igitur nec probe intellecta mens S. Patris Huetio fuerit, qui eum putat non diffiteri, ut ad superiora etiamnum angeli aspirent, et bene agendo ad inferiora devolvantur, et alii, aliique vel potestati, vel principatui subjiciantur, futurasque etiam hujusmodi permutationes in æternum, tantum intra naturæ angelicæ fines; idque unum Origenis inter et Hieronymi doctrinam interesse, quod ille ad hominum quoque ac dæmonum naturam delabi posse angelos sit opinatus. Nullam econtrario gradus vicissitudinem inter ipsosmet angelos ponit Hieronymus, ut laudatæ contextum Apologiæ, ubi suam
D latius sententiam explicat, attendenti constabit; sed varios tantum illos gradus, archangeli, principatus, potestatum, etc., ita vel pro meritis ac virtutibus angelis vult assignatos, vel ipsos inter se angelos diversa ab officio, cui deputantur, etiamnum posse sortiri nomina.

[d] Unus Cisterciensis, *quod præfectos in parte civili, judices per provincias*, etc.

[e] Idem pressius ad Græcum, *subjecit sub pedibus*, ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας. Mox quod *super omnem Ecclesiam*, pro *super omnia Ecclesiæ*, Vulgatus interpres præferat, minus probatur, dicemusque adeo cum ad eum locum devenerimus in Hieronymiana versione, non videri hanc particulam S. Doctoris judicio recognitam: quamquam non ignoramus in uno alterove Græco ms. legi πᾶσαν τὴν Ἐκκλησίαν

est corpus ipsius. Quomodo enim caput plurima sibi habet membra subjecta, e quibus sunt nonnulla vitiosa et debilia : ita et Dominus noster Jesus Christus cum sit caput Ecclesiæ, habet membra eos omnes qui in Ecclesia congregantur, tam sanctos videlicet quam peccatores : sed sanctos voluntate, peccatores vero sibi necessitate subjectos. Atque ita fit, ut etiam inimici subjecti sint pedibus ejus. Quapropter in eo quod ait, *omnia*, videtur facere quæstionem. Nam illud quod dictum est : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos sub pedibus* [a] *tuis* (*Ps.* CIX, 1). Et alibi : *Oportet enim eum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus* (I *Cor.* XV, 25) : non magnopere quærit interpretem, ut ea quæ inimica sunt, cum fuerint superata, subjiciantur pedibus ejus, et in victoris transeant potestatem. Cur autem omnia, id est, angeli, throni, dominationes, potestates, et virtutes cæteræ, quæ numquam fuerunt contrariæ Deo, ejus pedibus subjiciantur, videtur obscurum. Potest itaque responderi, quod absque peccato nullus sit, et sidera ipsa non sint munda coram Deo, omnisque creatura paveat Creatoris adventum (*Job.* XV). Unde et crux Salvatoris non solum ea quæ in terra, sed etiam [b] quæ in cœlis erant purgasse perhibetur. Alius vero, *omnia*, non ad universitatem, sed ad ea tantum refert, de quibus disputatum est : [c] vel hoc modo, omnis civitas conclamavit, non quo aliquis tacens in urbe non fuerit, sed ex parte maxima etiam ea quæ minora sunt appellantur. Et ipse Paulus apostolus : *Omnes*, inquit, *sua quærunt, non ea quæ sunt Dei* (*Philipp.* II, 21) : et : *Omnes me dereliquerunt.* Non quod Timothæus et cæteri discipuli, qui illo tempore quo Epistolæ scribebantur, cum eo erant, illum reliquerint; sed idcirco, quia a pluribus sit desertus, ab omnibus, id est, a maxima parte desertum se esse conqueritur. Simile huic quid et in psalmo sonat : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt :* **569** *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Ps.* XIII, 3). Si enim omnes declinaverunt : ergo declinavit et ipse qui loquitur. Et alibi : *Ego dixi in excessu mentis meæ, omnis homo mendax* (*Ps.* CXV, 2). Aut enim verum est hoc quod dixit, aut falsum. Si omnis homo mendax est, ergo mendax est et ipse qui loquitur. Si autem mendax est et ipse qui loquitur, ne hoc quidem quod ait verum est, omnem hominem esse mendacem. Porro si vera sententia est, omnis sic accipiendi sunt, ut supra diximus, quod magna A pars hominum mentiatur. Scribit, et alibi Apostolus : *Docentes omnem hominem* (*Coloss.* III, 16). Et rursum, *commonentes omnem hominem :* non quod omnes homines docuerit : quanti enim sunt qui usque hodie nec doctrinam Apostoli audiere, nec nomen; sed quod eos omnes doceat et admoneat, qui in Ecclesia sunt, et cupiunt scire quæ Dei sunt. Sequitur: *Plenitudo ejus qui omnia in omnibus adimpletur.* Quod quidem sic accipiendum, quemadmodum et illud : *Tunc subjicietur ei qui sibi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* (I *Cor.* XV, 28). Nunc enim Deus per partes in singulis est, in alio justitia, in alio castitas, in alio temperantia, in alio sapientia, in alio fortitudo : et difficile est etiam in sanctis viris atque perfectis omnes pariter esse virtutes. Cum autem B in finem rerum, et consummatione mundi, ei fuerint universa subjecta, adimplebitur omnia in omnibus : ut juxta id quod Deus est cunctis virtutibus plenus, omnia in omnibus adimpleatur, et sint universi habentes omnia, quæ ante singula singuli possidebant. Sed et hoc quod ait : *Et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ quæ est corpus ipsius : plenitudo ejus qui omnia in omnibus adimpletur*, non solum hominum, sed etiam [d] angelorum cunctarumque virtutum, et rationabilium creaturarum Ecclesia intelligi potest. Nec non et hoc : *Qui omnia in omnibus adimpletur*, nequaquam ita ut resonat, accipiendum ; non enim ait : Qui omnia in omnibus adimplet; sed, qui *omnia in omnibus* **570** *adimpletur.* Siquidem aliud est implere, aliud impleri ; quia in altero agentis, C in altero patientis est verbum. Sicut ergo adimpletur imperator, si quotidie ejus augeatur exercitus, et fiant novæ provinciæ, et populorum multitudo succrescat : ita et Dominus noster Jesus Christus in eo quod sibi credunt omnia, et per dies singulos ad fidem ejus veniunt, ipse adimpletur in omnibus : sic tamen ut omnia adimpleatur in omnibus, id est, ut qui in eum credunt, cunctis virtutibus pleni sint, et juxta Evangelium faciant eum proficere ætate, sapientia et gratia, non solum apud Deum, sed et apud homines (*Luc.* II).

(Cap. II. — Vers. 1 seqq.) *Et vos cum essetis mortui delictis, et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis, secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris, spiritus qui nunc operatur in* D *filiis diffidentiæ, in quibus et nos omnes conversati sumus aliquando in desideriis carnis nostræ, facientes voluntates carnis et* [e] *cogitationum, et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri. Deus autem qui dives est in mi-*

[a] Duo Cistercienses mss., *sub pedibus ejus.*

[b] Paria his replicat inferius cap. II, vers. 24, et lib. II, cap. III, vers. 10, denique et cap. IV. Scilicet in eam concedit ubique sententiam, Christi crucem non solum nobis, sed et angelis supernisque cæteris virtutibus profuisse. Nonnulla et nos attigimus hac super re ad Origenis homiliam 23, ubi satis ille absurde pronuntiat, angelos, non secus quam homines, Christi morte ad salutem indiguisse. Verum non usque adeo exaggerat Hieronymus, ejusque satis commodo sensu exponi mens potest, quidquid contra obganniat Rufinus lib. I, n. 38. Nos hæc latius edisseremus paulo post ad cap. I, vers. 10, quo loco ipse se luculentius explicat S. Pater.

[c] Nostri mss., *veluti hoc modo.*

[d] Hinc iterum Rufinus Origenismi Hieronymum accusat lib. II, num. 34.

[e] Victorius rescribit *mentium*, pro *cogitationum*, quod illud ex subnexa expositione colligeret abs Hieronymo lectum, quamquam et Vulgata editio, Græcumque verbum διανοιῶν refragentur. Hæc eum movere cumprimis S. Interpretis verba : *Facientes, inquiens, non unam voluntatem carnis, sed plures, et non solum voluntatem carnis, sed etiam* mentium, *pro quo in Latinis codicibus habetur* cogitationum. *Inter peccatum autem carnis et mentium hoc esse puto, quod*

sericordia, propter multam charitatem suam qua dilexit A *nos et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo.* Antequam de singulis verborum sensibus disputemus, videtur nobis ita lectionis ordo reddendus: Et vos cum mortui essetis delictis et peccatis vestris, convivificavit Christo Deus, qui dives est in misericordia propter multam charitatem suam qua dilexit nos : [a] et cum essemus mortui delictis, in quibus aliquando ambulavimus, secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris, spiritus qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus et nos omnes conversati sumus aliquando in desideriis carnis nostræ, facientes voluntates carnis et mentium, et eramus natura filii iræ, convivificavit nos Christo, [b] ut ἀπὸ κοινοῦ, subaudiatur quasi bis dictum, *et nos convivificavit Christo.* Conjunctionem B vero causalem in eo loco in quo ait : *Deus autem* **571** *qui dives est in misericordia*, arbitramur aut ab indoctis scriptoribus additam, et vitium inolevisse paulatim, aut ab ipso Paulo, qui erat imperitus sermone, et non scientia, superflue usurpatam (II *Cor.* xi). Manifeste autem mors animæ dicitur esse peccatum, ex eo quod ait : *Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris*, juxta illud quoque quod in Ezechiele scriptum est : *Anima quæ peccaverit ipsa morietur* (*Ezech.* LVIII, 4). Et quia *delicta* quæ Græce παραπτώματα nuncupantur, juxta ejusdem linguæ etymologiam proprie verbum est Scripturarum (licet delicta πλημμέλιαι rectius transferantur) quærimus quid significent, quove distent a peccatis, id est, quid intersit inter παραπτώματα, et ἁμαρτίας. C Aiunt enim quod παραπτώματα, quasi initia peccatorum sint, cum cogitatio tacita subrepit, et ex aliqua parte conniventibus [*Al.* cohibentibus] nobis, necdum tamen nos impulit ad ruinam. Unde et in octavo decimo psalmo (*Vers.* 13) scribitur : *Delicta*, hoc est, παραπτώματα, *quis intelligit?* quia scilicet difficile sit radices, et initia intelligere peccatorum. Peccatum vero esse, cum quid opere consummatum pervenit ad finem. Quærimus quoque quid sit, *in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus*, utrumnam et aliud sæculum sit, quod non pertineat ad mundum istum, sed ad mundos alios, de quibus et Clemens in Epistola sua scribit : *Oceanus*, [c] *et mundi qui trans ipsum sunt?* An unus iste mundus sit, qui ab initio sæculi quo factus est Adam D usque ad terminum suum volvatur, et transeat : vel certe mundus alio nomine appelletur princeps aeris hujus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ? Scribitur et ad Galatas. *Ut eruat nos de præsenti sæculo nequam* (*Galat.* I, 4). Et in hac eadem Epistola : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt* (*Infra*, v, 16). Et dies Jacob modici dicuntur et pessimi (*Gen.* XLVII), sive quod tempus vitæ istius per quod clausi tenemur in sæculo, grave sit et laboriosum, sive quod ipse Satanas [d] mundi hujus, ut supra diximus, et sæculi vocabulo nuncupetur. De quo statim in sequentibus : *Secundum* **572** *principem*, inquit, *potestatis aeris, spiritus qui nunc operatur in filiis diffidentiæ.* Princeps quippe aeris, et spiritus potestatis, qui in aere isto est, diabolus intelligitur, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ. In his enim qui Domino credunt, non potest operari. De quo et infra ait : *Non est nobis pugna adversus carnem et sanguinem, sed adversum principatus et potestates, adversus rectores tenebrarum istarum, adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Non quo diabolus, et satellites ejus, qui per mundum istum vagantes, peccata hominibus insinuant, in cœlo versari queant, de quo ob sua merita corruerunt; sed cœlum dicitur, [e] aer iste, qui supra nos est, juxta illud Salvatoris eloquium : *Considerate volatilia cœli* (*Matt.* VI. 26), et cætera. Manifestum quippe est, quod volatilia non per cœlum volitent, sed per aerem. Sequitur : *In quibus et nos omnes conversati sumus aliquando in desideriis carnis nostræ, facientes voluntates carnis et mentium.* Quod ait, *in quibus*, ad delicta referendum est. Superius enim quia duo pariter posuerat : *Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris*, et ad peccata retulerat dicens : *in quibus aliquando ambulastis :* ad delicta vero nihil tale videbatur secutum quod sensum posset explere : nunc ait : *in quibus delictis, et nos omnes conversati sumus :* simulque ne in eo quod dixerat, *et peccatis vestris in quibus aliquando ambulastis*, se per superbiam a peccato videretur excipere adjunxit, *in quibus et nos omnes conversati sumus.* Qui autem conversatum esse se dicit, de præteritis delictis, et non de præsentibus confitetur. Conversati sumus, inquit, aliquando, non in uno desiderio, sed in desideriis carnis nostræ. *Caro quippe desiderat adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (*Galat.* v, 17). Facientes non unam voluntatem carnis,

carnis peccatum est impudicitia, atque luxuria, et ea quæ per ministerium ejus in libidinibus explentur : mentium vero delictum ad dogmata pertinet contraria veritati, et hæreticam pravitatem. Nobis absque mss. suffragio nihil licere duximus, maxime cum una, quæ in Græco variat, lectio codicis abs Joanne Gregorio laudati, scilicet, ἐπιθυμιῶν, longius multo abludat. Paulo post Cisterciens. mss. *nimiam charitatem* præferunt, pro *multam*, etc.

[a] Interserunt Cisterciens. mss. hic verba, *misertus est nostri.*

[b] Iidem mss. *ut*, vocula prætermissa, legunt, *subaudiatur :* moxque duas alias voculas, *et nos*, omittunt.

[c] Integrius in Græco habet S. Clementis Epist. I, ad Corinth. n. 20 : Ὠκεανὸς ἀνθρώποις ἀπέραντος καὶ οἱ μετ' αὐτὸν κόσμοι. Quamquam ab Origene videtur sumpsisse Hieron.; nam et hæc ipsa sententia lib. II περὶ Ἀρχῶν cap. 3, semel atque iterum tota recitatur, *Oceanus intransmeabilis est hominibus, et hi mundi qui post ipsum sunt.* Porro dicitur Origenes hinc inferre voluisse quod Græci ἀντίχθονας dicunt, et Latini *antichtones*, vulgo *antipodas* vocant. Quamobrem a Photio reprehenditur cod. 126. Veteres enim plerique omnes, ut notum est, ex Lactantio, Augustino, aliisque, negabant existere antipodas. S. vero Clemens non plures mundos, sed remotas ac prius incognitas mundi partes ultra Oceanum designare fortasse voluit.

[d] Alii libri, *in mundi hujus*, etc.

[e] In Cisterciens. ms., *aerium qui supra*, etc.

sed plures : et non solum voluntates carnis, sed etiam mentium, pro quo in Latinis codicibus habetur, *cogitationum*. Inter peccatum autem carnis, et mentium hoc esse puto : quod carnis peccatum, est impudicitia atque luxuria, et ea quæ ministerium ejus **573** in libidinibus explentur. Mentium vero delictum ad dogmata pertinet contraria veritati et hæreticam pravitatem, ita ut possimus dicere plerosque hæreticorum (quamquam hoc rarum sit) voluntates mentium facere, et non voluntates carnis, et multos contra ecclesiasticos, carnis et non mentium facere voluntates, et esse plures qui et carnis, et mentium pariter faciant voluntates. Hæc autem diximus, non quo et hæretici carnis non faciant voluntates (plura quippe apud eos corporis sunt vitia quam apud nostros) sed ut, exemplo posito, facilius quod volebamus possit intelligi. *Et eramus*, inquit, *natura filii iræ sicut et cæteri*. Respondeant hæretici qui diversas naturas esse contendunt, quomodo Paulus, quem utique spiritualis naturæ esse non dubium est, fuerit natura filius iræ, sicut et cæteri qui adhuc in errore sunt positi. Nos [a] vero dicimus esse primum omnes homines natura filios iræ, vel propter corpus humilitatis corpusque mortis, et quod ab adolescentia mens hominum apposita sit ad malitiam (*Genes.* VIII) : unde et Salomon ait : *Non est justus in terra qui faciat bonum, et non peccet* (*Eccl.* VII, 21). Vel quod ex eo tempore quo possumus habere notitiam Dei, et ad pubertatem venimus, omnes, aut opere, aut lingua, aut cogitatione peccemus. Eramus igitur natura filii iræ sicut et cæteri, et omnes Sancti, qui ab ira sanguine Christi redempti sunt. Sienim Paulus qui juxta justitiam quæ in Lege fuit, irreprehensibiliter est conversatus, dicit se natura fuisse filium iræ, cur timeamus, etiam retro sanctos viros filios iræ fuisse testari ? De quibus omnibus vere dici possit : *Cum autem venit mandatum, peccatum revixit, ipsi vero mortui sunt*. Filius autem iræ sic accipiendum, ut filius perditionis, filius iniquitatis, filius mortis. Non quo aliqua ira, mors, iniquitas et perditio subsistat in natura sua, quæ filios habeat; sed quo filii dicantur ejus rei quæ operetur in singulis : sicut filii appellantur gehennæ, qui gehennæ ignibus consumendi sunt. Alius iræ filios sic vocatos putat, ut filios diaboli. Diabolus enim perditio est, et ira, et mors. *Devoravit mors invalescens* (*Isai.* LII, *sec.* LXX) Et : *Novissimus* [Al. *novissime*] (I *Cor.* XV) *inimicus destruetur mors* (I *Cor* XV, 26): et ad ipsum diabolum : *Perditio* **574** *factus es* (*Ezech.* XXVIII, *sec.* LXX). Factus, inquit, propria voluntate, non ab initio sic creatus. Quomodo igitur mors dicitur, ex eo quod invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum (*Sap.* II), et per illum sunt mortui qui ante vivebant, et perditio, quod perdat quoscumque deceperit : sic et ira dicitur propter eam quam exercet adversum hominem feritatem. Sunt qui illud in Regnorum libris, quando David numeravit populum Israel, iram in se Dei provocans, Scriptura dicente : *Et apposita est ira Dei succendi in Israel, et incitavit David dicens* (II *Reg.* XXIV, 1), iram Domini, diabolum significare putent : etenim juxta Græcæ linguæ proprietatem non dixit genere feminino, ira Dei λέγουσα, hoc est, *quæ diceret*, sed ira Dei λέγων, id est, *qui diceret*, genere masculino : mittit siquidem Dominus iram et furorem suum per angelos pessimos. Deus ergo qui dives est in misericordia, et dives propter charitatem suam qua dilexit hominum genus, et charitatem non simplicem, sed multam, cum essemus mortui propter delicta nostra, vivificavit nos, et non solum vivificavit (parum quippe hoc erat bonitati et magnitudini ejus), sed vivificavit cum Christo Jesu, unam atque eamdem nobis tribuens vitam habere cum Christo. Quidam pro eo quod nunc exposuimus : *Et eramus natura filii iræ*, pro *natura*, *prorsus*, sive *omnino*, quia verbum φύσει, ambiguum est, transtulerunt. Quod etsi sic sonet, juxta ea quæ diximus, exponendum est.

Gratia salvati estis. Si non sunt dignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII), gratia magis sumus quam opere salvati. Nihil enim possumus Domino retribuere pro omnibus quæ retribuit nobis.

(Vers. 6.) *Et coexcitavit, simulque fecit sedere in cœlestibus in Christo Jesu*. Supra dixerat, quod suscitaverit Deus Christum a mortuis, et sedere fecerit ad dextram suam in cœlestibus super omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Nunc vero addidit : *quia et nos suscitaverit cum eo, et sedere fecerit in cœlestibus ad dextram suam*. Quæritur ergo, quomodo Deus qui nos salvos fecit et suscitavit, simul **575** fecerit sedere cum Christo ? Et quidem qui simplicius est responsurus, hoc asserit, quod juxta præscientiam Dei, id quod futurum est, quasi factum esse jam dixerit. Et quia mos iste sit Scripturarum, ut interdum futura tempore præterito declinentur : Verbi causa, de cruce Domini : *Foderunt manus meas et pedes* (*Ps.* XXI, 17). Et alibi de passione ejus : *Quasi ovis ad victimam ductus est* (*Isai.* LIII, 7). Et adhuc de injuriis flagellorum : *Livore ejus nos sanati sumus* (*Ibid.*, 5). Et alibi [*Al.* ibidem] : *Ab iniquitatibus populi mei ductus est in mortem* (*Ibid.*, 8, *sec.* LXX). Hoc autem ideo, ne quia futura semper incerta sunt, hominum spes fluctuet et vacillet, ea quæ Deus futura cognovit (apud quem nihil ambiguum est) quasi jam facta memorantur : ut quia præterita secundum philosophos quoque fieri infecta non possunt, qui audierint, quasi jam facta habeant quæ futura sunt. Alius vero qui resurrectionem, et regnum Christi spiritualiter intelligit, non deliberavit dicere, jam sanctos sedere, et regnare cum Christo : quomodo enim nequaquam in carne sanctus est, cum vivat in carne, et habet conversationem in cœlestibus, cum gradiatur in terra, et caro esse desistens, totus

[a] Adito Rufinum lib. Invectivar. I, num. 38.

vertatur in spiritum: ita eum in cœlestibus sedere A cum Christo: regnum quippe Dei intra nos est (*Luc.* XVII, 21); et ubi fuerit thesaurus noster, ibi erit et cor nostrum (*Matth.* VI, 21); firmique et stabiles sedemus cum Christo, sapientia, Verbo, justitia, veritate. Potest autem et hoc dici, ut quomodo arrhabonem Spiritus sancti accepimus, necdum totam ejus plenitudinem consecuti: sic et sedere nos cum Christo atque regnare, necdum perfectam sessionem in cœlestibus obtinentes.

(Vers. 7.) *Ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu.* Quanta sit beneficii magnitudo, et quam multiplex gratia qua nos Dominus de sæculi istius perturbationibus liberatos sedere fecit, et regnare cum Christo, hinc vel maxime comprobatur, B quod **576** in futuris sæculis non uno, sed omnibus suam cunctis rationabilibus creaturis super nos ostensurus est gloriam, suasque divitias monstraturus. Quod nos qui quondam lege tenebamur inferni, et propter vitia atque peccata; ut operibus carnis, ita eramus et suppliciis destinati: nunc in Christo regnemus sedeamusque cum eo. Sedeamus autem non in humili quocumque loco, sed super omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Si enim Christus suscitatus a mortuis sedet ad dextram Dei in cœlestibus supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, [a] et cætera: et nos sedemus regnamusque cum Christo: necesse est ut super his [b] quæ sedet ille, C sedeamus. Sed qui diligens lector est, statim requirit et dicit: Quid ergo, major homo angelis et cunctis in cœlo potestatibus? Quod quia periculosum est respondere: principatus et potestates, et virtutes, et dominationes, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro (maxime quia omnia Christi subjecta sunt pedibus) non ad bonam partem, sed ad contrariam referet: ut dicat eas esse angelos refugas, et principem mundi istius, et Luciferum qui mane oriebatur, super quibus sancti cum Christo in fine sessuri sunt, illis quoque [c] tribuentes beneficium, qui nunc infreni et male libertate sua abutentes passim vagantur [*Al.* vagentur], et per præcipitia corruunt [*Al.* corruant], peccatorum. Cum autem tales habuerint sessores, juxta sedentium D voluntatem incipient gubernari. Alius vero hoc quod ait: *ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate supra nos, in Christo Jesu*, ad illam intelligentiam transferet, quod non simus merito nostro, sed gratia ejus salvati, et majoris bonitatis indicium sit pro peccatoribus, magis quam pro justis mori: *Pro bono enim forsitan quis audeat interire;* et daturus **577** nobis sit, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt (I *Cor.* II). Quæ omnia ex parte jam dederit in Christo Jesu: quia nullum absque Christo bonum dici potest.

(Vers. 8, 9.) *Gratia enim estis salvi facti per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Ideo, inquit, abundantes divitias gratiæ suæ, in bonitate in superventuris sæculis ostensurus est, quia gratia salvi facti estis per fidem, non per opera. Et hæc ipsa fides non est ex vobis, sed ex eo qui vocavit vos. Hoc autem ideo, ne forsitan nobis cogitatio occulta subreperet: si per opera nostra salvati non sumus, certe vel per fidem salvati sumus: et alio genere nostrum est quod salvamur. Addidit itaque et dixit, fidem quoque ipsam non nostræ voluntatis esse, sed Dei muneris. Non quod liberum homini tollatur arbitrium, et secundum illud Apostoli ad Romanos, non sit currentis neque volentis; sed miserentis Dei (*Rom.* IX); verum quod arbitrii ipsa libertas Deum habeat auctorem, et ad illius beneficium cuncta referantur, cum etiam bonum nos velle ipse permiserit. Hoc autem totum propterea, ne quis glorietur a semetipso, et non a Deo se esse salvatum.

(Vers. 10.) *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Reddidit causas, quare gratia salvati sumus per fidem, et hoc ipsum non ex nobis, sed ex munere Dei, dicens: *Ipsius enim factura sumus*, hoc est, quod vivimus, quod spiramus, quod intelligimus, et credere possumus, ipsius est, quia ipse conditor noster est. Et diligenter observa, quia non dixerit, *ipsius figuratio sumus atque plasmatio: sed, ipsius factura sumus.* Plasmatio quippe originem de terræ limo trahit: factura vero juxta similitudinem et imaginem Dei sumpsit exordium. Quod in centesimo quoque octavo decimo psalmo simul positum diversa significat: *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me* (*Psal.* XVIII, 73). Factura primum locum tenet: deinde plasmatio. Et quia creationis, et conditionis nomen ad magna semper solet opera copulari, verbi causa: illa urbs condita est, et ab initio creatus est mundus, **578** et unusquisque sanctorum per varia dogmata atque virtutes, in semetipso mundus est totus: propterea nunc creati in Christo dicimur, et creati in operibus bonis sive quæ ipsi fecimus, vel facturi sumus, sive

[a] Integrius legit Rufinus, *et super omne nomen, quod nominatum est, non solum in hoc sæculo, sed et in futuro, et nos sedebimus, regnabimusque cum Christo*, etc. Confer. lib. II, num. 35 et seqq.

[b] Iterum paulo aliter Rufinus, *super his, et super quæ sedet ille*, etc. Porro quem hic S. Doctor diligentem lectorem vocat, Origenem esse non diffitetur: quemadmodum et eum, de quo inferius subdit: *Alius vero hoc quod ait*, etc. Apollinarium prodit exstitisse: *Nos*, inquit lib. I contra Rufinum, *triplicem expositionem posuimus: in prima, quid nobis videretur: in secunda, quid Origenes opponeret: in tertia, quid Apollinarius simpliciter explanaret*: ubi et quod Origenem dixit diligentem lectorem pluribus excusat.

[c] Legit presbyter Aquileiensis, *in fine sæculi sessuri sunt: illis quoque tribuente* (id est *Christo*) *beneficium, qui nunc infreni, et male libertate sua abutentes*, etc. Equidem pro *infreni*, quæ tamen pro Rufini lectione placet, legi malim in recto, *infrenes*.

in aliis creaturis, ad quæ nostra conversatio transferenda est, ut quæ præparavit Deus, in illis ambulemus, spe magna jam nobis data, dum in his ambulaturi sumus, quæ Deus magnopere præparavit. Et quia semel ad nomen creaturæ venimus, et Sapientia in Proverbiis Salomonis dicit se creatam initium viarum Dei(*Prov.* VIII),multique timore, ne Christum creaturam dicere compellantur, totum Christi mysterium negant, ut dicant, non Christum in hac sapientia, sed mundi sapientiam significari : nos libere proclamamus, non esse periculum eum dicere creaturam, quem vermem, et hominem, et crucifixum, et maledictionem, tota spei nostræ fiducia profitemur : maxime cum ex duobus versiculis quæ præcedunt,ipsa sapientia promittat se esse dicturam quæ post sæcula sunt (*Prov.* XXII). Cum autem sæcula Christus fecerit, et quæ deinceps loquitur, ea sint quæ post sæcula dicturum se esse promiserit, ad incarnationis mysterium, non ad naturam Dei referenda sunt quæ sequuntur : licet in Hebræis codicibus non habeatur : [a] *Dominus creavit me initium viarum suarum:* sed, *Dominus possedit me.* Inter possessionem autem, et creationem multa distantia est: quia qui possidetur, is utique est atque subsistit, et [b] est proprius, qui possidetur. Creator vero ille qui non erat antequam fieret : aut certe de eo quod erat, transfertur in aliud, sicut et nos nunc creati dicimur in Christo Jesu. Creati utique, non quia ante non fuimus, sed creati in operibus bonis. Quod David quoque in psalmo quinquagesimo deprecatur, dicens : *Cor mundum crea in me, Deus* (*Psal.* L, 11). Et certe mundum cor ante peccatum habuerat, quando de eo Dominus loquebatur : *Inveni David filium Jesse secundum cor meum* (*Act.* XIII, 22) : sed ut ibi creatio instaurationem sonat : ita et in nobis et in Christo per singula opera et profectus, creatura atque conditio accipi potest : ut quotidie in credentibus, **579** quia varie secundum merita diversa montes dicuntur, et valles, et colles, atque campestria, Christus creatus, natus et conditus sit.

(Vers. 12.) *Propter quod memores estote, quia aliquando vos gentes in carne, qui dicebamini præputium, ab ea quæ appellatur circumcisio in carne manu facta: quoniam eratis illo tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et peregrini testamentorum promissionis* [Al. *repromissionis*], *spem non habentes, et sine Deo in mundo.* Gentes Ephesios in carne vocans, ostendit in spiritu esse non gentes : sicut econtrario Judæi in spiritu gentes sunt, et in carne Israelitæ. Quadrifariam igitur Judæi dividuntur et gentes. Alii sunt in carne circumcisi, et in spiritu, qualis fuit Moyses et Aaron, Apostoli et Nathanael, cujus occultum Judaismum Dominus intuens ait : *Ecce*

A *vere Israelites, in quo dolus non est* (*Joan.* I, 47). Alii qui nec carne nec spiritu circumcisi sunt, qualis fuit Nabuchodonosor et Pharao, et hodie Barbarorum et Romanarum gentium multitudo, quæ non credunt in Deum. Tertii, qui tantum in carne sunt circumcisi, et spiritum incircumcisum habent, ad quos propheta dicit : *Circumcidimini Deo vestro, et nolite circumcidere carnem præputii vestri* (*Jerem.* IV, 4). Et alibi: *Omnes gentes incircumcisi* [Al. *incircumcisæ*] *carne : domus vero Israel incircumcisi sunt corde* (*Jerem.* IX, 26). Extremi de quibus nunc dicitur: *Quia aliquando vos gentes in carne, qui dicebamini præputium ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manu facta,* qualis hodie universa est turba credentium, et totus e gentibus mundus est plenus. Ad distinctionem igi-

B tur spiritualium gentium Judæorum, Ephesii gentes vocantur in carne, quia secundum spiritum Israelitæ sunt. Nam et in alio loco carneum Israelem Scriptura commemorans ait : *Videte Israel secundum carnem* (I *Cor.* X) : quia in spiritu non erat Israel. Pulchre autem etiam verba moderatus est : *qui dicebamini præputium.* Dicebamini, inquit, præputium, [c] nec eratis, ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manu facta. Non quo sit circumcisio, sed quo ipsa sibi hoc nomen assumat, et sit vere circumcisio manu facta, non spiritu. Simul et illud est attendendum quod nos quos sine Christo alienatos quondam a conversatione **580** Israel esse memoravit, et peregrinos a promissionibus et Testamento Dei : nunc postquam in Christum credidimus, sicut repromis-

C siones et testamenta ejus accepimus, ita conversationem quoque habere dicamur Israel : quomodo conversatio universa legalis expletur in nobis, quia videlicet lex spiritualis est, et magis circumcidamur, et sabbatizemus [d] in spiritu, spirituales victimas offerentes : illorum templo altarique destructis : nos Deo fructuum nostrorum decimas offeramus : nos immolemus agnum immaculatum, et accincti lumbos, expediti Pascha comedamus. Sicut enim circumcisio dicitur in carne manu facta : ita ad distinctionem ejus intelligitur alia esse circumcisio, quæ non sit [*Al.* sicut], ut diximus, manu facta, sed spiritu. Quod autem ait : *Spem non habentes, et sine Deo in mundo :* non quo plures deos, antequam in Christum crederent, Ephesii non habuerint, atque ve-

D nerati sint; sed quo qui absque Deo vero sit, nullum deum habeat. Et significanter additum est, *sine Deo in mundo.* Habebant quippe Deum, quem eos habituros Deus ante cognoverat, et apud præscientiam Dei non erant sine Deo, sed in mundo erant absque Deo.

(Vers. 13, 14.) *Nunc autem in Christo Jesu vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi ; ipse est enim pax nostra.* Deus ubique est,

[a] In Commentariis in Isaiæ XXVI, 13 : *Et de sapientia legimus, quæ juxta Hebraicum loquitur in Proverbiis :* Deus possedit me initium viarum suarum, *licet quædam exemplaria male pro possessione habeant creaturam.* Paria his habet et in Commentar. in Micheæ cap. IV, et in epist. 140, ad Cyprianum num. 6. Vide quæ ad hæc nos loca observavimus.

[b] Alii libri, *et qui est proprius, possidetur.*

[c] Duo Cistercienses mss., *et eratis ab ea*, etc., id est, *aberatis*, etc.

[d] Iidem mss., *sabbatizemus nos in spiritu, victimas deserentes.*

et totus ubique est, a quo quis potest separari, cum in eo sint omnia? et ipse per prophetam loquatur: *Ego Deus appropinquans, et non de longe* (*Jer.* XXIII, 23). Et Psalmista testatur: *Si ascendero in cœlum*, [a] *tu illic es: si descendero in infernum, ades* (*Ps.* CXXXVIII, 8). Cum igitur in eo sint omnia, procul tamen esse ab impiis dicitur juxta illud: *longe est Dominus ab impiis* (*Prov.* XV, 29). Iste a quo impii longe sunt, vicinus est sanctis. Denique cum et ab Ephesiis esset procul, in sanguine Jesu prope eis factus est. Et diligentius intuendum, quod absque cruore Domini Jesu, nemo appropinquet Deo, quia ipse est pax nostra, dicens: *pacem meam do vobis: pacem meam relinquo vobis* (*Joan*, XIV, 27). Quomodo enim sapientia sapientes facit, et justitia justos, et sanctificatio sanctos, et vita viventes: sic et ipse pax nos facit esse pacatos, ut dicamus: **581** *cum his qui oderunt pacem, eram pacificus* (Psal. CXIX, 7). Si autem Christus credentium pax est, quicumque sine pace est, consequenter non habet Christum.

(Vers. 15 seqq.) *Qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens inimicitiam in carne sua, legem mandatorum in dogmatibus evacuans: ut duo conderet in seipso in unum novum hominem, faciens pacem, ut reconciliaret utrumque in uno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitiam in ea, et veniens evangelizavit pacem vobis qui longe eratis, et pacem his qui prope; quoniam per ipsum habemus accessum uterque in uno spiritu ad Patrem.* Iste est medius paries et maceria, quæ utrumque a se populum dividebat. De quo et in Genesi in partu geminorum, obstetrix loquitur: *Utquid propter te dirupta est sepis* (*Gen.* XXXVIII, 29)? Postquam ergo sapientiam carnis quæ est inimica Deo (*Rom.* VIII), in sua Salvator carne destruxit, et præcepta Legalia, evangelicis dogmatibus commutavit, ut de Judæo atque gentili unum populum faceret Christianum, evangelizans nobis qui longe eramus, et reliquiis Judæorum, qui de Israel per apostolos crediderunt, pacem atque concordiam: tunc accessimus per ipsum ad Deum, et unum in spiritu Patrem nos habere cognovimus: completumque est illud quod in Evangelio Dominus loquebatur, dicens: *Et fiet unus pastor et unus grex* (*Joan.* X, 16); et iterum: *Et alias oves habeo quæ non sunt de ovili isto*, nos significans ex gentibus congregandos. Inimicitia autem quæ in Salvatoris carne destructa est, etiam per crucem est interfecta. Scriptum est enim: *ut reconciliaret utrumque in uno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitiam in ea*. Non ut in Latinis codicibus habetur, *in semetipso*: propter Græci pronominis [b] ambiguitatem: ἐν αὐτῷ enim, et *in semetipso*, *et in ea*, id est, cruce intelligi potest, quia crux, id est, σταυρὸς, juxta Græcos generis masculini est. Lex quoque mandatorum subversa est in dogmatibus: postquam circumcisio, et sabbatismus, qui relictus est populo Dei, et Pascha, et Pentecoste, et non apparere **582** in conspectu Dei vacuum, sunt altius intellecta quam resonant, et ab occidente littera recedentes, cœpimus vivificantem spiritum sequi. Quod autem ait: *Veniens evangelizavit pacem vobis qui longe*, hoc est, gentibus, *et pacem his qui prope*, hoc est, Judæis, videtur mihi de Isaia aliis [*Al.* his] verbis testimonium protulisse, et Scripturæ sententia abusum quasi sua. Scriptum est quippe in eo: *Vias ejus vidi, et sanavi eum, et consolatus sum eum, et dedi ei consolationem veram: pacem super pacem his qui longe erant, et qui prope* (*Isai.* LVII, 18). [c] Et hæc quidem juxta Vulgatam interpretationem dicta sint. Cæterum qui illud Apostoli legit, de Christo memorantis: *Pacem faciens per sanguinem crucis suæ, his quæ in terra erant, et his quæ in cœlis*, et cætera quæ in eodem dicuntur loco, non putabit nos, qui juxta spiritum Israel vocamur fuisse longe: et Judæos, qui tantummodo Israel nuncupentur in carne, fuisse prope. Et hanc totam intelligentiam ad angelos virtutesque cœlestes, et ad animas temperabit humanas: quod Christus in suo sanguine terrena et cœlestia copularit, quæ inter se antea dissidebant: et bonus pastor morbidam ad montes revectans ovem, fecerit esse cum cæteris; drachmamque quæ perierat, drachmis quæ salvæ fuerant copulaverit (*Luc.* XV), et mandata legalia ad illa retraxerit dogmata, ad quorum typum et imaginem Moyses quæ essent in tabernaculo fabricanda, conspexit (*Exod.* XX). Atque ita fieri, ut crux Domini non solum terræ, sed et [d] cœlo profuerit; non solum hominibus, sed et angelis; et omnis creatura Domini sui cruore purgata sit. Quod autem ait: *Ut duo conderet in semetipso in unum novum hominem*, et quod magis videtur superiori de Judæis atque gentilibus sensui convenire: sic suæ intelligentiæ coaptabat, ut dicat hominem juxta imaginem et similitudinem Dei factum, eamdem post reconciliationem formam recepturum, quam et nunc angeli habent, et ipse perdiderit. Novum autem hominem esse dicit, **583** qui quotidie renovatur, et habitaturus est in novo mundo, quando erit cœlum novum et terra nova (*Isai.* LXV), et bibiturus est calicem Jesu novum in regno Dei (*Mar.* XIV), et cantaturus canticum novum (*Psal.* XXXII, 5 *et*

[a] Rursum Cistercienses mss., *Si ascendero in cœlum, ac si descendero in infernum, tu illic es.*

[b] Scilicet si ipsam αὐτῷ vocem aspires, perinde erit atque ἐμαυτῷ, σεαυτῷ, ἑαυτῷ, *in semetipso*. Econtrario, quod Hieronymus mavult, si cum leni spiritu scribas αὐτῷ, referas ad σταυρῷ vocem, sonabitque *in ea*, id est, *cruce*. Totam itaque pronominis ambiguitatem neglectæ grammaticorum regulæ pepererunt. Cætera Hieronymianæ sententiæ calculum addunt Græci Patres haud pauci: de nomine Chrysostomus, Theodoritus, Theophylactus, aliique, ubi perquam similem locum est Epist. ad Coloss. II, 15, explanant ad verba, *palam triumphans illos in semetipso*, pro quo ἐν ξύλῳ, *in ligno*, id est, cruce, præferunt Origenes, Primasius, aliique, quibus opposita magis probatur sententia.

[c] Omnem fere subnexam hujusce versiculi expositionem invidiose traducit Rufinus, quem videsis lib. I, num. 38.

[d] Recole quæ paulo superius cap. I, vers. 33, hac super sententia diximus.

xcvii), et veteris et novi Testamenti lectione gaudebit. Illud quoque quod alibi scribitur : *Ecce facio nova quæ nunc orientur* (*Isai.* xliii, 19), sic sentiet, ut principium innovationis in præsenti sæculo fieri existimet. Cæterum perfectam consummatamque novitatem, necdum in isto putet sæculo posse compleri. Et quomodo nunc per speculum videmus in ænigmate, tunc autem facie ad faciem (I *Cor.* xiii) : sic et instaurationem novi hominis tunc plene perfecteque complendam, cum cœlestia terrenaque fuerint copulata, et in uno spiritu, et sensu eademque sententia, accesserimus ad Patrem. Nescio quid tale et in alia Epistola (si quis tamen eam recipit) prudentibus quibusque lectoribus Paulus subindicat, dicens : *Hi omnes testimonium accipientes fidei, non retulerunt promissionem, Deo pro nobis melius quid providente : ut non absque nobis consummarentur* (*Hebr.* xi, 39, 40). Propterea et universa creatura congemiscit nobiscum, qui in tabernaculo isto ingemiscimus, et condolet, qui a timore Dei in utero concepimus et dolemus, et præstolamur [*Al.* præstolatur] revelationem filiorum Dei : ut de vanitate servitutis, cui nunc subjecta est, liberetur, et fiat unus pastor et unus grex : et Oratio Domini compleatur dicentis : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra* (*Matt.* vi, 10).

(Vers. 19 seqq.) *Ergo jam non estis peregrini et accolæ : sed cives sanctorum, et domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. In quo omnis ædificatio compaginata, crescit in templum sanctum in Domino. In quo et vos coædificamini in habitaculum Dei, in spiritu.* Ad id quod supra dixerat : *peregrini testamentorum et repromissionis*, nunc respondet : *ergo jam non estis peregrini et accolæ.* Et ad illud quod præmiserat, *alienati a conversatione Israel*, modo redit : *Estis cives sanctorum, et domestici Dei.* Hic locus adversus eos vel maxime facit, qui diversas naturas nituntur introducere. Quomodo enim peregrini facti sunt cives sanctorum, et quomodo domestici Dei fuerunt **584** quondam alieni a conversatione Israel, si non potest vel in melius, vel in pejus natura mutari? Quod autem sequitur : *Ædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum*, magis priori quam secundæ interpretationi convenit, in qua superius diximus, ante passionem Christi vicinum Israel, et Gentes fuisse de longe. Hoc testimonio et contra Marcionem cæterosque veteres hæreticos, qui alium Legis, alium Evangelii prædicant Deum, uti possumus. Si enim nequaquam peregrini et accolæ, sed cives sanctorum et domestici Dei superædificati sunt fundamento apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu : in quo omnis ædificatio compaginata, crescit in templum sanctum in Domino : in quo et Ephesii coædificantur in tabernaculum Dei in spiritu, unus est Deus, unius ædificationis et templi, quod superædificatum est fundamento apostolorum et prophetarum. Quod si universa ædificatio compaginata, crescit in templum sanctum in Domino, omni labore nitendum est, ut fiamus illi lapides, de quibus scriptum est : *Lapides sancti volvuntur super terram* (*Zach.* ix, 16). Et cum fuerimus vivi lapides, ex omni parte dolati, læves [*Al.* leves], politi nullam habentes scabredinem, ædificemur in templum, et fiamus habitaculum Deo. Condaturque in nobis arca testamenti custos Legis Domini, et Cherubim, *scientiæ multitudo*, et interiora pectoris nostri in novum vocabulum transeant : dicamurque dabir (דביר), quod nos *oraculum*, sive *responsum* possumus appellare, et ut contentiosius verbum exprimamus e verbo, λαλητήριον, id est, *locutorium* dicere : ut cum Apostolo erumpamus in vocem : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus* (I *Cor.* xiii, 3)? Potest autem omnis ædificatio super fundamentum apostolorum prophetarumque constructa, non solum nos, sed et cœlestes [a] significare virtutes, ut universi pariter fiant habitaculum Dei in spiritu : incongruum quippe esse aiunt, ex hominibus ædificationem compactam atque concordem crescere in templum sanctum in Domino, fierique habitaculum Dei in spiritu; angelos autem et beatas quasque virtutes, quæ in cœlestibus Deo **585** serviunt, ab hac felicitate alienas existimari. Summus autem angularis lapis, qui populum utrumque continent (sive juxta secundam interpretationem cœlestia jungat atque terrena) Christus est Dominus noster, lapis præcisus de monte sine manibus, de quo et Psalmista testatur, dicens : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud* (*Ps.* cxvii, 22). Reprobatus quippe est a Pharisæis, qui videbantur **586** Legis habere notitiam, Deique templum legalibus ædificare mandatis : et assumptus a Deo in angularem lapidem, ut duos parietes ipse medius contineret : et per illum uterque populus ad Deum haberet accessum. Iste angularis lapis, non credentibus lapis offensionis est, et petra scandali : super quem qui ceciderit, quassabitur; super quem vero ipse corruerit, comminuet eum (*Luc.* xx).

[a] Duo Cistercienses mss., *cœlestes magnificare virtutes.*

LIBER SECUNDUS.

Secundum orationibus vestris, o Paula et Eustochium, ad Ephesios aggredimur librum : nova quoque Romam munuscula transmissuri. Non quod hæc dignetur legere doctorum senatus, et bibliothecis ve-

terum ascribere : sed quod sancta Marcella idipsum A fieri per Epistolas flagitet. Cujus ego quotiescumque studiorum, ingenii, laboris, recordor, toties me damno inertiæ, qui in monasterii solitudine constitutus, et illud præsepe contra videns, in quo vagientem parvulum festini adoravere pastores (*Luc.* II), id facere non possum, quod mulier nobilis inter strepentem familiam, et procurationem domus explet operis succisivis. Qua propter et illam et vos, et si quis forte lecturi sunt, in commune precor, ut sciatis me non cogitatum diu limatumque proferre sermonem : sed ad revelanda mysteria Scripturarum, uti verbis pene de trivio, et interdum per singulos dies usque ad numerum mille versuum pervenire, ut cœpta in Apostolum explanatio, ipsius Pauli, cujus Epistolas conamur exponere, orationibus compleatur. B

(Cap. III. — Vers. 1 seqq.) *Hujus rei gratia, ego Paulus vinctus Jesu Christi pro vobis gentibus : si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis. Quoniam secundum revelationem cognitum factum est mihi mysterium, sicut præscripsi in modico; prout potestis legentes intelligere sensum meum in mysterio Christi.* Quantum ad consequentiam sermonis textumque eloquii pertinet, ad id quod præmisit : *Hujus rei gratia, ego Paulus vinctus Jesu Christi pro vobis gentibus*, diligentissime perquirentes, nihil quod ei reddiderit, potuimus invenire. Neque enim dixit, hujus rei gratia ego Paulus hoc vel hoc feci, vel illud et illud docui : sed suspensa manente sententia, transgressus ad alia est. Nisi forte igno- C scentes ei, quod et ipse confessus est dicens : *Et si imperitus sermone, non tamen scientia* (I *Cor.* XI, 6), sensuum magis in eo quæramus ordinem, quam verborum. Qui sic reddi potest : hujus rei gratia, ego Paulus vinctus Christi Jesu, et vinctus pro vobis qui estis ex gentibus, cognovi mysterium, ut vobis quoque illud traderem : sicut in hac eadem Epistola ante paululum **587** sum locutus. Debetis autem audire dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis qui estis ex gentibus, pro quibus et vinctus sum Jesu Christi. Vinctum autem Jesu Christi Paulum esse pro gentibus, potest et de martyrio intelligi : quod Romæ in vincula conjectus, hanc Epistolam miserit eo tempore quo ad Philemonem, et ad Colossenses, et ad Philippenses in alio loco scriptas D esse monstravimus. Vel certe [a] quia in pluribus locis lectum est, vinculum animæ corpus hoc dici, quo quasi clausa teneatur in carcere : dicimus propterea Paulum corporis nexibus coerceri, nec reverti et esse cum Christo, ut perfecta in gentes per eum prædicatio compleatur. Licet quidam alium sensum in hoc [b] introducant, quod Paulus prædestinatus, et sanctificatus ex utero matris suæ, ad prædicationem gentium antequam nasceretur, postea vincula carnis acceperit. Puto autem quod et vitiosa in hoc loco elocutio sit. Pro eo enim quod debuit dicere : hujus rei gratia, ego Paulus vinctus Jesu Christi pro vobis gentibus, cognovi mysterium, sicut et præscripsi in modico, prout potestis legentes intelligere, ait : hujus rei gratia ego Paulus vinctus secundum revelationem, cognitum factum est mihi mysterium, et reliqua. Si vero quis potest etiam juxta sermonis et eloquii contextum docere, Apostolum fuisse perfectum, et in artis grammaticæ vitia non incurrisse, ille potius auscultandus est. Nos quotiescumque [c] solœcismos, aut tale quid annotavimus, non Apostolum pulsamus, ut malivoli criminantur, sed magis Apostoli assertores sumus, quod Hebræus ex Hebræis, absque rhetorici nitore sermonis, et verborum compositione, et eloquii venustate, numquam ad fidem Christi totum mundum transducere valuisset, nisi evangelizasset eum non in sapientia verbi, sed in virtute Dei. Nam et ipse ad Corinthios ait : *Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in eminentia verbi aut sapientiæ* **588** *annuntians vobis testimonium Dei* (I *Cor.* II, 1). Et rursum : *Et verbum meum, et prædicatio mea, non in suasoriis sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei* (*Ibid.*, 4 *et* 5). Iste igitur qui solœcismos in verbis facit, qui non potest hyperbaton reddere, sententiamque concludere, audacter sibi vindicat sapientiam, et dicit : *Quoniam secundum revelationem cognitum est mihi mysterium, sicut præscripsi in modico.* Vere enim si quis superiora hujus epistolæ contempletur, videbit ei revelata mysteria, quorum partem quamdam modicam suo sermone perstrinxit : non tam totum quod noverat proferens, quam ostendens ex modico quid taceret. Prout potestis, inquit, legentes intelligere sensum meum, sive sapientiam in mysterio Christi. Hoc est illud quod in præfatione diximus : nullam Epistolarum Pauli tanta habere mysteria, tam reconditis sensibus involutam, quos et Apostolus nosse se gloriatur, et nobis indicatos breviter ostendit, ut attentius quæ sunt scripta, relegamus.

(Vers. 5 seqq.) *Et* [Al. *quod*] *aliis generationibus non fuit notum filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis ejus apostolis et prophetis in Spiritu, esse gentes cohæredes, et concorporales, et comparticipes promissionis in Christo per Evangelium, cujus factus sum minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data*

[a] Quasi Origenianæ sententiæ teneat manifeste reum S. Doctorem, Rufinus hoc loco exsultat lib. 1, num. 40. Verum quod illi reponit S. Pater lib. I Apologiæ, totum eludit adversarii impetum, ubi suam cuique reddit auctori doctrinam : *Et in hoc*, inquit, *ut supra triplicem expositionem posui. In prima, quid mihi videretur : in secunda, quid Origenes assereret : in tertia, quid Apollinarius contra illius radens dogma, sentiret. Lege Græcos Commentarios, et nisi ita repereris crimen fatebor.*

[b] Penes Rufinum, *in hoc loco introducat.*

[c] Conferenda epistola 120 ad Hedibiam, quæst. 11, et quæ subsequitur ad Algasiam quæst. 10, et paulo superius Commentarii ad Galatas IV, 24. Referendus huc quoque est Chrysostomus homil. 3 in I ad Cor.; Theodoritus de curandis Græcorum affectibus serm. 8, etc.

est mihi juxta operationem virtutis ejus. Mysterium A Christi quod ex parte supra Apostolus exsecutus est, quomodo aliis generationibus fuerit ignotum, plenius retractandum videtur : utrumne Abraham, Jacob et Moyses, Isaias, et cæteri prophetæ illud ignoraverint, an non? A quibus esse prædictum adventum Christi et vocationem Gentium, Scriptura commemorat. Abraham quippe vidit diem ejus, et lætatus est (*Joan.* VIII, 56), et dicitur ei : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes* (*Gen.* XXII, 18). Et Jacob de eo qui oriundus esset ex Juda prophetice loquitur : *Et ipse erit exspectatio gentium* (*Ibid.* XLIX, 10). Moyses quoque majores divitias Ægypti thesauris, opprobrium Christi arbitratus est. **589** Et Isaias : *Ecce*, inquit, *virgo in utero concipiet, et pariet* (*Isai.* VII, 14). Et alibi : B *Erit virga Jesse, et qui surget ad regnandum gentibus : in ipso gentes sperabunt* (*Idem*, XI, 10). Et ne longum fiat, pauca de Psalmis dixisse sufficiat : *Et adorabunt in conspectu ejus omnes familiæ gentium* (*Psal.* XXI, 28). Et iterum : *Omnes gentes servient ei* (*Psal.* XVII, 11). Et adhuc manifestius de populo Israel, et de Domino Salvatore : *Visita vineam istam, et perfice eam quam plantavit dextera tua, et super filium quem confirmasti tibi* (*Psal.* LXXIX, 15, 16). Cujus etiam corporis dispensatio in consequentibus indicatur : *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis quem confirmasti tibi* (*Ibid.*, 18). Aut igitur juxta Montanum, patriarchas et prophetas in ecstasi locutos accipiendum, et nescisse quæ dixerint : aut si hoc impium est (spiritus quippe C prophetarum prophetis subjectus est) intellexerunt utique quæ locuti sunt. Et si intellexerunt, quæritur quomodo nunc Paulus dicat, quod aliis generationibus non fuit notum, fuisse Christi apostolis revelatum. Aut igitur illud est respondendum, quod caute Paulus signanterque testatus sit, filiis hominum ignotum fuisse mysterium, non filiis Dei, ad quos loquitur : *Ego dixi : dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI, 6). Quod scilicet hi qui spiritum adoptionis acceperint, de quibus patriarchæ, et prophetæ fuerint, Dei scierint sacramentum. Aut si hoc non recipitur, et nimium violentum et coactum videtur, illuc sermo transibit, ut dicat non definite et generaliter dixisse Paulum aliis generationibus ignotum fuisse omnino Domini sacramentum : sed D sic quomodo nunc revelatum est sanctis ejus et apostolis, nescisse patriarchas veteres, et prophetas. Aliud est enim in spiritu ventura cognoscere, aliud ea cernere opere completa. Unde et Joannes propterea major prophetis omnibus dicitur (*Luc.* VII) : quia quem cæteri prophetaverunt, ipse conspexerit, et digito demonstrarit, dicens : *Ecce Agnus Dei : ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 29). Juxta quem sensum et illud exponi potest : *Multi prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt* (*Luc.* A X, 24). Hæc utique videre et audire cupiebant, quæ futura cognoverant. Quod si nesciebant ventura, quomodo desiderare poterant, quæ penitus ignorabant? Legimus in Regnorum libris, Dominum **590** Salomoni in somnio pollicentem atque dicentem : *Pro eo quod petiisti a me verbum istud, et non petiisti tibi dies multos, nec postulasti divitias, nec animas inimicorum tuorum, sed petisti ut intelligeres, et audires judicium : ecce feci* [a] *verbum tuum, et dedi tibi cor prudens et sapiens sicut tu* [Al. *tui*] *non fuit ante te, et post te non surget similis tibi* (II *Reg.* III, 11, 12). Et quomodo quidam putant apostolis Christi revelatum esse mysterium, quod ignotum fuerit Salomoni, cum apostolis omnibus sapientiorem fuisse Salomonem, et retro patriarchis vox divina B pollicita sit? qui de se quoque ipse loquitur confidenter : *Deus docuit me sapientiam, et intellectum sanctorum cognovi* (*Sap.* VII, 21). Necnon et David de scientia occulti mysterii gloriatur, dicens : *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi* (*Psal.* L, 8). Et ad eum qui sibi de sapientia supplaudebat, Deus loquitur per prophetam : *Numquid tu sapientior es Daniele* (*Ezech.* XXVIII, 3). Aut ille igitur de quo jam supra disseruimus, tenendus est sensus, ita patriarchas et prophetas, ut nunc apostolis revelatum est, Christi ignorasse mysterium, quia aliud sit tenere quid manibus, aliud futurum in spiritu prævidere. Aut dicendum, quomodo non sunt similes facies faciebus, sic nec corda esse cordibus; et, juxta Apostolum, diversa esse charismata, alium C habere prophetiam, alium genera linguarum, alium dona curationum, alium opitulationes et gubernationes, illum esse sapientem, hunc fidelem, istum pollere scientia secretorum, illum simplici tantum fide esse contentum (I *Cor.* XII). Neque enim omnes in exemplum Salomonis de naturis bestiarum et volucrum, et herbarum similiter sunt locuti, ut disputarent a cedro Libani, usque ad hyssopum, quæ exiit per parietem. Econtrario Salomon non ita forsitan viderit, ut Moyses omnes species victimarum, et culturæ Dei; nec ei facie ad faciem sit locutus Dominus, nec vasorum tantam vel habuerit, vel intellexerit supellectilem, quorum typum illi in monte Dominus ostendit (III *Reg.* IV; *Exod.* XXXIII, XXV). Et quomodo patriarchæ, et prophetæ habue- D runt aliqua quæ apostolos non habuisse credendum est : sic econtrario pro opportunitate temporis, et pro Evangelii prædicatione, habuerunt apostoli magis notum mysterium Christi. Quod scierunt quidem et sancti antiquitus viri, sed non ita ut apostoli, quibus prædicandi necessitas incumbebat. **591** Quod est autem hoc mysterium, quod, sicut nunc, aliis generationibus non fuit revelatum? Utique illud quod sequitur, *esse gentes cohæredes, concorporales, et comparticipes promissionis in Christo Jesu per Evangelium*, cujus factus est Paulus minister, secundum donum gratiæ Dei, quæ data est ei juxta

[a] Penes Victorium, *secundum verbum.* Cæterum vide quæ paulo inferius ad versic. 10 observamus.

operationem virtutis ejus. Scio appositionem conjunctionis ejus, per quam dicitur, *cohæredes, et concorporales, et comparticipes*, indecoram facere in Latino sermone sententiam. Sed quia ita habetur in Græco, et singuli sermones, syllabæ, apices, puncta, in divinis Scripturis plena sunt sensibus, propterea magis volumus in compositione structuraque verborum, quam intelligentia periclitari. Gentes igitur cohæredes sunt Israeli, sive quod melius arbitramur, Christo cohæredes sunt, ut hæreditas nostra Deus sit, et cohæredes Christi. Quod et in alio loco scriptum est. *Hæredes Dei, cohæredes autem Christi* (*Rom.* VIII, 17). Non quod aliqua inter nos possessio dividatur; sed quod ipse Dominus sit hæreditas nostra atque possessio. *Dominus* quippe, ait, *hæreditas vestra est* (*Deut.* XVIII, 2); et alibi : *Dominus pars mea, et hæreditas mea* (*Psal.* XV, 5). Concorporales autem illud significat, ut quemadmodum in uno corpore plura sunt membra : verbi causa, oculi, manus, aures, pedes, venter, et genua : et cum in uno sint corpore, habeant differentias suas, et pro se invicem lætentur, et doleant : sic licet diversas habeant gratias, hi qui in Christo crediderē, in uno tamen sint Ecclesiæ corpore conglobati. Et in superioribus quidem duobus verbis, id est, in eo quod ait, *cohæredes et concorporales*, poterat in uno corpore diversum aliquid suspicari. Ex eo autem quod addidit : *et comparticipes promissionis in Christo Jesu*, omnis penitus diversitas amputata est. Ubi enim una comparticipatio est, universa communia sunt. Pulchre etiam addidit, *per Evangelium, cujus factus sum minister secundum donum gratiæ quæ data est mihi juxta operationem virtutis ejus :* ut Dei gratiam, non suum meritum demonstraret. Sciebat se namque persecutorem fuisse, et Christi Ecclesiam devastasse, ex qua humilitate, arrogantiæ penitus crimen excluditur. Super qua nonnulli eum reprehendendum putant : quia sibi dixerit mysterium revelatum, quod patriarchis et prophetis fuerit **592** ignotum. Numquam enim humilitatis discipulus, verbis arrogantiæ intumesceret, Evangelium cujus minister est, non sui meriti dicens fuisse, sed gratiæ Dei. Qui volunt prophetas non intellexisse quod dixerint, et [*Al.* sed] quasi in ecstasi locutos, cum præsenti testimonio, illud quoque quod ad Romanos in plerisque codicibus invenitur, ad confirmationem sui dogmatis trahunt, legentes : *Ei autem qui potest vos roborare juxta Evangelium meum, et prædicationem Jesu Christi secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti, manifestati autem nunc per Scripturas propheticas, et adventum Domini nostri Jesu Christi*, et reliqua. Quibus breviter respondendum est, temporibus præteritis tacitum Christi fuisse mysterium, non apud eos qui illud futurum pollicebantur, sed apud universas gentes quibus postea manifestatum est. Et pariter annotandum, quod sacramentum fidei nostræ, nisi

A per Scripturas propheticas, et adventum Christi non valeat revelari. Sciant igitur qui prophetas non intelligunt, nec scire desiderant, asserentes se tantum Evangelio esse contentos, Christi nescire mysterium, quod temporibus æternis gentibus cunctis fuerit ignoratum.

(Vers. 8, 9.) *Mihi infimo omnium sanctorum data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare* [a] *omnes quæ sit dispensatio mysterii absconditi a sæculis in Deo qui universa creavit.* Non puto apostolum Paulum cum mentis suæ concordasse secretò, ut vere omnibus [*Al.* ex omnibus] Sanctis infimum esse se dixerit : verbi causa, his qui erant in Epheso, qui in Corintho, qui in Thessalonica, vel qui in toto orbe crediderant.
B Quod cum humilitatis indicium sit, se omnibus Sanctis infimum dicere, mendacii est reatus, aliud in pectore clausum habere, aliud in lingua promere. Reperiendum ergo est argumentum, quo et Paulus vere omnibus sanctis [*Al.* omnium sanctorum] infimus fuerit, et tamen de apostolica non ceciderit dignitate. Loquitur Dominus in Evangelio ad discipulos : *Qui vult in vobis major esse, fiat omnium minor, et qui vult esse primus, sit omnium novissimus* (*Matth.* XX, 26, 27). Quod Paulus opere complebat, dicens : *Puto enim quia Deus nos apostolos novissimos ostendit, quasi morti destinatos* (I *Cor.* IV, 9). Omnibus igitur qui se propter Christum infirmos esse cupiebant, apostolus Paulus infirmior erat, et idcirco major.
C **593** *Omnibus enim*, inquit, *illis plus laboravi, non autem ego, sed gratia Dei, quæ mecum est.* Propter quam humilitatem dum omnium sanctorum est infimus, data est ei gratia hæc in gentibus, ut evangelizaret ininvestigabiles divitias Christi, et doceret dispensationem mysterii absconditi a sæculis in Deo, qui universa creavit. Si ininvestigabiles divitiæ Christi sunt, quomodo evangelizantur in populo? Si absconditum est a sæculis mysterium in Deo, qua ratione per Paulum profertur in gentes? Sed ininvestigabiles et absconditum dupliciter sentiendum. Quod ininvestigabiles ante divitiæ fuerint, et nunc post Domini apertæ sint passionem. Aut certe quæ natura sua homini ininvestigabiles erant, hæ, Deo revelante, sunt cognitæ. Quia aliud est ad secretum
D curiositate propria pervenire, quod postquam inventum fuerit, desinit esse ininvestigabile. Aliud propria diligentia illud nequaquam posse comprehendere, sed per gratiam cognoscere Dei, quod cum scieris, et cæteris quoque ostenderis, nihilominus ininvestigabile perseverat, dum tibi quantum in te est, fuit antequam ostenderetur occultum. Divitias Christi ininvestigabiles, ad ipsum quoque Christum loquens Psalmista testatur, dicens : *Quam infinita multitudo bonitatis tuæ, quam abscondisti timentibus te* (*Ps.* XXX, 20). Hæ bonitatis ejus divitiæ ab omnibus retro sæculis absconditæ fuerunt in Deo, qui creator est omnium. Ubi sunt Marcion et Valentinus,

[a] Tacent alii libri vocem, *omnes*, quæ in mss. aliquot Græcis desideratur.

et omnes hæretici, qui alterum mundi, id est, visibilium, et alterum asserunt invisibilium conditorem? Hunc justum esse dicentes, illum nescio quem semper ignotum : tantum bonum, qui Pater Christi sit. Ecce Deus, in quo mysterium Christi ab omnibus retro sæculis [a] absconditum fuit, Creator esse omnium prædicatur. Ex quo ostenditur idem esse Deus novi et veteris Testamenti. Potest autem mysterium a sæculis absconditum et aliter 594 intelligi, quod ipsa illud sæcula ignoraverint, hoc est, omnes spirituales, et rationabiles creaturæ quæ in sæculis fuerunt. Sæculum quippe frequenter pro his quæ in sæculo versantur, accipitur. Sicut Paulus ad Galatas loquitur dicens : *Ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam* (*Galat.* I, 4). Et in alio loco : *Ut ostenderet in venturis sæculis* (*Ephes.* II, 7), pro eo quod est, his omnibus quæ in supervenientibus sæculis futura erant.

(Vers. 10, 11.) *Ut innotesceret nunc principatibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiplex sapientia Dei secundum propositum sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro.* Juxta donum gratiæ Dei, quæ data est Apostolo, ut evangelizaret ininvestigabiles divitias Christi, et doceret in gentibus mysterium quod a sæculis fuerat ignoratum : idcirco idipsum sacramentum ei est revelatum, ut non solum gentibus, sed [b] et principatibus et potestatibus per Ecclesiam manifesta fieret multiplex sapientia Dei, quæ juxta propositum veterum sæculorum olim destinata, nunc consummata videtur in Christo. Si autem principatibus et potestatibus in cœlis, quas sanctas ministrasque Dei accipere debemus (licet quidam principem aeris istius et angelos ejus interpretentur), ignota fuit multiplex sapientia Dei, quæ nunc eis per Ecclesiam revelata est, quanto magis patriarchis et prophetis ignota fuit, quos supra non ignorasse mysterium Christi, sed ita ut apostolos, nescisse monstravimus? Multiplex quippe sapientia Dei, quæ sermone Græco, πολυποίκιλος, et ut ita dicam, *multifaria*, appellatur, per Ecclesiam Dei nunc et principatibus et potestatibus revelata est. Quam olim Deus futuram in sua mente decreverat, et nunc esse perfectam ex eo quod videmus, agnoscimus. Crux itaque Christi non solum nobis, sed et angelis cunctisque in cœlo virtutibus profuit, et aperuit sacramentum quod antea nesciebant. Denique ad cœlum 595 cum corpore Deum revertentem mirantur, et dicunt : *Quis est iste qui ascendit de Edom,*

A *fulvida vestimenta ejus ex Bosor, sic* [Al. *hic*] *formosus in stola candida* (*Isai.* LXIII, 1). Et in alio loco : *Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ* (*Psal.* XXIII, 10). Non putemus igitur in Ecclesia esse simplicem fidem, sed multiplicem et multifariam esse sapientiam, ut non solum varia sit, sed multa varietate distincta. Respicis cunas Christi : vide pariter et cœlum. Vagientem in præsepe intueris infantem : sed angelos simul ausculta laudantes. Herodes persequitur, sed adorant Magi (*Matth.* II). Ignorant Pharisæi, sed stella demonstrat. Baptizatur a servo : sed vox desuper Dei intonantis auditur (*Matt.* III). Aquis mergitur : sed columba descendit, immo Spiritus in columba (*Ibid.*, 16). Ad passionem venit, et pati timet, vult transire calicem, et Petrum quia calicem timebat, accusat. Quid hac stul-
B titia prudentius, varietate distinctius, sapientia obscurius, quam fecit Deus in Christo Jesu Domino nostro? Licet enim a plerisque secundum ordinem juncturamque sermonis, et Ecclesia facta intelligi possit, et πρόθεσις, id est, *propositio* quam nos genere neutrali in Latino sermone *propositum* habemus expressam : tamen sapientia magis in Christo facta potest resonare quam cætera. *Fatuum quippe Dei sapientius est hominibus* (I *Cor.* I, 25). Quod si in Christo secundum mysticos intellectus dicitur facta sapientia (*Eccli.* XXIV), intelligant Ariani frustra se de illo testimonio gloriari, in quo sapientia in initio viarum Dei creatam se et genitam loquitur et fundatam. Et utique juxta illos creata est, nata esse non potuit. Si
C autem nata est, quomodo et fundata dicitur et creata?

(Vers. 12.) *In quo habemus fiduciam, et accessum in confidentia per fidem ejus.* Nihil nobis ita potest ad Deum præbere fiduciam, et conscientiæ puritatem, de qua dicitur : *Si conscientia nos non reprehenderit, confidentiam habemus ad Deum* (I *Joan.* III, 21), nisi sermo, veritas, sapientia, justitia, quæ omnia intelliguntur in Christo. Quomodo igitur hæc nobis tribuunt fiduciam ad Deum : sic et accessum, ut noster ad eum sensus accedat, et diligentius contempletur, et aliquid sibi de ejus majestate assumat et vindicet, et quasi de radiis solis, calorem quemdam splendoremque luminis mutuetur et dicat : *Signatum est* 596 *super nos lumen vultus tui, Domine* (*Ps.* IV, 7). Magnum est ergo non solum nos habere fiduciam, sed
D etiam habere eam in confidentia. Nec tantum habere accessum, sed ut ipse firmior sit accessus, habere

[a] Duo mss. *contectum*, pro *absconditum*.

[b] Nimirum ex vetustiorum aliquot Ecclesiæ Patrum sensu loquitur, quibus, ut pridem Huetius animadvertit, locus iste Apostoli in causa fuit, ut crederent, pleraque Dei mysteria angelos per Ecclesiam didicisse : non ea quidem, quæ divinæ naturæ necessario insunt (illa siquidem cognovere, cum semel illis contuendi Dei facultas concessa est), sed quæ libere Deus et forinsecus operatur. Nyssenus homil. 8 in Cant. cognovisse eos per Ecclesiam incarnationis, redemptionis, crucis, et mortis Christi mysteria docet. Chrysostomus præterea liquido declarat, angelos rerum sibi antea occultarum, et ignotarum notitiam ex ipso apostolorum ore comparasse : præcipue vero conversionis gentium ad Christi fidem, cum antea ignorarent. Sed in commodiorem accipi sensum Hieronymi hæc possunt verba, siquidem eruditos per Ecclesiam angelos quasi rerum testes et conscios, non quasi discipulos, asserere videatur. In quo et ab Origenis placito, quod impugnavimus ad homil. ejus 23, jure meritoque dissentit. Pugnat enimvero cum Scripturæ sacræ testimoniis putare prius hominibus quam angelis revelatum Incarnationis mysterium : quanquam bonorum, quæ ex eo consequi debebant, ut est conversionis gentium ad fidem, fere nullam cognitionem habuisse illos liceat opinari : idque genus ea esse, in quibus per Christi mortem profecerint.

illum in confidentia, cujus fiduciæ atque accessus, principium et origo, fides in Christo est. Qui igitur omnia ratione et ordine facit, iste credit in Christum sermonem atque rationem : qui sapientiam potuerit comprehendere, credit in Christum sapientiam : qui intellexerit veritatem, credit in Christum veritatem : qui juste vixerit, credit in eum justitiam. Nec opus est plura dicere, cum frequenter mihi necessitas incubuerit de Christo similiter disserendi.

(Vers. 13.) *Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra.* Id quod nunc Latinus translator expressit, *ne deficiatis*, potest juxta Græci sermonis ambiguitatem et ita legi, *ne deficiam*. Ut sit sensus : *Propter quod peto, ne deficiam in tribulationibus meis pro vobis*, etc. Hoc est ergo quod Apostolus rogat, et a Domino magnopere deprecatur, ne deficiat in pressuris suis. Videbat quippe se de Jerusalem usque ad Illyricum Evangelium prædicasse, isse Romam, ad Hispanias, vel perrexisse, vel ire disponere (*Rom.* xv). Totus mundus ad doctrinam ipsius de potestate principis tollebatur : deserebantur idola, et cultoribus templa deserta squalore et sordibus replebantur. Ob quam causam omnis exercitus dæmonum, omnis turba inimicarum fortitudinum, contra ipsum facto cuneo dimicabat, ut per tribulationes et angustias, Evangelium Christi desineret prædicare, et lassus aliquando requiesceret. Hoc est itaque quod ait : *Peto, ne deficiam in tribulationibus meis pro vobis.* Totum enim quod patior, quod tribulor, quod coarctor, vestræ salutis est causa, dum vobis Evangelium annuntiare desidero : quæ tribulationes meæ, vestra est gloria. Porro quasi imperitus locutus est, ut plurali tribulationum numero, gloriam subjungeret singularem, et diceret : *In tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra*, pro eo quod est, *quæ sunt tribulationes gloria vestra* : nisi forte quis altius et per hyperbaton, vel ad fiduciam, vel ad accessum, vel ad fidem hoc existimet esse referendum, et dicat, in quo habemus fiduciam, **597** et accessum, et fidem. Quæ fiducia, accessus et fides, vestra est gloria. Sed magis superior sectandus est sensus. Potest autem secundum id quod Latinus expressit : *Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra*, illud exponi quod pro Ephesiis petat, ne in pressuris apostoli lassescant atque deficiant. Siquidem et ea quæ sequuntur, huic sensui magis congruunt : *Propterea curvo genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtute confortari.* Necessariam quippe habebant fortitudinem, ne in tribulationibus vincerentur. Dicat aliquis : Si fuissent Ephesi in angustiis constituti,

A recte Paulus pro eis potuerat deprecari, ne deficerent atque lassescerent : nunc vero ridiculum est, Paulo in tribulationibus posito, rogare eum, ne Ephesi in suo labore deficiant. Sed et ad hanc quæstiunculam dissolvendam, illud sumetur exemplum : *Tentationem vestram in carne mea non sprevistis, neque abjecistis.* Ostenditur siquidem in hoc dicto, quod in carne Pauli aliis sit nata tentatio. Consideremus totius mundi homines (et quid in commune de omnibus loquor, eos qui in Christum putantur credere, discutiamus), et videbimus hac eos vel maxime quæstione tentari, quare sanctis viris et Deo servientibus, multa adversa eveniant, et contra scelerati, impii, parricidæ floreant, vigeant, sint divites et potentes. Quorum verba sub sua persona David exprimens ait :
B *Quam bonus Deus Israel rectis corde. Mei vero pene moti sunt pedes : pene effusi sunt gressus mei. Quoniam æmulatus sum super iniquis, pacem peccatorum videns* (*Ps.* LXXII, 1 *seqq.*), et reliqua. Super quæ infert : *Ego autem dixi : ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas, et factus sum flagellatus tota die.* Non itaque mirum est, si pluribus Paulo angustiis in Epheso, et in Asia coarctato, Ephesi tentabantur, et habebant necessarium orationum ejus auxilium, ne deficerent in pressuris ejus. Quod autem in Epheso et in Asia fuerit Apostolus plura perpessus, scriptum est quidem et in Actibus apostolorum : **598** sed magis de ipsius Pauli Epistolis discimus, in quibus ait : *Si juxta hominem ad bestias pugnavi in Epheso, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt* (I *Cor.* xv, 32)? Et in
C secunda ad Corinthios : *Nolo vos ignorare, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia : quia supra modum, super virtutem aggravati sumus, ita ut desperaremus etiam vivere : sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non confidentes essemus in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos, qui de talibus mortibus liberavit nos, et liberat : speramus autem, quia et liberaturus sit* (II *Cor.* I, 8 *seqq.*). Quantum putas eum tribulationum pondus urgebat, ut diceret : *qui de tantis et talibus mortibus liberavit nos?* Recte igitur petit, ne deficiat fides Ephesiorum in pressuris suis atque angustiis, quas propterea patitur, quia Ephesiis Evangelium prædicabat. Quæ quidem pressuræ apud incredulos pœnæ sunt, apud fi-
D deles gloria atque victoria, quia vicisse, est adversariis in angustiis non cessisse.

(Vers. 14.) *Propterea curvo genua mea ad Patrem* ᵃ *Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis, et in terra nominatur.* Quomodo in superioribus demonstratum est, ad effigiem corporalium luminum esse oculos spirituales : sic nunc intelligendum, alia esse exterioris hominis genua, alia interio-

ᵃ Victorius expungit verba, *Domini nostri Jesu Christi*, quod in subnexa expositione ea novisse Hieronymus non videatur. *Porro*, inquit, *quod sequitur, ad Patrem, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur, non ut in Latinis codicibus additum est*, ad Patrem Domini *nostri Jesu Christi*; *sed simpliciter*, ad Patrem *legendum, ut Dei Patris nomen non Domino nostro Jesu Christo; sed omnibus creaturis rationalibus coaptetur.* Equidem et veteres mss. libri Græci nunc suppetunt; qui verba, τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, non agnoscunt, duæque item Versiones antiquæ, Æthiopica et Copta.

ris. Etenim illud quod dicitur in Isaia : *Confortamini manus dimissæ, et genua dissoluta* (*Isai.* XXXV, 3). Et in alio loco ipse Apostolus : *Ut in nomine*, inquit, *Jesu, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum* (*Philip.* II, 10), non ad genua corporis, sed ad subjectionem mentis et inclinationem animæ, cordisque obsequium pertinet, terræ se coæquantis, ut Psalmista quoque canit, dicens : *Adhæsit pavimento anima mea* (*Ps.* CXVIII, 25). Res enim spiritualis et incorporea anima, rei corporali pavimento quomodo potuit adhærere? Esto quippe in nomine Jesu flectant genu terrestria : numquid et angelos cæterasque virtutes, quæ in cœlestibus perseverant, possumus affirmare speciem habere corpoream, ut in nomine ejus flectant genu? vel apud inferos animas vinculis corporis liberatas, genu quod non habent, esse flexuras? Quomodo **599** igitur quicumque subjectus est Salvatori, flectere ei genu dicitur : sic qui peccati servus est, et habet spiritum servitutis iterum in timore, genu scribitur flexisse peccato. *Derelinquit mihi*, ait Dominus, *septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal* (III *Reg.* XIX, 18), idolo scilicet atque peccato. Qui fornicator est, et per lupanaria scortaque discurrit, libidini flectit genu suum. Qui furiosus, flexo adorat iram genu. Qui mammonam suspicit, et Deus ejus est venter, flectit genua avaritiæ atque luxuriæ. Et quid me necesse est singula peragrare? Toties diabolo flectimus genu, quotiescumque peccamus. Hæc autem spiritualiter exponentes, non statim juxta litteram orandi consuetudinem tollimus, qua Deum genu posito suppliciter adoramus, et fixo in terram poplite, magis quod ab eo poscimus, impetramus. Legimus enim et Paulum in littore sic orasse, et geniculationes in oratione præceptas (*Act.* XXVII). Sed sicut illud ædificat simplices : sic veram geniculationem esse docemus in animo; quia multi corporale flectentes genu, animæ, nequaquam poplitem curvaverunt. Et contra, alii erecto Deum corpore deprecantes, magis se animo curvaverunt. Porro quod sequitur, *ad Patrem ex quo omnis paternitas in cœlis, et in terra nominatur*, non ut in Latinis codicibus additum est, *ad Patrem Domini nostri Jesu Christi*, sed simpliciter, *ad Patrem*, legendum, ut Dei Patris nomen, non Domino nostro Jesu Christo, sed omnibus creaturis rationabilibus

A coaptetur. Quærendum ergo quomodo ex Deo Patre omnis paternitas in cœlis et in terra sit nominata. Et simul antequam aliquid retractetur, notandum, quod non dixerit, *ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nata est*, vel *creata*; sed, *ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur*. Aliud est enim appellationem paternitatis mereri, aliud naturæ habere consortium, paternitatem quæ in Græco πατριά, in **600** Hebræo MESPHATH (משפחת), id est, *cognatio*, vel *familia* dicitur, legimus et in Numeris : *Tollite*, inquit, *summam omnis synagogæ Israel, juxta cognationes et populos, secundum domos paternitatum, juxta numerum nominum eorum* (*Num.* I, 2). Et post paululum (*Vers.* 16) : *Hi sunt electi synagogæ principes tribuum, juxta paternitates suas duces Israel*. Et

B rursum de tribu Levi : *Et locutus est Dominus ad Moysen in deserto Sina, dicens : Numera filios Levi, secundum domos paternitatum suarum, secundum populos eorum, secundum cognationes eorum : omne masculinum a mense uno et supra, considerate eos* (*Num.* III, 15). Hæc de populo Israel, et de sacerdotali ac Levitica tribu. Cæterum mecum ipse pertractans, ubi de gentibus [a] paternitatum vocabulum legerim, nunc interim aliud non invenio, nisi vicesimi primi psalmi testimonium, in quo scriptum est : *Et adorabunt in conspectu ejus omnes patriæ gentium* (*Psal.* XXI, 30); et [b] vicesimi octavi : *Afferte Domino patriæ gentium : afferte Domino filios arietum* (*Psal.* XXVIII, 1). Quomodo ergo Deus essentiæ suæ nomen atque

C substantiæ, etiam cæteris impertit elementis, ut ipsa quoque esse dicantur, non quo secundum naturam sint (fuit enim tempus quando universa non fuerunt, et rursum, si voluerit, in nihilum revertentur) sed ut esse dicantur, habent Dei bonitate donatum : sic et paternitatis nomen ex semetipso largitus est omnibus. Quod ut manifestius fiat, Scripturarum testimonium proferam [*Al.* proferant]. Loquitur in Exodo Dominus : *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14); et : *Hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos.* Numquid solus Deus erat, et cætera non erant? Utique angeli, cœlum, terra, vel maria, et ipse Moyses, cui Dominus loquebatur, et Israel, et Ægyptii, ad quos, et contra quos princeps et adversarius mittebatur, et erant. Et quomodo nomen commune sub-

D stantiæ, sibi proprium vindicat Deus? illa, ut dixi-

[a] Scripserat vero perquam erudite ipsemet Hieronymus lib. adversus Helvidium num. 14 : *Cognatione fratres vocantur, qui sunt de una familia, id est, patria, quas Latini paternitates interpretantur, cum ex una radice multa generis turba diffunditur*. Ad quem locum nos Tertullianum laudavimus, qui eam vocem *patria* servavit Poemate quarto adversus Marcionem :

Ad quem se curvare genu plane omne fatetur,
Ex quo omnis *Patria* in cœlo terraque vocatur.

[b] Hunc locum diverso modo depravatum invenio apud Erasmum et Marianum. Erasmus de suo addidit. *Et in nonagesimo quinto;* mutavitque, *et in vicesimo octavo :* Marianus vero additionem Erasmi retinuit, delens, *et in vicesimo octavo*. Nos ad fidem omnium exemplarium manuscriptorum restituimus, *et vicesimi octavi*, etc., licet ex hoc contextu falsus deprehendatur Hieronymus, qui psalmum XXVIII cum nonagesimo quinto promiscue accepit et recitavit. MART.— Cistercienses mss. *vigesimi septimi* habent; sed neque hoc bene : neque enim aut in vigesimo septimo, aut, quod impressa lectio præfert, octavo ulla de patria est mentio. Et manifesto liquet versiculum istum : *Afferte Domino patriæ gentium*, etc., nonagesimi quinti Psalmi esse, quemadmodum, re ipsa cogente, Erasmus rescribere non dubitavit. Victorius econtrario maluit ea verba, *et in vigesimo octavo*, una cum illo Psalmi versu expungere, quæ sibi visa sunt ab imperito aliquo inmixta. Nobis Erasmiana restitutio non displicet : illudque manifestum putamus mendum, non Hieronymi, sed scribarum in numericis notis passim errantium; nihil tamen immutamus contra mss. fidem.

mus, causa : quia cætera ut sint, Dei sumpsere beneficio. A Deus vero qui semper est, nec habet aliunde principium, **601** et ipse sui origo est, suæque causa substantiæ, non potest intelligi aliunde habere quod substitit. Nam et in igne aliud est calidum, aliud calefactum. Ignis absque calore intelligi non potest. Cætera quæ ex igne calefiunt, calorem illius mutuantur, et paulatim si ignis abscesserit, calore tenuato, redeunt in naturam suam, et nequaquam calida nuncupantur. Juxta hunc sensum et in Evangelio dicitur ad eum qui Salvatorem non quasi Dei Filium, sed quasi magistrum bonum putabat : *Quid me appellas bonum? nemo est bonus, nisi unus Deus* (*Luc.* XVIII, 19). Et certe terram bonam legimus (*Luc.* VIII), et hominem (*Matt.* XII), et pastorem bonum (*Joan.* X); sed nemo juxta naturam bonus, B nisi solus Deus. Cætera ut dicantur bona, bonitate illius consequuntur. Sicut ergo solus bonus, bonos facit, et solus immortalis, immortalitatem tribuit, et solus verus, veritatis nomen impertit : ita et solus Pater, quia Creator est omnium, et universorum causa substantiæ, præstat cæteris ut patres esse dicantur. De terrenis cœlestia contemplemur : Adam quem primum plasmavit Deus; et Creator ipsius, et Pater fuit, certe Deo Patri scit se debere quod substitit. Rursum hi qui geniti sunt ex Adam, patrem illum intelligunt, ex quo orti sunt. Unde et in Evangelio secundum Lucam, cum paulatim a Christo David, et Abraham retrorsum esset generatio supputata, ad extremum Scriptura ait : *Filii Seth, filii Adam, filii Dei* (*Luc.* III, 38); ut paternitatis in C terra vocabulum, a Deo primum ortum esse monstraret. Quæritur vero quam ob causam, et in cœlis ab eo omnis paternitas appelletur. Quomodo nos, qui non sumus de genere Abraham, si fidem illius habuerimus, filii vocamur Abraham : patriarchas quoque et prophetas (si tamen nos ab eis peccata non separent) nostros patres dicimus : ita puto et angelos, cæterasque virtutes habere principes sui generis in cœlestibus, quos patres gaudeant appellare. Archangelus enim, nisi angelorum dici non potest, et dominatio, et principatus, et potestas, **602** nisi inferiores subjectos habeant, non vocantur. Potest ergo et hoc dici, ex eo quod Deus Pater Domini nostri Jesu Christi juxta substantiam Pater est, et unigenitus non est adoptione Filius, sed natura : D cæteræ quoque creaturæ paternitatis nomen adoptione meruerunt. Quidquid autem de Patre et Filio dicimus, hoc sciamus dictum esse de Spiritu sancto. Nam et Salvator noster Patrem esse se novit, dicens : *Fili, dimittuntur tibi peccata* (*Marc.* II, 5); et : *Filia, fides tua te salvam fecit* (*Matt.* IX, 22); et : *Filioli mei, adhuc modicum vobiscum sum* (*Joan.* XIII, 13); et per Spiritum sanctum, justi quique adoptantur in filios. Valentinus sæculorum suorum [a] probolas atque conjugia, ex hoc vel maxime loco confirmandas putat : nequaquam intelligens, ut supra diximus, ad similitudinem Dei Patris, et in cœlo, et in terra, paternitates non fieri, sed appellari.

(Vers. 16 seqq.) *Ut det vobis, secundum divitias gloriæ suæ, virtute confortari per spiritum ejus in interiorem hominem : habitare Christum per fidem in cordibus vestris : in charitate radicati et fundati : ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, et longitudo, et profundum, et altitudo : Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omni plenitudine* [Al. *omnem plenitudinem*] *Dei*. Propterea, inquit, curvo genua mea ad Patrem, ad cujus similitudinem omnis in cœlo et in terra paternitas nominatur, deprecans eum atque obsecrans, ut tribuat vobis virtutem gloriæ suæ, id est, majestatis suæ habere consortium : vosque roboret atque confirmet per Spiritum sanctum : quia nulla fortitudo absque Spiritu sancto est : Roboret autem atque confirmet in interiorem hominem. Non enim corporis vires, sed animæ quærimus : nec exteriorem, sed interiorem hominem cupimus roborari : ut postquam habitaverit Christus in interiore homine, in ipsius interiori hominis habitet principali, id est, in cordibus nostris : nequaquam per cuncta ejus membra discurrens, sed in rationabili ejus habitans : et in eo domicilium, sedemque suam ponens. **603** Hoc autem totum per fidem fiet, si credamus in eum. Quamobrem ait : *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Habitatio autem ista quæ per exordium fidei fabricatur, radices et fundamentum in charitate habet : ut quoniam Dei agricultura sumus, Dei ædificatio (I *Cor.* III), omnia in charitate succrescant atque ædificentur. Cum autem radicati et fundati in charitate (*Ephes.* III), in interiore homine habitare Christum tota mentis fiducia noverimus : tunc incipiemus cum cæteris sanctis etiam ad illa nos tendere : ut sagaci animo comprehendamus quæ sit latitudo, et longitudo, profundum, et altitudo : et non solum hoc, sed etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi scire cupiemus; ut postquam hæc omnia fuerint in nobis ordine et ratione completa, tunc impleamur [b] in omnibus plenitudine Dei. Latitudinem et longitudinem, profundum et altitudinem, de corporalibus ante discamus, ut per ea ad spiritualia transire valeamus. Verbi gratia, sit latitudo cœli istius et

[a] Supino errore hactenus obtinuit, *sæculorum suorum parabolas*, pro quo nos, *probolas*, etiam absque mss. suffragio, rei cogente veritate, restituimus. Erat enimvero Valentiniana προβολή, idem atque *productio*, cum scilicet constituto Pleromate, Æones pro sua quisque voluntate, quod sibi erat præstantius, conferebat ad novum producendum fetum. Multa nos ea de voce congessimus ad lib. II Apolog. Hieronymianæ contra Rufinum, num. 19, ubi ait S. Doctor : *Dicit Candidus* (Valentinianæ hæreseos defensor) *Filium de Patris esse substantia, errans in eo quod* προβολήν, *id est, prolationem asserit*. Vide quæ ibi annotamus, ne eadem hic recoquere longum sit.

[b] Maluit Victorius, *in omnem plenitudinem*, ut in Vulgata et Græco : aut, *in omni plenitudine*, ut infra.

terræ, id est, totius mundi, ab Oriente usque ad Occidentem: longitudo, a Meridie ad Septentrionem: profundum, in abyssis, et in inferno: altitudo, quæ supra cœlestia sublimatur. Sed quoniam a plerisque juxta Ecclesiasten (*Cap.* I), cœlum affirmatur rotundum, et in sphæræ modum volvi. Nulla autem rotunditas, latitudinem et longitudinem habet, altitudinem quoque et profundum; sed ex universis partibus coæqualis est, necessitate compellimur, altitudinem, angelos intelligere superasque [*Al.* supernasque] virtutes. Profundum vero inferos, et quæ infra eos sunt. Longitudinem autem et latitudinem, media quæ inter superos inferosque consistunt. Et quia consequens est, aut superis aliquem, aut inferis esse vicinum, quæcumque incipiunt ad meliora proficere, et ad cœlestia, et ad alta consurgere, longitudo appellentur. Quæ vero inferiori parti proxima sunt, et ad vitia delabuntur, his latitudinis nomen impositum sit. *Lata quippe et spatiosa via, quæ ducit ad mortem* (*Matt.* VII, 13). Hæc universa, et in cruce Domini nostri Jesu Christi intelligi queunt. Ascendens quippe in altum, captivam duxit captivitatem (*Ps.* LXVII, 19): et descendit in inferiora **604** terræ. Et post altitudinem et profundum, in omnem terram exiit prædicatio crucis. Atque ita et altitudinem, et profundum, et longitudinem, et latitudinem tenet. Nec mirum si crux Christi universa possideat, cum etiam si quis crucifixus fuerit cum Christo, eamdem habeat potestatem. Sciet quippe primum latitudinem ab inferioribus incipiens, et minora cognoscens. Deinde longitudinem, eos qui in terra positi, ad sublimia et alta festinant. Post hæc profundum, adversarias contrariasque virtutes, quæ contra nos in hoc mundo bellum gerunt. Et ad extremum altitudinem: quia postquam notitiam earum habentes, fecerimus nobis eas esse sub pedibus: tunc merebimur ad alta et excelsa conscendere. Nec putandum in hoc finem laboris nostri esse, ut radicati et fundati in charitate, possimus comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo et profundum, et altitudo, nisi etiam omni studio nosse cupiamus, eminentem scientiæ charitatem Christi, ut non simplex charitas, sed supereminens nota sit nobis: nec iste sit terminus habere notitiam supereminentis charitatis Christi, nisi addamus et aliud, ut supereminentem charitatem scientiæ consequamur. Ex quo animadvertendum, quia grandem et immensam Christus scientiæ habeat charitatem, id est, eorum qui se scire desiderant, qui in lege ejus meditantur die ac nocte, qui verba vertunt in opera, et quod ore meditantur, consummant manu. Qui autem talis est, ut dignus sit per scientiam suam habere Christi supereminentem charitatem, ille nihil debet aliud præter scientiam cogitare. Atque ita implebitur in omni plenitudine Dei: non solum in præsenti sæculo, sed etiam in futuro: ut qui nunc plenus esse cœpit in studio per lectionem, postea perfectius impleatur Deo, qui est plenitudo omnium, se complente.

(Vers. 20, 21.) *Ei autem qui potest super omnia facere abundantius quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem quæ operatur in nobis, ipse gloria in Ecclesia, et in Christo Jesu, in omnibus generationibus* [Al. *omnes generationes*] *sæculi sæculorum, Amen.* Ad id quod supra dixerat: *Propterea curvo genua mea ad* **605** *Patrem: ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur: ut det vobis secundum divitias suas virtute confortari*, et reliqua, nunc infert: *Ei autem qui potest super omnia facere abundantius quam petimus, aut intelligimus*, hoc ostendens, se quidem juxta imbecillitatem hominis postulasse, quæ eis conducibilia videbantur: cæterum quantum ad rei ipsius pertinet veritatem, plus Deum valere tribuere, quam rogatur, et spes nostras vinci effectibus: quia secundum id quod oportet orare, nescimus, et sæpe contra nos petimus, æstimantes esse pro nobis. Quanto enim melius erat fornicatori ægrotare, et debilitate torqueri, quam Christi templum facere membra meretricis? potens est ergo Deus, non solum super id quod petimus, sed etiam super id quod intelligimus, tribuere. Evenit interdum, ut sensum nostrum non exprimamus in vocem, et mentem verba non explicent, tacitoque cogitatu gemitibus inenarrabilibus, ut ipse Apostolus ait, nescio quid, quod dicere non possumus, deprecemur. Præstabit igitur super quam petimus, aut intelligimus, secundum eam virtutem quæ operatur in nobis: ut quomodo nunc non juxta meritum nostrum, sed supra vota dat nobis aliqua, quæ nec petere ausi fuimus, nec si petissemus, æstimavimus nos mereri: ita et cætera tribuat, quæ nec mens potest cogitare, nec lingua proferre. Ipsi itaque Deo sit gloria: primum in Ecclesia quæ est pura, non habens maculam neque rugam, et quæ propterea gloriam Dei recipere potest, quia corpus est Christi. Deinde in Christo Jesu, quia in corpore assumpti hominis, cujus sunt universa membra credentium, omnis divinitas inhabitet corporaliter. Quæ quidem gloria non in præsens tantum tempus extenditur, et futuris sæculis terminatur; sed in omnes generationes, et sæculum sæculorum, ineffabili æternitate permanet, crescit, augetur.

606 (Cap. IV. — Vers. 1.) *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis.* Potest et in Christi vinculis, et in carcere pro martyrio constitutus hæc scribere: melius autem est, si vinctum Domini [*Al. addit* nostri] in Christi charitate dicamus. Cujus rei et Clemens ad Corinthios [a] testis est scribens: Vinculum charitatis Dei quis poterit enarrare (*I Cor.* XIII)? Et in primo Regnorum libro legimus: *Factum est post verba hæc, colligata est anima Jonathæ cum anima David* (I *Reg.* XVIII, 1). Et propheta de apostolis:

[a] Nimirum Epistola 1, num. 49, τὸν δεσμὸν τῆς ἀγάπης τοῦ Θεοῦ τίς δύναται ἐξηγήσασθαι, *vinculum charitatis Dei quis potest enarrare?*

Post te, inquit, *sequentur vinctis ferro manibus* (*Ps.* cii). A Qui enim Christum diligunt, sequuntur eum charitatis vinculis colligati. Est et alia expositio, quæ recipienda sit, necne, erit in potestate lectoris: Vinculum animæ, corpus hoc dici, et quia Paulus ob ministerium Evangelii corpus hoc acceperit, consequenter Christi vinctus sit appellatus. Corpus hoc vinculum dici, et eos qui in corpore vincti sunt, vinctos terræ appellari, Jeremias quoque in [a] secundo alphabeto testatur, dicens : *Ut humiliaret sub pedibus suis omnes vinctos terræ* (*Thren.* iii, 34). Et alibi hoc ipsum legimus ex Christi persona, dicentis : *His qui erant in vinculis, exite, et qui in tenebris, revelamini* (*Isai.* xlix, 9). Potest quidem vinculum hic peccati, et tenebras ignorantiæ, adventu et prædicatione Christi propheta ostendere dissolutas. B Sed et superior sensus habet locum : quod vinculum, corpus sit, et tenebræ, terrena hæc habitatio, ubi sunt rectores tenebrarum, et montes tenebrosi, ad quos pedes prohibemur offendere. Quod autem ait : *Ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis.* Digne vocatione ambulare credendus est, qui ingreditur per eum qui dicit : *Ego sum via* (*Joan.* xiv, 6, *et Isai.* xxx), et non declinat, neque ad dextram, neque ad sinistram, avertit pedem suum ab omni via mala (*Prov.* iv), completurque in eo : *A Domino gressus hominis diriguntur* (*Ps.* xxxvi, 22).

(Vers. 2.) *Cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia.* Qui terram et cinerem esse se novit, et post paululum in pulverem dissolvendum, numquam superbia **607** elevabitur. C Et qui Dei æternitate perspecta, breve et pene ad puncti instar humanæ vitæ spatium cogitarit, ante oculos suos semper habebit interitum, et erit humilis atque dejectus. *Corruptibile enim corpus aggravat animam, et terrenum hoc tabernaculum, sensum opprimit multa curantem* (*Sap.* ix, 15). Propter quod cum omni humilitate dicamus : *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei* (*Ps.* cxxx, 1). Omnis autem humilitas, non tam in sermone, quam in mente est, ut humiles nos esse conscientia, noverit, numquam nos vel scire, vel intelligere, vel esse aliquid æstimemus. Mansuetudo quoque illa est, quæ nulla passione turbatur : et specialiter ira et furore non rumpitur. Quam qui habuerit, beatitudinem, quæ Domini voce promissa est, consequetur : D ut possideat terram, id est, imperet corpori suo, dominetur-que subjecto; et hæc sit ejus prima hæreditas, in carne non carnaliter vivere. Nonnulli rugata fronte, demisso supercilio, verbisque trutinatis, auctoritatem sibi doctorum, et judicum vindicant. Non quo ipsi dignum aliquid arrogantia noverint : sed quo simplices quosque fratrum, sui quædam videant comparatione nescire.

Sufferentes invicem in charitate. Si quis intelligit quid sit, *sufferentes invicem in charitate*, non putabit in sanctos viros hoc convenire mandatum : verum in eos qui sunt in virtutum initiis constituti. Sancti quippe non habebunt [*Al.* habent] quod inter se invicem sufferant : sed hi qui quasi homines aliqua adhuc passione superantur. Nec mirum si Ephesi hæc audiant, cum in multitudine credentium sint aliqui qui adhuc invicem sufferre se debeant. Hoc ipsum mihi videtur significare et illud quod ad Galatas scribitur : *Alterutrum onera vestra portate* (*Galat.* vi, 2). Possumus ergo utrumque testimonium et aliter interpretari : ut vel alterutrum onera portare, vel sufferre invicem in charitate, et eos complere dicamus, qui divites sunt, et inopiam pauperum sublevant. Si quis ægrotanti fratri præbet obsequium, suffert eum in charitate. Si quis in cœlibatu beatam transigens vitam, alium qui et uxorem habet et liberos, et seipsum vix potest pascere, adjuverit, et utcumque potest, fuerit consolatus, alienum onus portasse **608** laudabitur. Est qui matrem vel sororem viduam cernens egestate tabescere, non potest adjuvare : huic si quis porrexerit manum, sustinuit eum in charitate. Sive autem superiorem sensum, sive posteriorem sequamur : nec peccantem fratrem, nec inopem consolatur, qui non habet charitatem, et contemnit verba Apostoli commonentis : *Debemus autem nos, qui fortiores sumus, infirmitates imbecilliorum portare, et non nobismetipsis placere* (*Rom.* xv, 1).

(Vers. 3, 4.) *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, et unus spiritus, sicut et vocati estis in una spe vocationis vestræ.* Ephesiis qui jam unitatem Spiritus sancti fuerant consecuti, recte dicitur : *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Qui enim quid habet, servandi illi sollicitudo præcipitur. Qui autem non habet, studium illi ut habere valeat, imperatur. Hic locus vel maxime adversum hæreticos facit, qui, pacis vinculo dissipato atque corrupto, putant se tenere spiritus unitatem :

[a] Pro *secundo* Marianus posuit *tertio*, quia mentem S. Hieronymi nequaquam assecutus est : hic enim sanctus Doctor in Jeremiæ Lamentationibus duo tantum agnoscit alphabeta, propter duplicem speciem metri et litterarum diversam connexionem. In primo itaque, secundo et quarto capite Threnorum, idem, ac simplex est alphabetum viginti duabus litteris, metroque quasi Saphico compositum ; in tertio autem capitulo aliud est alphabetum, quasi trimetro carmine scriptum, tres habens versus sub unaquaque littera Hebraica ter posita connexos. Vide annotationes nostras in Lamentationibus Jeremiæ. Mart.—Ita et nostri, post Martianæum, codices. Idque omnium verissime : secundum enim alphabetum illud Hieronymus appellat, quod ab altero diversum est. Porro ex quatuor alphabetis, quibus Lamentationes Jeremiæ constant, ipso Hieronymo teste, *Duo prima quasi Saphico metro scripta sunt, quia tres versiculos, qui sibi connexi sunt, et ab una tantum littera incipiunt, Heroici comma concludit.* Et, *Quartum alphabetum simile est primo et secundo :* unde hæc tria pro uno tantum hic habet. *Tertium vero, quod trimetro scriptum est, et a ternis litteris, sed iisdem* ternos incipit versus, hic pro secundo alphabeto, sive pro eo, quod est ab aliis diversum, rectissime accipit. Hoc autem a tertio Threnorum capite exordium sumit : quæ fraudi res fuit Victorio, ut adeo tertium hic laudari alphabetum existimarit : sicque temere in textu rescripserit.

cum unitas spiritus in pacis vinculo conservetur. Quando enim non idipsum omnes loquimur, et alius dicit : *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ* (I *Cor.* I, 12), dividimus spiritus unitatem, et eam in partes ac membra discerpimus. Nec statim aliquis illud opponat : Quomodo ergo diversæ sunt gratiæ, et varia charismata, cum unitas custodienda sit spiritus? Sunt quidem variæ donationes, sed in eodem spiritu : et diversa ministeria, sed idem Dominus : et multiplices operationes, sed ipse Deus qui operatur omnia in omnibus (I *Cor.* XII, 4 *seqq.*). Quod autem ait : *Unum corpus, et unus spiritus*, vel simpliciter unum corpus Christi intelligitur, quæ est Ecclesia, vel certe quod ex Virgine est dignatus assumere : ne illum quidem putent toties corporatum, quoties in veteri apparuit Testamento. Et unus Spiritus sanctus : unus quippe largitor, et sanctificator est omnium. Vel certe unum corpus, ad vitam refertur et opera quæ Græce dicuntur πρακτικὸς βίος : et unus spiritus, ad scientiam et contemplationem, quæ proprie versatur in corde, et ab illis appellatur θεωρία. Cum ergo membrum quis fuerit Ecclesiæ, nec ab uno ejus spiritu separatus, consequenter erit in una spe vocationis. Quæritur quomodo una spes vocationis sit : cum apud Patrem diversæ **609** sint mansiones. Ad quod, unam spem vocationis, regnum cœlorum, quasi [a] unam domum Dei Patris esse dicemus [*Al.* dicimus], et in una domo varias mansiones. *Alia enim gloria solis, alia lunæ, alia stellarum* (I *Cor.* XV, 41). Aut certe illud subtilius indicatur, quod in fine et consummatione rerum in pristinum statum restituenda sint omnia, quando omnes unum corpus [b] efficiemur, et in virum perfectum reformabimur : et oratio pro nobis Salvatoris implebitur : *Pater, da, ut quomodo ego et tu unum sumus, sic et isti in nobis unum sint* (*Joan.* XVII, 21). Non ignoro in eo quod nunc exposui : *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis*, Spiritum a plerisque non sanctum accipi, sed affectum mentis atque sententiam, juxta quam omnium credentium erat anima et cor unum (*Actor.* IV). Et ab Apostolo virgini præcipitur : *Ut sit sancta et corpore et spiritu* (I *Cor.* VII, 34) : carnis videlicet opere, et mentis affectu. Sed et generalis explanatio ad specialem interpretationem trahi potest, quod servet unitatem spiritus in vinculo pacis, qui non rapiatur omni vento doctrinæ, neque in morem stulti quasi luna mutetur (*Eccli.* XXVII), nunc diabolo serviens, nunc Deo. Habeat vero unum corpus bonorum operum, et semper carnem suam Deo templum exhibeat. Et unum spiritum : eadem semper sentiens : in una spe vocationis, ut nequaquam de repromissionibus ambigens, in resurrectione et restitutione omnium, solida mente confidat.

(Vers. 5, 6.) *Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium, qui super omnes, et per omnes, et in omnibus.* Quomodo alia est fides a baptismate, Deo et Domino : sic baptisma, Dominus et Deus, alia sunt a tribus singulis, quæ pariter nominantur. Hoc autem dico propter Sabellium, qui eumdem Deum Patrem arbitratur et Filium, confunditque personas, dum eamdem divinitatem in utroque deprehendit. Ecce manifestissime unus Dominus Filius, et unus Deus Pater vocantur. Quod ad Corinthios quoque plenius scriptum est : *Sed nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, et unus Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* (I *Cor.* VIII, 6). Sicut enim **610** Deo Patri non adimit Filius ne Dominus sit, cum Dominus solus ipse dicatur : ita et Filio non aufert Pater ut Deus sit, quia Pater Deus tantummodo nominatur. Legimus et in alio loco : *Et scitote quoniam Dominus ipse est Deus* (*Ps.* XCIX, 2); et alibi : *Dominus Deus tuus, Deus unus est* (*Deut.* VI, 4). Si enim, ut existimant Ariani, Deus Pater solus est Deus, eadem consequentia, solus erit Dominus Jesus Christus, et nec Pater erit Dominus, nec Filius Deus. Sed absit, ut non sit, vel in dominatione deitas, vel in deitate dominatio. Unus est Dominus, et unus est Deus, quia Patris et Filii dominatio, una divinitas est. Propterea et fides una dicitur, quia similiter in Patrem, et in Filium, et in Spiritum sanctum credimus. Et baptisma unum, eodem enim modo, et in Patrem, et in Filium, et in Spiritum sanctum baptizamur. Et ter mergimur, ut Trinitatis unum appareat sacramentum. Et non baptizamur in nominibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sed in uno nomine, quod intelligitur Deus. Et miror qua consequentia in uno vocabulo, eodem opere, et eodem sacramento, naturæ diversitatem, Arius, Macedonius, et Eunomius suspicentur (concordante in impietate discordia) et creaturæ in Filio, et Spiritu sancto cœnosum fontem tenentes, diversos hæreseos rivulos duxerint. *Unum baptisma*, et contra Valentinum facit, qui duo baptismata esse contendit, et contra omnes hæreticos : ut sciant non habere se baptismata, sed in una Christi Ecclesia fontem esse vitalem. Potest unum baptisma et ita dici, quod licet ter baptizemur, propter mysterium Trinitatis : tamen unum baptisma reputetur. Unum quoque baptisma est in aqua, in spiritu, et in igne. Et de quo Dominus loquitur : *Baptisma habeo baptizari* (*Luc.* XII, 50); et alibi : *Baptismate meo baptizabimini* (*Marc.* X, 39). Diversitas autem præpositionum in quibus dicitur : *Unus Deus, et Pater omnium, qui super omnes, et per omnes, et in omnibus*, diversam intelligentiam sapit. Super omnes enim est Deus Pater, quia auctor est omnium. Per omnes Filius, quia cuncta transcurrit, vaditque per omnia. In omnibus **611** Spiritus sanctus, quia nihil absque eo est. Nec vero putandum, unum Deum, et Patrem omnium esse communiter, ut scilicet ad irrationabilia jumenta, nomen Patris possit aptari;

[a] Nihil dubitavimus ad Rufini lectionem hic rescribere, *quasi unam domum*, ipso sic exigente contextu, pro quo antea *quasi unum bonum* legebatur, minus cohærente cæteris sensu.

[b] Hic quoque Rufinum prælegentem secuti sumus : antea non satis recte, in instanti lectum, *efficimur .... reformamur .... impletur.* Vid. lib. I Invectivar. num. 41.

sed quomodo si in decem hominibus, quinque filiis, et quinque servis, pariter diceremus : horum decem, unus est dominus, et unus est pater : non utique omnium patrem, nec dominum omnium vocaremus : sic et in eo quod ait : *Unus Deus et Pater omnium*, aliorum Pater, aliorum Deus accipiendum est. Tale quid de creaturis, et de Deo etiam Zeno cum suis Stoicis suspicatur. Quem secutus Virgilius ait (*Æneid.* VI):

Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris, etc.;

et :

Principio cœlum ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra,
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Quidam hoc quod est scriptum : *Super omnes, et per omnes, et in omnibus*, ad Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum sic æstimant esse referendum, *ut super omnia* Pater sit, quia auctor est omnium : *per omnes*, Filius, quia per Filium creata sunt omnia : *in omnibus*, Spiritus sanctus, ipse enim credentibus datur, et templum sumus Spiritus sancti : et Pater et Filius habitant in nobis.

(Vers. 7.) *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Licet Deus Pater super omnia sit, et per omnes, et in omnibus: tamen gratia juxta mensuram credentibus datur. Non quod ad mensuram spiritum, et gratiam tribuat Deus (magnificentiæ enim ejus non est finis), sed quod juxta mensuram vasculorum, infundat liquorem, tantum muneris largiens, quantum potest ille cui donatur, accipere. Nec enim ad mensuram dat Deus spiritum : aut potest habere mensuram, quod æqualiter ubique diffusum est. Quod ut manifestius fiat, imperfectum licet et non implens similitudinem, tamen per quod possit intelligi quod dicitur sumamus exemplum. Mare certe immensum est, et capacitas ejus Deo soli **612** nota : ex hoc si quis velit multis hominibus secundum id quod gestare queunt, tradere, necesse est ut ad mensuram unicuique tribuat, et partes ejus mensuram recipiant, cujus [a] solidum immensurabile est. Ita et Spiritus sanctus immensus quidem est, et nullo fine concluditur : tamen unicuique datur secundum quod expedit. Et simul notandum, quod hæc eadem gratia, quæ nunc attributa perhibetur, secundum mensuram donationis Christi data sit nobis.

(Vers. 8.) *Propter quod dicit : Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona in hominibus.* Quia supra dixerat : *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*, ut confirmaret hæc ipsa dona, quæ post paululum quoque enumerat, dicens : *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios evangelistas, alios pastores et magistros*, et reliqua, a Salvatore esse donata, testimonium de sexagesimo septimo psalmo assumpsit, ut sciamus illas esse manubias hominibus distributas, quas Christus victor emeruit. Ascendens quippe in altum, captivam duxit captivitatem. Nos qui nunc in Christo credimus de gentibus congregati, cum essemus creatura Dei, a diabolo capti sumus, et ejus satellitibus distributi. Venit igitur Dominus noster Jesus Christus secundum Ezechielem (*Cap.* IX *et* XII), vasa secum captivitatis apportans, et operto capite, ne ab adversariis cognosceretur, prædicavit his qui capti erant remissionem, et qui tenebantur in vinculis, solutionem, et nos de catenis hostium, et de compedibus liberavit, sicut illam in Evangelio mulierem, de qua ipse commemorat : *Hanc autem filiam Abraham, quam ligavit Satanas jam decem et octo annis, non oportuit solvi de vinculo hoc in die sabbati* (*Luc* XIII, 16)? Liberatosque nos, et per novam captivitatem de captivitate veteri erutos, secum duxit in cœlum : et his ipsis quos de inimicorum manu victor eripuit, diversa gratiarum dona largitus est. Et eleganter hic posuit, *dedit dona in hominibus*, cum in Psalterio scriptum sit : *accepit dona in hominibus* (*Psal.* LXVII, 19). Verum ibi, quia necdum factum erat, sed futurum promittebatur, propterea dicitur, *accepisse*. Hic vero cum Apostolus **613** scribit, quia jam dederat, et in universo orbe Ecclesiæ fundatæ erant : idcirco non *accepisse* scribitur, sed *dedisse*. Alii hunc locum ita edisserunt, quod ob id Dominus noster Jesus Christus ad cœlos victor ascenderit, ut inde angelos cæterasque virtutes ad custodiam Ecclesiarum suarum mitteret. Et dum indignus sit locus iste terrenus, sublimium potestatum habere præsentiam, quodammodo illæ sustinuerint captivitatem. Ideo enim (inquiunt) ascendit in altum, ut captivans captivitatem, dona hominibus largiretur. Hoc autem totum ideo Apostolus replicat, ut quia superius dixerat : *Sufferentes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis*, doceret in diversis charismatibus Ecclesiam esse concordem, et non statim schismatum et dissensionum occasionem dari, quia secundum mensuram donationis Christi unusquisque nostrum accepisset dona : non eadem, sed in unum corpus, et in unum spiritum omnes vocatos esse, id est, ut sicut unus Dominus est, et una fides, et unum baptisma, et unus Deus Pater : ita et nos in charitate idipsum simus, in pacis vinculo servantes spiritus unitatem.

(Vers. 9.) *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit in inferiora terræ?* Qui ascendisse nunc dicitur, propterea ascendit, quia ante descenderat. Hoc enim sonat : *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit.* Requirendum itaque super eo quod alibi scriptum est : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis* (*Joan.* III, 13), quomodo ascenderit ante descendens? Quando enim hæc

[a] Ita legit codex. ms. Regius : ita quoque prima manu scriptum erat in pervetusto Cluniacensi exemplari : sed recentior manus mutavit *solidum* in *solum*. Editi nec *solidum*, nec *solum* retinent : sed *solium* : quo sensu, ipsi viderint Erasmus et Marianus editores : MART. — Cum pridem vulgatis Cistercienses mss. *solium*. Martianæus in aliis libris, *solum*, invenit.

loquebatur, post descensionem e cœlis, se quondam ad cœlos ascendisse monstrabat. Necnon et illud pariter retractandum, quomodo ipsa descensio et ascensio sentienda sit. Utrumnam secundum corpus localiter, an supra corpus spiritualiter, vel certe utroque modo. Inferiora autem terræ, infernus accipitur ad quem Dominus noster Salvatorque descendit, ut sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cœlos victor abduceret. Unde et post resurrectionem ejus, plurima corpora justorum in sancta civitate visa sunt (*Matth.* xxvii). Quod autem infernus in inferiori parte terræ sit, et Psalmista testatur, dicens : *Aperta est terra, et devoravit Dathan,* **614** *et operuit super congregationem Abiron* (*Ps.* 105, 17). Et ipsum in Numerorum libro (*Cap.* 16) plenius explicatur. Alio quoque loco legimus : *Veniat mors super eos, et descendant in infernum viventes* (*Ps.* liv, 16).

(Vers. 10.) *Qui descendit, ipse est qui ascendit supra omnes cœlos, ut impleret omnia.* Numquid corporaliter omnes cœlos, et universas sublimitates, et cœlorum circulos, quos philosophi sphæras vocant, transiens atque transcendens, stetit in summo cœli fornice, et ut ipso verbo utar, apside? An certe omnia corporalia contemnens atque despiciens, et æterna contemplans, super cœlos, id est, super invisibilia stetisse credendus est? quod ego melius puto. Descendit ergo in inferiora terræ, et ascendit super omnes cœlos Filius Dei, ut non tantum legem prophetasque compleret; sed et alias quasdam occultas dispensationes, quas solus ipse novit cum Patre. Neque enim scire possumus, quomodo et angelis, et his qui in inferno erant, sanguis Christi profuerit, et tamen quin profuerit nescire non possumus. Descendit quoque ad inferos, et ascendit ad cœlos, ut impleret eos qui in illis regionibus erant, secundum id quod se capere poterant. Ex quo sciendum, quod antequam Christus descenderet et ascenderet, vacua fuerint omnia, et plenitudine illius indiguerint. Hic locus adversum Ebionem, et Photinum, vel maxime facit. Si enim ipse est ascendens in cœlos, qui de cœlis ante descenderat, quomodo Dominus noster Jesus Christus non ante Mariam est, sed post Mariam? Necnon et contra eos, qui duos filios insano errore confingunt : Filium videlicet Dei, et filium hominis. Ecce hic apertissime dicitur, quod ipse sit ascendens atque descendens. Nec statim ista dicentes, locum alteri hæresi damus, quæ dimidiatam Christi asserit dispensationem; sed sic unum et Dei et hominis Filium confitemur : ne dispensationem assumpti hominis, qua salvati sumus, ex parte credentes, in parte truncemus.

(Vers. 11, 12.) *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos : quosdam autem prophetas : alios vero Evangelistas : alios autem pastores et magistros ad instructionem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Et ex hoc loco manifestissime comprobatur, Patris et Filii una divinitas. Siquidem hoc quod nunc Christus tribuisse **615** describitur, in prima epistola ad Corinthios, Deus Pater dedisse narratur : *Alios enim,* ait, *posuit Deus in Ecclesia: primo apostolos : secundo prophetas, tertio doctores: deinde virtutes, et dona sanitatum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum* (I *Cor.* xii, 28). Quod Sabellius non intelligens, Patrem confundit et Filium, dum eamdem operationem esse non putat diversorum. Et simul notandum, quod hic apostolos, prophetas, evangelistas, pastores, et magistros dedisse Christus: ibi vero eosdem Pater posuisse memoretur. Posuit itaque sive dedit Pater et Filius, primo apostolos, secundo prophetas : non illos qui futura vaticinentur, quales in veteri legimus Testamento : sed qui infideles et imperitos arguant atque dijudicent. Tales quippe prophetas novi Testamenti in alia epistola esse definit (II *Cor.* xi). Tertio Evangelistas, quorum speciosi pedes sunt ad annuntiandam pacem (*Rom.* x). Nec vero putandum, quod sicut in superioribus tribus, alios dixit esse apostolos, alios prophetas, alios Evangelistas : ita et in pastoribus et magistris, officia diversa posuerit. Non enim ait : alios autem pastores, et alios magistros, sed alios pastores et magistros : ut qui pastor est, esse debeat et magister : nec in Ecclesiis quamvis sanctus sit, pastoris sibi nomen assumere, nisi possit docere quos pascit. Vel certe aliter, ut unus atque idem præses Ecclesiæ, sit pastor et doctor : pastor ovium : magister hominum. *Homines quippe et jumenta salvos facies, Domine* (*Psal.* xxxv, 7). Arbitror hodie quoque in Ecclesiis, quemadmodum propheta et evangelista, pastor quoque invenitur et doctor : ita posse et apostolum reperiri, in quo apostolatus signa et indicia compleantur; et e regione esse plurimos tam foris, quam intus, tam in Ecclesia, quam in hæresibus, qui pseudoapostoli sint, et pseudoprophetæ; et pseudoevangelistæ, et pseudopastores, et pseudomagistri. Et de hæresibus quidem nulla dubitatio est quia secundum falsam fidem, falsa universa possideant. In Ecclesiis autem nonne vobis videntur falsi esse pastores, qui non pascunt oves cum disciplina, sed quasi mercenarii nequaquam gregis salutem cogitant, quod erravit, non convertentes, et quod periit, non quærentes; sed tantummodo de ovibus lac et lanam, **616** cibos videlicet et vestimenta captantes. Nec vero absque ordine in hæc putemus Apostolum subito prorupisse; verum quia præmiserat esse Deum super omnia et per omnia, et in omnibus, et unicuique sanctorum datam gratiam secundum mensuram donationis Christi : nunc addit alios apostolos, alios prophetas, alios evangelistas, alios pastores et magistros esse in Ecclesia distributos, qui necessarii sint ad perfectionem, instructionemque sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi : quia cum corpus Domini Ecclesia sit, et Ecclesia de vivis lapidibus construatur: hi quos supra memoravimus in Ecclesia constitutos, id habent operis, ut secundum dispensationem et officia sibi credita, Ecclesiam Christi, id est, corpus ejus ædificent. Si quis igitur non ædificat Ecclesiam Christi, nec plebem sibi subjectam

instruit (ut de subjecto populo, Christi Ecclesia construatur), iste nec apostolus, nec propheta, nec evangelista, nec pastor, nec magister est appellandus.

(Vers. 13 seqq.) *Donec occurramus omnes in unitate fidei et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Ut ultra non simus parvuli fluctuantes, et circumlati omni vento doctrinæ, in fallacia hominum et astutia, ad circumventionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate, augeamus in ipso omnia qui est caput Christus.* Quærendum quos omnes dixerit occurrere in unitate fidei: Utrumnam omnes homines, an omnes sanctos, an certe omnes qui rationis capaces sunt? Videtur autem mihi de omnibus hominibus dicere, quia multi venti doctrinarum sunt: et flatu eorum fluctibus concitatis, huc atque illuc homines incerto cursu, et vario feruntur errore. Unde omni studio laborandum, primum in fidei occurrere unitate: deinde in eadem unitate, habere agnitionem Filii Dei. Quorum cum fuerit secura possessio, parvuli esse cessantes, et mensuram interioris hominis recipientes (quæ mensura plenitudinis, mensura Christi est), perfecti viri vocabulum sortiemur: ita tamen ut [*Al. tacet* ut] ad consummatam ætatem plenitudinis Christi, omnis credentium turba perveniat, et nequaquam in dogmatibus fluctuans, ad instar parvulorum gurgite infidelitatis feratur incerto, dum venti hinc inde perflantes, hæreticorum **617** videlicet, sive sapientium sæculi, diversæ compugnantesque rationes, naufragium audientibus aut inferunt, aut minantur: dum alii absque voluntate fallaciæ, ea tamen quæ falsa sunt, prædicant; alii vero omni calliditate erroris laqueos componentes, nos decipere et vincere festinant. Cum autem occurrerint atque pervenerint sancti in mensuram supradicti viri, tunc intelligentes charitatem Christi, augebunt in eo omnia quæ acceperant semina veritatis, habentes corporis Ecclesiæ caput Dominum Jesum. Quia vero ait: *Ut ultra non simus parvuli fluctuantes*, et reliqua, se quoque fluctuantem et parvulum esse contestans, retractandum videtur, utrumne hæc secundum humilitatem locutus sit: an certe ex parte videns, et ex parte cognoscens, intellexerit quantum a perfecta absit scientia, et in vera conscientiæ suæ verba proruperit. Si quis igitur vult eum hæc secundum humilitatem locutum, illo utatur exemplo: *Quando eram parvulus, loquebar ut parvulus, cogitabam ut parvulus, sapiebam ut parvulus. Quando vero factus sum vir, evacuavi ea quæ erant parvuli* (I *Cor.* XIII, 11). Alius vero ad ista respondeat, comparatione multorum, in ætatem perfecti viri Apostolum pervenisse: ad ea vero quæ reposita sanctis sunt, adhuc parvulum nuncupari. Siquidem omnes] apostolos qui in Christo credant, parvulos propheta commemorat, dicens: *Ecce ego et parvuli quos dedit mihi Deus* (*Isai.* VIII, 18). Post hæc attentius disserendum, ne forte vere A juxta humilitatem, non solum parvulum Apostolus se esse dixerit, sed fluctuantem, et omni doctrinarum flatu in diversa raptatum, in fallacia hominum, in nequitia, ad circumventionem erroris. Qui autem vult hæc eum non de humilitate, sed de conscientia protulisse, dicit: Paulus apostolus, homo erat acuti et acris ingenii, et qui ad primos quosque disputantium conatus, sagaci mente quæ erant inferenda, prænosceret. Videbat igitur sæpe ex utraque parte sic dici, et tam verisimilia in rebus contrariis asseri, ut ambigere facerent audientem: idcirco ut homo, et adhuc in fragili corpusculo constitutus, circumferebatur quidem omni vento doctrinæ, **618** sed non elidebatur in saxa, nec navis ejus gurgitibus implebatur: stabat quippe in puppi gubernaculum B tenens, et spumantes hæreseos fluctus, fidei securitate frangebat. Non tamen intrepidus et securus, nec quietus et placidus, prospiciebat ventos hinc inde perflantes, et sollicita aure captabat, vincebatque contraria: sed non erat illi secura victoria. Quia igitur adversariorum verba, atque rationes, quibus veritatem evertere nitebantur, videbat non facile posse superari, et omni calliditate plenas, dialecticæ quoque, immo diaboli arte contextas, sperabat Dei auxilium, ut omnem deliberationem de mente sua propelleret, et certæ atque defixæ absque ulla molestia crederet veritati, et augeret eam in dilectione Christi: quem sciebat et sui et totius Ecclesiæ corporis caput. Sciendum quod hic locus in Græco manifestior sit, dum autem in Latinum e C verbo transfertur ad verbum, sensus sermonibus involuti, obscurum fecere [*Al.* facere] quod dicitur.

(Vers. 16.) *Ex quo totum corpus compactum, et conglutinatum per omnem juncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* In fine rerum, cum Deum facie videre cœperimus ad faciem, et in mensuram pervenerimus ætatis plenitudinis Christi (de cujus plenitudine [a] nunc omnes accepimus (*Joan.* I), ita ut Christus non ex parte sit, sed totus in nobis: et relictis initiis parvulorum, creverimus in eum virum, de quo Propheta dicit: *Ecce vir, Oriens nomen illi* (*Zach.* VI, 12). Et Joannes Baptista commemorat (*Joan.* I, 30): *Post me venit* [Al. *veniet*] *vir qui* D *ante me factus est, quoniam ante me erat*), tunc in occursu unius fidei, et unius agnitionis Filii Dei, quem nunc pro varietate mentium, non una nec eadem fide et agnitione cognoscimus, totum corpus, quod prius dissipatum fuerat, et in diversa laceratum, in suam compagem juncturamque redigetur: ita ut una subministratio eademque operatio, et unius ætatis consummata perfectio, totum crescere faciat corpus æqualiter, et omnia membra juxta mensuram suam incrementum ætatis accipiant. Hæc autem tota ædificatio, per quam **619** Ecclesiæ per

[a] Verius *nos omnes*, Rufinus legerit, ubi et subnexam expositionem omnem perquam invidiose suggillat lib. I, num. 41, quem videsis.

partes corpus augetur, mutua in se charitate complebitur. Totas rationabiles creaturas sub unius rationabilis animalis intelligamus exemplo, et quodcumque de hujus membris dixerimus et partibus, hoc sciamus esse referendum ad unamquamque rationabilem creaturam. Putemus hoc animal ita per artus, venas, carnesque laceratum, ut nec os ossi hæreat, nec nervus jungatur ad nervum: separatim oculi jaceant, seorsum nares, manus alium locum teneant, alio projecti sint pedes, et reliqua membra in hunc modum inter se dispersa sint, et divisa. Finge aliquem venire tantæ scientiæ medicum, qui juxta fabulas ethnicorum, Æsculapium possit imitari, et [a] in novam figuram novumque nomen, Virbium suscitare: hic necesse habebit unumquodque membrum suo loco restituere, et compagem copulare compagi, et quodam glutino partibus restitutis, unum corpus efficere. Huc usque nobis una similitudo processerit: nunc in eamdem similitudinem ad id quod intelligi volumus, aliud trahatur exemplum. Parvulus crescat, et occulto ævo, in perfectam adolescat ætatem: suum manus augmentum habebit, sua pedes sentient incrementa: venter dum nescimus, impletur: humeri, dum falluntur oculi, dilatantur: et omnia membra per partes juxta mensuram suam sic crescunt ut tamen non sibi, sed corpori videantur augeri. Ita [b] igitur et in restitutione omnium, quando corpus totius Ecclesiæ nunc dispersum atque laceratum, verus medicus Christus Jesus sanaturus advenerit, unusquisque secundum mensuram fidei, et agnitionis Filii Dei (quem ideo agnoscere dicitur, quia prius noverat, et postea nosse desivit) suum recipiet locum, et incipiet id esse quod fuerat. Ita tamen ut non juxta [c] aliam hæresim, omnes in una ætate sint positi, id est: omnes in angelos reformentur: sed unumquodque membrum juxta mensuram et officium suum perfectum sit: **620** verbi gratia, ut angelus refuga id esse incipiat quod creatus est: et homo, qui de paradiso fuerat ejectus, ad culturam iterum paradisi restituatur. Ista autem universa sic fient, ut invicem inter se charitate jungantur: et dum congaudet membrum membro, et in alterius provectione lætatur, Christi corpus, Ecclesia primitivorum habitet in cœlesti Jerusalem, quam in alio loco Apostolus matrem sanctorum vocat (*Galat.* IV). Idcirco (ut supra diximus) hæc apud nos obscuriora sunt, quia μεταφορικῶς dicuntur in Græco. Et omnis metaphora, si de alia in aliam linguam transferatur ad ver- A bum, quibusdam quasi sentibus, orationis sensus et germina suffocantur.

(Vers. 17 seqq.) *Hoc ergo dico, et contestor in Domino, ut non amplius ambuletis, sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui, obscurati mente, abalienati a via Dei propter ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis eorum. Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operatione immunditiæ omnis in avaritia.* Hoc ergo, ait, dico vobis, o Ephesii, vosque contestor, ut quia occursuri estis in mensuram ætatis plenitudinis Christi, non ambuletis sicut ambulant gentes, quæ idolis servientes, et sensu et mente abutuntur in prava. Quæ cum ideo acceperint animam et intellectum, ut cognoscerent Deum, abalienati sunt a via ejus (quam aliam B absque Christo non novimus) et in sui cordis ambulant cæcitate. Atque utinam peccasse sufficeret, et vel sero agerent pœnitudinem, damnarentque vitia in quibus jugiter inhiarunt, esset remedium resipiscere post errorem. Nunc vero desperantes, se, et in ritum irrationabilium bestiarum, cœno voraginique mergentes, tradiderunt impudicitiæ atque luxuriæ, operantes quidquid corpus voluit, mens desideravit, libido suggessit. Et cum nihil omnino prætermiserint quod immundum sit, hoc totum fecere in avaritia, dum numquam luxuriando satiantur, nec **621** eorum terminum habet voluptas. Aut certe ultra concessam viri ad feminam conjunctionem, ad majora conscendunt, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem erroris sui in semet- C ipsis recipientes. Vanitas sensus, et mentis obscuritas, bifariam dividitur, in sæculi hujus negotia, et in sapientiam sæcularem: quando aut in his quæ mundi hujus sunt, et cito transeunt, detinemur, aut non profutura cognoscimus. Nonne vobis videtur in vanitate sensus et obscuritate mentis ingredi, qui diebus ac noctibus in dialectica arte torquetur: qui physicus perscrutator oculos trans cœlum levat, et ultra profundum terrarum et abyssi quoddam inane demergit [*Al.* demergitur], qui iambum struit, qui tantam metrorum silvam in suo studiosus corde distinguit et congerit: et (ut alteram partem transeam) qui divitias per fas et nefas quærit: qui adulatur regibus, hæreditates captat alienas, et opes congregat, quas in momento cui sit relicturus, igno- D rat? Quod autem ait, *qui desperantes semetipsos*, id est, ἀπηλγηκότες ἑαυτούς, multo aliud in Græco significat quam in Latino: *desperantes* quippe ἀπηλγηκότες nominantur; ἀπηλγηκότες autem hi sunt, qui

[a] Idem Rufinus, *et novam figuram, novumque hominem Virbium*, etc. Videsis quæ ibi annotamus sub prioris libri finem.

[b] Non suo hic se loqui sensu, sed ex Adamantii persona, Hieronymus significat in Apologiæ lib. I, num. 26, ubi de hoc Pauli loco: *Latissimam*, inquit, *Origenis expositionem et eosdem sensus per diversa verba volventem brevi sermone constrinximus, nihil exemplis, et assertionibus illius auferentes. Cumque pervenissemus ad finem, hæc subjecimus: Igitur et in restitutionem omnium*, etc.

[c] Hoc satis abunde erat ad purgandam in Hieronymo Origenismi suspicionem, quod hæc omnia ex hæreticorum profecta ingenio pronuntiet. Ita enimvero ipse reponit Rufino: *Quando dico:* Ita tamen, ut non juxta aliam hæresim omnes in una ætate sint positi, *ostendo et ea, de quibus disputo, esse hæretica, et ab alia hæresi discrepare. Quæ sunt ergo duæ hæreses? Una, quæ dicit omnes rationabiles creaturas in angelos reformari: altera, quæ asserit unumquodque in restitutione mundi id fore quod conditum est*, etc. quæ consuluisse juvabit.

postquam peccaverint, non dolent : qui nequaquam A sentientes ruinam suam, feruntur in pronum, et tamquam bestiæ ferrum videntes, in mortem ruunt. Pone mihi duos in uno vitio deprehensos : alterum qui intelligat, plangatque quod fecit : alterum qui delectetur in scelere, et non solum non doleat, verum etiam glorietur, et putet se quamdam turpitudinum palmam et victoriam consecutum : nonne tibi videtur ille dolere, et hic penitus non dolere? Exprimamus, si possimus, verbum de verbo, et dicamus ἀπηλγηκότες, *indolentes*, sive, *indolorios*. Nam et quidam [a] philosophorum ἀναλγησίαν, id est, *indoloriam* prædicavit. Hi qui naturas varias introducunt, sciant propterea gentes in vanitate sensus obscuratis mentibus ambulare : quia ignorantiæ se et cæcitati dederint. Nemo enim imperitus appellatur et cæcus, B nisi is qui cognoscere potest et videre. Nec dicimus cæcum esse lapidem, et brutum animal ignorare : quia non ab eo quæritur, nec ejus naturæ est, ut cognoscat et videat. Sin autem in natura gentium fuit, ut Dei **622** vitam intelligerent et viderent : non choicorum et spiritualium natura varia, sed voluntas. Dixeramus supra operationem immunditiæ omnis in avaritia, non ad avaritiam, ut sonat simpliciter, pertinere; sed ad libidinem atque luxuriam. Debemus hunc sensum alterius loci testimonio comprobare. In prima ad Thessalonicenses Epistola scribitur : *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione : ut sciat unusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione et honore : non in libidine desiderii, sicut et gentes,* C *quæ non noverunt Deum : ut ne quis supergrediatur, et circumscribat in negotio fratrem suum : quoniam vindex est Dominus de his omnibus : sicut et prædiximus vobis, et testificati sumus. Non enim vocavit nos Deus in immunditia, sed in sanctificatione* (I *Thess.* IV, 3 *et seqq.*). Diligenter observa, quia ad castitatem nos provocans, et volens uxoribus tantum esse contentos, dixerit : *Ne quis supergrediatur, et circumscribat in negotio fratrem suum*, id est, ne suam conjugem derelinquens, alterius polluere quærat uxorem. Ubi nos habemus, *et circumscribat in negotio fratrem suum*, in Græco legitur, καὶ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγματι τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ. Πλεονεξία autem *avaritia* nuncupatur, quam nos possumus, vim verbi transferentes, sic in præsenti loco expri- D mere : *ut ne quis supergrediatur, et avarus fraudet in negotio fratrem suum*. Quæ enim consequentia est, vel in illo capitulo quod nunc ad exemplum vocavimus, vel in hoc quod principaliter ad Ephesios conamur exponere, inter impudicitiam et immunditiam, castitatem quoque et affectum conjugalem, extraordinarie repente avaritiam nominari? Non vobis molestum sit, si diu in obscurioribus immoremur : causati enim in principio sumus, inter omnes Pauli Epistolas, hanc vel maxime et verbis, et sensibus involutam.

(Vers. 20.) *Vos autem non ita didicistis Christum; si tamen illum audistis et in illo docti estis.* Si omnes qui Christum audire videntur, audirent, numquam ad Ephesios, et certe illos quibus sacramenta Christi revelarat Apostolus diceret : *Si tamen illum audistis.* Discere autem Christum, idipsum est, quod nosse virtutem : et audite illum, non differt ab eo si diceret, audire sapientiam, **623** justitiam, fortitudinem, temperantiam, et cætera quibus Christus vocatur. Si quis ergo Christum audivit et didicit, non ambulabit in vanitate sensus sui : nec obscuratus mente gradietur : neque erit abalienatus a vita Dei : habebit etiam scientiam, ignoratione discussa, et immisso tenebris lumine, omnis de oculis cordis ejus cæcitas auferetur. Quod cum habuerit, non se tradet impudicitiæ : nec operabitur omnem immunditiam in avaritia, concessos fines prætergrediens nuptiarum. Si autem aliquando contigerit ut aliqua passione superetur, dolebit super vulnere suo, et conscientiæ tormenta patietur : quia liberam frontem, et puritatem immaculatæ mentis amiserit. Discamus igitur Christum, et audiamus illum; si quis est qui potest dicere : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus* (I *Cor.* XIII, 3)? Curramus ad eum diebus ac noctibus, ad os ejus et ad eloquium pendeamus. Christus nobis loquitur : Spiritus sancti sunt verba quæ promit. Statuit enim Deus in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores. Sed nec illud est desperandum, quod aliquando ipse in mentibus nostris Christus loquatur, et per semetipsum nos doceat, et organum oris non quærat alieni : tantum non simus subditi peccato; nec corpus nostrum delicta possideant, et ingredietur in illud sapientia.

(Vers. 21.) *Sicut est veritas in Jesu.* Vocabulum, *Jesus*, interdum eum hominem significat, qui a Deo Verbo est assumptus ex Virgine, juxta illud : *Vocabis nomen ejus Jesus : ipse enim salvabit populum a peccatis ejus* (*Luc.* I, 31). Et alibi : *Jesus ergo fatigatus de via* (*Joan.* IV, 6), et reliqua. Interdum vero Deum Verbum : Nobis enim unus Dominus Jesus Christus per quem omnia. Si quando ergo dicit Jesus : *Ego sum via, et veritas* (*Joan.* XIV, 6), juxta id dicit quod Filius Dei est. Cum autem scribit Paulus : *Sicut est veritas in Jesu*, de templo corporis loquitur, in quo habitat Verbum Deus. *Verbum enim caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Nisi forte utrumque de Deo Verbo intelligendum, quod quomodo habitet in eo vita, et ipse sit vita : *Sicut enim habet Pater vitam in semetipso : ita et Filio dedit habere vitam in semetipso* (*Joan.* V, 26). Sic et veritas dicatur Filius, et ipsa in eo habitare monstretur. Hæc autem dicimus, non Jesum a Christo separantes : **624** nec rursum Deum Verbum ab eo quem assumpsit, hominem alterum esse dicentes : sed secundum intelligentias effectuum vel locorum, illum quem unum esse credimus Filium hominis et Fi-

[a] Dionysii cognomento *Metathemeni*, *fuit ante sententia, dolorem non esse malum.* Hieron. supr. in cap. I ad Galat.

lium Dei, et ante virginem, et post virginem alium atque alium nuncupantes. Potest autem et aliter intelligi: *Sicut est veritas in Jesu.* In nullo patriarcharum, in nullo prophetarum, in nullo apostolorum veritas fuit, nisi in solo Jesu. Alii enim ex parte cognoscebant, et ex parte prophetabant, et per speculum in ænigmate videbant (I *Cor.* XIII). In solo Jesu veritas Dei apparuit, quæ loquitur confidenter: *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6): quæ credentibus in se juxta analogiam fidei tribuit libertatem. Qui enim cognoscit veritatem, a veritate libertate donatur. Et ipsa veritas propterea formam servi assumpsit, et humiliavit se, facta obediens Patri usque ad mortem (*Philip.* II): ut servum redderet liberum. Ubi enim spiritus Dei est, ibi libertas. Si volumus formam liberi in Jesu, faciemque cognoscere veritatis, ascendamus cum eo in montem, videamus eum transfiguratum: ubi et vestimenta ejus, id est, Scripturæ quæ de eo annuntiant, immutantur: et Moyses quoque et Elias, id est, Lex et Prophetæ videntur in gloria (*Matth.* XVII). Quamdiu Dominus formam servi non mutat, nec ascendit in montem, Lex in sordibus, Prophetæ in squalore versantur. Cum ille ad superiora conscenderit, et vestimenta sua voluerit immutare, intellectusque de servo fuerit clarus et liber: tunc Moysi quoque et Eliæ, et facies, et vestimenta mutantur.

(Vers. 22.) *Deponere vos secundum priorem conversationem veterem hominem, qui corrumpitur juxta desideria erroris.* Quia videtur juxta ordinem, textumque sermonis scatere sententia, sic legendum est: *Vos autem non ita didicistis Christum (si tamen illum audistis, et in illo docti estis) deponere vos secundum priorem conversationem veterem hominem, qui corrumpitur juxta desideria erroris: sicut est veritas in Jesu;* ut sit sensus: Quomodo est veritas in Jesu, sic erit et in vobis qui didicistis Christum, et audistis illum; et docti estis deponere secundum priorem conversationem veterem hominem, qui corrumpitur juxta desideria erroris. Veterem autem hominem, quem præcipit deponendum, inveteratum a malitia arbitror appellari. Iste enim **625** secundum priorem conversationem et desideria erroris, semper errans, et in opere corruptionis helluans, corrumpitur atque violatur. Et quia in desideriis indesinenter versatur erroris, et numquam cessat a vitio, nequaquam corruptus dicitur, sed corrumpi: quod per singulos dies, horas, puncta atque momenta corrumpitur, intercipitur, violatur. Sermo vero Dei qui ideo interficit, ut vivificet mortuum, et vivificatus Dominum requirat, quem ante interitum nesciebat, non corrumpit, sed interficit veterem hominem: *Ego enim occido*, ait, *et ego vivifico* (*Deut.* XXXII, 39); et: *Cum interficeret illos, tunc quærebant eum* (*Ps.* LXXVII, 34). Nec putemus hoc quod nunc ait: *Qui corrumpitur secundum desideria erroris*, illi esse contrarium quod in alio loco scriptum est: *Et si exterior noster homo corrumpitur: sed is qui interior est, renovatur de die in diem* (II *Cor.* IV, 16): quia corruptio exterioris hominis, interioris hominis renovatio est; et contra, interioris hominis corruptio, exterioris est instauratio. Æstimet aliquis simpliciter Paulum loqui: Si quis templum Dei corrumpit, corrumpet illum Deus: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Sed forte et ibi aliquid latitat, quod apud nos videtur absconditum. Si templum Dei nos sumus, secundum id quod scribitur: *Templum enim Dei sanctum est quod estis vos* (I *Cor.* III, 17): et alius est qui corrumpit templum Dei, aliud quod corrumpitur. Quærendum quis sit ille qui templum corrumpat Dei. Si inveneris hostes Jerusalem, corrumpentes atque violantes templum ex lapidibus exstructum: videbis pariter omnem corrumpentem, et violantem templum Dei, quem corrumpet et violabit Deus, ulciscens corruptionem templi sui. Verumtamen et templum quod se præbuit (vivens quidem est atque sensibile) insidiis corrumpentis, luet pœnas, per hoc ipsum quod corruptum atque violatum, spiritum incorruptionis amisit.

(Vers. 23, 24.) *Renovamini autem spiritu sensus vestri: et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis.* Nec in sensu renovamur absque spiritu, nec in spiritu absque sensu; sed renovamur conjuncte in spiritu **626** sensus nostri: ut quomodo psallimus spiritu, psallimus et sensu, oramus spiritu, oramus et sensu: sic in spiritu sensus nostri renovemur: ut cum sensus mundus fuerit atque purgatus, et ab omni macula sordidæ concretionis alienus: tunc ei jungatur et spiritus, et ita quodam inter se unitatis glutino copulentur, ut nequaquam simplex spiritus, sed spiritus sensus esse dicatur. Cum autem renovati fuerimus in spiritu, qui nostri sensus est spiritus; tunc induemur novum hominem, qui secundum Deum creatus est. Quod quidem aliis verbis idipsum puto esse, quod in alio loco dicitur: *Induite vos Christum Jesum* (*Rom.* XIII, 14). Iste quippe est novus homo, quo universi credentes debemus indui atque vestiri. Quid enim in homine qui a Salvatore nostro assumptus est, non novum fuit? Conceptus, nativitas, partus, infantia, doctrina, vita, virtutes: et ad extremum, crux et passio, exspoliantis in ea principatus, et contrarias fortitudines ostentui habentis: resurrectio quoque et ascensus ad cœlum. Hic ergo vere creatus est in justitia et sanctitate veritatis: quia Deus verus, Dei veri Filius fuit, et tota in illo religio atque justitia Dei veritate completa est. Qui igitur conversationem illius imitari potest, et universas in se exprimere virtutes, et sit mansuetus, sicut fuit ille mansuetus et humilis corde, et ponat animam suam pro amicis, ut ille posuit pro ovibus suis; verberatus non respondeat: maledictus non remaledicat, sed vincat in humilitate superbiam: iste indutus est novum hominem, et dicere cum Apostolo potest: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Galat.* II, 10). Et: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (I *Cor.* XI, 1). Potest quoque verba Joannis assumere: *Qui dicit se in Christo credere, debet sicut ille ambulavit, et ipse*

ambulare (I *Joan.* II, 6). Quod autem ait : *Qui secundum Deum creatus est*, non [a] idipsum sonat in Latino sermone quod Græco. Creatio quippe apud nos, *generatio*, vel *nativitas* dicitur : apud Græcos vero sub nomine creationis, verbum *facturæ* et *conditionis* accipitur. Et quod apud nos *conditio*, hoc apud Græcos *creatio* sonat. Unde et hæresis **627** nativitatem Christi calumnians, Salomonis usurpat exemplum : *Dominus creavit me initium viarum suarum* (*Prov.* VIII, 22). Considerandum igitur, quia creatio atque conditio numquam nisi in magnis operibus nominentur. Verbi causa, mundus creatus est : urbs condita est : domus vero quamvis magna sit, ædificata potius dicitur, quam condita, vel creata. In magnis enim operibus atque facturis, verbum creationis assumitur. Ex quo animadvertendum istum novum hominem, qui juxta Deum in Christo creatus est, magnum Dei opus esse, et eminere ultra cæteras creaturas : cum sic conditus esse dicatur, ut mundus, et initium viarum Dei, et in exordio elementorum omnium sit creatus.

(Vers. 25.) *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo : quoniam sumus alterutrum membra.* Non simpliciter, ut quidam putant [b], nec moraliter Apostolus præcepit, mendacio derelicto, cum proximis veritatem loquendam. Alioqui si tantum cum proximis loquimur veritatem, quicumque non fuerit proximus, debet audire mendacium. Quod quidem et in Lege præceptum est : *Non adulterabis uxorem proximi tui* (*Exod.* XX, 17). Si proximus tantumpropinquus vel amicus accipitur, adulteria in alienos jure permitti : sed proximum vocat omnem hominem, qui ex eodem nobiscum parente generatus est. Quod quidem et parabola illa significat, de Jerusalem Jericho hominis descendentis, qui incidit in latrones : et sacerdote et Levita prætereuntibus, a Samaritano curatus est, et ad stabularium revectus (*Luc.* X). Affirmat autem post hæc Dominus eum esse proximum, qui illi misericordiam fecerit, volens ostendere omnes homines, omnibus esse proximos. Et hoc quidem sic intellectum ædificat audientes. Cæterum id quod sequitur : *Quoniam sumus alterutrum membra*, magis videtur mihi significare mysterium, et de his dicere, qui nobis fide et virtute sunt proximi. Membra quippe alterutrum non sunt, nisi fideles fidelium, et Christiani Christianorum, et perfecti, eorum qui sunt plenæ, consummatæque virtutis. Propter quod Paulus ipse perfectus, in **628** Epistola alia loquebatur : *Sapientiam autem loquimur inter perfectos* (I *Cor.* II, 6). Ergo hoc jubet, ut

A unusquisque mystica quæque atque secreta, et ea quæ Dei veritate sunt plena, loquatur cum proximo suo, et dies diei eructet verbum, et nox nocti indicet scientiam (*Psal.* XVIII), hoc est, clara quæque et lucentia his indicet, qui merentur audire : *Vos estis lumen mundi* (*Matt.* V, 14). Porro tenebrosa et involuta, et omni sacramentorum nocte velata, his referat, qui et ipsi nox, tenebræ, vel caligo sunt, de quibus dicitur : *Et caligo sub pedibus ejus* (*Ps.* XVII, 10) : haud dubium quin Dei. Nam et in monte Sina Moyses ingreditur in turbinem et caliginem, ubi erat Deus (*Exod.* XIX), et de ipso Deo scriptum est : *Posuit tenebras latibulum suum* (*Ps.* XVII, 12). Loquatur itaque veritatem atque mysterium unusquisque cum proximo suo, et non det
B sanctum canibus, neque mittat margaritas suas ante porcos (*Matth.* VII) : sed quicumque oleum habuerint veritatis, illos in thalamum sponsi et penum regis inducat. Porro quod ait : *Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo*, sciamus de Zacharia propheta sumptum (*Zach.* VIII, 16).

(Vers. 26.) *Irascimini, et nolite peccare.* De quarto psalmo hoc usurpatum, nulli dubium est, et videtur illi esse contrarium quod alibi dicitur : *Nunc autem deponite et vos omnes iram, et indignationem, et malitiam, et blasphemiam, et turpem sermonem ex ore vestro* (*Coloss.* III, 8). Sed et simpliciter intellectum nocet, dum putantur iræ frena laxata. Duplex autem non solum apud nos, verum etiam apud philosophos iræ nomen accipitur. Vel cum injuria lacessiti,
C naturalibus stimulis concitamur : vel cum, requiescente impetu, et furore restincto, potest mens habere judicium, et nihilominus super eo qui putatur læsisse, desiderat ultionem. Arbitror itaque de priori ira nunc dictum, et nobis quasi hominibus esse concessum, ut ad indignæ alicujus rei faciem moveamur, tranquillitatemque mentis, velut lenis quædam aura conturbet : nequaquam tamen [c] in tumentes gurgites furoris impetu sublevemur. Firmianus noster librum de Ira Dei docto pariter et eloquenti sermone conscripsit, quem qui legerit, puto ei ad iræ intellectum **629** satis abundeque posse sufficere.

Sol non occidat super iracundiam vestram. Si simpliciter hunc solem intelligimus, qui oculis carnis
D aspicitur, peccamus, quando irascimur, et occidente sole, iracundia perseverat. Non peccamus autem, quando (verbi gratia) a prima hora usque ad undecimam irascentes, facimus quod indignatio, furor, ira suggesserint. Quo sensu nihil mihi videtur absurdius, quasi non queat quispiam ab ortu

[a] Huc referendus S. Augustinus lib. I contr. Advers. Leg. et Prophet., cap. 23, qui tamen factum æque atque creatum in ipsis Scripturis dici asserit de rebus indifferenter, sive quæ ex materia aliqua, sive ex nulla prodierunt. Ex ethnicis nimis multi laudandi essent. Virg. Æneid. X :

Silvicolæ Fauno Dryope quem Nympha crearat.

Et Claudianus, I de Raptu :

Quidquid ubique
Gignit materies, hoc, te donante, creatur.

[b] Hic et paulo inferius recolendus Rufini liber II, num. 2. Ad cujus lectionem levia quædam subinde emendamus in Hieronymi textu.

[c] Correximus post Victorium ad fidem mss. codd. *in tumentes gurgites*, pro quo vitiose retinuit Martianæus, *intumentis gurgitis*, etc.

solis usque ad occasum, in tanta scelera debacchari, quanta tota vita sua non possit lacrymis expiare? Aut non magis ira locum in die habeat, cum utique nox requies sit furoris, et succedente somno, etiam si irascimur, in diem iracundiam differamus. Quia igitur verus sol, sicut occidit super malos prophetas, juxta illud quod scriptum est: [a] *Occidit sol super prophetas vestros meridie* (*Amos* VIII, 9): ita etiam super omnes occidit peccatores, nequaquam eis ortus sui lumen indulgens: præcipit nunc Apostolus, ne talia faciamus furore superati, per quæ nobis sol occidat, et principale cordis, tenebris involvatur. Quidam putant sic accipiendum hoc esse simpliciter, quomodo et illud quarti psalmi, unde idipsum sumptum videtur: *Quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini* (*Psal.* IV, 5), id est, quæcumque in die, vel opere, vel sermone, vel cogitatione peccatis, hæc succedente pœnitentia purgate per noctem: et ira sit brevis, nec in diem crastinum differatur.

(Vers. 27.) *Neque locum detis diabolo.* Diabolus Græcum verbum est, quod Latine dicitur *criminator*: lingua vero Hebræa *Satan* appellatur, id est, *adversarius*, sive *contrarius*: et ab Apostolo *Belial* (II *Cor.* VI), [b] hoc est, *absque jugo* quod de collo suo Dei abjecerit servitutem: quem Aquila *apostatam* transtulit. Et sciendum ubicumque in veteri Lege *filii pestilentiæ* scribantur, sicut ibi: *Filii autem Heli, filii pestilentiæ* (I *Reg.* II), ibi in Hebraicis voluminibus *Belial*, hoc est, *diabolum* pro *pestilentia* nominari: licet plurimi **630** pro *Belial* corrupte in Apostolo [c] *Beliar* legant. Nolite itaque, ait, dare locum diabolo, qui, tamquam leo rugiens, quærit aditum per quem possit irrumpere. Quomodo enim Pater et Filius stant ante ostium, et pulsant, ut introeant, et cœnent cum eo qui se receperit (*Apoc.* III): ita et adversarius semper in nos est paratus irrumpere, et cum locum dederimus, ingreditur. Solet autem, antequam veniat, quædam jacula præmittere, et præcursorem adventus sui facere cogitationem: hanc si nos in corde nostro susceptam nutrierimus intrinsecus, et crescere fecerimus, cum in nobis prolem suam auctam viderit, et ipse audebit intrare. Denique in Judæ Iscariot cor, primam jecit sagittam, ut traderet Salvatorem, quam si exceptam ille miserabilis non fovisset, numquam post intinctum panem in paropside, intrasset in illum Satanas. Simulque et hoc diligenter attendite, quod non invenerit diabolus locum introeundi in Judam, cujus pectus jam ante percusserat, nisi in convivio Salvatoris (*Joan.* XIII). Quia tunc vel maxime in potestatem ei damur, quando nec humanitate, nec clementia, nec mansuetudine ejus vincimur, quem odimus indigne. Huic quod nunc præcepit, *neque locum detis diabolo*, illud de Ecclesiastico comparatur: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dederis ei* (*Eccli.* X, 4). Ille superbus et temerarius vult ascendere, vult subire: sed etiam si te oppressum putaverit, et se extulerit, tu ne dederis locum. Potestas quippe diaboli, non in temeritate illius atque jactantia, sed in tua est voluntate.

(Vers. 28.) *Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est: ut habeat communicare ei qui indiget.* Quia hi qui in vitæ istius negotiis conversantur, propter alimenta et usus necessarios coguntur aliqua vel emere, vel vendere, et lucra de negotiatione sectari: et difficile est etiam eos qui a cæteris passionibus liberati sunt, fornicatione videlicet, idololatria, adulterio, et homicidio, **631** hoc vitio non teneri. Propterea nunc Ephesios monet, ne sub occasione emolumenti, furti crimen incurrant. Furtum nominans, omne quod alterius damno quæritur. Justum autem esse, ut manibus suis unusquisque operans, et victum labore conquirens, impertiat non habentibus. Neque vero ait: Magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, ut non indigeat, et habeat victum, et nulli molestiam exhibeat: sed, Laboret, inquit, manibus suis quod bonum est, ut habeat unde communicet indigentibus. Qui igitur ad hoc tantum laborat, ut ipse non egeat, et a cæteris contrahit manum: quamvis applaudat sibi, tamen Apostoli præceptum non fecit. Potest autem et altius intelligi: *qui furabatur, jam non furetur*, et reliqua: propter illud quod scriptum est de pseudoprophetis: *Qui furantur sermones unusquisque a proximo suo* (*Jerem.* XXIII, 30). Et in Evangelio: *Omnes qui venerunt ante me, fures fuerunt et latrones* (*Joan.* X, 8). Et ad Romanos: *Qui prædicas non furandum, furaris* (*Rom.* II, 21): quod furta prohibeamur facere spiritualia. Neque enim hoc quod sequitur: *magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est*, ad vitæ hujus necessaria digne referri potest: ut bonum dicatur quodcumque periturum est, et ad mammonam iniquitatis pertinet. Quamvis enim justus labor opes habeat absque tergiversatione quæsitas, satis habebit si non dicantur malum: cæterum bonum non valent appellari. Igitur bonum operatur, qui declinat a malo, et facit

[a] Maluit Victorius, *occidet*, ex ipso Amosi textu.

[b] Aliis placet satis contentiose, *sine ascensu*, quod est, *infimæ conditionis*, et *nihili*, et *nequam* interpretari. Commodius vero Hieronymus בליעל, *Belijahal* deduxit a עול, sive על, et בלי, quarum vocum altera *jugum* sonat, altera negandi est particula. Hæc profecto et apud Hebræos obtinet etymologia: et rabbi Salomon filius Belial exponit, qui שפרקו עול שמים, *jugum excusserunt cœli*. Concinit et Aquilæ interpretatio ἀποστάτης, quam laudat S. Pater: et Suidas, Βελίαρ, τῇ Ἑβραίων φωνῇ τὸν ἀποστάτην δηλοῖ.

[c] Correximus hic, *Beliar*, pro quo vitiose *Belian* legebatur. Passim *Beliar* apud veteres scriptores, maxime Græcos invenire est: *Belian* nullibi et nusquam. Vadem habeto ipsum Hieronymum Libro Nominum ex II ad Corinth.: *Beliar, cæca angustia, sive cæcum lumen, vel filius prævaricationis; sed rectius, Belial dicitur.*

bonum, et operatur in agro animæ suæ, ut spiritualibus panibus impleatur, et possit commodare esurienti, et necessitatem sustinenti, dans in tempore cibaria conservis suis : si autem talis est qui operatur bonum : ergo et is qui furatur, consequenter verba furatur et dogmata, de furto vivens, de furto sibi cervicalia consuens, et Scripturarum pannos hinc inde colligens, ut possit tunicam facere conscissam, quæ deorsum est non desursum. Tunica enim Ecclesiæ, hoc est, corpus Christi, desuper contexta est, et nulla ex parte consutilis, quæ ne ab inimicis quidem scindi potest.

632 (Vers. 29.) *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat. Sed si quis bonus, ad ædificationem opportunitatis, ut det gratiam audientibus.* Bonus sermo est ad ædificationem opportunitatis, dans gratiam audientibus, qui docet virtutes sequendas, vitia fugienda. Malus, qui ad peccata provocat, et pronos magis incitat ad ruinam. Pro eo autem quod nos posuimus, *ad ædificationem opportunitatis*, hoc est quod dicitur Græce, τῆς χρείας in Latinis codicibus propter euphoniam mutavit interpres, et posuit, *ad ædificationem fidei*. Quotiescumque ex sermone nostro aliquis proficit, et juxta opportunitatem loci, temporis et personæ ædificat audientes, bonus de ore nostro sermo processit. Quoties vero loquimur, aut non in tempore, aut importuno loco, aut non ut convenit audientibus, toties sermo malus procedit de ore nostro, ad destructionem eorum qui audiunt. Consideremus itaque quid loquamur, quia pro omni otioso verbo, reddituri sumus rationem in die judi-

A cii (*Matth.* XII). Et etiam si non lædamus, non tamen ædificemus, mali verbi nobis luenda sit pœna.

(Vers. 30.) *Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis.* Mœror sancti Spiritus sic intelligendus, quomodo ira Dei et somnus, et cæteræ in humanam similitudinem passiones. Non quo contristetur Spiritus, et ullam perturbationem divinitas sentiat : sed quo ex verbis nostris, Dei discamus affectus, quod mœreat quotiescumque peccamus, et defleat peccatores. Nam et Salvator in corpore constitutus, flevit Jerusalem (*Luc.* XIX), et omne hominum genus in propheta deplorat, dicens : *Heu mihi, anima, quia periit revertens* [Al. *reverens*] *a terra. Et qui corrigat, inter homines non est : omnes in sanguine judicantur* (*Mich.* B VII). Et in Ezechiele opera quondam sanctæ civitatis enumerans, ait : *In omnibus istis contristabas me* (*Ezech.* XX). Signati autem sumus Spiritu Dei sancto, ut et spiritus noster et anima imprimantur signaculo Dei, et illam recipiamus imaginem et similitudinem [a] ad quam in exordio conditi sumus, Hoc signaculum sancti Spiritus, juxta eloquium Salvatoris, Deo imprimente, signatur. *Hunc enim*, ait, *signavit Pater Deus* (*Joan.* VI, 27). Signatur ergo a Patre, Spiritu sancto, omnis qui ex eo quod credidit Deo, signavit, quia verus est Deus. Qui idcirco signatur, ut servet signaculum et ostendat illud in die redemptionis, purum atque sincerum, et nulla ex parte mutilatum, et ob id numerari cum his valeat qui redempti sunt. C

[a] Sentire videtur ipsum fuisse Dei Spiritum, quod vitæ spiraculum protoplasto Deus inspiravit. Nonnullos ejus sententiæ Patres laudat Georgius Bullus Defens. Fid. Nicæn. § 21, qui et stat a Rufini partibus.

LIBER TERTIUS.

633-634 Satis abundeque, o Paula et Eustochium, de argumento Epistolæ Pauli ad Ephesios, in primi libri præfatione disserui : et sparsim ubicumque occasio data est, licet breviter, ostendi quod beatus Apostolus ad nullam Ecclesiarum tam mystice scripserit et abscondita sæculis revelaverit sacramenta. Nunc ergo quoniam orationum vestrarum et sanctæ Marcellæ fultus auxilio, tertium, id est extremum, in eamdem Epistolam dicto librum, justum mihi videtur, ut nominis quoque ipsius etymologiam cum sensu quem supra exposui, congruere

doceam. [a] *Ephesus* in Latinam linguam interpretatur, *voluntas*, sive *consilium meum in ea*, vel certe *anima mea in ea*. Voluntas et consilium, et anima Dei in eo est, qui potest dicere : *Ipse enim mihi dedit notitiam omnium* (*Eccl.* I, *et* I *Joan.* V), et cum D incerta et occulta sapientiæ Dei, illi fuerint revelata, testimonium consequetur loquentis : *Inveni David de Bethleem filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet* [Al. *faciat*] *omnes voluntates meas* (*Act.* XIII, 22). Istiusmodi virum et Osee propheta significat, dicens : *Quis sapiens et intelliget* [Al. *intelligit* et

[a] Hujusmodi etymologias nominum Græcorum mutuatus est Hieronymus ab Origene, qui Lexicon Hebraicorum nominum condidit e novo Testamento, quique satis absurde Græca et Latina quasi essent Hebræa interpretari voluit. Consule librum Hebræorum Nominum tomo III. MART.—In eo scilicet Nominum libro, qui vulgo obtinebat, et Latine ab ipso explicatus Hieronymo est. Nec tamen, ut sæpe diximus, hinc recte quis colligat, eas ipsimet probari etymologias, quarum et nonnullas expresse respuit. Id genus hæc est, qua *Ephesus*, *voluntas*, sive *consilium meum in ea* interpretatur. Notatum quippe et nobis ad laudatum Nominum librum, ex Græco commodius derivari hanc vocem posse : ac videri, ut Heraclides tradit, sic dictam, quod eam terram Amazonibus Hercules permiserit : Ἔφεσιν Græce, *permissionem* sonare omnes sciunt. Pausanias lib. VII, ab Epheso, quem Caystri fluminis filium fuisse fabulantur, nomen accepisse, auctor est.

agnoscit] *hæc, prudens et agnoscet ista* (*Ose.* XIV, 10)? A Porro ut sciatis multam esse distantiam justi simplicis, justique sapientis, qualem in resurrectione mortuorum singuli gloriam consequantur attendite. *Et multi dormientium de limo terræ exsurgent : hi in vitam æternam, et hi in opprobrium et confusionem æternam. Et intelligentes fulgebunt sicut splendor firmamenti, et ex justis multi sicut stellæ in æternum* (*Dan.* XII, 2). Fulgebunt, inquit, justi sicut stellæ in æternum : et intelligentes, id est, habentes scientiam Scripturarum, sicut splendor cœli. Non quo doctus vir justus quoque esse non debeat : sed quo qui justus est, nisi fuerit eruditus, tam procul sit a sapiente justo, quam est stellarum fulgor a lumine firmamenti. Quod si quis meditatione tantum legis instructus, vitam suam negligit, neque audet dicere : B *A mandatis tuis intellexi, propterea ad omnia mandata tua dirigebar* (*Ps.* CXVIII, 10), iste quasi æramentum sonans, et cymbalum tinniens, et infatuatum sal, in stercore conculcandus est (I *Cor.* XIII, *Marc.* IX, *et Luc.* XIV). Si autem detur optio singulorum (seposito eo qui habet sapientiam atque justitiam), magis ego velim rusticitatem justam, quam doctam malitiam. Quia in altero **635-636** licet minor, tamen gloria est, stellarum esse lumini coæqualem : in altero juxta scientiæ profectum, majora supplicia sunt. *Potentes patientur tormenta* (*Sap.* VI, 7); et : *Servus qui scierit voluntatem Domini sui, et non fecerit eam, vapulabit multis* (*Luc.* XII, 47). Hæc idcirco, ut docerem quare animam et consilium, et voluntatem Dei, Ephesiorum vocabulum sonet : C qui, artium magicarum præstigiis derelictis, erroris zelum ad veritatis studium transtulerant. Ob quorum salutem tanto Paulus sudore pugnavit, ut ad Corinthios scriberet : *Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi : quid mihi prodest si mortui non resurgunt* (I *Cor.* XV, 32)? Quæ sunt istæ bestiæ? Nempe illæ de quibus Psalmista precatur dicens : *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi* (*Psal.* LXXIII, 13). Et in alio loco : *Increpa feras calami* (*Psal.* LXVII, 31). Adversarius enim noster diabolus, tamquam leo rugiens circuit (I *Petr.* V, 8). Qui cum cerneret principem Asiæ civitatem ad doctrinam Pauli de faucibus suis eripi, totis satellitum suorum agminibus congregatis, eum opprimere nitebatur, et D improbe se extollens, volebat quasi aquila ponere super illum nidum suum (*Isai.* XIV, *Prov.* IV). Quod Apostolus sentiens, et omni custodia servans cor suum (quippe qui ejus non ignoraret astutias), post victoriam quidem, sed non incruentam victoriam loquebatur : *Non enim volumus vos ignorare, fratres, de tribulatione nostra quæ facta est nobis in Asia : quoniam supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere* (II *Cor.* I, 8). Quod autem per Tychicum Epistola mittitur, valde ejusdem Epistolæ congruit sacramentis (I *Thess.* IV). De quibus et noni psalmi titulus prænotatur, *pro arcanis filii. Tychicus* enim [a] *silens* interpretatur : non projiciens margaritas ante porcos, nec dans sanctum canibus : et libere ad Deum loquens. *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi* (*Ps.* CXVIII, 11).

(Vers. 31.) *Omnis amaritudo, et furor, et ira, et clamor, et blasphemia auferatur a vobis cum omni malitia.* Amaritudo contraria est dulcedini : unde amari vulgo appellantur, et dulces. De qua et Jeremias loquitur, dicens : *Et amaritudo tua ascendit super me* (*Jerem.* XV, 17). Furor vero incipiens ira est, et fervescens in animo indignatio. Ira autem est (cujus amaritudo et furor species sunt) quæ furore restincto desiderat ultionem, et eum quem nocuisse putat, vult lædere. Quæ quidem licet in Deo sæpe dicantur, secundum illud : *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me* (*Ps.* VI, 1), non sunt perturbationes animi computandæ sicut in nobis : quia in illo moderata et ordinata sunt omnia, et pœna qua peccatores corriguntur, nostris vocibus appellatur. Nos vero si irascimur, perturbamur, et, furore rapti, nostri esse desinimus. Unde a nobis omnis amaritudo, et furor, et ira penitus auferenda sunt. Nam ad illud Evangelii : *Quicumque irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio* (*Matt.* V, 12), frustra est additum, [b] *sine causa*, quia nec cum causa nobis irasci conceditur, manifestissime Apostolo nunc dicente : *Amaritudo, et furor et ira tollatur a vobis :* **637** Et tricesimo sexto psalmo universam commotionem animi generaliter auferente : *Quiesce ab ira, et dimitte furorem.* Si enim ira desiderat ultionem : omnis autem ultio rependere cupit ei malum a quo se læsam putat, et Christianus non debet malum pro malo reddere; sed vincere in bono malum (I *Petr.* III, *et Rom.* XII, 19). Et : *Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus* (*Deut.* XXXII,

[a] Rursum ex eo, qui vulgo obtinebat, Nominum libro, ubi Τυχικὸς, σιγῶν, quod et ipse interpretatus est S. Pater, *Tychicus, tacens*. Cæterum nemo, opinor, Græcum hoc, non Hebraicum esse nomen, et sonare in Latino, *fortunatum*, ignorat. Frustra adeo est Victorius, qui illam ex Hebraico ratus ipsimet Hieronymo probari etymologiam, ex eo conatur derivare, quod est Hebraice תחוש : quia Ps. L. תחום, ἄδηλα, sive *incerta* : et Job XXXVIII, *viscera* significet : atque in hanc facere sententiam, quod טוח, *crustis obducere* notet Levitic. XIV, et I Paral. 29, quod est Ezechielis XIII, *linire*.

[b] Non opus est recoquere quæ de hocce additamento disputavimus tam in epist. 13, ad Castorinam, quam paulo superius in Matthæi caput V. Addere tamen liceat laudatis ibi testimoniis, Chrysostomum homil. 16, in Matthæum, et 6, de laudibus Pauli, auctorem Operis Imperfecti homil. 2 et Apophthegmata Patrum apud Cotelerium tom. I, aliosque. Cassianus lib. VIII, cap. 20, satis luculenter contendit superfluo haberi in quibusdam exemplaribus additum, *sine causa*, vultque, *ab his adjectum, qui iniputandam iram pro justis causis minime putaverunt, cum utique nullus quamlibet absque ratione commotus, sine causa dicat se irasci*. Cæterum si sententiam tantummodo species, conveniunt illa Judæorum placitis, quibus Canones Ethnici penes Maimonidem permittunt irasci, על דבר גדול, *ob rem grandem sive magni momenti*.

55) : omnis qui irascitur, peccat : *Ira quippe viri* A *justitiam Dei non operatur* (*Jacob.* I, 20). Post amaritudinem, furorem et iram, recte clamor quoque et blasphemia prohibentur in nobis. Quia qui semel fuerit furore superatus, necesse est ut prosiliat in clamorem, et turbide fremens, huc atque illuc in modum folli ventiletur, et dicat : O rerum iniquitas! o injusta judicia Dei! et cætera quæ solent loqui, qui per indignationis furorem mentis judicium perdiderunt. Porro blasphemia non solum aperta est, et de ira nascitur : sed et absque ira, sedata mente, profertur : si aut de mundi istius quispiam gubernatione causetur, et dicat : Illud sic esse non debuit, hoc vero esse sic debuit : aut certe in Ecclesia constitutus, et credens in Deum, labatur in dogmatibus quæ ignorare non licitum est : aliter de Patre, et B Filio, et Spiritu sancto sentiens, quam rei ipsius veritas habet : non ita credens in resurrectione mortuorum, ut Scripturæ docent ; vel certe alienæ invidens sapientiæ, eum male sentire commemoret, qui catholicæ fidei est, et rursum hæreticum pro adulatione qua sibi obsequitur, catholicum esse contestans : qui dicit dulce amarum, et amarum dulce. Unde omni studio legendæ nobis Scripturæ sunt, et in lege Domini meditandum die ac nocte : ut probati trapezitæ, sciamus quis nummus probus sit, quis adulter. Porro amaritudinem, furorem, iram, clamorem, atque blasphemiam sic tollamus a nobis, ut cum omni malitia auferantur. *Malitia* autem vel contraria virtuti intelligenda est, quam alio nomine vitium nominamus : vel *malignitas*, et *nequitia*, quæ C in tergiversatione et calliditate sentitur.

(Cap. V.— Vers. 1.) *Estote autem invicem benigni, misericordes : donantes vobismetipsis, sicut et Deus in Christo donavit vobis.* Supra amaritudini contrariam dulcedinem dixeramus, quam nunc Apostolus alio verbo χρηστότητα, id est, *suavitatem* magis, **638** quam *benignitatem* vocavit : præcipiens, ut omni amaritudine, et furore, ira, clamore, et blasphemia, et motu turbido, cum quadam frontis austeritate damnatis, clementes simus, et blandi : et ad familiaritatem nostram ultro homines invitemus, ut nullus ad nos formidet accedere : quæ familiaritas maxime ex misericordia comparatur. Nec statim præstantes aliis, ipsi quod dedimus, habere desistimus : sequitur enim : *Donantes vobismetipsis* : D quia quod bene in alium fit, magis ei reponitur qui præstitit, quam cui datum est. Qui miseretur pauperis, ipse saturabitur : et qui dat ei, Deo fenerat. Vel certe ita accipiendum, quod in eo quod suaves et misericordes sumus, et perturbationibus quæ nos inquietabant relictis, ad mansuetudinem, temperantiamque transivimus, ipsis nobis datum sit et donatum, dum de malis in bonos vertimur, et hæc ipsa donamus nobis, quæ Deus Pater donavit in Christo. Si enim, omissis vitiis, virtutes sequimur : omnes autem virtutes, sapientia, veritas, justitia, mansuetudo, et cætera ad Christum intellecta referuntur : cum has virtutes habuerimus, ipsas nobis etiam nostro studio comparamus, et habere nos facimus, quas Deus nobis donavit in Christo. Alius vero hoc quod ait, *donantes vobismetipsis*, simpliciter accipiet, ut quomodo supra dicitur : *Estote autem invicem suaves* : sic et nunc dicatur, *donantes vobismetipsis* : pro eo quod est, donantes vobis invicem : ut quomodo Deus nobis in Christo nostra peccata donavit : sic etiam nos eis qui in nos peccaverint, dimittamus. Et ad probandum quod dimissio peccatorum in Scripturis donatio nuncupetur, illud sumet exemplum quod in Luca scribitur, ubi uni creditori alius debebat quingentos denarios, et alius quinquaginta (*Luc* VII), quos utrisque concesserit, et ad interrogationem Salvatoris ille qui interrogatus fuerat, responderit, majorem gratiam illum habere cui plus donatum sit. Dicitur et in Oratione Dominica : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matt.* VI, 12). Deus autem nobis donavit in Christo, non extra positus, sed habitans in eo : quia Pater in Filio, et Filius in Patre. Nec statim ille in quo donatur, minor est ab eo qui in se donat : quia et Apostolus **639** dicit : *Et ego si quid donavi vobis, in facie Christi et Dei* (II *Cor.* II, 10).

Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi. Qui intelligit quomodo dictum sit : *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* (*Matt.* V, 48), iste sciet quomodo et nunc dicatur : *Estote imitatores Dei* (I *Cor.* IV, 16). Et Corinthiis quidem scribens ait : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (I *Cor.* XI, 1). Non enim poterant statim imitatores Christi fieri; sed grande illis erat, si imitatores possent imitatoris existere. Ephesiis vero quasi his quos jam mysteria tanta docuerat, non ait, Imitatores mei estote, nec, imitatores Christi ; sed, imitatores Dei. Non quod minus sit imitatorem Christi esse, quam Dei (Deus quippe Christus est), sed quod aliud sit secundum hominem imitari, aliud secundum Deum. Nam etsi Christum secundum carnem antea noveramus ; nunc jam nequaquam eum novimus secundum carnem. Loquitur et ipse Salvator, humilitatem dispensationis ostendens : *Quæcumque viderit Patrem facientem, hæc eadem Filius facit similiter* (*Joan.* V, 19). Non quo aliud cœlum et aliam terram Pater fecerit, et ad similitudinem eorum, aliud cœlum et alia terra, et elementa a Christo facta sint cætera ; sed quo quæcumque operetur Pater, hæc eadem et Filius operetur. In quo autem similes Deo possumus fieri, supra testatus est, dicens : *Donantes vobis, sicut et Deus in Christo donavit vobis.* Non enim puto quod in cæteris quoque quæcumque Deus fecit, homo Deum possit imitari : sed verbi causa, ut quomodo ille clemens est, et pluit super bonos et malos, et reliqua : sic etiam nos bonitatem nostram super omnes homines effundamus. Quod cum fecerimus, erimus filii [*Al.* sicut filii] dilecti, sive ipsius Pauli, sive, quod melius puto, Dei.

(Vers. 2.) *Et ambulate in charitate, sicut et Christus*

dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis. Qui pro aliorum salute usque ad sanguinem contra peccatum dimicat, ita ut et animam suam tradat pro eis : iste ambulat in charitate, imitans Christum, qui nos intantum dilexit, ut crucem pro salute omnium sustineret. Quomodo enim ille se tradidit pro nobis : sic et iste pro quibus potest libenter occumbens, imitabitur eum qui oblationem et hostiam **640** in odorem suavitatis se Patri tradidit, et fiet etiam ipse oblatio et hostia Dei in odorem suavitatis.

(Vers. 3, 4.) *Fornicatio autem et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos : et turpitudo, et stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinent : sed magis actio gratiarum.* Nisi philosophorum quidam Cynicus exstitisset, qui doceret omnem titillationem carnis, et fluxum seminis ex qualicumque attritu tactuque venientem, in tempore non vitandum, et nonnulli sapientes sæculi in hanc turpem et erubescendam hæresim consensissent : numquam sanctus Apostolus scribens ad Ephesios, ad fornicationem etiam omnem immunditiam copulasset, et ad immunditiam junxisset avaritiam : non hanc qua pecuniam cupimus congregare, sed illam de qua supra diximus : *ne supergrediatur, et avarus fraudet in negotio fratrem suum.* Quod scilicet insatiabilis et inexpletus, per omnia turpitudinum genera, lasciviæque discurrat. *Sicut decet*, inquit, *sanctos.* Ex quo sanctus non potest appellari, quicumque extra fornicationem in aliqua immunditia et avaritia voluptatum, quæ se delectaverint, invenitur. Si quis autem arbitratur avaritiam non in illo sensu accipiendam esse quo diximus, reddat causas, quare inter fornicationem, et immunditiam, et turpitudinem, et stultiloquium, et scurrilitatem, mediam avaritiam extraordinarie posuerit. Porro stultiloquium esse existimo non solum eorum qui aliqua narrant turpia, ut risum moveant, et fatuitate simulata magis illudant eis, quibus placere desiderant : sed etiam eorum qui sapientes sæculi putantur, et de rebus physicis disputantes, dicunt se arenas littorum, guttas Oceani, et cœlorum spatium, terræque punctum liquido comprehendisse. Est et in Ecclesia stultiloquium. Si quis cœlum putet fornicis more curvatum, Isaiæ, quem non intelligit, sermone deceptus : solium quoque in cœlis positum, et super eo sedere Deum, et in ritum imperatoris et judicis, angelos stare in A circuitu, qui verbis jubentis obtemperent, et in diversa mittantur officia (*Isai.* VI). Sed quia sequitur stultiloquium scurrilitas : magis stultiloquium ad fatuas et ineptas fabulas transferendum. Inter stultiloquium autem et scurrilitatem **641** hoc interest, quod stultiloquium nihil in se sapiens et corde hominis dignum habet. Scurrilitas vero de prudenti mente descendit, et consulto appetit quædam vel urbana verba, vel rustica, vel turpia, vel faceta, quam nos jocularitatem alio verbo possumus appellare, ut risum moveat audientibus. Verum et hæc a sanctis viris penitus propellenda, quibus magis convenit flere atque lugere, ut in Hebraico quoque Evangelio legimus, Dominum ad discipulos loquentem : *Et numquam*, inquit, *læti sitis, nisi cum fratrem vestrum videritis in charitate.* B Videtur hucusque nihil extra propositum et extra consequentiam, textumque ordinis intulisse. Verum hoc quod sequitur, et in fine positum est : *Sed magis gratiarum actio*, quærat aliquis, et dicat quid sibi velit post fornicationem prohibitam, et immunditiam, et lasciviam, et turpitudinem, et stultiloquium, et scurrilitatem, actio gratiarum. Si enim semel ei liberum fuit ponere quamcumque virtutem, potuit dicere, sed magis justitia, veritas, dilectio. Quomodo autem hoc inconsequens est : ita etiam illa inconsequentia esse potuissent, et eadem licentia ordinem non haberent. Forsitan igitur gratiarum actio in hoc loco non ista est nominata : juxta quam gratias agimus Deo, sed juxta quam grati sive gratiosi, C et falsi apud homines appellamur. Stultiloquium enim et scurram non decet esse Christianum. Decet autem sermonem ejus sale esse conditum, ut gratiam apud audientes habeat. Et quia non est consuetudinis, nisi inter doctos quosque apud Græcos εὐχαριστίαν, ad distinctionem Eucharistiæ dicere, hoc est, gratiosum esse, et agere gratias : propterea puto Apostolum quasi Hebræum ex Hebræis, verbo usum esse vulgato, et sensum suum alterius significatione verbi explicare voluisse : maxime cum apud Hebræos [a] gratiosus et gratias agens, uno, ut aiunt, sermone dicatur. Unde et in Proverbiis puto ita scriptum : γυνὴ [b] εὐχάριστος ἐγείρει ἀνδρὶ **642** δόξαν, *mulier grata suscitat viro gloriam* (*Prov.* XI, 16), pro eo quod est, *gratiosa* : videremur vim facere Scripturæ, D et gratias agentem mulierem, pro gratiosa audacter accipere, nisi et cæteræ editiones nostræ opinioni congruerent. Aquila enim et Theodotio, et Symmachus [c] ita posuerunt, γυνὴ χάριτος, id est,

[a] חונן *hhonen*, vel חנון *hhannun*, *gratiosum* sonat apud Hebræos; *gratias agentem* quoque significabat, ut ipsi testes erant tempore Hieronymi dicentis, *uno, ut aiunt, sermone dicatur.* MART.

[b] Martianæus ex Cluniacensi, ut ait, codice rescribit εὐχαριτὸς, quam vocem Græcia ignorat universa. Hallucinatus autem in eo est, quod putarit Hieronymum aliter ac vulgo habetur, in Proverbiorum Græco exemplari legisse : aut certe aliter legendum constituere : cum econtrario, germana lectione εὐχάριστος nihil immutata, id unum urgeat S. Pater, quod peculiari significatione donanda sit, id est, quod non *gratam* sonet, sive, *agentem gratias*; sed proprie *gratiosam*, quod ex sacri contextus serie, tum veterum Interpretum, Aquilæ, Theodotionis, et Symmachi auctoritate confirmat. Nos antiquam lectionem postliminio revocavimus. — Ita legit codex ms. Cluniacensis; sic quoque legendum docet totus Hieronymi contextus. Putabat enim Hieronymus aliter legendum in Proverbiis, quam vulgo legeretur, id est, non γυνὴ εὐχάριστος, *mulier gratias agens* : sed γυνὴ εὐχαριτὸς, *mulier gratiosa*, venusto aspectu atque decora. MART.

[c] Lectionem hujusmodi corruperunt Erasm. et

mulier gratiosa, et non εὐχάριστος, quod ad actionem pertinet gratiarum.

(Vers. 5.) *Hoc autem scitote, quia omnis fornicator aut immundus, aut avarus, quod est idolis serviens, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei.* Notandum quod sex vitiis supra prohibitis, fornicatione, immunditia, avaritia, turpitudine, stultiloquio, scurrilitate, nunc tantum tria posuerit, fornicationem, immunditiam, avaritiam : quibus qui fuerit obnoxius, hæreditatem in regno Christi et Dei habere non possit. Si enim ita stultiloquus et scurra alieni essent a regno Dei, quomodo tres quos specialiter separavit, videretur sententia esse crudelis, non ignoscere imbecillitati fragilitatis humanæ : cum etiam per jocum nos dicta damnarent. *Qui enim in sermone non labitur perfectus est* (*Jacob.* III, 2). Neque vero ista dicentes, locum stultiloquio et scurrilitati damus, dum non excluduntur a regno, sed quomodo apud Patrem diversæ sunt mansiones, et stella a stella differt in gloria (*Joan.* XIV; I *Cor.* XV) : sic et resurrectio mortuorum : quamvis aliquis a fornicatione, immunditia, atque lascivia alienus sit : tamen si stultiloquus et scurra fuerit, non tenebit eum locum quem possessurus erat, si hæc vitia non haberet. Respondeat quis : Esto stultiloquium et scurrilitas non eumdem habeat reatum, quem fornicatio, immunditia et avaritia : numquid non et turpitudinem cum tribus superioribus debuit nominare? Ad quod dicendum, turpitudinem hic significare absconditam cogitationem, cum inflammatur sensus noster ad libidinem, et carnis titillationibus anima ignita succenditur, et nihilominus Dei timore et mentis judicio refrenatur. Denique etiam supra absque turpitudine, tria pariter appellavit, dicens : **643** *Fornicatio autem et omnis immunditia et avaritia, nec nominetur in vobis* : et deinceps turpitudo cum stultiloquio et scurrilitate numerata est. Et quomodo stultiloquium et scurrilitas : sic et ista turpitudo non perdit, nec in perpetuum excludit a regno. Quia vero in superioribus ex eo quod alibi legeramus : *Ne supergrediatur, et avarus fraudet in negotio fratrem suum* (I *Thess.* IV, 6), dixeramus avaritiam pro adulterio positam : quærimus id quod nunc dicitur, *aut avarus, quod est idolis serviens*, utrum cum illa, an cum vulgata interpretatione consentiat. Invenimus in locis plurimis prophetarum idololatriam, fornicationem appellatam. *Fornicabantur*, inquit, *post idola sua* (*Ose.* IV, 12). Et : *spiritu fornicationis seducti sunt.* Potest itaque fornicatio et super idololatria intelligi. Sin vero avarus ille accipitur, qui pecuniam utcumque conquirens, nummos per fas et nefas habere desiderat, et pleno sacculo delectatur, iste idololatres in eo est, quia sculpturam ipsius nummi colit, et idola in eis cælata veneratur. Ut voracium deus venter est, ita cupidorum quoque justissime pecunia deus dici potest : maxime cum in alio loco apostolus cupiditatem idololatriam vocet. Ad hæc videndum quid sentire voluerit, dicens : *In regno Christi et Dei* (I *Cor.* X) : utrumnam aliud regnum Christi sit, et aliud Dei : an idem regnum sit Patris et Filii. Et siquidem dixisset, in regno Filii et Patris, per Filium veniremus ad Patrem · et licet esset diversitas personarum, tamen esset regnantium una majestas : tunc vero cum dixerit, *In regno Christi et Dei*, ipsum Deum, et Christum intelligamus, quia et cum tradiderit regnum Deo et Patri, non erit Pater omnia in omnibus, sed Deus omnia in omnibus. Ubi autem Deus est, tam Pater quam Filius intelligi potest. Porro quod de Patre et de Filio dicimus, hoc idem et de Spiritu sancto sentiamus.

(Vers. 6.) *Nemo vos decipiat inanibus verbis : propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Verba quæ decipiunt atque supplantant, inania sunt et vacua. Quæ vero **644** ædificant auditores, plena, cumulata, conferta. Quia igitur sunt plerique [a] qui dicunt, non futura pro peccatis esse supplicia, nec extrinsecus adhibenda tormenta : sed ipsum peccatum, et conscientiam delicti esse pro pœna, dum vermis in corde non moritur, et in animo ignis accenditur, in similitudinem febris quæ non torquet [*Al.* torqueat] extrinsecus ægrotantem, sed corpora ipsa corripiens punit, sine cruciatuum forinsecus adhibitione quod possidet. Has itaque persuasiones et decipulas fraudulentas, verba inania appellavit et vacua, quæ videntur florem quemdam habere sermonum, et blandiri peccantibus; sed dum fiduciam tribuunt, magis eos ferunt ad æterna supplicia. Quia de nulla re sic irascitur Deus : quomodo si peccator superbiat, et erectus ac rigidus non flectatur in fletum, nec misericordiam postulet pro delicto. *Propter hæc enim venit ira Dei super filios diffidentiæ*, sive, *insuasibilitatis* : ἀπηθεία enim magis a *suasione* quam a *fiducia* e diverso intelligi potest. Insuasibilitatis autem, sive diffidentiæ, filii sic dicuntur, quomodo filii perditionis, et filii fornicationis, et filii mortis, et filii gehennæ, et cætera his similia, quæ in variis Scripturarum locis invenire perfacile est.

(Vers. 7.) *Nolite ergo effici comparticipes eorum.* Particeps sive comparticeps fit diffidentiæ filiorum, qui in fornicatione, et in immunditia, et avaritia,

Marian. qui non Græcorum interpretum posuere verba, γυνὴ χάριτος, *mulier gratiæ*, sive *pulchritudinis*; sed suas voces confictas, γυνὴ χαροπὸς; alibi sæpius factum observavimus. MART. — Drusius tamen, et quæ eum præcessit τῶν LXX Romana editio cum Scholiis legere apud Symmachum, γυνὴ ἐψιλή, quæ fortasse ex altera Symmachi editione, quod et Montfauconius observat, lectio derivatur. Victorius econtrario legit, γυνὴ χαροπός.

[a] Facile Origenistas impugnat, qui hocce delirium ex ipso Adamantio lib. II de Principiis, cap. 2, didicerint. Proditum id quoque ab Orosio in Comment. ad S. Augustinum, ubi Origenistas inter alia, ait, solitos jactare in vulgus : *Ignem æternum, quo peccatores puniantur, non esse ignem verum, dicentes dictum esse ignem propriæ conscientiæ punitionem : ac si peccatorum animas post purgationem conscientiæ in unitatem corporis Christi redituras.*

propter quæ venit ira Dei super filios diffidentiæ, A reperitur. Et particeps quidem eorum est, ab eo quod participatur, et communionem habet malorum operum : comparticeps vero ei appellatur, qui cum aliis est particeps : et in comparticipi intelligitur et particeps. In participi vero non statim tenetur et comparticeps. Diligenter observa verbum comparticipis atque participis. Puto enim in Scripturis participem in bonam partem, comparticipem in malam semper accipi. Verbi gratia : *Propter quod unxit te Deus Deus tuus, oleo exsultationis præ participibus tuis* (*Ps.* XLIV, 8); et in alio loco : *Participes enim Christi facti sumus : si tamen principium substantiæ usque ad* **645** *finem firmum tenuerimus* (*Heb.* III, 14). Porro non memini alibi me legisse, excepto præsenti loco, *comparticipem :* et tamen manifestum est hic B non in bona parte, sed in contraria positum.

(Vers. 8.) *Eratis enim aliquando tenebræ : nunc autem lux in Domino.* Si possibile est verti in lucem tenebras non est secundum quosdam hæreticos natura quæ pereat, et recipere nequeat salutem. Interrogemus ergo eos qui illa confingunt : utrumnam omnes impii tenebræ sint, necne : de quibus quidam cum propter malitiam tenebræ vocarentur, ad meliora conversi, nunc lux appellantur in Domino. Sicut autem justi sunt lumen mundi, sic impii consequenter tenebræ vocabuntur; et justi quidem cum sint lumen, videbunt lumen in lumine; injusti autem cum sint tenebræ, populus sunt sedens in tenebris, et nihil videns. Quorum differentiam inter C se atque distantiam, ex fructibus intelligimus. Omnis enim qui operatur malum, odit lucem, et non veniens ad lucem, tenebrosus est, et filius noctis atque tenebrarum. Qui vero operatur veritatem, et in lucem venit, lux est, et filius lucis et diei (*Joan.* III, 20, 21). Lucentes autem sive tenebrosi, de cordis vel lumine, vel tenebris cognoscuntur. Super hæc quæres, ne forte ob distinctionem eorum qui lux sunt; sed non sunt lux in Domino, de justis dicatur : *nunc autem lux in Domino.* Decenter quoque Ephesiis, qui ad scientiæ summam conscenderant, scribitur quod sint lux in Domino. Neque vero tenebræ ipsæ vertuntur in lucem; aut lux in tenebras commutatur; sed hi qui ab eo quod sunt, nomen quoque vel virtutis meruere, vel vitii : si conversi D fuerint de alio in aliud, ὁμωνύμως his rebus a quibus possidentur, vel tenebrarum, vel lucis vocabulum sortientur.

Ut filii lucis ambulate. Si Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt, filii Dei, filii lucis sunt. Necnon si Christus lux vera est, filii quoque ejus ad quos loquitur, dicens : *Filioli mei, adhuc modicum vobiscum sum* (*Joan.* XIII, 33), filii veræ lucis sunt. Ex quo colligitur eosdem filios esse Dei Patris, qui sunt filii Christi Jesu.

(Vers. 9.) *Fructus enim lucis est in omni bonitate et justitia et veritate.* Adversus Marcionem (qui justum Deum a bono separat, et putat Creatorem esse justum; **646** alium vero ne cio quem, cujus Christus iste qui venit, filius sit, bonum tantummodo esse Deum) hoc testimonium proferamus. Siquidem fructus lucis, non solum est in bonitate; sed in justitia et in veritate. Ubi itaque bonitas est, ibi et justitia: ubi justitia, ibi consequenter et veritas. Apud bonum ergo Christi Patrem, ut ipsi quoque fatentur, est veritas et bonitas. Ubi autem bonitas et veritas, apud ipsum, et non apud alium, ut nunc Apostolus docet, justitia est. Intelligat quoque Marcion ipsum Christum, bonitatem, veritatem, et justitiam nuncupari. Bonitatem in eo quod non secundum opera, sed secundum misericordiam det gratiam credentibus in se. Justitiam in eo, dum unicuique retribuit quod meretur. Porro veritatem, dum ipse solus causas creaturarum omnium, rerumque cognoscit.

(Vers. 10.) *Probantes quid sit beneplacitum Deo.* Omnia facienda cum consilio, ut cauti atque solliciti, ea tantum quæ scimus Deo placere, faciamus : in morem prudentissimi trapezitæ, qui sculptum numisma non solum oculo, sed et pondere, et tinnitu probat. Quia vero in hoc loco contextus eloquii videtur esse turbatus, et tota scatere sententia, sic ordini sermo reddendus est : Nolite ergo fieri comparticipes eorum, probantes quid sit beneplacitum Deo : etsi enim eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux estis in Domino : quasi filii lucis ambulate, fructus luminis ostendentes in omni bonitate, et justitia, et veritate.

(Vers. 11.) *Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.* Et ad Galatas nomen fructus, in spiritu, operis vero posuit in carne, dicens : *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio* (*Galat.* V, 19), et reliqua. *Fructus vero spiritus est charitas, gaudium, pax* (*Ibid.*, 22), et cætera. Porro in præsentiarum, opera tenebrarum infructuosa appellavit : quibus qui ea fecerint, communione sociantur.

Magis autem et arguite. Inter cætera mandata, etiam peccantes posse arguere, maximæ libertatis est. Sed hoc ille potest facere qui non meretur audire : *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc poteris ejicere festucam de oculo fratris tui* (*Luc.* VI, 42). Quamobrem et prophetæ, nulla ipsi peccatorum sorde polluti, nec cauteriatam habentes **647** conscientiam, poterant cæteros arguere delinquentes. Ex quo animadvertendum eum arguere posse, qui ipse non redarguatur in semetipso.

(Vers. 12.) *Quæ enim occulte fiunt ab eis, turpe est et dicere.* Non mihi videtur sermonis stare contextus, ut id quod nunc dicitur : *Quæ enim occulte fiunt ab eis*, ex superioribus pendeat, et sciri possit ad quos potissimum referendum sit, nisi forte altius reddatur hyperbaton, et ad filios diffidentiæ copuletur, ut sonare possit, quæ enim occulte fiunt a filiis diffidentiæ, turpe est et dicere, quæ sunt fornicatio et immunditia et avaritia omnis.

(Vers. 13.) *Omnia autem arguta a luce manifestantur : omne enim quod manifestatur, lux est.* Omnia, haud dubium quin ea quæ occulte fiunt a filiis

diffidentiæ : luce enim a luce arguta manifestantur. *Lux autem arguit ea quæ prius erant tenebræ*, et postea facta sunt lumen in Domino : ut ex eo quod corripiuntur, mutentur in melius, et mutata manifestentur in publico, et publicata sint lumen, quia omne quod manifestatur, lux est.

(Vers. 14.) *Propter quod dicit : Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* (sive, *orietur tibi Christus*). Quoniam opera tenebrarum a luce arguta manifestantur in lucem, his quæ arguta fuerant transmutatis, dicitur dormientibus et mortuis, eo quod opera fecere tenebrarum : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis.* Quærat aliquis, quisnam sit iste qui dicat : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis*; aut cujus testimonio Apostolus sit abusus? Et quidem qui simplici responsione contentus est, [a] dicet in reconditis eum prophetis, et his quæ vocantur apocrypha hæc lecta in medium protulisse (sicut in aliis quoque locis illum fecisse manifestum est), non quod apocrypha comprobaret; sed quo et Arati, et Epimenidis, et Menandri versibus **648** sit abusus ad ea quæ voluerat in tempore comprobanda. Nec tamen Arati, et Epimenidis, et Menandri, tota quæ scripsere, sunt sancta, quia eos vere aliquid dixisse testatus est. Alius vero quasi προσωποποιΐαν Spiritus sancti Apostolus figuraverit, ad exhortationem pœnitentiæ hæc dicta memorabit. Ego certe secundum paupertatulam meam, omnes editiones veterum Scripturarum, ipsaque Hebræorum volumina diligenter eventilans, numquam hoc scriptum reperi. Nisi forte et hoc dicamus : quomodo olim prophetæ in concione populi loquebantur. *Hæc dicit Dominus.* Et : *Quoniam Dominus locutus est* : ita et Apostolum Spiritu sancto plenum, repente in verba quæ in se Christus loquebatur, erupisse atque dixisse : *Hæc dicit Dominus.* Necnon et illud est disserendum, quomodo uni atque eidem dicatur quasi viventi, *Surge qui dormis* : et quasi mortuo, *Exsurge a mortuis*. Igitur quia et spiritus est hominis, quem semper in bonam partem scriptum meminimus, et anima cujus et infirmitates et mortes legimus peccatorum, id quod nunc dicitur, *Surge qui dormis*, referatur ad spiritum : et quod sequitur, *Exsurge a mortuis*, animæ coaptetur. *Anima enim quæ* A *peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII, 4). Spiritus autem mortem numquam omnino legimus. Christus ergo lux vera orietur ei qui surrexit de somno, et ex mortuis fuerit suscitatus. Scio me audisse quemdam de hoc loco in Ecclesia disputantem, qui in theatrale miraculum, numquam ante visam formam populo exhibuit, ut placeret, Testimonium hoc, inquiens : ad Adam dicitur in loco Calvariæ sepultum, ubi crucifixus est Dominus. Qui Calvariæ idcirco appellatus est, quod ibi antiqui hominis esset conditum caput : illo ergo tempore quo crucifixus Dominus, super ejus pendebat [b] sepulcrum, hæc prophetia completa **649** est dicens : *Surge, Adam, qui dormis, et exsurge a mortuis* : et non ut legimus ἐπιφαύσει σοι Χριστὸς, id est, *orietur tibi Christus*; B sed [c] ἐπιψαύσει, id est, *continget te Christus*. Quia videlicet tactu sanguinis ipsius, et corporis dependentis, vivificetur atque consurgat : et tunc typum quoque illum veritate compleri, quando Elisæus mortuus mortuum suscitavit (IV *Reg.* XIII). Hæc utrum vera sint, necne, lectoris arbitrio derelinquo. Certe tunc in populo dicta placuerunt, et quodam plausu ac tripudio sunt excepta. Unum quod scio, loquor, cum loci istius interpretatione atque contextu sensus iste non convenit.

(Vers. 15.) *Videte ergo quomodo caute ambuletis : non ut insipientes, sed ut sapientes.* Recte Ephesiis dicitur, ut caute ambulent, qui habebant exercitatos sensus ad discernendum bonum et malum, et probantes omnia, id quod statuerant, bonum esse retinebant. C Qui autem videt quomodo ambulet, et quam caute figat gradum, ne forte ad lapidem offendat pedem suum, et dicit : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine* (*Ps.* CXVIII, 105), utique sapiens est. Non enim puto ἰδιώτην quempiam, etsi velit ambulare caute, posse hoc implere præceptum : quia sapientibus et non insipientibus imperatum est. Ex quo intelligimus et præcepta moralia (quæ plerique manifesta arbitrantur, ex eo quod in octavo decimo psalmo (*Vers.* 9) dicitur : *Mandatum Domini lucidum illuminans oculos*) indigere prudenti, et circumspecta expositione : quia lucidum illud præceptum, eorum illuminat oculos, qui, insipientia derelicta, sapientiæ studiis se manciparint.

[a] Nimirum ex Apocrypho Eliæ laudari hocce testimonium opinatus est S. Epiphanius hæres. 42, pag. 372. Georgius vero Syncellus in Chronographia, pag. 121, ἐκ τοῦ Ἱερεμίου λεγομένων ἀποκρύφων, *ex apocryphis Jeremiæ ascriptis*. Econtrario in authenticis libris illud invenire se posse alii putant. S. Thomas ex illo deducit Isaiæ loco cap. LX : *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum*. Alii malunt Isaiæ quidem, sed cap. XXVI, 19, alludi verba : *Vivent mortui tui : interfecti mei resurgent.... Quia ros lucis, ros tuus*; aut denique illa IX, 2 : *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam ; habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.* Adito loci ejus interpretes.

[b] Vidimus et supra, hunc nescio quem notari abs Hieronymo in cap. Matthæi XXVII, 33. Ac sane cum ad creandum vulgo miraculum excogitata opinatio ea sit Adam in Calvariæ loco sepultum, ubi crucifixum est Christus : tum id plane paradoxum, ab ipso D prolata isthæc ad Adamum verba : *Surge, qui dormis*, etc. Cæterum et S. Ambrosius in Comment. in hanc Epist. et Augustinus in psalm. III legunt, *et continget te*, quam lectionem Hieronymus probat. Erasmus, quem Victorius sequitur in Græco ex ingenio fecerunt, ἐφάψεται, pro ἐπιψαύσει. Chrysostomus homil. 18, in hunc locum : Οἱ μὲν φασι, « Καὶ ἐπιψαύσεις τοῦ Χριστοῦ, » οἱ δὲ φασιν, « Ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστὸς, » μᾶλλον δὲ τοῦτο ἐστι. *Alii quidam dicunt*, et tanges Christum : *alii vero dicunt*, et illuminabit te Christus : *et magis ita est*.

[c] Quis credidisset nullam fere vocem reperiri Græcam recitatam ab Hieronymo, quam non Erasmus, et post eum Marianus depravarit? Pro voce igitur ἐπιψαύσει, editores illi contra fidem manuscriptorum Codicum posuerunt verbum ἐφάψεται. De eadem vero expositione supra loquebatur Hieronymus in cap. XXVII Matth. MART.

(Vers. 16.) *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* A Qui sapiens est, et idcirco caute ambulat, redimit tempus. Tempus autem redimit, quia dies mali sunt. Quando in bono opere tempus consumimus, emimus illud, et proprium facimus quod malitia hominum venditum fuerat. Nemo autem vitæ hujus quærens necessaria, et de divitiis et sollicitudinibus, quas Evangelium spinas nuncupat (*Marc.* IV, *et Luc.* VIII), cogitans, potest sibi tempus redimere. Redimentes autem tempus, quod in diebus malis est, quodammodo immutamus illud: et dies malos in bonos vertimus, et facimus illos non præsentis sæculi, sed futuri. Potest et aliter locus iste edisseri: **650** O vos Ephesii, quibus de somno sæculi istius exsurgentibus sol justitiæ ortus est Christus, caute ambulate atque prudenter: et abjecta insipientia, tenete sapientiam, per quam possitis non B cum varietate temporum commutari; sed diversitatem temporum vobis unum tempus efficere. Et quia sunt plurimæ persecutiones (in principio quippe fidei propemodum quotidie vexabantur Ecclesiæ), unum tenete cursum, et hoc scitote servandum, ut non in morem stulti, quasi luna mutemini; sed quod semel cœpistis, firma mente teneatis: ne videlicet si persecutorem judicem videritis, et vos cum judicis voluntate mutemini. Rursum si alius dogmatis vestri laudator advenerit, vos fateamini Christianos; sed quod estis, omni tempore reservate. Aliquod de Scripturis ponamus exemplum, ut quod dicimus manifestius fiat. Joseph unum habebat propositum, placere Deo. Hoc nulla varietate temporis immutatum est: nec fratrum invidia, nec conditione servi- C tutis, nec ætatis illecebris, nec dominæ repromissis, nec squalore carceris, nec postea tumore Ægyptiæ potestatis: sed semper unus fuit, et varietatem, ut diximus, temporum sibi redimens, malos dies vertit in bonos. Hoc idem et de Job sentiendum est, quod per varia tentamenta vexatus, nec divitiis, nec damnis, nec orbitate, nec vulnere, nec exprobratione amicorum, nec solitudine, nec postea bonorum omnium restitutione mutatus est. Redemerat enim sibi tempus, et dies malos fecerat bonos.

(Vers. 17.) *Propter quod nolite effici imprudentes: sed intelligite quæ sit voluntas Dei.* Quia tempus malum est, et, sicut supra diximus, redimendum, appetenda ante sapientia est, ut per illam intelligere valeamus quæ sit voluntas Dei. Non enim possumus D caute ambulare, nisi prius intellecta voluntate Dei. In omni ergo opere primum considerandum quid velit Deus: et habito judicio, id postea faciendum, quod illi placere fuerit comprobatum.

(Vers. 18.) *Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria: sed impleamini spiritu.* Quomodo non possumus duobus dominis servire, Deo et mammonæ (*Matth.* VI): sic non possumus spiritu impleri pariter, et vino. Qui enim spiritu impletur, habet prudentiam, et mansuetudinem, **651** verecundiam, castitatem. Qui vino, habet insipientiam, furorem, procacitatem, libidinem. Hoc quippe æstimo uno verbo significare luxuriam. Quod si quidam intelligerent, numquam me temeritatis et hæreseos arguissent, quod [a] in virginitate servanda dixerim vinum adolescentulis declinandum, et non mittendum super flammam oleum, nec naturalem carnis ardorem fomentis voluptatis augendum. Potest autem vinum, in quo est luxuria, et illud accipi, de quo in cantico Moysi dicitur: *Furor draconum vinum eorum, et furor aspidum insanabilis* (*Deut.* XXXII, 33): quod omnes qui sæculi istius cogitatione sunt ebrii, bibunt et insaniunt, et vomunt, et præcipites corruunt. Et juxta Lapitharum, Centaurorumque fabulam, in mutuum feruntur exitium. Huic vino illud vinum contrarium est quod Dominus se nobiscum in regno suo bibiturum esse promittit (*Marc.* XIV). Frequenter annotavimus, nomen spiritus absque additamento, in bonam positum partem: quod quidem etiam nunc observandum videtur.

(Vers. 19.) *Loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.* Qui se abstinuerit ab ebrietate vini, in quo est luxuria, et pro hoc spiritu fuerit impletus, iste omnia potest accipere spiritualiter, psalmos, hymnos, et cantica. Quid autem intersit inter psalmum et hymnum et canticum, in Psalterio plenissime discimus. Nunc autem breviter hymnos esse dicendum, qui fortitudinem et majestatem prædicant Dei, et ejusdem semper, vel beneficia, vel facta mirantur. Quod omnes psalmi continent, quibus ALLELUIA, vel præpositum, vel subjectum est, psalmi autem proprie ad ethicum locum pertinent, ut per organum corporis, quid faciendum, et quid vitandum sit, noverimus. Qui vero de superioribus disputat, et concentum mundi omniumque creaturarum ordinem atque concordiam subtilis disputator edisserit, iste spirituale canticum canit. Vel certe (ut propter simpliciores manifestius quod volumus, eloquamur) psalmus ad corpus: canticum refertur ad mentem. Et canere igitur et psallere, et laudare **652** Dominum magis animo quam voce debemus. Hoc est quippe quod dicitur: *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.* Audiant hæc adolescentuli: audiant hi quibus psallendi in ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde cantandum: nec in tragœdorum modum guttur et fauces dulci medicamine colliniendas, ut in ecclesia theatrales moduli audiantur et cantica, sed in timore, in opere, in scientia Scripturarum. Quamvis sit aliquis ut solent illi appellare κακόφωνος, si bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantor est. Sic cantet servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant quæ leguntur: ut spiritus malus qui erat in Saule

[a] Scilicet in libello, sive epistola 22 de Virginitate servanda, ad Eustochium, num. 8: *Hoc primum moneo, hoc obtestor, ut sponsa Christi vinum fugiat pro veneno: hæc adversus adolescentiam prima arma sunt dæmonum*, etc.

A (I *Reg.* xvi), ejiciatur ab his qui similiter ab eo possidentur, et non introducatur in eos qui de Dei domo [a] scenam fecere populorum.

(Vers. 20.) *Gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi Deo et Patri.* Huic quid simile et in Epistola ad Thessalonicenses prima scriptum est : *Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite* (I *Thess.* v, 16, 17). Quod præceptum ille solus custodire potest, qui providentia Dei novit etiam quinque passeres, qui venduntur dipondio, gubernari : quorum unus non cadit in laqueum sine Patris voluntate (*Luc.* xii). Quod autem ait : *Gratias agentes, et semper, et pro omnibus*, dupliciter intuendum, ut et in omni tempore, et pro omnibus quæ nobis accidunt, Deo gratias referamus : B ut non tantum pro his quæ bona putamus, sed etiam quæ nos coarctant, et contra nostram veniunt voluntatem, in Dei præconium mens læta prorumpat, et dicamus : *Nudus exivi de utero matris meæ, nudus et redeam : sicut placuit Domino, ita factum est : sit nomen Domini benedictum* (*Job* i, 21). Hæc actio gratiarum apud prudentes viros, et generaliter et specialiter observatur. Generaliter, ut gratias agamus Deo, quod nobis sol oritur, dies currit, nox mutatur in requiem, splendore lunæ tenebræ temperantur, et ortu occasuque stellarum tempora mutantur, et redeunt : quod nobis serviunt pluviæ, terra parturit, elementa famulantur : quod tantæ animalium varietates, vel ad vehendum, vel ad operandum, vel ad vescendum, vel ad tegmen, vel ad **653** exemplum, vel ad miraculum C datæ sunt : et ad extremum, quod nati sumus, quod subsistimus, quod in mundo quasi in quadam domo potentissimi patrisfamilias procurationem gerimus, et totum quidquid in mundo est, nostri causa intelligimus procreatum. Specialiter vero, quando in Dei beneficiis quæ nobis accedunt, gratulamur. Sed hoc et gentilis facit, et Judæus, et publicanus, et ethnicus. Christianorum propria virtus est, etiam in his quæ adversa putantur, referre gratias Creatori. Si domus corruerit, si amantissima uxor et filii vel captivitate, vel veneno, vel naufragio intercepti sint, si divitias proscriptione perdidimus, si sanitatem innumerabiles morbi, et semper exspectanda miseris podagræ debilitas fregerit. Qui sibi sanctiores videntur, solent Deo referre gratias quod de periculis, vel D de miseriis liberati sunt. Sed juxta Apostolum hæc virtus est maxima, ut in ipsis periculis atque miseriis, Deo gratiæ referantur, et semper dicamus : Benedictus Deus, minora me scio sustinere quam mereor : hæc ad mea peccata parva sunt : nihil mihi dignum redditur. Hic animus Christiani est, hic crucem suam tollens, sequitur Salvatorem, quem nec orbitas, nec damna debilitant. Quem, ut Flaccus in lyrico carmine ait :

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Qui autem, sicut diximus, gratias agit Deo et Patri, in mediatore Dei et hominum referat eas Christo Jesu : quia nisi per illum accedere non valemus ad Patrem.

(Vers. 21.) *Subjecti invicem in timore Christi.* Audiant hæc episcopi, audiant presbyteri, audiat omnis ordo doctorum : subjectis suis se esse subjectos, et imitentur dicentem Apostolum : *Cum enim essem liber ex omnibus, omnibus meipsum servum feci, ut omnes lucrifacerem* (I *Cor.* ix, 19). Et in alio loco : *Per charitatem servite invicem* (*Galat.* v, 13). Unde et ipse eadem charitate omnibus gentium servivit Ecclesiis. Salvator quoque formam servi accepit, ut serviret discipulis suis, et pedes eorum lavit (*Joan.* xiii). Hoc interest inter Gentium principes et Christianorum, quod illi dominantur subditis, nos servimus, et in eo majores sumus, si minimi omnium fuerimus. Sed et hoc quod ait : *In timore Christi*, sic accipiendum, ut ipsa subjectio non propter hominum gloriam, **654** sed propter timorem Christi fiat, dum illum timemus offendere. Alius vero sic interpretabitur : *subjecti invicem in timore Christi :* ut hanc sententiam generalem in consequentibus dividi dicat atque partiri : *Mulieres viris suis subditæ sint;* et : *Filii, obedite parentibus;* et : *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore :* ut non solum uxor viro, et filii parentibus, et servi dominis; sed etiam viri mulieribus, juxta officium quod præceptum est : et patres filiis, ne illos ad iracundiam provocent : et domini servis, ut remittant minas, et præbeant his quæ habent necessaria, invicem sint subjecti : et hoc ex Christi timore faciant : ut quomodo servis suis fuit ille subjectus : sic et hi qui majores videntur, subjiciantur minoribus suis reddendo officia quæ jubentur. Possumus hic timorem et pro εὐλαβείᾳ, id est, *reverentia* accipere, quæ magis vicina est charitati. Nequaquam enim convenit Ephesiis, ut timore quid faciant, et non dilectione Christi.

(Vers. 22, 23.) *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino : quoniam vir caput est mulieris, sicut et Christus caput Ecclesiæ.* Hoc quod in Latinis exemplaribus additum est, *subditæ sint*, in Græcis codicibus non habetur : siquidem ad superiora refertur, et subauditur : *Subjecti invicem in timore Christi*, ut ἀπὸ κοινοῦ resonet subjectæ, *et mulieres viris suis sicut Domino.* Sed hoc magis in Græco intelligitur, quam in Latino. Quomodo itaque Christo subjecta est Ecclesia : sic subjecta sit uxor viro suo. Quem enim habet principatum et subjectionem Christus et Ecclesia, huic eidem ordini maritus et uxor astringitur. Sed videndum, ut quomodo in Christo, et in Ecclesia sancta conjunctio est : ita et in viro et in muliere sancta sit copula. Sicut autem non omnis congregatio hæreticorum Christi Ecclesia dici potest, nec caput eorum Christus est : sic non omne

[a] Vetus hæc damnataque licet a Patribus consuetudo viget hodie in ecclesiis nostris, ubi audiuntur theatrales moduli et dulcia cantica, quæ de domo Dei scenam faciunt populorum convenientium ad mulcendas aures vocibus et modulis tragœdorum, quos vulgo *l'Opéra* vocant.

matrimonium quod non viro suo secundum Christi præcepta conjungitur, rite conjugium appellari potest, sed magis adulterium. Alias autem subjicitur uxor viro ut domino : quia ad ipsum conversio ejus est, et ipse illius dominabitur (*Gen.* III). Nam et Sara dominum vocabat Abraham (*Gen.* XVIII). Quæ spontanea servitus, quanto magis fuerit voluntate subjecta, tanto esse incipit coæqualis : quinimmo, obsequiis suis in servitutem **655** redigere dominantem. Quidam hunc locum secundum anagogen ita interpretantur, ut dicant uxorem in corpore, virum accipi in animo. Et sicut Christo subjecta est Ecclesia : ita corpora subjici debere sensui, et in unum spiritum redigi , si Domino fuerint copulata. *Qui enim adhæret Domino, unus spiritus est* (I *Cor.* VI, 17).

Ipse est Salvator corporis. Quoniam propinquior atque inferior est a substantia Christi natura Ecclesiæ, propterea eam corpus Christi æstimo nominatam : cujus corporis Salvator est Christus Jesus, id est, Verbum , sapientia, cæteræque virtutes in quibus intelligitur Filius Dei. Quære curiosius, sicubi in divinis voluminibus potueris invenire, vocabulum carnis pro Ecclesia positum. Si quidem nunc nequaquam caro, sed corpus Christi appellatur Ecclesia. Porro manifestum quod quidquid caro est, consequenter et corpus sit : non autem quidquid corpus, hoc consequenter et caro.

(Vers. 24.) *Sed ut* [Al. *sicut*] *Ecclesia subjecta est Christo : ita et mulieres viris suis in omnibus.* Ecclesia Christi gloriosa est, non habens maculam neque rugam, aut quid istiusmodi. Qui ergo peccator est, et aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subjectus dici. Possibile autem est, ut quomodo Ecclesia quæ prius rugam habuerat et maculam, in juventutem et munditiam postea restituta est, ita et peccator currat ad medicum (quia non habent opus sani medico (*Luc.* V), sed male habentes) et curentur vulnera ipsius, et fiat de Ecclesia quæ corpus est Christi. Satis quoque eleganter, et caute ad Ephesios loquens ait. *Ut Ecclesia subjecta est Christo : ita et uxores viris suis.* Si enim ita uxor subjicienda viro est, ut Christo Ecclesia, inter virum et uxorem erit sancta conjunctio, et numquam corporis servient passionibus. Quod si nobis aliquis illud quod ad Corinthios scribitur opposuerit : virum uxori debitum reddere, et uxorem viro (I *Cor.* VII), animadvertat magnam inter Corinthios et Ephesios esse distantiam. Illis quasi parvulis atque lactentibus scribitur, in quibus erant dissensiones et schismata, et audiebatur fornicatio qualis ne inter gentes quidem : et propterea eis conceditur, ut post orationem ad idipsum redeant, ne tententur a Satana : licet et ibi in consequentibus, non juxta voluntatem, sed juxta **656** συγκατάβασιν se eis dicat ignoscere. Ephesii vero, apud quos fecit triennium, et omnia eis Christi aperuit sacramenta, aliter erudiuntur : et habet unusquisque arbitrii liberam potestatem, vel Corinthios sequi, vel Ephesios : et salvari aut servitute Corinthii, aut Ephesii libertate. *Væ*, inquit Salvator, *prægnantibus, et lactantibus in die illa* (*Luc.* XXXI, 25), hoc est, judicii, quæ utique proprie opera nuptiarum sunt. Unde omni labore nitendum , ut magis Ephesios quam Corinthios æmulemur : nec deprehendamur quasi in diluvio ementes, et vendentes, nubentes et matrimonio copulati ; sed accinctis lumbis lucernas teneamus in manibus (*Matth.* XXIV).

(Vers. 25 seqq.) *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret : mundans* [Al. additur *eam*] *lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Quamvis sui invicem maritus et conjux amore teneantur (qualis illa uxor memoratur Haedrubalis, quæ, capto viro, in patriæ se jecit incendium, et cæteræ quæ viris mortuis supervivere noluerunt) numquam tamen dilectionem illam vir sapiens dilectioni Christi et Ecclesiæ comparabit. Sanctus igitur hic intelligendus est amor, quo et Isaac dilexit uxorem suam *Rebeccam* (*Genes.* XXIV), quæ interpretatur *patientia* : et de terra Mesopotamiæ, quæ sæculi hujus ex omni parte fluctibus cingitur, in terram eam repromissionis induxit, ut consolaretur pro morte matris suæ. Interitum quippe Synagogæ, conjunctione Ecclesiæ temperavit. Ista dicentes occasionem hæreticis damus qui omnes omnino nuptias repudiandas putant : et hoc vel maxime utuntur testimonio. Quibus brevibus [*Al.* breviter] respondendum, passiones hic et immunditiam, et luxuriam ab Apostolo inter maritum et uxorem vetari , non sanctam conjunctionem : alioquin si conjugium omnino prohibebat, quid necesse fuit dicere, *uxores vestras* : cum potuerit dicere : Viri, diligite mulieres, vel uxores. *Vestras* enim proprie matrimonium sonat. Et rursum in sequentibus : *et viri debent diligere uxores suas, sicut sua corpora* : et adhuc manifestius : *Qui uxorem suam diligit, seipsum diligit : Nemo enim unquam suam carnem odit ; sed nutrit et fovet eam* : quia secundum edictum Legis antiquæ, et instaurationem Evangelii, **657** maritus et uxor una caro efficiuntur. Liberorum ergo, ut diximus, in matrimonio opera concessa sunt. Voluptates autem quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in uxore damnatæ. Hoc legens omnis vir, et uxor intelligant, sibi post conceptum, magis orationi quam connubio serviendum. Et quod in animalibus et bestiis ipso naturæ jure præscriptum est, ut prægnantes ad partum usque non coeant, hoc in hominibus sciant arbitrio derelictum, ut merces esset ex [*Al.* ea] abstinentia voluptatum. Quia vero secundum tropologiam, viros animas, et uxores corpora dixeramus, sic diligat anima carnem [*Al.* corpus], quomodo Christus Ecclesiam, ut semetipsam tradat pro salute ipsius, et eam sanctificet verbo doctrinæ, ut exhibeat sibi eam non habentem maculam aut rugam aliquam vetustatis : maxime cum sciat illam in resurrectione salvandam, et visuram esse salutare Dei. Talis vir caput

habet Christum : et cum propter salutem carnis se humilians, factus fuerit cum uxore sua una caro, retrahit eam ad spiritum, et Domino copulatus, caro esse desistit. Pulchre quoque maculam aut rugam, quia de conjugio loquebatur, de exemplo mulierum ad decorem traxit Ecclesiæ. Sicut enim solent in mulierum corporibus vel sordere nævi, vel ruga contrahi, vel lentigo variari : et hoc est omne studium feminarum, ut quod fœdare videtur abstergant, et exhibeant maritis corporum venustatem : ita et animæ omni peccatorum sorde purgandæ sunt, ut ruga veteris hominis [a] juventa tendatur, et renovetur in novum hominem de die in diem.

(Vers. 28.) *Ita et viri debent diligere uxores suas sicut sua corpora.* Et in Genesi ex persona loquentis B Adam scriptum est : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro ex carne mea* (*Gen.* II, 23). Et idipsum in Evangelio, Domino postea dicente, firmatur : *Qui creavit ab initio, masculum et feminam fecit eos, et dixit : Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Marc.* XIX, 4, 5). Cum igitur vir et uxor una caro sint : **658** ita uxoribus ut nostris corporibus providendum. Nemo autem corpus suum turpiter amat, aut semetipsum propter coitum diligit; sed quasi vasculum animæ suæ fovet corpus et nutrit, ne fracto vase, id quod continebatur, effluat, et erumpat. Nec non et juxta litteram, quamdiu mulier partui servit et liberis, hanc habet ad virum differentiam, quam corpus ad animam. Sin autem Christo magis voluerit servire quam C sæculo, mulier esse cessabit, et dicetur vir, quia omnes in perfectum virum cupimus occurrere. Quod si ad tropologiam et hæc referimus, amabimus nostrum corpus, et corporis sensus, vilioris quidem conditionis ab animo, sed per quos ad mentem bonarum artium, et virtutum transeant disciplinæ.

(Vers. 29.) *Qui uxorem suam diligit, seipsum diligit : nemo enim umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam.* Quantum ad simplicem intelligentiam pertinet, sancta inter virum et uxorem charitate præcepta, nunc jubemur ut nutriamus, et foveamus conjuges, ut scilicet eis victum atque vestitum, et ea quæ sunt necessaria præbeamus. Sed [b] opponi nobis potest, quod non sit vera sententia dicentis Apostoli : *Nemo enim* D *umquam carnem suam odit*, cum morbo regio laborantes, et ptysi, et cancere, et distillationibus, mortem vitæ præferant, et sua oderint corpora. [c] Magis A itaque ad tropicam intelligentiam sermo referatur, et dicamus, quod illam carnem quæ visura sit salutare Dei, anima diligat, et nutriat et foveat, eam disciplinis erudiens, et cœlesti saginans pane, et Christi sanguine irrigans, ut refecta et nitida possit libero cursu virum sequi, et nulla debilitate, et pondere [*Al.* nullo debilitatis pondere] prægravari. Pulchre etiam in similitudinem Christi nutrientis, et foventis Ecclesiam, et dicentis ad Jerusalem : *Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* animæ quoque foveant corpora sua, ut corruptivum hoc induat incorruptionem, et alarum levitate suspensum, **659** in aerem facilius elevetur. Foveamus igitur et viri uxores, et animæ nostra corpora, ut et uxores in viros, et corpora redigantur in animas. Et nequaquam sit sexuum ulla diversitas : sed quomodo apud angelos non est vir et mulier : ita et nos, qui similes angelis futuri sumus, jam nunc incipiamus esse quod nobis in cœlestibus repromissum est.

(Vers. 30.) *Quoniam membra sumus corporis ejus, ex carne ejus, et ex ossibus ejus.* Quia membra sumus corporis Christi, et Christus nutrit et fovet Ecclesiam : ideo et nos nutrimus, et fovemus carnem nostram, quam nemo umquam odio habuit. Membra autem sumus corporis Christi : non secundum naturam divinitatis æternæ, sed juxta id quod hominem est dignatus assumere. Quamquam et homo ipse qui assumptus est, habeat naturam nostrorum corporum, sed non habeat originem. Nos enim ex humano semine coagulamur : ille de Spiritu sancto natus est. Potest autem et aliter dici : Quoniam corpus Christi Ecclesiæ est, et Ecclesia de cunctis credentibus congregatur, Paulus et Ephesii membra sunt corporis, id est, Ecclesia Christi.

(Vers. 31.) *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et erunt duo in carne una.* Quod frequenter annotavimus, apostolos et evangelistas non eisdem verbis usos esse, Testamenti veteris exemplis, quibus in propriis voluminibus continentur, hoc et hic probamus : siquidem testimonium istud ita in Genesi scriptum est : *Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24). Nunc autem Apostolus pro eo quod ibi habetur, ἕνεκεν τούτου, id est, *propter hoc*, posuit ἀντὶ τούτου, quod Latine aliis verbis dici non potest : deinde pro *patre suo et matre sua*, pronomina abstulit, et *patrem* tantum posuit *et matrem* : et quod in medio dicitur, *et adhærebit*

[a] Ita legit codex manuscriptus Regius quem secuti sumus. Cluniacensis pervetustus hanc retinet lectionem : *Ut ruga veteris hominis in venustate tendatur.* Unde fluxerit in editiones Erasmi et Mariani, *in juventute tendatur*, nequaquam possum conjicere. MART. — Martianæus, *inventa*, ex Regio quodam ms. reposuit, sicque omnino retinendum contendit, antiquis editionibus, quæ præferebant, *in juventute*, repudiatis. Nos, *juventa*, rescripsimus, sic exigente contextu : nec erit, opinor, qui non statim intelligat, quod temere Martianæus locum hunc depravarit.

[b] Hanc ab Origene proponi quæstionem, fatetur Hieronymus Apologiæ lib. I, num. 30, ac se *ex ejus persona* tacito nomine, hæc dicere.

[c] Hæc vero probare mavult : *Statim*, inquit, *quia ipse sentirem adjunxi : Magis itaque ad tropicam intelligentiam referatur. Quando dico*, Tropicam, *doceo verum non esse quod dicitur; sed allegoriæ nubila figuratum. Ponamus tamen ipsa verba, quæ in Origenis libro tertio continentur : Dicamus quod illam carnem, quæ visura sit*, etc., ad finem usque sectionis.

uxori suæ, hic penitus prætermisit, et tantum quod A sequebatur hoc dictum, superioribus copulavit, et posuit, *et erunt duo in carne una*. Hoc autem totum nunc idcirco observavimus, ut etiam in cæteris locis, sicubi testimonia quasi de prophetis, et de veteri Testamento ab apostolis usurpata sunt, et in nostris codicibus non habentur, nequaquam statim ad apocryphorum ineptias, et **660** deliramenta curramus, sed sciamus scripta quidem ea esse in veteri Testamento, sed non ita ab apostolis edita, et sensum magis usurpatum: nec facile nisi a studiosis posse ubi scripta sint, inveniri. Igitur ad exhortationem mutui affectus inter uxorem et virum, Adam et Evæ sumpsit exemplum. Ut quomodo costa tollitur de Adam, et ædificatur in conjugem: et ipsa rursum conjux in unam viri carnem redigitur: quia qui B uxorem diligit, seipsum diligit: sic et nos nostras amemus uxores. Idipsum autem per allegoriam in Christo interpretatur, et in Ecclesia: ut Adam Christum, et Eva præfiguraret Ecclesiam. Factus est enim novissimus Adam in spiritum vivificantem (I *Cor.* XV). Et quomodo de Adam et uxore ejus omne hominum nascitur genus: sic de Christo et Ecclesia omnis credentium multitudo generata est. Quæ unum Ecclesiæ corpus effecta, rursum in latere Christi ponitur, et costæ locum replet, et unum viri corpus efficitur, ipso Domino id in Evangelio postulante: *Pater, da, ut quomodo ego et tu unum sumus: sic et ipsi in nobis unum sint* (*Joan.* XVII, 21). Interrogemus Marcionem qua consequentia locum istum qui de veteri usurpatus est Instrumento, in Christum C et in Ecclesiam interpretari queat, cum juxta illum Scriptura vetus omnino non pertineat ad Christum.

(Vers. 32.) *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo et in Ecclesia*. Non, ut plerique existimant, omnis historia quæ de Adam et de Eva in Genesi scripta est, ad Christum et ad Ecclesiam facile referri potest, sed tantummodo quod in præsenti loco ponitur, id est: *Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una*. Primus enim homo, et primus vates Adam, hoc de Christo et Ecclesia prophetavit: quod reliquerit Dominus noster atque Salvator Patrem suum Deum, et matrem suam cœlestem Jerusalem, et venerit ad terras propter suum D corpus Ecclesiam, et de suo eam latere fabricatus sit, et propter illam Verbum caro factum sit. Et quia non omnia æqualia sacramenta sunt, sed est aliud sacramentum majus, et aliud minus: propterea nunc dicit: *Sacramentum hoc magnum est:* simulque humilitatis ejus indicium est inferentis: *Ego autem dico* **661** *in Christo et in Ecclesia*. Gregorius Nazianzenus, vir valde eloquens, et in Scripturis apprime eruditus, cum de hoc mecum tractaret loco, solebat dicere: Vide quantum istius capituli sacramentum sit, ut Apostolus in Christo illud, et in Ecclesia interpretans, non se ita asserat, ut testimonii postulabat dignitas, expressisse: sed quodammodo dixerit: Scio quia locus iste ineffabilibus plenus sit sacramentis, et divinum cor quærat interpretis. Ego autem pro pusillitate sensus mei, in Christo interim illud, et in Ecclesia intelligendum puto: non quo aliquid Christo et Ecclesia majus sit; sed quod totum quod de Adam et de Eva dicitur, in Christo et in Ecclesia interpretari posse, difficile sit.

(Vers. 33). *Verumtamen et vos singuli unusquisque suam uxorem sicut se diligat*. Æstimet aliquis eamdem inter maritum et uxorem juberi ab Apostolo charitatem, quæ in proximum præcepta est: sic enim scriptum est: *Diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Levit.* XIX, 18), et nunc dicitur: *Unusquisque suam uxorem sicut se diligat*. Ergo eadem in proximum et in uxorem charitas erit. Quod si proximus, juxta interpretationem Salvatoris, omnis homo est homini: nulla ergo erit inter uxorem et quorumlibet hominum dilectionem differentia charitatis, quod dicere valde absurdum est. In proximo enim similitudo ponitur, ut sic eum diligas sicut te, et cupias esse salvatum. In uxore autem comparationis adverbium, *sicut*, non similitudinem, sed approbationem et confirmationem, cum quodam pondere sonat. Quomodo dicimus de viro: quasi vir fecit, et de Salvatore scriptum est: *Vidimus gloriam ejus, quasi gloriam unigeniti* (*Joan.* I, 14). Non quo ipse Salvator gloriam habuerit ad comparationem alterius unigeniti: ipse est enim unigenitus. Et unigenitus si et alter fuerit, unigenitus non potest appellari. Unde alterius unigeniti non indigebat exemplo: sed quasi unigenitum, hoc est, ut semetipsum decebat gloriam habere, possedit. Hoc idem et septuagesimi secundi psalmi, juxta Græcos tamen, exordium sonat: ὡς ἀγαθὸς ὁ Θεὸς τῷ Ἰσραὴλ τοῖς εὐθέσι τῇ καρδίᾳ, quod a nostris translatum est: *Quam bonus Deus Israel rectis corde* (*Psal.* LXXII, 1)! Alioquin juxta Græcos ὡς, id est, *sicut*, similitudinem magis videtur, quam firmitatem significare **662** dictorum, si non ut confirmationem audieris, sed quasi [*Al. tacet* quasi] exemplum. Simul et hoc attendendum, quod vir diligere jubetur uxorem, mulier vero timere virum. Congruit enim viro dilectio, mulieri timor: servo vero non solum metus, sed et tremor jungitur. Unde et in consequentibus ait: *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore*.

Mulier autem ut timeat virum. Si in Deum metus propter timorem supplicii, non sinit eum qui metuit esse perfectum; quanto magis imperfecta erit mulier, non solum Deum, sed etiam virum metuens? Propter quod requirendum, an carnaliter uxor intelligenda sit, et uxoris timor: cum frequenter multo meliores maritis inveniantur uxores et eis imperent, et domum regant, et educent liberos, et familiæ teneant disciplinam: illis luxuriantibus et per scorta currentibus. Hæ viros suos utrum regnare debeant, an timere, lectoris arbitrio derelinquo. Quod si juxta allegoriam, ut supra diximus, uxor in corpore accipitur, vir in animo, nihil incongruum est timere

eam ut ancillam virum, in secundo gradu et in viliori substantia constitutam. Animi quippe, ut ait Crispus, imperio, corporis servitio magis utimur. Qui vero simplicem intelligentiam mulieris sequitur et mariti, duas significantias in verbo timoris esse monstrabit. Et dicet una de qua Joannes ait : *Qui timet, pœnam habet, et qui timet, non est perfectus* (I *Joan.* IV, 18). Juxta quam et servi spiritum servitutis habent in timore, quem exiguntur a Domino dicente ad eos : *Et si pater sum ego, ubi est gloria mea : et si dominus sum ego, ubi est timor meus* (*Malach.* I, 6) ? Alteram vero quæ apud philosophos nominatur εὐλάβεια, et apud nos, licet non plene sonet, *reverentia* dici potest. Scit quoque et prophetes perfectorum timorem, quem qui timuerit, perfectus est, in tricesimo tertio psalmo dicens : *Non est inopia timentibus eum* (*Psal.* XXXIII, 9). Potest igitur uxori simpliciter intellectæ hic imperari metus, ut timeat, hoc est, revereatur virum suum.

(Cap. VI. — Vers. 1.) *Filii, obedite parentibus vestris in Domino : hoc enim est justum. Honora patrem tuum et matrem tuam* (*quod est mandatum primum in promissione*) *ut bene sit tibi, et longævus sis super terram.* Ambigue dictum, utrum in Domino parentibus **663** suis filii debeant obedire, an certe parentibus suis filii obediant in Domino. Quod utrumque faciendum, ut et his parentibus qui nos in Domino genuere, qualis fuit Paulus et apostoli, obediamus et ea faciamus quæcumque præceperint, et parentibus nostris, de quibus secundum carnem nati sumus, obtemperemus in Domino, implentes ea quæ non sunt Domini contraria voluntati. Simulque et hæreticos coarctabimus, nolentes vetus Testamentum esse Dei boni, cujus filius Christus sit. Qua ratione Apostolus Christi, boni Dei filii, Scriptura Creatoris utatur, et obedientiam filiorum de veteri Lege præsumat. Quod testimonium de Exodo sumptum, ita ibi contexitur : *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut bene sit tibi, et sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi* (*Exod.* XX, 12) : de quo nunc ultima verba subtraxit, quod mandatum in Decalogo quintum est. Unde quærendum quare nunc dixerit, *quod est mandatum primum :* cum primum mandatum sit : *Non erunt tibi dii alii præter me.* Quamobrem nonnulli ita legunt, *quod est mandatum primum in promissione :* quasi quatuor alia mandata, quæ ante dicta sunt, non habeant promissiones, et in hoc solo pollicitatio feratur adjuncta, *ut bene sit tibi, et sis longævus super terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Sed videntur mihi non observasse subtilius, et in secundo mandato repromissionem esse sociatam. Ait enim : *Non facies tibi idolum, neque omnem similitudinem eorum quæ in cœlo sursum, et quæ in terra deorsum, et quæ in aquis*

A *subtus terram : non adorabis ea, et non immolabis illis : Ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus zelotes, qui reddo peccata patrum in filios usque ad tertiam et quartam generationem, his qui me oderunt, et facio misericordiam in millia his qui diligunt me, et custodiunt mandata mea* (*Exod.* IV, 5). Observa enim quod verba sint sponsionis : *Faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, et custodiunt mandata mea.* Forsitan ergo quia Decalogus exeunti de Ægypto populo, prima Lex data est, unumquodque mandatum Decalogi, primum **664** mandatum est appellandum, ad comparationem eorum præceptorum, quæ postea in Lege conscripta sunt. Qui vero expositionem superiorem tenere conabitur, in eo quod distinxerat, *quod est mandatum primum in repromis-*

B *sione*, dicet separatim esse mandatum : *Honora patrem tuum et matrem tuam :* et postea repromissionem suo loco positam, *ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* In hoc vero mandato, id est : *Non facies tibi idolum, neque omnem similitudinem*, non seorsum, sed sub uno textu atque sermone, non tam promissionem datam, quam sententiam in laudes Dei esse finitam, facientis misericordiam in millia his qui eum diligunt, et custodiunt mandata ejus. Rursum is qui tota Decalogi mandata, primum mandatum esse contendit, repromissionem in qua scriptum est : *ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi*, non solum ad eos pertinere monstrabit, qui parentibus obsequantur : sed etiam ad alia innumerabilia præ-

C cepta ; et necesse habebit cuncta replicare mandata, in quibus merces hæc et præmium promittantur, ut sint longævi super terram, quam Dominus Deus suus dederit eis. A quo diversus ille exigere debebit interpres, ut doceat ante hoc mandatum, illa quæ ab eo prolata sunt, scripta esse mandata. Quod si non potuerit approbare, frustra et in aliis præceptis hanc repromissionem adjunctam esse memorabit. Post hæc retractandum, pro honore patris et matris, non Judaicum et carnale esse promissum, ut longævi sint filii super terram, quam Dominus Deus suus dederit eis. Multos enim fuisse credendum, qui et parentibus obsequentes cito mortui sint, et in parentes impii usque ad extremam venerint senectutem. Respondeant enim Judæi et similes Judæorum,

D si vitæ istius longitudo est in repromissis, et diu in corpore permanere felicitas est, quid sibi vult illud in Psalmis : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est ! habitavi cum habitantibus Cedar* (*Ps.* CXIX, 7). Et hoc Salomonis in Ecclesiaste : *Laudavi ego* [a] *omnes mortuos qui olim mortui sunt, super viventes qui vivunt usque in præsens :* **665** *et melior est super hos duos, qui necdum natus est, et non vidit omne opus malum quod factum est sub sole* (*Eccles.* IV, 2, 3) ; et post paululum : *Si*

[a] Voculam, *omnes*, ipsemet Hieronymus minime novit in Commentariis in hunc librum, ubi se tamen Septuaginta interpretum consuetudini magis coaptavit. Factum quoque videtur scribarum errore, quod in Vaticano ejus versionis exemplari sit. Fraudi autem fuerit Aquilæ versio, qui cum κακοζήλως Hebræum articulum את, Græce redderet σὺν adeoque, σὺν τοὺς τεθνηκότας, refuderit, ut in Ale-

genuerit vir centum [a], *et annos plures vixerit, et multi fuerint dies annorum ejus, et anima illius repleatur bonis, et sepultura non sit ei : dixi melius est super eum abortivum, quia in vanitate venit, et in tenebris nomen ejus operietur : et quidem solem non vidit* (*Ibid.*, 6), et cætera. Si enim laudantur super vivos mortui (et juxta quosdam qui, antequam in corpora ista descendant, animas degere in cœlestibus arbitrantur, melior esse dicitur duobus, qui necdum natus est, et omnis ista vita tentatio est; et secundo Job : *Mors viri* [Al. *vitæ*] *requies* (*Job* III, 13) : et juxta eumdem et Jeremiam, Maledicta est dies in qua nascimur (*Jerem.* XX, 14), quomodo nunc repromittitur honorantibus patrem et matrem quod longævi sint super terram, quam Dominus Deus suus dederit eis? Quærenda est ergo terra, quam Dominus repromittit et tribuit his qui spiritualem Ægyptum reliquerint, et cum omni patientia, magna et terribilia vitæ istius deserta transierint, et vicerint reges magnos, quos percutit Dominus : et transierint in Judæam quæ lacte et melle fluit, et sub Jesu duce, Jericho corruente, atque vastata Hai, quæ interpretatur, *abruptum*, Jerusalem venerint, et ædificetur eis templum sub Salomone rege pacifico (*Jos.* VI, 8), et possideant terram, quæ mansuetis est præparata : *Beati* quippe *mites : quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* V, 4), quæ vere est terra viventium, Psalmista quoque dicente : *Credo videre bona Domini in regione viventium* (*Ps.* XXVI, 13). Hujus vitæ longitudinem et sapientia habet in manu dextera, in sinistra tenens divitias et gloriam.

(Vers. 4.) *Et patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros : Sed educate illos in disciplina et conversatione Domini.* Peccatum filiorum est non obedire parentibus, et quia poterant parentes aliquid imperare perversum, adjunxit, *in Domino*. Peccatum vero parentum, **666** parvulos filios atque lactentes ad iracundiam provocare, aut certe jam adolescentibus et maturioris ætatis, ea imperare quæ gravia sunt. Sicut igitur in filiis obsequium, et subjectionis merces est demonstrata : ita parentibus moderatum jubetur imperium, ut non quasi servis, sed quasi filiis præesse se noverint. Nec hoc præcepti fine contentus est; sed et illud adjunxit : *Educate illos in disciplina et correptione Domini.* Quam correptionem nos legimus, melius in Græco dicitur νουθεσία, quæ *admonitionem* magis et *eruditionem* quam *austeritatem* sonat. Legant episcopi atque presbyteri, qui filios suos sæcularibus litteris erudiunt, et faciunt comœdias legere [b], et mimorum turpia scripta cantare, de Ecclesiasticis forsitan sumptibus eruditos : et quod in corbonam pro peccato virgo vel vidua, vel totam substantiam suam effundens quilibet pauper obtulerat, hoc [c] kalendariam strenam, et Saturnalitiam sportulam et Minervale munus Grammaticus, et Orator, aut in sumptus domesticos, aut in templi stipes, aut in sordida scorta convertit. Eli sacerdos ipse sanctus fuit, sed quia filios suos non erudivit in omni disciplina et correptione, supinus cecidit, et mortuus est (I *Reg.* II). Non enim poterat ad priora extendi, sed retrorsum ruit, et [d] opisthotono insanabili lapsus in tergum, ad Sodomam cum Lot uxore respexit. Et certe corripuerat filios suos, dicens : *Quare facitis verba hæc quæ ego audio de vobis mala ab omni populo? Nolite, filii mei : quoniam non est bona fama, quam ego audio de vobis* (I *Reg.* II, 23, 24). De istiusmodi patribus et Isaias lacrymabili voce causatur, dicens : *Et filii alienigenarum nati sunt eis* (*Isai.* II). Quod si hoc Ephesiis laicis, et plerisque, ut in populo solet, vitæ hujus negotiis occupatis, præcepit, ut filios suos erudiant in omni disciplina, et admonitione Domini : quid de sacerdotibus æstimandum est, de quorum

xandrino est codice, Vaticani exscriptor pro σὺν τοὺς, quas voces nihil esse arbitratus est, fecerit σύμπαντας, indeque derivatæ interpretationes Latinæ, *omnes*. Cæterum nec Hebræus, nec Vulgatus interpres habent.

[a] Supplet Victorius, *filios*.

[b] Aliter legit olim Abælardus in Theologiæ Christianæ libris, *et amorum turpia scripta*, etc., pro *et mimorum*, etc.

[c] Hunc locum non satis intelligentes Erasmus et Marianus diverse depravant; Erasmus addendo præpositionem *in* ante *kalendarium strenant*, et Marianus mutando, *aut in templi stipes* : legit enim. *aut in sumptus domesticos, templi stipes*. Mss. codices retinent puram lectionem quam nos edidimus, cujus hic est sensus : Legant ista episcopi et presbyteri qui filios suos de ecclesiasticis sumptibus forsitan eruditos tradunt grammaticis gentilibus, et videant ne quod virgo vidua, vel pauper obtulit, hoc grammaticus et orator accipiens pro kalendaria strena, et Saturnalitia sportula, etc., convertat in sumptus domesticos aut in deorum suorum templi stipes, et denique in sordida scorta. Kalendaria porro strena, aut Saturnalitia sportula, sicut et Minervale munus, antiquitus munera erant data præceptoribus, in kalendis Januarii, et in festis diebus Saturni et Minervæ. Tiberius imperator prohibuit edicto strenarum commercium, ne ultra kalendas Januarias exercerentur. Vide Sueton. in Tiberio. MART.

Notum, kalendarium strenam illud esse munus, quod boni ominis gratia initio dabatur anni. Suetonius in Caio, cap. 42 : *Edixit strenas ineunte anno se recepturum, stetitque in vestibulo ædium kalendis Januarii, ad captandas stipes.* Hujusmodi et Saturnalitia erat sportula, quæ tamen ad Decembrem mensem pertinebat : Minervale autem proprie illud erat munus, quod magistris discipuli persolvebant. Pro eo quod mox sequitur, *aut in templi stipes*, et Martianæus de idolorum templis explicat, Victorius ratus de templis dici Christianorum, vocula, *aut in*, sublatis, commodius sane, si mss. suffragarentur, locum restituit, ut sensus esset, presbyteris templi stipes dare grammaticis ethnicis, qui aut in sumptus domesticos, aut in sordida scorta converterent.

[d] In epist. 147 ad Sabinianum, ubi hanc vocem nos primum restituimus : *Heli dum nimium est lenis in filios, offendit Deum; tantumque abest, ut te valeat episcopi tui justitia liberare, ut timendum sit, ne propter te de solio suo corruens,* ὀπισθοτόνῳ, *peccatinsanabili.* Vide quæ nos ibi annotavimus.

ordine ad Timotheum scribit, dicens : **667** *Filios* A *habentem in obsequio, cum omni honestate* (I *Tim.* III, 4). Et idipsum ad Titum inculcat et repetit : *Filios habentem fideles : non in accusatione luxuriæ, aut non subditos* (*Tit.* I, 6, 7) : et quasi vitia filiorum parentibus imputentur, conjunctionem causalem interserens, ait : *Oportet enim episcopum sine crimine esse, tamquam Dei dispensatorem* (I *Tim.* III). Non est ergo sine crimine episcopus, cujus filius non fuerit subditus, et in accusatione luxuriæ.

(Vers. 5, seqq.) *Servi, obedite dominis carnalibus, cum timore et tremore, et simplicitate cordis vestri, sicut Christo : non ad oculum servientes, quasi omnibus placentes : sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo : cum fidelitate servientes sicut Domino, et non hominibus : scientes quod unusquisque* B *quod fecerit boni, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber.* Propheta loquente ad Jerusalem : *Qualis tu timuisti ab homine mortali, et a filio hominis* (*Isai.* LI)? et Petro in Epistola sua : *Timorem eorum ne timeatis : sed Dominum Jesum Christum sanctificate in cordibus vestris* (I *Petr.* III, 14, 15) : et Salvatore eadem concinente : *Nolite timere eos qui possunt occidere corpus, et plus non habent quod vobis faciant : sed timete eum qui potest et animam et corpus occidere in gehennam* (*Matth.* X, 28) : Salomone quoque paria testante . *Fili, honora Dominum, et confortaberis : præter illum autem ne timeas alium* (*Prov.* VII) : videtur Apostolus diversa præcipere ut servi cum timore et tremore obediant dominis carnalibus, et uxor [*Al.* uxori] ut timeat virum. At- C que qui simplicius respondebit, hæc dicet . non perfectis servis et eis qui sapientiæ secreta cognoverint hæc præcepta constituti, sed his qui principia habebant fidei, et doctrinis humilioribus indigebant. Alius vero asserat eum qui non habeat spiritum servitutis iterum in timore, nequaquam huic subjacere sententiæ, ut cum timore et tremore obediat dominis carnalibus, hoc idem et de uxore dicturus, quæ jubetur ut timeat virum. Porro tertius in hoc quoque loco, sicut in muliere, timorem pro reverentia dictum putabit : sed arctabitur ex eo quod additus est timori tremor. Potest enim uxori reverentia convenire, ut reverens timeat virum. Ubi autem tremor est, metus non sonabit reverentiam, sed timorem. Necessario itaque in D servis additum est, ut post timorem Domini habeant et tremorem, et ad distinctionem Domini spiritualis, nunc carnalis **668** dominus appellatur : ita ut servo quicumque crediderit in Deum, et necdum ad scientiæ summam pervenerit, non indecens sit domino servire carnali cum timore et tremore, in simplicitate cordis sui, et sic ei servire fideliter ut Christo. Non ad oculum serviens, ut hi faciunt qui hominibus placere desiderant, sed ut necessitatem in voluntatem vertat, et faciat de servitute mercedem : maxime cum dominus carnis a Domino spiritus diversa non imperet. Hoc est enim quod ait : *Non ad oculum servientes, ut hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei.* Sed et ipsam fidelitatem non coactam servos habeat, sed spontaneam et ex animo : sic serviens domino suo sicut Christo, a quo recepturus est fidelis præmium servitutis, non minus quam si liber voluntate servisset. Simul et hoc notandum, quod obedientiæ filiorum atque servorum diversa subjunxerit. Ad filios enim dicit : *Obedite parentibus vestris in Domino :* ad servos vero, *Obedite dominis carnalibus cum timore et tremore.* Et sicut inter servum et uxorem habet metus diversitatem : ita et inter filios et servos obedientia discreparet. Et pulchre imperans servis ut obediant dominis, adjecit, *quasi Christo :* et iterum, *ut servi Christi, facientes voluntatem Dei :* ut scilicet non audiat servus carnalem dominum, si contraria Deo præceptis voluerit imperare. Quomodo autem ad Corinthios secundum tempus rescripserat (I *Cor.* VII), ne per occasionem fidei in Christum inter maritos, et uxores divortia fierent, si e duobus unus credere voluisset : ita ad Ephesios et ad Colossenses, quia plurimi inter initia fidei putabant Gentiles dominos contemnendos, nunc conditionum moderate præcepta constituit : ut et servitia non videatur contra dominos concitare : et rursum nequaquam dominos doceat audiendos, si vitiosa et nefanda præcipiant.

(Vers. 9.) *Et domini, eadem facite ad illos, remittentes minas : scientes quia et ipsorum, et vester Dominus est in cœlis, et personarum non est acceptio apud eum.* Quænam sunt hæc quæ servis superius imperavit, ut diceret dominis eadem facienda quæ servis? Puto illa quæ dixerat, *in simplicitate cordis*, et, *facientes voluntatem Dei :* et, *ex animo :* et, *cum fidelitate* sive benevolentia in servos, quia εὔνοια utrumque sonare potest. **669** Unusquisque enim quod fecerit boni, hoc recipiet a Domino, sive famulus servierit, sicut dictum est, sive liber dominatus fuerit, ut oportet : ut non sit terribilis, non promptus ad [a] verbera : sciens quia et ipse habeat Dominum in cœlis, apud quem non est acceptio personarum, et qui solus tantum judicet voluntates, et juxta eas deteriori præferat meliorem, eligens facta, non homines.

(Vers. 10.) *De cætero confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus.* Scio in Græco pro virtute, fortitudinem positam, id est, ἰσχὺν : quia virtus apud eos ἀρετὴ appellatur. Sed hæc apud nos consuetudo est Scripturarum, ut indifferenter ἰσχὺν et ἀρετὴν, *virtutem* nominent : maxime quia fortitudo corporis virtus animi existimatur. Quamquam et apud philosophos inter quatuor virtutes fortitudo sit posita ; quam utique animi, et non corporis esse manifestum est. Quod igitur ait : *Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus*, totum sentitur in Christo, ut in omnibus virtutibus quæ super eo in-

[a] Vitiose penes Martianæum, *promptus ad verba.*

telliguntur, qui crediderint confortentur. Et prudenter post specialia mandata, quid viris et uxoribus, patribus et filiis, dominis et servis observandum sit, nunc generaliter omnibus in commune præcipit, ut in Domino et in ejus potentia confortati, præparent se adversum diabolum, de quo in consequentibus scribit.

(Vers. 11.) *Induite omnia arma Dei, ut possitis stare contra versutias diaboli.* Ex his quæ infra legimus, et his quæ in Scripturis omnibus de Domino Salvatore dicuntur, manifestissime comprobatur, omnia arma Dei quibus nunc indui jubemur [*Al.* jubetur], intelligi Salvatorem; ut unum atque idem sit dixisse, Induite vos omnia arma Dei; quasi dixerit, Induite Dominum Jesum Christum. Si enim cingulum veritas est, et lorica justitia est: Salvator autem et veritas, et justitia nominatur, nulli dubium quin ipse et cingulum sit et lorica. Itaque juxta hæc, ipse erit et præparatio Evangelii pacis, et scutum fidei, et galea salutaris, et gladius spiritus, quod est verbum Dei, et vivens sermo et efficax, et acutus super omnem gladium ex utraque parte acutum. Quæ autem alia arma Dei possumus existimare, quibus induendus est qui habet adversum diaboli dimicare versutias excepta virtute, quæ Christus est. **670** [a] Hunc enim qui juxta omnia quæ super eo intelliguntur, fuerit indutus, potens erit contra universas insidias diaboli repugnare, et secundum id quidem quod veritate præcinctus est, non facile ad falsitatis dogmata deducetur. Juxta hoc vero quod loricam indutus est justitiæ, iniquitatis jaculis non poterit perforari. Nec non cum calciatus fuerit calciamentis pulcherrimis in præparatione Evangelii pacis, quasi is qui præparavit in fine opera sua, et idcirco pacis homo factus est, nec bellicum aliquid, et tumultuosum agit, nec cum his qui imparati sunt, condemnabitur. Infidelitas quoque, quæ inimica est fidei, ubi scutum est fidei, nihil valebit. Caput etiam et principale cordis, et animæ in quo sensus omnes locati sunt, salutis galea circumdatum non quassabitur. Ad extremum quasi vir bellator et fortis, omnes sectas contrarias veritati concidet, interficiet, jugulabit, gladium spiritus, id est, verbum Dei, manu tenens. Volens ergo apostolus multimoda diaboli ingenia ostendere, quibus nos capere nitatur [*Al.* nititur], per ea loca in quibus non omni custodia servemus cor nostrum, μετοδείας ejus, id est, adinventiones vel versutias nominavit. Si enim abstinuerimus nos a corporum voluptate, parum cautos in avaritia capit. Quod si et avaritiam cum voluptate contemnimus, per luxuriam irrepit, et facit nobis ventrem esse deum, et per hanc etiam illa quæ fortia esse videbantur, expugnat. Et quomodo solent sapientes exercituum principes, ea vel ma-

A xime oppugnare urbium loca quæ parum munita sunt, ut cum per illa irruperint, facile munita capiantur; ita et diabolus per ea quæ patere videt, aut certe non firmiter clausa, quærit irrumpere, et ad ipsam arcem cordis et animæ pervenire. Et quid me necesse est de pluribus ejus insidiis dicere, cum ex his et cæteræ versutiarum ejus species cognoscantur? Diabolus autem, nomen Græcum est, quod interpretatur [b] *criminator*. Juxta Hebræi vero sermonis proprietatem, quia et tribus Zabulon quamdam similitudinem hujus vocabuli habet, καταρύων, id est, *deorsum fluens* dici potest, quod scilicet paulatim de virtute ad vitium fluxerit, et de cœlestibus ad terrena corruerit.

Quoniam non est nobis colluctatio adversus **671**
B *sanguinem et carnem; sed adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Non puto Paulum scribentem ad Corinthios dicere potuisse: Non est vobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, quibus ait: *Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Fidelis autem Deus, qui non permittet* [Al. *permittit*] *vos tentari supra id quod potestis* (I *Cor.* x, 13). Existimo quippe adversus carnem et sanguinem esse certamina, quæ ibi tentationes appellantur humanæ, quando caro concupiscit adversus spiritum, et provocat nos facere opera sua, fornicationem, immunditiam, luxuriam, idololatriam, inimicitias, contentiones, æmulationes, iras, rixas, dissensiones, hæreses, insidias, ebrietates,
C comessationes (*Galat.* v) et reliqua his similia. Porro non est humana tentatio, nec adversus carnem et sanguinem pugna, quando aut ipse Satanas transfiguratus in Angelum lucis, persuadere nititur, ut eum Angelum lucis arbitremur, aut aliquid horum simile facit, in omni virtute, signis et portentis mendacibus, in omni deceptione iniquitatis. Nam cum aliquem illaquearit inimicus ut recipiat se, et loquatur in eo, *hæc dicit Dominus*, non quasi caro et sanguis eum decipit, aut quasi humana tentatio, sed quasi principatus et potestas, rector tenebrarum et nequitia spiritualis (*Ephes.* iv). Quamobrem non demus locum diabolo, sed et si spiritus potestatem habentis ascenderit super nos, juxta quod scriptum est, locum non demus ei. Dicat quispiam hoc quod
D ait: *Non est nobis colluctatio adversus sanguinem et carnem, sed adversum principatus et potestates* (*Eccl.* x, 4), et cætera quæ sequuntur, ideo dici, ut doceamur, ne ea quidem quæ nobis ministrari vitia putamus ex carne, carnis esse vel sanguinis, sed a quibusdam spiritualibus nequitiis suggeri. Sunt enim quidam dæmones amoribus et amatoriis canticis servientes, ut Propheta quoque commemorat dicens: *Spiritu fornicationis* **672** *seducti sunt* (*Ose.* iv, 12). Nam et barbara quædam nomina eorum esse dicun-

[a] Iterum corrupte apud Martianæum, *Hic enim*, pro, *Hunc enim*, id est, *Christum*.

[b] Vide quæ hoc de nomine observamus col. 629, not. *b*. Diximus et alibi, juxta Æolicam pronuntiationem *Zabulum* a Veteribus dici pro Diabolo.

tur, ut sæpe confessi sunt hi quos vere vulgus maleficos vocat, et incantationes, et preces, et colores varii, et diversa vel metallorum genera, vel ciborum, ad quæ invocati assistere dæmones, et infelices animas capere memorantur. Alii vero iracundias, et furores, et bella committere : alii præesse inimicitiis, et inter homines odia concitare. Quia vult ergo, aiunt, Apostolus nos docere : non ex natura corporis, et de materia carnis et sanguinis, hæc vitiorum genera procreari, sed instinctu dæmonum; propterea ait : *Non est nobis colluctatio adversus sanguinem et carnem*, *sed adversus principatus et potestates*, et reliqua. Ideo autem nunc eorum qui magicis infelices artibus serviunt, et facere ista perhibentur, in medium exempla protulimus, ut retundamus eorum opinionem, qui putant omnia vitia esse carnis et sanguinis, et nullam habere dæmones potestatem, ut nos incitent ad peccatum. Talem luctationem [a] et Jacob putamus fuisse, quod scilicet non adversum carnem et sanguinem contenderit (*Genes.* XXXI), quando remansit solus, et luctabatur cum eo homo, adjuvans eum, et corroborans adversum alium, sudore nimio dimicantem. Et simul vide, ne forte ridiculi sint qui arbitrantur in ritum luctantium, tota Jacob nocte luctatum. Quid enim grande, si, ut illi aiunt, luctans aut superarit, aut victus sit? Sed juxta rationabilem et convenientem patriarchæ luctam, talem illi colluctationem fuisse credendum est, qualem hi habent qui possent dicere: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem.* Non necesse est totum nunc loci illius excutere sacramentum, cum in suo loco, si vixero, plenius disserendum sit. Quærimus autem (*Consule Quæstiones Hebraicas in Genesim*) ubi in veteri Testamento Paulus hæc legerit, aut qua auctoritate quæ minime scripta sunt, publicarit. Et conjicimus ex his quæ de præliis et singulari certamine, verbi

A **673** causa, David adversum Goliam, et filiorum Israel contra alienigenas, et cæteras gentes, scripta sunt in Lege, et Jesu, et libro Judicum, et Regnorum, et Paralipomenon, altius intellexisse Apostolum (I *Reg.* XVII) ; et spirituale bellum sensisse de carneo, quo pugnantes victi sint, sive superarint, et satrapas quidem uniuscujusque loci, supernarum fuisse indicia [*Al.* judicia] potestatum : reges autem gentium singularum, imagines eorum qui nunc rectores mundi, tenebrarumque dicuntur : malos vero homines spirituales nequitias in cœlestibus demonstrasse. Et videtur nobis Apostolus aliis verbis hæc dicere : O Ephesii, quæ de præliis Israelis adversum nationes legitis, videntur quidem carnem sonare vel sanguinem, verbi gratia, Ægyptiorum, Idumæorum, B Ammonitarum, Moabitarum, et gentium cæterarum : sed si vere vultis scire, cognoscite quia illa universa figuraliter contingebant illis (I *Cor.* X). Scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum decurrerunt, ut intelligamus ex illis, non esse nobis pugnam adversum carnem et sanguinem, sed adversus spirituales quasdam et invisibiles potestates, adversus rectores earum tenebrarum, quæ huic mundo incubant, et errorem hominibus incredulitatis offendunt, et adversum spiritualia nequitiæ, quæ habitant in cœlestibus : non quo dæmones in cœlestibus commorentur, sed quo supra nos aer, hoc nomen acceperit. Unde et aves quæ volitant per aerem, volucres cœli esse dicuntur. Nam et in alio loco de dæmonibus quod in aere isto vagentur, Apostolus ait : *In quibus* C *ambulastis aliquando juxta sæculum mundi istius, secundum* **674** *principem potestatis aeris spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ* (*Ephes.* II, 2). Hæc autem omnium [b] doctorum opinio est, quod aer iste qui cœlum et terram medius dividens, inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus. Post hæc retractandum, a quo principatus, et potestates, et

[a] Cave ne ex hoc loco asseras cum imperito Scriptore nupero Hieronymum sensisse Jacob luctatum fuisse cum dæmone, et vide Quæstiones Hebraicas in Genesim, ubi de luctatione illa plenius disseruit sanctus Doctor. MART.—Auctor est Procopius ad hunc Genesis locum, persuasum habuisse Veteres nonnullos, dæmonem exstitisse, qui sub Esau figura ac spoliis cum Jacobo luctatus est. Quam sententiam cum ex Hieronymo probari hic loci nuperus nescio quis Scriptor existimarit, imperitiæ accusatur a Martianæo, ab eoque plus satis vapulat. Et tamen si modo Hieronymi expendenda mens est, illum *alium sudore nimio dimicantem*, totus contextus quasi dæmonem repræsentat, quem contra *homo adjuvans eum et corroborans*, Angelus ex toto orationis sensu intelligitur, qui tulerit Jacobo laboranti suppetias. Quin etiam si ex aliorum sententiis putanda res sit, proxime ad eam expositionem plerique accedunt : et cum primis Rabbini, qui angelum ipsiusmet Esau cum Jacobo luctatum fuisse dicunt : et Origenes, qui lib. III *περὶ Ἀρχῶν* cum angelo quidem Jacobum luctatum putat, quem tamen non adversarium expertus sit; sed econtrario adjutorem habuerit contra dæmonem, a quo petebatur. Huic pressius sententiæ inhæret S. Pater.

[b] Victorius ait, vagari dæmones per hunc aerem, ad tentandos homines, supra quoque cap. II his verbis clarius aperit : *Princeps quippe aeris et spiritus potestatis, qui in aere isto est, diabolus intelligitur : qui nunc operatur in filiis diffidentiæ. In his enim, qui Domino credunt, non potest operari.* De quo et infra ait : *Non est nobis pugna adversus carnem et sanguinem ; sed adversus principatus et potestates, adversus rectores tenebrarum istorum, adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* D *Non quo diabolus et satellites ejus, qui per mundum istum vagantes peccata hominibus insinuant, in cœlo versari queant : de quo ob sua merita corruerunt : sed cœlum dicitur aer iste, qui supra nos est, juxta illud Salvatoris eloquium : Considerate volatilia cœli, et cætera.* Quamvis autem dæmones aliqui, ex inferno ad tentandos homines egressi, versentur in aere (qui tenebrosus et caligine plenus ad hoc ipsum illis debetur), habent tamen secum, quocumque perrexerint, inferni pœnas : quippe cum infernus ob sua demerita proprius eorum locus, et carcer sit : Sicut et bonis angelis non diminuitur gloria, propterea quod in ministerium et auxilium e cœlo ad nos mittantur : siquidem scriptum est : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Hoc autem eveniet usque ad diem judicii. Post illud enim tempus tam boni angeli omnes in cœlo, quam cuncti mali in inferno in perpetuum erunt. Et hoc modo exponendus est divus Hieronymus, quando alibi sub judicii diem, dæmones ex aere

rectores tenebrarum mundi, et spiritualia nequitiæ in cœlestibus, ut hoc sint, acceperint potestatem. Et quidem dicat alius, apostatam diabolum satellitibus suis diversa officia commisisse, et non esse harum distributionum auctorem Deum. Cui potest illud diligens lector opponere, et quomodo scriptum est : *Non est enim potestas, nisi a Deo* (*Rom.* XIII, 1)? Quod si de hominibus dicitur, quanto magis de his qui sunt subtilioris meliorisque naturæ? Nec statim qui hoc sentiat, blasphemiæ eum crimen incurrere : quia unusquisque juxta suam voluntatem diversa ministeria sortitus sit. Quomodo enim in urbibus eos qui aliquid commisere flagitii, videmus vel bestias alere, vel secare marmora, vel mundare spurcitias cloacarum, vel præesse gladiatoribus, et fundendo reorum sanguini destinari : ita et dæmones ex proprii arbitrii libertate, insidiarum, fraudum, scelerum, atque perjurii, et reliquam vitiorum provinciam esse sortitos, ut sint rectores tenebrarum, quia esse lucis principes noluerunt. Hi ergo rectores mundi atque tenebrarum, cum adversum aliquem colluctantes supplantaverint eum, fecerintque corruere, statim illum suo mundo et suis tenebris quibus principantur, annectunt. Ob quam causam fortius laborandum, ut qui semel audivimus : *Ego elegi vos de isto mundo : jam non estis* **675** *de isto mundo : si enim essetis de mundo, mundus quod suum esset, amaret* (*Joan.* XV, 19), non redeamus ad mundum, nec subjiciamur ei : sed crucifigatur nobis mundus, et nos ei, ut rector lucis, Jesus proprio mundo nos copulet, et sub Patris esse faciat ditione, erutos de spiritualis nequitiæ potestate, et de cœlo eorum quod transiturum est, nec Dei sedes appellari potest. Impium quippe est, ut spiritualia nequitiæ in cœlestibus, eum cœlum tenere credantur, de quo loquitur Deus : *Cœlum mihi thronus est* (*Isai.* LXVI, 1). Itaque qui intelligit quanta in isto mundo, nobis et præsentibus, et absentibus fiant : dum ea videre non possumus, sive propter corpus humilitatis nostræ hoc fragile atque terrenum, quo anima involvitur, sive quia carnalibus oculis subtilior natura non panditur : hic videbit quæ sint tenebræ quæ ab Apostolo nunc dicantur : quod scilicet aut tota vita ista terrena, tenebræ nuncupentur (lux quippe lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt (*Joan.* I, 5), aut animæ lumen et sensus, terrenum corpus, et corpus mortis, et humilitatis obumbret, operiat et obcæcet. Sciamus autem quod, excepto præsenti loco, nec in veteri, nec in novo Testamento, *κοσμοκράτορας*, id est *mundi rectores*, umquam legerimus : quod nomen idcirco Paulus apostolus finxit : quia necesse habebat ad Ephesios disputans, rebus novis et invisibilibus nova nomina coaptare. Adhuc propter hoc quod ait *in cœlestibus*, quia videtur ambiguum, dicendum, subaudiri posse illud ad omnia, ut sit sensus : Non est nobis colluctatio adversus potestates in cœlestibus, et rectores tenebrarum istarum in cœlestibus, et spiritualia nequitiæ in cœlestibus; et [a] non tantum, *adversum spiritualia nequitiæ in cœlestibus*. Maxime si intelligimus (ut jam supra expositum est) quomodo cœlestia nominentur propter volucres cœli, et quod in usu dicitur, pluviam venire de cœlo : non quo pluvia e cœlo veniat. Philosophi quippe aiunt, non amplius, quam duobus millibus passuum a terra distare nubes, ex quibus fundantur pluviæ, et imber irroret. Juxta quem sensum cataractæ quoque cœli in diluvio apertæ esse feruntur. Verumtamen quanto quis pejor fuerit, tanto vicinior erit terræ locis, et pinguiori substantiæ. Siquidem et terra, et circumdatus nobis **676** aer habent pinguedinem suam : Aiunt quidam et animas corporibus liberatas, si attenuatæ fuerint in præsenti vita, et lima, ut ita dicam, ἀσκήσεως atque virtutum, in subtile corpus attritæ, non habitaturas in pinguioribus locis : sed Deo, qui incorporeus est, vicinas fore. Si vero tales fuerint, de quibus dici possit ; *Filii hominum, usquequo gravi*, sive *pingui corde* (*Ps.* IV, 3), secundum crassitudinis suæ pondus ad infima detrahi, et pinguedine prægravari. Post hoc et illud pariter disserendum, an hac terra et aere aliquis pinguior locus sit, qui a plerisque appellatur Infernus, in quo hi qui dicuntur inferi, commorentur. Quinam vero isti sint, et quam vel cognationem, vel diversitatem habeant, ad eos qui spiritualia nequitiæ in cœlestibus appellantur, non est præsentis temporis disputare. Reliquum est, ut quid inter colluctationem carnis et sanguinis, et inter rectores tenebrarum istarum, et spiritualia nequitiæ in cœlestibus sit, in duobus apud Apostolum manifestius discamus agminibus. Quando enim vult humanas tentationes, hoc est, colluctationem carnis et sanguinis indicare, despiciens eas atque contemnens loquitur : *Quis nos separabit a charitate Dei : tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames et nuditas, et periculum, et gladius? Juxta quod scriptum est* (*Ps.* XLIII, 22) : *Propter te mortificamur tota die, reputati sumus ut oves occisionis. Sed*

in infernum (ad perpetuam scilicet mansionem) detrudendos asserit : sicut verissime, doctissimeque hoc ipsum in Augustino interpretatur catholicæ veritatis assertor, et orthodoxæ fidei acerrimus propugnator divus Thomas in prima parte Summæ q. 64, art. 4, et alibi multis in locis : præter quod receptum penes theologos est, usque ad illum diem, pœnam, quam accidentalem vocant, ob mala, quæ quotidie operantur, dæmonibus augeri : ut satis hoc ipsum constare potest ex eodem D. Thoma, super quartum librum Sententiarum dist. 40 et aliis in locis. Hunc autem præcipuum Ecclesiæ doctorem, Pii V pontificis opt. max. mandato, illustriss. card. Vincentius Justinianus, divi Dominici ordinis primas, et eruditissimus simul, ac numquam satis laudatus F. Thomas Marriques, sacri Palatii magister (qui in restituendo Hieronymo primus me impulit, et sæpe operis pondere fatiscentem sublevavit, animavitque), omni ex parte emendatissimum, integre Romæ impressum, magna catholicorum omnium utilitate, nuper Christi Ecclesiæ reddiderunt.

[a] Quæ subsequuntur verba : *Et non tantum, adversum spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, in Vict. editione desunt.

in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos A (*Rom.* VIII, 35, 36). Quando vero docere nos vult de adversariis potestatibus, et rectoribus tenebrarum, et spiritualibus nequitiæ in cœlestibus, ab alio quasi capite sumit exordium, et dicit : *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque præsentia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque alia quælibet creatura poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Prolixius forsitan quam lector voluerit, de hoc capitulo disputatum sit : sed, quæso, det veniam difficultati ipsius loci et personæ Ephesiorum, qui post artes magicas scire debuerant, a quibus fuissent aliquando decepti.

(Vers. 13.) *Ideo sumite omnia arma Dei, ut possitis* B *resistere in die malo : et universa operati, stare.* Diem malam, aut præsens tempus ostendit, de quo supra dixerat : *Redimentes tempus, quia dies mali* 677 *sunt,* propter angustiam et vitæ hujus labores, quia non absque sudore et certamine pervenimus ad palmam : aut certe consummationis atque judicii, quando diabolus, inimicus et vindex, in sua nos cupiet parte retinere, de qua liberabitur, qui intelligit super egenum et pauperem : *In die enim mala liberabit eum Dominus* (*Ps.* XL, 1). Hæc est dies, de qua et in alio loco scriptum est : *Ecce venit, dies iræ Domini* (*Isai.* XIII, 9) ; et alibi : *Dies enim Domini insanabilis veniet, furoris et iræ* (*Isai.* XXII, 6) ; et rursum : *Væ desiderantibus diem Domini : Ut quid vobis dies Domini ? et hæc est tenebræ, et non lux.* C *Quemadmodum si fugiat homo a facie leonis, et incurrat in ursum : et introeat in domum suam, et reclinet manus suas super parietem : et mordeat eum coluber. Nonne tenebræ dies Domini, non lux : et caligo non habens splendorem* (*Amos* V, 18)? Quomodo enim non mala est hæc dies, quæ tenebris et caligine involvitur? De qua Joel quoque propheta commemorat dicens : *Canite tuba in Sion : prædicate in monte sancto meo : et confundantur omnes qui habitant terram ; quoniam adest dies Domini : quia prope est dies tenebrarum et turbinis, dies nebulæ et caliginis* (*Joel.* II, 1). Et Sophonias de eadem die loquitur dicens : *Prope est dies Domini magna, prope et velox nimis. Vox diei Domini amara, et dura, et fortis : dies iræ, dies illa, dies angustiæ et necessitatis* (*Soph.* I, 14 *et seqq.*), et reliqua. D Post quæ infert : *Et affligam homines, et ambulabunt ut cæci : quia Domino peccaverunt* (*Apoc.* XII). Ut igitur possit quis in hac die diabolo resistere : quia ipse est accusator fratrum nostrorum, assumat omnia arma Dei (hoc enim sonat πανοπλία, non ut in Latino simpliciter *arma* translata sunt), et omnibus telis armisque succinctus, de quibus in sequentibus explicatur, sciat tunc se stare posse, si universa fuerit operatus, ut plenus cunctis virtutibus, stabilem figat gradum, et non moveatur de acie, sitque ex his de quibus Dominus ait : *Sunt quidam de hic stantibus* (*Matth.* XVI, 28) ; et in alio loco : *Etenim fide statis* (II *Cor.* I, 22) ; et Psalmista : *Statuit,* inquit, *supra petram pedes meos* (*Psal.* XXXIX, 5). Tertia quoque a quibusdam interpretatio subinducitur, dicentibus : non omne adversum diabolum prælium morte finiri ; sed cum de isto sæculo exierimus, tunc nobis fortius et apertius, præsentibus contra præsentes futurum esse certamen : et sic illud quod paulo ante posuimus, exponent, *neque præsentia,* 678 *neque futura* : ut futura hæc dicant esse, quæ post vitam istam sint ineunda certamina. Necnon et illud : *Quapropter contendimus, sive in præsenti, sive in futuro, placere illi* (II *Cor.* V, 9), ut præsens tempus, hanc vitam, futurum, post mortem significari putent. Hoc quoque quod nunc dicitur : *Et omnia operati, stare,* ad eumdem sensum referent : quasi non possit aliquis omnia in præsenti vita operari, sed ex parte quid faciat : sicut ex parte videat, et ex parte prophetet : et tunc perfecte stare valeat, cum universa fuerit operatus. Alius vero simplicius hæc exponit dicens, Ephesios ad futuras tentationes, et persecutiones quas eis Paulus apostolus post hanc epistolam prophetico videbat spiritu provenire, cohortari et moneri, ut omnia faciant, per quæ possint in fide stare Evangelii, nec in persecutione corruere. Diem autem malam, proprie de quadragesimo octavo psalmo arbitramur esse nunc sumptam.

(Vers. 14.) *State ergo succincti lumbos vestros in veritate.* Quod juxta membra carnis et corporis, omnia membra animæ in Scripturis vocentur, nulli dubium est, de quibus unum puto esse nunc membrum, *lumbos,* quos ut accingamus veritate, præcipitur. Scriptum est quoque in Evangelio κατὰ Λουκᾶν : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris* (*Luc.* XII, 35). Quia igitur lumbi in generatione semper accipiuntur et semine, secundum illud : *De fructu lumbi tui ponam super thronum tuum* (*Ps.* CXXXI, 11). Et alibi : *Adhuc in lumbis erat Levi patris sui Abraham, quando obviavit ei Melchisedec* (*Hebr.* VII, 10), videtur nobis accinxisse lumbos suos, qui nequaquam uxori debitum reddit, nec servit libidini : sed imitatur ingenitum Deum, generationis negotiis non ministrans. Hoc idem, reor, et illud significare quod Joannes zonam pelliceam habebat circa lumbos suos (*Matth.* III), et non erat de immundis, qui propter fluxum seminis extra castra projecti, cum arca Domini habitare non possunt (*Levit.* XIII) : nec ex his de quibus in Numeris scribitur : *Sint vestimenta ejus dissuta* (*Num.* VIII). Qui autem Christo accinctus est veritate, hæc vestimenta in altum colligit, et sursum trahit : et nudorum laterum fœditatem balteo spirituali velat, stringit, et includit, et paratus ad prælium est, et opera habet lucentia, quæ lucernæ dicuntur ardentes.

679 *Et induti loricam justitiæ.* Sicut difficile vulneratur, in his vel maxime locis quæ vitam tenent, qui confertam hamis, et ferreis invicem circulis se tenentem loricam virtutis indutus est : ita qui est circumdatus multiplici veste justitiæ, nec ad similitudinem cervi in jecur accipiet sagittam, nec in desideria corruet et furores, sed erit mundo corde,

habens artificem hujus loricæ Deum, qui unicuique sanctorum omnia arma fabricatur, et non sinit eum a jaculo volante per diem, et a sagittis ardentibus percuti pariter et exuri.

(Vers. 15.) *Et calciati pedes, in præparatione Evangelii pacis.* Diligentius observate, quod virtutem quamdam animæ appellaverit pedes, quibus ingredimur in eo qui dicit : *Ego sum via* (*Joan.* XIV, 6), et quos nos oportet calciare præparatione Evangelii pacis. In horum calciamentorum figuram, et illa calciamenta in Exodo præcesserunt, quæ habere Pascha vescentibus imperatur et his, qui ad faciendum iter parati sunt. *Sic* enim ait, *manducabitis illud : lumbi vestri accincti, et calciamenta vestra in pedibus vestris, et baculi vestri in manibus vestris : et comedetis illud cum festinatione : Pascha est enim Domini* (*Exod.* XII, 11). Signum siquidem præparationis est, cum festinatione, et calciatis pedibus comedere : ut, corroborati paschali cibo, latam et horribilem possint eremum pertransire. Qui ergo adhuc ambulat, calcietur : qui vero, jam Jordane transmisso, terram repromissionis intravit, nudet pedem. *Solve*, ait, *calciamentum de pedibus tuis : locus enim in quo tu stas, terra sancta est* (*Exod.* III, 5). Si quis non est Jesus Nave (*Cap.* V), nec Apostolus, calciet pedes suos in præparatione Evangelii pacis. Si quis autem Apostolus est, et inter duodecim numerari potest, nequaquam tollat in via calciamentum suum, nec ad scorpiones, et colubros declinandos calcaneum tegat ; sed jam consummatus atque perfectus, stet in terra sancta, et vivat in Christo, et sequatur Agnum quocumque vadit. Quæritur utrumnam ad distinctionem Evangelii alterius, nunc dixerit, pacis Evangelium ? An certe proprium sit hoc Evangelii, ut pacis Evangelium nominetur ? Qui igitur habet pacem, calciatus est Christi Evangelio : et cum calciatus fuerit, præparatus est : et præparatus non se putet esse perfectum : sed ad hoc præparetur, ut pergat, et pergens veniat ad finem.

680 (Vers. 16.) *Super omnia accipientes scutum fidei, in quo possitis omnia jacula maligni ignita exstinguere.* Quasi dixerit : In omni opere portate clypeum fidei, ut possitis tecti atque muniti excipere venientes sagittas, et huc atque illuc arte eas bellica declinare. Hæc est fides super qua et Abraham post multa opera atque virtutes vix potuit promereri, ut de eo Scriptura diceret : *Credidit autem Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam* (*Gen.* XV, 8). Perspicua sunt autem jacula maligni, quæ vult mittere in corda nostra per cogitationes pessimas : de quibus unum jecit in cor Judæ, ut traderet Salvatorem. Itaque ne principium quidem habere poterit inimicus animæ vulnerandæ, si tenuerimus scutum fidei : in quo non solum venientia tela franguntur, sed etiam telorum ipse ignis exstinguitur, de quo et propheta complorat dicens : *Omnes adulterantes, quasi clibanus corda eorum* (*Ose.* VII, 4). Qui hunc umbonem fidei manu forti tenuerit, et confisus in Domino, scierit se a venientibus jaculis esse securum, loquetur intrepidus : *In Domino confido : quomodo dicitis animæ meæ : Transmigra in montem sicut passer? Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetris, ut sagittent in obscuro rectos corde* (*Psal.* X, 1, 2). Cum ergo, inquit, confidem in Domino, qua mihi datis ratione consilium, ut non stem adversum inimicorum impetus, et jacula quæ contra me in pharetris præpararunt, volentes non solum me, sed etiam omnes rectos [*Al.* recto] corde percutere ? Ecce sto super petram, et non transmigro in montes tenebricosos : et omnia tela hostium repulsa, in ipsos qui dirigunt, convertuntur.

(Vers. 17.) *Et galeam salutis accipite.* Propter hanc galeam salutaris, omnes in capite nostro sensus integri perseverant : et maxime oculi, de quibus in Ecclesiaste Salomon ait : *Sapientis oculi in capite ejus* (*Eccles.* II, 14). Sciebat enim quod esset viri caput, et quinam isti oculi in viri capite collocati. Si enim caput viri Christus est, et oculi sapientis in capite ejus sunt : sequitur ut omnis noster sensus, mens, cogitatio, sermo, consilium (si tamen sapientes fuerimus) in Christo sint. In Christo autem Verbo, lumine, justitia, veritate, cunctisque virtutibus.

(Vers. 18, 19.) *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Per omnem orationem et obsecrationem, orantes in omni tempore in spiritu : et in ipso vigilantes in omni instantia et prece,* **681** *pro omnibus sanctis et pro me.* Dei sermo de Spiritu sancto fluit : contrarius vero de terra loquitur, et inde sumit exordium. *Qui enim de terra est, de terra loquitur. Qui de cœlo venit, super omnes est : Et quod vidit et audivit hoc testatur* (*Joan.* III, 31). Porro sermo Dei, gladius spiritus est, de quo nunc Paulus ait : *Gladius spiritus, quod est verbum Dei* (*Hebr.* IV). Vivens quippe sermo Dei et efficax, et acutus super omnem gladium ancipitem, et penetrans usque ad artus animæ, et ossium, et medullarum. Qui spiritus præcidit et dividit, multum proficiens per orationem, et obsecrationem eorum, qui in omni tempore Dominum deprecantur in spiritu, juxta illud : *Orabo spiritu, orabo et mente* (I *Cor.* XIV, 15). Et in hoc proficiens, ut per vigilias, et instantem precem Apostolus in Dei verbo doctrinaque ditetur. Et hæc omnis opulentia ad aliorum proficiat salutem, ut eis quoque ipsis prosit, qui pro eo obsecrant. Simulque Apostoli humilitas admiranda, petentis Ephesios, ut pro se faciant obsecrationes. Ait quippe : *In omni instantia, et prece pro omnibus sanctis et pro me.* Ut seorsum sanctorum, et seorsum sui faceret mentionem.

(Vers. 20.) *Ut mihi detur sermo in apertione oris mei, in confidentia notum facere mysterium Evangelii, pro quo legatione fungor in catena : ita ut in ipso audeam ut oportet me loqui.* Hoc quod nunc ait : *In apertione oris mei;* et alibi : *Os meum ad vos apertum est, o Corinthii* (II *Cor.* VI, 11); et : *Aperiens os suum, docebat discipulos suos dicens* (*Matth.* V, 2); et : *Os meum*

aperui et attraxi spiritum (*Psal.* CXVIII, 13); et : A *Aperiam in parabolis os meum* (*Psal.* LXXVII, 2), et cætera his similia, sic accipiendum quasi dixerit : aperiantur thesauri, et abscondita a sæculis sacramenta pandantur, ut Spiritus sanctus introeat ad ea proferenda quæ latitant. Nam quod hujus testimonii, id est, *ut detur mihi sermo in apertione oris mei*, iste sit intellectus, sequentia probant. *In confidentia*, inquit, *notum facere mysterium Evangelii.* Nequaquam in parabolis et proverbiis : sicut et prophetæ, et ipse Dominus adhuc constitutus in corpore loquebatur dicens : *Venit hora quando nequaquam vobis in proverbiis loquar, sed confidenter de Patre annuntiabo vobis* (*Joan.* XVI, 25). Hunc confidentiæ sermonem, solus poterit **682** obtinere, qui non habuerit cor se reprehendens : *Si enim cor nostrum nos non reprehenderit, confidentiam* B *habemus ad Deum, et quodcumque petierimus, accipiemus ab eo* (I *Joan.* III). Rarus itaque est qui in confidentia notum faciat mysterium Evangelii : quia rarus est qui confidentiam habeat ad Deum. *Quis enim gloriabitur castum se habere cor : aut quis stabit dicens mundum se esse a peccatis* (*Prov.* XX, 9). Post hæc quid sit hoc quod ait : *Pro quo legatione fungor in catena*, ut notum videlicet facerem mysterium Evangelii, breviter perstringendum. Et quidem qui simpliciter intelligit, dicet propter testimonium Christi eum de carcere, et de catenis hæc Romæ positum scripta misisse. Alius [a] vero propter corpus humilitatis, et catenam istam qua circumdamur, et necdum scimus secundum quod oportet nos scire, et per speculum videmus in ænigmate, ista eum dixisse C contendet, et tunc vere posse in confidentia Evangelii, aperire mysteria, cum catenam deposuerit, et de carcere liber exierit : nisi forte et in vinculis absque vinculis computandus est, qui conversationem habet in cœlis, et de quo dici potest : *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu : si tamen spiritus Dei habitat in vobis* (*Rom.* VIII, 9).

(Vers. 21, 22.) *Ut autem sciatis et vos quæ circa me sint, quid agam, omnia nota vobis faciet Tychicus dilectus frater, et fidelis minister in Domino : quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa nos sunt, et consoletur corda vestra.* Dupliciter accipite : Vel ideo Tychicum missum Ephesum, ut nuntiaret eis vincula apostoli Pauli nota facta esse in omni prætorio, et catenam illius ad fidem Evangelii profe- D cisse, eo tempore quo et ad Colossenses scripsit dicens : *Quæ circa me sunt, omnia nota vobis faciet Tychicus frater dilectus, et minister, et conservus in Domino : quem misi ad vos ob hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa nos sunt : et consoletur corda vestra cum Onesimo charissimo et fideli fratre, qui est ex vobis, qui omnia quæ hic aguntur, nota faciet vobis* (*Coloss.* IV, 7 *seqq.*). Grandis enim consolatio erat, audire Paulum Romæ in domina urbium, et in arce Romani imperii, de carcere et de vinculis triumphantem. Vel certe ob id Tychicum missum esse, ut vitam et conversationem Pauli, quam **683** ignorabant, annuntiaret eis, et quasi quoddam exemplar vivendi daret discentibus gesta Apostoli atque virtutes, et eum imitari volentibus. Nec parva esse poterat consolatio æmulari cupientium, quæ Apostolum egisse cognoverant.

(Vers. 23.) *Pax fratribus, et charitas cum fide, a Deo Patre et Domino Jesu Christo.* Si qua [b] alia dona sunt quæ tribuuntur a Deo Patre, et Domino Jesu Christo, inter hæc pax non minimum possidet locum, quæ superat omnem sensum, et custodit corda intellectusque sanctorum, serenitas quædam atque tranquillitas animæ quiescentis, et universam tempestatem et turbinem perturbationum fugans. Huic similis est charitas cum fide, quam et ipsam simul Deus Pater donat et Filius, ut diligamus Deum de toto corde, et proximos sicut nosmetipsos, et pro inimicis nostris precemur. Hanc pacem et charitatem, quam credentibus Apostolus imprecatur, hi tantum habent, qui fratrum nomine merentur vocari. *Pax quippe fratribus, et charitas cum fide et pace.* Igitur et charitatem et fidem sic Pater præstat ut Filius : et hæresis obmutescit, quæ non vult eadem Filium posse quæ Patrem.

(Vers. 24.) *Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum Jesum Christum in incorruptione. Amen.* Nonnulli hoc ita interpretati sunt, ut **684** eum putarent diligere Dominum nostrum Jesum Christum, qui ab operibus corruptionis alienus sit, opera corruptionis in coitu sentientes. Unde et consuetudo et sermo vulgaris incorruptos, virgines vocat, eosque qui coitum nesciant feminarum. Corruptos vero eos, qui istiusmodi degustaverint voluptatem. Illud quoque testimonium coaptantes : *Si quis templum Dei corrumpit, corrumpet illum Deus* (I *Cor.* III, 17). Sed nescio an hoc valeant explanare quod scribitur : *Unusquisque proprium habet donum a Deo : alius quidem sic, et alius sic* (*Ibid.* VII, 7). Videamus igitur ne forte melius sit omne peccatum corruptionem animæ intelligere, et eos qui a peccato liberi sunt, incorruptos vocari : ita ut diligentes Dominum Jesum Christum, in incorruptione sint, dum peccati vinculis non tenentur, et cum eis est gratia Dei. Simulque arbitror ad distinctionem eorum qui diligunt Dominum Jesum Christum, sed non in incorruptione nunc positum, eos gratiam habere Christi, qui diligant eum in incorruptione. Quanti enim diligunt Dominum, parati exsilia, parati martyria, parati inopiam, et omnia pro eo contumeliarum genera sustinere, et nihilominus carnis passione superantur : sed his non imprecatur Apostolus gratiam ; quia gratia Domini est cum omnibus qui diligunt eum in incorruptione.

[a] Hunc esse Origenem, nemo non intelliget, qui in ejus scriptis tantisper versatus sit. Quamobrem frustra est Rufinus, qui lib. I Invectivar. num. 40, hæc quasi Hieronymi propria calumniatur.

[b] Retinuit Martianæus, *Si qua aliena dona*, etc. Leviora mox castigamus.

S. EUSEBII HIERONYMI,

STRIDONENSIS PRESBYTERI,

COMMENTARIORUM

IN EPISTOLAM AD TITUM

LIBER UNUS.

Prologus.

685-686 Licet non sint digni fide, qui fidem A primam irritam fecerunt, Marcionem loquor et Basilidem, et omnes hæreticos qui vetus laniant Testamentum : tamen eos aliqua ex parte ferremus, si saltem in novo continerent manus suas : et non auderent Christi (ut ipsi jactitant) boni Dei Filii, vel evangelistas violare, vel apostolos. Nunc vero cum et Evangelia ejus dissipaverint, et apostolorum epistolas, non Apostolorum Christi fecerint esse, sed proprias, miror quomodo sibi Christianorum nomen audeant vindicare. Ut enim de cæteris Epistolis taceam, de quibus quidquid contrarium suo dogmati viderant, eraserunt, nonnullas integras repudiandas crediderunt : ad Timotheum videlicet utramque, ad Hebræos, et ad Titum, quam nunc conamur exponere. Et siquidem redderent B causas, cur eas Apostoli non putarent, tentaremus aliquid respondere, et forsitan satisfacere lectori. Nunc vero cum hæretica auctoritate pronuntient et dicant : Illa epistola Pauli est, hæc non est; ea auctoritate refelli se pro veritate intelligant, qua ipsi non erubescunt falsa simulare. Sed [a] Tatianus Encratitarum patriarches, qui et ipse nonnullas Pauli epistolas repudiavit, hanc vel maxime, hoc est, ad Titum, Apostoli pronuntiandam credidit; parvipendens Marcionis et aliorum, qui cum eo in hac parte consentiunt, assertionem. Scribit igitur Apostolus, o Paula et Eustochium, de Nicopoli quæ in Actiaco littore sita, nunc possessionis [b] vestræ pars vel maxima est; et scribit 687-688 ad Titum discipulum suum, et in Christo filium quem Cretæ reliquerat ad Ecclesias instruendas : præcepitque ei, ut cum e duobus Artemas, seu Tychicus Cretam fuerit appulsus, ipse Nicopolim veniat. Justum quippe [*Al.* quia] erat, ut ille qui dixerat, *sollicitudo mea omnium Ecclesiarum :* et qui Evangelium Christi usque ad Illyricum de Jerosolymis proficiscens, fundaverat, non pateretur et sui et Titi absentia Cretenses esse desertos; a quibus primum idololatriæ semina pullularunt : sed mitteret eis pro se et Tito Arteman, vel Tychicum, quorum doctrina et solatio confoverentur.

[a] Recole quæ paulo superius in cap. 6 ad Galat. de Tatiano diximus.

[b] Equidem non Thraciæ Nicopolin in Macedoniæ finibus, quod Græci scriptores plerique autumant; sed Nicopolin Epiri urbem secus Ambraciæ sinum, quod post Hieronymum eruditi passim scriptores sentiunt, debere hic intelligi, ultro persuadeor. Verum quod hæc *possessionis* Paulæ et Eustochii *pars* esset *vel maxima*, haud scio, quibus veterum testimoniis aliis confirmem.

INCIPIT LIBER.

(Cap. I.—Vers. 1.) Paulus *servus Dei* : *Apostolus, autem Jesu Christi.* In Epistola ad Romanos ita exorsus est : *Paulus servus Jesu Christi vocatus Apostolus.* In hac autem servum se Dei dicit : Apostolum vero Jesu Christi. Si enim Pater et Filius unum sunt, et qui crediderit in Filium, credit et in Patrem : servitus quoque indifferenter apostoli Pauli, vel ad Patrem est referenda, vel ad Filium. Hæc autem servitus non est illa de qua ipse Apostolus ait : *Nec enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore* [Al. *timorem*], *sed accepistis spiritum* C *adoptionis* [Al. addit *filiorum*], *in quo clamamus Abba, Pater* (*Rom.* VIII, 28), verum nobilis servitus, de qua et David ad Deum loquitur : *Ego servus tuus, filius ancillæ tuæ* (*Psal.* CXV, 16). Et beata Maria ad Angelum : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum* [Al. *juxta*] *verbum tuum* (*Luc.* I, 38). Hanc servitutem habuit et Moyses, de quo Dominus ad Jesum filium Nave : *Moyses*, inquit, *famulus meus mortuus est* (*Jos.* I, 2). Et in alio loco : *Mortuus est Moyses famulus Domini in terra Moab per verbum Domini* (*Deut.* XXXIV, 5). Absit quippe ut spiritum

servitutis Moysen et Mariam in timore, et non in dilectione Dei habuisse credamus. Nec mirum quamvis sanctos homines, tamen Dei servos nobiliter appellari, cum per Isaiam prophetam Pater loquatur ad Filium : *Magnum tibi est vocari te puerum meum* (*Isai.* XLIX, 6), quod Græce dicitur : [a] *μέγα σοί ἐστι τοῦ κληθῆναί σε παῖδά μου*. Puer autem, hoc est, παῖς quia potest, secundum Græcos, et *famulum* et *filium* significare, in Hebræo quæsivimus, et invenimus non *filium meum* scriptum esse, sed *servum meum*, id est, ABDI (עַבְדִּי). Unde et Abdias propheta qui interpretatur *servus Domini*, ex famulatu Dei nomen accepit. Si moveat quempiam, Dominum Salvatorem, qui universitatis est conditor, servum Dei dici; non movebitur, si ipsum ad apostolos audiat loquentem : *Qui voluerit inter vos esse major, sit omnium servus*; et : *Filius hominis venit, non ut ministraretur sibi, sed ut ministraret* (*Matth.* XX, 27, 28) : quod ne docere tantum verbis videretur, monstravit exemplo. Assumpto quippe linteo, accinxit se, et aqua pelvim replens, discipulorum pedes lavit (*Joan.* XIII). Non est itaque impium credere eum qui formam servi assumpserat, hæc fecisse quæ servi sunt, ut paternæ voluntati servisse dicatur, cum servis suis ipse serviens. Hæc autem servitus, charitatis est, per quam nobis invicem servire præcipimur. Et ipse Apostolus cum esset liber ex omnibus, omnium se servum fecit (I *Cor.* IX). Et in alio loco : *Vester*, inquit, *servus propter Christum*. Servus Dei ille est, qui non est servus peccati. *Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.*, VIII, 34). Apostolus igitur, qui peccati non fuit servus, recte Dei Patris vocatur servus et Christi. Porro quod ait : *Apostolus autem Jesu Christi*, tale mihi videtur, quale si dixisset, præfectus prætorio Augusti Cæsaris, magister exercitus Tiberii imperatoris. Ut enim judices sæculi hujus quo nobiliores esse videantur, ex regibus quibus serviunt, et ex dignitate qua intumescunt, vocabula sortiuntur : ita et Apostolum quoque inter Christianos sibi vindicans dignitatem, apostolum [*Al.* apostolorum] se Christi titulo prænotavit, ut ex ipsa lecturos nominis auctoritate terreret : indicans omnes qui **689** in Christo crederent, debere sibi esse subjectos. Nec non quod paulo ante scriptum posuimus ad Romanos : *Servus Jesu Christi*, non differt ab eo si dixisset, servus sapientiæ, servus justitiæ, servus sanctificationis, servus redemptionis : *Christus quippe factus est nobis a Deo Patre, sapientia, justitia, sanctificatio, et redemptio* [b] (I *Cor.* I, 30).

(Vers. 2 seqq.) *Secundum fidem electorum Dei, et cognitionem veritatis, quæ est juxta pietatem in spe vitæ æternæ : quam promisit non mendax Deus ante sæcula æterna : manifestavit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum imperium Salvatoris nostri Dei. Tito charissimo filio juxta communem fidem : Gratia et pax a Deo Patre, et Jesu Christo Salvatore nostro.* Qui non juxta humilitatem, ut plerique æstimant, sed vere dixerat : *Et si imperitus sermone, non tamen scientia*, Hebræus ex Hebræis juxta legem Pharisæus, profundos sensus Græco sermone non explicat, et quod cogitat, in verba vix promit. Juxta ordinem igitur sensuum, et textum rerum potius, quam verborum, de singulis ut scripta sunt, disseramus. *Secundum fidem*, inquit, *electorum Dei*, [c] refer ad superiora, quod intulit : *Paulus servus Dei : Apostolus autem Jesu Christi secundum fidem electorum Dei*, id est, eorum qui non tantum vocati sunt, sed et electi. Electorum quoque ipsorum magna diversitas est pro varietate operum, sensuum atque sermonum. Nec statim qui electus Dei est, vel juxta electionem possidet fidem, vel juxta fidem habet scientiam veritatis. Unde et Salvator ad Judæos qui in eum crediderant, est locutus : *Si permanseritis in verbo meo, cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* (*Joan.* VIII, 31, 32). Et evangelista testatur, quod hæc credentibus quidem dixerit, sed nescientibus veritatem, quam consequi possent, si in sermone ipsius permanerent, et liberi effecti, servi esse desinerent. Quæritur quare ad id quod ait : *secundum fidem electorum Dei et cognitionem veritatis*, junxerit, *quæ juxta pietatem est* : utrumnam sit aliqua veritas quæ non in pietate sit posita, et nunc ad distinctionem illius inferatur cognitio veritatis, *quæ juxta pietatem est*. Est plane veritas, quæ non habet pietatem. **690** Si quis Grammaticam artem noverit, vel dialecticam, ut rationem recte loquendi habeat, et inter falsa et vera dijudicet. Geometria quoque et arithmetica et musica habent in sua scientia veritatem; sed non est scientia illa [*Al. addit* scientia] pietatis. Scientia pietatis est nosse Legem, intelligere prophetas, Evangelio credere, apostolos non ignorare. Et econtrario multi sunt

[a] Ita legunt omnes mss. codices, Cluniacenses, sancti Martini a Campis, et Patrum Augustinianorum apud Tolosates. Hinc ergo contextus Græcus restituendus et in Bibliis, ubi deest τὸ; et in editis Erasmi et Mariani, in quibus abest τοῦ. MART. Legerant veteres editores, Erasmus et Victorius, μέγα σοί ἐστι τὸ κληθῆναι, pro quo in Græco est ar[illegible], τοῦ κληθῆναι, bona utrinque lectione ac sensu. Martian. vero suorum aliquot codicum errore deceptus, utramque voculam, τοῦ et τὸ hic simul intrusit, contenditque quod rei caput est, ipsum Græcum textum ex hac a se reposita lectione restituendum, et in Bibliis, inquit, ubi deest τὸ, et in editis Erasmi et Mariani, in quibus abest, τοῦ. At nemo, opinor, non videt, et res clamat ipsa, quam ipse longius a veri specie omni aberret. Dixisset legendum uno verbo, τοῦτο, *hoc* : satis obviam conjecturam, codicum ipsa lectio commodo sensu suggerebat; alioquin alterum aut τοῦ, aut τὸ redundare, perspicuum est. Facile, quod τό legendum ibi sit pro τοῦ, studiosus nonnemo ad libri oram annotarit : postmodum scriba imperitus illud quoque in textum importarit post τό.

[b] Addunt Cistercienses mss., *et Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret*.

[c] Antea legebatur, *refert*. Id genus levia passim castigamus.

qui habent pietatis veram cognitionem : sed non statim et cæterarum artium et earum, de quibus supra mentionem fecimus, veritatem. Hæc igitur veritas, cujus cognitio juxta pietatem est, in spe vitæ æternæ posita est : quia statim ei qui se cognoverit, præmium tribuit immortalitatis. Absque pietate vero notitia veritatis delectat ad præsens : sed æternitatem non habet præmiorum, quam promisit non mendax Deus ante sæcula æterna : et manifestavit eam temporibus suis in Christo Jesu. Cui autem promisit ante, et postea fecit esse perspicuam, nisi sapientiæ suæ, quæ erat semper cum Patre, cum lætaretur orbe perfecto, et gauderet super filiis hominum, et repromisit eos quicumque in illa credituri essent, habituros esse vitam æternam? Antequam orbis jaceret fundamenta, antequam maria diffunderet, montes statueret, cœlum suspenderet, terram dejecta mole solidaret, hæc repromisit Deus, in quo mendacium non est. Non quia possit mentiri, et nolit in falsitatis verba prorumpere : sed quia qui pater sit veritatis, nullum in se habet mendacium, secundum illud : *Fiat autem Deus verax : omnis autem homo mendax* (*Rom.* III, 4). Propterea autem non mendax Deus dicitur : etenim [*Al.* et] cum jurejurando quædam in prophetis pollicetur, ut nos securiores effecti, magis speremus futura esse quæ prædicta sunt, et tota mente credentes, ad consequenda ea quæ ventura sunt, præparemur.

Non ab re videtur breviter perstringere, cur Deus solus verax, et omnis homo mendax, Apostoli voce dicatur. Et nisi fallor, quomodo solus habere dicitur immortalitatem, cum et angelos et multas rationabiles fecerit creaturas, quibus dederit immortalitatem : ita et solus dicitur esse **691** verax : non quod et cæteri, non immortales, et veritatis sint amatores, sed quod ille solus naturaliter sit, et immortalis, et verus. Cæteri vero immortalitatem et veritatem ex largitione illius consequantur, et aliud sit verum esse, [a] quid habere per semet : aliud in potestate donantis esse quod habeas. Sed nec hoc silentio prætereundum puto, quomodo non mendax Deus, ante æterna sæcula, æternam spoponderit vitam : ex quo juxta historiam Geneseos factus est mundus, et per vices noctium ac dierum, mensium pariter et annorum, tempora constituta sunt. In hoc curriculo et rota mundi, tempora labuntur et veniunt, et aut futura sunt, aut fuerunt. Unde quidam philosophorum non putant esse tempus præsens : sed aut præteritum, aut futurum ; quia omne quod loquimur, agimus, cogitamus, aut dum fit, præterit, aut si nondum factum est, exspectamus. Ante hæc igitur mundi tempora, æternitatem quamdam sæcu-

A lorum fuisse credendum est, quibus semper cum Filio et Spiritu sancto fuerit Pater : et ut ita dicam, unum tempus Dei, est omnis æternitas : immo innumerabilia tempora sunt, cum infinitus sit ipse qui ante tempora omne tempus excedit. Sed [b] mille necdum nostri orbis implentur anni : et quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas sæculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus angeli, throni, dominationes, cæteræque virtutes servierint Deo : et absque temporum vicibus atque mensuris, Deo jubente, substiterint! Ante hæc itaque omnia tempora, quæ nec sermo eloqui, nec mens comprehendere, nec cogitatio tacita audet attingere, promisit Deus Pater sapientiæ suæ verbum suum, et ipsam sapientiam suam, et vitam eorum B qui credituri erant, mundo esse venturam. Diligenter attendite textum et ordinem lectionis : quoniam vita æterna quam non mendax Deus ante sæcula æterna promisit, non alia sit absque verbo Dei. Manifestavit enim, inquit, temporibus suis verbum suum : Ergo quam promiserat vitam æternam, ipsa est Verbum suum, quod in principio **692** erat apud Patrem : et Deus erat Verbum, et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I). Quod autem Verbum Dei, hoc est, Christus ipse sit vita, in alio loco testatur dicens : *Ego sum vita* (*Joan.* XIV, 6). Vita vero non brevis, non aliquibus circumscripta temporibus ; sed perpetua, sed æterna : quæ manifestata est in novissimis sæculis, in prædicatione quæ credita est Paulo doctori gentium, C et magistro : ut annuntiaretur in mundo, et hominibus nota fieret, juxta imperium Salvatoris Dei, qui nos salvos esse voluit, id quod pollicitus fuerat implendo. Scribit autem Apostolus Tito *charissimo filio*, quod Græce dicitur, γνησίῳ τέκνῳ : et Latino sermone non potest explicari : γνήσιος enim hoc potius sonat, cum quis *fidelis* et *proprius*, et (ut ita dicam) *legitimus* sive *germanus* absque comparatione alterius appellatur. Ex quo intelligimus fuisse et in filiis Pauli plurimam differentiam, quod alios haberet γνησίους, id est, *germanissimos*, sibique conjunctos, et de vero matrimonio, ac de libera procreatos : alios vero quasi ex ancilla et ex Agar, qui non possunt hæreditatem accipere cum liberæ filio Isaac. Sermo quippe et sapientia, et doctrina qua Titus D Christi Ecclesias instruebat, efficiebant eum proprium Apostoli filium, et ab omni aliorum consortio separatum. Videamus post hæc quod sequitur : *Secundum communem fidem*, utrumnam omnium qui in Christo credebant, communem dixerit fidem : an communem, suam tantum et Titi? Quod quidem mihi melius videtur apostoli Pauli et Titi fidem fuisse communem, quam omnium credentium ; in

[a] Cistercienses mss., *et aliud sit verum esse, quod habeas : aliud*, etc.

[b] Paria his, sive ex propria, sive ex aliorum sententia profert S. Doctor epist. 18, ad Damasum, n. 7, exstitisse nempe angelos antequam mundus iste conderetur, quin etiam et lapsos antea : hominesque postmodum ea creatos de causa, ut beati cœtus numerum implerent. Placuit hæc et Tertulliano sententia, nonnullisque aliis antiquis ; verum et longe plurium Ecclesiæ Patrum auctoritate invaluit oppositum dogma, et melioribus nititur argumentis, angelos cum cœlo, terra ac luce, prima die mundi conditos.

quibus pro varietate mentium, fides quoque communis esse non poterat, sed diversa. Ad extremum præfatio Epistolæ, et salutatio præfationis Apostoli ad Titum, tali fine completur: *Gratia et pax a Deo Patre et Christo Jesu Salvatore nostro*. Sive quod et gratia, et pax, tam a Deo Patre sit quam a Christo Jesu, et utrumque ab utroque datum possit intelligi: sive quod gratia ad Patrem, et pax referatur ad Filium. Non absque scrupulo transeundum est, quod quibusdam Apostolus **693** imprecatus est, ut eis gratia et pax multiplicarentur: nunc vero ad Titum pax et gratia, sine multiplicatione sint positæ. Noe vir justus, et naufrago orbe solus servatus non dicitur plures gratias, sed unam gratiam invenisse in conspectu Dei. Et Moyses ad Dominum: *Si inveni*, inquit, *gratiam apud te* (*Exod*. XXXIII, 13). Et sicubi alibi in persona sanctorum gratia posita est, quære et invenies [*Al*. reperies], non eos gratias invenisse, sed gratiam. Mercator ille de Evangelio qui plures habuit margaritas, ad extremum unam pretiosam reperit, quam de multis margaritis solam emit (*Matth*. XIII). Perfectorum quippe est unam margaritam, et unum thesaurum, omnibus margaritis et totius substantiæ suæ emere commercio: incipientium vero et adhuc in itinere positorum, nedum unam et solam, sed plures habere margaritas.

(Vers. 5.) *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deerant corrigeres*. Apostolicæ dignitatis est Ecclesiæ jacere fundamentum, quod nemo potest ponere, nisi architectus. *Fundamentum autem non est aliud præter Christum Jesum* (I *Cor*. III, 11). Qui inferiores artifices sunt, hi possunt ædes super fundamenta construere. Paulus itaque ut sapiens architectus, et hoc omni labore contendens, ne in præparatis gloriaretur, sed ubi necdum Christus fuerat annuntiatus, postquam dura Cretensium ad fidem Christi corda mollierat, et tam sermone quam signis edomuerat, et edocuerat eos non vernaculum Jovem, sed in Deum Patrem et in Christum credere, reliquit Titum discipulum Cretæ, ut rudimenta nascentis Ecclesiæ confirmaret, et si quid videbatur deesse, corrigeret, ipse pergens ad alias nationes, ut rursum in eis Christi jaceret fundamentum. Quod autem ait: *ut ea quæ deerant, corrigeres*, ostendit necdum eos ad plenam venisse scientiam veritatis: et licet ab Apostolo correcti fuerint, tamen adhuc indigere correctione. Omne autem quod corrigitur, imperfectum est. Nam et in Græco præpositionis adjectio, qua scribitur ἐπιδιορθώσῃ, non idipsum sonat quod διορθώσῃ, id est, *corrigeres*: sed ut ita dicam, *supercorrigeres*: ut scilicet ea quæ a me correcta sunt, **694** et necdum ad plenam veri lineam sunt retracta [*Al*. retractata], a te corrigantur, et normam æqualitatis accipiant.

Et [*Al*. Ut] *constituas per civitates presbyteros, sicut ego tibi disposui*. Audiant episcopi qui habent constituendi presbyteros per urbes singulas potestatem, sub quali lege Ecclesiasticæ constitutionis ordo teneatur: nec putent apostoli verba esse, sed Christi, qui ad discipulos ait: *Qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui me misit* (*Luc*. X, 16). Sic et qui vos audit, me audit: qui autem me audit, audit eum qui me misit. Ex quo manifestum est, eos qui, Apostoli lege contempta, Ecclesiasticum gradum non merito voluerint alicui deferre, sed gratia, contra Christum facere, qui qualis in Ecclesia presbyter constituendus sit, per Apostolum suum in sequentibus exsecutus est. Moyses amicus Dei, cui facie ad faciem Deus locutus est (*Deut*. V *et* XXXI), potuit utique successores principatus, filios suos facere, et posteris propriam relinquere dignitatem; sed extraneus de alia tribu eligitur Jesus, ut sciremus principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ. At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, [a] ut non quærant eos, qui possunt Ecclesiæ plus prodesse, in Ecclesiæ erigere columnas: sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti: vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, et, ut deteriora taceam, qui ut clerici fierent, muneribus impetrarunt. Diligenter Apostoli verba attendamus dicentis: *Ut constituas per civitates presbyteros, sicut ego tibi disposui*. Qui qualis presbyter debeat ordinari, in consequentibus disserens, hoc ait: *Si quis est sine crimine, unius uxoris vir*, et cætera, postea intulit: *Oportet enim episcopum sine crimine esse, tamquam Dei dispensatorem*. Idem est ergo presbyter qui et episcopus, et antequam diaboli instinctu, studia in religione fierent, et diceretur in populis: *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ* (I *Cor*. I, 12), communi presbyterorum consilio, Ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos quos baptizaverat suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut [b] unus de presbyteris **695** electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, et schismatum semina tollerentur. Putet [*Al*. putat] aliquis non

[a] Codicem ms. S. Martini a Campis et alios secuti sumus. Apud Erasmum corrupte legimus: *Qui possunt Ecclesiæ plus prodesse, et in Ecclesia erigere columnas*. Marianus pejorem ex decreto Gratiani lectionem in Hieronymum invexit, dicens: *At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere: ut non quærant eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse: sed quos*, etc. Certe non contulit editiones cum codicibus mss., sed hic Gratianum habuit pro Hieronymo. Ergo qui plus possunt Ecclesiæ prodesse, sunt ejusdem Ecclesiæ columnæ, ut hic monet S. Hieronymus. In exemplari ms. Augustinianorum Tolos. legimus, *plurimos honorem beneficium facere*, etc. MART. — Victorius, quem Martianæus castigat, locum hunc ex Gratiano ita refixit: *Non quærant eos in Ecclesiæ columnas erigere, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse*, etc. Paulo post *Apostoli verba*, nostri mss. *Apostoli præceptum* legunt.

[b] Cistercienses mss., *ut tunc de presbyteris*, etc. Vide epist. 146, ad Evangelum, et quæ ad eam observamus de Hieronymi sententia de Episcoporum supra presbyteros dignitate.

Scripturarum, sed nostram esse sententiam, episcopum et presbyterum unum esse, et aliud ætatis, aliud esse nomen officii : relegat Apostoli ad Philippenses verba dicentis : *Paulus et Timotheus servi Jesu Christi*, [a] *omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum* [Al. *et*] *episcopis et diaconis, gratia vobis et pax* (*Philipp.* I, 1, 2), et reliqua. Philippi una est urbs Macedoniæ, et certe in una civitate plures, ut [b] nuncupantur, episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem episcopos illo tempore quos et presbyteros appellabant : propterea indifferenter de episcopis quasi de presbyteris est locutus. Adhuc hoc alicui videatur ambiguum, nisi altero testimonio comprobetur. In Actibus apostolorum scriptum est, quod cum venisset Apostolus Miletum, miserit Ephesum, et vocaverit presbyteros Ecclesiæ ejusdem, quibus postea inter cætera sit locutus : *Attendite vobis, et omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos pascere Ecclesiam Domini, quam acquisivit per sanguinem suum* (*Act.* XX, 28). Et hic diligentius observate, quomodo unius civitatis Ephesi presbyteros vocans, postea eosdem episcopos dixerit. Si quis vult recipere eam Epistolam, quæ sub nomine Pauli ad Hebræos scripta est, et ibi æqualiter inter plures Ecclesiæ cura dividitur. Siquidem ad plebem scribit : *Parete principibus vestris, et subjecti estote : ipsi enim sunt qui vigilant pro animabus vestris, quasi rationem reddentes, ne suspirantes hoc faciant : siquidem hoc utile vobis est* (*Hebr.* XIII, 17). Et Petrus, qui ex fidei firmitate nomen accepit, in Epistola sua loquitur dicens : *Presbyteros ergo in vobis obsecro compresbyter, et testis Christi passionum, qui et ejus gloriæ quæ in futuro revelanda est, socius sum, pascite eum qui in vobis est, gregem Domini, non quasi cum necessitate, sed voluntarie* (I *Petr.* V, 1, 2). Hæc propterea, ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse presbyteros quos et episcopos : paulatim vero ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos : ita episcopi noverint **696** se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate, presbyteris esse majores, et in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solum præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret (*Num.* XI). Videamus igitur qualis presbyter, sive episcopus ordinandus sit.

(Vers. 6.) *Si quis est sine crimine, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos.* Primum itaque sine crimine sit : quod puto alio verbo ad Timotheum *irreprehensibilem* nominatum (I *Tim.* III) : non quod [*Al.* quo] eo tantum tempore quo ordinandus est, sine ullo sit crimine, et præteritas maculas nova conversatione diluerit : sed ex eo tempore quo in Christo renatus est, nulla peccati conscientia remordeatur. Quomodo enim potest præses Ecclesiæ auferre malum de medio ejus, qui in delicto simili corruerit? Aut qua libertate corripere peccantem, cum tacitus sibi ipse respondeat, eadem admisisse quæ corripit? Itaque qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. *Opus*, inquit, non *honorem*, non *gloriam*. *Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli.* Quod autem ait, *unius uxoris vir*, sic intelligere debemus : ut non omnem monogamum digamo putemus esse meliorem ; sed quo is possit ad monogamiam et continentiam cohortari, qui sui exemplum præferat in docendo. Esto quippe aliquem adolescentulum conjugem perdidisse, et carnis necessitate superatum, accepisse uxorem secundam, quam et ipsam statim amiserit, et deinceps vixerit continenter ; alium vero usque ad senectam habuisse matrimonium, et uxoris usum, ut plerique existimant felicitatem, numquam a carnis opere cessasse : quis vobis e duobus videtur esse melior, pudicitior, continentior? Utique ille qui [c] infelix etiam in secundo matrimonio fuit, et postea pudice, et sancte conversatus est, et non is qui ab uxoris amplexu nec senili est separatus ætate. Non sibi ergo applaudat, quicumque quasi monogamus eligitur, quod omni digamo sit melior, cum in eo magis sit electa felicitas, quam voluntas. Quidam **697** de hoc loco ita sentiunt : Judaicæ, inquiunt, consuetudinis fuit, vel binas uxores habere, vel plures : quod etiam in veteri Lege de Abraham et Jacob legimus : et hoc nunc volunt esse præceptum, ne is qui episcopus eligendus est, uno tempore duas pariter habeat uxores. Multi superstitiosius [d] magis quam verius, etiam eos qui cum Gentiles fuerint, et unam uxorem habuerint, qua amissa, post baptismum Christi, alteram duxerint, putant in sacerdotio non legendos : cum utique, si hoc observandum sit, illi magis ab episcopatu arceri debeant, qui vagam per meretrices ante exercentes libidinem, unam regenerati uxorem acceperint : et multo detestabilius sit fornicatum esse cum pluribus, quam digamum reperiri ; quia in alio infelicitas matrimonii est, in alio ad peccandum prona lascivia. Montanus et qui Novati schisma sectantur, nomen sibi munditiæ præsumpsere : putantque secunda matrimonia ab Ecclesiæ communione prohibenda : cum Apostolus de episcopis et presbyteris hoc præcipiens, utique in cæteris relaxarit : non quod hortetur ad secunda matrimonia ; sed quod necessitati carnis indulgeat. Scripsit et Tertullianus de Monogamia librum he-

[a] Verba, *omnibus sanctis in Christo Jesu*, mss. nostri omittunt. Rursum vero monemus, ut quæ in Epist. ad Evangelum annotata sunt, lector huc referat.

[b] Rectius duo mss., *ut nunc putantur episcopi*.

[c] Iidem mss., *qui felix etiam*, etc., falso.

[d] Huc referenda tota ad Oceanum epistola in nostra recensione 69, ubi opinationis suæ argumenta exserit S. Pater. Vide quæ et nos in priori ad eam epistolam annotatione observamus.

reticeat: quem Apostolo contraire, nemo qui Apostolum legerit, ignorabit. Et quidem esse sine crimine episcopum, sive presbyterum, et unam uxorem habere, in nostra est potestate. Cæterum illud quod sequitur: *Habere filios fideles, non in accusatione luxuriæ, ac non subditos*, extra nostram est voluntatem. Esto quippe, parentes bene instituisse liberos suos, et a parva ætate semper Dominicis erudisse præceptis: hi si postea se luxuriæ dederint, et superati vitiis, libidini frena permiserint, numquid culpa ad parentes redundabit, et sanctitatem patris filii peccata maculabunt? Si quis bene erudivit filios suos, in his puto fuisse et Isaac, qui utique Esau filium suum bene instituisse credendus est. Verum Esau fornicarius, et profanus, pro una esca vendidit primogenita sua (*Gen.* xv). Samuel quoque qui talis fuit, ut invocaret Dominum, et Dominus exaudiret [*Al.* exaudisset] eum, et in tempore messis pluviam hyemis impetraret, habuit filios qui declinaverunt 698 post avaritiam, et accipiebant munera, et tam iniqui judices exstiterunt, ut populus nequaquam ferens, regem sibi in similitudinem cæterarum gentium postularet (I *Reg.* xii). Ergo si electio sacerdotum fieret, et Isaac propter Esau, et Samuel propter filios suos, indigni sacerdotio putarentur. Et cum peccata parentum filiis non imputentur, nequaquam jam illa vigente sententia, *parentes uvam acerbam comederunt, et dentes filiorum obstupuerunt* (*Ezech.* xviii, 2), filiorum vitia parentibus præjudicabunt? Primum itaque dicendum est, quod tam sanctum nomen sit sacerdotii, ut nobis etiam ea quæ extra nos sunt posita, reputentur, non quo propter vitia nostra episcopi non fiamus: sed quod propter filiorum incontinentiam ab hoc gradu arcendi simus. Qua enim libertate possumus alienos filios corripere, et docere quæ recta sunt: cum nobis statim possit qui fuerit correptus ingerere: Ante doce filios tuos? Aut qua fronte extraneum corripio fornicantem, cum mihi conscientia mea ipsa respondeat: Exhæreda ergo fornicantem filium: abjice filios tuos vitiis servientes? Cum autem nequam filius in una tecum [a] conveniat domo, tu audes ab alterius oculo festucam detrahere, in tuo trabem non videns (*Matth.* vii *et Luc.* vi)? Non itaque justus polluitur ex filiorum vitiis: sed libertas ab Apostolo Ecclesiæ principi reservatur: quod [*Al.* ut] talis fiat qui non timeat propter vitia liberorum extraneos reprehendere. Deinde etiam illud est inferendum adversum eos qui de episcopatu intumescunt, et putant se non dispensationem Christi, sed imperium consecutos: quia non statim omnibus his meliores sint, quicumque episcopi non fuerint ordinati: et ex eo quod electi sunt, ipsi se magis existiment comprobatos: sed intelligant propterea quosdam a sacerdotio remotos, quia eos vitia liberorum impedierint. Si autem peccata filiorum justum ab episcopatu prohi- A bent: quanto magis unusquisque se considerans, et sciens, quia potentes potenter tormenta patientur (*Sap.* vi), retrahet [*Al.* retrahit] se ab hoc non tam honore quam onere: et aliorum locum, qui magis digni sunt, non ambiet occupare! Ad extremum hoc dicendum est in Scripturis per filios λογισμοὺς, 699 id est, *cogitationes*; per filias vero, πράξεις, id est, *opera* intelligi, et eum nunc præcipi debere Episcopum fieri, qui et cogitationes, et opera in sua habeat potestate, et vere credat in Christo, et nulla subrepentium vitiorum labe maculetur.

(Vers. 7.) *Oportet enim episcopum sine crimine esse, tamquam Dei dispensatorem: non protervum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri appetitorem.* Quæritur ergo inter dispensatores, B ut fidelis quis inveniatur: et non comedens et bibens cum ebriosis, percutiat servos et ancillas; sed incertum Dei exspectet adventum, et det conservis in tempore cibaria. Inter villicum autem et familiam hæc sola distantia est quod conservus præpositus est conservis suis. Sciat itaque episcopus et presbyter, sibi populum conservum esse, non servum. Cætera quæ sequuntur, in nobis posita sunt: *Non protervum*, id est, *non tumentem* et placentem sibi quod episcopus sit, sed quasi bonum villicum, id requirentem, quod pluribus prosit. *Non iracundum.* Iracundus est, qui semper irascitur, et ad levem responsionis auram atque peccati, quasi a vento folium commovetur. Et revera nihil est fœdius præceptore furioso, qui cum debeat esse mansuetus (et secundum illud quod C scriptum est (I *Tim.* ii): *Servum autem Domini non oportet rixari; sed humilem esse ad omnes, doctorem, patientem, in mansuetudine erudientem eos qui contra veniunt*), ille e diverso torvo vultu, trementibus labiis, rugata fronte, effrenatis conviciis, facie inter pallorem ruboremque variata, clamore perstrepat: et errantes non tam ad bonum retrahat, quam ad malum sua sævitia præcipitet; inde est quod et Salomon ait: *Ira perdit etiam sapientes* (*Prov.* xxi); Et: *Ira viri justitiam Dei non operatur* (*Jacob.* i, 20). Neque vero qui aliquando irascitur, iracundus est: sed ille dicitur iracundus, qui crebro hac passione superatur. Prohibet quoque episcopum esse vinolentum, de quo ad Timotheum scribitur: *Non multo vino deditum* (I *Tim.* iii, 8). Quale est autem episco- D pum videre vinolentum, ut sensu occupato, vel exaltet risum contra gravitatis decorem, et labiis dissolutis cachinnet: vel si paululum tristis cujusdam 700 rei fuerit recordatus, inter pocula in singultus prorumpat et lacrymas. Longum est ire per singula, et insanias quas ebrietas suggerit, explicare. Videas alios pocula in tela vertentes, scyphum in faciem jacere convivæ: alios scissis vestibus in vulnera aliena proruere: alios clamare: alios dormitare: qui plus biberit, fortior computatur: accusationis occasio est, adjuratum per reges, frequentius

[a] Erasmus legit, *communicat*. Mariano magis placet *convivat*. In nonnullis mss. legi, *in una tecum domo vivat*. Mart. —Quod et magis Victorio placuit, nostri mss. præferunt, *convivat*; olim erat, *communicat*.

non bibisse. Vomunt ut bibant, bibunt ut vomant. Digestio ventris, et guttur, uno occupantur officio. Hoc nunc dixisse sufficiat, quod secundum Apostolum, in vino luxuria est. Et ubicumque saturitas atque ebrietas fuerint, ibi libido dominetur. Specta [a] ventrem et genitalia, pro qualitate vitiorum ordo membrorum. Numquam ego ebrium castum putabo, qui et si vino consopitus dormierit, tamen potuit peccare per vinum. Miramur autem Apostolum in episcopis sive presbyteris damnasse vinolentiam, cum in vetere quoque lege præceptum sit, sacerdotes cum ingrediuntur templum ministrare Deo, vinum omnino non bibere (*Levit.* x) : et Nazaræum quamdiu sanctam comam nutriat, et nihil contaminatum, nihil mortale conspiciat, et a vino abstinere, et ab uva passa, et a [b] dilutiori quæ solet ex vinaceis fieri, potione, omnique sicera, quæ mentem ab integra sanitate pervertit (*Num.* vi). Dicat quisque quod volet : ego loquor conscientiam meam : scio mihi abstinentiam, et nocuisse intermissam, et profuisse repetitam. Post vinolentiam autem hoc præcipit, *ne percussor sit :* quod quidem et simpliciter intellectum ædificat audientem, ne facile manum porrigat ad cædendum : ne in os alterius verberandum insanus erumpat. Melius autem est, ut non percussorem illum dicamus esse, qui mansuetus et patiens, scit in tempore quid loquendum sit, quidve tacendum : nec sermone inutili, conscientiam percutit infirmorum. Non enim Apostolus ecclesiæ principem formans, vetat esse pugilem et pancratiasten [παγκρατιαστὴν, id est, *athletam*] (quod etiam in plebeio et quocumque gentili si fuerit, reprehenditur), sed hoc ut dixi : ne contumeliosus et garrulus perdat eum, **701** quem potuit modestia et lenitate corrigere. Turpis quoque lucri appetitus ab eo qui episcopus futurus est, esse debet alienus. Sunt enim multi docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia : qui totas domos subvertunt, et putant quæstum esse pietatem. *Melior autem est*, juxta Salomonem, *modica acceptio cum justitia, quam multa genimina* [Al. *germinata*] *cum iniquitate* (*Prov.* xvi, 8) : et magis eligendum in paupertate nomen bonum, quam in divitiis nomen pessimum. Episcopus qui imitator Apostoli esse cupit, habens victum et vestitum, his tantum debet esse contentus (I *Tim.* vi). Qui altario servierint, de altario vivant (I *Cor.* ix). Vivant, inquit, non divites fiant. Unde et æs nobis excutitur de zona : et una tantum tunica induimur (*Matt.* x *et Marc.* vi) : nec de crastino cogitamus. Turpis lucri appetitio est, plusquam de præsentibus cogitare. Hucusque quid non debeat habere episcopus sive presbyter, Apostoli sermone præceptum est : nunc econtrario quid habere debeat, explicatur.

(Vers. 8, 9.) *Sed hospitalem, bonorum amatorem,*

A *castum, justum, sanctum, continentem,* sive *abstinentem, obtinentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit consolari in doctrina sana, et contradicentes arguere.* Ante omnia hospitalitas futuro episcopo denuntiatur. Si enim omnes illud de Evangelio audire desiderant : *Hospes fui, et suscepistis me* (*Matt.* xxv, 35) : quanto magis episcopus, cujus domus omnium commune esse debet hospitium! Laicus enim unum aut duos, aut paucos recipiens, implebit [*Al.* implevit] hospitalitatis officium. Episcopus nisi omnes receperit, inhumanus est. Sed vereor ne, quomodo regina Austri veniens a finibus terræ audire sapientiam Salomonis (*Matt.* xii), judicatura est homines temporis sui : et viri Ninivitæ, acta pœnitentia ad prædicationem Jo-
B næ, condemnabunt eos qui majorem Jona Salvatorem audire contempserunt : sic plurimi in populis episcopos judicent, subtrahentes se ab ecclesiastico gradu, et ea quæ episcopo [c] non conveniunt exercentes; de quibus puto et Joannem ad Caium scribere: *Charissime, fideliter facis quodcumque operaris in fratribus, et hoc peregrinis, qui testimonium dederunt dilectioni tuæ coram Ecclesia : quos optime facis, si præmiseris Deo digne : pro nomine enim Domini* **702** *exierunt, nihil accipientes a gentilibus* (III *Joan.* 5 *seqq.*). Et vere sancto Spiritu in se loquente, quod futurum erat in Ecclesiis, jam tunc reprehendit dicens : *Scripsi etiam Ecclesiæ : sed qui primatus agere cupit eorum, Diotrephes* [Al. *Dioprepes*], *non recipit nos. Propterea cum venero, admonebo ejus opera,*
C *quæ facit malis verbis detrahens de nobis : et non sufficit ei quod ipse non recipit fratres, sed et volentes prohibet, et de Ecclesia ejicit.* Vere nunc est cernere quod prædictum est, in plerisque urbibus, episcopos, sive presbyteros, si laicos viderint hospitales, amatores bonorum ; invidere, fremere, excommunicare, de Ecclesia expellere; quasi non liceat facere quod episcopus non faciat : et tales esse laicos, damnatio sacerdotum sit [*Al.* est]. Graves itaque eos habent, et quasi cervicibus suis impositos, ut a bono abducant opere, variis persecutionibus inquietant. Sit autem episcopus et pudicus, quem Græci σώφρονα vocant : et Latinus interpres verbi ambiguitate deceptus, pro *pudico*, *prudentem* transtulit. Si autem laicis imperatur, ut propter orationem abstineant se
D ab uxorum coitu : quid de episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis, illibatas Deo oblaturus est victimas? relegamus Regum [*Al.* Regnorum] libros, et inveniemus sacerdotem Abimelech de panibus propositionis noluisse prius dare David et pueris ejus, nisi interrogaret, utrum mundi essent pueri a muliere : non utique aliena, sed conjuge (I *Reg.* xi). Et nisi eos audisset ab heri et nudiustertius vacasse ab opere conjugali, nequaquam

[a] Hæc delibarit S. Pater ex Tertulliani libro de Jejuniis contra Psychicos initio : *Specta corpus, et una regio est, denique pro dispositione membrorum, ordo vitiorum. Prior venter et statim cætera saginæ substructa lascivia est, per edacitatem fallacitas transit.*

[b] Victorius emendare dum vult, locum hunc depravat, legens, *et a delicatiori*, etc.

[c] Negandi particula in uno alterove Cisterciens. ms. desideratur.

panes quos prius negaverat, concessisset. [a] Tantum interest inter propositionis panes et corpus Christi, quantum inter umbram et corpora, inter imaginem et veritatem, inter exemplaria futurorum et ea ipsa quæ per exemplaria præfigurabantur. Quomodo itaque mansuetudo, patientia, sobrietas, moderatio, abstinentia lucri, hospitalitas quoque et benignitas, præcipue esse debent in episcopo, et inter cunctos laicos eminentia : sic et castitas propria et (ut ita dixerim) pudicitia sacerdotalis, ut non solum ab opere se immundo abstineat, sed etiam a jactu oculi et cogitationis errore, mens Christi corpus confectura sit libera. Justus quoque et sanctus episcopus **703** esse debet, ut justitiam in populis quibus præest, exerceat, reddens unicuique quod meretur : nec accipiat personam in judicio. Inter laici autem et episcopi justitiam hoc interest, quod laicus potest apparere justus in paucis, episcopus vero in tot exercere justitiam [b] potest, quot et subditos habet. Sanctus autem quod Græce ὅσιος dicitur, magis id significat, cum ipsa sanctitas est mixta pietati, et ad Deum refertur. Quem enim nos sanctum, Græci ἅγιον vocant : quem autem illi ὅσιον, nos *pium* in Deum possumus appellare. Sit quoque episcopus et abstinens : non tantum (ut quidam putant) a libidine et ab uxoris amplexu, sed ab omnibus animi perturbationibus : ne ad iracundiam concitetur : ne illum tristitia dejiciat : ne terror exagitet, ne lætitia immoderata sustollat. Abstinentia autem in fructibus spiritus ab Apostolo numerata est. Et si exigitur ab omnibus, quanto magis ab episcopo, qui patiens et mansuetus debet vitia ferre peccantium : consolari pusillanimes : sustentare infirmos : nulli malum pro malo reddere ; sed vincere in bono malum. Ad extremum obtineat eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut quomodo sermo Dei fidelis est, et omni acceptione dignus ; sic et ille talem se præbeat, ut omne quod loquitur, fide dignum existimetur, et verba ipsius sint regula veritatis. Potens quoque sit eos qui sæculi istius turbinibus exagitantur, consolari, et per sanam doctrinam infirma præcepta destruere. Sana autem doctrina dicitur, ad distinctionem languidæ infirmæque doctrinæ. Talis quoque sit, ut contradicentes arguat hæreticos sive Judæos, et sæculi istius sapientes. Et superiora quidem quæ in episcopi virtutibus posuit, ad vitam pertinent. Hoc vero quod ait : *Ut potens sit consolari in doctrina sana : et contradicentes arguere*, referendum est ad scientiam. Quia si episcopi tantum sit sancta vita, sibi potest prodesse sic vivens. Porro si doctrina et sermone fuerit eruditus, potest [c] se cæterosque instruere : et non solum instruere, et docere suos : sed et adversarios repercutere : qui nisi refutati fuerint atque convicti, facile queunt simplicium corda **704** pervertere. Hic locus adver-

A sus eos facit, qui inertiæ se, et otio, et somno dantes, putant peccatum esse, si scripturas legerint : et eos qui in Lege Domini meditantur die ac nocte, quasi garrulos inutilesque contemnunt : non animadvertentes Apostolum post catalogum conversationis episcopi, etiam doctrinam similiter præcepisse.

(Vers. 10, 11.) *Sunt enim multi et non subditi, vaniloqui, et mentium deceptores : maxime qui de circumcisione sunt, quibus oportet silentium indici : qui universas subvertunt domos, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.* Qui Ecclesiæ futurus est princeps habeat eloquentiam cum vitæ integritate sociatam, ne opera absque sermone sint tacita, et dicta factis deficientibus erubescant : maxime cum sint non pauci, sed plures : nec subditi, sed protervi, qui B non curent illud Psalmistæ dicere : *Nonne subjecta est Deo anima mea* (*Ps.* LXI, 1)? Sed bonam [*Al.* bonarum] mentium sementem, quæ naturaliter habet notitiam Dei, inani persuasione pervertant. Hoc quippe mihi Paulus videtur sensisse, cum dicit φρεναπάται : non ut simpliciter Latinus interpres transtulit, *deceptores*, sed *mentium deceptores*. Et quidem sine Scripturarum auctoritate garrulitas non haberet fidem, nisi viderentur perversam doctrinam etiam divinis testimoniis roborare. Illi sunt de circumcisione Judæi, qui tunc temporis nascentem Christi Ecclesiam subvertere nitebantur, et introducere præcepta legalia : de quibus et ad Romanos, et ad Galatas plenius Paulus exsequitur. Et nos ante paucos menses, tria volumina in Epistolæ ad Galatas C explanatione dictavimus. Tales homines Doctor Ecclesiæ, cui animæ populorum creditæ sunt, Scripturarum debet ratione superare, et silentium illis testimonium pondere imponere : qui non unam, aut paucas domos, sed universas cum dominis familiisque subvertunt, docentes de ciborum differentiis, de sabbati jam olim abolitione, de circumcisionis injuria : atque utinam hoc ipsum zelo fidei facerent, ex parte aliqua posset ignosci, dicente Apostolo : *Confiteor, zelum Dei habent, sed non secundum scientiam* (*Rom.* X, 2). Verum quia Deus est venter ipsorum, turpis lucri gratia volunt proprios facere discipulos, **705** ut quasi magistri a sectatoribus suis alantur. Possumus autem et aliter interpretari hoc quod dictum est, *turpis lucri gratia* : ut putemus Apo- D stolum communi verbo usum, quo omnes hæretici cum perversa docent, se hominum solent asserere lucratores : cum non lucrum sit, sed perditio, animas interficere deceptorum. Contra, qui errantem fratrem suum juxta Evangelium corripuerit, si fuerit ille conversus, lucratus est eum. Quod enim majus lucrum potest esse, aut quid pretiosius, quam si humanam animam quis lucretur? Omnis igitur doctor Ecclesiæ, qui ad fidem Christi recta ratione persuadet, honestus lucrator est. Et omnis hæreti-

[a] Fortasse rectius in vetustiori Cisterciensi codice, *quantum interest inter propositionis panes et corpus Christi? quæ differentia inter umbram*, etc., sub interrogandi nota.

[b] Duo mss. *debet*, pro, *potest* : idemque mox ἅγιος, pro ὅσιος.

[c] Iidem mss. *potest cæteros quoque instruere*.

cus, qui quibusdam præstigiis homines fallit et fallitur, loquitur quæ non oportet, turpis lucri gratia.

(Vers. 12 seqq.) *Dixit quidam ex illis proprius eorum propheta : Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est : ob quam causam increpa illos* [a] *acriter, ut sani sint in fide, non attendentes Judaicis fabulis, et mandatis hominum aversantium se a veritate.* Quantum ad textum sermonis, et ad continentiam loci pertinet, hoc quod ait : *Dixit quidam ex illis proprius eorum propheta*, videtur ad eos referri, de quibus superius est locutus : *maxime qui de circumcisione sunt : quos oportet refrenari, qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia*, ut sequatur : *dixit quidam ex illis proprius eorum propheta.* Quia vero in nullo prophetarum qui apud Judæos B vaticinati sunt, hic hexameter versiculus reperitur, videtur mihi dupliciter legendum, ut hoc quod ait : *Dixit quidam ex illis proprius eorum propheta*, cum superioribus copuletur, *cujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deerant, corrigeres*, et sequatur : *dixit quidam ex illis proprius eorum Propheta*, id est, Cretensium. Sed quia multa in medio sunt, et hoc absurdum videtur, et forte nemo recipiat : propterea cum superioribus, quæ magis vicina sunt, aliter aptandum est, ut legamus : *Sunt enim multi et* **706** *non subditi, vaniloqui, et mentium deceptores, maxime autem qui de circumcisione sunt* ; quos multos et non subditos, vaniloquos, et mentium deceptores, cum his qui de circumcisione sunt, oportet refrenari, qui universas domos subvertunt, docentes quæ non C oportet turpis lucri gratia : dixit quidam ex illis proprius eorum Propheta : ut id quod ait, *proprius eorum Propheta*, non specialiter ad Judæos, et eos maxime qui de circumcisione sunt, sed ad multos referatur, qui non subditi sunt, et vaniloqui, et mentium deceptores, qui utique quia in Creta erant, Cretenses fuisse credendi sunt. Dicitur autem iste versiculus in Epimenidis Cretensis poetæ oraculis

A reperiri; quem in [b] præsentiarum sive illudens [*Al.* alludens] prophetam vocavit, quod scilicet tales Christiani, tales habere mereantur prophetas : quomodo et prophetæ erant Baal, et prophetæ confusionis, et alii offensionum ; et quoscumque vitiosos prophetas Scriptura commemorat: sive vere, quia de Oraculis scripserit atque responsis, quæ et ipsa futura prænuntient, et ea quæ ventura sunt multo ante prædicant. Denique ipse liber, *Oraculorum* titulo prænotatur : quem quia videbatur divinum aliquid repromittere, propterea Apostolum arbitror inspexisse, ut videret quid gentilium divinatio polliceretur : et in tempore abusum esse versiculo, scribentem ad Titum qui erat Cretæ : ut falsos Cretensium doctores propriæ insulæ [c] doctore convinceret. Hoc autem Paulus non solum in hoc loco, sed etiam in aliis fecisse deprehenditur. In Actibus quippe apostolorum, cum concionaretur ad populum, et in Areopago, quæ est curia Atheniensium, disputaret, inter cætera ait : *Sicut et quidam de vestris poetis dixerunt : Ipsius enim et genus sumus* (*Act.* XVII), quod hemistichium in Phœnomenis Arati legitur : quem Cicero in Latinum sermonem transtulit; et Germanicus Cæsar, et nuper Avienus, et multi, quos enumerare perlongum est. Ad Corinthios quoque (I *Cor.* XV, 33), qui et ipsi Attica facundia expoliti; et propter locorum **707** viciniam Atheniensium sapore conditi sunt, de Menandri comœdia versum sumpsit iambicum : *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Nec mirum si pro opportunitate temporis, gentilium poetarum versibus abutatur : cum etiam de inscriptione aræ aliqua commutans, ad Athenienses locutus sit : *pertransiens enim*, inquit, *et contemplans culturas vestras, inveni et aram in qua superscriptum est : Ignoto Deo. Quod itaque ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.* Inscriptio autem aræ non ita erat, ut [d] Paulus asseruit, *ignoto Deo*, sed ita : *Diis Asiæ et Europæ, et Africæ : diis ignotis et peregrinis.* Verum

[a] Cisterciens. mss. *graviter*, pro *acriter*, longius a Græco, ἀποτόμως.

[b] Epimenidis laudari ab Apostolo sententiam, nihil est dubium. Quod vero tradit S. Pater, ex eo fortasse prophetam eum appellari, *quia de Oraculis scripserit*, versusque ille ex eo petatur libro, qui *Oraculorum titulo prænotatur*, utcumque probant et Socrates III, 16, et Nicephorus X, 26. Fortasse etiam Luciani Scholiastes tom. I sub initium : ὁ Ἐπιμενίδης Κρὴς ἦν χρησμολόγος, οὗ καὶ τὸ, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, λόγιον. *Epimenides Cretensis Vates erat, cujus et illa sententia est, Cretenses semper mendaces.* Cæterum qui divinandi laudem Epimenidi tribuerint, occurrunt ex Antiquis multi : Plato de Legibus lib. II; Aristoteles Rhetor. lib. VI, cap. 17; Plutarchus in Solone, Laertius lib. I, aliique. Epimenidem celebrem poetam epicum, natione Cretensem, dicit et Apuleius lib. II Floridor.; et cum mira multa, licet fabulis immixta, de ipso traderentur a concivibus suis, ut testantur Laertius et Cicero lib. I de Divin. veluti *propheta* futurorum præscius est habitus.

[c] Duo Cisterciens. mss., *proprio insulæ auctore intererat*.

[d] Hanc de vera Atheniensi inscriptione quæstionem recentiores critici luculentissimis dissertationibus agitarunt, quos adire satius lectori fuerit. Quæ tamen Victorio in hunc locum annotata sunt, ne doleat quis prætermissa, apponam : Clemens, inquit, Alexandrinus primo Stromatum libro, scribit D Paulum iambo tragico uti, dum dicit, Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. In eumdem sensum iambum esse ex Menandri comœdia, sumptum Hieron. scribit. Constat similiter ex Arati Phænomenis sumptum, quod Act. XVII similiter Paulus usurpat, dum ait : *Sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt : Ipsius enim et genus sumus* : τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, inquit, Aratus. Illud autem : Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί : quod est Latine : *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri* : Epimenidis poetæ esse, a Callimacho quoque usurpatum erudite Hieronymus scribit. Aram autem, ἀγνώστῳ Θεῷ, hoc est, *Ignoto Deo*, ab Atheniensibus erectam, non solum ex Actis Apostolorum, verum etiam ex Diogene Laertio in vita Epimenidis diserte apparet. Diogenis autem verba sunt hæc : *Unde et Athenienses cum aliquando peste laborarent, responso a Pythia accepto, urbem expiari oportere, Niciam Nicerati filium navi misere, Epimenidemque ex Creta advocarunt. Profectus autem Olympiade 27, lustravit urbem, pestemque compescuit hoc modo : Sumptas oves*

quia Paulus non pluribus diis indigebat ignotis, sed uno tantum ignoto Deo, singulari verbo usus est: ut doceret illum suum esse Deum, quem Athenienses in aræ titulo prænotassent; et recte eum scientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, et nescire non poterant. Hoc autem Paulus faciebat raro, et ut loci potius quam ostentationis opportunitas exigebat, in morem apium, quæ de diversis floribus solent mella componere, et favorum cellulas construere. Sunt qui putent hunc versum de *Callimacho Cyrenensi poeta sumptum, et aliqua ex parte non errant. Siquidem et ipse in laudibus Jovis adversus Cretenses scriptitans, qui sepulcrum ejus se ostendere gloriabantur, ait: *Cretenses semper mendaces: qui et sepulcrum ejus sacrilega mente fabricati sunt.* Verum, ut supra diximus, integer versus de Epimenide poeta ab Apostolo sumptus est; et ejus Callimachus in suo poemate est usus exordio. Sive vulgare proverbium, quo Cretenses fallaces appellabantur, sine furto 708 alieni operis in metrum retulit. Putant quidam Apostolum reprehendendum, quod imprudenter lapsus sit; et [*Al.* ut] dum falsos doctores arguit, illum versiculum comprobarit: quod propterea Cretenses dicuntur [*Al.* dicunt] esse fallaces, quod Jovis sepulcrum inane construxerint. Si enim, inquiunt, Epimenides sive Callimachus, propterea Cretenses fallaces, et malas bestias arguunt, et ventres pigros, quod divina non sentiant; et Jovem, qui regnet in cœlo, in sua insula fingant sepultum: et hoc quod illi dixerunt, esse verum Apostoli sententia comprobatur: sequitur Jovem non mortuum esse, sed vivum. Imperite igitur Paulus idololatriæ destructor, dum adversus perversos doctores agit, deos quos impugnabat, asserit. Quibus breviter respondendum est, sicut in eo quod ait: *Corrumpunt mores bonos colloquia prava* [Al. *mala*]. Et in illo, *Ipsius enim et genus sumus*, non statim totam Menandri comœdiam, et Arati librum probavit; sed opportunitate versiculi abusus est: ita et in præsenti loco non totum opus Callimachi, sive Epimenidis, quorum alter laudes Jovis canit, alter de Oraculis scriptitat, per unum versiculum confirmavit: sed Cretenses tantum mendaces vitio gentis increpavit; non ob illam opinionem, qua sunt arguti a poetis, sed ob ingenitam mentiendi facilitatem, de proprio eos gentis auctore confutans. Qui autem putant totum librum debere sequi eum qui libri parte usus sit, videntur mihi et apocryphum Enochi [*Al.* apocryphorum Enoc], de quo apostolus Judas in Epistola sua testimonium posuit, inter Ecclesiæ Scripturas recipere; et multa alia quæ apostolus Paulus de reconditis est locutus. Possumus 709 enim hoc argumento dicere: quia apud Athenienses ignotum Deum colere se dixit, quem illi in ara annotaverant, debere Paulum et cætera, quæ in ara scripta fuerant, sequi, et ea quæ Athenienses faciebant, facere: quia cum Atheniensibus in cultura ignoti Dei ex parte consenserat. Absit ut argumentum et scholasticam elegantiam in calumniam traham. Nemo est tam sicarius, et tam parricida, tam veneficus, qui non aliquid boni aliquando fecerit. Ergo si unum bonum illius videns probavero, et in cæteris mihi incumbet necessitas, quæ mala fuerint approbandi? Si inimicus adversus nos jurgetur et clamitet, nonne inter verba simultatis et rixæ aliquid loquetur veritatis? quod et a nobis quoque adversus quos loquitur, non usquequaque reprehenditur. Itaque et Callimachus et Epimenides, non ideo vera dixerunt, Jovem deum esse, et reliqua quæ in eorum carminibus continentur, quia Cretenses fallaces sunt; sed in eo tantummodo verum locuti sunt, quia ingenitum Cretensium vitium expressere mendacii: qui quia fallaces sunt, non statim et verum non aliquando dixerunt. Nec enim Jupiter deus idcirco non esset, si Cretenses vera loquerentur; sed tamen illis tacentibus, qui mortuus erat, dei vocabulum non haberet. Denique ut sciamus Apostolum non fortuito, et ut libet transitorie (ut illi arbitrantur), sed considerate et circumspecte, et ex omni parte se protegentem adversus Cretenses locutum: *Testimonium*, inquit, *hoc verum est;* non totum carmen, de quo testimonium sumptum, non universum opus: sed tantum hoc testimonium, hic versiculus quo mendaces vocantur. Et utique qui in una tantum poematis parte consensit, cætera consutasse credendus est. Quomodo autem vel Cretenses mendaces, et stulti Galatæ, vel dura cervice Israel, vel unaquæque provincia proprio vitio denotetur, in Epistola Pauli ad Galatas disseruimus. Et quia nihil amplius est quod hic possimus afferre, illo contenti sumus. Quamobrem increpa, ait, illos acriter: mendaces quippe sunt, et malæ bestiæ, et ventres pigri: qui falsa persuadent, qui ferarum ritu sanguinem sitiunt deceptorum: et non cum silentio operantes, suum panem manducant: quorum deus 710 venter est, et gloria in confusione eorum: et increpa, ut sani sint in fide. De qua fidei sanitate et in consequentibus loquitur: Senes sobrios esse, honestos,

nigro et candido vellere, duxitque in Areopagum; atque inde quo vellent, abire permisit: his qui illas sequebantur mandans, ubicumque illæ accubuissent, singulas mactarent peculiari cuipiam Deo: atque in hunc modum quievit lues. Ex eo jam hodieque per Atheniensium pagos, aras sine nomine inveniri certum est, in ejus, quæ tum facta est, expiationis memoriam. Non tamen propterea falsum esse, quod Hieronymus prodit, dicendum: Aram scilicet erectam fuisse cum hac inscriptione: *Diis Asiæ, et Europæ, et Africæ: Diis ignotis, et peregrinis.* Constat quippe ex eo ignotis, et peregrinis, diis aras statutas, alteramque inscriptionem alteram exponere potius, quam destruere, præsertim cum ex multis aris, quas multas fuisse constat ex Diogene, una primo, altera secundo modo inscribi potuerit.

* Ut aliquos de nomine appellem, Chrysostomus et Theodoritus; sed ipsius Epimenidis carmen allusisse Callimachum, nihil est dubium. Jovi sepulcrum Cretæ suo adhuc superstitisse tempore testatur S. Cyprianus lib. de Idolorum vanitate: *Antrum Jovis in Creta visitur, et sepulcrum ejus ostenditur;* totidemque verbis Minucius Felix: *Adhuc antrum Jovis visitur, et sepulcrum ejus ostenditur.*

pudicos, sanos in fide, et charitate, et patientia: ad quam fidei similitudinem, doctrinæ quoque sanitas appellatur. *Erit*, ait [Al. *enim*], *tempus quando sanæ doctrinæ non acquiescent*. Sunt et sermones sanitatis, de quibus ad Timotheum in prima Epistola loquitur: *Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et quæ secundum pietatem est doctrinæ* (I *Tim*. VI, 3). Et in secunda: *Exemplum habens sanorum verborum quæ a me audisti* (II *Tim*. I, 13). Qui hanc habent fidei et doctrinæ sanitatem atque verborum, non [a] attendent Judaicis fabulis et mandatis hominum aversantium se a veritate. Acquiescamus paulisper Judæis, et eorum, qui apud eos sapientes vocantur, patienter ineptias audiamus; et tunc intelligemus quæ sunt [*Al.* sint] Judaicæ fabulæ sine auctoritate Scripturæ, sine ulla assertione rationis, animalia quædam et fabulosa fingentium, de quibus Isaias prophetavit, dicens: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Sine causa autem me colunt: docentes doctrinas et mandata hominum* (*Isai*. XXIX, 13). Quod testimonium Salvator in Evangelio comprobans, arguit eos Legi Dei mandata hominum prætulisse. *Deus quippe ait: Honora patrem et matrem:* Illi vero tradiderunt: *Quia quicumque dixerit patri et matri: munus quodcumque est ex me, tibi proderit, et non honorificabit patrem suum et matrem* (*Matth*. XV, 3 *seqq*.). Si quis post adventum Christi conciditur, et non circumciditur: Judaicis servit fabulis et mandatis hominum aversantium veritatem [*Al*. veritate]. Non enim qui in manifesto Judæus est, sed qui in occulto: et circumcisio cordis in spiritu, non littera. Si quis Pascha agit, non in azymis sinceritatis et veritatis: ut exterminet ex anima sua omne vetus fermentum malitiæ et nequitiæ: iste attendit fabulas, et umbras sequitur, veritate neglecta. Si quis non resurgens cum Christo, nec quærens ea quæ sursum sunt, sed quæ deorsum, dicit: *Ne tetigeris, ne gustaveris, ne tractaveris quæ sunt in corruptione*, ipso usu secundum præcepta et doctrinas hominum, iste sequitur justitias non bonas, et præcepta non bona. Ubi autem est veritas, et lex **711** spiritualis, ubi justificationes bonæ, et præcepta sunt optima: quæ qui fecerit, vivet in eis.

(Vers. 15.) *Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum: sed polluta est eorum et mens, et conscientia*. Quia superius dixerat: *Sunt enim multi et non subditi, vaniloqui, et deceptores, maxime qui de circumcisione sunt*, et de his qui ab eis decepti fuerant, consequenter addiderat: *Increpa illos acriter, ut sani sint in fide, non intendentes Judaicis fabulis et mandatis hominum aversantium veritatem*. Et quomodo ad Galatas et ad Romanos plenissime disputatur, putabant inter cibos esse distantiam, cum aliqui mundi, aliqui viderentur immundi, propterea nunc infert: *Omnia munda*
A *mundis*, his videlicet qui in Christo credunt, et sciunt omnem creaturam bonam esse: et nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. *Coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum: quia* polluta est eorum et mens, et conscientia: propterea etiam quæ munda sunt per naturam, eis immunda fiunt. Non quod vel mundum sit aliquid, vel immundum: sed pro qualitate vescentium, et mundum mundis, et immundum contaminatis fiat. Alioquin infideles quosque atque pollutos, etiam panis benedictionis, et calix Dominicus non juvat; quia qui indigne comederit de pane illo, et de calice biberit, judicium sibi manducat et bibit (I *Cor*. XI). Adventu Christi purgata sunt omnia. Quæ ille mundavit, nos communicare non possumus. Sed considerandum
B ne ista tractantes, occasionem illi hæresi demus, quæ juxta Apocalypsim (*Cap*. II), et ipsum quoque apostolum Paulum scribentem ad Corinthios, putat de idolothytis esse vescendum: quia omnia munda sunt mundis (I *Cor*. VIII). Nunc enim Apostolo non fuit propositum de his quæ immolantur dæmonibus disputare: sed adversus Judæos, qui secundum Legis abolitæ disciplinam, quædam munda, quædam arbitrabantur immunda. *Non enim*, inquit, *possumus mensæ Domini participare, et mensæ dæmoniorum: nec valemus simul bibere calicem Domini, et calicem dæmoniorum* (I *Cor*. X, 20, 21). In nobis itaque est comedere vel munda, vel immunda. Si enim mundi sumus, munda nobis est creatura. Si autem immundi et infideles, fiunt nobis universa communia:
C sive per inhabitantem in cordibus nostris hæresim, **712** sive per conscientiam delictorum. Porro si conscientia nostra nos non reprehenderit, et habuerimus fiduciam pietatis ad Dominum: orabimus spiritu, orabimus et mente: psallemus spiritu, psallemus et mente (I *Cor*. XIV): et procul erimus ab his, de quibus nunc scribitur: *Polluta est eorum et mens et conscientia*.

(Vers. 16.) *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: exsecrabiles, et inobedientes, et ad omne opus bonum reprobi*. Hi quorum polluta est, et mens, et conscientia, Deum se nosse confitentur, factis autem negant secundum illud quod in Isaia dicitur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Isai*. XXIX, 13). Quomodo igitur labiis qui
D honorat, et corde procul recedit: ita Deum sermone quis confitens, operibus negat. Negans autem operibus Deum, confessione simulata recte exsecrabilis et profanus est: et nulla veritatis ratione persuasus, inobediens et incredulus appellatur. Unde evenit ut ad omne opus bonum reprobus sit: quod scilicet, etiam ea quæ naturali bonitate superatus forte bona fecerit, non sint bona, dum mentis perversitate sunt reproba. Existimant quidam in eo tantum Deum negari, si in persecutione quis a Gentilibus comprehensus, se renuerit Christianum [*Al*.

[a] Hiulco penes Martianæum sensu, *non attendentes*. Mox Cistercienses mss., *et mendaciis hominum*, etc., pro *mandatis*: falso.

addit esse]. Sed ecce Apostolus omnibus quæ perversa sunt factis, Deum asserit denegari. Christus sapientia est, justitia, veritas, sanctitas, fortitudo. Negatur per insipientiam sapientia, per iniquitatem justitia, per mendacium veritas, per turpitudinem sanctitas, per imbecillitatem animi fortitudo. Et quotiescumque vincimur vitiis atque peccatis, toties Deum negamus. Ut [*Al.* Et] econtrario, quoties bene quid agimus, Deum confitemur. Nec arbitrandum est in die judicii illos tantum a Dei Filio denegandos, qui in martyrio Christum denegarunt : sed per omnia opera, sermones, cogitationes, Christus, vel negatus negat, vel confessus confitetur. De hac puto confessione et discipulis præcepit, dicens : *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad extremum terræ* (*Act.* I, 8), ut in B omnibus bonis operibus atque sermonibus, mens Christum ipsi dedita confiteatur. Est et quædam laudanda negatio, de qua et ipse Apostolus ait : *Ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, caste, et juste, et pie vivamus in præsenti sæculo : exspectantes beatam* **713** *spem et adventum Salvatoris nostri Dei* (*Tit.* II, 12). Quam negationem qui negaverit, et sequi voluerit Salvatorem loquentem : *Quicumque voluerit* [Al. *vult*] *venire ad me, abneget semetipsum* (*Luc.* IX, 23), exutus veterem hominem cum operibus ejus, et indutus novum, sequetur Deum suum. Quomodo autem se quis abneget, contemplandum est. Pudicus fornicatorem, quod prius fuerat, negat : sapiens imprudentem, justus injustum, fortis infirmum. Et ut in commune de omnibus C loquar, toties negamus nos, quoties priora vitia calcantes, desinimus esse quod fuimus, et incipimus esse quod ante non fuimus.

(Cap. II.—Vers. 1.) *Tu vero loquere quæ decet sanam doctrinam.* Aliud est sanam doctrinam loqui, aliud ea quæ sanæ conveniunt docere doctrinæ : qui in altero simplex tantum institutio est : in altero cum eo quod docens, vitæ quoque correctio est. *Qui enim solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* v, 19) : Domino præcipiente discipulis, non solum in meditatione Scripturarum eos laborare debere, ut quæ scripta sunt, replicent, et condant in memoriæ thesauro : sed prius faciant quæ præcepta D sunt. *Quicumque vero fecerit et docuerit, ille vocabitur magnus in regno cœlorum.* Nisi enim supergressa fuerit nostra justitia Scribarum justitiam et Pharisæorum, non possumus ingredi regna cœlorum (*Matth.* v). Qui supra Moysi cathedram sedentes, dicunt et non faciunt, et alligant onera importabilia, quæ cervicibus hominum imponunt, et ipsi minimo digito nolunt ea contingere. Hoc igitur nunc Apostolus Titum fi-

A lium in Christo, et discipulum suum docet, ut ea loquatur quæ sanæ doctrinæ conveniant : quia tunc doctrinæ sit sanitas, cum doctoris doctrina pariter, et vita consentiant.

Vers. 2.) *Senes sobrios esse, honestos, pudicos, sanos in fide, et charitate, et patientia.* Generaliter Tito ante præcipiens quid ipse loqui deberet ad cunctos, in eo quod ait : *Tu vero loquere quæ decet sanam doctrinam :* nunc per singulas species [a] quid unamquamque ætatem deceat, exponit. **714** Primum senibus viris convenientia, deinde anus quid deceat, tertio quæ adolescentibus apta sint, tam maribus videlicet, quam feminis : licet in præcepto mulierum vetularum de adolescentibus feminis mandata subjecerit : ut non tam ipse doceret adolescentulas, quam quid a vetulis docerentur, exponeret. Extremo de servis, et per singulas ætates, et conditiones, sic decenter præcepta constituit, ut sermo ejus vitæ morumque sit regula. Senes igitur sobrios esse [b], sive vigilantes, quia νηφάλιοι apud Græcos utrumque sonat : honestos, ut ætatis gravitatem morum gravitas decoret : pudicos, ne in aliena ætate luxurient, ne jam frigido ad libidinem sanguine, exemplo sint adolescentibus ad ruinam. Sanos in fide, de qua fidei sanitate supra diximus. Sanos autem non tantum in fide, verum et in charitate, et in patientia, ut cum primam fidei habuerint sanitatem, audiant a Salvatore : *Fides tua te salvum fecit* (*Marc.* x, 52). Et alibi : *Neque enim in Israel tantum fidem inveni* (*Matth.* VIII, 10). Et propter eamdem fidei sanitatem fiant filii Abrahæ, de quo scriptum est : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam* (*Genes.* xv, 8). Et Abacuc de hac fidei sanitate commemorans ait : *Justus autem ex fide mea vivit* [Al. *vivet*] (*Abac.* II, 3). Relege ad Hebræos Epistolam Pauli apostoli (sive cujuscumque alterius eam esse putas, quia jam inter Ecclesiasticas [c] est recepta), totum illum catalogum fidei enumera, in quo scriptum est : *Fide majus sacrificium Abel a Cain obtulit Deo* (*Hebr.* XI, 4 *seqq.*). Et : *Enoch translatus est, ne videret mortem;* et Noe de his quæ necdum videbat, Deo credens fabricatus est arcam, et Abraham in terram quam nesciebat, egressus est. Et ne videretur Scriptura nullum mulieribus fidei exemplum dare, in eadem Epistola scribitur, quia et Sara acceperit virtutem ad recipiendum semen, alieno jam ætatis suæ tempore, quia fidelem eum qui repromiserat, arbitrata est. Laudatur ibi fides Isaac, et Jacob, Joseph, Moysi quoque et Rahab, cæterorum, quos melius potest scire, qui ipsam Epistolam legerit. Quomodo est igitur fidei **715** sanitas : ita eadem sanitas et in charitate est. Quis autem sanitatem possidet charitatis, nisi ille qui primum Deum dilexerit

[a] Mss., *ad unamquamque ætatem quæ deceat*, etc.

[b] Addit Victorius, *præcipit*.

[c] Aliter videatur sensisse in Catalogo ad cap. 5 : *Epistola quæ fertur ad Hebræos, non ejus* (Pauli) *creditur propter styli sermonisque dissonantiam, sed vel Barnabæ, juxta Tertullianum, vel Lucæ Evangelistæ, juxta quosdam, vel Clementis Romanæ postea Ecclesiæ episcopi, quem, aiunt, ipsi adjunctum, sententias Pauli proprio ordinasse et ornasse sermone. Vel certe, quia Paulus scribebat ad Hebræos, et propter invidiam sui apud eos nominis titulum in principio salutationis amputaverit.* Confer quæ ad eum locum nobis annotata sunt, ut plerosque alios nunc omittamus.

ex tota anima sua, et ex toto corde suo, et ex totis viribus suis? Deinde Christi præceptum audiens in proximum : *Diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Matth.* v), diviserit charitatem : quia in his duobus mandatis pendet omnis Lex et Prophetæ. Qui habet sanitatem charitatis, non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non inhoneste, non ad iracundiam concitatur, non cogitat malum, non gaudet [*Al.* congaudet] super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia sustinet, omnia credit, omnia sperat, omnia præstolatur (I *Cor.* XIII). Et quia charitas numquam excidit, qui in charitatis est sanitate, numquam et ipse corruit. Siquidem nec tribulatio eum, nec angustia, nec fames, nec persecutio, nec nuditas, nec periculum, nec gladius separare poterit a sanitate charitatis, quam habuerit in Christo Jesu. Quid de B gladio et cæteris minoribus loquar, quæ non possunt eum dividere, qui sanitatis possidet charitatem : cum nec mors, nec vita, nec angeli, nec principatus, nec præsentia, nec futura, nec fortitudo, nec altitudo, nec profundum, nec alia quælibet creatura possit separare eum qui habet charitatem sanitatis in Christo Jesu? Si intellecta est a nobis sanitas charitatis, de Scripturis aliquod sumamus exemplum, eorum qui in infirmitate sunt charitatis. Ait Salvator de extremis temporibus : *Quia cum multiplicata fuerit iniquitas, refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV). Calida quippe est charitas in his qui fervent in spiritu : frigens autem et glacialis et gelida in his qui flatus Aquilonis durissimos suscepere. *Ab Aquilone enim exardescent mala super omnes inhabitantes terram* (*Jerem.* I, 14). De hoc frigore charitatis et Ammon in sorore sua Thamar obriguerat (II *Reg.* XIII). C Timendum ergo ne forte et nos hac infirmitate charitatis aliquando superemur. Nonnumquam enim evenit, ut primum a nobis in virginem, sive in quamlibet feminam sit sancta dilectio : et cum mollita mens fuerit in affectus, paulatim sanitas charitatis languore pallescat, et infirmari incipiat, et ad extremam mortem diligentem ferat. Unde et Apostolus caute et prudenter Timotheo præcipit, ut exhortetur adolescentulas in omni castitate (I *Tim.* v). Omnis autem castitas in carne et spiritu et anima est : ne scandalizetur **716** oculus; ne in pulchritudine vultus feminæ hærentes pendeamus [*Al.* *impendeamus*] : ne blanda nos audire verba delectet : ne ad simulatos sermones D mens prius dura marcescat. Caveant ergo, ut diximus, tam juvenes quam senes, tam adolescentulæ quam vetulæ, et omni diligentia custodiant cor suum : ne per sanitatem dilectionis, morbus charitatis introeat, et per amorem sanctum, fiat non sancta dilectio, quæ illos pertrahat ad gehennam. Qui sanus A est in fide, qui sanus in charitate, sanus quoque sit in patientia : et patientia, quæ maxime in tentationibus comprobatur : quia nihil prodest habuisse quæ supra enumeravimus, nisi omnes divitiæ et mercimonia, quibus onusta navis est, in tempestate serventur, et perflantibus hinc inde ventis, absque naufragio ea, quæ bene parta sunt, liberentur. Qui enim *perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV, 13).

(Vers. 3 seqq.) *Anus similiter in habitu sancto, non incentrices, non vino multo servientes; bene docentes, ut ad castitatem erudiant adolescentulas, ut ament viros suos, ut ament filios : pudicas, castas, habentes domus diligentiam, benignas, subditas viris suis, ut verbum Dei non blasphemetur*. Tametsi apostolus Petrus præceperit, ut viri uxoribus suis tamquam infirmiori vasculo honorem tribuant, non tamen arbitrandum est, quod uxor, quæ corporis vasculum habet infirmum, statim et anima infirmior sit. Unde nunc præcipitur eis, ut in ipsis quoque illud Apostoli compleatur : *Virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 9), et dicitur, ut et omnia habeant, quæ senibus viris sunt præcepta communiter, in eo scilicet quod ait : *Anus similiter*, hoc est, ita ut viri senes, in omnibus honestæ, sobriæ, pudicæ, sanæ in fide, et charitate, et patientia, et pro sexu suo hoc habeant proprium, ut sint in habitu sancto, sive ut melius legitur in Græco, ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖς, ut ipse quoque earum incessus et motus, vultus, sermo, silentium, quamdam decoris sacri præferant dignitatem. Et quia hoc genus mulierculaum esse solet garrulum, juxta illud : *Simul autem et otiosæ discunt circumire domos : non solum autem otiosæ, sed et verbosæ, et curiosæ, loquentes quæ non oportet* (I *Tim.* v, 13) : propterea eas vult esse non incentrices, id est, non accusatrices, non tales quæ ut aliis placeant, de aliis detrahant. Aut certe quia ipsæ **717** adolescentiam jam transgressæ sunt, de adolescentularum ætatibus disputent, et dicant : Illa sic ornatur, illa sic comitur, sic illa procedit : amat illum, amatur ab illo : cum etiam si hæc vera sint, non tam apud cæteros debeant accusare, quam ipsam secrete Christi charitate corripere, et magis docere ne faciat, quam in publico accusare quod fecerit. Solent hæ ætates, [a] quia corporis frixere luxuria [*Al.* luxuriam] (licet sint plurimæ, quæ nec canos suos erubescant, et ante gregem nepotum trementes virgunculæ componantur,), [b] vino se dedere pro libidine : et cum inter pocula sibi prudentes visæ fuerint et facundæ, morum quasi austeritatem assumere, loquentes hoc quod sibi videntur esse, et non

[a] Editi ante hos libri nullum habent sensum in hac pericope; ibi enim legitur hoc modo : *Solent hæ ætates, quia corporis frixere luxuriam* (*licet sint plurimæ, quæ nec canos suos erubescant, et ante gregem nepotum, trementes virgunculæ componantur*), *vino se dedere*, etc. Nos auctoritate exemplarium manuscriptorum sensum ac verba restituere curavimus. MART.

[b] Martian. *ut* voculam hic interserit, qua intrusa totus deperit Hieronymianæ sententiæ lepor et vis. Jocose scilicet atque εἰρωνικῶς S. Pater *trementes virgunculas* appellat anus illas, quæ rugas solitas poliunt, ac dum se componunt quasi adolescentulæ, præ ætate trementes sunt. Hujusmodi feminas iisdem plane verbis ridet epist. 38, de ægrotatione Blæsillæ ad Marcellam num. 3 : *quas denique ætate repo-*

recordantes illud quod fuerunt. Et a vini ergo nimio potu anus prohibeantur, quoniam quod in adolescentibus libido, hoc in senibus ebrietas est. Aut quomodo potest docere anus adolescentulas castitatem, cum si ebrietatem vetulæ mulieris adolescentula fuerit imitata, pudica esse non possit? Signanter autem [a] expressit: *Non vino multo servientes.* Servitus enim quædam est et extrema conditio, vino sensus hominis occupari, et non suum esse, sed vini. Quia igitur docuit quales primo anus deberent esse, et post illa quæ cum senibus viris habent communia, etiam propria earum exposuit, ut honesto et sancto habitu, et omni decore sint plenæ: nec accusatrices, nec aliis detrahentes, nec vino sensibus occupatis. Nunc consequenter doctrinæ eis frena permittit, ut cum tales fuerint, docendi habeant libertatem, ut scilicet doceant ea quæ bona sunt. Licet enim in alio loco dixerit: *Docere autem mulieribus non permitto* (I *Tim.* II, 12), sic intelligendum est, ut in viros sit illis doctrina sublata. Cæterum adolescentulas doceant, quasi filias suas. Primum castitatem: quia adversus hanc magis in ætate florenti pugnat inimicus, et virtus ejus omnis contra feminas in umbilico **718** ventris est: deinde ut ament viros suos, diligant filios. Quæ doctrina est amare viros; cum hoc non in eloquio docentis, sed in corde amantis sit constitutum? Vult eas amare viros suos caste: vult inter virum et mulierem esse pudicam dilectionem, ut cum pudore, et verecundia, et quasi necessitate sexus, reddat potius debitum viro quam ipsa exigat ab eo, et opera liberorum ante oculos Dei et angelorum perpetrare se credat: [b] ita nec illa erubescet etiam secretum cubile, et noctis tenebras, et clausum cubiculum suum, cum omnia patere Dei oculis cogitarit. Filios autem ita diligunt, si eos in Dei erudiant disciplina. Cæterum nolle eos contristare docendo quæ bona sunt, et libertatem tribuere peccandi [*Al.* peccati], non est amare filios, sed odisse. Erudiantur quoque adolescentulæ, ut domus habeant diligentiam. Et quia poterat evenire, ut diligentia domus cum austeritate regeretur, et per hoc Apostoli præceptum, matrona severior fieret in servulos: ideo copulavit, *benignas*: ut tunc se crederet mariti bene domum regere, si [c] cum benignitate imperet servulis, non in terrore. Necnon et *subditas viris suis*: ne forte divitiis et nobilitate perflatæ Dei sententiæ non meminerint, per quam subjectæ sunt viris. Ait quippe ad mulierem: *Ad virum* [d] *tuum conversio tua; et ipse tui dominabitur* (*Gen.* III, 16). In quo sanctæ Scripturæ consideranda prudentia est: quia non viro hoc Dominus sit locutus, et dixerit: *Dominaberis uxori tuæ*; sed ipsi mulieri, ut illi præmium relinqueret obsequelæ, dum in potestate ejus est, si Dei velit obedire præceptis, servile viro et marito esse subjecta, ut quodammodo esset libera servitus, et dilectione plena, ideo serviens est viro, dum eum metuit offendere. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Et cum caput mulieris vir sit, caput autem viri Christus: quæcumque **719** uxor non subjicitur viro suo, hoc est capiti suo, ejusdem criminis rea est, cujus et vir si non subjiciatur Christo capiti suo. Verbum autem Domini blasphematur: vel dum contemnitur Dei prima sententia, et pro nihilo ducitur: vel [e] Christi infamatur Evangelium, dum contra legem fidemque naturæ, ea quæ Christiana est, et ex Dei lege subjecta, viro imperare desiderat, cum etiam gentiles feminæ viris suis serviant communi lege naturæ.

(Vers 6 seqq.) *Juvenes similiter exhortare, ut pudici sint in omnibus: teipsum exemplum præbens bonorum operum, in doctrina, in integritate et castitate, in sermone sano et irreprehensibili: ut qui ex adverso est, revereatur, nihil habens de nobis dicere mali.* Sicut in eo quod supra præceperat, dicens: *Anus similiter in habitu sancto*, similitudinem anuum diximus, ad senes esse referendam: ita nunc in eo quod intulit: *Juvenes similiter hortare, ut pudici sint*, similitudinem juvenum ad anus, et per anus ad senes arbitramur aptandam: ut senum habeant sobrietatem, et honesti sint et pudici, et sani in fide, et charitate, et patientia. Anuum autem in habitus sanctitate [*Al.* habitu sanctitatem], ut non sint accusatores, non vino multo servientes, bene docentes, et cætera. Proprium autem adolescentulorum hoc posuit, ut pudici sint in omnibus, tam scilicet mente, quam corpore: tam opere, quam cogitatione, ut nulla sit in adolescente suspicio turpitudinis. Et licet quidam [f] de Latinis ita existiment legendum: *Juvenes similiter hortare ut pudici sint*, et postea inferant, *in omnibus teipsum formam præbens bonorum operum*: tamen sciamus, *in omnibus*, ad superiora esse referendum, id est, hortare ut pudici sint in omnibus. Sciendum quoque est quod continentia non solum in carnis opere et animi concupiscentia; sed in omnibus rebus necessaria sit: ne honores indebitos appetamus: ne se-

tum gregem trementes virgunculæ componuntur, etc.

[a] Duo mss. *Signanter autem et expresse ait: Non vino*, etc.

[b] In editione Erasmiana legimus: *ita ne illa erubescat etiam*, etc. quod Marianus castigat mutans *erubescet*, in *erubescat*. *Ita ne illa erubescat etiam secretum cubile*, etc. MART. — Nostri mss. *ita* adverbium non agnoscunt, leguntque absolute, *ne illa erubescet*, etc., Olim erat, *ita ne illa erubescet*: pro quo Victorius substituit, *erubescat*. Hoc est, inquit, ita liberis procreandis honeste ac pudice operam navet, ut ne in ipso quidem cubili turpe aliquid agat, propterea illud erubescat. Quamvis sint qui magis per affirmationem legi debere autument, in hunc modum: *Ita illa erubescet etiam secretum cubile.* Hoc est, si Deum ante oculos semper habebit, erubescet etiam in secreto cubili aliquid inhonestum, ac impudicum agere.

[c] Fortasse verius in uno Cisterciensi ms., *si hoc benignitate impetraret a servulis, non terrore.*

[d] Voculam, *tuum*, duo e nostris mss. ignorant, quæ sacri tamen est textus.

[e] Supplet Victorius, *vel cum Christi infamatur*, etc.

[f] Hic quoque verba, *de Latinis*, duo e nostris mss. nesciunt: cæterum ipsa hodiernum obtinet sententiæ distinctio, quam respuit S. Pater.

cendamur avaritia: ne ulla passione superemur. A *Teipsum*, inquit, *formam præbens bonorum operum*. Nihil prodest aliquem exercitatum esse in dicendo, et ad loquendum trivisse linguam, nisi plus exemplo docuerit, quam verbo. Denique qui impudicus est, **720** quamvis disertus sit, si ad castitatem audientes cohortetur, sermo ejus infirmus est, et auctoritatem non habet cohortandi. Et econtrario quamvis sit rusticanus et tardus ad loquendum, si castus fuerit, exemplo suo homines potest ad vitæ similitudinem impellere. Quod autem ait, *in incorruptione*, sic accipiendum, quod incorruptio proprie virginitatem sonet. Denique qui virgines sunt, vulgo incorrupti appellari solent; et qui virgines esse desierint, corrupti nominantur; et dicimus, illa quæ fuit olim virgo, corrupta est. Unde et Titum existimo, prius- B quam carnis opere occuparetur, Evangelio credentem accepisse baptisma, et virginem permansisse, et nunc ab Apostolo, ut in incorruptione formam sui præbeat commoneri: quam quidem incorruptionem [a] in Timotheo non videmus. Nam cum ei diceret: *Nemo adolescentiam tuam contemnat; sed forma esto fidelium* [Al. *filiorum*] *in sermone*, *in conversatione*, *in charitate*, *in fide*, *in castitate* (I *Tim*. IV, 12), de incorruptione tacuit, et tantum posuit *castitatem*. Castitas autem et in cœlibatu absque virginitate intelligi potest. Nisi forte castitatem accipiamus in mente, incorruptionem vero in corpore, juxta illud quod alibi in virginis definitione scribitur: *Ut sit sancta corpore et spiritu* (I *Cor*. VII). Et ipse nunc consequenter adjunxit: *in doctrina*, *in incorruptione*, *in pu-* C *dicitia*. Possemus [*Al*. possumus] et pudicitiam, [b] et incorruptionem etiam in doctrinæ integritate interpretari: nisi quod specialiter sequitur, *sermone sano et irreprehensibili*, proprium haberet super doctrinæ institutione præceptum. Quod autem ait, *sermone irreprehensibili*, non quod ullus tantæ facundiæ et prudentiæ sit, ut a nemine reprehendatur (reprehenduntur quippe et apostoli et evangelistæ ab hæreticis et gentibus), sed quod nihil dignum reprehensione dicat aut faciat, licet adversarii sint ad reprehendendum parati. Et quia sunt multi non subditi, vaniloqui et mentium deceptores, qui oderunt in portis arguentem, et sermonem sanctum abominantur, propterea exemplum nos in omnibus præbeamus in doctrina, in integritate, **721** in pudicitia, in ser- D mone sano et irreprehensibili: ut adversarii vitæ et doctrinæ nostræ sanitate perterriti, non audeant accusare, hoc est, nihil verisimile in accusatione confingere. Et revera usque hodie videmus nonnullos in Ecclesiis (quamquam hæc rara avis sit) tantæ gravitatis continentiæque esse, ut etiam ab adversariis habeant testimonium, et dicatur, vir magnus est ille, et sanctæ conversationis, probisque moribus, nisi esset hæreticus. Nemo est enim tam immoderatæ impudentiæ, ut solis radios possit accusare tenebrosos, et clarum lumen caligine noctis offundere. Unde et Apostolus hæc eadem præcavens ait: *Ut* [c] *auferam occasionem his qui volunt occasionem* (II *Cor*. XI, 12). Potest autem is qui ex adverso est, et diabolus intelligi, qui accusator est fratrum nostrorum, ut Joannes Evangelista prædicat: qui cum nihil habuerit mali quod nobis objiciat, erubescit, et criminator non poterit criminari. *Diabolus* autem in Latina lingua *criminatorem* sonat.

(Vers. 9, 10.) *Servi dominis suis subditi sint in omnibus: sint placentes, non contradicentes, non furantes; sed omnem fidem ostendentes bonam, ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus*. Quoniam Dominus et Salvator noster, qui in Evangelio ait: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth*. XI, 28), nullam conditionem, ætatem, sexum, a beatitudine arbitratur alienum: propterea nunc Apostolus et servis præcepta constituit, scilicet ut parti Ecclesiæ membrisque corporis Christi. Et quomodo superius senes, anus, adolescentulas, juvenes, quid Titus erudire deberet edocuit: ita nunc servis apta præcepta constituit. Primum ut subditi sint dominis suis in omnibus. In his autem omnibus, quæ non sunt contraria Deo: ut si dominus ea jubet quæ non sunt adversa Scripturis sanctis, subjiciatur servus domino. Sin vero contraria præcipit, magis obediat spiritus, quam corporis domino. Diligenter attendite quomodo congrua personis præcepta decernat. *Servi*, inquit, *dominis suis subditi sint in omnibus* (*Ephes*. VI, 5). In alio loco disputans de filiis, ait: *Filii, obedite parentibus* (*Coloss*. III, 20). Filios quippe decet parentibus obedire: servos vero imperanti domino esse subjectos. Nec illud putemus **722** esse contrarium, quod in alia Epistola: *Mulieres*, ait, *subjectæ sint viris* (*Ephes*. V, 22; *Coloss*. III, 18), et in hac subjectas viris suis asseruit uxores, quasi eodem verbo et in servis, et in uxoribus usus sit. Quodammodo enim maritus uxoris est dominus. *Ipse*, inquit, *dominabitur tui* (*Genes*. III, 16). Erat et Salvator subjectus parentibus suis (*Luc*. II), sed cum adhuc [d] duodecim esset annorum, et nihil differret a servo, Dominus omnium: necdum enim ad perfectam viri ætatem quæ posset hæreditatem capere, pervenerat. Sed et alibi de eo scriptum est: *Quia cum subjecta ei fuerint omnia, tunc ipse filius subjicietur ei qui sibi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* (I *Cor*. XV, 28). Subjicientur autem ei omnia, cum dixerit, *Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Ps*. CIX, 1). In subjectis servis Dominus sub-

[a] Hunc tamen ipsum Timotheum inter virgines censent Epistola interpolata S. Ignatii ad Philadelphenos, et Antiochus monachus homil. 112, ut taceam illud, ἐν ἁγνείᾳ, I Tim. IV, 12, *sive in castitate*, de virginitate interpretari Theophylactum, Œcumenium atque alios.

[b] Rescribit Victorius, *et pudicitiæ incorruptionem etiam in doctrinæ integritate*, etc.

[c] Contrario falsoque sensu legit Martianæus, ut *offeram occasionem*: qui et falso laudat, I Cor. VII, 11.

[d] Præferunt duo e nostris mss., *undecim*.

jicitur. Et quomodo pro nobis dicitur esse maledictum, cum non sit maledictum, sed vera benedictio: ita pro nobis, vel subjectus scribitur, vel non subjectus: si aut subditi fuerimus Deo, aut non subditi. Quidam hunc locum ita legunt: *Servi dominis suis subditi sint*, et postquam huc usque distinxerint, inferunt, *in omnibus placeant*: cum in Græco alius sit ordo lectionis, id est, *servi dominis suis subditi sint in omnibus;* ut sequatur, εὐαρέστους εἶναι: quod nos licet non plene, tamen ex parte aliqua interpretari possumus, *ut complaceant sibi:* ne videlicet super conditione sua videatur eis Dei iniqua sententia. Sed quomodo pauper juxta mensuram suam salvari potest; et mulier in sexus infirmitate a regno Dei non excluditur, et omnis conditio secundum ordinem suum beatitudinem capere potest: ita et servi complaceant sibi quod servi sint: et non idcirco putent Deo se servire non posse, quia subjecti sint hominibus; sed in eo magis placere voluntati Dei, si et dominis suis subditi fuerint in omnibus, et complacuerint sibi in conditione sua; et quod deinceps Apostolus præcipit exsequantur, ut non sint contradicentes, non furantes. Vel maximum servorum vitium est, dominis contradicere, et cum aliquid jusserint, secum mussitare. Itaque Titum commonet, ut per doctrinam sanam ab his qui Christiani servi sunt, istiusmodi auferat passionem. Si enim quæ dominus **723** imperat necesse habet servus implere: cur hoc ipsum non cum bona faciat voluntate; sed et dominum offendat, [a] et tamen faciat quod jubetur: maxime cum et Deus ad aquam contradictionis offensus sit? Et in alio loco de murmurante populo loquatur: *Desinat a me murmuratio eorum, et non morientur* (*Num.* XIV). Post contradictionem et aliud servorum vitium doctrina Christi corrigat, *ne fures sint.* Fur autem non solum in majoribus, sed etiam in minoribus judicatur. Non enim id quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur. Quomodo in fornicatione et adulterio, non idcirco diversa sit fornicatio aut adulterium, si pulchra, vel dives, deformis aut pauper, meretrix vel adultera sit: sed qualiscumque illa fuerit, una est fornicatio, vel adulterium. Ita et in furto, quantumcumque servus abstulerit, furti crimen incurrit. Unde et in Moysi lege fures nonnumquam septuplum, nonnumquam quadruplum reddere compelluntur, et interdum obtruncatur, interdum venditur fur ipse pro furto, de quibus nuper vobis in Levitico exposuisse me memini. Si autem hoc prohibetur in servo, quanto magis in libero: ne aut judex rapiat, aut miles non contentus stipendiis suis aliena devastet? Pulchre quidam vir apprime gravis, cum ei cujusdam judicis laudaretur integritas, et diceret de eo ille qui laudabat, Non est fur: respondit, Optimum servum faceret, si nec fugitivus esset: intantum furti suspicio ab omni libero debet esse aliena. Sint itaque servi subditi dominis suis in omnibus,
A sint complacentes conditioni suæ: ut non ferant aspere servitutem, non contradicant dominis, non furentur, et post hæc in omnibus fidem bonam ostendant, ut doctrinam Salvatoris Dei nostri ornent in omnibus. Si enim apud carnales dominos in minimo fideles fuerint, incipient eis apud Deum majora committi. Ornat autem doctrinam Domini, qui ea quæ conditioni suæ apta sunt, facit. Et e diverso confundit eam, qui non est subjectus in omnibus, cui conditio sua displicet, qui contradictor atque fraudator in nullo fidem bonam ostendit. Quomodo enim potest [*Al.* poterit] fidelis esse in substantia Dei, qui carnali domino fidem exhibere non potuit?

724 (Vers. 12 seqq.) *Illuxit enim gratia Dei*
B *Salvatoris omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, pudice, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo: exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi: qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum egregium, æmulatorem bonorum operum.* Post catalogum doctrinæ ad Titum, quid senes, quid anus, quid adolescentulas et juvenes, quid ad extremum servos erudire deberet, recte nunc intulit. *Illuxit enim gratia Dei Salvatoris omnibus hominibus.* Non est enim aliqua differentia liberi et servi, Græci et barbari, circumcisi, et habentis præputium, mulieris et viri: sed cuncti in Christo unum sumus, universi ad Dei regnum vocamur, omnes post offensam
C Patri nostro [b] reconciliandi sumus; non per merita nostra, sed per gratiam Salvatoris: vel quod Dei Patris vivens et subsistens gratia ipse sit Christus: vel quod Christi Dei Salvatoris hæc sit gratia · et non nostro merito salvati simus, secundum illud quod in alio loco dicitur: *Pro nihilo salvabis eos* (*Psal.* LV, 8). Quæ gratia omnibus hominibus ideo illuxit, ut erudiret nos abnegantes impietatem et sæcularia desideria, pudice, et juste et pie vivere in hoc sæculo. Quid sit autem abnegare impietatem, et sæcularia desideria, ex eo quod supra exposuimus, *Deum confitentur se nosse, factis autem negant*, intelligi posse confido, et per contraria disserta contraria. Sæcularia ergo desideria sunt, quæ a mundi istius principe suggeruntur: et cum sint sæculi, cum sæculi
D hujus nube pertranseunt. Nos autem cum pudice et juste, nec corpore scilicet, nec mente peccantes, vixerimus in Christo, pie quoque vivemus in hoc sæculo: quæ pietas exspectat beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi. Sicut enim impietas magni Dei reformidat adventum, ita secura de opere suo, et de fide illum pietas præstolatur. Ubi est serpens Arius? ubi Eunomius coluber? Magnus Deus Jesus Christus, Salvator dicitur, non primogenitus omnis creaturæ, non Verbum Dei et sapientia; sed Jesus Christus;

[a] Ita mss. Antea erat, *et tandem faciat*, etc.

[b] Unus Cisterc. ms., *reconciliati sumus.*

quæ vocabula assumpti hominis sunt. Neque vero alium Jesum Christum 725 alium Verbum dicimus, ut nova hæresis calumniatur : sed eumdem et ante sæcula, et post sæcula, et ante mundum, et post Mariam : immo ex Maria, magnum Deum appellamus Salvatorem nostrum Jesum Christum, qui dedit semetipsum pro nobis, ut pretioso sanguine suo nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum περιούσιον (ita quippe habetur in Græco) et bonorum operum faceret æmulatorem. Sæpe mecum considerans quid sibi vellet verbum περιούσιον, et a sapientibus sæculi hujus interrogans si forte alicubi legissent, numquam invenire potui qui mihi quid significaret, exponeret. Quamobrem compulsus sum ad vetus instrumentum recurrere, unde arbitrabar et Apostolum sumpsisse quod dixerat. Hebræus enim ex Hebræis, et secundum legem Pharisæus, utique id ponebat in Epistola sua, quod in veteri Testamento legisse se noverat. In Deuteronomio itaque reperi : *Quoniam populus sanctus tu Domino Deo tuo, et in te complacuit Domino Deo tuo ; ut esses ei in populum* περιούσιον, *ex omnibus populis qui sunt super faciem terræ* (*Deut.* VII, 6). Et in centesimo tricesimo quarto Psalmo, ubi nos habemus, *Psallite nomini ejus, quoniam suave est : quoniam Jacob elegit sibi Dominus,* A *Israel in possessione sibi* (*Ps.* CXXXIV, 3, 4) : pro eo quod est, *in possessione*, in Græco scriptum est, εἰς περιουσιασμὸν, quod quidem 726 Aquila et quinta Editio, εἰς περιούσιον expresserunt. Septuaginta vero et Theodotio, περιουσιασμὸν transferentes, commutationem syllabæ fecere, non sensus. Symmachus igitur pro eo quod est in Græco περιούσιον, in Hebræo, [a] SGOLLA (סגלה), expressit ἐξαίρετον, id est, *egregium*, vel *præcipuum* : pro quo verbo in alio volumine Latino [b] sermone utens, *peculiarem* interpretatus est. Recte igitur Christus Jesus, magnus Deus noster atque Salvator, redemit nos sanguine suo, ut sibi Christianum populum peculiarem faceret, qui peculiaris tunc esse posset, si bonorum operum æmulator existeret. Unde et illud quod in Evangelio B secundum Latinos interpretes scriptum est : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*Matth.* VI, 11), melius in Græco habetur *panem nostrum* ἐπιούσιον, id est, *præcipuum, egregium, peculiarem*, eum videlicet qui de cœlo descendens, ait : *Ego sum panis qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 5). Absit quippe ut nos, qui in crastinum cogitare prohibemur, de pane isto qui post paululum concoquendus et abjiciendus est in secessum, in prece Dominica rogare jubeamur. Nec multum differt inter ἐπιούσιον et περιούσιον : præpositio enim tantummodo est mutata, non verbum.

[a] In aliquot mss. codicibus legimus hic *sogola*, vel *sogolla* : in uno autem pulcherrimo et antiquo inveni scriptum *regula*, pro *segula*. Veteres porro indifferenter accipiebant *o* et *ou* ; sive *u* et *ou* ; unde *sogola* pro *segula*, et *segolla* pro *segulla*. Similiter *Sodoma* pro *Sedoma*, ut alibi diximus. MART. — Mss. *Sogolla*, quemadmodum et in Matthæi cap. VI et Malachiæ III haberi sub finem diximus. Martianæus tamen, qui *Sgolla* legerat laudatis locis, hic *Segula* maluit ex uno ms. in quo tamen scriptum erat vitiose *regula*. Porro ex hoc Hieronymi testimonio supplendæ in Hexaplis sunt quintæ editionis, Theodotionis ac Symmachi interpretationes, quæ nuperum eorum concinnatorem Cl. Montfauconium latuerunt.

[b] Quæ hactenus obtinuit in libris omnibus lectio, *peculiarem*, vix dictu est, quas fixerit eruditissimis interpretibus cruces. Alii, quos inter laudandus cumprimis Hodyus in veterum Scripturæ interpretationum Historia, pag. 587, exinde colligunt, fuisse aliquid, sive aliquem Scripturæ librum a Symmacho Latine explicatum. Alii econtrario illud, quod ait S. Pater, *Latino sermone utens*, perinde accipiunt, ac si dixisset, *Latinus interpres*, deque veteri Vulgato translatore intellexisset. Fabricius, ut nuperum quempiam scriptorem hic quoque nominem, in hanc mavult concedere sententiam tomo II Bibliothecæ Græcæ, pag. 339. Utraque autem expositio quam longe a fide, atque omni veri specie distet, non multis puto demonstrandum : quis enim sibi in animum inducat, aut nescium plane Latini sermonis hominem, gente et religione Samaritanum, postea Judæum, denique Ebionitam, Latini aliquid fuisse commentatum ? aut quæ inanis est περισσολογία, verborumque improprietas, Latino sermone utentem, appellari ab Hieronymo Vulgatæ translationis auctorem ? Verum illa retenta lectione, quo tandem commodo sensu explices, vix invenies. Dicam igitur, qua ego ratione locum emaculari velim, tribusque detractis litterulis, quas Latinorum scribarum imperitia subjunxerit, perspicue possit ac vere sententia S. Doctoris restitui. Jampridem constitutum est animo, non de alio sermone hic esse, quam de veteri Græco interprete Symmacho, quem universus contextus loquitur. Illud autem duximus investigandum, quale illud esset aliud volumen, in quo ille C interpretando, Latina, ut Hieronymus ait, voce usus esset. Et cum præter laudata hactenus exempla non alibi vox SGOLLA occurreret, quam Ecclesiastis cap. II, 8, hunc ipsum esse Librum, cujus S. Doctor dissimulat nomen, pro certo habuimus. Porro ubi intelleximus (docuerunt vero nos Romanæ τῶν LXX editionis Scholia, sive annotata a Flaminio antiquarum versionum fragmenta) eo in loco redditum a Symmacho πεκούλια, *peculia*, statim et vitium, quod in Hieronymi lectione suboluerat, et qui restitui deberet germanissimus sensus, in mentem venit. Scilicet si pro *peculiarem* (quam vocem a Græco scriptore ullo usurpatam, nemo sibi persuadeat) rescribas πεκουλία, aut si mavis *peculia*, Latinis, ut libet, litteris. *Peculium* Latina vox est, cujus tam late patet significatus, ut bona quæcumque sunt, patrimonium, opes, census, facultates, fortunas, supellectiles, prædia, hisque amplius sonet. In Græco ullane vox illi æque respondeat, nisi si τὰ χρήματα, aut D τὰ ὑπάρχοντα, haud scio. Facile igitur e Latio pervasit Græciam, arreptaque ab hujus linguæ scriptoribus fuit, atque in vernaculam terminationem inflexa : quemadmodum et a recentioribus grammaticis adornata lexica repræsentant, πεκούλιον, οὐσία. Placuit et Symmacho Ecclesiasticis locum interpretaturo, ubi post argentum, et aurum, sibi ait ille congregasse סגלת מלכים, *substantias regum* : quod cum reddidissent LXX περιουσιασμοὺς βασιλέων, ipse ad rem magis, Hebræoque sensui pressius πεκούλια βασιλέων vertit. Hoc nimirum est, quod hic de Symmacho Hieronymus notat, hacque una de causa eum ait Latino usum esse sermone : quod Latinæ originis vocem usurparit. Eam profecto si reposueris lectionem, et rei veritas, et sensus perspicuitas optime constabunt.

Quidam ἐπιούσιον existimant in oratione Dominica panem dictum, quod super omnes οὐσίας sit, hoc est, super universas substantias. 727 Quod si accipitur, non multum ab eo sensu differt quem exposuimus. Quidquid enim egregium est et præcipuum, extra omnia est, et super omnia.

(Vers. 15.) *Hæc loquere et exhortare, et increpa cum omni imperio.* Tria posuit, *loquere, exhortare, et increpa.* Et quidem in eo quod ait, *loquere*, ad doctrinam videtur esse referendum. Quod vero intulit, *exhortare*, id est, παρακάλει, aliud quoddam in Græco significat quam in Latino: παράκλησις quippe magis *consolationem* quam *exhortationem* sonat. Hoc verbum et superius de adolescentibus est locutus: *Juvenes similiter consolare, pudicos esse in omnibus.* De quo nos in suo loco ita ut in Latino legitur, quasi B *exhortare* scriptum esse, expressimus. Consolatur igitur audientem, qui dicit: *Rogamus pro Christo, reconciliamini Deo* (II Cor. v, 20), et seipsum humiliat et subjicit, ut lucrifaciat quem consolatur. Quod vero tertium est, *increpa*, consolationi mihi videtur esse contrarium, ut quicumque consolationem contempserit, increpatione sit dignus, et mereatur audire: *Obliti estis consolationis, quæ vobis ut filiis loquitur.* Ad Timotheum quoque alteram consolationem, et increpationem alteram legimus, dicente Apostolo: *Insta opportune, importune, argue, increpa, consolare* (II Tim. iv, 2). Et ibi quidem increpatio ante assumitur, et postea consolatione severitas temperatur. Hic vero ante vult discipulos consolari, et si non profecerint consolando, tunc corripi, et corripi cum omni imperio. Sic enim intelligo hoc quod dictum est: *Increpa cum omni imperio,* ut specialiter ad increpationem, et non ad duo superiora in commune referatur. Neque enim convenit dicere, consolare cum omni imperio, et loquere cum omni imperio, sed tantummodo, increpa cum omni imperio.

Nemo te contemnat. Existimet aliquis hoc ipsum nunc ad Titum scribi quod ad Timotheum dictum est: *Nemo adolescentiam tuam contemnat* (I Tim. iv, 14). Nos vero juxta Græci sermonis differentiam, aliud putamus significare περιφρονείτω, quod hic scribitur, et aliud καταφρονείτω, quod ad Timotheum dictum est, 728 et præpositiones περὶ, vel κατὰ, sensum facere diversum. Quod autem non fortuito, et D ut libet, Paulus apostolus, non solum nominibus et verbis, verum etiam præpositionibus diversis utatur pro varietate causarum, perspicuum fieri poterit ex eo quod ait: *Mulier enim ex viro, vir vero per mulierem* (II Cor. xi, 12). Et alibi: *Quia ex eo et per eum et in ipso sunt omnia* (Rom. xi, 36). Nec non et illud, *Paulus apostolus non ab hominibus, neque per*

A *hominem* (Galat. i, 1). Existimamus itaque καταφρόνησιν ad contemptum proprie pertinere, vel cum quis inter eculeum laminasque distentus, contemnit dolorem, et nec judicis comminationem, nec circumstantis populi fremitum pertimescit: sed pro confessione martyrii, universa supplicia contemnit et despicit. Econtrario autem est et malus contemptus, de quo et Abacuc, Spiritu sancto in se loquente, testatur: *Videte contemptores: et inspicite* [a] *et admiramini mirabilia, et disperdimini* (Abac. i, 5). Juxta quod ad Timotheum quoque scriptum diximus: *Nemo adolescentiam tuam contemnat* (I Tim. iv, 12), id est, Nolo te talem exhibeas ut possis ab aliquo merito contemni. Περιφρόνησις autem illud sonat, sicut Stoici tamen asserunt, qui distinguunt inter verba subtiliter, cum qui confidens sibi, se alio esse meliorem, despicit eum quem inferiorem putat, et super, id est, plus sapiens, humiliorem existimat dignum esse contemptu. Tale quid intumescens superbiæ vanitate, et cœlum ipsum, solemque despiciens apud Græcos [b] quidam dixisse deluditur: Ἀεροβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον, quod nos Latine possumus dicere, *Scando per aerem, et pluris me novi esse quam solem.* Περιφρόνησις ergo, quæ nunc ad Titum ponitur, illum sensum habet; Nemo eorum qui in Ecclesiis sunt, te segniter agente sic vivat, ut se putet esse meliorem. Qualis enim ædificatio erit discipuli, si se intelligat magistro esse majorem? Unde non solum episcopi, presbyteri et diaconi debent magnopere providere ut cunctum populum cui C præsident, conversatione [c] et sermone præcedant: verum et inferior gradus, exorcistæ, lectores, æditui, et omnes omnino qui domui Dei serviunt. Quia vehementer Ecclesiam Christi 729 destruit, meliores laicos esse quam clericos.

(Cap. III.— Vers. 1, 2.) *Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, obedire; ad omne opus bonum paratos esse: neminem blasphemare, non litigosos esse: esse modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.* Tale quid et ad Romanos scribitur: *Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo* (Rom. xiii, 1). Quod quidem præceptum, et hic, et ibi propterea puto editum, quia Judæ Galilæi per illud tempus dogma adhuc vigebat, et habebat plurimos sectatores, cujus et in Actibus Apostolorum fit mentio, Scriptura referente: *Ante hos enim dies surrexit Theodas, dicens, quemdam se esse magnum: cui appositi sunt viri quasi tria millia* (Actor. v, 36); et, *post hunc surrexit in diebus census Judas Galilæus:* qui inter cætera hoc quasi probabile proferebat ex Lege, nullum debere Dominum nisi solum Deum vocari: et eos qui ad templum decimas deferrent,

[a] Desunt penes Martianæum verba, *et admiramini*, quæ cum in aliis libris, tum præcipue in ea sunt, qua Hieronymus utitur τῶν LXX versione, καὶ θαυμάσατε θαυμάσια, etc.

[b] Strepsiades apud Aristophanem in Νεφέλ. Scena ultima.

[c] Victorius, *conversatione, sermone ac scientia*, restituit ad lectionem Gratiani viii, q. 1, cap. *Qualis*: subditque ibi ultra Æditiuos, quos custodes ædium Gratianus vocat, mentionem quoque fieri de acolythis. Hoc vero satis abunde erat, ut interpolatum a Gratiano textum S. Patris intelligeret.

Cæsari tributa non reddere. Quæ hæresis intantum A creverat, ut etiam Pharisæorum et multam partem populi conturbaret : ita ut ad Dominum quoque nostrum referretur hæc quæstio : *Licet Cæsari dare tributum, an non* (*Mat.* XXII, 17)? Quibus Dominus prudenter, cauteque respondens ait : *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari : et quæ sunt Dei, Deo* (*Ibid.*, 21). Cui responsioni Paulus apostolus congruens, docet principatibus et potestatibus credentes debere esse subjectos. Ἀρχαὶ quippe quæ leguntur in Græco, magis *principatus* quam *principes* sonant : et ipsam significant potestatem, non eos qui in potestate sunt homines. Sed quia dixerat, *Admone illos, principatibus et potestatibus subditos esse* : poterat his qui tormenta formidant, occasio ad negandum dari : juxta Apostoli dictum se assererent principatibus et B potestatibus esse subjectos, et facere quod juberent; propterea subjecit : *Obedire ad omne opus bonum.* Si bonum est quod præcipit imperator et præses, jubentis obsequere voluntati. Sin vero malum, et contra Deum sapit : responde ei illud de Actibus apostolorum : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* V, 29). Hoc ipsum et de servis intelligamus apud dominos, et de uxoribus apud viros, et de filiis apud parentes, quod in illis tantum debeant dominis, viris, parentibus esse **730** subjecti, quæ contra Dei mandata non [a] veniunt. Quod vero sequitur : *Paratos esse*, dupliciter legendum, ut vel subaudiatur, ad omne opus bonum paratos esse : vel certe cum superioribus copulato hoc quod ait, *obedire ad omne opus bonum*, et hucusque finito, quasi C aliud proprium et speciale præceptum sit, *paratos esse*, juxta illud quod in Levitico scriptum est : *Hircum qui emittitur maledicta populi sustinentem, tradi in manus hominis parati* (*Levit.* XVI, 21). Si quis ergo paratus est, ut ἀποπομπαῖον teneat, et educat [*Al.* deducat] illum in desertum, et ibi eum disperdat, et quantum in se est, sorte maledictionis exterminet, is cum obedierit, omni operi bono etiam paratus erit. Potest autem et aliter accipi, *paratos esse* : ut omnia quæcumque evenire possunt, sibi in animo [b] præfigurent : et cum acciderint, nihil quasi novum sustineant, sed eis præparata sint omnia. *Neminem* quoque, *blasphemare*, non simpliciter accipitur. Nec enim ait, neminem hominem blasphemare : sed absolute, neminem : non angelum, non aliquam crea- D turam Dei. Omnia quippe quæ a Deo facta sunt, valde bona sunt. *Quando Michael archangelus cum diabolo disputabat de Moysi corpore, non fuit ausus inferre judicium blasphemiæ, sed dixit, imperet tibi Deus* (*Jud.* IX). Si igitur Michael non fuit ausus diabolo, et certe maledictione dignissimo, judicium inferre blasphemiæ : quanto magis nos ab omni maledicto puri esse debemus? Merebatur diabolus maledictum : sed per archangeli os blasphemia exire non debuit. Relege veteres libros, et vide quæ tribus in monte Garizin constitutæ sint, ut benedicerent populo, et quæ in monte altero, ut maledicerent. Ruben, qui maculaverat thorum parentis, et Zabulon novissimus filius Liæ, et ancillarum liberi, in monte Ebal [*Al.* Eliel] ponuntur, ut maledicant eis qui maledictione sunt digni (*Deut.* XXVII). Longum est si nunc enumerem quomodo Jacob, qui ad benedictionem vocaverat filios (*Genes.* XLIX, 1), dicens : *ut benedicam vobis*, postea quasi in benedictione consociet, *maledictus furor eorum, quia procax* : et ipse Dominus loquatur in Genesi : *Maledicta terra in operibus tuis* (*Gen.* III, 17). Hoc nunc tantum dixisse sufficiat, quod blasphemare Christi discipulos non oportet : nec quod additur, *esse litigiosos.* **731** Si enim sumus filii pacis, et volumus super nos pacem requiescere, et accessimus ad Jerusalem cœlestem, quæ ex pace nomen accepit, cum his qui oderunt pacem, habeamus pacem : et quantum in nobis est cum omnibus hominibus pacati simus : non solum cum modestis, sed etiam cum rixosis; quia nulla virtus est ferre mansuetos : locumque demus iræ, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines : non quod vanæ gloriæ desiderio nos esse mansuetos omnibus hominibus ostendere debeamus : sed dum omnes ferimus, et injuriæ vicem non rependimus, ipsa opera notiora universis fiant. Potest aliquis ob jactantiam et opinionem vulgi auramque popularem simulare apud quosdam mansuetudinem, et fingere bonitatem. Sed ubi non est vera et genuina et solida mansuetudo, nescio an eum esse mansuetum possit omnibus persuaderi.

(Vers. 3 seqq.) *Fuimus enim aliquando et nos stulti, inobedientes, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, in malitia et in invidia agentes, odiosi, odientes alterutrum. Cum autem bonitas et humanitas illuxit Salvatoris nostri Dei : non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos; sed secundum misericordiam suam salvavit nos, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit super nos opulenter per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati illius gratia, hæredes efficiamur secundum spem vitæ æternæ.* Quærat aliquis quomodo Paulus fuerit stultus, incredulus, errans, et serviens variis desideriis et voluptatibus in malitia, et in invidia, odiosus, et odiens, antequam Salvatoris nostri bonitas atque clementia per lavacrum secundæ regenerationis eum salvum faceret : non ex justitiæ operibus quæ fecerat, sed ex misericordia sua, effuso abundanter et large super apostolos atque credentes per Jesum Christum Spiritu sancto : ut hæreditatem gratiæ consecuti, spem vitæ in perpetuum possiderent. Et certe legimus eum secundum justitiam quæ in Lege est sine querela fuisse circumcisum octava die (*Philipp.* III, 5) : Hebræum ex Hebræis, secundum Legem Pharisæum, de tri-

[a] Cisterciens. mss., *non fuerant*, et mox, *dupliciter intelligendum*, pro *legendum*.

[b] Alii editi, *in animo præfigerent.*

bu Benjamin, eruditum ad pedes Gamalielis, et ab infantia sacris Litteris institutum (*Actor.* xxII). Ad quod respondetur, **732** Judæos qui ante adventum Salvatoris et passionem ejus, et resurrectionem in Lege versati sunt, licet non plenam, attamen aliqua ex parte habuisse justitiam : sicut Simeon quoque et Anna prophetissa in templo Dei serviens est reperta. Postquam vero populus conclamavit, *Crucifige, crucifige eum; non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* xix, 15) : et : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros* (*Mat.* xxv, 27), et ablatum est ab eis regnum Dei, et traditum genti facienti fructus ejus : ex eo tempore qui in Christum non credidit, fuit stultus, errabundus, incredulus, et serviens variis voluptatibus. An non nobis [*Al.* vobis] videtur Paulus fuisse stultus, quando habebat zelum Dei, sed non secundum scientiam; et persequebatur Ecclesiam : et lapidantium Stephanum vestimenta servabat? cum in tantum odii contra Salvatorem instigatus exarserit, ut litteras a sacerdotibus acciperet, pergens Damascum ad eos qui in Christum crediderant vinciendos? Aut ullas poterat habere virtutes sine virtute Dei Christi Jesu, aut æstuantem flammam restinguere voluptatum, cum non esset templum Dei? Quæ autem major potest esse malitia et invidia, quam contra absentes epistolas sumere, et ubique Christi vastare discipulos; nolle ipsum salvum fieri : et cæteris qui salvi esse poterant, invidere : odisse Christianos et consequenter ab omnibus odium promereri? Quis autem major error, et in obedientia, et vecordia, quam postquam respiravit dies, et præterierunt umbræ, Legem abolitam velle servare, et dicere : *Ne attrectaveris, ne contigeris, ne gustaveris*, et apparente solido cibo et virili, infantiæ lacte cupere [a] potari? Diligentius attendamus, et inveniemus in præsenti capitulo manifestissimam Trinitatem. Benignitas quippe atque clementia Salvatoris nostri Dei, non alterius quam Dei Patris, per lavacrum regenerationis, et renovationem Spiritus sancti, quem effudit super nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, [b] justificavit nos in vitam æternam. Salus credentium, mysterium Trinitatis est. Alii hunc locum ita intelligunt, ut non de Paulo et apostolis, sed sub apostolorum persona, de aliis dictum putent : ut quomodo sub persona sua, et Apollo, et Cephæ de dissensione et schismate, quod arguebat in Corinthiis **733** est locutus : ita etiam in præsenti loco, se et apostolos nominans, omnes qui in Christo crediderant, quales fuerint ante regenerationem lavacri vitalis, ostenderit. Simul autem et humilitas ejus est admiranda, quod qui omnem humilitatem [*Al.* utilitatem] justitiamque Legis quasi quisquilias et purgamenta contempsit, recte se sine Christo vitiis omnibus servisse memorarit.

(Vers. 8.) *Fidelis sermo, et de his volo te confirmare* [Al. *affirmare*], *ut curam habeant bonis operibus præesse qui credunt in Domino. Hæc bona sunt, et utilia hominibus.* Hoc quod ait, *fidelis sermo*, ad superiora jungendum est, in quibus præmiserat, *ut justificati ipsius gratia, hæredes efficiamur secundum spem vitæ æternæ*. Dignus enim fide super hæreditate Dei sermo, et super spe vitæ æternæ. Unde oportet de his non dubium, non timentem et ipsum credere, et ut credant cæteri, confirmare, non solum autem hoc, sed et hoc cum cæteris his, qui voluerint credere, confirmandum est : quapropter ait : *et de his volo te confirmare*. Qui autem ista vere esse crediderint, necesse est curam habeant bonorum operum, per quæ hæreditas Dei, et spes vitæ præparatur æternæ. Et pulchre ut majorem fidem faceret, non dixit, qui credunt hominibus, sed qui credunt Deo. Necesse est enim, ut curam bonorum operum habeant, quæ adimpleta, et omni studio perpetrata, sunt bona utiliaque credentibus.

(Vers. 9.) *Stultas autem quæstiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas quæ veniunt ex Lege, devita : Sunt quippe inutiles et vanæ.* Quia multiplices et diversæ sunt quæstiones, propterea Salomon de his qui quærunt Deum, locutus est, dicens : *Recte autem quærentes eum, invenerunt pacem* (*Prov.* VIII, 35). Qui igitur Deum non rectè quærunt, pacem invenire non possunt. Plurima exempla sunt quærentium non recte Deum. Judæi prave quærunt Deum, sperantes se eum invenire posse sine Christo. Hæretici, vano sermonum strepitu concrepantes, quærunt quem invenire non possunt. Philosophi quoque et barbari de Deo varia sentientes, quæsierunt Deum. Sed quia non recte quæsierunt, fuerunt eorum fatuæ quæstiones, putantium Deum humanis sensibus posse comprehendi. Ab his igitur Paulus nos revocat quæstionibus. Cæterum ad sapientes, et quæ Scripturarum auctoritate **734** sunt fultæ, magis cohortatur et provocat, præceptorum non nescius Salvatoris, in quibus ait : *Quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis, petite et dabitur vobis. Omnis enim qui quærit invenit* [Al. *inveniet*], *et qui petit accipit* [Al. *accipiet*], *et qui pulsat aperietur ei* (*Luc.* xI,); modo non sit corpus nostrum subditum peccatis, et ingredietur in nos sapientia. Exerceatur sensus, mens quotidie divina lectione pascatur : et quæstiones nostræ stultæ non erunt quæstiones. Quod autem ait : *Genealogias et contentiones et rixas, quæ veniunt ex Lege, devita*, proprie pulsat Judæos, qui in eo se jactant et putant Legis habere notitiam, si nomina teneant singulorum : quæ quia barbara sunt, et etymologias eorum non novimus, plerumque corrupte proferuntur a nobis. Et si forte erraverimus [*Al.* erravimus] in accentu, in extensione et brevitate syllabæ, vel brevia producentes, vel producta breviantes, solent irridere nos imperitiæ, maxime in aspirationibus et quibusdam cum rasura gulæ litteris proferendis. Hoc autem evenit quod LXX interpretes, per quos in Græcum sermonem Lex divina translata est, specialiter HETH litteram et AIN, et cæteras istiusmodi (quia cum du-

[a] Vitiose penes Martianæum legebatur, *portari*.

[b] Olim, *vivificavit* : contradicentibus mss.

plici aspiratione in Græcam linguam transferre non poterant) aliis litteris additis expresserunt. Verbi causa, ut *Rahel*, *Rachel* dicerent; et *Jetiho*, *Jericho:* et *Hebron*, *Chebron:* et *Seor*, *Segor*: in aliis vero eos conatus iste deficit [*Al.* defecit]. Nam nos et Græci unam tantum litteram *s*, habemus, illi vero tres, SAMECH, SADE, et SIN: quæ diversos sonos possident. *Isaac* et *Sion* per SADE scribitur: *Israel* per SIN, et tamen non sonat hoc quod scribitur. *Seón*, rex Amorrhæorum, per SAMECH litteram et pronuntiatur et scribitur. Si igitur a nobis hæc nominum et linguæ idiomata, ut videlicet barbara, non ita fuerint expressa, ut exprimuntur, ab Hebræis, solent cachinnum attollere, et jurare se penitus nescire quod dicimus. Unde et nobis curæ fuit omnes veteris Legis libros, quos vir doctus Adamantius in Hexapla digesserat, de Cæsariensi bibliotheca descriptos, ex ipsis authenticis emendare, in quibus et ipsa Hebræa propriis sunt characteribus verba descripta; et Græcis litteris tramite expressa vicino. Aquila etiam et Symmachus, Septuaginta quoque et Theodotio suum ordinem tenent. Nonnulli **735** vero libri et maxime hi qui apud Hebræos versu compositi sunt, tres alias editiones additas habent: quam quintam, et sextam, et septimam translationem vocant: auctoritatem sine nominibus interpretum consecutas. Hæc [a] immortale illud ingenium suo nobis labore donavit, ut non magnopere pertimescamus supercilium Judæorum, solutis labiis, et obtorta lingua, et stridente saliva, et rasa fauce gaudentium. Est et illis alia occasio superbiæ, quoniam sicut nos qui Latini sumus, Latina nomina et origines de lingua nostra habentia [*Al.* trahentia], facilius memoriæ tradimus: ita illi a parva ætate, vernacula sui sermonis vocabula penitissimis [*Al.* peritissimis] sensibus imbiberunt: [*Al.* imbuerunt] et ab exordio Adam usque ad extremum Zorobabel, omnium generationes ita memoriter velociterque percurrunt, ut eos suum, putes referre nomen. Hoc nos qui aut alias litteras didicimus, aut certe sero credidimus in Christum, aut etiam si infantes sumus Ecclesiæ mancipati, magis Scripturarum sensum quam verba sectamur: si forte non ita [*Al. tacet* ita] novimus, putant se in nominibus referendis, et in supputatione annorum, et in nepotibus et abnepotibus, avis, proavis, et atavis, doctiores. Audivi ego quemdam de Hebræis, qui se Romæ in Christum credidisse simulabat, de genealogiis Domini nostri Jesu Christi, quæ scripta sunt in Matthæo, et Luca facere quæstionem; quod videlicet a Salomone usque ad Joseph, nec numero sibi, nec vocabulorum æqualitate consentiant: qui cum corda simplicium

A pervertisset quasi ex adytis et oraculo deferebat quasdam, ut sibi videbatur, solutiones, cum magis debuerit justitiam et misericordiam, et dilectionem Dei quærere, et post illa, si forte occurrisset, de nominibus et numeris disputare. Satis forsitan de Hebræorum supercilio et plusquam necesse fuerit dixerimus: sed occasio nobis data est, de genealogiis et contentione et rixis, quæ ex Lege veniunt, disserendi. Dialectici, quorum Aristoteles princeps est, solent argumentationum retia tendere, et vagam rhetoricæ libertatem **736** in syllogismorum spineta concludere. Hi ergo qui in eo totos dies et noctes terunt, ut vel interrogent, vel respondeant, vel dent propositionem, vel accipiant, assumant, confirment, atque concludant, quosdam contentiosos

B vocant, qui ut libet, non ratione, sed stomacho disputent litigantium. Si igitur illi hoc faciunt, quorum proprie ars contentio est, quid debet facere Christianus nisi omnino fugere contentionem? Rixæ quoque legales penitus respuendæ sunt; et Judæorum stultitiæ relinquendæ. Sunt enim inutiles et vanæ, quæ tantum speciem scientiæ habent: cæterum nec dicentibus, nec audientibus prosunt. Quid enim mihi prodest scire quot annos vixerit Mathusalem, quoto ætatis suæ anno Salomon sortitus sit conjugem, ne forsitan Roboam undecimo ætatis illius anno natus esse credatur? et multa istiusmodi, quæ aut difficile est invenire propter librorum varietatem, et (dum paulatim de inemendatis inemendata scribuntur) errores inolitos: aut etiam si inveniremus ma-

C gno studio et labore, nihil profutura cognovimus. Frequenter accidit ut habeamus pugnas Legis, non ob desiderium veritatis; sed ob jactantiam gloriæ, dum apud eos qui audiunt, docti volumus æstimari: aut certe ex hoc rumusculo turpia sectamur lucra: Quid enim prodest spumantibus labiis, et latratu garrire canum: cum simplex et moderata responsio aut possit te placare si vera est, aut si falsa, [b] leniter et placabiliter emendari?

(Vers. 10, 11.) *Hæreticum hominem post unam et alteram correptionem devita: sciens quod subversus est ejusmodi, et delinquit qui est a semetipso damnatus.* Nomen hæreseos, et in Epistola ad Corinthios ponitur: *Oportet enim et hæreses in nobis esse; ut probati quique manifesti fiant* (I *Cor.* XI, 19). Et

D ad Galatas inter carnis opera numeratur: *Manifesta autem sunt opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idololatria, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes, et cætera his similia; quæ prædico vobis sicut*

[a] Præstat ipsum Hexaplorum specimen, ex margine codicis Barberinii ad Osee XI, 1, hic in lectoris gratiam ascribere.

Hebr.	Idem Græc. litt.	Aqu.	Sym.	LXX.	Theodot.
כי נער ישראל ואהבהו ממצרים קראתי בני :	Κι νερ ισραηλ ουεαβηου μεμμεσραιμ καραθι βανι.	Ὅτι παῖς Ἰσραὴλ καὶ ἠγάπησα αὐτὸν καὶ ἀπὸ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου.	Ὅτι παῖς Ἰσραὴλ καὶ ἠγαπημένος, ἐξ Αἰγύπτου κέκληται υἱός μου.	Ὅτι νήπιος Ἰσραὴλ καὶ ἐγὼ ἠγάπησα αὐτὸν, καὶ ἐξ Αἰγύπτου κέκληται υἱός μου.	Ὅτι νήπιος Ἰσραὴλ καὶ ἠγάπησα αὐτὸν, ἐκάλεσα υἱόν μου ἐξ Αἰγύπτου.

Porro ubi in aliquot libris, quintam quoque et sextam, ac demum septimam editiones adjunxit, suo quoque ordine Theodotionem consequebantur.

[b] Duo mss. *leniter a te, et placabiliter.*

737 *prædixi : quoniam qui hæc agunt, regnum Dei non possidebunt* (*Gal.* v, 19 *seqq.*). In quibus diligenter est observandum, quod quomodo cætera vitia, quæ inter carnis opera numerata sunt, excludunt nos [*Al.* excluduntur] a regno Dei : ita etiam nobis hæreses auferant regnum Dei; et non interest quomodo quis, dum tantum excludatur a regno. Quod autem magis mirum sit etiam illud de Actibus apostolorum videtur esse relegendum, fidem nostram in Christum, et Ecclesiasticam disciplinam, jam tunc a perversis hominibus hæresim nuncupatam. *Nos enim*, inquiunt Judæi ad apostolum Paulum, *nec litteras a te accepimus de Judæa* [Al. *de te... a Judæa*], *nec veniens quis de fratribus annuntiavit nobis, aut locutus est aliquis de te in malum. Petimus autem, ut audiamus a te quid sentias : de hæresi enim ista notum est nobis, quia ubique ei contradicitur* (*Act.* xxviii, 21, 22). Et licet nomen hæreseos Mileti non dicatur, a Paulo tamen opera nominantur, loquente ad presbyteros Ecclesiæ : *Ego scio quoniam venient post abscessum meum lupi graves in vos, non parcentes gregi : et ex vobis ipsis consurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se* (*Act.* xx, 29, 30). Hæc in transitu dicta sint, ubi et alibi hæresis appelletur. Nunc ipsum nomen videtur plenissime ventilandum. Hæresis Græce ab electione dicitur, quod scilicet unusquisque id sibi eligat quod ei melius esse videatur. Philosophi quoque Stoici, Peripatetici, Academici, Epicurei, illius vel illius hæreseos appellantur. Superfluum est ire per singula, et Marcionem, Valentinum, Apellem, Ebionem, Montanum, et Manichæum cum suis enumerare dogmatibus : cum perfacile sit unicuique cognoscere quibus singuli ducantur erroribus. Arius et Eunomius, et novæ auctor hæreseos, utinam tam noti non essent, minus forsitan plurimos decepissent! Hæreticum igitur hominem post unam correptionem, sive ut in Græco melius habetur, νουθεσίαν, devita : νουθεσία autem *commonitionem* magis et *doctrinam* absque increpatione significat. Legitur in Latinis codicibus (quod verum Papa quoque [a] Athanasius approbabat) : *Post unam et alteram correptionem* ; quod scilicet non sufficiat tantum semel eum corripi, vel commoneri qui aliquo sit depravatus errore : sed et secunda sit ei 738 adhibenda doctrina, ut in ore duorum aut trium testium stet omne verbum. Quare autem post primam et secundam correptionem devitandus sit, reddit causas dicens : *quod subversus est ejusmodi, et peccat* [b] *cum sit a semetipso damnatus.* Qui enim semel bisque correptus, audito errore suo, non vult corrigi, errare existimat corrigentem : et econtrario se ad pugnas et jurgia verborum parans, eum vult lucrifacere, a quo docetur. Propterea vero a semetipso dicitur esse

A damnatus : quia fornicator, adulter, homicida, et cætera vitia, per sacerdotes de Ecclesia propelluntur. Hæretici autem in semetipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes : quæ recessio propriæ conscientiæ videtur esse damnatio. [c] Inter hæresim et schisma hoc esse arbitrantur, quod hæresis perversum dogma habeat : schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia separetur : quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest. Cæterum nullum schisma non sibi aliquam confingit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.

(Vers. 12.) *Cum misero ad te Arteman, aut Tychicum, festina venire ad me Nicopolim, ibi enim statui hiemare.* Legimus in exordio istius Epistolæ : *Hujus*
B *rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deerant corrigas : et constituas per civitates presbyteros, sicut ego tibi disposui.* Ut quia Cretenses nuper crediderant, recedente Paulo, et ad alias Ecclesias transeunte, non dimitterentur orphani : sed haberent apostolicum virum, qui ea quæ videbantur deesse, corrigeret. Quia ergo post fundamentum aliarum Ecclesiarum necessarius erat Titus, qui ædificium superstrueret, scribit ei, ut cum Arteman vel Tychicum, unum scilicet e duobus qui secum fuerant, Cretam misisset, impleturus [*Al.* impleturum] locum ejus : ipse Nicopolim veniret, ibi se hiematurum esse contestans. Ex quo paternos Pauli in Cretenses probamus [*Al.* probemus] affectus. Necessarium habet Titum in Evangelii ministerium : tamen non eum ante ad se vult venire,
C nisi in locum ejus Artemas, vel Tychicus successor advenerit. Nicopolis ipsa est, quæ ob victoriam Augusti, quod ibi Antonium Cleopatramque superarit, nomen accepit.

(Vers. 13.) 739 *Zenam legis doctorem, et Apollo sollicite præmitte, ut nihil illis desit.* Iste est Apollo de quo et ad Corinthios scribitur : *Unusquisque vestrum dicit : Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ* (I *Cor.* i, 12). Fuit autem vir Alexandrinus ex Judæis, valde eloquens et perfectus in Lege, episcopus Corinthiorum : quem propter dissensiones quæ in Corintho erant, ad vicinam insulam Cretam cum Zena legis doctore putandum est transfretasse; et Pauli Epistola dissensionibus quæ Corinthi ortæ fuerant temperatis, rursum Corinthum
D revertisse. Zenam vero legis doctorem, de alio Scripturæ loco quis fuerit, non possumus dicere, nisi hoc tantum, quod et ipse apostolicus vir id operis quod Apollo exercebat habuerit : Christi Ecclesias [d] exstruendi. Præcipit itaque Tito, ut quoniam de Creta ad Græciam navigaturi erant, non eos faciat sitarciis indigere, sed habere ea quæ ad viaticum necessaria sunt.

[a] Quin et sola nunc obtinet in plerisque omnibus exemplaribus et apud veteres scriptores, lectio.

[b] Qui hunc ex Hieronymo locum laudat Rabbanus in epistola ad Hincmarum Remensem apud Sirmond. tom. I, legit hic, *cum sit in semetipso depravatus.*

[c] Victorius ad lectionem Gratiani cap. *Inter.* 24, qu. 3, itemque ex mss. codd. reponit hic, *arbitramur :* et mox *separet*, pro, *separetur :* denique addit vocem, *diversum*, ibi, *intelligi potest diversum.* Rabbanus, qui ut diximus, hunc diligentissime descripsit locum, sic habet : *Schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia separet. Quod quidem in principio ita esse aliqua ex parte intelligi potest.*

[d] Nostri mss., *Christi Ecclesias instruendi.*

(Vers. 14.) *Discant autem et nostri bonis operibus præesse in necessariis usibus, ut non infructuosi sint.* Supra dixerat : *Zenam Legis doctorem et Apollo sollicite præmitte, ut nihil illis desit.* Quia ergo poterat suboriri occulta responsio, ut non tam Titus quam quicumque Epistolæ lector hoc diceret : et unde Tito, ut viaticum non habentibus largiretur, solvit hanc quæstionem, et quasi nihil sibi opponatur elidit, dicendo : *Discant autem et nostri bonis operibus præesse in necessariis usibus, ut non infructuosi sint.* Nostros suos vocat qui in Christo crediderant : qui quia Christi erant, recte et Pauli et Titi appellari merebantur. Habes, inquit, in discipulos potestatem; doce eos non esse infructuosos : sed evangelistis et apostolicis viris, qui bonis operibus serviunt, ministrare : et ministrare, non in quibuscumque causis, sed in necessariis usibus : *Habentes quippe victum et vestimentum* [Al. *vestitum*], *his contenti simus* (I *Tim.* VI, 8) : et qui altario serviunt, de altario vivant : et qui participes spiritualium nostrorum facti sunt, debent nobis sua participare carnalia. Et ne forsitan vel epistolam Pauli, vel præceptum Titi facile contemnerent, infructuosos vocat, quicumque evangelistis non ministraverint. Dicit et Salomon in Proverbiis : *Fructus vero eleemosyna* (*Prov.* III, 12). Et ipse Paulus primum spiritus fructum charitatem vocat (*Galat*, V). Charitas autem in communicatione et in ministerio **740** vel maxime comprobatur. *Ut non*, inquit, *infructuosi sint. Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur* (*Mat.* V, 10). Hoc autem dico : quia qui parce seminat, parce et metet. Apostolicis viris et Evangelizatoribus Christi in necessariis usibus nolle tribuere, sterilitatis seipsum est condemnare.

(Vers. 15.) *Salutant te qui mecum sunt omnes.* Vel solita consuetudine usus est, ut Titum ab omnibus qui secum erant diceret salutari : vel certe proprie in Titum, quod talis esset, ut amorem eorum qui cum Paulo erant omnium mereretur. Magna vero laus Titi per Paulum ab omnibus salutari.

Saluta eos qui nos amant in fide. Si omnis qui amat, amaret in fide, et non essent alii qui absque fide diligerent, numquam Paulus ad amorem, fidem apposuisset, dicens : *Saluta eos qui nos amant in fide.* Amant quippe et matres filios, ita ut mortem pro eis oppetere sint paratæ; sed non amant in fide : et uxores maritos quibus frequentissime commoriuntur; sed amor ille non fidei est. Sola sanctorum dilectio in fide diligit : intantum ut etiam si ille qui diligitur infidelis sit : tamen sanctus in fide eum diligat, secundum illud : [a] *Omnia vestra in fide fiant* (I *Cor.* XVI, 14). Et alibi : *Diligite inimicos vestros* (*Luc.* VI, 35). Diligit sanctus inimicos suos, et ideo in fide diligit : quia credit in eum qui pollicitus est se pro expletione mandati retributurum esse mercedem.

Gratia Domini nostri cum omnibus vobis. Sciendum quod in Græcis codicibus ita scriptum est : *Gratia cum omnibus vobis :* ut nec *Domini*, nec *nostri*, in libris feratur authenticis. In commune itaque sanctis atque credentibus, Tito et cæteris qui cum eo erant, imprecatur gratiam. Et quomodo Isaac patriarcha benedixit filium suum Jacob (*Gen.* XXVII), et ipse duodecim Patriarchas (*Ibid.*, 29) : Apostoli quoque ingredientes domum dicebant : *Pax huic domui* (*Mat.* X, 12). Et si digna erat domus, requiescebat pax eorum super eam : si vero exhibebat se indignam, revertebatur ad eos qui eam fuerant imprecati. Ita et nunc in fine Epistolæ suæ Apostolus gratiam credentibus imprecatur : quæ cum voto habebat effectum, et erat in potestate credentium, si talem se benedictus, qualem benedicens præbere voluisset.

[a] Victor. addit : *State in fide, et*, tum ad sensum, ut sentit, ipsius Hieronymi, qui loquitur de charitate, et ad fidem Vulgat. edit. cum Græcæ, tum Latinæ, rescribit, *Omnia vestra in charitate fiant*, pro, *in fide*. Mss autem nostri omnes impressam lectionem probant.

S. EUSEBII HIERONYMI
STRIDONENSIS PRESBYTERI
COMMENTARIORUM
IN
EPISTOLAM AD PHILEMONEM
LIBER UNUS.

PROLOGUS.

741-742 Qui nolunt inter Epistolas Pauli eam recipere quæ ad Philemonem scribitur, aiunt, non semper [a] Apostolum, nec omnia, Christo in se loquente, dixisse : quia nec humana imbecillitas unum tenorem

[a] Haud intelligo, quid in mentem Victorio venerit cui rationes istæ facere visæ sunt pro illis, qui vel

sancti Spiritus ferre potuisset : nec hujus corpusculi necessitates [*Al.* necessitas] sub præsentia Domini semper complerentur : velut disponere prandium, cibum capere, esurire, saturari, ingesta digerere, exhausta complere ; taceo de cæteris, quæ exquisite et coacte [*Al.* coacta] replicant : ut affirment fuisse aliquod tempus in quo Paulus dicere non auderet : *Vivo, jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Galat.* II, 20) ; et illud : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII, 3) ? Quale, inquiunt, experimentum Christi est, audire : *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens tecum affer* (II *Tim.* IV, 13). Et illud ad Galatas : *Utinam et excidantur qui vos conturbant* (*Gal.* V, 12). Et in hac ipsa Epistola : *Simul autem et præpara mihi hospitium.* Hoc autem non solum apostolis, sed prophetis quoque similiter accidisse : unde sæpius scriptum feratur : *Factum est verbum Domini ad Ezechiel* (*Ezech.* XXII), sive ad quemlibet alium prophetarum : quia post expletum vaticinium, rursum in semet revertens, homo communis fieret e propheta ; et excepto Domino nostro Jesu Christo in nullo sanctum Spiritum permansisse [*Al.* remansisse]. Quod signum et Joannes Baptista acceperat, ut super quem vidisset Spiritum sanctum descendentem et manentem in eo, ipsum esse cognosceret (*Joan.* I). Ex quo ostendit [*Al.* ostenditur] **743-744** super multos quidem descendere Spiritum sanctum ; sed proprium hoc esse Salvatoris insigne, quia permaneat in eo. His et cæteris istiusmodi, volunt aut Epistolam non esse Pauli, quæ ad Philemonem scribitur : aut etiam si Pauli sit, nihil habere quod ædificare nos possit ; et a plerisque veteribus repudiatam, dum commendandi tantum scribatur officio, non docendi. At econtrario qui germanæ auctoritatis eam esse defendunt, dicunt numquam in toto orbe a cunctis Ecclesiis fuisse susceptam, nisi Pauli apostoli crederetur : et hac lege ne secundam quidem ad Timotheum, et ad Galatas eos debere suscipere, de quibus et [a] ipse humanæ imbecillitatis exempla protulerit : *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens tecum affer ;* et : *Utinam excidantur qui vos conturbant.* Inveniri plurima et ad Romanos, et ad cæteras Ecclesias maximeque ad Corinthios remissius et quotidiano pene sermone dictata, in quibus Apostolus loquatur : *Cæteris autem ego dico, non Dominus.* Quas et ipsas quia aliquid tale habent, aut Pauli epistolas

A non putandas : aut si istæ recipiuntur, recipiendam esse et ad Philemonem, ex præjudicio similium receptarum. Valde autem eos et simpliciter errare, si putent cibum emere, hospitium præparare, vestimenta conquirere, esse peccatum, et asserere [b] fugari Spiritum sanctum, si corpusculi paulisper necessitatibus serviamus. *Nolite*, inquit Apostolus, *contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis in die redemptionis* (*Ephes.* IV, 30). Quibus operibus Spiritus sanctus contristetur propheta commemorat, multis in ordine vitiis peccatisque digestis, ad extremum inferens : *In omnibus istis contristabas me.* Alioqui calicem aquæ frigidæ porrigere, pedes lavare, immolare vitulum, prandium præparare, peccatum sit : cum sciamus ex his rebus in Dei quosdam filios
B adoptari ? Non est hujus temporis ad omnia respondere : quia nec omnia, quæ illi proponere solent, intulimus. Quod si non putant eorum esse parva quorum et magna sunt, alterum mihi Conditorem, juxta Valentinum, Marcionem et Apellen, formicæ, vermium, culicum, locustarum : alterum cœli, terræ, maris, et angelorum debent introducere. An potius ejusdem potentiæ est, ingenium quod in majoribus exercueris, etiam in minoribus non negare ? Et quoniam Marcionis fecimus mentionem, Pauli esse Epistolam ad Philemonem saltem Marcione [c] auctore doceantur. Qui cum cæteras Epistolas ejusdem vel non susceperit, vel quædam in his mutaverit atque corroserit, in hanc solam manus non est ausus mittere : quia sua illam brevitas defendebat. Sed mihi videntur,
C dum epistolam simplicitatis arguunt, suam imperitiam prodere, non intelligentes quid in singulis sermonibus virtutis ac sapientiæ lateat. Quæ, orantibus vobis, et ipso nobis sancto Spiritu suggerente, quo scripta sunt, suis locis explanare conabimur. Si autem brevitas habetur contemptui, contemnatur Abdias, Naum, Sophonias, et alii duodecim prophetarum [*Al.* prophetæ], **745-746** in quibus tam mira et tam grandia sunt quæ feruntur, ut nescias utrum brevitatem sermonum in illis admirari debeas, an magnitudinem sensuum. Quod si intelligerent hi, qui Epistolam ad Philemonem repudiant, numquam brevitatem despicerent : quæ pro laciniosis Legis oneribus, evangelico decore conscripta est, dum breviatum consummatumque sermonem facit
D Dominus super terram. Sed jam ipsa Apostoli verba ponenda sunt, quæ ita incipiunt.

lent hanc Epistolam recipere ut Pauli Epistolam, non pro illis qui contrarium asserebant. Illud vero non ferendum, quod ex hac præconcepta opinione textum S. Patris in contrarium sensum mutarit, legeritque ex corruptis codicibus, *Qui volunt inter Epistolas*, etc., pro *nolunt*. Clamat res ipsa, totusque contextus eorum hic proponi argumenta, qui hanc Epistolam repudiarent : idque eo certius est, quod eadem plane et apud Chrysostomum, et apud Theophylactum causentur, hi qui hujus germanitatem scriptionis impugnant.

[a] Martianæus post Erasmum, *et ipsi humanæ imbecillitatis exempla protulerunt.*

[b] Penes Martianæum, *asserere a se refugari.* Voculas *a se* Victor. expungit. Sed ipsam Rabbanus præpositionem in verbo *refugari* ignorat. Perspicuum nempe est, ex repetito verbo, *asserere*, voces illas temere fuisse intrusas.

[c] Tertullianus, lib. V contra Marcionem, cap. ultimo : *Soli huic Epistolæ brevitas sua profuit, ut falsarias manus Marcionis evaderet.* Et ab ipsis tamen Marcionitis hanc ipsam penitus vitiatam dolet Epiphanius contra Hæres. lib. I, cap. 41, num. 9.

INCIPIT LIBER.

(Vers. 1 seqq.) *Paulus vinctus Christi Jesu, et Timotheus frater, Philemoni dilecto et cooperatori nostro, et Apphiæ sorori, et Archippo commilitoni nostro, et Ecclesiæ quæ in domo tua est, gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino* [a] *nostro Jesu Christo.* Præpostero ordine atque perverso, in Epistolas Pauli dictari a me vobis placuit. Nam cum id crebro, o Paula et Eustochium, peteretis ut facerem; et ego obnixe ne facerem recusarem, saltem parvam, et quæ vobis ut numero versuum, ita sensu quoque et ordine videbatur extrema, ut dissererem coegistis. Rem itaque principii in fine tentabo, et quod alius in exordio statim Apostoli quæreret, quare, aut quo tempore, vel quo cognominante, e Saulo Pauli nomen acceperit, hoc ego nunc facere compellor: ne [b] *mu* quidem, ut dicitur, ante hanc diem in eum facere ausus. Neque vero putandum est, ut a simplicioribus Latinis legitur, *Saulum* ante dictum esse, et non *Saul*: quia et de tribu Benjamin erat, in qua hoc nomen familiarius habebatur. Siquidem et ille Saul, rex Judææ, persecutor David, de tribu Benjamin fuit. Quod autem Saulus a nobis dicitur, non mirum est Hebræa nomina ad similitudinem Græcorum et Romanorum casuum declinari, ut sicut pro Joseph, Josephus: pro Jacob, Jacobus; ita pro Saul quoque, Saulus in nostra lingua ac sermone dicatur. Quæritur igitur, cur, aut quo jubente, vel antiquum nomen amiserit, vel novum sumpserit. Ut ex Abram, Abraham diceretur, Dei jussione perfectum est (*Gen.* XVII, etc.): ut ex Sarai, Saræ vocabulum fieret, æque Dei imperium fuit. Et ut ad novum Instrumentum veniam, ut Simon, *Petri* nomen acciperet (*Marc.* III): et filii Zebedæi, [c] BANE REEM (בני רעם), hoc est, *filii tonitrui* vocarentur, Domini nostri Jesu Christi voce præceptum est (*Ibidem*). Quare autem e Saulo Paulus dictus sit, nulla Scriptura memorat. Audacter itaque faciam, sed forte vere de Actibus Apostolorum suspiciones meas affirmans. Legimus in eis, quod sanctus Spiritus Antiochiæ dixerit: *Separate mihi Barnabam et Saulum, in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos* (*Actor.* XIII, 3 *seqq.*). Qui cum Seleuciam Syriæ descendissent, et navigantes Salaminam Cypri, quæ nunc Constantia dicitur, pervenissent, haberentque secum in ministerio Joannem (propter quem postea ædificatorium Ecclesiæ jurgium concitatum est) et omni insula peragrata, Paphum usque venissent, invenerunt quemdam magum [*Al.* magnum] pseudoprophetam nomine Bar Jesu, cum proconsule Sergio Paulo viro prudente. Qui accitis Barnaba et Saulo [*Al.* Paulo], desiderabat Dei sermonem ab eis audire. Resistente itaque mago [*Al.* magno], et a fide recta Sergium depravante, *Saulus* (ait Scriptura) *qui et Paulus, repletus Spiritu sancto, intuens in eum dixit: O plene omni dolo, et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas? Et nunc ecce manus Domini super te, et eris cæcus, non videns solem usque ad tempus. Confestimque cecidit in eum caligo et tenebræ, et circuiens quærebat qui ei manus daret. Tunc proconsul, cum vidisset factum, credidit, admirans super doctrina Domini. Et cum a Papho navigassent Paulus, et qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ.* Diligenter attende, quod hic primum nomen Pauli acceperit. Ut enim Scipio, subjecta **747** Africa, Africani sibi nomen assumpsit: et Metellus, Creta insula subjugata, insigne Cretici suæ familiæ reportavit: et Imperatores nunc usque Romani ex subjectis gentibus, Adiabenici, Parthici, Sarmatici nuncupantur: ita et Saulus ad prædicationem gentium missus, a primo Ecclesiæ spolio proconsule Sergio Paulo, victoriæ suæ trophæa retulit, erexitque vexillum, ut Paulus diceretur e Saulo. Si autem et interpretatio nominis quæritur, *Paulus* in Hebræo, *mirabilem* sonat. Revera mirum, ut post *Saul*, qui interpretatur, [d] *expe-*

[a] Additum, *nostro*, nec Græcus archetypus, nec mss. nostri agnoscunt.

[b] In mss. codicibus scriptum pro syllaba *mu* reperi, *ne mutum quidem*; vel *ne motum quidem*. Unus S. Martini a Campis retinet *ut tum*. Marianus legit *muth*; sed melior est syllaba *mu* sola sine litteris additis. Dicit enim Hieronymus, ne *mu* quidem ante hanc diem in Paulum ex Saulo facere ausus sum, id est, non ausus sum mussitare sive mussare, quare Paulus dictus sit, qui antea Saulus vocabatur. *Mussare* porro dictum quod muti non amplius quam μῦ, *mu* dicunt. Puto autem Hieronymum sumpsisse hæc ex Varrone dicente: *quod minimum est, neque ut aiunt, μῦ facere audet*. Vide lib. VI de Ling. Lat. MART. — Quidam mss., tum nobis, cum Martianæo inspecti, *ne mutum*. Corrupte, ut nullus dubito. Diximus de *mu*. Græc. μῦ, interjectione ad epistolam 12, ad Antonium monachum, ubi Hieronymus, *Tu ne mu quidem facere dignaris*. Lucilius:

Nec laudare hominem, neque mu facere umquam.

[c] Ita legunt plures mss. codices, unus retinet nomen *Boarnerges*, quod magis ad Græcum βοανεργὲς, et Syriacum בני רגשא, *benairegheso*, quam ad Hebræum *bene reem*, sive *bane reem*, accedit. Hæc tamen retinenda lectio; quia Hieronymus hoc loco Hebraice loquitur. MART. — Unus mss. quemadmodum et Rabbanus, *Boanerges* legunt, sicque rescribit Victor. Hebraicis litteris בני רגש, quod est Græce βοανεργὲς: vultque Syriace nomen hic efferri, non Hebraice. Nos alibi sæpe ex Hieronymi sententia de recta hujusce nominis pronuntiatione diximus. Vide lib. Nominum de Joanne, ubi *Banereem*, inquit, *filii tonitrui, quod corrupte Boanerges usus obtinuit*. Et in Commentar. in Danielem II, 7: *Filii Zebedæi appellati sunt filii tonitrui, quod non, ut plerique putant, Boanerges, sed emendatius legitur, Benereem*. Quamquam non diffitemur Syris eo tempore רגשא significasse *tonitru*, quod etiamnum Arabica radix confirmat.

[d] Pro *expetitus*, quod mss. nostri et Rabbanus

situs, eo quod ad vexandum Ecclesiam, fuisset a diabolo postulatus; de persecutore vas fieret electionis. Plus forte quam oportuit, sed necessarie disputatum est. Quod autem sequitur, *vinctus Jesu Christi*, in nulla Epistola hoc cognomine usus est, licet in corpore Epistolarum, ad Ephesios videlicet et Philippenses, et Colossenses, esse se in vinculis pro confessione testetur. Majoris autem mihi videtur supercilii, vinctum se Jesu Christi dicere, quam Apostolum. Gloriabantur quippe apostoli, quod digni fuerant pro nomine Jesu Christi contumeliam pati (*Act.* v, 41); sed necessaria auctoritas vinculorum. Rogaturus pro Onesimo, talis rogare debuit, qui posset impetrare quod posceret. Felix nimirum qui non in sapientia, non in divitiis, non in eloquentia et potentia sæculari, sed in Christi passionibus gloriatur. Tali et ad Galatas Epistolam sermone concludens: *De cætero*, ait, *nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini nostri Jesu Christi in corpore meo porto* (*Galat.* vi). Non omnis autem qui vinctus est vinctus est Christi; sed quicumque pro Christi nomine et pro ejus confessione vincitur, ille vere vinctus dicitur Jesu Christi, et sanguis effusus is tantum martyrem facit, qui pro Christi nomine funditur. Scribit igitur ad Philemonem Romæ vinctus in carcere, quo tempore mihi videntur ad Philippenses, Colossenses, et Ephesios Epistolæ esse dictatæ. Ad Philippenses illa ex causa: primum quod cum solo Timotheo scribit, quod et in hac Epistola facit. Dehinc quod vincula sua manifesta dicit facta pro Christo 748 in omni prætorio. Quid sit autem prætorium, in ipsius Epistolæ fine significat, *Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt*. A Cæsare missus in carcerem, notior familiæ ejus factus, persecutoris domum, Christi fecit Ecclesiam. Deinde ait: *Quidam autem ex contentione Christum annuntiant, non sincere existimantes pressuram se suscitare vinculis meis* (*Philip.* i, 17). Porro et ad [a] Colossenses principium simile. *Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater*. Et in consequentibus: *Cujus factus sum ego Paulus minister, qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis: et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia* (*Col.* i, 2, 23, 24). Et in fine: *Salutatio mea manu Pauli, memores estote vinculorum meorum* (*Col.* iv, 18). Hoc ideo, ut sciamus has quoque Epistolas de carcere et inter vincula fuisse dictatas. Illud autem proprie habet ad Colossenses, quod idem Onesimus, qui nunc Philemoni commendatur, etiam

A perlator ejusdem sermonis fuit. Denique ait: *Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, et minister fidelis, et conservus in Domino quem misi ad vos, ad hoc ut cognoscat quæ circa vos sunt, et consoletur corda vestra, cum Onesimo charissimo, et fideli fratre, qui est ex vobis* (*Ibid.*, 7, 8). Si autem Philemon, ad quem hæc epistola scribitur, Onesimi dominus est, immo frater esse cœpit in Domino, et ad Colossenses refertur quod Onesimus ex eis sit: ratio nos ipsa et ordo deducit, quod et Philemon Colossensis sit, et eo tempore communem ad omnem Ecclesiam Onesimus epistolam tulerit, quo privatas et sui commendatrices ad Dominum litteras sumpserat. Est et aliud indicium, quod in hac eadem epistola et Archippus nominatur: cui B hic cum Philemone scribitur: *Dicite*, inquit, *Archippo*; *vide ministerium quod accepisti a* [Al. *in*] *Domino*, *ut illud impleas*. Quod est ministerium quod Archippus accepit a Domino? Ad Philemonem legimus: *Et Archippo commilitoni nostro, et Ecclesiæ quæ in domo tua est*. Ex quo puto aut [b] episcopum eum fuisse Colossensis Ecclesiæ, cui admonetur, studiose et diligenter præesse, 749 ut Evangelii prædicatorem. Aut si ita non est, illud mihi impræsentiarum sufficit, quod et Philemon et Archippus, et Onesimus ipse qui litteras perferebat, fuerint Colossenses, et eodem tempore quatuor (ut ante diximus) Epistolæ scriptæ sunt. Ad Ephesios vero illam ob causam, quod pro Christo et hic vinctum se esse dicat, et eadem quæ ad Colossenses jusserat, in hujus quoque C Epistolæ fine præcipiat, ut uxores subjiciantur viris, et viri uxores diligant, ut filii obediant parentibus, ut patres non provocent ad iracundiam filios suos, ut servi obediant dominis carnalibus, ut domini, relictis minis, ea servis quæ justa sunt, præbeant: et ad extremum Epistolam suam hoc fine concludat: *Quid agam, notum vobis faciet Tychicus charissimus frater, et fidelis minister in Domino: quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa me sunt, et consoletur corda vestra*. Tychicus autem is est, qui et ad Colossenses cum Onesimo mittitur, et eo tempore Onesimum habuit comitem, quo Onesimus ad Philemonem litteras perferebat.

Et Timotheus frater. In aliis epistolis Sosthenes et Silvanus, interdum et Timotheus frater [*Al. tacet* D *frater*] assumitur. In quatuor tantum Timotheus, quia vel eodem tempore, vel præsente Timotheo cæterisque, dictatæ sint. Quod ego duplici ex causa factum puto; ut et Epistola majorem haberet auctoritatem, quæ non ab uno scribebatur: et quia nulla

substituunt, minus recte legerat Martianæus, *repetitus*. Vadem ipsum habeto Hieronymum in lib. Nominum de Actibus apostolorum: *Saul*, *expetitus*, *sive petitio*. Consonat Hebraicum, שאול, de quo ibi diximus.

[a] Ex eo etiam paulo post argumentatur, quod idem ad utrosque fecerit portitor litterarum Onesimus. Verum post Theodoritum interpretes plerique omnes aliquanto post datam arbitrantur ad Colossenses Epistolam, cum scilicet Romam secundo Onesimus rediisset.

[b] Iisdem propemodum verbis Pseudo-Ambrosius argumentatur: aliis episcopum quidem Archippum fuisse, non tamen Colossarum, sed Laodiceæ in Phrygia, persuasum fuit, quod minus est verosimile. Auctor vero Comment. in Pauli Epistolas sub Hieronymi nomine, quos exhibebit postremus Tomus: *Hic*, inquit, *diaconus erat. De quo ad Colossenses ait: Dicite Archippo: Vide ministerium, quod accepisti, ut illud impleas*. Propius ad fidem est cum episcopi Colossis gessisse vices pro Epaphra, cum hic Romæ esset apud S. Paulum.

æmulatio erat inter apostolos, si quid forte Paulo dictante, alii spiritus suggessisset, absque ulla tristitia addebat Paulus in litteris quas dictabat. Secundum id quod ipse Corinthiis præcepit, ut si alio prophetante, alii fuerit revelatum, taceat ille qui prius prophetabat (I *Cor.* XIV). Ita ipse quoque præceptum suum opere complebat, et propter pauca quæ alio addiderat suggerente, ut suam, ita alterius quoque epistolam præscribebat. *Philemoni*, inquit, *dilecto*. Non habetur in Græco ἠγαπημένῳ, quod *dilectus* dicitur, sed ἀγαπητῷ, id est, *diligibili*. Inter dilectum autem et diligibilem, hoc interest, quod dilectus appellari potest et ille qui dilectionem non meretur. Diligibilis vero is tantum qui merito diligitur. Denique et inimicos nostros diligere præcipimur, qui sunt **750** dilecti, sed non diligibiles. Amamus quippe illos, non quia amari merentur, sed quia præcipitur eos odio non habendos. Illud vero quod in quadragesimi quarti Psalmi titulo prænotatur, *pro dilecto*, melius habet in Græco, *pro diligibili* : qui locus manifestissime de Christo intelligitur. Licet enim Judæi IDIDIA (ידידיה), hoc est, *amatum Dei*, Salomonem dici putent, quod ei a Deo sit ob sapientiam nomen impositum (II *Reg.* XII) : tamen *amatus Dei* quis magis dici potest, nisi is de quo in Evangelio Pater loquitur : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, hunc audite* (*Luc.* IX, 36) Denique et in Isaia ita scriptum habet : *Cantabo dilecto canticum diligibilis vineæ meæ. Vinea facta est dilecto* (*Isai.* V, 1). Et hoc circumcisio de populo Judaico accipiendum putans, impegit in lapidem offensionis, et petram scandali : non recogitans vineam quæ de Ægypto translata est, esse domum Israel, et Christum hic dici vel diligibilem, vel dilectum : dum et ipse diligi meretur a sanctis, et sancti eum diligunt, offerentes ei magis charitatem, quam ulla [*Al.* alia] charitatis præmia postulantes. Scribunt igitur Paulus et Thimotheus, Philemoni charissimo et cooperatori : qui ideo charissimus dictus est, quod in eodem Christi opere versetur. Apphiæ [*Al.* Appiæ] quoque sorori, non habenti in se falsæ aliquid, et fictæ germanitatis : et Archippo commilitoni, quem arbitror cum Paulo et Thimotheo contra adversarios pro Christi nomine dimicantem exstitisse victorem, et propterea nunc commilitonem dici, quod in eodem certamine belloque superaverit. Scribitur etiam Ecclesiæ quæ in domo ejus est. Verum hoc ambiguum, utrum Ecclesiæ quæ in domo Archippi sit : an ei quæ in domo Philemonis. Sed mihi videtur non ad Archippi, sed ad Philemonis referendum esse personam, cui ipsa quoque epistola deputatur. Nam licet Paulus et Thimotheus pariter scribant ad Philemonem, Appiam, Archippum, et Ecclesiam : tamen in sequentibus approbatur Paulum tantummodo ad Philemonem scribere, et unum cum uno

A sermocinari. *Gratias ago Deo meo semper* [a], *et memoriam tui faciens*. Hunc autem morem scribendi in nonnullis epistolis ejus invenire poteritis : quod cum plures, et ad plures **751** in præfatione ponantur, postea per totum corpus Epistolæ, unus disputans inducatur. Illud quod ad Galatas scribens Apostolus ait : in Christi fide nihil referre, gentilis sit aliquis, an Judæus : vir, an mulier : servus, an liber (*Galat.* III, 28) : etiam in hoc loco perspicuum fit. Inter duos quippe viros et apostolicos, inter cooperatorem Pauli, et commilitonem ejus, medium Apphiæ nomen inseritur : ut tali [*Al.* talis] ex utroque latere fulta comitatu, non videatur ordinem sexus habere, sed meriti. Quod autem ait, *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu* B *Christo*, adhuc a duobus ad plures scribitur, et in omnibus pene Epistolis [b] æquale principium est, ut gratiam eis et pacem a Deo Patre et Christo Domino imprecetur. Ex quo ostenditur unam Filii Patrisque esse naturam, cum id potest Filius præstare quod Pater, et dicitur id Pater præstare quod Filius. Gratia autem est, qua nullo merito nec opere salvamur. Pax, qua reconciliati Deo per Christum sumus ut ibi : *Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo* (II *Cor.* V, 20).

(Vers. 4 seqq.) *Gratias ago Deo meo semper, memoriam tui faciens in orationibus meis, audiens charitatem tuam, et fidem quam habes in Domino Jesu, et omnes sanctos ejus : ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis boni, quod in* [c] *vobis est in* C *Christo*. Hæc jam non ut Paulus et Timotheus, Philemoni et cæteris; sed ut solus Paulus, ad solum Philemonem loquitur : *Gratias*, inquiens, *ago Deo meo semper* [*Al.* addit *et*] *memoriam tui faciens in orationibus meis*. Ambigue vero dictum, utrum gratias agat Deo suo semper, an memoriam ejus faciat in orationibus suis semper. Et utrumque intelligi potest. Qui enim præcipit aliis, ut in omnibus gratias agant Deo, nullis angustiis poterit coarctari, ut gratias semper Deo ipse non referat. Si autem pro sanctis, et melioribus quibusque Paulus semper orabat (sanctus autem et Philemon est, tantam habens in se fidem et charitatem, ut non solum auditu ei, sed etiam opere nosceretur) et pro Philemone semper orasse Paulum, credibile est : quo scilicet fides D et charitas quam habebat in Christo, et in omnes **752** sanctos ejus, per communicationem fidei, et operationem agnitionis in omni bono, Christi misericordia servaretur; et de charitate quidem quam habebat in Christo Jesu, et in omnes sanctos ejus, non difficilis interpretatio est : qua post Deum diligere jubemus et proximos. Nunc hoc quæritur, quomodo eamdem fidem in Christo Jesu habere quis possit, et in sanctos ejus; ἀπὸ κοινοῦ enim resonat charitatem quam habes in Domino Jesu, et in omnes

[a] Addunt nostri mss. *pro vobis*, quas nesciunt voces Græcus pariter textus, atque Latinus interpres.

[b] Vitiose Martian. *qualis* · levia id genus alia passim castigantur.

[c] Cistercienses mss., *in nobis*. Variat et Græcus textus, ὑμῖν et ἡμῖν.

sanctos ejus : et [a] fidem, quam habes in Domino Jesu, et in omnes sanctos ejus. Ad expositionem hujus loci de Exodo sumamus exemplum : *Credidit populus Deo et Moysi servo ejus* (*Exod.* xix). Una atque eadem credulitas in Moysen refertur, et in Deum : ut populus qui credebat in Dominum, æque credidisse dicatur [*Al.* scribatur] in servum. Hoc autem non solum in Moyse, sed in omnibus sanctis ejus est; ut quicumque credidit Deo, aliter ejus fidem recipere non queat, nisi credat et in sanctos ejus. Non est enim in Deum perfecta dilectio et fides, quæ in ministros ejus odio et infidelitate tenuatur. Quod autem dico, tale est : credidit [*Al.* credit] quispiam in conditorem Deum : non potest credere, nisi prius crediderit, de sanctis ejus vera esse quæ scripta sunt : Adam a Deo plasmatum, Evam ex costa illius, et latere fabricatam, Enoch translatum, Noe naufrago solum orbe servatum : quod primus Abraham de terra sua, et cognatione jussus exire, circumcisionem quam in signum futuræ prolis acceperat, posteris dereliquit : quod Isaac oblatus victima sit, et pro illo aries immolatus, coronatusque sentibus, passionem Domini deformarit : quod Moyses et Aaron decem plagis Ægyptum afflixerint : quod ad vocem Jesu filii Nave precesque steterit sol in Gabaon, et luna in valle Ailon. Longum est [b] universa Judicum gesta percurrere : et totam Samson fabulam, ad veri solis (hoc quippe nomen ejus sonat) trahere sacramentum. Ad Regum [*Al.* Regnorum] libros veniam quando in tempore messis, obsecrante Samuele, pluviæ de cœlo, et flumina repente manarunt : et David unctus in regem est : et Nathan **753** et Gad prophetaverunt mysteria ; cum Elias igneo raptus est curru, et Elisæus spiritu duplici mortuus mortuum suscitavit. Hæc et cætera quæ de sanctis scripta sunt, nisi quis universa crediderit, in Deum sanctorum credere non valebit : nec adduci ad fidem veteris Testamenti, nisi quæcumque de patriarchis et prophetis, et aliis insignibus viris narrat historia, [c] comprobarit : ut ex fide Legis, ad fidem veniat Evangelii, et justitia Dei in eo reveletur ex fide in fidem, sicut scriptum est : *Justus autem ex fide vivit* (*Abac.* ii). Præcipitur et in alio loco : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, dicit Dominus Deus vester* (*Levit.* xix, 2). Eadem sanctitas servis debetur et Domino : et sanctificans quippe et sanctificati ex uno omnes. Non putemus levem Philemonis prædicationem, si eamdem fidem habeat in sanctos quam et in Deum. Qui credit Deum sanctum esse, utique non errat. Quod si quis hominem qui sanctus non est, sanctum esse crediderit, et Dei eum junxerit societati, Christum violat,

A cujus corporis omnes membra sumus. *Qui dicit*, inquit, *justum injustum, et injustum justum, abominabilis uterque apud Deum est* (*Prov.* vii, 15) : similiter qui sanctum dicit esse non sanctum, et rursum non sanctum, asserit sanctum, abominabilis apud Deum est. Omnes credentes, secundum Apostolum, Christi corpus efficiuntur [*Al.* efficimur] (I *Cor.* vi). Qui in Christi corpore errat et labitur, asserens membrum ejus vel sanctum esse, cum non sit : vel non sanctum esse, cum sanctum sit, vide quali crimine obnoxius fiat : *Væ*, ait Isaias, *qui dicunt dulce amarum, et amarum dulce : ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras* (*Isai.* v, 20). Dulce, puto esse sanctimoniam : amarum, quod sanctimoniæ contrarium est; æque lux sanctimonia intelligi potest, tenebræ B contrariæ sanctitati. Quis putas e nobis probandis numismatibus callidus trapezita, non errabit in discretione sanctorum ? Qui cum in Deum vel in sanctos ejus æqualem charitatem habuerit, et fidem, ipsius fidei communicationem debet habere non disparem : ut sicut credit et diligit, ita dilectionem suam et fidem opere consumat. Unde ait : *Evidens fiat in agnitione omnis boni ;* sive ut in Græco melius habetur, *efficax;* **754** ἐνεργής enim proprie transferri potest, *efficax*, sive *operatrix :* ut non solum fidem nobis, et charitatem in Deum, et in sanctos ejus sufficere posse credamus; sed id quod credimus [*Al.* creditur], opere compleatur. Potest autem accidere, ut quis habeat fidem, et eam opere consummet : verum simpliciter et nude, non ha- C bens agnitionem nec scientiam ejus, juxta illud Apostoli : *Confiteor zelum Dei habent, sed non secundum scientiam* (*Rom.* x, 2). Sunt hodie plerique simplicium, qui faciunt opera justitiæ, et non habent eorum quæ ipsi operantur scientiam. Unde addidit : *Ut communicatio fidei tuæ operatrix fiat in agnitione omnis boni.* Quantis gradibus [d] quantisque saltibus, apostolicus in altiora sermo se tendit ? Habet quispiam charitatem et fidem in Deum et in sanctos ejus : sed forsitan non æquali eam in omnes lance communicet. Communicet forsitan in cunctos, sed opere non expleat : [e] voluntate impleat aliquis et opere, sed gestorum suorum perfectam habere non potest notionem. Sit talis quoque qui et opus habeat et scientiam, sed non omnis agnitionem ha- D bet boni ; multa enim juste, mansuete, studioseque perpetrans, impar est suis in aliqua parte virtutibus. An non talis Philemon ? Habet quippe communicationem operatricis fidei, et charitatis in agnitione omnis boni. Quæ cum in apostolis sit, non eam putemus ob id tantum esse perfectam, si in illis sit : sed in eo [f] totam esse, quia Christi est, ut quidquid

[a] Suffecimus hic ad ms. Cisterciensis vetustioris auctoritatem duos versus consequentes, *et fidem, quam habes in Domino Jesu, et in omnes sanctos ejus*, qui et necessarii quidem integritati sententiæ sunt, et earumdem recursu vocum, quibus et proxime superior sensus terminatur, amanuensis oculos, tam sæpe obvio lapsu, putandi sunt effugisse. Rabbanus quoque in suo olim exemplari legit.

[b] Pro *universa*, quam vocem rectissime mss. nostri substituunt, antea legebatur, *diversa*.

[c] Apud Victorium, *vera comprobarit*.

[d] Cistercienses mss. *quantisque progressibus in altiora sermo*, etc.

[e] Duo mss. *voluntatem impleat aliquis*, etc.

[f] Idem mss., *in eo totam esse*, etc.

boni, et in Philemone laudatur, et de apostolorum exemplo sumitur : inde bonum sit, quia de fonte Christi ducatur.

(Vers. 7.) *Gaudium enim magnum habuimus, et consolationem in charitate tua, quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater.* Plenius inculcat et edocet, quare dixerit : *Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis.* Dignum siquidem erat agere gratias Deo super charitate Philemonis, qui internum cordis affectum, et profundos animi sanctorum recessus suscipiendo refecerat. Et hoc idioma apostolicum est; ut semper viscera vocet, volens plenam mentis ostendere charitatem. Unde gaudens cum gaudentibus, et cum his qui requieverant, se refectum esse credens : 755 habet lætitiam non transitoriam et levem, et quæ fortuito possit accidere; sed magnam, et prout erat in Philemone charitas, eminentem : quam augebat consolatio super Philemonis charitate descendens; plena a Patre misericordiarum, et Deo totius consolationis.

(Vers. 8, 9.) *Propter quod multam fiduciam habens in Christo Jesu, imperandi tibi quod prodest propter charitatem : magis obsecro, cum sis talis, ut Paulus senex : nunc autem et vinctus Jesu Christi.* Multis in Philemonem laudibus ante præmissis, cum res talis sit, pro qua rogatus est, quæ et præstanti sit utilis et roganti, poterat Paulus magis imperare, quam petere. Et hoc ex fiducia illa veniebat, quod qui tanta ob Christum opera perpetrarat, utique impar sui in cæteris esse non poterat. Sed vult magis petere quam jubere, grandi petentis auctoritate proposita; per quam et Apostolus obsecrat, et senex et vinctus Jesu Christi. Totum autem pro quo rogat, illud est : Onesimus servus Philemonis, fugam furto cumulans quædam rei domesticæ compilarat : [a] hinc pergens ad Italiam, ne in proximo facillus posset apprehendi, pecuniam domini per luxuriam prodegerat. Hoc ne quis putet temere, et ut libet a nobis fictum, in sequentibus discat. Numquam enim Paulus diceret : *Si quid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa : Ego Paulus scripsi manu mea, ego reddam.* Nec sponsor rei fieret ablatæ, nisi esset id quod ablatum fuerat dissipatum. Hic igitur cum ob confessionem Christi, Paulus Romæ esset in carcere, credidit in Christum : et ab eo baptizatus, digna pœnitentia maculas vitæ prioris abstersit : intantum ut is apostolus conversionis ejus testis fieret, qui quondam Petrum increpaverat, non recto pede in Evangelii veritate gradientem (*Galat.* II). Quantum igitur ad peccatum et ad facinus pertinet, quo dominum læserat, veniam non meretur; quantum vero ad Apostoli testimonium, qui scit eum plene conversum, grandi pondere premitur, qui rogatur, ut qui e servo fugitivo atque raptore, minister Apostoli factus erat. (Quod autem aliud habeat Apostolus ministerium nisi Evangelii Christi Jesu?) jam non quasi a domino, sed quasi a conservo, et coevangelista, ignosceretur ei, qui servus esset Christi similiter et minister.

(Vers. 10, seqq.) *Obsecro te de meo filio, quem genui in* 756 *vinculis, Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit; nunc autem et tibi, et mihi utilis est : quem remisi tibi. Tu autem illum, id est mea viscera, suscipe, quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii.* Volens impetrare quod postulat, jam non pro servo Philemonis, sed pro filio suo se asserit deprecari; et de illo filio quem genuerit in vinculis Evangelii, hoc est, quæ pro Christi Evangelio sustinebat : qui enim ante inutilis domino suo tantum fuerit (nec enim servus fur atque fugitivus alteri nocuit, nisi domino suo) nunc econtrario utilitatis compensatione, qua ipsi domino et Paulo utilis est, cæterisque per Paulum, plus charitatis meretur, quam odii ante meruerat. Unde ait : *Qui tibi aliquando inutilis fuit.* Tibi, inquit, soli; non cæteris : nunc autem et mihi, et tibi utilis. Utilis domino in eo, quia posset et Paulo servire pro domino suo; Paulo vero in eo utilis : quia illo in carcere, vinculisque detento, posset ei in Evangelio ministrare. Simul autem admirandum de magnanimitate Apostoli, et in Christum mente ferventis. Tenetur in carcere, vinculis stringitur, squalore corporis, charorum separatione, pœnalibus tenebris coarctatur, et non sentit injuriam, non dolore cruciatur, nihil novit aliud, nisi de Christi Evangelio cogitare. Sciebat servum, sciebat fugitivum, sciebat aliquando raptorem ad Christi fidem esse conversum. Grandis laboris est talem hominem in eo perseverare quod cœpit. Idcirco filium suum, et filium vinculorum, et ministrum Evangelii in vinculis constituti, inculcat, ac replicat, ut Philemon ille prudenter et dispensatorie tantum in præfatione laudatus, non auderet negare, ne suis laudibus videretur indignus. Quod autem ait : *Tu autem illum, id est, mea viscera suscipe,* hoc est, quod paulo ante dixi : viscera significare internum cordis affectum, et plenam ex animo voluntatem, cum totum quidquid in nobis est, suscipitur a rogato. Alias autem omnes liberi viscera sunt parentum.

(Vers. 14.) *Sine consilio autem tuo nihil volui facere : ut non quasi ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.* Hoc quod a plerisque quæritur, et sæpissime retractatur : quare Deus hominem faciens, non eum bonum rectumque condiderit, de 757 præsenti loco solvi potest. Si enim Deus voluntarie, et non ex necessitate bonus est, debuit hominem faciens, ad suam imaginem et similitudinem facere, hoc est, ut et ipse voluntarie, et non ex necessitate bonus esset. Qui autem asserunt ita eum debuisse fieri, ut malum recipere non posset, hoc dicunt : talis debuit fieri qui necessitate bonus esset,

[a] Mss. Antea *hic*; emendant; quemadmodum et Petrus Petitus in lib. Miscell. Quæstt. conjecerat reponendum.

et non voluntate. Quod si talis fuisset effectus, qui bonum non voluntate, sed necessitate perficeret, non esset Deo similis: qui ideo bonus est, quia vult, non quia cogitur. Ex quo manifestum est, rem eos inter se postulare contrariam. Nam ex eo quod dicunt, Debuit homo Deo similis fieri, illud petunt, ut liberi fieret arbitrii, sicut Deus ipse est. Ex eo autem quod inferunt [Al. infertur], talis debuit fieri, qui malum recipere non posset; dum necessitatem ei boni important, illud volunt, ut homo Deo similis non fieret. Potuit itaque et apostolus Paulus absque voluntate Philemonis, Onesimum sibi in ministerium retinere. Sed si hoc sine voluntate Philemonis fecisset: bonum quidem erat, sed non voluntarium. Quod autem non erat voluntarium, alio genere arguebatur non esse bonum. Nihil quippe bonum dici potest, nisi quod ultroneum est. Ex quo Apostoli consideranda prudentia est: qui idcirco fugitivum servum remittit ad dominum, ut prosit domino suo; qui prodesse non poterat, si domino teneretur absente. Superior ergo quæstio ita solvitur: Potuit Deus hominem sine voluntate ejus facere bonum. Porro si hoc fecisset, non erat bonum voluntarium, sed necessitatis. Quod autem necessitate bonum est, non est bonum, et alio genere malum arguitur. Igitur proprio arbitrio nos relinquens, magis ad suam imaginem et similitudinem fecit. Similem autem Deo esse absolute bonum est.

(Vers. 15, 16.) *Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut æternum illum reciperes. Jam non sicut servum, sed plus servo, fratrem charissimum, maxime mihi: quanto magis autem tibi, et in carne, et in Domino.* Nonnumquam malum occasio fit bonorum, et hominum prava consilia Deus vertit ad rectum. Quod dico manifestius exemplo fiet. Joseph fratres, sui 758 zeli stimulis incitati, Ismaelitis viginti [a] aureis vendiderunt (*Gen.* XXXVII). Hoc initium et patri, et fratribus, et omni Ægypto bonorum omnium fuit. Denique ipse postea ad fratres: *Vos,* inquit, *cogitastis de me mala: et Deus cogitavit de me bona* (*Gen.* XLV, 8). Simile quid et in Onesimo possumus intelligere, quod mala principia occasiones fuerint rei bonæ. Si enim dominum non fugisset, numquam venisset Romam ubi erat Paulus vinctus in carcere. Si Paulum in vinculis non vidisset, non recepisset fidem in Christum. Si Christi non habuisset fidem, numquam Pauli effectus filius, in opus Evangelii mitteretur. Ex quo paulatim, et per gradus suos, reciprocante sententia, ideo minister Evangelii est factus Onesimus, quia fugit a domino. Pulchre autem addens, *forsitan,* sententiam temperavit. Occulta sunt quippe judicia Dei, et temerarium est quasi de certo pronuntiare quod dubium est. *Forsitan,* inquit, *ideo discessit:* caute, timide, trepidan- A ter, et non toto [Al. totum] fixo gradu: ut si non posuisset *forsitan*, omnibus servis fugiendum esset, ut apostolici fierent. Quod autem, *ad horam*, junxit, horam pro tempore debemus accipere. Ad comparationem enim æternitatis, omne tempus breve est. *Ut æternum illum reciperes.* Nullus æternus dominus servi sui: potestas quippe ejus, et utriusque conditio, morte finitur. Onesimus vero qui ex fide Christi factus æternus est, æterno Philemoni, quia in Christum et ipse crediderat, spiritu libertatis accepto, jam non servus, sed frater cœpit esse de servo, frater charissimus, frater æternus; æterno et ipsi Apostolo dominoque suo, cui Onesimum ut carnis ante conditio: ita postea spiritus copulat. Et tunc quidem quando erat ei subjectus in carne, non B erat ei junctus in Domino; nunc autem ei et in carne junctus est, et in Domino. Ex quo intelligimus servum qui crediderit Christo, duplici domino suo lege constringi, ut ei et carnis necessitate jungatur ad tempus, et in æternum spiritu copuletur.

(Vers. 17.) *Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me.* [b] Philemon Paulum socium habere cupiebat, et in Christum credens, tales utique volebat habere profectus, ut Paulo similis fieret, et ei 759 communicaret in vinculis. Consideremus ergo quantum hic laudetur Onesimus, quantum profecisse dicatur: cum ita recipiendus sit ut Apostolus et sic ejus dominus ut Pauli debeat desiderare consortium. Breviter quod dicit tale est: Si me vis habere consortem, habeto et Onesimum, quem ego consor- C tem, et filium meum, et viscera mea habeo: quem si non susceperis, nec habere volueris, et ipse intelligis quod me habere non possis.

(Vers. 18.) *Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa.* Imitator Domini sui, et Christum in se loquentem habens, ea juxta vires suas debet facere quæ Christus. Si enim ille infirmitates nostras portavit, et plagas nostras doluit, juste Apostolus pro Onesimo se opponit, et spondet quæ ille debebat. Ut autem supra diximus, totum illud est, quod ablatum furto, et per luxuriam perditum, non poterat absolvi: quod Philemon grandi pretio pensabat [Al. compensabat] dum pro servo fugitivo, et pecunia perdita, et fratrem charissimum, et fratrem reciperet æternum, et per eum sibi Apostolum face- D ret debitorem.

(Vers. 19.) *Ego Paulus scripsi manu mea. Ego reddam, ut non dicam tibi, quia et ipsum te mihi debes.* Quod dicit tale est; Quod Onesimus furto rapuit, ego me spondeo redditurum: cujus sponsionis, Epistola hæc et manus testis est propria: quam non solito more dictavi, sed mea manu ipse conscripsi. Crede igitur mihi pro Onesimo pollicenti. Hoc autem dico quasi ad extraneum loquens. Cæterum si

[a] Legit hoc loco secundum interpretes LXX, qui pro viginti *argenteis*, posuerunt *aureos viginti*. De quo videsis ipsum Hieronymum in cap. XXVI Matthæi. Mart. — Notatum vero ipsimet S. Doctori superius in Commentar. in Matth., cap. XXVI, quod *Joseph non, ut multi putant, juxta LXX interpretes* (quibuscum tamen hic facit) *viginti aureis venditus est; sed juxta Hebraicam veritatem viginti argenteis.*

[b] Vitiose penes Martianæum, *Philemonem.*

ad jus meum redeam, propter sermonem Christi, quem tibi evangelizavi, et Christianus effectus es, teipsum mihi debes. Quod si tu meus es, et tua omnia mea sunt: Onesimus quoque, qui tuus est, meus est. Poteram igitur eo uti ut meo; sed voluntati tuæ relinquo, ut mercedem habeas ignoscendo.

(Vers. 20.) *Ita, frater, ego te fruar in Domino.* Proprietatem Græcam Latinus sermo [a] non explicat. Quod enim ait, ναί, ἀδελφέ: ναί quoddam quasi adverbium blandientis est. Nos autem interpretantes, *ita, frater*, aquatius et dilutius nescio quid magis aliud quam id quod est scriptum, sonamus. Sicut enim ANNA (אנה) illud Hebraicum, pro quo frequenter **760** Septuaginta interpretes ὦ δή transtulerunt, in lingua sua significat deprecantis affectum: unde nonnumquam Symmachus pro ANNA, δέομαι, hoc est, *obsecro*, transtulit: ita et nos eamdem in Græca lingua vim patimur, quam Græci sustinent in Hebræa. Quod autem ait: *Ego te fruar in Domino*, aliud multo intelligitur quam putatur. Apostolus non fruitur nisi eo qui multas in se habet concinentesque virtutes, et totum quod [b] Christus dicitur pro varietate causarum: sapientiam videlicet, justitiam, continentiam, mansuetudinem, temperantiam, castitatem: has imprecatur Philemoni: ut cum his abundaverit, ipse eo perfruens impleatur. Et ne putes illam fruitionem dici, qua nos sæpe nostri inter nos præsentia delectamur, addidit, *in Domino:* ut ex eo quod Domini nomen adjunctum est, intelligeretur, et alia esse fruitio, qua quis absque Domino perfruatur.

Refice viscera mea in Christo. Sicut ipse frui vult Philemone in Domino: ita viscera sua Onesimum, quem et superius eodem nomine appellavit, refici vult per Philemonem, et ambigue dictum: utrum viscera Pauli in Christo Onesimus sit: an viscera Pauli Onesimus per Philemonem in Christo reficienda sint. Si superius accipere volueris, recte Pauli in Christo viscera dicentur Onesimus, quem in vinculis Christo genuit. Si posterius: in Christo reficiendus est Onesimus a Philemone, dum ejus in Christo sermonibus eruditur.

(Vers. 21.) *Confidens de obedientia tua scripsi tibi: sciens quoniam super id quod dico facies.* Qui præsumit de eo quem rogaturus est, ipsa quodammodo præsumptione præjudicat, ne ei negare liceat quod rogatur. Porro si scit ille qui postulat plusquam rogavit, rogatum esse futurum: ideo minora petit, ut habeat rogatus voluntariam, et majorem præstatione mercedem. Si autem Philemon hæc ad hominis præceptum facit: quanto magis faciet ob dilectionem Dei? Unde merito Apostoli voce laudatur: quod mandata ejus opere prævertat, et possit dicere: *Voluntaria oris mei complaceant tibi, Domine*

A (*Ps.* CXVIII, 108): plusque faciens quam præceptum est, vincat eos qui tantummodo imperata fecerunt, et jubentur dicere: *Servi inutiles sumus, quod debuimus facere,* **761** *fecimus* (*Luc.* XVII, 10). Virginitas quoque propterea majori præmio coronatur: quia præceptum Domini non habet, et ultra imperata se tendit.

(Vers. 22.) *Simul autem et præpara mihi hospitium.* Non puto tam divitem fuisse Apostolum, et tantis sarcinis occupatum, ut [c] præparato egeret hospitio, et non una contentus cellula, breves corporis sui spatio ædes, amplissimas existimaret: sed ut dum eum exspectat [*Al.* spectat] Philemon ad se esse venturum, magis faciat quod rogatus est. Si autem hoc non dispensatorie, sed vere quis existimat imperaB tum, ut sibi hospitium præparet, apostolo magis quam Paulo hospitium præparandum est. Venturus ad novam civitatem, prædicaturus Crucifixum, et inaudita dogmata delaturus, sciebat ad se plurimos concursuros; et necesse erat primum, ut domus in celebri esset urbis loco, ad quam facile conveniretur. Deinde, ut ab omni importunitate vacua: ut ampla, quæ plurimos caperet audientium: ne proxima spectaculorum locis: ne turpi vicinia detestabilis: postremo ut in plano potius esset sita quam in cœnaculo. Quam ob causam eum existimo etiam Romæ in conducto mansisse biennium [*Al.* biennio]. Nec parva, ut reor, erat mansio, ad quam Judæorum turbæ quotidie confluebant.

Spero enim per orationes vestras donari me vobis. C Filium Patri, Deus rogatus indulget, et frater sæpe fratris oratione servatur. Apostolus autem totius Ecclesiæ precibus conceditur, ob eorum qui eum audituri sunt utilitatem. Et hoc donum, non tam in eum dicitur esse qui defertur [*Al.* differtur] a martyrio ad martyrium præparatus, quam in eos ad quos Apostolus mittitur. Quod autem crebro Paulus in carcere fuerit, et de vinculis liberatus sit, ipse in alio loco dicit: *In carceribus frequenter* (II *Cor.* XI), de quibus nonnumquam Domini auxilio, crebro ipsis persecutoribus nihil dignum in eo morte invenientibus dimittebatur. Necdum enim super nomine Christiano senatusconsulta præcesserant: necdum Christianum sanguinem Neronis gladius dedicarat. Sed pro novitate prædicationis, sive a Judæis inviD dentibus, sive ab his qui sua videbant idola destrui, ad furorem populis concitatis, missi in carcerem, rursum impetu et furore deposito, **762** laxabantur. Et hoc ita esse ut dicimus, Apostolorum Acta testantur, in quibus et Felix loquitur ad Agrippam: potuisse dimitti Paulum, si non appellasset Cæsarem (*Act.* XXV). Et quia nullam invenerit causam præter quæstiones quasdam de religione propria, et de quodam Jesu, quem Paulus vivere prædicabat.

[a] Negandi particulam, quam temere Martian. prætermisit, nostri mss. veteresque editi libri sufficiunt.

[b] Maluit idem Martian., *quod Christi dicitur.*

[c] Olim erat, *ut de præparando ageret hospitio, et non una contentus cellula, breve corporis sui spatium, ædes amplissimas existimaret.* Impressam lectionem restituit jampridem Victorius, explicatque ita, ut etiam brevissimas et angustissimas ædes, existimaret Apostolus amplissimas sui corporis spatio.

Ex quo animadvertimus, et a cæteris judicibus similiter eos potuisse dimitti, id agente Domino, ut toto orbe nova prædicatio disseminaretur.

(Vers. 23, 24.) *Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu: Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas cooperatores mei.* Id quod in principio dicebamus, quoniam ad Colossenses Epistola eodem in tempore, et per eumdem esset scripta bajulum litterarum, quo ad Philemonem quoque scriptum est, etiam eorum qui salutantes inducuntur nomina docent. Nam et in ipsa ita scribitur : *Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, et Marcus, consobrinus Barnabæ, et Epaphras, qui ex vobis servus Christi* (*Coloss.* IV, 10, 12) ; et paulo inferius : *Salutat vos Lucas medicus charissimus, et Demas; et dicite Archippo : Vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas* (*Ibid.*, 14, 17); et : *Memores estote vinculorum meorum* (*Ibid.*, 18). Si autem ex eo aliquis non putat pariter scriptas, quod ad Colossenses pauca sint nomina quæ hic non ferantur ascripta : sciat non omnes omnibus aut amicos esse, aut notos, et aliud esse privatam ad unum hominem, aliud publicam ad universam Ecclesiam epistolam fieri. *Salutat te*, inquit, *Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu.* Quis sit Epaphras concaptivus Pauli, talem fabulam accepimus : Aiunt parentes apostoli Pauli de Gyscalis regione fuisse Judææ ; et eos, cum tota provincia, Romana vastaretur manu, et dispergerentur in orbem [*Al.* orbe] Judæi, in Tharsum urbem Ciliciæ fuisse translatos : parentum conditionem adolescentulum Paulum secutum. Et sic posse stare illud quod de se ipse testatur : *Hebræi sunt, et ego : Israelitæ sunt, et ego : semen Abrahæ sunt, et ego* (II *Cor.* XI, 22). Et rursum alibi : *Hebræus ex Hebræis* (*Philip.* III, 5) : et cætera quæ illum Judæum magis indicant quam Tharsensem. Quod si ita est, possumus et Epaphram illo tempore captum suspicari, quo captus est Paulus : et cum parentibus suis in Colossis urbe Asiæ collocatum, Christi postea recipere sermonem. **763** Unde ad Colossenses, ut supra diximus, scribitur : *Salutat vos Epaphras qui est ex vobis, servus Christi, semper sollicitus pro vobis in orationibus* (*Coloss.* IV, 12). Hoc si se ita habeat, et Aristarchus qui concaptivus ejus in [a] eadem Epistola dicitur, ad eamdem intelligentiam deducetur : nisi forte reconditum aliquid, et sacratum, ut quidam putant, in verbo captivitatis ostenditur [*Al.* ostendit], quod capti pariter et vincti, in vallem hanc adducti [*Al.* deducti] sint lacrymarum. Quod si neutrum recipitur, ex eo quod hic additum est *in Christo Jesu*, possumus suspicari eadem eum Romæ pro Christo vincula sustinuisse quæ Paulum : et ut vinctum Christi, ita captivum quoque ejus potuisse dici. Aut certe ita, quod nobilis et ipse sit in apostolis, ut Andronicus et Julia, de quibus ad Romanos scribitur : *Salutate Andronicum, et Juliam cognatos, et concaptivos meos,*
A *qui sunt nobiles in apostolis, qui et ante me fuerunt in Christo Jesu* (*Rom.* XVI, 7). Hæc de Epaphra. Cæterum cooperatores Evangelii et vinculorum suorum, cum ad Philemonem epistolam scriberet, Marcum ponit, quem puto Evangelii conditorem, et Aristarchum cujus supra fecimus mentionem, et Demam, de quo in alio loco queritur : *Demas me dereliquit, diligens præsens sæculum, et abiit Thessalonicam.* Et Lucam medicum, qui Evangelium et Actus Apostolorum Ecclesiis derelinquens, quomodo Apostoli de piscatoribus piscium, piscatores hominum facti sunt (*Matth.* IV) : ita de medico corporum, in medicum est versus animarum, de quo et in alio loco : *Misi*, inquit, *cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias* (II *Cor.* VIII, 18) : cujus liber
B quotiescumque legitur in Ecclesiis, toties ejus medicina non cessat.

(Vers. 25.) *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro.* Sicut a meliore parte hominis capite, numeratur populus Israel, dicente Scriptura, secundum capita **764** eorum (*Num.* I, 2) : ita in toto quidem homine, et in omni parte sanctorum, gratia est Domini Jesu Christi. Sed a majori et meliori parte, id est, spiritu, per synecdochen de toto homine dicitur ; *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro.* Cum autem in spiritu gratia fuerit, totum facit hominem spiritualem : ut et caro spiritui serviat, et anima non vincatur a carne et redacta simul in substantiam spiritualem, adhæreat Domino; quia qui adhæret Domino, unus spiritus est (II *Cor.*
C VI). Interpretatur autem secundum Judæos [*Al.* Hebræos] *Paulus, admirabilis. Timotheus, beneficus. Philemon, mire donatus*, sive *os panis*, ab ore, non ab osse. *Apphia, continens*, aut *libertas. Archippus, longitudo operis. Onesimus, respondens. Epaphras, frugifer*, et *videns*, sive *succrescens. Marcus, sublimis mandato. Aristarchus, mons operis amplioris. Demas, silens. Lucas, ipse consurgens.* Quæ si nomina juxta interpretationem suam volueritis intelligere, non est difficile admirabilem atque beneficum præcipue ad eum scribere, cui universa concessa sint [b] vitia et os ejus pateat ad cœlestem panem. Deinde ad continentem, et liberam, et ad longitudinem operis : quod numquam a sancto labore desistat. Scribere autem pro eo qui respondeat testimonio suo, nec non ei
D [*Al.* eum], cui specialiter Epistola dedicatur, salutari ab ubertate crescente. Et eum [*Al.* eo] qui factus sit per mandata sublimior, illoque qui per majora opera in montem usque succreverit, ab eo quoque qui posuit custodiam ori suo, et ostium munitum labiis suis : qui idcirco forsitan siluit, quia ad modicum Apostolum dereliquerat. Et ad extremum ab eo qui per se ipse consurgens quotidie augeatur, processusque habeat : dum ejus Evangelio orbis impletur, et toties crescit, quoties auditus et lectus ædificat.

[a] Hunc quoque locum Origeniani dogmatis accusat Ruffinus, quem videsis Invectivarum lib. I, n. 40.

[b] Duo Cisterciens. mss. *concessa sint vincere vitia*.

APPENDIX

AD TOMUM SEPTIMUM

OPERUM S. EUSEBII HIERONYMI,

COMPLECTENS

COMMENTARIOS IN JOB ET BREVIARIUM IN PSALMOS.

COMMENTARII IN LIBRUM JOB.

Commentarios in Job, quos editor Veronensis commentariis in majores prophetas, tomi quinti ampliandi causa, subjunxerat, nos, ne tomus noster justam mensuram excederet, huc, ordinem Biblicum aliunde secuti, transtulimus.

PROLOGUS.

Job, qui *dolens*, vel [a] *magnus* interpretatur, figuram Christi portavit. Amici vero ejus figuram hæreticorum tenent, qui, sub nomine Christi, Christum blasphemant et impugnant; Heliu vero, et Baalam [*Al.* Baldad], typum præferunt philosophorum, quia *foris*, id est, extra fidem positi, insidiantur Ecclesiæ Dei. Isti enim pretiosa nomina sibi imponunt, quasi ipsi sint aurum Dei, vel præcipui speculatores ejus. Eliphaz enim in Latino, [b] *Dei mei aurum* sonat. Baldad, *præcipuus*, *vetusta* [Al *vetustas*] *secreta*. Sophar, *speculator*, vel *buccina*. Hi enim elati pro eo quod per naturæ bonum, aliqua sapienter prædicabant, apud se jactitantes severitatem, cum assertores sint mendacii : quia de Christo, non ut divinitati ejus, sed ut ipsorum impietati competit, sic loquuntur.

[a] Lege omnino, *magnus*, et vid. lib. Nominum col. 121, etc.

[b] In eodem lexico Nom., *Eliphaz*, *Dei contemptus*. *Baldad*, *vetustas sola*. *Sophar speculæ dissipatio*, *vel speculatorem dissipans*, *sive speculatorem videbo*.

INCIPIUNT EDISSERI CAPITULA.

CAPUT I.

Vir erat in terra Huz, nomine Job. Et erat vir ille simplex et rectus ac timens Deum, et recedens a malo. Natique sunt ei septem filii, et tres filiæ. Et fuit possessio ejus septem millia ovium, et tria millia camelorum: quingenta quoque juga boum, et quingentæ asinæ ac familia multa nimis. Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales. Et ibant filii ejus, et faciebant convivia per domos, unusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent et biberent cum eis. Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Job, et sanctificabat illos: consurgensque diluculo, etc. Huz et Buz filii fuerunt Nachor fratris Abrahæ, filii Melchæ sororis Saræ, de cujus stirpe Job descendit. Non sicut quidam falso suspicantur, de genere eum fuisse Esau (*Hier. Quest. in Gen.*). Nam Eliphaz nascitur de Ada uxore Esau, et regnavit in Theman, unde etiam Themanites dictus est. Theman, Idumæa, Seir Daroma, Zebora, regio fuit Esau. Habitavit autem Job vir magnus in terra Huz, quæ interpretatur *consiliatrix*. Sed et Elchana, qui interpretatur *possessio Dei*, pater sanctissimi Samuelis Prophetæ, vir unus appellatur : non enim per diversa mobilis atque instabilis ferebatur, sed firmus atque inconcussus persistens, vir unus erat : et idcirco in monte Ephraim *fructifero* morabatur. In alta scilicet contemplatione virtutum, ut a nullis subjacentibus et circumlatrantibus vitiorum agitationibus, mentis ejus sublimitas dejiceretur, vel unitas scinderetur. Proinde hic vir magnus atque egregius Job, in terra Huz habitasse perhibetur, quæ *consiliatrix* interpretatur. Non enim terra carnis ejus, animum ipsius superabat, sed imperantis animi consilio cuncta faciebat : unde et ipse ait : *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut non cogitarem quidem de virgine*. Hoc ergo consilium et pactum quondam sibi invicem inierunt, homo ejus interior et exterior : ut terra, id est, caro ejus, obediendo fieret consiliatrix spiritui, ne in ea dominaretur iniquitas. Et quia vir, juxta divinum testimonium, simplex erat, habitans in domo : quatuor his

pollebat virtutibus, prudentia, justitia, fortitudine, temperantia.

Offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim: Ne forte peccaverint filii mei, et maledixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Job cunctis diebus. Quadam autem die cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino: affuit inter eos etiam Satan. Cui dixit Dominus: Unde venis? Qui respondens, ait: Circumivi terram, et perambulavi eam. Dixitque Dominus ad eum: Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra: homo simplex, et rectus, ac timens Deum et recedens a malo? Cui respondens Satan, ait: Numquid frustra Job timet Deum? Nonne tu vallasti eum ac domum ejus universamque substantiam ejus per circuitum? Operibus manuum ejus benedixisti, et possessio ejus crevit in terra. Sed extende paululum manum tuam, et tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce universa quæ habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam. Egressusque est Satan a facie Domini. Cum autem quadam die filii et filiæ ejus comederent et biberent vinum in domo fratris sui primogeniti, nuntius venit ad Job qui diceret: Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos, et irruerunt Sabæi tuleruntque omnia, et pueros percusserunt gladio: et evasi ego solus, ut nuntiarem tibi. Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, et dixit: Ignis Dei cecidit e cœlo et tactas oves puerosque consumpsit: et effugi solus, ut nuntiarem tibi. Sed adhuc illo loquente, venit alius, et dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, et invaserunt camelos, et tulerunt eos; necnon pueros percusserunt gladio, et ego fugi solus ut nuntiarem tibi. Adhuc loquebatur ille, et ecce alius intravit, et dixit: Filiis tuis et filiabus vescentibus, et bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, et mortui sunt, et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi. Pro filiis suis, quos ita regebat, ut non tam pro præsentibus criminibus, quam pro occultis in corde peccatis, quæ hominum quoque fugere notitiam possunt, divinam clementiam assiduis sacrificiis exoraret. Privilegium vero offerendi primogenitis, vel maxime regibus debebatur: pro excellentia videlicet sapientiæ, vel nobilitate generis. Et quia typum Christi Job ferre diximus, videamus nunc quid terra Hus in Christo significet. Terram hanc, assumptum verum hominem ex Maria intelligimus, quæ ideo, Filio Dei assumente eam, consiliatrix dicitur, quod per divinitatem assumentis habitant in ea thesauri divinæ sapientiæ et scientiæ absconditi; quam sibi ita indissolubili connexione conjunxit, ut ipse in Trinitate unus sit filius Dei. Septem vero filii, septiformem Spiritus sancti gratiam; et tres filiæ, legem et prophetiam, et Evangelium nobis videntur significare. Oves plebem Christi, propter innocentiam, quæ in baptismo sordes peccatorum deposuerint, nominat. In camelis vero, gentium pravitatem, cum oneribus criminum et tortuosis sensibus ad Christum venientium ostendit. In bobus, qui munda animalia sunt, Judæorum plebem. In asinis vero immundum pecus, gentium populum demonstravit. Unde Isaias ait: *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui:* scilicet quod nativitatem Christi in carne et Judæi ex parte, et gentes agnoverint: et in præsepi altaris Domini, quasi munda animalia per Baptismum accesserint: forte ad hoc respicit illud Evangelii: *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* In jugo, Judæos: in asino, ad quem onus magis pertinet, gentes, ut supra diximus significavit. Magnus dicitur Christus inter omnes Orientales, secundum illud: *Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Numerus vero animalium in septem et tribus millibus, atque in quingentis sacratus est. Nam septem, juxta auctoritatem Scripturarum, plenitudinem quamdam sacri mysterii significant: ut ibi, septem spiritus, septem candelabra, septem Ecclesiæ. In tribus vero millibus: anima et corpus et spiritus, vel triformis doctrinæ scientia, in Scripturis sanctis, sive sacramentum beatæ Trinitatis potest intelligi: pro eo quod omnis multitudo credentium, trium dierum viam ambulans, ad perfectionem æternitatis desiderat pervenire. Quingenti vero qui de quinque consurgunt quinquiplicati quinquaginta quinque faciunt, peractis lubricæ ætatis fragilitatibus, in virum perfectum hominem transisse significant; et per decies quinos quinquaginta perveniunt, ita per decies quinquagenos ad quingentos ascendunt. Similiter Ecclesiam totam, quæ columnam et firmamentum veritatis Christi figurat: in qua sensus nostri, vel purificationem, vel remissionem peccatorum accipiunt: quia in isto numero non solum remissio peccatorum, sed etiam adventus sancti Spiritus declaratur. Filii vero Dei: vel angeli, vel sancti intelligendi sunt, qui dono gratiæ Spiritus sancti Filii Dei vocantur. Inter hos ergo diabolus astare dicitur: quia ex permissione Dei plerumque sanctos audet tentare. Miranda filiorum Job tam fraterna concordia! Sed quia Job typum Christum portare ostendimus: hos inferius per figuram septem gratias Ecclesiæ esse dicimus, qui spirituali funguntur sacramentorum convivio, Legem, Prophetiam, et Evangelia: quasi tres sorores secum habentes, divinorum eloquiorum intelligentiæ dapibus saturantur. In ruina vero domus, quæ oppressit filios Job; antiquorum principum, regnorum persecutionem, vel sævitiam contra Ecclesiam ostendit. Qui vero solus permansit ut nuntiaret, raritatem ipsorum persecutorum indicat. Sabæi interpretantur *captivi*: et Chaldæi *quasi dæmonia*: hi nempe captivi dæmonum impugnant Ecclesiam: hi non solum ubi possunt, abigunt greges dominicos, verum etiam eos igne suo, quem cœli esse mentiuntur, hæresibus, vel superstitionis pravitate consumunt. Præsentiæ etiam regum venti violentissimi similitudine violentæ, quatuor Evangeliis velut angulis confirmatam, Christi domum concutiunt; ut prædicti septem filii, et tres filiæ pariter, cum ipsa domo intereant.

Tunc surrexit Job, et scidit vestimenta sua, et tonso capite, corruens in terram, adoravit et dixit : Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum. Surrexit ad tolerantiam patientiæ. Nam et Job, id est Christus, ad pacem dandam Ecclesiæ surrexit, ut gestum significet vindictæ. Vestimenta vero scidit : fideles ab infidelibus separavit. Procidit in terram, cum se de forma Dei usque ad formam servi exinanivit. Nudus egressus est de utero matris suæ, nulla videlicet sorde peccati originalis aspersus. Ex persona hominis ait : *Dominus dedit, et Dominus abstulit.* Dedit Pater bonos in hæreditatem, et malos a regno Filii sui seclusit.

B *In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.* Hoc ait : quia stulte loqui non potuit sapientia Patris : neque peccatum committere immaculatus Agnus.

CAPUT II.

Factum est autem cum quadam die venissent filii Dei, et starent coram Domino : venisset quoque Satan inter eos, et staret in conspectu ejus, ut diceret Dominus ad Satan : Unde venis? Qui respondens ait : Circumivi terram, et perambulavi eam. Et ait Dominus ad Satan : Numquid considerasti servum meum Job : quod non sit ei similis in terra : vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo, et adhuc retinens innocentiam? Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra. Cui respondens Satan ait : C *Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua : alioquin mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem, et tunc videbis quod in faciem benedicat tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan : Ecce in manu tua est : verumtamen animam illius serva. Egressus est igitur Satan a facie Domini ; et percussit Job ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem ejus : qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio. Dixit autem illi uxor sua : Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, et morere. Qui ait ad illam : Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? In omnibus his non peccavit Job labiis suis. Igitur audientes tres amici Job omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, et* D *Baldad Suites, et Sophar Naamathites. Condixerant enim ut pariter venientes visitarent eum, et consolarentur. Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum.* Non quod Deus ignoret; sed ut nos doceat quid responderit Satan, qui interpretatur *adversarius.*

Et exclamantes ploraverunt : scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cœlum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus, et septem noctibus, et nemo loquebatur ei verbum. Videbant enim dolorem esse vehementem. Nam et omnes hæretici Christi amicos se esse dicunt; cujus se sanguine redemptos gloriantur. Et postmodum inimici efficiuntur ejus, impugnando Ecclesiam suam. Quod autem videntes plagam ejus, sciderunt vestimenta, et miserunt pulverem super caput suum : illos hæreticos significat, qui Christum in gloria cœlesti Deum credunt : incarnationem et passionem non credunt : sed opprobriis et humiliatione ejus offensi, in blasphemiam erumpentes, fidem scindunt, atque a corporis unitate discedunt. Et pulverem mittentes super capita sua, terreno et mortuo sensu, corda sua operiunt atque obruunt. Omni etiam tempore vitæ suæ, quæ in septem diebus ac noctibus continetur ; indignum os suum confessione divina, muta infidelitatis improbitate condemnant, et obstruetur os loquentium iniqua.

CAPUT III.

Post hæc aperuit Job os suum, et maledixit diei suo, et locutus est : Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est : Conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras. Post hæc, sicut ait scriptor hujus historiæ, quem Moysem esse tradit opinio, aperuit Job os suum, et maledixit diei suo dicens : *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est : Conceptus est homo.* Job qui typum habuit Salvatoris in se, humani generis mortalitatem deflevit : quæ propter peccatum ex Dei justa sententia, homini inflicta est. *Pereat dies in qua natus sum :* redeat per Christum immortalitas, quam Adam reatu prævaricationis amisit, et abeat mors a me, quam alio delinquente contraxi. Et Jeremias : *Maledicta dies in qua natus sum.* Unde nulli dubium est, quod hi omnes prævaricationem Adæ detestentur. Spiritualiter ergo dies cum sua nocte, diabolus et mortalitas possunt intelligi : non quia dies sit, sed quia fuerit quando permanebat cum Deo, a quo recedens factus est nox, vel quia impiis ac peccatoribus, in hac prosperitate et felicitate gaudentibus, dies esse videatur. Unde dicitur :

Auferetur ab impiis lux sua. Non requirat eum Deus desuper. Hoc est, ne fiat ejus memoria ante Deum in bonum.

Et non illustretur lumine. Recognitionis Dei, vel pœnitentiæ.

Obscurent eum tenebræ et umbra mortis. Tenebræ, peccata sunt et invidia.

Occupet eum caligo, et involvatur amaritudine. Id est, cæcitas cordis.

Noctem illam tenebrosus turbo possideat. Quia ad amaritudinem provocat Deum, sicut et cæteri satellites ejus : furore iræ Dei apprehensus, circumdetur omnibus malis, et involvatur. *Noctem illam tenebrosus turbo possideat :* id est, diabolus, qui diem felicitatis homini abstulit, et noctem inquietæ vitæ turbulentus invexit.

Non computetur in diebus anni. Annus Christus intelligitur, qui in se cuncta revolvit et continet. In hujus ergo diebus anni, non computetur diabolus : id est, sanctorum numero non conjungatur.

Nec numeretur in mensibus. Menses hoc loco sanctos apostolos recte intelligimus, qui, ut ligna paradisi, spirituales Ecclesiæ afferunt fructus.

Sit nox illa solitaria, nec laude digna. Apostolorum scilicet prædicatione, ubi dies salutis agnoscitur, quam Abraham vidit, et lætatus est.

Maledicant ei qui maledicunt diei : qui parati sunt suscitare Leviathan. Sancti utique diei prævaricationis mortis suæ cum detestatione maledicunt : qui non serviendo vitiis, suscitant contra se draconem, fortissimum scilicet hostem.

Obtenebrentur stellæ caligine ejus. Peccatores scilicet, qui in nocte, sæculi divitiis et honore lucere se putant, cæcitatis caligine tenebrentur, et merito suo, Evangelii lumen non videant.

Exspectet lucem, et non videat. Nec nox prævaricationis et mortis, in qua diabolus regnum tenet, potest lumen Redemptoris Christi cognoscere; neque illi qui in ea nascuntur, nisi eam per baptismum renati destruxerint.

Nec ortum surgentis auroræ. Resurrectionem Christi significavit : unde, in psalmo, vigilia matutina dicitur.

Quia non conclusit ostia ventris qui portavit me : nec abstulit mala ab oculis ejus. Quare non in vulva mortuus sum? Quare egressus ex utero non statim perii : Cur exceptus genibus? Cur lactatus uberibus? Sub persona sua, humani generis plangit miserias : quare iterum moriturus, mala istius vitæ patiatur : quare mortalem ipsa mors non exstinxerit in utero?

Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem cum regibus et consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines : aut cum principibus qui possident aurum, et replent domos suas argento. Principes, et reges, et consules, et si in inferno squalores tartareos patiuntur : nunc tamen in corporibus suis tormenta non sentiunt. Horum mortem mihi venire hac conditione voluissem.

Aut sicut abortivum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem. Variis modis et exemplis dicit, quod pœnas istas in quibus erat, non debuerat pati. Quare non in vulva mortuus sum? Et deinceps ait : Nunc autem dormiens silerem, et somno meo requiescerem cum regibus et consulibus. Forte exemplum contra eos est, qui dicunt non resurrecturos, nisi qui juxta ordinem nati fuerint. Si enim concepti moriuntur in utero, necesse est, quia vivi fuerint : et quidquid moritur, haud dubie quia resurget. Ita quod in membris fuit et vixit, et natura minus dederit : hoc resurrectione in integrum reparabitur : sic enim humani generis instauratio in melius totum reddet, quod natura fraudaverat. Dicit etiam abortiva, quæ in natura humana degenerata sunt, a pœnis esse aliena, qui sibi solitudines magis quam domus ædificant. Habitat enim diabolus in civitatibus desolatis, et in domibus desertis. Non habentes hospitem Deum, et possident aurum, ut sunt philosophi, et alii sapientes hujus mundi, fulgorem boni ingenii, splendoremque eloquii.

Ibi impii cessaverunt a tumultu. Procul dubio in inferno. Et sicut Septuaginta transtulerunt, ibi *impii deposuerunt furorem suum*, id est, typhus et superbia, cum sævitia in hoc sæculo gloriantium, humiliata est in inferno.

Et ibi requieverunt fessi robore. Sicut alia habet translatio : *ibi requieverunt fatigati corpore :* ab oppressione utique et miseria, labore etiam istius mundi liberati.

Et quondam vincti pariter sine molestia. Vincientes et quondam vinctos in inferno dicit pariter habitare, sine injuria tamen et molestia vinculatorum : non ita ut istic ubi præter pœnas, captivitate vel servitute dura, diversis etiam aliis calamitatibus, homines obligantur, dominatu et injustitia iniquorum.

Non audierunt vocem exactoris. Jussa imperantium vel inique exigentium, non verentur.

Parvus et magnus ibi sunt, et servus et liber a domino suo. Quare misero data est lux, et vita his in amaritudine animæ sunt? Qui exspectant mortem, et non venit, quasi effodientes thesaurum : gaudentque vehementer cum invenerint sepulcrum. Cum sit ergo, ut video, in inferno æqualitas personarum, et nullus de alterius dominatione formidat : cur mihi misero data est lux ista, et vita similis eis qui in amaritudine animæ suæ sunt, cum meliora sint inferorum ergastula, quam istius mundi miserabilis vita cruciatibus plena : ubi præ angustiis homines mortem quærunt, et magno desiderio, ut veniat, exspectant. Exemplum egregium adhibuit, dicens : Quasi effodientes thesaurum, quia nimirum utique gratulantur, cum optatam sibi invenerint sepulturam.

Viro cujus abscondita est vita; et circumdedit eum Deus tenebris. De se dicit : Sic itaque incedebam in mandatis Dei, credens quod mihi fructus justitiæ meæ responderet; sed absconditum est meritum vitæ meæ, et pro hoc pœnarum tenebris circumdatus sum : ita ut illud bonum mihi subtractum sit, et hoc malum appositum. Quod autem pœnas tenebrarum nomine dixerit, audi quid sequitur :

Antequam comedam suspiro, et quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus. Inter cæteros cruciatus, etiam hanc ei diabolus infirmitatem inflixerat, quam infirmitatem medici bolimiodes appellant, quæ infirmitas talem habere dicitur pœnam, ut ante cibum torqueatur ægrotus, et sint ei post cibum indesinentes dolores. Unde dicit : Quasi inundantes aquæ sicut rugitus meus.

Quia timor quem timebam evenit mihi. Timebam enim peccando lædere Deum, et ille offensus, iram justitiæ suæ in me exerceat. Sed quid profuit cavisse a peccatis, quandoquidem ut reus omnium peccatorum discrucior? Sequitur :

Et quod verebar accidit. Aliis verbis ipsum repetit, quod superius dixerat. Pro confirmatione dicti solent in Scripturis talia iterari. Non arroganter

hæc dicit, ut faciat Deo injuriam, sed conscientiæ merito libere loquitur.

Nonne dissimulavi? Non reddendo retribuentibus mihi mala.

Nonne silui? Ut non delinquerem in lingua mea, posui ori meo custodiam.

Nonne quievi? Sciens cum surrexit in judicio Deus, quod salvos facturus sit omnes mansuetos terræ.

Et venit super me indignatio. Indignationem hoc loco plagarum molem dicit, quam refert super se cecidisse, cujus pondere et doloribus se gemit obrutum; cum ipse esset, ut superius ait, morbis castigatus; quas pœnis in consequentibus, sagittas dicit: sicut ait: *Sagittæ Domini in me sunt: quarum indignatio ebibit spiritum meum:* sive, ut alia translatio habet, *ebibit sanguinem meum.* Et proprie sagittæ vermes possunt intelligi, quia ab eis indesinentibus stimulis pungebatur: sicut ipse Job ait: Et qui comederunt, non dormiunt. Quos diabolus ad comedendum eum acriores faciebat, et illi quasi indignantes et irascentes ita carnem ejus morsibus fodiebant, ut velut sagittæ viscerum interiora penetrarent. Explicit ubi Job maledixit diem nativitatis suæ.

CAPUT IV.

Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit: Si cœperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies. Sed conceptum sermonem tenere quis poterit? Concepta ergo verba edit in injuriam audientis, et dicit ita:

Ecce docuisti multos. Id est, quamplurimos solertia tua, et bonitate ab erroribus revocasti.

Et manus lassas roborasti. Vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti. Nunc autem venit super te plaga, et defecisti: tetigit te, et conturbatus es. Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, et perfectio viarum tuarum? Ista ergo in sanctum Job cum irrisione dicuntur: et istum habent sensum: si hæc fecisses quæ dixi, numquam in hæc tam mala ad exemplum mortalium incidisses, quia Deum rerum omnium conditorem bonum scimus et justum.

Recordare, obsecro te: quis enim umquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt? Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo, perisse, et spiritu iræ ejus esse consumptos. Ergo ignoras Abel in principio innocentem occisum, et Abraham patriarcham propter uxorem suam fuisse periclitatum: et hæc non discernens, generaliter das sententiam, ut cum alii hominum flagellentur a Domino, ut emendentur, alii ut probentur, de quibus iste est: cur huic velut reo pœnam exprobras? Quin potius eos qui operabantur iniquitatem, flante Deo, perisse: id est, ut judicis sententia velut vento vehementissimo sublatos a spe æternæ vitæ.

Rugitus leonis, et vox leænæ, et dentes catulorum leonum contriti sunt. In rugitu leænæ et voce, sævitiam deprædantis voluit significare.

Tigris periit, eo quod non haberet escam, et catuli

A *leonis dissipati sunt. Porro ad me dictum est verbum absconditum.* In tigri velocitatem ejus ad spoliandos homines, prædamque ex eis capiendam describit, cujus etiam catuli similes ejus dissipati sunt et interempti. In alia editione pro tigri, myrmicoleon, id est, formica, et leo, quem nos verius diabolum diximus: qui quando prædam agit, de Sanctis tamquam de majoribus rebus, ut leo habendus est: quando vero minima quærit auferre, formica dicendus est. Et quia sicut formica grana de area, ita ille cogitationes bonas aufert de cordibus hominum.

Et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus. In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt. Et cum spiritus me præsente
B *transiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Stetit quidam, cujus non cognoscebam vultum, imago coram oculis meis, et vocem quasi auræ lenis audivi. Numquid homo Dei comparatione justificabitur: aut factore suo purior erit vir?* Id est, latenter ad aurem cordis mei, virtus sententiæ velut quodam spiramine penetravit.

Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem. Quanto magis hi qui habitant domos luteas. Dicitur quidem diabolo, qui quondam sanctus angelus fuit, quod in veritate non steterit, et ab illa sublimitate angelica propria voluntate deciderit: sed tamen non est continuo generale: ut sicut in illo, ita et in omnibus angelis inveniatur pravitas, quæ est peccatum. Omnis enim natura, sine dubio creata, capax peccati est: ut apparuit in
C angelo de quo dixi: quia in veritate non stetit: tamen per donum et gratiam creatoris sui, ita in amorem charitatis illius transierunt, ut jam nec velint peccare, nec possint.

Qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea. Si domus luteæ sunt corpora nostra: fundamentum domorum nostrarum, vitam hanc temporariam esse, credendum est, qua subtracta, domus luteæ ruunt in mortem.

De mane usque ad vesperam succidentur, et quia nullus intelligit, in æternum peribunt. Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis: morientur, et non in sapientia. In uno die, totam vitam hominum monstravit, quæ in mundo vernat. In parvulis floret, in juvenibus convalescit, et roboratur matura ætate:
D in senioribus, tamquam in fructibus, et postremum in decrepita senectute conficitur, quam hic vesperam appellavit. Unde est illud in psalmo: *Mane sicut herba transeat*, et reliqua: decidit in morte, induratur in cadavere.

CAPUT V.

Voca ergo si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere. Virum stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia. Ego vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim. Longe fient filii ejus a salute, et conterentur in porta, et non erit qui eruat. Stultum dicit, qui de suis meritis gloriatur. Sed hic pulchritudinem, nomine falsæ felici-

tatis appellat : quæ maledicenda est, et exsecranda est, quia eam sequitur interitus sempiternus.

Cujus messem famelicus comedet, et ipsum rapiet armatus, et bibent sitientes divitias ejus. Nihil in terra sine causa sit, et de humo non egredietur dolor. Sitientes, famelici, et armati : diabolus et sui possunt intelligi, qui potestatem accipiunt a Deo, ut vastent iniquos : vel sitientes hominum mortem, omne scilicet bonum naturæ, et quod nomine divitiarum dictum est, ab eis velut haustum poculum absorbetur : vel homines iniqui, qui premunt subjectos.

Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum. Quamobrem ego deprecabor Dominum, et ad Deum ponam eloquium meum. Id est, labor hominem monet [*Al.* manet], ut ab omnibus vitiis castigatus incedat.

Qui facit magna et inscrutabilia, et mirabilia absque numero. Qui dat pluviam super faciem terræ, et irrigat aquis universa. Qui ponit humiles in sublime, et mœrentes erigit sospitate. Ut in Filio Dei homo Christus sit Deus, et per eum Ecclesia.

Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possit implere manus eorum quod ceperant. Judæorum videlicet, qui Christum putaverunt exstinguere, et nomen ejus delere de terra. Vel in martyribus persecutorum Ecclesiæ adversantium dissipavit cogitationes, sicut Herodis in Petro. Et aliter : Non implent manus eorum quo volunt, quia alii eorum liberantur ad tempus : alii vero per januam mortis introducuntur ad vitam, et istos, et illos salvabit Deus. Illos aperte liberando, hos occulte coronando.

Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissipat. Philosophos scilicet, vel Judæos doctrina apostolica convincens, et ad nihilum errores eorum redigens.

Per diem incurrent tenebras. Dies erat in Judæis, de regno, sacerdotio, lege, unius etiam Dei religione gloriantibus : sed non credentes in Christo, tenebras perfidiæ inciderunt.

Et quasi in nocte sic palpabunt in meridie. Utique prosperitatis suæ, quæ cum solito circa felices sæculi hujus splendore vanæ gloriæ amplius fuerit, qua se longa securitate munitos putabant eam usque ad ætatis suæ vesperam possessuros : in tribulatione subita, quæ noctis nomine dicta est, stupore nimio, in angustiis coarctati, mortis etiam timore perculsi, palpare dicuntur, perditi utique consilio, quid facerent ignorantes.

Porro salvum faciet egenum a gladio oris eorum, et de manu violenti pauperem. Christum a blasphemiis Judæorum : quia lingua eorum gladius acutus fuit, dicendo, Crucifige eum.

Et erit egeno spes : iniquitas autem contrahet os suum. Beatus homo qui corripitur a Domino. Increpationem ergo Domini ne reprobes : quia ipse vulnerat, et medetur : percutit, et manus ejus sanabunt. In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum. In fame eruet te de morte. Resurrectionis Christi virtutem ostendit.

Et in bello de manu gladii. Sed videamus, ne forte A gladium peccatum dicat, dimicans contra animam hominis, ut eam sibi acquiescentem prosternat. Quod peccatum gladii nomine dicitur per prophetam, ut ait : *Speculator si viderit gladium venientem.*

A flagello linguæ absconderis, et non timebis calamitatem cum venerit. Si conversus fueris ad Deum, interiora tua, gladii verborum, per linguam jaculati non penetrant, et calamitates, vel mala quæ a Deo irrogantur peccatoribus, non timebis.

In vastitate et fame ridebis. Ridebis, dixit, pro exsultabit, atque gaudebis, et lætus eris, cum alios videris fame affici, sive præsenti, sive etiam intellectuali.

Et bestias terræ non formidabis. Hæc septima extremaque tribulatio. Bestiæ terræ, possunt et ista B animantia quæ sunt sine ratione intelligi, quibus ad devorandum homines dantur in potestatem, et homines mali, bestiæ appellantur, mores habentes similes moribus bestiarum, contra quas pugnasse se Ephesi dicit Apostolus. Non formidabis ergo, inquit, hoc malum, cum correptus a Domino, viam emendationis intraveris.

Sed cum lapidibus regionum pactum tuum. Lapides per metaphoram, homines dixit stabiles et quietos, qui sunt utique justi et sancti : hi namque in modum lapidum firmi in Deo sunt, per regiones varias constituti. Cum his itaque habebis pactum solidæ charitatis, ut ab eis numquam te tribulatio possit avellere.

Et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi. Homines videli- C cet quondam feri, et mali, in innocentia, ut oves effecti ; nomen tamen pristinum retinentes, sicut de Matthæo evangelista dicitur : *Matthæus publicanus.*

Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum. Ab istis omnibus quibus velut ab hostibus expugnatur tabernaculum, vel habitatio, sive domus corporis tui.

Et visitans speciem tuam non peccabis. Hoc dicit : Hominis tui speciem, o Job, ut divina visitatione dignam exhibeas peto : ac habitationis, et habitantis, nomine, totum integrum hominem signavit.

Et scies quoniam multiplex erit semen tuum, et progenies tua quasi herba terræ. Spiritualiter de omnibus sanctis dictum sentire possumus, quod filios in operibus bonis habeant. Isti tales filii cogitationum semine concepti pariuntur in opera, et sancti hujus D generationis multitudine gloriantur : quoniam talibus magis quam carnalibus Filiis Deo placere voluerunt. Potuit ergo Eliphaz, quasi consilium dans Job, ita dicere : Si conversus ad Deum fueris, ita ut te tuorum operum antiquorum pœniteat, cordis tui virtutibus, velut seminibus abundabis. De quibus opera bona, tamquam sanctitatis filios poteris procreare : ita ut progenies operum tuorum multitudini herbarum virescentium comparetur, quarum radices, si spe intus habeas in corde defixas, terra tua flores cum fructibus germinabit.

Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo. Consummatis annis provectæ ætatis, plenusque dierum in tumulum po-

situs requiesces, ut in tempore justi judicii Dei, a sordibus peccatorum minimis et levibus purgatus inveniaris : velut triticum quod coacervatur in aream.

Ecce hoc ut investigavimus, ita est, quod auditum mente pertracta. Hoc dicit, quæcumque a me tibi dicta sunt, diligenter investigata vera noveris, quæ ipse ad emendationem tuam debes corde percipere.

CAPUT VI.

Respondens autem Job dixit : Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, et calamitas, quam patior, in statera : quasi arena maris hæc gravior appareret. Unde et verba mea dolore sunt plena. Dicitis me peccatis meis facientibus ista pati : propter quod velim, ut peccata contra calamitatem hanc quam patior pensarentur, et illico videretis, quia hæc ipsa calamitas velut arena maris, supra horum peccatorum merita ponderaret.

Quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, et terrores Domini militant contra me. Hic potest videri, quod superius sagittarum nomine vermes dixerit : a quibus tum indesinenter pungebatur, nec loqui permittebatur : non quod vermes talem sensum habuerint, ut hoc judicio facerent, sed permissu Dei, a potestate adversaria, ut acriores essent, etiam ipsis motibus agebant : sicut locustæ, muscæ et ranæ in Ægypto. Quod autem dixit : Terrores Domini militant contra me, potest ipse diabolus cum suis intelligi : qui adhibitis cruciatibus, ut cæderet Job, et ut innocentiam sanctitatemque amitteret, insuper terroribus minabatur : quod etiam multi persecutores, ministri diaboli, sanctis martyribus facere voluerunt. Obsederunt in gyro tabernaculum meum. Ecce hic manifeste ostendit, quod velut hostes inimicique diaboli, et sui acriter militarent : hi enim maligni spiritus, diverso modo accipiunt potestatem : ad aliorum quidem damnationem, aliorum vero emendationem, aliorum autem probationem : qui de suis moribus vel ministerio, mali, sive terrores, vel etiam latrones nuncupantur. Omnia dedit in manibus eorum, id est, prædonum. Omnia utique quæ habuit, sive filios meos, sive substantiam : sicut et meipsum dedit Deus in manibus diaboli, sive suorum satellitum.

Numquid rugiet onager cum habuerit herbam : aut mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit? Sicut enim illa cum vel abundant pabulis, nullam quasi querelarum vocem emittunt, ut pabuli inopiam protestentur : simili modo, inquiens, et ego si pacem et quietem potius quam bellum haberem in membris, et in anima mea, nullum sermonem amarum asperumve proferrem.

Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum. Quomodo ratio non sinit naturalis, ut quidquam insulsum comedi possit : ita ego nihil insulsum, nihil stultum contra Deum, nihil quod non fidei sale conditum esset, operatus sum.

Aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem? Animæ enim esurienti etiam amara dulcia esse videntur. Sicut enim nemo mortiferum aliquod comedit, ut vitæ suæ inimicus sit : ita ego peccatum contingere pertimescebam.

Quæ prius nolebat tangere anima mea : nunc præ angustia cibi mei sunt. Hoc est, verbis nunc pastor asperis, et amaris, quæ mihi immensitas pœnalis extorquet. Hæc enim timebam meo ore depromere, quando in sanctitate et justitia cum pace quiete vivebam. Sed et prætereundum non est, quia hoc quoque inter cæteras pœnas passus sit Job, ut etiam cibi ei fetidi viderentur : sicut est odor leonis, feralis utique, et nimium horridus : qui odor cum de ejus visceribus erumperet, escæ suæ ei id sapiebant, quod suarum spirabant interna febrium. Quod ipse ostendit ubi dicit : Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie : id est, jam decocta sunt et putrefacta.

Quis det ut veniat petitio mea, et quod exspecto, tribuat mihi Deus? Hæc mihi sit consolatio, ut finem pœnæ, vel cruciatuum meorum, remedia mortis obtineam.

Et qui cœpit, ipse me conterat. Solvat manum suam et succidat me; et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat : nec contradicam sermonibus sanctis? Quæ est enim fortitudo mea ut sustineam : aut quis finis meus ut patienter agam? Hanc igitur mortem potestati divinæ Job solvi exoptat, ut ab ea decidens cadat in hanc temporariam mortem, quatenus præsentes pœnas possit evadere: cum velut arbor de hac vita succisus fuerit.

Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea : nec caro mea ænea est. Caro mea corrumpitur sanie ac putredine vulnerum : quia non est in me talis fortitudo, velut lapidum, ut dolores non sentiam.

Ecce non est auxilium mihi in me, et necessarii quoque mei recesserunt a me. Tam ex sua, quam ex persona Christi, propheta hoc dicit.

Qui tollit ab inimico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit. Fratres mei præterierunt me : sicut torrens qui raptim transit in convallibus. Misericordia est, ad miserias eorum qui tribulantur, compatiendo mœrore cordis deflecti : hanc vos dum amico non impenditis, timorem Domini derelinquitis.

Qui timent pruinam, irruet super eos nix. Tempore quo fuerint dissipati, peribunt. Timebam peccata etiam minima perpetrare, ne pro eis Dei in me ultio desæviret : et ecce nunc ita punior, tamquam scelera immania commiserim.

Et ut incaluerint, solventur de loco suo. Ubi fervere cœperat nomen ejus in populis, in gloriæ suæ loco non comparuit, velut nix cum calore dissolvitur.

Involutæ sunt semitæ gressuum eorum : ambulabunt in vacuum, et peribunt. Semitas virtutes animi dixit, in quibus ut Deo placeret, omni studio gradiebatur: has semitas malis quæ patiebatur involutas atque

impl:citas esse dicit, dum bonis vitæ suæ, supplicio- A rum admiscerentur mala.

Considerate semitas Theman : itinera Sabba, et exspectate paulisper. Confusi sunt, quia speravi. Venerunt quoque usque ad me, et pudore cooperti sunt. Id est, intuemini ad hæc loca quæ dixi, et ipso silentio cognoscetis vera esse quæ dixi. Respicite ad vias diversorum regnorum : per quas ad me omnium gentium frequentiæ confluebant, et videbitis eas raritate, immo solitudine hominum desolatas.

Nunc venistis, et modo videntes plagam meam timetis. Numquid dixi : Afferte mihi, et de substantia vestra donate mihi : vel liberate me de manu hostis, et de manu robustorum eruite me? Docete me, et ego tacebo, et si quid forte ignoravi, instruite me. Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e vobis nullus sit qui B *possit arguere me? Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, et in ventum verba profertis.* Hoc dicit, quod et ipsi amici sui, exemplo ejus, ruinam sibi similem formidarent. Nonne quievi, nonne dissimulavi, patientiam videlicet aut vindictam malorum? Nonne silui, silentio cohibens linguam meam, ut non responderem exprobrantibus mihi mala : vel ne in toto mihi nominaretur iniquitas. His ergo veritatis sermonibus detraxistis, quando quidem me in his non solum fallacem, verum etiam in aliis rebus criminosum judicastis : cum vestrum nullus ita mundus sit a peccato, ut quemquam posset libera conscientia increpare.

Super pupillum irruitis, et subvertere nitimini amicum vestrum. Verumtamen quod cœpistis, explete. C *Præbete aurem, et videte an mentiar.* Desolatum scilicet a parentibus et amicis.

Respondete, obsecro, absque contentione, et loquentes id quod justum est, judicate. Et non invenietis in lingua mea iniquitatem : nec in faucibus meis stultitia personabit. Non sit contradicendi studium, quod contentionis generat morbum : et ita demum animositatis caligine non perturbati, poteritis in me et vos quod justum est judicare.

CAPUT VII.

Militia est vita hominis super terram, et sicut dies mercenarii, dies ejus. Dimicans contra invisibiles adversarios.

Sicut cervus desiderat umbram, et sicut mercenarius D *præstolatur finem operis sui : sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi. Si dormiero, dicam quando consurgam? et rursum exspectabo vesperam, et replebor doloribus usque ad tenebras. Induta est caro mea putredine.* Similiter, et ego me consequi arbitrabar, sed pro umbra refrigerii incurri æstus pœnarum, et pro mercede mei operis, vacuus dimissus sum.

Et sordibus pulveris cutis mea aruit, et contracta est. Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur, et consumpti sunt absque ulla spe. Memento, quia ventus est vita mea : et non revertetur oculus meus ut videat bona. Hoc etiam ad tormentorum pertinebat dolorem, ut sanies quæ de putredine ferventium vulnerum defluebat, sordibus infusa pulveris, cutem ejus exsiccaret, atque contraheret.

Nec aspiciet me visus hominis. In ea enim pace, et gloria, divitiis, et honore, ubi antea fui, jam non sum ab hominibus videndus.

Oculi tui in me, et non subsistam. Sicut consumitur nubes, et pertransit : sic qui descendit ad inferos non ascendet : nec revertetur ultra in domum suam. Quia oculi tui quasi iracundia pleni, in me idcirco sunt intendentes : ut plagas graviores inimici mei accumulent.

Neque cognoscet eum amplius locus ejus. Quapropter, et ego non parcam ori meo : loquar in tribulatione spiritus mei, confabulabor cum amaritudine animæ meæ. Numquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere? Si dixero, consolabitur me lectulus meus, et relevabor loquens mecum. Id est, pristina mundi istius conversatio, non erit in homine commutato.

In stratu meo terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties. Hoc a Deo Job se pati dicebat, quod a dæmonibus patiebatur : qui ad ista facienda a Deo acceperant potestatem, qui ei torvis vultibus et minacibus sine dubio apparebant in somnis : stridentes etiam dentibus, et ad devorandum eum quasi ora aperientes, ut insolitæ visionis horrore excuteretur in lecto, et exspergefactus somno aufugeret quo solent dolores nimii mitigari, et succederent juges vigiliæ, ut indesinentibus cruciatibus torqueretur. Sive vulnera quæ vigilans oculis suis videbat quotidie, putrisque sanies, vermiumque multitudo discurrentium per vulnerum foveas, in somnis ei a dæmonibus demonstrabantur.

Quamobrem elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea. Satius est, inquit, et peccato multo tolerabilius, si victus cruciatibus, de morte mea cogitem, quam tuæ majestati irrogem blasphemiam.

Desperavi. Nequaquam ultra jam vivam. Desperavi, loquendo hæc, quæ dicere non debueram. Pro hoc itaque verbo, quo se lapsum in peccatum deplorat, pœnitentiam illico profitetur dicens :

Parce mihi, Domine : nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magnificas eum : aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo, et subito probas illum. Tamquam si diceret : in hoc tempore pœnitentem suscipe, et obsecranti pro hoc delicto esto placabilis.

Usquequo non parcis mihi. Id est, ab istis pœnis mihi instantibus non desistis.

Nec dimittis me ut glutiam salivam meam? Inter cætera mala dolorum et cruciatuum, synanchim habuisse se perhibet, qua tumore saucius hominis halitus intercluditur, et sæpe quasi laqueo strangulatus exstinguitur.

Peccavi. Quid faciam tibi, o custos hominum? Peccavi in his quæ dixi superius, quæ me dicere non decebat : quid possum facere tibi, qui justus es?

Quare me posuisti contrarium tibi? Dedisti mihi A copiam respondendi, ut dicerem tibi: Justo homini non conveniunt pœnæ, quæ potius peccatoribus irrogantur: dum homo hæc dico Deo: creatura creatori, plasma figulo.

Et factus sum mihimetipsi gravis. Quia servus Domino meo tam querula voce respondere non debui.

Cur non tollis peccatum meum, et quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in pulvere dormiam: Id est, aufers dolores meos, per quos qui eram hactenus justus, nunc peccare compellor?

Et si mane me quæsieris, non subsistam. Post istius sæculi noctem, in illius futuri sæculi principio, quando erit felix resurrectio beatorum: cum requisitus fuero, non inveniar: quia non ita dignus ero, qui sanctitatis merito subsistam ante faciem tuam. B Quod si abhinc peccator abiero, cui tu ante propitiatus non fueris: postea ante conspectum, ubi sunt cæteri sancti, amplius non ero.

CAPUT VIII.

Respondens autem Baldad Suites, dixit: Usquequo loqueris talia, et spiritus multiplex sermonis oris tui? Offensus est Baldad in sermonibus sancti Job. Primum quia temere locutus fuisset ad Deum: deinde, quod diceret quod in regno fuisset cæteris regibus præpollentior, et quod hanc plagam innocens pateretur et notat eum ipse Baldad, quod quasi non libera mente et sobria loqueretur, sed nescio quo spiritu potius ageretur.

Numquid Deus supplantat judicium, aut omnipotens subvertit quod justum est? Hoc dicit, quia justitia Dei pateris quæ mereris. C

Etiamsi filii tui peccaverunt ei, et dimisit eos in manu iniquitatis suæ: tu tamen si diluculo consurrexeris ad Deum, et omnipotentem fueris deprecatus: si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te, et peccatum reddet habitaculum justitiæ tuæ: intantum ut si priora tua fuerint parva, et novissima tua multiplicentur nimis. Si filii, inquit, tui facientes mala, dimissi sunt a Deo, ut potestas quæ propter iniquitatem eorum in eos data est, interimendi eos haberet effectum, tibi in nullo nocere poterit: si tamen ipse adhuc jacens in stultitiæ cæcitate, diluculo in agnitionem divinæ justitiæ consurrexeris, et pro tuis erroribus et delictis Deum, qui omnia potest concedere, fueris deprecatus. Qui quasi dormire videbatur, non audiendo te videlicet, nec videndo, confestim evigilabit ad te, et ad præparandam felicitatem tuam instabit. Intantum ut si priora tua fuerint parva, novissima tua multiplicentur nimis. Si ergo ad Deum conversus fueris, inquit, ab iniquitatibus, propter quas nunc pœnas pateris, et per satisfactionem eum pro meritis tuis tibi valde iratum reconciliare volueris: tantam ejus gratiam continuo possidebis, ut ad comparationem novissimorum bonorum tuorum, quæ tibi subito poterit compensare, priora satis parva, et minima deputentur. Quos peccatores filius ille junior in Evangelio figuravit, qui cum bonum D naturæ, tamquam divitias cum meretricibus, id est, voluptatibus vivendo, prodigus dissipasset, pœnitenti occiditur vitulus, Christus: annulus quoque fidei, qua cuncta promissa certa impressione signantur, in manu ei tribuitur: et gressuum suorum accepit munimenta, ut super serpentes et scorpios securus incedat: stola etiam æterna immortalitatis donatur.

Interroga enim generationem pristinam, et diligenter investiga patrum memoriam. Hesterni quippe sumus, et ignoramus: quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram: ipsi docebunt te. Loquentur tibi, et de corde suo proferent eloquia. Hoc est dicere, quia nos hesterni sumus, interroga antiquos, et invenies alios in diluvio, alios in Sodoma, sive in diversis locis pro peccatis suis diversas accepisse sententias.

Numquid virere potest scirpus absque humore, aut crescere carectum sine aqua. Hoc est dicere: sicut scirpus vel carectum sine aqua vivere non potest: ita tu sine fomento atque humore justitiæ, nequaquam permanere in pristina felicitate potuisti.

Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit: sic viæ omnium qui obliviscuntur Deum. Dicit sanctum Job, velut herbæ similitudine floruisse: qui antequam ad maturitatem fundatæ gloriæ perveniret, in tanta mala præcipitatus sit, ne in tempore suo, quasi in plenitudine dierum consummato completoque florentissimo regno, manu potestatis Dei, in qua omnia regna consistunt, auferetur a sæculo. Ergo quia non ita egisti, ut in pace, completo tempore tuo conferreris in sepulcrum tuum: idcirco ante omnes herbas, id est, ante omnes peccatores, qui herbarum vocabulo sæpe dicuntur, solis ardore siccatus es: id est, cum infidelibus tribulationibus corde cessisti. Quod autem ait, *ante herbas omnes arescit*: quisquis hominum multarum est iniquitatum, sicut tu es, præ pondere criminum, ante incipit pœnas luere quam cæteri peccatores.

Et spes hypocritæ peribit. Hypocritæ simulantis sanctimoniam vitæ: hic autem secundum Dei, sicut ipse ait, testimonium, simplex fuit, rectus, et innocens: *Si ambulavi in vanitate.*

Non ei placebit vecordia sua, et sicut tela aranearum fiducia ejus. Grandis revera vecordia est, et amentia, ficte, et simulate agere ante Deum: quod eis in prosperum non procedet, cum ille scrutator sit cordis et renis. Tales in Evangeliis arguuntur: qui sunt ornati deforis quasi specie sanctitatis, et intus peccati putredine pleni sunt, ut sepulcra mortuorum.

Innitetur super domum suam, et non stabit. Confidendo in seipso, et confirmando carnem brachii sui: stare non poterit: sed magis cadet superbia. Quia *omnis caro fenum est.*

Fulciet eam, et non consurget. Conatur propriis viribus se erigere, sed nequaquam consurgere poterit: quia non est Dominus fortitudo ejus. In quem incumbentes firmissime continentur.

Humectus videtur antequam veniat sol. Felicitatem

prosperantis hominis dicit : qui cum æstu tribulationis percussus fuerit, adversitatibus frangitur, et omnis viror pristinæ ejus lætitiæ, consumptus tristitia exsiccatur.

Et in ortu suo germen ejus egredietur. In principio, inquit, felicitatis suæ peccator prospere agere videtur, sed non permanebit, virentis herbæ similis : hæc est repentina jucunditas, sicut in psalmo : *Cum exorti fuerint peccatores ut fenum, et apparuerint :* id est, velut herbæ in virorem lætitiæ præsentis emerserint : mox adveniente caumate peribunt. Justus vero non ita ut fenum florebit : cui, ut dixi, peccatorum gloria comparatur : sed sicut palma florebit, inquit propheta. Quæ ita in profundum est radicibus stabilita, ut nec tempestatem metuat, nec solis ardorem formidet. Et cum sub sacrato numero ad centum usque nodos pervenerit, quibus altitudo ejus solide continetur : tunc fructus afferet dulcissimos charitatis, in summo scilicet perfectionis fastigio, quo se per incrementa virtutum, quasi per plurimorum quasdam ætates annorum ascendisse gloriatur.

Super acervum petrarum radices ejus densabuntur, et inter lapides commorabitur. Quoniam radices ejus in terra bona solidatæ, ut fructus patientiæ afferrent, non figentur, sed super acervum magis petrarum coarctabuntur, non habendo illic vitæ humorem : moriturus utique prius ariditate siccabitur.

Et inter lapides commorabitur. Metaphoricωs : lapides, infideles, et duri cordis hoc loco possunt intelligi : inter quos quisque peccator commorabitur vitæ similitudine coæqualis, qui Deum ut stolida metalla non sentiunt. Aut certe lapides peccata nominavit. Unde propheta ait : *Tollite lapides de via :* id est, de via sanctæ conversationis auferte peccata.

Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, et dicet : Non novi te. Cum de hac vita ad loca squalida inferorum transferendus absorptus fuerit : indignus utique conspectui Dei esse negabitur. Locus hominis, dici potest qualitas conversationis; ubi vel vitæ genere, vel mente consistit : id est, disciplina, vel gratia quam accepit, aut elegit sectari.

Hæc est enim lætitia viæ ejus : Ironicωs dicitur : hæc est lætitia viæ ejus : velut si diceret : Sic in bonis operibus, Deoque placentibus ambulavit dum viveret : ut ad ærumnas perpetuo perveniret.

Ut rursum de terra alii germinentur. Facit utique Deus, ut justus judex, dum Judæos incredulos a promissionibus quæ in Christo sunt, propter perfidiam exclusit, et gentes propter obedientiam intromisit. Sive in loco Judæ Matthiam constituens, justa judicia sua declaravit.

Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis. Id dicit : non juvat ut faveatur operantibus iniquitatem, et tamen porriget manum pietatis suæ, ut peccatores ad pœnitentiam convertat.

Donec impleatur risu os tuum, et labia tua jubilo. In risu, lætitiam cordis intellige. In jubilo, vocem exsultantis adverte.

A *Qui oderunt te, induentur confusione.* Cum utique talis fueris, qualem dixi superius, qui oderunt te, merito confundentur.

Et tabernaculum impiorum non subsistet. De Job quidam hoc dicit, sed fallitur. Nam manifestum est tabernaculum impiorum periturum in æternum : id est, diabolum, et ministros ejus, vel etiam præsens sæculum.

CAPUT IX.

Et respondens Job, ait : Vere scio quod ita sit, et quod non justificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei unum pro mille. Sapiens corde est, et fortis robore. Noli ergo de me ita existimare quod ego saltem cogitare hoc audeam, cum sciam quia creatura Creatori suo

B in nullo possit penitus comparari.

Quis restitit ei, et pacem habuit? Quis contra Deum agens non sibi bellum iræ ejus commovit, sicut Dathan et cæteri?

Qui transtulit montes, et nescierunt hi quos subvertit in furore suo. Qui commovet terram de loco suo. Metaphoricωs montes homines, sive angeli intelligendi sunt : quorum elatio mentis intantum intumuit, ut excelsis montibus compararentur.

Et columnæ ejus concutiuntur. Columnas hoc loco pro stabilitate terræ intelligamus : quam Deus super semetipsam immobilissima mole fundavit.

Qui præcipit soli, et non oritur, et stellas claudit quasi sub signaculo. Qui extendit cœlos solus, et graditur super fluctus maris. Per vicissitudines diei et

C noctis; dispositione Dei gubernantis omnia quotidie fieri ita videmus.

Qui facit arcturum, et oriona, et hyadas, et interiora Austri. In his stellarum signis, quæ sunt in firmamento cœli pene omnibus stellis notiora, totam militiam astrorum dicit ad regimen Dei pertinere, quæ magna et mirabilia homines ignorant. Unde ipse Dominus ait : Numquid nosti ordinem cœli, et ponis rationem ipsius? Item moraliter : Qui commovet terram de loco suo. Hominem Deus de loco vitæ prioris commovit, et delectabiles cogitationes, sed noxias, quibus quasi columnis incubans ac requiescens in eis sustinebatur, concussit, et infirmavit, ut eum ad sanctitatem vitæ commutaret. Qui præcipit soli, et non oritur. Peccatoribus cordis

D cæcitate percussis, non sol oritur justitiæ Christus, sive stellarum : id est, Sanctorum merita, quibus alii ab aliis distabunt in claritate : qui dum hic latent, quasi clauduntur sub signaculo. Qui extendit cœlos suos. Apostolos, et cæteros sanctos, cœlos effectos ubique prædicatione diffundit : sive eis Scripturas, quæ cœlorum nomine plerumque significantur, revelando eorum cordibus patefacit : sicut ait : *Quoniam videbo cœlos opera digitorum tuorum.* Egreditur super fluctus maris. Super sæculi utique istius homines inquietos, elatos, et turbidos : ut ad mansuetudinem, et placabilitatem tumore deposito conculcentur. Qui facit arcturum, id est, primos in resurrectione Ecclesiæ : ut sint gloriosi, splen-

dentes velut meridies, calore charitatis Dei accensi, et fidei lumine illustrati.

Qui facit magna, et incomprehensibilia, et mirabilia: quorum non est numerus. Magnum est quod facit Deus, ut vas fragile hominem morti obnoxium per Christum in spem beatæ resurrectionis constituat. Et interiora Austri. Ubi candelabrum cum lucernis, septiformis spiritus gratiæ videlicet, et intelligentiæ relucentibus, collocatur.

Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam. Si repente interroget, quis respondebit ei? Vel quis dicere potest, Cur ita facis? Deus, cujus iræ nemo resistere potest. Plus dicit, quod venientis Dei præsentia sit, quando homini innotescit, et quando occulitur, quasi abeuntis absentia indicatur.

Et sub quo curvantur qui portant orbem. Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo? Qui etiam si habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor. Portantes orbem, sancti recte intelliguntur: qui gloriam meritorum suorum, magni, et potentes sunt apud Deum. Hi ergo cordis humilitate ad interveniendum pro peccatoribus in conspectu ejus sunt incurvati. Ita sancti portant mundum, dum eum ne ruat ac pereat, orationum fortitudine sustinent. Columnæ cœli intremiscunt, ac pavent ad nutum ejus. Apostoli, prophetæ, omnesque apostolici viri, sancti quoque, et cæteri fideles intelligendi sunt: de quibus est Petrus, Jacobus, et Joannes, qui videbantur esse columnæ: sive sancti ante Deum incurvati, et procidentes adorant, qui portant orbem, id est, totum hominem suum: quem docti minorem mundum appellant: perfectioni Crucis imponunt, et ne per mundi vanitates cogitationibus solvatur ac deflectat, intra se eum constringendo per Dei gratiam regunt, et continent.

Et cum invocantem me exaudierit, non credo quod audierit vocem meam. Qui me etiam inculpabili studentem vitæ, impugnantium permittit injuriæ. Exauditus est in hoc, ut Dei bona mereatur. Non se autem exauditum credit, eo quod mala patiatur:

In turbine enim conteret me, et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa. Turbo diabolus potest intelligi, qui velut turbo incubuit in Job, ut eum vastaret.

Non concedit requiescere spiritum meum. Asthmaticon se dicebat effectum: infirmitas enim est, quæ in pulmonibus generatur. Obstruuntur aditus quidam pulmonum, quos Græci poros appellant, et ita constringuntur atque concluduntur in pulmonibus, ut dicunt medici, ut reddere, sive recipere spiritum, pulmones coangustati non sufficiant, nimio etiam dolore cum festinato suspirio repetitur, et concisus flatus emittitur.

Et implet me amaritudinibus. Si fortitudo quæritur, robustissimus est. Si æquitas judicii, nemo audet pro me testimonium dicere. Si justificare me voluero, os meum condemnabit me. Si innocentem ostendero, pravum me comprobabit. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, et tædebit me vitæ meæ. Unum est quod locutus sum, et innocentem, et impium ipse consumit. Plagis omnibus atque infirmitatibus circumdata atque obsessa, repleta fellis atque blasphemiæ, et amaritudine anima mea. Ita ut durum verbum et asperum os meum dicere compellatur, et tædebit me vitæ meæ. Ego tamen hoc solum novi, quod malis vitæ præsentis punior.

Si flagellat, occidat semel: et non de pœnis innocentium rideat. Dure hic satis locutus est contra Deum. In toto quidem libro hoc, nullus locus est asperior isto, et altero superius posito, ubi ait: Quamobrem elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea: de quibus sermonibus respondit ad Deum in fine libri: unum locutus sum, quod utinam non dixissem, et alterum quibus ultra nihil addam. Tota altercatio Job cum amicis hic est, quod ille se justum, illi eum impium pronuntiabant.

Terra data est in manus impii. Caro Christi in potestatem Herodis, sive Pilati: vel ipse Job in potestatem diaboli.

Vultum judicium ejus operit. Quod si non ille est, quis ergo est? Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt, et non viderunt bonum. Pertransierunt quasi naves poma portantes: sicut aquila volans ad escam. Vultum hoc loco mentis judicium, quod Dei justo judicio est opertum, appellat. Excæcanda corda satellitum impii diaboli: quos isthic judices nominavit, ut sanctum Job crudelitate acrius cruciarent.

Cum dixero: Nequaquam ita loquar. Nequaquam ita ait, hoc est, quando compellente cruciatu, aspera contra Deum loquor, et dura: eodem puncto resipiscens defluo, me Deo ita loqui non oportere.

Commuto faciem meam, et dolore torqueor. Verebar omnia opera mea: sciens quod non parceres delinquenti: si autem et sic impius sum, quare frustra laboravi? Id est, præ doloris nimietate contraho atque contristor, et in ipso defluitionis meæ momento, subitis ac repentinis dolorum aculeis ita vexor atque discrucior, ut rursum amaritudinis et fellis verba depromam.

Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ: tamen sordibus intinges me. In ablutione ergo aquarum nivis, candor mentis ostenditur, et in manu, munditia fructus sanctorum operum demonstratur. Et recte potest nivi baptismus comparari. In pluvia ergo, et imbre affluente sermonem doctrinæ legislator voluit indicare. In rore vero et in nive, sensum cum illuminatione sui interiora viscerum penetrantem.

Et abominabantur me vestimenta mea. Neque enim viro, qui similis mei est, respondebo: nec qui mecum in judicio ex æquo possit audiri. Tantum enim malorum mihi illatum est: ut squalore vulneris, et putredinis, si dici potest, etiam quæ insensibilia sunt detestentur.

Non est qui utrumque valeat arguere: Id est, quis

est qui Deum potest injustitiæ, quasi iniquum arguere, nisi temerarius et blasphemus? quis potest velut in reum iniquitatis cum extensione manus dare sententiam? Job vero juxta Dei testimonium, quo fuerat collaudatus, eo quod innocens esset, sibi conscius vere dixit, quod non esset ullus eorum, cum quibus altercabatur, qui eum recte possit arguere: quia ille judicare alterum justissime audet, cujus rea conscientia de his quæ in alterum judicat, non tenetur.

Et ponere manum suam in ambobus. Auferat a me virgam suam, et pavor ejus non me terreat. Loquar, et non timebo eum: Nec enim possum metuens respondere. Securus, inquit, et constanter tunc potero respondere, si hæc duo amoveat a me: potentiæ videlicet suæ magnitudinem, et horum cruciatuum pœnas.

CAPUT X.

Tædet animam meam vitæ meæ: dimittam adversum me eloquium meum. Loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo: Noli me condemnare. Indica mihi, cur me ita judices? Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, et opprimas me opus manuum tuarum, et consilium impiorum adjuves? Numquid oculi carnei tibi sunt: aut sicut videt homo, et tu videbis? Numquid sicut dies hominis dies tui, et anni tui sicut humana sunt tempora: ut quæras iniquitatem meam, et peccatum meum scruteris? Et scias quia nihil impium fecerim: cum sit nemo qui de manu tua possit eruere. Manus tuæ, Domine, fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu, et sic repente præcipitas me? Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? Pelle, et carnibus vestisti me: ossibus et nervis compegisti me. Quod autem dicit, totum se in circuitu factum, contra hæreticos locutus est, qui dicunt animam ab alio Deo factam, et corpus ab altero plasmatum.

Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum. Licet hæc celes in corde tuo: tamen scio quia universorum memineris. Si peccavi, et ad horam perpecisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris? Et si impius fuero, væ mihi est, et si justus. Ipsa anima est vita hic appellata, non vita animæ: quia possunt et actus animæ vita nuncupari.

Non levabo caput, saturatus afflictione et miseria. Et propter superbiam. Id est, contractus dolore et tormentis viscerum: caput ad ima depositum elevare non possum, sive confusione et mœrore repletus.

Quasi leænam capies me. Huic ergo bestiæ, ait Job, assimilas me hominem humilem et abjectum.

Reversusque mirabiliter me crucias. Deum dicebat ad se reverti, quando cum antiquis novas pœnas, et recentiores in suo corpore sentiebat mirabiliter.

Instauras testes tuos contra me. Hoc dicit, quia castigationes, et pœnæ non træ, testes sunt divinæ justitiæ. Sive cruciatus illius idcirco dictos testes existimo, quia ejulante eo, et rugiente, quasi testimonium Deo tormenta reddebant.

Et multiplicasti iram tuam adversum me, et pœnæ militant in me. Quare de vulva eduxisti me, qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret. Fuissem, quasi non essem de utero translatus ad tumulum. Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Potest ira Dei diabolus intelligi: cujus ministerio Job acerbos dolores patiebatur. Pœnæ autem in se militantes dicuntur: quia per quemdam malorum ordinem succedentes, officium commissæ sibi crudelitatis exercent.

Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum. Id est, requiem ab istis cruciatibus mihi concede, ut plangam aliquantulum dolorem pœnarum mearum quem in corpore meo sustineo, sive quem futurum in inferno perhorresco.

Antequam vadam, et non revertar ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine: terram miseriæ, et tenebrarum: ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitans. Quod terram inferorum descripserit, nulli dubium est; nullus ordo ibi est vitæ: tenebrosa est, ut dixi, proculdubio velut carcer, in quem peccatores et impii qui lucem odio habuerunt, ut tenebrarum filii, contrudentur. Quæ terra caligine mortis operta est: ut clausi in nocte æterna, nullum pœnitentiæ lumen aliquando aspiciant. Ubi est miseris umbra mortis, quæ in hoc loco pœnæ intelligendæ sunt: quia sicut umbræ corporum non sunt longe a corporibus, quæ faciunt umbras: ita pœnæ non longe a morte sunt, quæ inferunt mortem. Non revertar ad hanc mortalitatem, ubi tanta mala patior. Spiritus divinus, qui est in naribus meis. Quia eum dolorum angustiis anhelantem, consolationum robore urgebat. Quis mihi tribuat ut in inferno protegas me, et abscondas donec pertranseat ira tua, et constituas mihi tempus in quo recorderis mei? Furor iræ Dei pertransiit, quem Adam peccando promeruit, quando chirographum in mortem filiorum ejus conscriptum, Christi delevit adventus. Nemini ergo de sanctis mirum videatur, qui adventu Domini sunt absoluti ab inferis, et resurrectionis Christi exemplo in spe beatæ resurrectionis suæ sunt constituti.

CAPUT XI.

Respondens autem Sophar Naamathites dixit: Numquid qui multa loquitur, non audiet: aut vir verbosus justificabitur? Veluti si dixisset: Numquid potest vir verbosus admirationi haberi, aut præconio laudis efferri: cum sit ostensione nimiæ verbositatis odiosus? sed potius audire debet quæ meretur: ne, vanitate elatus, solum se existimet sapientem.

Tibi soli tacebunt homines, et cum cæteros irriseris, a nullo confutaberis? Non sunt hæc amicorum solatia, sed hostium tela. Ita ut nunc dicamus de vobis: *Filii hominum dentes eorum, arma et sagittæ.*

Dixit enim : Purus est sermo meus, et mundus sum in conspectu tuo. Non ita dixit, quod purus esset et mundus : id est, quod cogitationibus et verbis ante Deum immaculatus existeret ; sed dixit, Nihil impium feci.

Atque utinam Deus loqueretur tecum, et aperiret labia sua tibi. Dixit quali judicio Job debuerit condemnari. In loquendo enim vocem Dei, cujus sonum aures suscipiunt, ut arbitror, voluit indicare. In aperiendis vero labiis, vocis intelligentiam demonstravit.

Ut ostenderet tibi secreta sapientiæ, et quod multiplex esset lex ejus. Cordis ejus abdita, et remota judicia, in quibus multiplex et imperscrutabilis est, cognosceres.

Et intelligeres quod multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua. Hoc est, plura pati debes tormenta, quam te sustinere proclamas.

Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum omnipotentem reperies. Vestigia Dei illa sunt, quando dignatione sui hominibus innotescit. Et ideo tunc eum vestigamus, quando se nobis aliquantulum manifestare dignatur. Hæc sunt ergo vestigia Dei, cum eum incomprehensibilem intellexeris, et credideris.

Excelsior cœlo est, et quid facies ? Profundior inferno, et unde cognosces ? Longior terræ mensura ejus et latior mari. Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit : quis contradicet ei ? vel quis dicere ei potest : Cur ita facis ? Credimus quod ubique est Deus, et intra eum omnia quæ ab eo creata sunt continentur.

Ipse enim novit hominum vanitatem, et videns iniquitatem nonne considerat ? Ipse enim novit opera iniquorum, et videns injusta non negligit; quia iniquos et impios vindicat.

Vir vanus in superbiam erigitur, et tamquam pullum onagri se liberum natum putat. Dicit eum pullo onagri similem, effreno scilicet animali et vago : eo quod ita existimet de se Job, qui ad nullum debeat pertinere.

Tu autem firmasti cor tuum, et expandisti ad eum manus tuas. Firmasti cor tuum, ait : non ut satisfaceres Deo per pœnitentiam, ut auferret plagam hanc pessimam in tuis carnibus sævientem. Expandisti ad eum manus tuas : id est, falsa operum merita, ore vaniloquo dilatasti : quia multis locis, nomine manuum, opera designantur.

Si iniquitatem quæ est in manu tua, abstuleris a te, et non manserit in tabernaculo tuo injustitia. Cum exprobratione arguit Job, dicens : Si iniquitas quæ est in manu operis tui, et injustitia in tabernaculo cordis tui non manserit.

Tunc levare poteris faciem tuam absque macula, et eris stabilis, et non timebis. Sanctam videlicet possidens conscientiam, et liberam ad deprecandum Deum erigens faciem tuam. Cain enim fratricida in terra Naid habitavit, id est, instabilis factus est. Ne ergo et Job hujusmodi supplicium, super morte sua

A perpetuum timorem incurreret, Sophar hortatur eum, dicens : Si hæc feceris, quæ supra diximus, eris stabilis. Hoc sane sciendum, quia est commotio in qua peccator permanens in facinoribus suis, ante faciem non consistit. Facies tua tamquam aqua pura, et spoliaberis sorde, et non timebis. Qui est sinceræ et purificatæ mentis, et mundus ab omni sorde, pertimet vitia : quibus velut exuviis exspoliatus, tamquam e tenebris eductus fulgebit. Homo faciem mentis suæ candoris puritate præferens radiantem populum significat Judæorum, qui Christum patrem quodam modo suum occidit.

Miseriæ quoque oblivisceris, et quasi aquarum quæ præterierint, non recordaberis. In transitu itaque aquarum, Sophar hoc vult intelligere; quod tam B cito possint discedere ab eo dolores, si tamen Job se emendare voluerit; quemadmodum aquæ intra momentum ad loca alia dilabuntur, et ita omnino abstergi ab eo posse plagæ hujus miseriam : ut prorsus tenui memoria recordetur ejus, quasi quæ non fuerit.

Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam. Et cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer. Spiritualiter sic intelligi potest : consurget tibi ad vesperam, id est, in consummatione laborum malorum tuorum, consolatio sol justitiæ tibi Christus adveniet : sive post mortem resurgens in gloriam. Item aliter, etiam in hoc interitu tuo quo quotidie tanta putredine contabescis, et defluis, ut jam omnino consumptum te arbitreris : si feceris, C quæ jam dixi, ex nihilo omnino penitusque consumpto, repente orieris ut Lucifer ; qui per occultas cursus sui metas polum circuiens, post biennium in ipsius auroræ rutilo dicitur apparere. Ita ergo et tibi post noctem, et tenebras densiores divinæ tentationis istius : si culpas tuas cognoveris, poterit evenire.

Et habebis fiduciam proposita tibi spe, et defossus securus dormies. Requiesces, et non erit qui te exterreat. Et deprecabuntur faciem tuam plurimi. Habebis hanc fiduciam, ut defossus in morte, certusque de resurrectione effectus, securus dormias, requiescas in inferno, in spe certæ spei constitutus, et non erit illic ullus tortor adversarius inimicus, qui te exterreat, et tibi pœnas infernales infligat, sed potius qui- D cumque sunt, preces tibi supplices fundent, ut eis tartarei cruciatus tui orationibus temperentur.

Oculi autem impiorum deficient, et effugium peribit ab eis, et spes illorum abominatio animæ. Id est, exspectatio hominum impiorum hoc fine concludetur : ut in tempore alienæ gloriæ, ipsi non absolutione, sed abominatione digni inveniantur.

CAPUT XII.

Respondens autem Job, dixit : Ergo vos estis soli homines, et vobiscum morietur sapientia ? Et mihi est cor sicut et vobis : nec inferior vestri sum. Quis enim hæc quæ nostis ignorat ? Qui deridetur ab amico suo sicut ego, invocabit Deum, et exaudiet eum. De-

ridetur enim justi simplicitas. Hoc est dicere, quid vos tantum dicitis sapientes, et putatis quod post vos nullus erit sapiens?

Lampas contempta apud cogitationes divitum parata ad tempus statutum. Abundant tabernacula prædonum, et audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum. Lampadem se contemptam a divitibus dicit : utique superbos eos denotans, eo quod despicerent eum afflictum cruciatibus, et despectione propinquorum; qui tamen magnæ fidei, et bonorum operum oleo intrinsecus fulgebat. Sive etiam lampas contempta a divitibus, Christus a Judæis, qui surgens a mortuis splendore gratiæ suæ illuminavit universum mundum. Divites vero ideo Judæi dicti sunt, quia acceperunt eloquia Dei.

Nimirum interroga jumenta, et docebunt te, et volatilia cœli, et indicabunt tibi. Loquere terræ, et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris. Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit? In cujus manu anima omnis viventis, et spiritus universæ carnis hominis. Nonne auris verba dijudicat, et fauces comedentis saporem? In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia. Apud ipsum est sapientia, et fortitudo, et ipse habet consilium, et intelligentiam. Quod omnia ad Dei providentiam et gubernationem pertineant, etiam quæ irrationabilia atque insensibilia sunt, quadam ratione veritatis interrogata respondent. Secundum mysticum intellectum possunt homines inconditi, et irrationabiles moribus, jumenta intelligi. Volatilia vero intelliguntur dæmones, sive leves, et elati homines ac superbi : aut certe astrologi. Terra voluptuosi homines, et carnales, qui terrena sapiunt. Pisces, philosophi, et eorum similes, qui de rebus mundi, et ejus qualitatibus inquirendis nimii sunt. Aliter : Jumenta, equi boni sunt, quæ animalia in hæreditate Domini habitabunt : quibus pluvia voluntaria Evangelii ab incredulis segregata est. Volucres vero sunt qui sursum corda habent, et cœlestia concupiscunt; vel qui obviam Christo in aere ex mortuis ituri sunt : caro sanctorum rectissime intelligitur, quæ regnante Domino, exsultabit. Pisces vero qui inter fluctus mundi istius tempestatesque natantes, tuta sibi loca æternitatis et quieta prospiciunt. Vel illi pisces intelligendi sunt, qui per aquam vitam accipiunt; qui confestim de fonte baptismi migrant ad Christum, sive ad Deum, ut alii dicunt.

Si destruxerit, nemo est qui ædificet. Manifestum est quidquid sapientiæ suæ judicio dissipare voluerit, se destruere : nemo poterit fortitudini illius velut potens resistere. Sicut destruxit turrem, et regna multarum gentium, vel etiam Jerusalem, ubi præcepta ipsa legalia tamquam lapides scripti sunt, sub præsentia gratiæ suæ dissolvenda esse prænuntiavit. Sic itaque, et secundum Job prophetationem, paries inimicitiarum, lex utique præceptorum, per Christum destructa est; ut duos conderet in semetipso in unum novum hominem pacem faciens. Destruxit atque reseravit Deus Christus claustra A inferni, et diabolum habentem potestatem mortis, regno dominationis deposuit. Destruxit Deus Christus igitur mortem, dum ipsam ut in ea mori dignaretur, suscepit, et dum in cruce destruxit corpus peccati, veterem hominem nostrum illic interficientem peremit : ut viam nobis in æternum restitueret. Sic itaque destruxit mortem, et illuminavit vitam : persequentium Ecclesiam destruxit consilia, molientium ut nomen ejus effoderent de sub cœlo, Judæi scilicet et gentes. Destruxit dogmata, et diversos errores hæreticorum ab Ecclesia : indissolubili rectæ fidei ædificio : de quibus Salomon : *Civitates fortium ascendit sapiens, et destruxit munitiones ejus.* Destruxit et omnem cultum idolorum.

Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat. B Inclusit Deus Noe in diluvio : Lot in Segor : Jonam in ventre ceti : Jeremiam et Baruch ne invenirentur. Includit, et illos de quibus dicitur : *Immittet angelum suum in circuitu timentium eum, et eripiet eos.* Sive sub sententia mortis judicio Dei positum hominem quis potest revocare? Inclusus est Pharao in mediis aquis : inclusi sunt Dathan et Abiron vivi in inferno : populus Israel in eremo per quadraginta annos inclusus est. Includit Deus hominem tribulationibus excoquendum : aut certe correptionibus flagellandum peccatorem cingit ut emendet. Quis est qui copiam declinandi veluti quemdam aditum aperiat, ut evadat : sicut ipse Job, qui ait : Conclusit me Deus apud iniquum, et manibus impiorum tradidit me. Potest C homo hoc loco diabolus intelligi : qui cum inclusus fuerit in inferno, nec se ipse liberavit, qui se contra Deum fortissimum detestabiliter arbitratur.

Si continuerit aquas, omnia siccabuntur, et si emiserit eas, subvertent terram. Quod factum sub Noe, secundum Scripturarum fidem, minime dubitamus. Modo vero spiritualiter aquæ doctrinarum in Judæorum populis continentur, ut sint eis legis flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim : et habeant ut istæ aquæ terrenas cupiditates atque luxurias, et disperdantur ac demoliantur, in terra Ecclesiæ rationabilis relicta imagine terreni hominis, in spiritualem vitam se convertendo proficiant.

Apud ipsum est fortitudo, et sapientia. Hoc est, Filius cum Patre, et Spiritus sanctus.

D *Ipse novit, et decipientem, et eum qui decipitur.* Noverat Balaam, Achab, Ænam falsum surrecturum prophetam : Ænam novit, sed per hæc meritum populi peccatoris ostendit : ut in perditionem ejus falsa vaticinando denuntiet, et hi qui nolunt audire Deum et prophetas vera dicentes, pseudoprophetarum falsis vaticinationibus illudantur. Filii quoque Israel, sicut in libro Judicum legimus, æquissimo Dei judicio decepti sunt. Et cum juxta causa propter uxorem Levitis contra Benjaminitas congregati fuissent, ut scelus adulterii puniretur : in ipsis prius est sacrilegii crimen vindicatum, quia prius ipsi emendari debuerant : vel certe eos, qui idola in injuriam Dei adorabant, interimere : quibus majus fuit fratris in-

juria quam Dei, et ob id prius in illis vindicatum est. Novit autem Dominus et decipientem et deceptum per præscientiam, quod etiam de Abel, et Cain, et Dalila, et Samson, qui gratiam Spiritus sancti in septem crinibus mystice possidebat, intelligi potest. Noverat utique hæc omnia Deus antequam fierent, præscius futurorum; sed permisit ut homo, qui libero utebatur arbitrio, præcepto Dei inobediens, insuper, et Deum posse se fieri credens, per justitiam Dei pœnam inobedientiæ dignissime sustineret. Ili omnes typum Christi habuerunt. In Samson vero qui leonem tenuit et occidit, et in ore mortui leonis favum mellis invenit : significatum est, quod in superbis, in quorum ore putor fuerat blasphemiæ, esset postmodum dulcedo laudis et gratiæ Dei. Et ut ille Samson sitiens de molari dente asini, invocato Deo, aquam eduxit ut biberet : ita et Christus de immundo et duro gentium populo fide credentium tamquam refrigerii populo saturatus est. Maxilla quoque ejusdem asini de cujus molari aquæ copiosæ effluxerant, occidit mille viros. In maxillis, et dentibus, oris eloquium intelligitur. Doctrina igitur eorum, qui ex gentibus crediderunt, perfecto quodam numero finitur. Samson vero hostes suos atque adversarios tribus modis interfecit, et occidit : dum alii non credendo pereunt : alii vero credendo fidei, moriuntur peccato. Opus hoc maxillæ elevatio appellatur. Ita enim doctrina, et prædicatio Evangelii magnificata est super omnem terram, ut eam omnes gentes ubique elevatam mirentur. In illis ergo vulpibus figuratum est : ut per dolosos et sanæ fidei inimicos, quorum principatus in caudis est, pars post tergum relicta, pars circa fructus Christo adversantium vastaretur.

Adducit consiliarios in stultum finem, et judices in stuporem. Ut fecit contra Ægyptiorum magos, qui dicebant Pharaoni, regem Chaldæorum non esse venturum ad vastandam Ægyptum, sive ipsum Nabuchodonosor in amentiam vertens, vel Balthasar timore concutiens.

Balteum regum dissolvit, et præcingit fune renes eorum. In balteo regnantis gloria intelligitur : in fune, ignominia regno depositi : sicut Sedechiæ, et Manasse contigit, Deo jubente. Sive populum Judæorum, qui per infidelitatem suam, a Christi regno distinctus est. Sed et nunc renati in Christo reges, sunt omnes in adoptionem filiorum æterni regis vocati. Vere ab illa honoris sublimitate merito distinguuntur, quicumque ea quæ pœnitentiæ finibus digna sunt, perpetrarunt. Sicut ait propheta : *Pro zona reste cingeris.*

Ducit sacerdotes inglorios. Ut filios Heli, vel plures alios ejusdem gentis.

Et optimates supplantat. Non dolo supplantat Deus, in quo non est iniquitas, sed hoc modo dicitur supplantare, dum injustum amovet, et iniquum : et in locum quem tenore videtur quisque indignus, bonum hominem, et justum substituit, ut David in locum Saulis.

Commutans labium veracium, et doctrinam senum auferens. Effundit despectionem super principes, et eos qui oppressi fuerant relevat. Cum propter peccata remotis promissionibus, æternæ gehennæ flammas adoptatis dare compellitur.

Qui revelat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis. Qui multiplicat gentes, et perdit eas, et subversas in integrum restituit. Qui immutat cor principum populi terræ, et decipit eos, ut frustra incedant per invium. Palpabunt quasi in tenebris, et non in luce, et errare eos faciet quasi ebrios. Umbra mortis ipse diabolus est : qui non protegit homines, sed premit in mortem : hic producitur in lucem, quando ab anima fideli separatur.

CAPUT XIII.

Ecce omnia hæc vidit oculus meus, et audivit auris mea, et intellexi singula. Secundum scientiam vestram, et ego novi : nec inferior vestri sum. Sed tamen ad Omnipotentem loquar, et disputare cum Deo cupio : prius vos ostendens fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum. Atque utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes. Audite ergo correctiones meas, et judicium labiorum meorum attendite. Numquid Deus indiget vestro mendacio : ut pro illo loquamini dolos? Numquid faciem ejus accipitis, et pro Deo judicare nitimini? Aut placebit ei quem celare nihil potest? Aut decipietur, ut homo, vestris fraudulentiis? Doli erant in illis, quia sub verbis consolatoriis inimico eum corde pulsabant.

Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem ejus accipitis. Statim ut se commoverit, turbabit vos, et terror ejus irruet super vos. Memoria vestra comparabitur cineri, et redigentur in lutum cervices vestræ. Tacete paulisper, ut loquar quodcumque mihi mens suggesserit. Ut a Deo arguamini, digni estis : abscondite, id est, quasi eo ignorante, personam ejus in vobis ad me damnandum suscipitis : tamquam eum latere possit aliquid, ut ita ei subrepere velitis.

Quare lacero carnes meas dentibus meis. Torquentibus eum nimiis cruciatibus, manus vel labia sua dentibus lacerabat.

Et animam meam porto in manibus meis. Etiam si occiderit me : in ipso sperabo. Verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam, et ipse erit salvator meus. Non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita. Audite sermonem meum, et ænigmata percipite auribus vestris. Si fuero judicatus, scio quod justus inveniar. Quis est qui judicetur mecum? Veniat. Quare tacens consummor? Duo tantum ne facias mihi, et tunc a facie tua non abscondar. Manum tuam longe fac a me, et formido tua me non terreat. Voca me, et ego respondebo tibi : aut certe loquar, et tu responde mihi. Quantas habeo iniquitates et peccata. Ipsam vitam suam, quæ solet animæ vocabulo dici, portare se ait in manibus suis : hoc est jam nunc in tormentis deficiente anima et exeunte, velut efferendam porto in manibus.

Scelera mea, et delicta mea ostende mihi. Ut sciam possim, quam ob causam ita me crucias.

Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum? Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris. Scribis enim contra me amaritudines, et consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti. Qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tinea. Dum ita puniri me permittis, quem velut inimicum existimas, dolet mihi eo quod ipse optime noveris, quia illi potius qui tibi restiterit, noceatur.

CAPUT XIV.

Homo natus est de muliere, brevi vivens tempore: repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et numquam in eodem statu permanet. In flore hoc loco fragilitatem humani generis intelligamus, non fragrantem odoris pulchritudinem, et decorem.

Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est. Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Hoc est dignum ducis, ut propter humanum genus, Unigenitum tuum hominem nasci velis. Sive aliter: me quoque permittis fabulari tecum, et evolvere miserias meas.

Recede ergo paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, et sicut mercenarii dies ejus. Hoc est, amove a me flagellum tuum, neque me diutius permittas taliter tentari.

Lignum habet spem. Si præcisum fuerit, rursum virescit, et rami ejus pullulant. Si senuerit in terra radix ejus, et in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, et faciet comam, quasi cum primum plantatum est. Rationabile lignum credendum est, de quo dicitur: *Est enim arbori spes.* Hoc itaque lignum præcisum fuit per inobedientiam: quando habitabat in medio lignorum paradisi, priusquam Dei sententia moreretur, a quo in baptismate vetustas præciditur, ut in Jesu Christi novi hominis vita, per resurrectionem fidei reviviscat, et rami ejus virtutibus pullulent: id est, opera ejus sancte vivendo proficiant.

Homo vero cum mortuus fuerit, et nudatus atque consumptus: ubi quæso est? Homo autem non habens spem in Christo, sicut gentes quæ ignorant Deum, cum mortuus fuerit, non renatus per baptismum, vita etiam destitutus ac præsenti delectatione nudatus, sine dubio sententiam æternæ damnationis excipiet.

Quomodo si recedant aquæ de mari, et fluvius vacuefactus arescat: sic homo cum dormierit, non resurget. Donec alteratur cœlum, non evigilabit: nec consurget de somno suo. Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus: et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei? Putasne mortuus homo rursum vivet? A *Cunctis diebus quibus nunc milito: exspecto donec veniat immutatio mea.* Si fieri potest ait, ut aquæ salutarium præceptorum Dei, de sanctarum Scripturarum mari desinant recedere, cui perenni abundantia non deficiunt: et si potest fieri ut fluvius sacri baptismatis, quadam inopia divinæ misericordiæ exsiccetur, et non plenus sit gratia Dei, sancti quoque Spiritus donis non redundet: ita poterit fieri, ut homo cum mortuus fuerit, non resurgat.

Vocabis me, et ego respondebo tibi. Operi manuum tuarum porriges dexteram. Vocabuntur omnes mortui in novissimo sæculorum, et in voce archangeli, atque in tuba Dei de tumulis excitabuntur: respondebuntque universi hoc modo cum ad verbum majestatis ejus atque potentiæ, cineres ac favillæ B humanorum corporum vivificabuntur, et exsurgent ex mortuis incorrupti.

Tu quidem gressus meos dinumerasti: sed parce peccatis meis. Cogitationes et opera juventutis meæ.

Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam. Saccus, significativo nomine, quasi tota massa peccatrix generationis Adæ dictus videri potest: in quo, quasi sub signaculo imaginis ejus, genuit Adam ad imaginem, et similitudinem suam, totam sobolem illius in ipso prævaricatricem effectam: quam per multa sæcula Deus clausam tenuit sub peccato, et tamen in novissimis sæculorum temporibus, vulnera delictorum sua redemptione curavit. Si autem de semetipso Job hoc dixisse videtur, ut arbitror, iste est intellectus: Si qua C igitur, ait, ad Deum per totum sæculum vitæ meæ peccata commisi, in unum omnia per diversa temporum spatia congregasti, ut secundum rigorem justitiæ tuæ pro cunctis simul mihi retribueres.

Mons cadens defluit, et saxum transfertur de loco suo. Lapides excavant aquæ, et alluvione paulatim terra consumitur, et homines ergo similiter perdes. Montem ergo istum diabolum, sive superbiæ hominem sentire debemus, qui contra Deum, ut mons elatione mentis tumescit, et ita se erigendo, cadit in præceps, ut defluat, et solutus in pulverem ad nihilum deducitur. Saxo vero illos assimilari puto, qui cum in naturæ bono debuerant tamquam lapides soli simili fortitudine permanere, commutati sunt voluntate propria in stoliditatem quamdam ac D duritiam cordis, et ideo detestationis suæ habitaculo quod se habere quasi de suis meritis præsumebant, dejiciendi sunt ad digna sibi loca. Aquæ autem istæ quæ semper inferiora petunt, per quas etiam quondam venit interitus, adversarias significant potestates, et procellas ac turbines mundi. Hæ ergo aquæ, inquam, eos homines qui sibi fortissimi ac solidi sunt de se præsumentes, et confidentes in virtute sua, unde, et lapidibus comparantur, indesinenti lapsu atterunt. Terram vero illos esse existimo, qui tentationes, et pericula non auferentes, se dimittunt labefactari. Homines ergo similiter perdes: id est, sanctos tuos, qui imaginem tuam in se custodiunt.

Roborasti eum paululum, ut in perpetuum transiret. Hoc est, in vita ista non permisisti sanctos tuos tentationibus superari.

Immutabis faciem ejus, et emittes eum. Id est, cum mortale hoc immortalitatem induerit, et incorruptionem. Sive aliter, faciem animam intelligimus, quæ cum naturalem receperit serenitatem, contemplatur gloriam divinæ majestatis, quæ cum corpore suo simul fuerit gratulata : nulla perturbatione cujuslibet vitii sauciabitur.

Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget. Hoc est, non filii carnis, sed filii mentis : id est, opera virtutum. Non intelligunt ergo sancti in hac vita ante judicii diem, quales pro certo filios habeant : utrum Deo placentes, an non placentes. Roborasti eum paululum, ut in perpetuum transiret, secundum formam servi quam assumpsit. Hæc Christo Deo non aptari posse arbitror. Nam cum ex ea parte qua homo est, infirmaretur proximus passioni, evangelista ait : *Apparuit autem angelus Domini de cœlo confortans eum.* Hic ergo ad breve tempus administrata redemptione nostra in perpetuum illud sæculum cœlos penetrans transivit. Immutabis faciem ejus : hoc est, cum totus homo in Deum transiit : salva tamen utriusque substantiæ proprietate in unitate personæ.

Attamen caro ejus dum vivet, dolebit, et anima illius super semetipso lugebit. Ita veram carnem Salvator noster assumpsit, ut potuerit dolorem sentire. Vel anima ejus doluit, cum ait : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Sive Ecclesia, quæ caro ejus est, dolet cum pressuris premitur sæculi : quia ipsa Ecclesia filia est in eo, qui per fidem baptismi initiatur in Christo. Et rursum mater est, cum ille qui membris Christi incorporatus est, suscipit ministerium baptizandi.

CAPUT XV.

Respondens autem Eliphaz Themanites dixit : Numquid sapiens respondebit, quasi in ventum loquens. Hoc sensu videtur cepisse : quisquam ne sapiens, et disciplinæ philosophicæ studiosus, ita furore rapitur, atque insania possidetur, ut sine ullo timoris Dei vel religionis intuitu, sic loquatur, ut auræ flatui simile sit, ventoque quod liquitur. Ob hoc igitur Eliphaz sanctum Job veluti spiritu superbiæ ventoque timidum redarguere ausus est.

Et implebit ardore stomachum suum. Nomine ardoris, exanhelantem felle iracundiæ animum ejus voluit indicare, qui adversum Deum tamquam coæqualem sibi irasci præsumpserit. Alia interpretatio ita habet : *Et implebit dolore ventrem suum.* Ventrem capacem quemdam sinum animæ dictum intelligamus : quia quemadmodum receptaculum aliquod est corporis quo viscerum vitalia continentur, et hoc ventris nomine appellamus : ita virtutem quamdam exercitationibus animæ capabilem illa translatione per demutationem nominis dixit, quæ eo modo cogitationibus repleatur, quo venter hominis escis repletur. Increpatur ergo Job ab Eliphaz,

A quod hujusmodi ventrem dolore repleverit, id est, ea cogitet quæ animam ejus discrucient, vel unde dolores corporis merito patiatur.

Arguis verbis eum qui non est æqualis tibi, et loqueris quod tibi non expedit. Quem ita dicendo, velut rebellem Deoque contrarium notat. Ob hoc forsitan, quia in præcedenti sermone dixerit Job ad Deum inter cætera : Et arbitraris me inimicum tuum.

Quantum in te est, evacuasti timorem; et tulisti preces coram Deo. Tam elatus, inquit, effectus es, ut timore divino omnino sis vacuus, et Deum jam nec deprecari digneris : propter quod ait : et tulisti preces coram Deo, id est, quasi tibi non necessarias a te abstulisti.

B *Docuit enim iniquitas tua os tuum ; et imitaris linguam blasphemantium.* Malum igitur mentis tuæ, os tuum didicit loqui, et idcirco imitator et discipulus es illorum, qui linguam ad blasphemandum Deum semper habent paratam.

Condemnabit te os tuum, et non ego, et labia tua respondebunt tibi. Id est, merita sermonum tuorum recipies.

Numquid primus homo tu natus es, et ante omnes colles formatus? Ergo antequam generatio humana existeret, esse cœpisti, donans tibi plurimum, quod præ cæteris hominibus sapias : ubi sermone subsannatorio potuit primum Adam dixisse : quem utique sapientissimum a Deo novimus factum. Ita ergo in sanctum Job invehitur, ut diceret : numC quid tu ante patrem humani generis, et ante conditionem angelorum esse cœpisti?

Numquid consilium Dei audisti, et inferior te erit ejus sapientia? Subinde nimium, et jactantem arguit vero Deo placentem, et vehementer increpat, dicens : quod non solum nosse putet Dei consilium : verum etiam, et inferior sit ille ejus sapientia. Apparet ergo plenum livore animum, exprobrationum jacula in hominem justum sine causa dirigere, ut conviciis obrueret innocentem.

Quid nosti quod ignoremus? Quid intelligis quod nesciamus? Plurimum : plane in primis ipsum Deum magis noverat, deinde revelanda in Christo mysteria spiritu pervidebat.

Et senes, et antiqui sunt in nobis multo vetustiores D *quam patres tui.* Senes, et antiqui nobiscum positi, qui jam ipsa longævitate plurimum eruditionis atque scientiæ consecuti sunt : nihil temere contra Deum, ut tu facis, dicere præsumpserunt.

Numquid grande est, ut consoletur te Deus? Sed verba tua prava hoc prohibent. Manifestum nec grande est omnipotenti, nec difficile misericordiæ Dei, hominem consolari : ut invocantem exaudiat, et a pressura tribulationis eripiat; sed tu blasphemias ructando, exacerbas magis Deum in pœnam tuam, quem poteras humilitate, et satisfactione placare.

Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo hujuscemodi sermo-

nes? Quid est homo, et ut immaculatus sit, ut justus appareat natus de muliere? Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus: quanto magis abominabilis, et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem? Cor, oculi, spiritus, totam hominis animam significant, sed in corde hominis sapientiam cognoscimus. In oculis, perspicuitatem intelligentiæ. In spiritu vero illius animæ motum, quo cogitationibus incessabiliter agitur ad quæcumque facienda. In elevatione ergo cordis, et attonitis oculis, tumore etiam spiritus: superbum valde contra Deum, et inflatum nimium sanctum Job Eliphaz amicus ejus exprobrat. Illis etenim sermonibus offensus fuerat, quos beatus Job ad Deum superius narravit. Si judicatus fuero, scio quod justus inveniar, et contra isto sermone loquitur: Quid est homo ut immaculatus appareat?

Ostendam tibi, audi me, quod vidi narrabo tibi. Expertam rem loquor, quam cognovisse, et vidisse me noveris.

Sapientes confitentur, et non abscondunt patres suos. Ita vult eum diversis modis atque exemplis, quasi ad pœnitentiam coarctare atque constringere, ut confiteatur plagam illam pœnarum quam sustinebat ob merita sustinere. Vel ita: non defendendo seipsos, suosque patres similes sui, vel quos imitando parentes habere cœperunt; peccata sua sive parentum non cooperiunt, nec abscondunt. Sive non celant patres suos, id est, seniores, vel sacerdotes suos, quibus peccata salubre est confiteri.

Quibus solis data est terra, et non transibit alienus per eos. Frequenter Deus propter peccata tradit terram iniquorum aliis gentibus. De conversationis igitur introitu, et ingressu Sophar ad Job loquitur: In amaritudine sua vadent et venient super eum horribiles, id est, quasi iracundia fellitum commoti, et veneno invidiæ in amaritudinem furoremque conversi: circa te, inquit, jugiter morabuntur. Sive moraliter. Sapientes illi in Christo sunt, et in sæculo stulti, qui satisfactione pœnitentiæ, peccata sua vel errores hæreseos convertendo se ad Deum fideliter confitentur, et auctores vel criminum suorum, vel dogmatum manifestant, ut terram corporis sui soli possideant: id est, non ei vitia, vel hostiles nequitiæ dominentur. Alienusque per eum non transeat, id est, diabolus in eum non habeat potestatem. Qui vere alienus dicendus est, quia se a Deo, et angelorum consortio fecit alienum.

Cunctis diebus suis impius superbit, et numerus annorum incertus est tyrannidis ejus. In personam quidem Job hæc Eliphaz videtur invehere, quæ usque ad calcem sermonis hujus perduxit. Ego vero existimo quod afflatus spiritu prophetiæ, cuncta hæc in quemlibet impium, sive in ipsum diabolum, vel ejus socios dixerit.

Sonitus terroris semper in auribus illius. Sicut Ægypti passi sunt.

Et cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Perseverat impius in scelere semper de conscientia malo: novit enim secundum justum judicium Dei, quæ impiis retributio sit separata.

Non credit quod reverti possit de tenebris ad lucem. Frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit. Hic impius in profundum peccatorum deveniens, vitam se posse consequi desperavit. Et idcirco non credit quod reverti possit ad pœnitentiæ lucem de tenebris peccatorum. Hujus autem diffidentiæ causam enarrat, dicens:

Circumspectans undique gladium, id est, hinc inde: sive præstolans mortem. Diximus, diabolum in escam datum spirituum immundorum, quia ejus malitia vivunt: vultures vero homines peccatores, et immundi intelliguntur. Cum ergo hi conversi fuerint, tunc inimicum devorantem se, versa vice habebunt in escam, quia ipse est draco qui datus est a Deo in escam populis Æthiopum, qui quondam propter nigredinem peccatorum Æthiopes, nunc autem per fidem lux facti in Domino. Hunc impium sive draconem consumunt ac devorant: dum omne corpus ejus, qui sunt utique peccatores, per fidem intromittunt in corpus, id est, in Ecclesiam: secundum hoc, quod dictum est Petro: *Surge, occide, et manduca.* Hinc etiam Moyses filios Israel vitulum comminutum bibere compulit, ut sicut illi eo fuerant absorpti in errore: ita illi in corpore populi Dei relicto errore transirent.

Cum se moverit ad quærendum panem, novit quod paratus sit in manu ejus tenebrarum dies. Motus animorum est inchoatio cogitationis. Cum ergo hic recordatus fuerit, reus sibi semper male conscius, quemadmodum possit vivere: nihil ei occurrit aliud quam tempus illud judicii Dei horribile, quo pœnas perpetuas irrogandas expavescit.

Terrebit eum tribulatio, et angustia vallabit eum, sicut regem qui præparatur ad prælium. Antequam dies prædictus adveniat, malo formidinis cruciabitur: pressuris quoque, et angustiis septus undique coarctabitur, veluti rex profecturus ad prælium. Sub nomine regis impium hominem, sive diabolum significari existimo, qui contra Deum bella quotidie, blasphemias contentionesque, sive pugnas parat vitiorum.

Tetendit enim adversus Deum manum suam, et contra omnipotentem roboratus est. In elatione, sive expansione manus, resistentem Deo demonstrat, quemque mentis etiam tumidæ contumacia robustum dicit.

Cucurrit adversus eum erecto collo. Abruptam ac præcipitem superbi indicat mentem: quia contra Deum possessus insanus in audacia resistendo, non lentis gressibus processit.

Et pingui cervice armatus est. Pinguedinem nominando cervicis, superabundantem, et quasi nimium effluentem superbiam indicavit. Quemadmodum propheta ait, cum de eadem hominum superbia loquitur, dicens: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum,* hoc testimonium novæ editionis apertius dicit: *Processerunt a pinguedine oculi eorum:* id est, sensus sive

cogitationes nimium superborum, in blasphemiam proruperunt.

Operuit faciem ejus crassitudo. Facies plerumque ipsa mens animæ intelligitur, ut ait Apostolus: *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculamur.* Hanc diabolus sive impius homo sanctitate seu humilitate, serenam non habet, sive perspicuam, sed crassitudine opertam superbiæ, quæ cæco corde sit, et obtuso. Alia editio: *Operuit faciem ejus tamquam in adipe suo;* tamquam diceret: superbia videlicet atra, auctor omnium vitiorum: non tenui, et perlucida humilitatis virtute velut pretioso amictu se vestivit, sed de seipsa fecit ei quodammodo derisum, et vestimentum obscurum, quo superbiam crassa cæcitate cordis obtunderet.

Et de lateribus ejus arvina dependet. Possunt latera ejus, ministri sive sodales intelligi, qui ejus similes exstiterunt. Non absurde etiam aures intelliguntur, quæ utique in audientia impinguantur: unde nimia surditas contumacibus generatur, secundum illud: *Incrassatum est cor populi hujus.* Alia editio: *Fecit capitapulum super femora.* Videtur mihi iste versiculus sensum hujuscemodi continere, quod in hoc impio increpetur, quia frenum disciplinæ, quo ad virtutes retineri poterat, habere noluerit, sed ad quamdam se potius dissolutionem, deposito animi rigore, dejecerit, ut quasi loro laxato ad voluptatem, et luxuriam deduceretur.

Habitavit in civitatibus desolatis, et in domibus desertis, quæ in tumulos sunt redactæ. Habitationem ergo bestiarum, et avium immundarum spiritus immundos dicit: qui habitant in hominibus, quos Deus deseruit. Hic enim habitat in hominibus derelictis a Deo: et ob hoc sepulcra facti sunt mortuorum. Et si peccata in Scripturis mortui aliquando dicuntur, necessario peccatores, et impii tumuli sunt mortuorum. Igitur in civitatibus, potest generale nomen esse omnium peccatorum in domibus vero speciale uniuscujusque peccatoris, et impii.

Non ditabitur, nec perseverabit substantia ejus. Substantia hic non rerum divitiæ intelligendæ sunt, sed peccata: de quibus ait sanctus Spiritus in Apocalypsi Joannis. *Cecidit, cecidit Babylon civitas magna, et facta est habitaculum dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi.* Quod autem ait, non ditabitur: hoc dixisse mihi videtur, non longum tempus erit, quo vita ejus in divitiis facinorum decrassetur, cum etiam collecta vitiorum ejus substantia non erit permansura.

Nec mittet in terram radicem suam. Id est, quia tamquam arbor evulsa sit moriturus: ideo in terra viventium stabilitatem æternam sive eorum consortium non habebit: eo quod hic prius spem vel radicem fidei non præmisit: auram etiam salutis, ut sub umbra vivat refrigerii, non habebit.

Non recedet de tenebris. Alii dixerunt, *Non effugiet tenebras:* id est, pœnas æternas subibit, et tenebras non evadet. Non recedet autem de tenebris: intelligimus de tenebris infidelitatis. Homo hic impius ad lumen pœnitentiæ venire detrectat.

Ramos ejus arefaciet flamma. In ramis, operum malorum fructus intelligamus, sicut Salomon ait: *Fructus impiorum peccata.* Hos vero velut ligna, fenum, stipulam gehennæ ignis absumet.

Et auferetur spiritu oris sui ab eo. Quia ergo furor contra Deum animus ejus est, quo etiam et blasphemias in eum spirare non desinit: oris sui, ait, judicio condemnatur. Secundum antiquam ergo editionem in stirpe sive fronde, originem vitæ impii significari existimo, quam Spiritus Dei sententia judicii, ut incubans ventus percutit: ut velut arbor arefactus impius illico moriatur, et ita omnis flos honoris ejus et gloriæ defluat.

Non recedet frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit. Hoc igitur ait, putat fortassis diabolus, et homo impius cordis duritia in impietate persistens, quod Deus ei pro suis meritis non retribuat: dum Deus nequaquam ei parcit, et si verbis hoc potentibus atque compositis ut obtineat deprecetur, cum jam secundum Dei justum judicium, sempiternis addictus sit cruciatibus.

Antequam dies ejus impleantur, peribit. Tunc dies uniuscujusque impleri dicitur, cum bonorum hominum ac malorum retributio venerit. Hic ergo homo, sive diabolus, ante perspicuæ sententiæ diem, quam eis Dominus in judicio daturus est: præsciit in prædestinatione [*Al.* præscitus peribit: sicut in, *etc.*].

Et manus ejus arescent. Nullum utique boni operis fructum in se habens.

Lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus, et quasi oliva projiciens florem suum. In botro nulli dubium, quod fructus operis intelligatur prædictus. Igitur florem gaudii temporalis, ad maturitatem fructus perpetui perducere non valebit, eo quod in spe ipsa mendacis gloriæ, calido vento superbiæ dissipabitur. Sive frigore charitatis Dei, velut a pruina lædetur, sicut eodem sensu in sequentibus arbitror dictum. Et quasi oliva projiciens florem suum. Oliva enim in Scripturis divinis, et vinea, aliquando homo tantum significatur: aliquando populus seu bonus, seu malus. Quod autem dixit, vastabitur, sive evertetur, ita intelligendum, sicut in Apocalypsi habetur: *Qui fecerit mandata Domini, non lædetur morte secunda.* Vinea ergo, et oliva, plebs Judæorum potest intelligi. Hæc igitur vinea perdet, sive amittet fructum sanctitatis atque justitiæ, qui Christum primum florem, et optimum sanctorum omnium in agro legis habere noluit. Ipse enim dicit: *Ego flos campi.* Sed ut infidelis atque incredula, ne illi fides Christi flagraret, projecit eum a semetipsa: et dum projicit extra vineam, et a se excutit velut florem, ipsa a patriarcharum radice evulsa est, et Christo fructu nostræ salutis excussa.

Congregatio enim hypocritæ sterilis. Raptorem, et violentum simulatorem sanctum Job his sermonibus denotat, et dicit quod, et ei non proderunt divitiæ ex iniquitate collectæ: ita enim adversum Job, et in

primo sermone locutus est, ubi etiam leoni et leænæ, leonumque catulo et tigri comparavit. Sed Deo magis credendum est, qui eum laudans non simulatorem effectum dixit, sed innocentem et simplicem prædicavit. Quod autem ait Eliphaz.

Et ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. In sanctum Job cadere non potest. Quia ipse, ut jam dixi, secundum Dei testimonium de seipso ita locutus est: et si in manibus meis adhæsit macula, cum de muneribus loqueretur. Ignem vero nominando, gehennam puto significavit, quia tabernacula, id est, corpora iniquorum sunt consumenda. De hoc igne et Sophar in consequentibus ait: Devorabit eum, id est, impium ignis qui non succenditur.

Concepit dolorem, et peperit iniquitatem, et uterus ejus præparat dolos. David quoque postmodum de hujusmodi ita dixit: *Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, peperit iniquitatem.* Dolor ergo est injustitia, et iniquitas. Hoc ergo impius peperit quod conceperat, et tamen uterus cordis ejus dolos præparare non desinit. Quos tunc edit, quando opera in factum procedunt. In conceptu itaque iniqua cogitatio intelligitur, sicut in partu effectus malæ cogitationis agnoscitur. Adversum Job hæc universa Eliphaz locutus est; sed jam superius diximus, quod subministratione prophetiæ per personam Job, diabolo vel cuilibet homini impio dicta hæc videri possunt, sicut et alia quæ amici ejus locuti sunt.

CAPUT XVI.

Respondens autem Job, dixit: Audivi frequenter talia Consolatores onerosi omnes vos estis. Numquid habebunt finem verba ventosa, aut aliquid tibi molestum est si loquaris? Poteram et ego similia vestri loqui. Atque utinam esset anima vestra pro anima mea! Si vos, inquit, hæc quæ sustineo pateremini: non ita circa vos agerem, ut vos erga me agere non cessatis.

Consolarer et ego vos sermonibus, et moverem caput meum super vos. Roborarem vos ore meo, et moverem labia mea, quasi parcens vobis. Blandimento utique sermonum meorum vos potius cohortarer: mentes etiam vestras tribulationibus acerbis exasperatas, ne in lapsum blasphemiæ caderent, levi sermone et placido sustinerem.

Sed quid agam? Si locutus fuero, non quiescet dolor meus, et si tacuero, non recedet a me. Id est, sive loquar ista nunc vobis, sive etiam taceam: hoc solum me nosse confiteor, quod incessabili dolore discrucior.

Nunc autem oppressit me dolor meus, et in nihilum redacti sunt omnes artus mei. Hoc etiam de Christo intelligendum est.

Rugæ meæ testimonium dicunt contra me. Contractio cutis quam, exsiccante eadem sanie, patior, quodammodo manifestatione sui dat adversum me testimonium, et quasi loquitur, quantos dolores sive cruciatus sustineam.

Et suscitatur falsiloquus adversus faciem meam, contradicens mihi. Collegit furorem suum in me. Hic aut ipsum Eliphaz falsiloquum dicit, quia exprobrat sancto Job, quod hæc ob peccatorum merita sustineret, aut diabolum, qui eum dixerat peccatorem. Aliter, falsiloquus, Judas vel populus Judæorum intelligendi sunt, qui contra Christum falsum dederunt testimonium.

Et comminans mihi infremuit contra me dentibus suis. Ore amicorum contra sanctum Job disputantium, diabolus minabatur: sive Judæi infremuerunt contra Salvatorem. Alia editio: *Sagittæ piratarum super me ceciderunt.* Piratæ isti diaboli sunt ministri, sive homines, sive dæmones: qui tunc piratæ in Scripturis vocantur, quando sæculum istud mare appellatur. Sagittæ vero dolores vel cruciatus intelligendi, quos patiebatur, ut ab eis transfossus blasphemia moreretur. Et ita demum aurum atque argentum sapientiæ ejus, et scientiæ, vestes quoque pretiosas virtutum, spei atque fidei in Deum, auferent ab eo, et grandi pretio comparata monilia.

Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est. In oculis terribilibus animum saucientis in se describit invisibilis inimici, qui sive per visiones nocturnas, sive per amicorum vultum terribilem, minas intenderet: sicque dum Job amici ejus sancto nefanda responderunt, nutibusque etiam cum irrisione deterrent, de Christo intelligendum.

Aperuerunt super me ora sua, et exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis. Igitur in maxilla, generis est nobilitas, sive honor quidam manifestus. Et sicut alii dixerunt, acriter est percussus in genis, intantum ut ab honore, et nobilitate, et divitiis fieret alienus, quando maxillam fidei suæ collidendam diabolo fortiter præbuit, quam ille perturbare cædendo conatus est, quasi quamdam januam divinæ confessionis effringens, sive cum falsum testimonium contra Christum dixerunt, sive illud, *Crucifige eum.*

Conclusit me Deus apud iniquum, et manibus impiorum me tradidit. Id est, diabolo et angelis ejus. Sive de Christo intelligendum, quando traditus est in manibus Judæorum.

Ego ille quondam opulentus repente contritus sum. Tenuit cervicem meam, confregit me, et posuit me sibi quasi in signum. Id est, de divite factus pauper: vel Christus, de Deo homo natus.

Circumdedit me lanceis suis: convulneravit lumbos meos. Non pepercit, et effudit in terra viscera mea. Lanceæ hoc loco nominatæ, dolorum compunctiones, quas Job patiebatur, significanter intelliguntur: sive de Christo blasphemiæ, quas passus est a Judæis, intelligendæ sunt. Job vero non solum deforis toto corpore computruerat, verum etiam putoris sanie liquescebat: ita ut ipse Job diceret, halitum meum exhorruit uxor mea. Omnia circa lumbos ejus putruerunt. Sive de Christo intelligendum, convulneravit lumbos meos. Quia Judæi usque ad hoc persecuti sunt apostolos, qui quasi de lumbis doctrinæ

suæ pati fuerant : ut eos vulnere infidelitatis Christum negando sauciarent : dum Petrus dicit, *nescio hominem*. Et tenuit cervicem meam, sive ut alii dixerunt, *tenens comam meam divellit*. Proinde nunc intelligamus quo furore diabolus ac virtute istum virum commoverit atque concusserit, sive confregerit, ut etiam comam capillorum ejus simul apprehensam, sit conatus evellere. Sive de Christo ita intelligendum : tempore passionis ex suo permissu tenuit adversarius, et usque ad mortis dormitationem inclinavit, quem jam verberibus, et affixione clavorum confregerat, et signum salutis in contrariam partem posuerunt.

Conscidit me vulnere super vulnus : irruit in me quasi gigas. Dum languoribus meis atque vulneribus adduntur plagæ innumerabiles, dividor totus resolutus atque comminuor, ita ut nullum in me membrorum residuum sit, quod aliqua soliditate subsistat. De Christo etiam sic intelligendum : Cum Judas lethali apostasiæ vulnere peremptus est, non pepercit : in tanta namque sævitia debacchatus est, ut scelus quod mente conceperat, etiam ore publicaret : vel super vulnera crucis clavorum vulnera addiderunt.

Saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam. Quod similiter dictum, ad humiliationem regni ejus pertinere mihi videtur. Cornu autem, regnum in Scripturis vocatur : juxta illud, *Exaltabit cornu Christi sui*. Christus vero ipsam gentem de qua oriundus erat, saccum appellavit. Cinere vero operuit principes Judæorum, cum ab eis regnum pro negationis sacrilegio transtulit ad gentes.

Facies mea intumuit a fletu, et palpebræ meæ caligaverunt. Fletus sive lacrymæ in homine de doloribus, sive de tristitia generantur; sed lacrymæ aliquando per genas cum silentio defluunt : fletus vero cum habeant lacrymas, non sine voce, et commotione corporis dantur : quem fletum Job se habuisse testatur, qui ei de ærumnis animæ, pœnarum quoque cruciatibus nascebatur. Item aliter : Prophetæ, facies Dei intelliguntur eo quod sciant futura : qui cum perditionem impiorum contemplarentur in spiritu, gemitibus continuis eos flevisse intelligamus. Oculi etiam caligaverunt Christi, dum martyres sive sancti in tentationibus titubantes conturbati sunt ; sed gratia Dei liberati in lumine permanserunt.

Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces. Nullus sanctorum ita mundas atque immaculatas, absque omni vel minima labe cogitationis preces ad Deum habet, ut mediator Dei, et hominum homo Jesus Christus, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. Quas utique preces atque orationes secundum hominem, quem assumpsit, ad Deum habere credendum est : cum secundum divinitatem suam cum Patre ipse exaudiat. Sive sancti, qui pro nomine ejus passi sunt sine iniquitate rebellionis vel criminis alicujus a persecutoribus occisi : quantum ad illos persecutores, gratis morti traditi sunt.

A *Terra, ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus*. Totum hoc est quod dicit, ne innocentis, et bene sibi conscii meritum lateat : præsertim cum insontem se mala tanta passum referat. Sanguinis vero nomine, vitæ istius præsentis statum dicere voluit. Hoc autem loco clamorem positum, ipsam sanctitatem ejus contra pœnas illius reclamantem : quæ iniquis merito inferuntur ad vindictam, justis autem ad probationem. Aliquando etiam in Scripturis clamor affectus animi intentus ad Deum ostenditur, vel etiam clamor iniquitatis populi, qui exspectabatur ut faceret uvas, et fecit spinas. Nec omnis iniquitas clamor dicitur, sed illa quæ publice fit.

Ecce enim in cœlo testis meus, et conscius meus in B *excelsis*. Quia Deus de eo testimonium perhibuit.

Verbosi amici mei. Qui verba non ad Deum pertinentia loquitur, verbosus vocatur : qui vero verba Dei loquitur, verbosus non potest judicari.

Ad Deum stillat oculus meus. Cum lacrymis interpellat Deum.

Atque utinam sic judicaretur vir cum Deo : quomodo judicatur filius hominis cum collega suo. Hoc dicit : Utinam mihi esset copia cum homine disputandi, ut me innocentem probare possem. Deum autem meum nolo intrare mecum in judicium, qui et scrutans corda, et renes Deus est : cujus judicium falli omnino non potest : neque ipse consuevit discuti a quoquam.

Ecce enim breves anni transeunt, et semitam per C *quam non revertar, ambulo*. Ita credebat, quod nec ad mortale corpus suum, nec ad tormenta corporis sui esset iterum reversurus.

CAPUT XVII.

Spiritus meus attenuabitur, et dies mei breviabuntur. Hoc dicit, quod in brevitate vitæ suæ, spiritus ejus sensim attenuatus defecerit.

Et solum mihi superest sepulcrum. Quia mors est finis omnium tormentorum.

Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus. Verum est, quod Deo placitus non peccavi. Et licet possit hic locus ita intelligi, quod in Deo quidem non peccaverit, et tamen quasi in ipso peccaverit, pœnas blasphemantium patiatur. Et forte quoniam a Deo in præsenti laudatur, non pecca- D verat : sed in præteritis adolescentiæ temporibus peccasse non negat.

Libera me, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. Sub scuto igitur protectionis Dei latere optat : quo munitus atque defensus, sævientem hostem non timeat.

Cor eorum longe fecisti a disciplina : propterea non exaltabuntur. Quia ad Deum hæc loquitur Job : de diabolo utique, et satellitibus ejus præcesserunt peccata : quippe pro quibus pœnam obdurationis acceperunt. Causa igitur de quibus loquimur, qua elongati sunt, ut non apprehenderent disciplinam, quia exaltationem bonæ naturæ suæ debitam, voluptate propria perdiderunt.

Prædam pollicetur sociis, et oculi filiorum ejus deficient. Posuit me quasi in proverbium vulgi, et exemplum sum coram eis. Socii sive filii diaboli, iidem sunt ministri ejus : sed socii dicuntur propter contubernium conspirationis adversus Deum. Filii propter imitationem ipsius diaboli. His igitur dæmonibus beatum Job in prædam dandum, pater eorum, et rebellionis caput diabolus promittebat, dum eum per tantos dolores ad blasphemiam impellendum, et a Deo ob hoc relinquendum esse credebat : sive quando eum omni gloria domus, et filiorum spoliavit.

Caligavit ad indignationem oculus meus, et membra mea quasi in nihilum redacta sunt. Juxta illud Evangelii : *Lucerna corporis tui, est oculus tuus.* Hunc igitur oculum Job sibi caligasse conqueritur illa indignatione, qua ipsum sanctitatis suæ merita conservabant : eo quod bona conscientia, pœnas pateretur indebitas.

Stupebunt justi super hoc. Admirantes de justis Dei judiciis, quomodo justus, et sine crimine pœnis affligatur.

Et innocens contra hypocritam suscitabitur. Hypocrita est ipse diabolus, qui cum sit tenebrarum, id est, delicti inventor, ipse recedendo a vero lumine, est tenebrosus effectus. Quasi lucifer posuit in cœlo sedem suam, et transfiguravit se in angelum lucis. Aut certe unumquemque amicorum suorum Job hypocritam dixit : quia sub verbis consolatoriis dolos eis dolose loquebantur.

Et tenebit justus viam suam, et mundis manibus addet fortitudinem. In quas profecto virtutes se magis crescere manifestat.

Igitur omnes vos convertimini, et venite : et non inveniam in vobis ullum sapientem. Convertimini, ait, a pravitate sententiæ, qua me condemnare summo studio non desistitis. Venite : sermo invitantis est ad melioris vitæ profectum : quod est, o vos hypocritæ, et non veri, nec fideles amici, ad agnitionem veritatis accedite, quam vos habere minime noveritis.

Dies mei transierunt. Dies hi præteritæ felicitatis possunt intelligi, in quibus pollens virtutibus vivebat beatus Job. Hos igitur dies a se non sine gemitu loquitur præterisse, quando multis miseriis circumdatus est, et plaga intolerabili dolorem patiebatur.

Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem, et rursum post tenebras spero lucem. Cum in unius jugiter contemplationis intentione positus essem, et cogitationes meas haberem semper intentas ad Deum : plagæ hujus supervenientis mihi miseriæ, easdem cogitationes meas a sua unica soliditate in me video dissipatas, et ob hoc excruciatur cor meum : eo quod earum dilaceratione torquetur, videns me mala simplicitati meæ inconvenientia sustinere.

Si sustinuero, infernus domus mea est, et in tenebris stravi lectulum meum. Pœnis corporis cogitationumque stimulis, sicut ait, indesinenti tempore agebatur, et idcirco pœnas inferorum, jam se pati clamabat. Aut forte separatio illa qua ab hominibus factus est alienus extra civitatem, sedens in sterquilinio, tenebræ dictæ sunt, quia lucem humani solatii non haberent.

Putredini dixi, pater meus es : mater mea et soror mea vermibus. Tam longo, inquit, tempore computresco, ut ipsam putredinem, et vermes nascentes in ejus sanie parentes appellem : ac per hoc quemadmodum quispiam mortalium sine parentibus non potest existere : ita et ego factus sum, quasi sine putredine, et vermibus esse non possem. Qui ita in carne mea velut in natura sua sunt : tamquam si ex eis ipse subsisterem. Cum illi in me de carnis meæ sanie potius generentur, non ego ex illis. Ubi magis mortalitatem per peccatum factam significavit : cui inest corruptio, et corruptioni putredo. Patrem vero appellavit ipsum ortum humani generis in Adam, qui corruptione factus est putrescibilis. Matrem vero naturam humanam dixit, corruptione vitiatam. Sororem vero omnem posteritatem Adæ dixit, quæ de corruptione mortalitatis, velut de sanie putredinis nascitur : quod et Baldad dixit : Homo putredo, et filius hominis vermis.

Ubi est ergo nunc præstolatio mea, et patientiam meam quis considerat? Quod ait, et patientiam meam quis considerat? aperte fortem se in illis cruciatibus manifestat : pro quibus quasi queritur, quod ad retributionem tanti laboris sui non potuerit pervenire.

In profundissimum infernum descendent omnia mea. Alii dixerunt, *Omnia bona mea.* Bona sua dicit ad inferos descensura, quod est anima mea : vel ipse pro illis sum descensurus. Vere non credimus de justitia, quod tantus ac talis vir pro sanctis operibus suis frustrari potuerit. Quod autem ait :

Putasne saltem ibi erit requies mihi? Istud est : si in hac vita pœnas patior infernorum, putasne in locis pœnarum erit aliqua requies mihi? Hoc autem gravatus miseriis loquitur, potius quam victus diffidentia : quia aliis locis ait ad Dominum : Scio quia in inferno protegas me : donec pertranseat furor tuus.

CAPUT XVIII.

Respondens autem Baldad Suites, dixit : Usque ad quem finem verba jactabis? intellige prius, et sic loquamur. Id est, quis finis erit hujus verbositatis, quasi non sit sincerus : vel solus Job a Baldad verbosus arguitur. vel quasi spiritu nescio quo instigatus loqui non desinat.

Quare reputati sumus ut jumenta, et sorduimus coram te? Hoc dicit, quod tamquam bruta animantia eos sanctus Job despexerit, et vilissimos et indignissimos colloquio existimaverit : et ita iracundia possessos, ut phrenesim pati viderentur.

Quid perdis animam meam in furore tuo? Loquendo contra divinam justitiam, fureris amentia concitatus, animæ tuæ necesse est inferas mortem.

Numquid propter te derelinquetur terra, et transferentur rupes de loco suo? Tamquam si diceret: numquid propter te mundus ad rectorem suum non pertinebit: ut si quos peccatores invenerit, sicut et teipsum, non puniat. Terræ vero et rupium nomine metaphoricos universa multitudo populorum, et excelsi quique mundi et superbi, ac potentes, possunt intelligi. Possunt rupes, et animæ hominum, ut terra, caro humana intelligi. Sed et angeli propter celsitudinem naturæ suæ eminentemque honorem, rupes dici possunt.

Nonne lux impii exstinguetur: nec splendebit flamma ignis ejus? Luce felicitatem præsentem quam sanctus Job gloriosus agebat, significavit, sicut et Salomon ait: *Lumen vero impiorum exstinguetur.* Hanc igitur exstinctam dixit: quando Job destitutus est omni felicitate præsenti. Quod autem ait: Nec splendebit flamma ignis ejus: id est, non redibit ad pristinam felicitatem.

Lux obtenebrescet in tabernaculo illius, et lucerna quæ super eum est, exstinguetur. Non solum, inquit, præsentem felicitatem amittet, sed etiam lux recordationis Dei, quæ erat in tabernaculo cordis ejus obtenebrabitur, ut ei Deus scilicet in memoriam non ascendat, et pro merito lucerna protectionis divinæ, quæ super eum fuerat, exstinguetur.

Arctabuntur gressus virtutis ejus, et præcipitabit eum consilium suum. Ut superbus confidens in virtute sua recte incedere arbitratur, concludetur tribulationum angustiis, et pressuris, ut inde omnino exire non possit.

Immisit enim in rete pedes suos, et in maculis ejus ambulat. Retis nomine atque macularum ejus, inevitabile malum significatur: quod volens quisque exuere, ipso conamine impeditur, atque implicatur ut corruat.

Tenebitur planta illius laqueo, et exardescit contra eum sitis. Laqueus hic ipse diabolus non absurde sentitur, qui ad supplantandum calcaneum, peccatores observat, et ipse nihilominus sitis nomine appellatur: eo quod velut in aliquo bono æstuans sitiat hominis mortem.

Abscondita est in terra pedica ejus, et decipula illius super semitam. Latet illum quibus insidiis perditus sive in semetipso pedicam, qua præpedit pedes suos, habet absconditam: id est, obligationem peccati, et in sævitia conversationis suæ, qua se recte putat incedere, erroris istius latet decipula.

Undique terrebunt eum formidines, et involvent pedes ejus. Sive dolores. Superbus scilicet terrore venturæ calamitatis semper terrebitur. Possunt etiam formidines, hoc loco non affectiones cordis intelligi: sed ipsi potius ministri diaboli. Hi igitur multis modis terrere sanctum Job, ut eis cederet, instituerunt.

Attenuetur fame robur ejus, et inedia invadat costas illius. Potest fames et ipse diabolus intelligi: qui hujusmodi famem patitur, qua numquam de necibus hominum saturetur. Sive et ipse famem patitur; A quia verbum quod procedit de ore Dei, accipere non meretur. Et idcirco sub nomine costarum; thoracis munimenta significantur: quibus se velut quadam obduratione construxit, ut eum cibus divini eloquii non adeat. Sive etiam impiorum plagam describit.

Devoret pulchritudinem cutis ejus, et consumat brachia illius primogenita mors. Pulchritudinem cutis, id est, ornamenta virtutum, et brachia, fortitudinem regni ejus, confecit diabolus: qui ideo primogenita mors appellatus est: quia per ipsum primum intravit mors in orbem terrarum, et ipse est suæ mortis inventor.

Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus, et calcet super eum quasi rex interitus. Hunc igitur interitum B diabolum esse dixit, qui est rex super omnes filios superbiæ: sed super sanctum Job, ut eum prosterneret, calcare non potuit.

Habitent in tabernaculo illius socii ejus, qui non est. Socii, sodales, sive filii, ut supra dictum est, ministri diaboli sunt: qui hoc loco non esse dicitur, et cum sit naturæ suæ proprietate subsistens, tamen non est, ut dixi: quia prævaricatione factus est alienus a Deo.

Aspergatur in tabernaculo ejus sulphur. Ut fumum hic sentiat gehennarum.

Deorsum radices ejus siccentur: sursum autem atteratur messis ejus. Messis opera possunt intelligi, quæ foras atque in publicum ex interioribus erumpentia, de fidei radice consurgunt. Aliter: Deor- C sum radices ejus siccentur, id est, opera, quæ in hoc sæculo perpetravit, inveniantur mortua, mortuisque ariditate similia. Sursum autem atteratur messis ejus; in futuro utique mercedem laboris sui minime consequatur.

Memoria illius pereat de terra. Id est, nihil memoria sua dignum operetur: vel etiam memoria ejus pereat de terra viventium.

Et non celebretur nomen ejus in plateis. In platea sedebant reges, inter quos optat eum famam justitiæ non mereri. Plateæ virtutes intelliguntur: in quibus sapientia fiducialiter agit, et circumit civitatem Dei Jerusalem: in qua sacramentis divinis atque mysteriis latum est Scripturarum mandatum. Vehementer igitur in his plateis ludent senes, et D anus, et infantes.

Expellet eum de luce in tenebras, et de urbe transferet eum. De hac utique luce temporaria mittetur in æternas tenebras inferorum: sive etiam de parte sortis sanctorum retrudendus in tenebras tormentorum.

Non erit semen ejus, neque progenies in populo suo. Hoc dicit, quod posteritatem indignam memoria gentis suæ, vel patriæ derelinquat; secundum illud psalmistæ: *Generatio rectorum benedicetur.* Talem igitur generationem in populo suo noluit procreare: unde in hac gente spirituali gloriaretur, et patria.

Nec ullæ reliquiæ in regionibus ejus. Manifestum

est, quod sancto Job nihil remanserit. Spiritualiter autem sic intelligendum: nullas reliquias generationis suæ habebit impius in futuro.

In die ejus stupebunt novissimi. Id est, in tempore damnationis ejus.

Et primos invadet horror. Id est, infimi et proceres terrebuntur: quod est, reges potentes et magni. Sive novissimi et primi, homines et angeli: sancti quoque et peccatores non absurde intelliguntur.

Hæc sunt ergo tabernacula iniqui, et iste locus ejus qui ignorat Deum. Enarrantis maledictionis sententiam videtur dare, et dicit, ubi hujusmodi superbus, scilicet, impiusque habitaturus sit: sed Job iniquus non est, quem rectum et innocentem Deus appellat.

CAPUT XIX.

Respondens autem Job, dixit: Usquequo affligitis animam meam, et atteritis me sermonibus? Manifestum est, quia responsionibus amicorum suorum attritus sit, et afflictus sive fatigatus sit, et destructus.

En decies confunditis me, et non erubescitis, opprimentes me. Dies decem, pro toto tempore nominavit. Sed quomodo in brevi numero, in Apocalypsi major numerus temporis intelligitur: ita et in hac eadem summa numeri minus significatur, ut hoc solido numero, et perfecto manente, pro diversitate locorum in Scripturis divinis, nunc majorem numerum, nunc minorem significari noverimus.

Nempe et si ignoravi, mecum erit ignorantia mea. At vos contra me erigimini, et arguitis me opprobriis meis. Putatis me, inquit, ignorare Deum, sicut et dicitis. Numquid amicos decet insultare oppressis, a quibus magis tribulantes solatia præstolantur? Non est hoc opus amicorum fidelium, sed est potius subsannatio irridentium.

Saltem nunc intelligite: quia Deus non æquo judicio afflixerit me, et flagellis suis me cinxerit. Ecce clamabo, vim patiens, et nemo audiet. Vociferabor, et non est qui judicet. Ille dicebat se inique sustinere molestias tormentorum: illi vero utpote iniquum pati suo merito loquebantur. Et putant quod in hoc articulo istius sensus erraverit, et ideo postmodum dicat ad Deum: Insipienter locutus sum, et quæ ultra modum excederent scientiam meam.

Semitam meam circumsepsit, et transire non possum. Qua rectus utique atque illibatus proficiscebar ad gloriam meritorum meorum. Hanc igitur ignominiam passionis hujus circumsepsit atque interclusit, ut ad illam gloriam pervenire non possim.

Et in calle meo tenebras posui. Id est, in tramite: hoc est, castigatæ viæ meæ, qua velut per arctum et angustum certa spe ad justum retributorem pergebam, tenebras in eo miseriæ hujus, et calamitatis inveni.

Spoliavit me gloria mea, et abstulit coronam de capite meo. Gloria me regni privavit: fidei quoque fiduciam abstulit: quam de ipso apice mentis meæ, qui est naturæ rationalis caput, velut honoris coronam detraxit.

A *Destruxit me undique, et pereo, et quasi evulsæ arbori abstulit spem meam.* Domo, regno, familia, filiis, amicis, sanitate corporis mei destitutus sum: ita his omnibus ablatis, perire me video cujus etiam spes vitæ meæ velut arbor ablata est.

Iratus est contra me furor ejus, et sic me habuit quasi hostem suum. Furor Dei hoc loco potest diabolus ipse intelligi, qui beatum Job diversis modis, id est, blasphemiis, et carnis ejus cruciatibus insectabatur.

Simul venerunt latrones ejus, et fecerunt sibi viam per me. Furor Dei, diabolus est; latrones vero ministri ejus sunt: hoc est quod ait, et fecerunt sibi viam per me: quando eum, vel facultatibus mundi, vel sanitate corporis spoliaverunt. Unde pulchre B dictum est:

Et obsederunt in gyro tabernaculum meum. Fratres meos longe fecit a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me. Dereliquerunt me propinqui mei, et qui me noverant obliti sunt mei. Inquilini domus meæ, et ancillæ meæ sicut alienum habuerunt me, et quasi peregrinus fui in oculis eorum. Servum meum vocavi, et non respondit: ore proprio deprecabar illum. Id est, foris insidiati sunt. Sive circumdederunt in gyro tabernaculum ejus: hoc est, in corpore ejus tormenta posuerunt. Animam vero inclinare ad peccatum non potuerunt.

Halitum meum exhorruit uxor mea. Ita totus intrinsecus putrui, inquit, ut halitus fetorem nec uxor mea sustinere potuerit: ubi potuit fieri, quod apo- C stema habuerit in visceribus, quod totum ventris ejus sinum tenuerit, et inde loquendo odorem fetidum de purulentia profundi vulneris expuerit.

Et orabam filios uteri mei. Stulti quoque despiciebant me. In Scripturis divinis, filii appellantur etiam pronepotes, et illi qui longiore serie nati sunt. Proinde quando filios uteri sui dixit, in se quasi ad fontem, et ad originem posteritatis suæ respexit: unde ei cognationum familiæ veluti rivuli manaverunt. Potuit et illos uteri sui filios dicere, quos doctrina sapientiæ suæ, tamquam semine de utero cordis sui formaverat, habens in se per gratiam Dei formam gratiæ, et disciplinam naturalis legis in veritate.

Et cum ab eis recessissem, detrahebant mihi. Abominati sunt me quondam consiliarii mei, et quem maxime D *diligebam, aversatus est me.* Hoc forte vult intelligi, se in eorum oblivionem venisse, et ab eorum affectibus et cordibus recessisse.

Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum. Ad tantam ariditatem caro ejus devenerat, ut nihil in eo humoris remanserit, et ob hoc agglutinata quodammodo fuerit pellis ejus ossibus suis: hanc infirmitatem marasmon dicunt medici.

Et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. Ad hoc enim diabolus, consumptis carnibus sancti Job, labia ejus integra dereliquit, ut haberet positus in tormentis, quibus posset facile blasphemare: quasi cordis blasphemia non sit: pro qua ipse Job sicut pro cæteris peccatis holocausta Deo pro filiis

suis die septimo offerebat. Sed ideo diabolus linguam reservavit, ut intelligere posset, si Job, ob cordis simplicitatem, blasphemiam proferret in labiis.

Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me. Manum ergo Domini appellavit ipsam plagam quam patiebatur, quæ facta est Domini potestate. Tetigit, pro afflixit, intelligendum est.

Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini? Fecit Deus circa me in judicio, cui soli licet omnia in opere suo: vos quare præsumitis sicut Deus, ut affligatis innoxium: quod ipsi tantum pro dispensatione sua competit, aut quasi dispensatione vestra indigeat Deus?

Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Quoniam a nullo homine potuit invenire solatium, convertit se ad Deum, et resurrectionem futuram prophetat in spiritu, ubi pro his malis præmium sit recepturus, et hæc duris insculpta lapidibus optat inscribi, ut sermones prophetiæ in ætates sæculorum prolixiores permaneant.

Scio enim quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum. Hoc igitur clypeo Ecclesia, quæ Incarnationem Unigeniti Dei veram confitetur, et resurrectionem mortuorum verissime credit futuram, se munit, et protegit, et inimicos suos convincit, atque debellat. Ubi sunt illi qui dicunt, nos in resurrectione alia corpora habituros? audiant istum virum; ore Dei laudatum, dicentem:

Quem visurus sum ego ipse. Ego ipse Job, qui in stercore jaceo, et totus vulnerum sanie computresco: ego, inquam Job, jam corruptus, atque vulneribus dissolutus, in hac carne mortali, incorrupta resurrectione futura glorificatus videbo Deum; et ut exprimeret ipsius sui corporis instaurationem, idcirco ait:

Et oculi mei conspecturi sunt, et non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Consummata sunt omnia in sinu meo.

Quare ergo nunc dicitis: persequamur eum? Utquid nunc agitis, ita ut tamquam vanum, nihilque credentem velut Deum non timeam: sive quia religione divina sim alienus, persequi velitis, aculeatis me vestris perfodiendo sermonibus.

Et radicem verbi inveniamus contra eum. Videtis ergo, quia mecum non ut veri amici fideliter agitis; sed ut dolosi de meis sermonibus mihi laqueos concinnatis: quandoquidem de ipsis verbis meis occasionem, velut quamdam radicem reprehensionis invenire cupitis.

Fugite ergo a facie gladii: quoniam ultor iniquitatum gladius est. Hoc dicit: si recesseritis ab impressione mea, gladium justæ sententiæ Dei poteritis evadere. Gladius est enim lingua regis, et non carnalis, ut Salomon dicit.

Et scitote esse judicium. Quo judicio justi judicis Dei patero de subsannatoribus judicari.

CAPUT XX.

Respondens autem Sophar Naamathites, dixit: Idcirco cogitationes meæ variæ succedunt sibi, et mens in diversa rapitur. Ideo, inquit, æstuo, et cogitatione conturbor: quia dicis te hæc mala sine causa a Deo judice sustinere, cum de Deo nihil sinistrum debeat suspicari.

Doctrinam qua me arguis audiam, et spiritus intelligentiæ meæ respondebit mihi. Audiam quidem te increpantem ac redarguentem me: quia forte in doloribus positum objurgare non debeam: mihi de Deo, quod est justissimum respondere convenit: quia non posses ab eo ita puniri, nisi esses malorum conscius, et multorum criminum reus.

Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram: quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ ad instar puncti. Jam nunc cœpit in sanctum Job maledictis invehi: quem et impium aperte asserit, et hypocritam, eo quod simulaverit se justum, et nunc in Deum rebellis exstiterit.

Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit. Manifesta et certa hyperbole, hominem elatum nimis, et tumidum dicit.

Quasi sterquilinium in fine perdetur, et qui eum viderant, dicent ubi est? Cui sterquilinio assimilatus es per omnia, et ipse te nunc conspicis putrefactum. Et qui quondam viderant te regnantem in gloria, nunc inquiunt insultanti voce: Ubi est ille sapientissimus hominum, et potentissimus regum?

Velut somnium avolans non invenietur: transiet sicut visio nocturna. Manifestum est sicut ait: Defecit velut somnium surgentis.

Oculus qui eum viderat, non videbit: neque ultra intuebitur eum locus suus. Id est, honor impii non poterit reparari.

Filii ejus atterentur egestate. Sive ergo carnales filii ejus, sive opera quæ aliquando filiorum nomine appellantur, sive illi qui eum tamquam patrem fuerint imitati, per Dei sententiam ad nihil redigentur, quod jam in filiis tuis, carnalibus operibus quoque tuis ex parte vides esse completum.

Et manus illius reddent ei dolorem suum. Hoc enim operatus est unde malum vindictæ, operante Dei justitia, recipere mereretur.

Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus. Hoc ait, quod a juventute sua, ex qua graviora peccata committere cœperit: in eisdem peccatis suis usque in senectam permanserit: pro quibus numquam voluerit pœnitere. Et idcirco sequitur.

Et cum eo in pulvere dormient. Id est, post mortem vitiorum quæ est in anima: sive usque ad mortem, quæ fit per resolutionem corporis hujus. Ossa ergo hoc loco ipsam senectutem non est absurdum intellexisse: quibus veternositas annorum, et durities senii jam prænatura significetur. Sive ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ, etc. Si quæ igitur vir-

tutes sunt animi in impio homine naturales, ab adolescentia ejus vitiis ejus inolescunt, et resolvuntur, aut defluunt, ut nihil in eis solidum, et forte maneat: quia jam eisdem vitiis tamquam carnibus fluidis videlicet rebus operiuntur, et obteguntur: ubi magis deberent virtutes, velut ossa solida, et firmissima, tamquam carnes fluidas et solutas vitia restringere, continere, et regere, et ideo in carnis ejus pulvere dormiant: quia repugnantibus vitiis atque vincentibus, rigorem bonæ suæ naturæ amittent.

Cum enim dulce fuerit in ore ejus malum: abscondet illud sub lingua sua. Dulcia mala sunt impie, blasphemia et cætera oris peccata. Abscondet sub lingua sua, dicens: ubi est ei labor et dolor, et defendet atque celabit, ut ait Scriptura: *Qui contegit iniquitatem suam, non prosperabitur.*

Parcet illi, et non derelinquet illud. Id est, palpat, fovet, et nutrit malum suum, et delectans se in illo, numquam pœnitet, ut ab eo discedat.

Et celabit in gutture suo. Illud dicere mihi videtur, quod semper sit ad blasphemandum paratus, et non prius saltem per aliquam moram cogitat quid dicturus est: quia jam paratam habet blasphemiam, quam cum maledictione cordis effundat.

Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Panis scilicet tota vita hujusmodi hominis, est delectatio peccatorum, dulcedo illecebrarum, et suavitas, quæ amara illi, et mortifera postmodum erit. Quod autem dixit in ventre ejus, hoc ait, quod etiam in corde suo pro iniquitatibus suis, amaros dolores, acerbos et nimios conscientia torquente patiatur.

Divitias quas devoravit evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus. Caput aspidum surget, et occidet eum lingua viperæ. Quod inique et violenter rapuit, et invasit, merito ei Deus pœnas illatis criminibus ejus reddidit: et ita extorquebitur ab iniquo quod injuste abstulerat. Angelus vero ille qui centum octoginta quinque millia occidit, videtur bonus angelus fuisse: quia angeli messores sunt: zizania ignibus æternis exurenda.

Non videat rivulos fluminis, torrentis mellis, et butyri. Amœnitatem sive delicias paradisi, affluentiam quoque ejus his nominibus significari noverimus: et reges hi qui non adversarii erant veritati, quod ipsi sint illi impetus fluminis, qui lætificant civitatem, non absurde intelligitur, manante scilicet de fonte, sive de flumine Scripturarum: sive eosdem apostolos hos impetus recte sentimus, exeuntes de fonte Evangelii ad irrigandas terras steriles populorum: quos etiam torrentes propter velociter effusam super omnem doctrinam eorum, intelligere debemus: quæ doctrina divina, melli propter eloquiorum Dei dulcedinem, et butyro propter simplicem, et innocentem eumdem cibum doctrinæ verissime comparatur: qui etiam in psalmo hanc dulcedinem impium non dicit habiturum.

Luet quæ fecit omnia: nec tamen consumetur. Illud A est, quia gehenna quædam perpetua incorruptio, et æterna perseverantia tormentorum est.

Juxta multitudinem adinventionum suarum, sic et sustinebit; quoniam confringens nudavit pauperis domum: rapuit, et non ædificavit eam. Juxta illud quod propheta dicit ad Deum: quoniam tu reddes unicuique secundum opera sua.

Nec est satiatus venter ejus. Ventrem hic appellatum puto quoddam receptaculum animæ, ubi cogitationes ejus quasi escæ ciborum reconditæ continentur, quem inexplicabilem dicit.

Et cum habuerit quæ concupierat, possidere non poterit. Quemadmodum, et tu ipse, qui justo Dei judicio omne patrimonium perdidisti.

Non remansit de cibo ejus, et propterea nihil perma- B *nebit de bonis ejus.* Inhumanitatis ei notam inurit, eo quod de abundantia mensæ suæ nulli peregrino, vel hospiti refectionem præbuerit: sed fallitur Sophar: quia sanctus Job dicit: Si comedi buccellam meam solus. Non remanebit de cibis ejus, quia non florebunt bona sua.

Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, et omnis dolor irruet super eum. Cum divitiis scilicet, et rerum omnium abundantia refertus fuerit, subitus ei interitus veniet: coarctatus miseria irruente atque conclusus, calamitatum cladibus æstuabit.

Utinam impleatur venter ejus, ut emittat in eum iram furoris sui. Quamdam capacitatem, vel sinum spatiosum ventrem animæ superius intelleximus. Hoc ergo dicit, quia jam cogitationibus iniquissimis C plenus est, usque ad summum oris sui blasphemia cumuletur: sive iram furoris ipsius diaboli animum non absurde sentimus, per quem probantur sancti.

Et pluat super illum bellum suum. Bellum præ multitudine sua, possunt intelligi adversariæ potestates. Istæ igitur bellum Deo inferunt, quando sanctos ejus oppugnant. Quod autem ait: Pluat super eum abunde, in eum calamitatis miseriam precatur effundi: sive homo impius qui bellum blasphemiæ infert Deo, recipiet opus suum.

Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum. Tamquam si diceret: Quando putaverit se leviores calamitates posse fugere, in atrociores incurret. Sive aliter: Si socios et ministros diaboli fugiat, incurret in ipsum principem tenebrarum, et cum sint illi re- D belles in malitia, fortes, et duricordes tamquam arma ferrea, in pejorem tamen auctorem totius mali, velut in arcum æneum impinget: quem puto ideo hoc loco arcum nominatum: quia vel maxime in insidiis, et dolo homines inopinantes interimere non desinit. Arcu enim inopinantibus plerumque tela jaciuntur. Et non liberabitur de manu gladii. Hoc dicit: quia non evadet diabolus mortem perpetuam.

Gladius deductus, et egrediens de vagina sua, et fulgurans in amaritudine sua. Quia diximus arcum, translato nomine, diabolum posse intelligi: qui dum inobedientia transgreditur terminos, et in superbia elatus metas sanctæ humilitatis transcendit: quasi de vagina beatæ habitationis justo judicio Dei eductus

atque expulsus est. Sive eductum de vagina, paratum semper ad interimendum fugientem se, significatum esse noverimus. Vulnerabit eum sagitta ænea. Æs diutinum est : huic metallo diabolus comparatur, eo quod ad interimendum numquam deficiat, nec senectute aliqua consumatur, qui etiam fulgurat, hoc est transfigurat se in angelum lucis.

Vadent, et venient super eum horribiles. Id est, socii ejus.

Omnes tenebræ absconditæ sunt in oculis ejus. Tenebræ in hoc loco intelligendæ sunt peccata, sive ea quæ commissa ab impio sunt, sive committenda sunt in corde ejus, et affectu, et cogitationibus latent : quæ ideo in secretis mentis ejus abscondita dicuntur esse, quia illis favet, eisque plurimum delectatur.

Devorabit eum ignis qui non succenditur. Hunc ignem non absurde intelligimus esse gehennam, qui non materiis quibusdam, et pabulis vivit, ut ardeat, sed per seipsum ut creatus est vigens, cuncta quæ ei injecta fuerint concremat. Ergo iste ignis devorabit impium qui tamquam rationabilis ita eum glutiet atque absorbebit, ut in eo æternis cruciatibus torqueatur.

Affligetur relictus in tabernaculo suo. Ob impietatem videlicet suam iniquus derelinquetur a Deo, ut in tabernaculo corporis sui pœnis perpetuis crucietur.

Revelabunt cœli iniquitatem ejus, et terra consurget adversum eum. In testimonium utique erunt angeli, et sancti homines, ut noverint quod pœnas justissime patiatur.

Apertum erit germen domus illius. In judicio Dei, quando impius condemnandus est, non solum omnes cogitationes cordis ejus : verum etiam principia interfectarum cogitationum, Deo pandenda sunt, atque clarius luce manifestanda.

Detrahetur in die furoris Dei. In die judicii mittetur in tenebras exteriores. Potuit et dies impia fuisse Job, quando plaga percussus est, et conclusit elocutionem suam, ut diceret :

Hæc est pars hominis impii a Deo? Hic quasi ex abrupto ostendit, quod in sanctum Job universa hæc dixerit. Quod autem sequitur :

Et hæreditas verborum ejus a Domino. Id est, operum retributio : alii ita verterunt, *Et hæreditas verborum ejus ab episcopo*, quia quemadmodum Dominus a dominatione rerum omnium scitur : ita episcopus eo quod superintendat in omnem creaturam, verissime dicitur. Non enim Deus perturbata mente commotusque puniturus est peccatores, cum sit incommutabilis, sicut ait ad Moysen : *Ego sum qui sum*, non solum sempiternus, verum etiam æternaliter mitis. Deinde ista de Deo anthropopathos dici intelligamus, non proprie secundum inconvertibilem substantiam ejus, sed translatis nominibus passibilis creaturæ ad creaturam non conditam, nec creatam, sed potius omnium conditricem.

CAPUT XXI.

Respondens autem Job, dixit : Audite, quæso, sermones meos, et agite pœnitentiam. Sustinete me, ut et ego loquar, et post mea, si videbitur, verba ridete. Post tanta convicia non est commotus, ut acerbe responderet : quin potius deprecans eos alloquitur, et ait, ut audientiam præbeant sermonibus ejus, quibus perceptis et cognitis, noverint se super tanta oris sui amaritudine pœnitere debere.

Numquid contra hominem disputatio mea est : ut merito non debeam contristari? Primum mihi illud est oneri, et valde molestum, atque horribile : quia non cum homine, sed cum Deo mihi causa loquendi est : cui castificatam justitiam exhibebam, ut mercedem hujus operis repensaret : Ecce nunc tamquam reus criminum omnibus affligor miseriis. Hic dicit se tristari, quia scit Deum nihil injuste operari.

Attendite me, et obstupescite, et superponite digitum ori vestro. Quod sit istud secretum, ut Deus bonus, et justus erga me taliter operetur : præsertim cum ejus testimonium de me bonum habeam.

Et ego quando recordatus fuero, pertimesco : et concutit carnem meam tremor. Cum enim plagam hanc cogito, quam juste vivens sustineo : Deique judicium, qui neminem insontem affligit, recordor, nimium pertimesco hoc ipsum optime scio, nullus patitur malum aliquod, nisi ipse permiserit. Nemini infert malum, nisi inferre ei ipse justissimum judicarit. Sed hæc Job contigerunt, ut appareret foris hominibus quod intrinsecus erat ante Deum.

Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis : propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt, et pacatæ : et non est virga Dei super illos. Bos eorum concepit, et non abortivit : vacca peperit, et non est privata fetu suo. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, et infantes eorum exsultant lusibus. Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos : et in puncto ad inferna descendunt. Qui dixerant Deo : recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens, ut serviamus ei? Et quid nobis prodest, si oraverimus illum? Et alius ita dixit : *Quare impiorum prosperatur vita?* Et alius dixit : *Quare non respicis ad iniqua agentes?* Respondete mihi, obsecro : Si ego impius, et immemor bonorum operum secundum justitiam, sicut vos affirmatis, hæc patior : quare impii vivunt, et sublevati sunt, confortatique divitiis? Hoc ergo, inquam, obsecro, respondete : Numquid vos, qui Deum contra me justum defenditis in hoc loco, injustum notatis : ut in me iniquus ultor sit, et in mei similibus clemens. Horum igitur de quibus nunc loquitur, finis et interitus erit mors æterna, et perditio inferorum.

Verumtamen quia non sunt in manu eorum bona sua : consilium impiorum longe sit a me. Quia pro hac gloria sua, et temporario flore, perpetua ignominia coram angelis induentur.

Quotiens lucerna impiorum exstinguetur, et superveniet eis inundatio, et dolores dividet furoris sui. Erunt sicut paleæ ante faciem venti, et sicut favilla

quam turbo dispergit. Lux vero justi semper: quia in hac nocte sæculi, lucerna fidei nullo vento tentationis exstinguitur, et illic ad gloriam sempiterni luminis præparatur. Lumen vero peccatoris intra breve tempus vitæ exstinguitur : quoniam transiturus est sicut umbra. Non erit, et veniet impiis, sicut Job ait, inundatio : id est, abundantia tormentorum. Quibusque dolores dividit furoris sui. Procul dubio Deus dolores dividit, dixit, pro hoc quod pœnas unicuique retribuet ut meretur.

Deus servabit filiis illius dolorem patris, et cum reddiderit, tunc sciet. Diabolo servat supplicium gehennarum, ut cum eo illi quos sibi exemplo malitiæ suæ filios fecit, pariter puniantur : quod Deo reddente, pater eorum diabolus tunc sciet, id est, tunc sentiet : quando cum filiis pœnas patietur æternas.

Videbunt oculi ejus interfectionem suam. Sive necem suam, ut alii dixerunt. Duplex enim tormentum est, videre pœnas quas sustineas.

Et de furore omnipotentis bibet. Ipse est calix aureus Domini in manu Babylonis.

Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se? Et si numerus mensium ejus dimidietur. De eodem diabolo dicit, de quo Salomon ait : *Impius cum venerit in profundum malorum suorum*, et criminum, desperatione *contemnit.* Jam enim novit se cum suis, qui sunt domus, et regnum ejus, perpetuo esse damnandum : quia nulla est ejus voluntas agendæ pœnitentiæ.

Numquid Deum docebit quispiam scientiam : qui excelsos judicat? Qui enim de excelsis atque sublimibus potestatibus angelorum habet justum judicium : quemadmodum a quoquam doceri poterit, ut in his quæ supra diximus, possit ejus judicium reprehendi?

Iste moritur robustus, et sanus, dives et felix : viscera ejus plena sunt adipe, et medullis ossa illius irrigantur. Alius vero moritur in amaritudine animæ suæ absque ullis opibus, et tamen simul in pulvere dormient, et vermes operient eos. Beatorum in hoc mundo, et infelicium in hac vita, communem dicit esse conditionem : Viscera, sive *intestina* ejus, ut alii dixerunt, plena adipe, et medullis ossa illius irrigantur. Alius vero moritur in amaritudine animæ absque ullis opibus : et tamen simul in pulvere dormient, et vermes operient eos. In hac igitur continentia sermonis hujus iste sensus est : quod in hoc mundo justi, et peccatores indifferenter vivant : sed hæc diversitas commutanda sit in futuro : sicut in illo divite factum est, et in Lazaro paupere.

Certe novi cogitationes vestras, et sententias contra me iniquas. Ergo recte definio, inquit, quod perspicitis : quia una sit in hoc sæculo, et peccatori moriendi conditio, et sancto. Qui tamen postea disjungendi, ut ad præmium mutentur justi : peccatores vero ad supplicium rapiantur. Vos vero in insontem iniquam datis sententiam.

Et dicitis enim. Insultantes mihi, meque irridentes. *Ubi est domus principis, et ubi tabernacula impiorum? Interrogate quemlibet de viatoribus, et hæc eadem illum intelligere cognoscetis.* Quia ergo de me ita sentitis, quod damnationis meæ nunc tempus advenerit : non ita est, quod definisse vos arbitramini : quia hæc Dei castigatio temporalis, non est æterna damnatio.

Quia in diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur. Qui et ad diem furoris Dei ducendus est, ut excipiat sententiam mortis æternæ. Sancti enim omnes recte viatores esse dicuntur, quia ut expediti, et alacres prætereundo sæculum, virili animo calcant terram suam, festinanter proficiscentes ad beatam patriam, mundi hujus iter laboriosum conficiunt. Hi ergo qui ascendunt ad populum peregrinum, sive succinctum, fidei utique cingulo, contra dissolutionem vitiorum lumbos mentis accingunt.

Quis arguet coram eos vias ejus, et quæ fecit, quis reddet illi? Videtur mihi, quod Job proprie de diabolo dixerit : licet et generaliter de omnibus peccatoribus possit intelligi. Quis hominum eum potest arguere propter viam ejus pollutissimam, per quam totum mundum ingredi fecit : aut reddere ei quæ creatura poterit quod meretur, nisi ille solus agnus Dei, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus.

Ipse ad sepulcra ducetur. Ad mortem videlicet tormentorum ; quam ipse hominibus intulit in Adam, et ipse ad inferos ducendus, ut illic perpetuo puniatur.

Et in congerie mortuorum vigilabit. Et licet damnandus ad pœnas ducendus sit : sed tamen morte hominum gaudens, ad intuendum eorumdem mortuorum congeriem, omni alacritatis instantia, in eorum interitu vigilabit : vel certe semper vivet in mortem.

Dulcis fuit glaries Cocyti. Cocytum inferorum fluvium esse dicunt. Nos autem in Scripturis divinis eumdem fluvium, torrentem, puteum, caminum, ignem æternum, lacum, stagnum, legimus et gehennam. Glarearum vero nomine ipsa officia tartarorum, ministros quoque pœnarum infernalium vinctos tormentorum locis existimo significari, et dictum est quasi per ironiam, eo quod desiderent illum, atque exoptent habitatores inferorum, ut puniat, et de ejus interitu saturentur. Vel certe dulcis fuit morti : quia tam innumeros ei populos acquisivit.

Et post se omnem hominem trahet. Qui imitatione exemplum ejus sequuntur : sive post se omnem hominem trahit, secundum prævaricationem humani generis in Adam.

Et ante se innumerabiles. Quod deceperit, et eos secuturus præmittit ad pœnas.

Quomodo igitur consolamini me frustra, cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati? In hoc versiculo omnem altercationem disputationis suæ conclusit : amicos suos, quod sine causa contra eum de prædicta ratione decertent, convincit : cum illi diffidunt impios, et peccatores in hoc mundo puniri, inter quos et ipsum condemnant ; ille convincit eos,

quod vel maxime in sæculo glorientur, qui sunt ad damnationis judicium deducendi.

CAPUT XXII.

Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit : Numquid Deo potest comparari homo, etiam cum perfectæ fuerit scientiæ? In suggillationem igitur Job ista dicuntur : qui sibi omnino arroget hæc se propria cordis sui sapientia loqui.

Quid prodest Deo, si justus fueris, aut quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua? Nemo justitia sua, et sanctitate Deum fecit meliorem, quoniam omnis boni fons atque origo, nullius bono eget, secundum prophetam qui ait : *Quoniam bonorum meorum non eges.*

Numquid timens arguet te, et veniet tecum in judicium? Numquid causa timoris Dei hæc est, ut timeat te Deus? forte ipse potens aliquando efficiaris, et coæqualis factus ipse resistas ei? Quæ risorie potius, et subsannantis sensu dicuntur.

Et non propter malitiam tuam plurimam, et infinitas iniquitates tuas? Non hoc timens arguit te, inquit, gravis plagæ hujus correptionibus : sed propter omnia mala tua, quibus studium commodabas. Quia ergo principale malum, id est, malitia Job plurimam habeat, unde cætera mala quasi in botro dependeant; subjungit, et narrat ea quasi per species singulas, ita dicens.

Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa. Hoc dicit, quod violenter, et hostili more aliena rapuerit, vel pignora injuste extorserit : sive per speciem justitiæ per calumniam exspoliaverit : et prægravatur crimen, quando dicitur, quod nec sanguini suo pepercerit.

Et nudos spoliasti vestibus. Quid vestitis feceris, hic apparet : apud quem nec nudus a rapinis tuis immunis inventus est.

Aquam lasso non dedisti. Manifestum est.

Et esurienti subtraxisti panem. Grave est non dedisse, gravius subtraxisse. Grande ergo peccatum, hospitalitatem in necessitate positis non præbere. Aperte autem Eliphaz mentitum scimus, cum inferius legamus quanta bona Job fuerit operatus.

In fortitudine brachii tui possidebas terram, et potentissimus obtinebas eam. Arguit nihilominus eum tamquam superbum, et tyrannum, qui non justitia et æquitate regni sui populos regeret : sed truculentis moribus tamquam virtute brachii, duro eos servitutis onere subjugaret, et nullus propter imperium suum durissimum, nisi conditioni suæ subditus viveret.

Viduas dimisisti vacuas. Qui eas destitutas, et tribulationibus affectas atque humiliatas, ad subveniendum audire noluisti : unamquamque earum vacuam dimisisti : quando id quod a te postulabat, non potuit impetrare.

Et lacertos pupillorum comminuisti. Si quid virium habuerunt, unde sustentari possent, tulisti, et eorum animas vitæ desperatione fregisti, vel non de-

A fendendo eos a malis hominibus : virtutem spei eorum, qua ad te respiciebant, comminuisti, dum eos passus es opprimi.

Propterea circumdatus es laqueis, et conturbat te formido subita. Hoc dicebat Eliphaz, quod ipse beatus Job malæ conscientiæ formidine turbaretur, et eadem formidine sibi subito veniente, usquequaque consternatus consilium patientiæ perdiderit contra adversa.

At putabas te tenebras non visurum, et impetu aquarum inundantium non oppressum iri. In tanta securitate iniquitatibus potens agebas, ut hæc mala meritorum tuorum reciproca tibi venire non crederis. Quibus tenebris miseriæ utique, et calamitatis, tamquam impetu aquarum inundantium repente depres-

B sus es, ut obscurato corde non videas, quod rectum esse patientia perdocet. Multis modis in Scripturis divinis, tenebræ appellantur, peccata, ignorantia, sive tribulatio, vel etiam obscuritas divinorum voluminum, nomine tenebrarum ponitur.

An cogitas quod Deus excelsior cœlo sit, et super stellarum verticem sublimetur? Et dicis : Quid enim novit Deus? Et quasi per caliginem judicat. Primum ergo Eliphaz sanctum Job criminatur, quod in Deum asserat ignorantiam cadere, et multa sint in creaturis suis quæ nesciat. Deinde quod judicium ejus affirmet incertum esse et dubium. Et idcirco per caliginem, id est, quasi verisimile quid judicat.

Nubes latibulum ejus : nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat. Idcirco autem hæc om-

C nia quasi ex sensibus beati Job esse confingit : ut eum non solum blasphemum, verum etiam quod ignorantem dicat Deum, locisque eum asserat contineri : quod utique grande sacrilegium est sentire de Deo.

Numquid semitam sæculorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui? Custodire cupis, pro observare dixit : hoc est, numquid actus, et vitam perditam consequi concupiscis eorum, qui in diluvio, et Sodomis, et eremo perierunt, vel eorum qui non credunt Deum humana curare.

Qui sublati sunt ante tempus suum. Ut Dathan et Abiron : vel illi qui subita morte perierunt.

Et fluvius subvertit fundamentum eorum. Imminente in se ira Dei, tamquam fluvii impetus, stabi-

D litas præsentis vitæ eorum subversa est : sive quasi fluvius superveniente pressura, fundamentum corporum eorum demolitum est, ut vitæ eorum parietes corruerent.

Qui dicebant Deo : recede a nobis. Propter apostasiam ergo damnati sunt. At non talis est Job, qui dicit, etiamsi occidat me, in ipsum sperabo.

Et quasi nihil possit facere omnipotens æstimabant eum, cum ille implesset domos eorum bonis. Non timuerunt ergo impii, ne propter peccatum offensam Dei, et bona quæ ipse præstiterat, vindictam suppliciorum incurrerent.

Quorum sententia procul sit a me. Et sanctum

blasphematorum in numero ponit, quem ita ut eosdem detestatur.

Videbunt justi, et lætabuntur. Sive ut alii dixerunt, ridebunt : de abjectione infidelis populi loquitur.

Et innocens subsannabit eos. Quomodo hoc et de sanctis ejus non potest dici? quando vident peccatores justo Dei judicio condemnari : videbunt et lætabuntur. Placet enim illis Dei justitia, sicut et ipsi Deo. Sed Eliphaz eum hic fortassis recte dixerit, male opinatus est, ut beatum Job impiis, et peccatoribus comparet.

Nonne succisa est erectio eorum? Superbia utique illorum et contumacia, supradictis pœnarum exemplis succisa est, et perpetuæ perditioni tradita.

Et reliquias eorum devoravit ignis? Reliquias etiam dixit, extrema quæque peccaminum in die judicii punienda : quia in hoc sæculo, nulla pœna gravissimos peccatores ita ut digni sunt damnat. Sive reliquias posteritatem malorum hominum intelligere possumus : quæ imitando eos tamquam patres eorum reliquiæ appellentur. Sive in bonam partem ponuntur : secundum illud : *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi; et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi*, ut cogitatio hominis ad confessionem pertineat peccatorum : reliquiæ vero sunt ipsius confessionis æterna remuneratio : qua indultis sibi peccatis, velut in die festo spirituali lætitia perfruatur. Possunt reliquiæ et novissima intelligi : juxta illud, *Reliquiæ impiorum peribunt.*

Acquiesce igitur ei, et habeto pacem, et per hæc habebis fructus optimos. Hortatur sanctum Job, ut se jam cogitet emendare, et dat consilium non quærenti, ut per patientiam convertatur ad Deum. Et ita post bellum instantis sibi horribilis plagæ, posset habere incolumitatis pacem.

Suscipe ex ore illius legem, et pone sermones ejus in corde tuo. Sive dictum : id est, audi quæ præcepit, et conserva.

Si reversus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis. Si te factorum tuorum pœniteat, ædificaberis : id est, quotidie vallatus divina custodia munieris. Dissimulantibus agere pœnitentiam, hoc exemplum egregium proponendum est : necessaria enim hæc cohortatio est, qua possunt peccatores gloriam perditam reparare.

Et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo. Si te emendare volueris atque corrigere, tibi ascribet Deus, quod longe facias a te iniquitatem tuam : cum eam a te potius ipse elonget. Sive ipse diabolus iniquitas dicitur : hoc est, qui te in potestatem accipit, elongabitur.

Dabit pro terra silicem, et pro silice torrentes aureos. Hoc dicit : quod si propitiatio eum Dei in præceptis ejus firmissimis stabilierit, non terrenis rebus, et carnis voluptatibus operam dabit : sed magis ad fortitudinem virtutum proficiet, per quam possit ad affluentes cœlestium divitias pervenire : hoc enim metaphoricos Eliphaz ad sanctum Job dicit : quod si in saxo fortitudinis bonæ conscientiæ tuæ positus fueris, sensus divinæ sapientiæ tibi velut torrens aureus abundabit.

Eritque Omnipotens contra hostes tuos. Cum feceris, inquit, voluntatem ejus, habebis eum defensorem tui.

Et argentum coacervabitur tibi. Diximus aurum pro sensu accipi, et argentum pro eloquio justificationis. Ergo et mandata Dei atque judicia, ipsa sunt divina eloquia. Cum ergo conversus, in his fueris meditatione assidua commoratus, intelligentias diversorum sensuum disserendo, multiplex et copiose abundans eloquium coacervabitur tibi.

Tunc super Omnipotentem deliciis afflues. Deliciis utique spiritualibus supradictis repleberis, cum petitiones cordis tui gratia sancti Spiritus videris, et in gaudio mentis tuæ senseris adimpleri.

Et elevabis ad Deum faciem tuam. Liberam frontem ad deprecandum Deum attolles : sive jam non ream, neque incurvatam deorsum mala conscientia, eriges ad Deum animam tuam.

Rogabis eum, et exaudiet te, et vota tua reddes. Peccatorem te non potest exaudire, nisi eum prius pro peccatis tuis deprecatus fueris.

Decernes rem, et veniet tibi. Rem dumtaxat justam, sanctam, atque honestam quam a Deo petieris, obtinebis.

Et in viis splendebit lumen. Viæ tuæ actus tui boni erunt, et lumen tibi erit Dei notitia, Deique visitatio, atque protectio, quo actus viarum tuarum correcti illuminentur : ne forte per errorem inscitiæ in montes tenebrosos offendas.

Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria, et qui inclinaverit oculos suos, ipse salvabitur. Et Dominus in Evangelio : *Qui se humiliat, exaltabitur.*

Salvabitur innocens, salvabitur autem munditia manuum suarum. Id est, gratia bonorum operum, vel nitore. Antiqui ita dixerunt : *Erue innocentem, et salvaberis munditia manuum tuarum :* ubi retributionem videtur sonare, quod ait, erue innocentem : ut salvari possis innocentia manuum tuarum.

CAPUT XXIII.

Respondens autem Job, ait : Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, et manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum. Relictis infidelibus amicis, qui me calamitatis hujus miseriam juste pati definiunt, et addunt amaritudini meæ, totum me ad Deum convertam, et dicam ei pro conscientiæ meæ fiducia quæ sequuntur :

Quis mihi tribuat ut cognoscam, et inveniam illum, et veniam usque ad solium ejus? Intellectu se cognoscere Deum dixit : invenire quoque eum operibus bonis, et venire usque ad solium ejus, et futuri scientia, et cogitatione judicii proficiendo accedere usque ad ipsam contemplationem divinæ potestatis : quam utique mundi corde videbunt. Quod cor, mul-

tis castificationibus morum, sanctus hic Job purificatum se dicit habuisse.

Ponam coram eo judicium. Judicium, inquit, justitiæ tuæ ponam in conspectu Dei mei, secundum illud : *Ab ipso judicii ejus æquitatem requiram.* Tamen priusquam sit ejus in me finitiva sententia, multas ei proferam increpationes, quia cum ejus noverim singularem justitiam, quare justus patior tormenta, quæ iniquis impiisque potius debentur. Hoc ergo quod sequitur, ait :

Et os meum replebo increpationibus : ut sciam verba quæ mihi respondeat, et intelligam quid loquatur mihi. Id est, justi doloris querelis.

Nolo multa fortitudine contendat mecum : nec magnitudinis suæ mole me premat. Proponat æquitatem contra me, et perveniet ad victoriam judicium meum. In mole majestatis ejus, horripilationem intelligamus, non aliquid corporeum : quia Deus spiritus est. Certus sum, inquit, quia istas afflictionum miserias, ipso utique judicante, patebit me nullo peccatorum merito sustinere; hinc ait : Perveniet ad victoriam judicium meum.

Si ad orientem iero, non apparet : si ad occidentem, non intelligam eum : si ad sinistram, quid agam? Non apprehendam eum. Si me vertam ad dexteram : non videbo illum. Ipse vero scit viam meam, et probabit me quasi aurum quod per ignem transit. Dum partes mundi enumerat, dicit eum habitare ubique totum ; sibi tamen omnino esse invisibilem confitetur, eo quod non subjaceat ejus divinitas obtutibus creaturæ. Deum vero omnem viam conversationis ejus ait, quia optime noverat.

Vestigia ejus secutus est pes meus : viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea. A mandatis labiorum ejus non recessi, et in sinu meo non abscondi verba oris ejus. Hoc est, quod custodiri voluit, custodivi.

Ipse enim solus est, et nemo avertere potest cogitationem ejus, et anima ejus quodcumque voluit hoc fecit. Hoc est, quia inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus.

Cumque expleverit in me voluntatem suam, et alia multa similia præsto sunt ei. Cum jam me quibus voluit tormentis affecerit, et alia adhuc quanta voluerit mihi infligere poterit, quem insensibilia sicut sensibilia contremiscunt.

Et idcirco a facie ejus turbatus sum. Mente scilicet sentiens, et ex parte intelligens.

Et considerans eum timore sollicitor. Id est, horripilatione majestatem illius pertimesco.

Deus mollivit cor meum, et omnipotens conturbavit me. Cor resolutum a pavore nimio, et timore, hoc loco dictum noverimus, non quod a duritia incredulitatis ad fidem suscipiendam mollitum sit, cum magis ipse Job per fidem fortis in Deum manserit. Unde sequitur : Omnipotens conturbavit me ; hoc quod supra.

Non enim perii propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo. Ipsas calamitatis suæ mi- A serias, tenebras appellavit, quas velut ruinas subito imminentes, sibi dicere voluit, eis tamen insistentibus sibi, ait, desperatione non perii : nec faciem mentis meæ infidelitas excæcavit, vel negatio Dei.

CAPUT XXIV.

Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora; qui autem noverunt eum, ignorant dies illius. Illi vero qui sentiunt, et intelligunt Deum, dies æternitatis ejus ignorant. In qua æternitate nec tempora, nec dies, qui in temporibus sunt, inveniuntur, ubi unus æternus est dies. Sive aliter : Omnia novit quæ nunc loquor, vel patior.

Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges, et B *paverunt eos.* Id est, transtulerunt greges, et comederunt. Manifestum est secundum litteram. Videamus nunc secundum mysticum intellectum quid significet. Terminos transferentes : id est, statuta Ecclesiæ convellentes, hæreticos esse significavit, qui novitate doctrinæ perversæ, evangelicæ legis, et apostolorum terminos præfinitos excedunt, et ita deceptoria persuasione diripiunt greges dominicos : id est, populos credentes in Christum.

Asinum pupillorum abegerunt, et abstulerunt pro pignore bovem viduæ. Subverterunt pauperum viam, et oppresserunt pariter mansuetos terræ. Pupilli quidem sunt teneri, vel infantes in fide, vel qui Deum Patrem non habent, ut ab eo contra adversarios defendantur. Quorum animum, velut ju- C mentum forte ac necessarium, ad Deum in se per fidem portandum, hæretici prædonum more ab eis abigunt, dum eos fallaciis suis, virtute animi spoliant sive gentilem sensum, immundi utique animalis nomine dictum, ab eis quidem auferunt, dum sub prætextu veræ religionis, eos in perfidiam ducunt. Viduæ etiam illæ sunt animæ, quæ virum, Deum suum, et Dominum amiserunt : a quibus hæretici pro pignore perfidiæ, utique confessionis, per quam falsis eorum adinventionibus initiantur, et debitores eorum efficiuntur, sanctarum virtutum munditiam, et utilia animi opera auferre conantur. Pauperes quoque in hoc loco illi intelligendi sunt, qui testimonio fidei destituti sunt. Alii sunt divites in fide : horum religionis viam, qua ad Deum redire po- D terant, suis erroribus hæretici subverterunt. Mansuetos autem hic illos esse sentiamus, qui constantiam inimicis suis non habent resistendi, et propter ignaviam animi sui facile seducuntur. Hi ergo multis errorum dogmatibus, et diversis errorum superstitionibus opprimuntur. In bonam vero partem viduæ sunt, qui se mortificant cum vitiis : pauperes, apostoli sunt. De isto numero hæretici auferre conantur : dum pauperes sanctorum aliquos persuadent, vel mansuetos circumveniunt, qui eis resistere non possunt, sed et patienter pro simplicitate audiunt : illi vero eos nituntur exstinguere.

Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum, vigilantesque ad prædam præparant panem

liberis. Violenti sunt, qui publice rapiunt. Prædones et latrunculi sunt, qui de occultis ad opera sua exeunt, utique non Dei.

Agrum non suum demetunt, et vineam ejus quem vi oppresserunt, vindemiant. Ager, sive vinea, uniuscujusque hominis quidam modus vitæ est, quæ ab unoquoque colitur, quando sordes et quidam frutices vitiorum mundantur, vel etiam exstirpantur. Quia ergo hujus culturæ diligentia minime prodest, quando omne bonum naturæ non ad fidem refertur: quia *justus ex fide vivit*: prædicti idolorum cultores opprimentes fidelium, quamvis honeste viventium, corda eos velut quadam ratione seductionis in errorem inducunt: dum quasi agrum eorum, sive vineam, dissipando fruges eorum, violenter abripiunt.

Nudos etiam dimittunt homines, indumenta tollentes. Dum eos operibus bonis exspoliant.

Quibus non est operimentum in frigore. Illos utique exspoliant, qui charitatis Dei non habent vestimentum, et idcirco in infidelitate algent: quia spiritus ferventis tunica indui non merentur.

Quos imbres montium rigant. Hos ergo per miseriam destitutos domibus suis dicit: quandoquidem eos montium cavernis, et umbraculis operiet, et quanta sit eis in ipsis montibus necessitas commorandi, describit. Quos imbres montium rigant, id est, aquis de ipsis montibus copiose fluentibus mundantur. Quos imbres montium rigant. Non imbribus cœli rigantur, sed montium extollentium se adversum scientiam Dei, quæ de cœlo est.

Et non habentes velamen, amplexantur lapides. Manifestius alii dixerunt: *Qui cum tegmen non habeant petra adoperiuntur.* Et non habentes velamen, amplexantur lapides. Hoc est, sine vestimento virtutum peccatis suis, et erroribus delectantur.

Vim fecerunt deprædantes pupillos. Ubi intelligitur quid habentibus fecerint, quandoquidem facultate tenuissimis non fuerunt miserti. Vim fecerunt deprædantes pupillos. Illos etiam qui notitiam aliquam secundum naturæ bonum habent, quam defendere non poterant; fragili animo et puerili viventes: suasionibus pravis, vim inferentes prædati sunt.

Et vulgum pauperem spoliaverint. Multitudinem quoque populi vilem actibus, et inscitia pauperem: si quid fortassis habebat justitiæ, aut etiam innocentiæ naturalis, dum in majus erroris sui malum pertrahunt, prædictis bonis spoliaverunt.

Nudis et incedentibus absque vestitu, et esurientibus tulerunt spicas. Nudis fide, Deique custodia destitutis, vestimenta quoque spei, et charitatis divinæ, cæterarumque virtutum excubias non habentibus, quibus animæ exornantur: etiam spicas, in quibus divinam notitiam adopertam habent, abstulerunt: ne esurientes scientiam Dei, quandoque retecto velamine, possent ipsam nudam veritatem tamquam panem alimoniæ vitalis accipere.

Inter acervos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt. Hoc malum est magnum, et iniquissimum, ut sub labore, et fructu aliorum alii requiescant, et inebrientur vino eorum qui, collectis vindemiis suis, sitiunt. Inter acervos eorum meridiati sunt qui, calcatis torcularibus, sitiunt. Sublatis igitur spicis, per figuram intra se divini nominis notitiam continentibus, quando ex eis hi qui habebant eas plena cogitatione, solidum cibum conficerent: seductores violenti inter bona eorum opera quasi inter acervos gloriantes requiescunt, sibique tribuunt. Si quis gentilium virtutes secutus fuerit naturales, de quibus tamquam seminibus, in se operum acervos constituat: ipsi tamen seducti, calcata virtutum vindemia, et expressa, sitiunt: quia veritatis poculum apud eos, a quibus in errore abstracti sunt, non invenerunt.

De civitatibus fecerunt viros gemere. Non solum, inquit, illos qui sine munimine habitant spoliant, et dominatu duræ superstitionis affligunt: verum etiam et eos qui civitates mentium suarum bonis moribus munitas inhabitant, pugnando errorum arietibus subruunt. Quod et multis philosophis contigisse manifestum est: qui cum magni et clari circa corporum suorum fuerint continentiam, cum gemitu tamen et labore nimio ad veritatis notitiam pervenire non potuerunt.

Et anima vulneratorum clamavit, et Deus inultum abire non patitur. Deus vocem implorantium inultam abire non patitur, quin ultionem tribuat de erroribus: ut dum ad veritatem saucii peccatorum vulneribus convertuntur, convicta falsitas puniatur. Punit enim, quando eorum qui seducti fuerant conversionem destituit. Quod autem ait: Anima vulneratorum: pro consensu ad Deum clamantium intelligamus. Vastatorum autem tribulatio usque ad gemitum civitatem habitantium perveniebat. Vulnerati vero non solum intelligendi sunt: quorum corpora ab aliis transfodiuntur, verum etiam illi quorum animæ hostium timore nimio, velut gladio feriuntur.

Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus: nec reversi sunt per semitas ejus. Dæmones, hæretici, philosophi, sive etiam omnes impii intelligendi sunt, qui contra doctrinam Dei venire conantur, quia mandatum vitæ lux est, quia in natura lumen, lumen est quod per se est: tenebræ vero cæcitas cordis. Et proinde si cæcitas cordis, tenebræ sunt, recte exteriores tenebræ, pœnæ intelliguntur. Ut iniqui de peccatorum suorum tenebris, ad tormentorum tenebras projiciuntur: sic intus et foris Dei sententia consummata coram angelis Dei, induuntur sicut diploide confusione sua. Onagros vero qui commorantur in deserto: paganos quosque errore gentilitatis, qui in deserto veræ religionis sunt, intelligere possumus, eo quod jugo certæ religionis non contineantur. Hi igitur egrediuntur ad opus suum. Egredi namque dicuntur, quando affectus suos per doctrinas pravas in eos quos seducunt ostendunt. Ita enim omni solertia deprædantur vagas errore ani-

mas ut ipsi multitudini perditæ posteritatis suæ, velut alimentum panis lethalis doctrinæ, pertinaciam derelinquant.

Mane primo consurget homicida : interficit egenum et pauperem. Iterum mane dictum est, pro eo quod publice, et clara luce malum committitur, ut sit quasi gloria facinus operantibus, et secundum Sodomitarum exemplum, peccatum suum non absconderunt, sed prædicaverunt. Potuit et de iniquis judicibus hoc dixisse, qui ad hoc maturius surgunt, ut causam egeni, et pauperis muneribus corrupti prævaricentur. Sive aliter : Hic igitur homicida, recte hæreticus quisque sentitur, ex eorum numero qui animas hominum noxiis, et lethalibus sensibus interficiunt. Quod autem dicit, mane primo consurgit : illud est : quia cum hi qui cum nuper fide initiati sunt, matutinum habeant, id est, quasi principium sanctam religionem : sive ipsi matutinum effecti sint, cum de tenebris et filiis noctis facti sunt in Domino filii Dei; hi perfidiæ suæ venenum propinare festinant, ut eos decipiant. Sive aliter : Mane, Christus intelligendus est, ad cujus resurrectionem hæreses in Ecclesia esse cœperunt.

Per noctem vero erit quasi fur. Omnes sensus hæreticorum, nocti et tenebris comparandi sunt, quia lumen non habent veritatis. Ipsi etiam sunt adulteri, quia eloquia Dei casta adulterina interpretatione corrumpunt. Noctem vero ideo dictam puto, quia prævaricatores negotiorum secretum quoddam quasi tempus nocturnum, requirunt, quando munera pro causis prævaricatis accipiunt.

Oculus adulteri observat caliginem, dicens, Non me videbit oculus, et operiet vultum suum. Sive ut alii dixerunt *: Et latibulum faciei posuit.* Id est, cordis ejus oculus, oblivione excæcatus est, ut in ejus memoriam non ascenderet, quia omnium cogitationum, et operum humanorum malorum Deus est inspector et cognitor.

Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, et ignoraverunt lucem. Manifestum est, quod per diem hanc rapinam sua cogitatione disponunt, antequam ad ipsas facinorum tenebras veniant. Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi. Unusquisque hæreticus in pravitate doctrinæ consistens, non dulci et suavi sermone Evangelii, sicut imber placidus, et sicut ros cum silentio in animas descendit fidelium; sed aspero potius, et ad vulnerandum peracuto domos perfodit animorum. Hoc enim velut in die condixerunt sibi hæretici, ut omnes mortales jaculis doctrinæ noxiæ perfoderent, quando in Ecclesia adhuc, hoc est, in die veritatis positi hæreses facere condixerunt.

Si subito apparuerit aurora : arbitrantur umbram mortis, et sic in tenebris quasi in luce ambulant. Mox ut justitiæ sibi, et honestatis aliunde lumen cœperit apparere, et ingeri conscientiæ suæ malum : jam pœnas mortis se æstimant sustinere : quia justitia et sanctitas, ut ait Scriptura divina, odiosa est iniquo. Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis, et sic in tenebris quasi in luce ambulant. Si quispiam disputator exstiterit, qui contra eos lucem manifestæ veritatis enarret, convicti arbitrantur se incurrisse umbram mortis, et nihilominus in stultitiæ suæ tenebris, velut in luce sapientiæ gloriantur. Potest et diabolus homicida, fur, et adulter intelligi : quia ad decipiendum hominem factus est homicida, ut ait Dominus : *Ille homicida fuit ab initio.* Divinitatem quoque sibi per superbiam arrogando, quam præsumptione animi sui tentavit invadere, velut fur inventus est, qui aliena conatur auferre. Qui etiam virginalem illam, et castam dilectionem Dei amisit, dum adulterinos conatus contra Dei sui, et Domini amorem faciens, propria voluntate quæsivit. Hic igitur mane primo, id est, circa ipsam nativitatem protoplasti hominis, ad seducendum eum per ejus mulierem consurrexit, et eum tamquam egentem consilio, et pauperem, qui experientia minus cautus esset, deceptione insidiosæ persuasionis occidit. Noctem vero peccati ipse sibi operatus est : quando ad divinitatem invadendam, velut fur irrepere voluerat, dicens : *Super sidera cœli ponam thronum meum, et ero similis Altissimo :* et exinde cum suis, quos cœli sidera appellavit, nox et tenebræ, princepsque tenebrarum est appellatus. Et recte, quia Domini lumen amiserat. Hic jam in peccatorum suorum tenebris constitutus, vultum malæ conscientiæ suæ obduratione operuit, pœnitentiam non acturus : et idcirco divino lumine privatus, studet atque observat, ut ea quæ tenebris, et caligine sunt digna committat. Unde in his operibus vitam agens, fodiet sibi domos habitationum in inferis, cum illis suis ministris, cum quibus se adversus Deum, et creatorem erigere tentavit. Hi ergo ministri ejus, cum adhuc beati essent in illa æterna felicitate, in die illo utique sempiterno, qui non habet initium neque finem, in hoc sacrilegium tyrannidis sunt cum suo principe collocuti, et putaverunt, quod Deus qui est lux vera, sapiens et intelligibilis, hoc malum contumaciæ eorum impunitum relinqueret, ut non eos de illa beata atque gloriosa sede dejiceret. Et hanc puto dixit, ignoraverunt lucem : quod existimaverunt Deum hoc eis minime facturum, propter quod excæcatis mentibus, æternales tenebræ facti sunt : qui et potestates dicti sunt tenebrarum : id est, hominum peccatorum. Et hinc est quod cum nomen Dei audierint, contremiscunt : quod vocabulo auroræ significari putamus. Cogitatio ergo ejus, id est, diaboli, usque ad sermonem tantum pervenire potuit, non etiam ad effectum : non enim regnavit illic, et sic dejectus est statim, ubi voce prompsit quod cogitaverat, et deorsum præceps actus est. Unde consequens vidit, ut machinamenta cordis sui, quibus contra Deum moliebatur, ad persuadendum cæteris angelis sit locutus, et ita consentientibus multis, una quodammodo conspiratio fieret contra Deum, ut si ita videretur. Illud tamen immobiliter tenendum, nullo modo in silentio agi militiæ cœlestis officia, cum legamus angelicas potestates,

ante sedem Domini in laudem gloriæ ejus indefessis A vocibus personare, neque ullo modo Apostolus dixisset: *Si linguis hominum loquar et angelorum*, nisi sic essent, et angelorum linguæ sicut hominum: quamvis angelicæ dissimiles sint humanis. Est ergo aliquod atque ipsum valde magnum super diversitate linguarum inter terrigenas, et ministeria superna discrimen. Super qua re nos canonicus liber novi Testamenti, qui apostolica continet gesta, sufficienter instruxit.

Levis est super faciem aquæ. Quia non sunt de Ecclesia magna, id est, populo gravi et sancto, qui granis fecundi et optimi tritici comparatur, et qui in horreo æternarum mansionum condendus est, velut levis palea nihilque ponderis habens, quod ad prægravandos virtutum pertinet fructus, aquæ elemento supernatabit: ut auræ flatu tenui rapiatur. Sive aliter: Aquæ istæ hominum amantium hoc sæculum habent figuram: eo quod semper ad inferiora sint proclives, multum secum limi trahentes, qui in chaos inferorum, turbido pondere deponatur.

Maledicta sit pars ejus in terra. Qui enim in terra sanctorum, quæ est viventium terra, non fuerit, maledictus erit: sive maledicta sit pars ejus in terra, id est, in massa generis humani.

Nec ambulet per viam vinearum. Id est, ita maledicta sit ejus conversatio in terra hac, ut plebes Dei sive animas sanctas, quæ sicut vineæ plenæ fructibus fructiferæ sunt, non imitetur: neque per ipsas ambulet. Has enim vineas doctores tamquam cultores, doctrinis velut ligonibus colunt, ut vinum operum bonorum vindemient, quod in fide, id est, torculari Ecclesiæ pondere tribulationis expressum, flagrans per gratiam Christi, odore suavissimo cum virtute meritorum in apothecas domorum cœlestium recondatur.

Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium. Quasi duas gehennas sanctus Job dicere mihi videtur, ignis et frigoris, per quas diabolus, hæreticus, et homo impius commutetur. Forte in ipsa gehenna tali sensuum cruciatu fiet illis, qui in ea torquebuntur, ut nunc quasi ignem ardentem sentiant, nunc nimium algoris incendium, et pœnalis commutatio, nunc frigus sentientibus, nunc calor sit, ut quasi de loco ad locum transitus æstiment. Et fortassis inde Dominus ait in Evangelio: *Mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium.* Ut hic stridor dentium de rigore frigoris oriatur. Ubi et similitudinem quamdam ex nostris corporibus possumus invenire: in quibus nisi abundantia, quod est calidissimum, in typicis motibus intolerabilis rigor præcedit ignem febrium ardentissimum sequuturum, et dicuntur a medicis hæc duo quæ sibi contraria dignoscuntur, ex una fellis materia in homine procreari.

Et usque ad inferos peccatum illius. Peccatum impii et iniqui tam magnum est, et tam grave, ut eum deprimat ad infernum tamquam plumbum in aquis validissimis.

Obliviscatur ejus misericordia. Id est, qui non solum misericors, sed et misericordia dicitur: quia misericors a misericordia, et ideo quasi prototypon nomen, majus est, quam deductio nuncupata. Quicumque ergo sanctorum potest dici misericors, verax, et justus: nemo tamen eorum recte dicitur misericordia, et veritas, et justitia.

Dulcedo illius vermes. Per antiphrasim dictum, quod est, scatens vermibus moriatur. Et in Evangelio: *Vermis eorum non morietur.* Talis igitur dulcedo erit iniquis, et odientibus Deum.

Non sit in recordatione. Id est, ad veniam misericordiæ non perveniat, quod diabolo, et suis hæreticis et impiis futurum, de Scripturis sanctis ita didicimus.

B *Sed conteratur quasi lignum infructuosum.* Secundum illud: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Vel lignum, peccatum intelligamus quod per lignum accidit: per quod lignum diabolus addidit ad cumulum criminis, quod adversum Deum rebellis exstiterit, ut et hominem præcipitaret in mortem: unde jam et in æternum interitum condemnatus est: propter quod ipse diabolus lignum insanabile, et infructuosum potest dici: quia nunquam erit pœnitentiæ medicatione sanandus. De ligno autem vitæ, id est cruce, vel de Christo dicitur: *Secundum dies ligni, erunt dies populi mei.*

Pavit enim sterilem. Id est, nutrivit et fovit animas steriles, et infructuosas virtutibus.

C *Et quæ non parit.* Eas quoque animas ascensionis suæ delectationibus pavit, quæ cum possint de utero cordis bona parturire, noluerunt, sicut de hujusmodi ait David: *Noluit intelligere, ut bene ageret.*

Et viduæ bene non fecit. Viduam, animam sanctitatis viribus destitutam, quæ Deum virum habuerat, cum exhortatione noluit consolari, ut id ageret, quemadmodum posset reverti ad virum suum priorem.

Detraxit fortes in fortitudine sua. Alii dixerunt. *Et in ira evertit infirmos:* id est, fortes atque virtutum viros prostravit et detraxit.

Et cum steterit, non credet vitæ suæ. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbia: oculi autem ejus sunt in viis illius. Et cum in prosperis sit, nec sic quoque mordente conscientia putat, quod eadem felicitate perpetuo potiatur, cum D hujusmodi pertinacis, et duri animi sit, credens quod in illa vita sua tam perdite stare possit.

Elevati sunt ad modicum, et non subsistent, et humiliabuntur sicut omnia, et auferentur. Ad modicum autem dicitur, pro brevitate vitæ præsentis, in qua pro tempore exaltantur iniqui. Auferentur sicut omnia, id est, sicut illa quæcumque sunt partis adversæ, sive cum in fine sæculi ablata fuerint omnia temporalia.

Et sicut summitates spicarum conterentur. Quemadmodum enim summitates spicarum, res utique nimium fragiles, tanta facilitate comminuuntur, ut

ad nihilum deducantur : ita et hi de quibus locutus sum ut pulvis tenuissimus, sive ut favillæ lanugo erunt ante faciem Dei, cum fuerint contumelia confusionis attriti.

Quod si non est ita : quis me potest arguere esse mentitum, et ponere ante Deum verba mea? Quis enim ex vobis arguere me poterit : quia non ita sit futurum ut dixi : meque falsitatis convincere, qui asseritis quod omnia in hoc tempore reddat Deus peccatoribus quæ merentur, quod in meam potius suggillationem de studio contentionis ingeritis.

CAPUT XXV.

Respondens autem Baldad Suites, dixit : Potestas et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis. Numquid est numerus militum ejus? Convictus Baldad a beato Job dicente, in futuro magis Dei esse judicium, ad hæc se convertit ut diceret, apud eum est potestas et terror, id est, non jam exercet judicium, sed apud se repositum tenet ac reservat in posterum. Ipse tamen facit perpetuæ pacis concordiam in sublimibus, id est, angelis, sive hominibus sanctis suis, custodiendo eos, ne per aliquem lapsum peccati inimicitias offensæ cœlestis incurrant.

Et super quem non surget lumen illius? Ipse enim illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Numquid justificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Manifestum est, quod inopia respondendi, eadem quæ dixerant, frequentius repetant.

Ecce luna etiam non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus. Sub nomine lunæ, sive stellarum, angelos et supernas potestates intelligere possumus, qui ad comparationem divinæ reverentiæ, immundi et tenebræ possunt videri : ex eo utique, quoniam natura conditæ creaturæ, licet non peccent : capaces tamen peccati sunt : ut apparuit in aliis angelis ejusdem naturæ peccantibus. Sed post eos nullum angelorum peccasse, credendum est, quia omne liberum suum arbitrium in solius Dei charitatem verterunt : sicque immobiles facti sunt, persistentes in veritate, in qua prædictus angelus cum suis stare noluit. Proinde angelorum voluntas per amorem Dei facta est inconvertibilis, quæ in Deo est per naturam. Ideo illi soli incorrupto honor, et gloria. Potest et de his elementis dicere, quod ideo immunda dicantur, quia non semper luceant, vel quod corpora tantum illuminent, et non mentes, sicut Deus, qui utrumque facere consuevit.

Quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis? Si enim angeli, inquit, et cœlorum etiam corpora ad comparationem Dei, immunda esse dicuntur, quid putas, homo existimandus est, cum sit ipse putredo : filius quoque hominis vermis, ex eadem utique nascens corruptione qua vermis?

CAPUT XXVI.

Respondens autem Job, dixit : Cujus adjutor es? numquid imbecillis, et sustentas brachium ejus qui non est fortis. Cui dedisti consilium? Forsitan illi qui non habet sapientiam, et prudentiam tuam ostendisti plurimam. Quem docere voluisti? Nonne eum qui fecit spiramentum? Videns Deo injuriam fieri, justa indignatione commotus, in ipso initio sermonis sui Baldad Suiten durioribus arguit verbis, eo quod ita loqueretur, tamquam si Deus infirmus ac non habens ullam brachii fortitudinem, ejus egeret auxilio. Advertens igitur quia minor est participatio ad totum : gutta stillæ, perenni fonte : scintilla latens in cinere, igni divino, quo omnia concalescunt : lucerna corporis, soli justitiæ : testa, figulo : anima, Deo : unde mirans Job loquitur, quare ausus fuerit, ut eum a quo illi est esse, docere voluerit.

Ecce gigantes gemunt sub aquis, et qui habitant cum eis. Gigantes autem appellat Scriptura divina homines superbos, rebelles et contumaces. Diabolus quoque, et sui, propter superbiam translato nomine, gigantes nuncupantur. Quod autem ait, sub aquis gigantes gemere : ita inquit velut si dixisset, sub terra : id est, in inferioribus terræ : ubi inferi esse perhibentur, unde et ipsi inferi nominati sunt. Aquæ enim ejus naturæ sunt, ut sine terra esse non possint. Ecce gigantes gemunt sub aquis. Qui gemitus utique de doloribus, et squalore tartareæ habitationis eis nascebantur.

Nudus est infernus coram illo, et nullum est operimentum perditioni. Hoc dicit, quod scientiam Dei nihil latere possit. Et quod perditio, qui diabolus nobis non absurde sentitur, se non prævaleat abomnipotentia ejus abscondere.

Qui extendit Aquilonem super vacuum, et appendit terram super nihilum. Hoc sic intelligendum est : sive quod terra ex nihilo facta sit, sive nihil infra terram sit, quo terra sustineatur, cum ipsa universa sustineat, et ipsa innumerabiliter Dei virtute libretur, quia in ipso sunt universa, et ab illo omnia continentur. De quo Apostolus dicit : *Portans omnia virtutis suæ verbo.* Et quia aliquando in Scripturis per figuram Aquilo ventus, diabolus esse significatur : siquidem a Salomone Aquilo durus ventus dicitur : nomine autem dexter vocatur. A suis quippe dexter quidem dicitur, sed totus sinistri operis auctor est. Hic igitur super vacuum dilatatur, id est, super frigidos fide atque incredulos, quod est super inanes vera religione, et vacuos; atque ut eis velut rex dominetur, superextenditur. Rursum illi ipsi increduli, quos sanctus Job terræ nomine appellavit : super diabolum, qui a Deo nihil factus est, appenduntur, ut incerti semper sint, et imitentur caput suum membra, ut tamquam caput quod nihil dictum est, esse, super vacuum et nihilum appendantur.

Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum. Per has nubes in altitudine ipsa spatiosi aeris colligantur aquæ, sicut et alio loco de Deo ita legimus : *Cribrans aquas de nubibus suis.* Hoc igitur modo ligatæ dicuntur, quoniam non simul effunduntur in terram, sicut in diluvio factum legi-

mus. Spiritualis autem iste est intellectus, ut nubes sanctos doctores interpretemur Ecclesiæ, qui aquas Evangelii portant populis effundendas, et gubernandas a Spiritu sancto deferunt : ut irrigentur terræ populorum : et de hac cœlesti pluvia, virtutum fruges spirituali operatione multiplicentur. Quas aquas de superna abundantia defluentes, ligat Deus in nubibus suis : ut unicuique secundum capacitatem cordis sui, tantum doctrinæ, tamquam aquam effundat, quantum suscipientis possibilitas patitur : ne simul fortassis effusæ, obsint cordibus, minus valentibus abundantiorem suscipere doctrinam.

Qui tenet vultum solii sui. Sententiam judicii sui reservat in posterum. Justitiæ suæ, et pietatis sedem in omni creatura sua, veritatis gloria resplendentem Deus tenere dicitur, quod est manifestationem secretorum judiciorum suorum obvallare atque abscondere, ut Evangelium Christi in his qui pereunt.

Et expandit super illud nebulam suam. Secundum illud quod Dominus ait discipulis in Evangelio : *Vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum.* In objectionem quoque divinæ custodiæ suæ, expandit super ipsum bonum nuntium Evangelii, in nubem defensionis suæ, ut nullus posset ei quamvis acerrimus adversarius prævalere : de qua Apostolus ait: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt.*

Terminum circumdedit aquis : usque dum finiantur lux et tenebræ. Sub nomine aquarum κατὰ συνεκδοχὴν, quod est a parte ad totum, mundi finem mihi videtur dixisse, quia noctis ac diei vicissitudo præteritura sit. Sive de impiorum populis, vel de sanctorum tribulationibus, quæ aquarum nomine in Scripturis sæpe dicuntur. Hæ igitur aquæ a Deo terminum acceperunt, sive ut semper iniqui, et peccatores sint, sive ut non sinat fidelis Deus tribulationes pati sanctos suos supra quam sustinere possunt. Hæc ergo fient donec prosperitas, et iniquitas transeat impiorum, quæ hoc loco lucis et tenebrarum nomine significata sunt.

Columnæ cœli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus. Stabilitatem ergo solummodo permanentem in natura angelorum, columnarum nomine sentiamus, quia non solum immobiliter in sanctitate perseverantes sunt : sed etiam æternæ beatitudinis gloria speciosi. Nam de futura immobilitate hominum, ita ait Filius Dei : *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Sed et ipsa Ecclesia, quæ est sanctorum omnium congregatio, pro æterna sibi in Domino stabilitate, columna et fundamentum dicitur veritatis. Potest et de sanctis angelis ita intelligi : ut pro charitatis suæ ac dilectionis intuitu, columnæ dicantur, eo quod pro salute hominum curam gerant, pro quibus sunt pio affectu solliciti, quod eis quasi ad pondus cogitationum accedere videtur. Et secundum tropicos intellectus, cœli nomine significari Ecclesiam noverimus, in qua cœlorum mysteria celebrantur. Hujus itaque cœli, id est Ecclesiæ, columnæ sunt apostoli, et cæteri qui gratia simili sunt, qui portant ac sustinent diversarum persecutionum ingruentia sibi pericula. Et animæ hominum aliquando cœli intelliguntur. Harum animarum quas per metaphoram cœlos diximus : columnæ sunt cogitationes suæ : ipsis quippe anima sustinetur, et regitur : et ne ærugine peccati nutet ac titubet, consilii stabilitate firmatur. Quia hoc sæpius contingit humanæ fragilitati, ut ubi cautio minor intuentium est, impulsu peccati columnæ, id est, bonæ cogitationes in parte altera defigantur. Et idcirco tremunt ac pavent ad nutum minantis Dei : suum horrendum judicium prædicantis. Non enim cogitationes animæ istæ sunt propriæ, tamquam sibi natura inessent, quæ utique in natura existente sunt, et naturæ existentis ministerium, sine quibus natura rationalis non est : quoniam ut dixi, ipsæ per se non sunt, sed motus invisibiles sunt subsistentis naturæ.

In fortitudine illius repente maria congregata sunt. Quod in principio Genesis factum legimus.

Et prudentia ejus percussit superbum. Cui dubium est, quin principaliter diabolus sit hic superbus : qui tunc primum a Deo percussus est, quando eum de sede illa cœlorum beata atque sublimi deposuit, de qua propheta ait : *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum.* Spiritualiter, recte maria hæc, Judæorum, et nationum populos esse sentimus, quibus dominaturum verum Salomonem, David propheta ita pronuntiat, dicens : *Et dominabitur a mari usque ad mare.* De mari enim, id est, de gente Judæorum cœpit Evangelium Christi, quia de Sion exiit lex, et pervenit ad mare gentium. Hucusque ergo hæc maria populorum fortitudine ac virtute resurrectionis Christi, apostolorum Evangelistarumque ministerio cæterorumque prædicta, repente in unum Ecclesiæ corpus congregata, atque in unam copulam fidei sunt Christi charitate connexa.

Spiritus ejus ornavit cœlos. Legimus in principio Geneseos, quarto die a Deo stellas positas esse in cœlo, aut in firmamento. Spiritu etiam sancto, rationabiles cœlos ornavit : quos apostolos, et apostolicos viros intelligimus : qui multis Scripturarum locis, cœlorum nuncupationem consequuntur, secundum illud prophetæ : *Operuit cœlos virtus ejus, et prudentia ejus percussit superbum.* Christus Dei virtus, et Dei sapientia percussit superbum diabolum. Ili ergo sancti, a Spiritu sancto ita distincti sunt gratiarum donis, tamquam sidereis luminaribus.

Et obstetricante manu ejus, adductus est coluber tortuosus. Sancti ergo adornati verbo Dei, tamquam semen populis spargunt. Unde a timore Domini in utero spiritum salutis conceperunt, et ita manus, et sapientia Patris, Jesus Christus, animabus multiplici virtute fecundis, dignatione sua a sancto Job astare perhibetur, ut parturientibus filios venturi sæculi, obsequium quoddam adhibeat suæ pietatis, easque in persecutionem doloribus positas consoletur : ministerio quoque suo invisibiliter intrinsecus operante, adjuvet parturientes. Quia sine illo, nullus eos bonorum operum, quæ filiorum nomine superius

diximus, subsequetur effectus. Ipso igitur charitate misericordiæ suæ, qua nos multum dilexit, per hoc ministerium observante, et pietate ejus obstetricante, ut animæ sanctæ hujusmodi fetus edant, educitur ab eis, et de cordibus earum excluditur ille, in quo nihil est rectum, coluber tortuosus.

Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum ejus. Hæ sunt viæ Domini, de quibus ipse Salvator per Salomonem ait, cum de sua nativitate prædixit; *Dominus creavit me in principio viarum suarum in opera sua.* Creatus est ergo ipse Dominus Jesus Christus per Deum Patrem, ex Maria virgine, ad ostendendas et manifestandas mandatorum vias, a quibus opus Dei, id est, homo aberraverat.

Et cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus. Parvam stillam, hominem assumptum intelligamus, qui in psalmo Hermonim mons modicus appellatur. Et in Daniele lapis excisus, et fasciculus guttæ in Cantico Canticorum.

Quis poterit tonitrum magnitudinis illius intueri? Hoc dicit : si assumptio formæ servi, pene ineffabilibus mysteriis continetur, et ad comparationem assumentis Dei stilla permodica est ; quanto magis quisque non poterit tonitrum magnitudinis intueri : id est, ipsam divinitatem, quæ ideo tonitrui nomine dicta est : quia cum de excelso fama nominis ejus in Christo Jesu Filio suo terris insonuit, et hominibus hoc fragore terribili innotuit : nemo tamen eorum poterit totam divinitatis ejus magnitudinem intelligentia contueri : id est, illud, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.*

CAPUT XXVII.

Addidit quoque Job, assumens parabolam suam, et dixit : Vivit Deus, qui abstulit judicium meum, et omnipotens qui ad amaritudinem adduxit animam meam. Dum eum innocentem pœnas iniquorum pati permitit : amaritudinem quoque animæ ejus miseria præsenti replevit. Vivit Deus qui abstulit judicium meum. Secundum formam servi quam assumpsit, judicium voluntatis humanæ : et ex persona assumpti hominis dictum est : quo orans dicebat ad Patrem : *Mi Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* Et ideo judicium meum dixit, quia in se humani generis infirmitatem, in veritate suscepti hominis demonstrabat. Et omnipotens qui ad amaritudinem adduxit animam meam. Amarum erat poculum mortis, ad quod bibendum Salvator noster advenerat : de ipsius namque calicis amaritudine erat, quod ait discipulis suis : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Verbum autem *adduxit*, secundum Apostolum intelligendum est : qui de Deo Patre ita ait : *Qui proprio Filio suo non pepercit : sed pro nobis omnibus tradidit illum. Non enim nolens traditus est in mortem.* Alio loco de Salvatore idem Apostolus dicit : *Qui se tradidit pro peccatis nostris.*

Quia donec superest halitus in me, et spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem : nec lingua mea meditabitur mendacium. Absit a me justos vos esse judicem. Huc et illud pertinet quod de Domino in Isaia scribitur : *Quiesce ab homine, cujus spiritus in naribus ejus, quia excelsus reputatus est ipse. Donec* autem adverbium, secundum hunc intellectum quo de Salvatore nostro seriem intelligentiæ hujus texuimus, non ita ut sonat dictum existimemus, tamquam dixerit, Quoadusque est halitus vitæ hujus in me : id est, antequam moriar; sed *donec*, pro *semper* atque *perpetuo* hoc loco dictum esse noverimus. Sicut ait ipse Dominus ad populum per prophetam : *Ego sum, ait Dominus, et donec senescatis ego sum.* Non enim post senectutem hominum Deus non erit, cum eisdem potius senescentibus, Deus perpetuo maneat. Ad illud autem quod Psalmista ait : *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*; quid dicimus? quod postquam inimici subjecti fuerint, Christus non sessurus sit ad dexteram Dei Patris? et ubi erit illud quod ait angelus : *Et regni ejus non erit finis?* Propter quod *donec*, in talibus locis, ut dixi, pro *perpetuo* est intelligendum. Nec non et illud quo de Joseph, et beata Maria evangelista ait, *Non cognoscebat donec peperit filium.* Quis enim est super veneranda beatæ Mariæ virginitate ita blasphemus, ut hoc saltem audeat cogitare, ut post Deum Salvatorem, filium suum, illa virum cognoverit? Proinde secundum veritatem fidei catholicæ, *donec* et hic sicut supra dictum est, pro *semper* intelligamus. Ait ergo Dominus Jesus, quia semper halitus divinitatis in me est, quia secundum id quod homo sum, et in Deo conditus sum et creatus : habeo in me spiritum Patris mei, meumque substantialiter : sequitur ergo ita dicens : Donec deficiam non recedam ab innocentia mea. Quia ergo innocentiam non morum industria acquisivi, sed in ea ut natus sum, ita sum justus, et innocens.

Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Ego enim etiam si in his cruciatibus moriar, non recedam ab innocentia mea, quam vos quasi blasphemum in eis me asseritis perdidisse.

Justificationem meam quam cœpi tenere non deseram. Potuit hoc Salvator dicere, ut homo in Deum assumptus, cujus initium est secundum carnem ex virgine Maria : peccatum autem hominis, nec nascendo habuit, nec operando contraxit : et ideo solus veraciter dicit :

Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. Sicut impius, inimicus meus, et adversarius meus, quasi iniquus. Hoc loco omnis vita, præsens vita intelligenda est, quo tempore hæc dicebat : tamquam si diceret : Tota nunc conversatio mea irreprehensibilis est. Non enim reprehendit me cor meum in omni vita mea : id est, male suadentibus, ut et vos facitis ad blasphemiam hortantibus non consensi : quod et uxor ut facerem, suadebat. Non enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. Sicut impius inimicus meus, et adversarius meus quasi iniquus. Non enim voto maledicit, sed prophetando

prædicit, et secundum meritum loquitur hominum peccatorum : prædicens quid unusquisque permanens in peccatis recepturus ab eo sit. Nunc ad eum locum revertamur :

Quæ est enim spes hypocritæ si avare rapiat, et non liberet Deus animam ejus? Hypocrita, fictus in amicitia, vel dolosus intelligitur. Quantam vos cupiditatem, et quasi avaritiæ sitim patimini, inquit, in interitu meo, ut me votis jam in tartarum rapiatis? Super hac igitur nefanda voluntate ; quam spem veniæ ante Deum habebitis, si non acquiescetis Deo, ut vos in hac vita emendare curetis.

Numquid Deus audiet clamorem ejus ; cum venerit super eum angustia. In tempore itaque retributionis, quando impio ventura est angustia, nullum erit remedium peccatoribus : quia preces eorum Dominus in die ultionis non suscipiet.

Aut poterit in omnipotente delectari, et invocare Deum omni tempore? Is in Deo delectari poterit, et invocare eum, qui sibi bene conscius recte præsumit, et qui se talem exhibuerit, ut quolibet tempore mereatur audiri.

Docebo vos per manum Dei quæ omnipotens habeat, nec abscondam. Ecce vos omnes nostis, et quid sine causa vana loquimini? Hæc est pars hominis impii apud Deum, et hæreditas violentorum, quam ab omnipotente suscipient. Illa dicit quæ habet Deus in manu ac potestate, et in secretis judiciis suis.

Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt et nepotes ejus non saturabuntur pane. In filiis et nepotibus reliquam omnem posteritatem malæ generationis signavit. Aliquando in Scripturis, non solum carnali progenie ; verum etiam morum similitudine filii appellantur.

Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu, et viduæ illius non plorabunt. Hoc significare mihi videtur, quod per tempora ad summam egestatem, sive miseriam, proles impii hominis, sive generatio deducenda sit, et viduæ eorum præ nimio instante sibi malo, flere non poterunt.

Si comportaverit quasi terram argentum, et sicut lutum præparaverit vestimenta. Insatiabilem cupiditatem ac voraginem quamdam inexplebilis hujus impii dicit.

Præparavit quidem, sed justus vestietur illis, et argentum innocens dividet. Et Salomon ait : *Qui amplificat divitias suas cum usuris abundanti :* qui miseretur pauperum congregat eas.

Ædificavit sicut tinea domum suam, et sicut custos fecit umbraculum. His verbis hoc ait, quod homo impius frustra laboraverit : quandoquidem, vel cito transeuntibus rebus, vel tineis demolientibus, status illius domus comparatur. Aliter : Si comportaverit quasi terram argentum, et sicut lutum præparaverit vestimentum ; præparabit quidem, sed justus vestietur illis, et argentum innocens dividet. Ædificavit sicut tinea domum suam, et sicut custos fecit umbraculum. Hic ergo impius, quem diabolum esse superius diximus, in prævaricatione Adæ pretiosos quosque et claros viros, ut terram et lutum viles constituit, a quibus etiam virtutes, et bona naturæ velut vestimenta detraxit, et eorum aurum, quo divitiæ mentis significantur. Hi enim divitiis ad imaginem et similitudinem Creatoris sui pulchri facti fuerant, et compositi : qui eas auferendo ab eis, ad summam eos indigentiam vilitatemque perduxit. His igitur rebus homines comparantur, in Adam, ut dixi, seducti a diabolo, quæ in creatura mundi viliora videntur. Sed justus Dominus, et Deus noster, auferendo a diabolo prædicta spolia captivorum : ipsos quoque captivos liberans, quos inimicus in interitum præparaverat, Ecclesiam sanctam sibi exhibuit ex eis : mundans eam lavacro aquæ in verbo, atque eam sine macula, et ruga efficiens : id est, puram a peccato, et confessione fidei simplicem, pretioso induit vestimento. Argentum etiam quo perspicui quique, ut jam locutus sum, et clari mundi hujus intelliguntur : innocens Agnus Dei, et immaculatus dividit, cum credentes in beatam vitam et æternam gloriam mittit, et incredulos in perditionem mittit. Sive argentum clara et splendens eloquentia sæcularis, a mundo per Christum aufertur : ut credentium facundia, nitenti et puro eloquio, ejus Evangelium vestiatur ; quia quemadmodum animæ hominum virtutum vestibus induuntur : ita et sensus dum prædicatione Evangelizantium enuntiantur, quodammodo sermonibus vestiuntur. Ædificavit sicut tinea domum suam, et sicut custos fecit umbraculum. Ut tinea consumit, et demolitur habitaculum suum : ita et diabolus domum perditi populi sui in interitum ejus ædificat : qui habitationem sibi temporariam, et paulatim solubilem præparavit, possessurus æterna supplicia. Hic est ergo ille impius hypocrita qui avare rapit. In non convertente nulla spes veniæ erit, cum etiam super hæc, quadam avaritia sæviente rapiat homines ad interitum. Qui idcirco hypocrita dicitur : quia se transfigurat in angelum lucis : cujus etiam clamorem seræ deprecationis non est Dominus auditurus : cum intra pœnarum angustias fuerit coarctatus. In Deo quoque non erit ei de bono conscientiæ aliqua delectationis fiducia : sed nec in laudem confessionis eum poterit provocare, qui in similitudinem innumerabilium filiorum suorum divina sententia Dei gladio ferietur. Nepotes etiam, in quibus illi intelliguntur qui ab illis seducuntur quos prius diabolus ipse deceperat : nepotes, inquam, ejus non saturabuntur pane visionis Dei, utique famem inopiamque passuri. Quia omnes sancti contemplantes Deum, reficiendi ab eo sunt, et pascendi : quo nunc angeli saturantur. Reliquias quoque diaboli, extremam generationem ejus intelligere possumus, quæ similiter, ut ipse diabolus, et filii ac nepotes ejus, cum toto corpore populi sui in interitum sepelientur. Illæ quoque viduæ, id est, animæ quas vitiis suis, et illecebris voluptatum diabolus enervaverat, mollesque reddiderat, ut omnem fortitudinem, et virilitatem amitterent : nulla correctione ac satisfactione deflebunt, ut sal-

tem aliquando resipiscant ad Deum, quem tamquam virum amiserant, vitiis velut adulteris cohærendo.

Dives cum dormierit, nihil secum auferet : aperiet oculos suos, et nihil inveniet. Multis modis dives intelligitur in Scripturis divinis. Est dives facultatibus terrenis : sed si confidit in ipsis divitiis, cadet. Hic ergo dives cum in somno mortis fuerit, nihil de suis facultatibus secum feret : quoniam nudus venit nascendo : nudus revertitur in terram moriendo. Hic in resurrectione aperiet oculos suos, et nullum meritum boni operis inveniet. Judæorum quoque populus, propter innumerabilia divina beneficia : prophetarum quoque oracula, sive promissiones plurimas, et Dei ipsius frequens alloquium, dives est dictus. Unde eisdem Judæis ait Dominus in Evangelio : *Væ vobis divitibus.* Superbi quoque non habentes spiritus paupertatem, divites appellantur. Philosophi etiam, habentes facundiam, et scientiam mundialem, divites nuncupantur. Hi cum in die resurrectionis fuerint suscitati, nihil remedii quo salventur invenient. Hæreticus etiam quisque dives dici potest : quoniam multa immo omnia de sanctæ Ecclesiæ remunerationibus se habere præsumit : remissionem peccatorum, significationem spiritus, pignus etiam Dominici corporis, et hæreditatem cum sanctis angelis regni cœlestis. Hi ergo omnes sive quia crucis scandalum patiuntur, sive præsumptione cordis sui, ut in errore ambulent, veritatis tramitem reliquerunt. Sive quia obscuratum habentes intellectum, proprium liberæ voluntatis arbitrium : in infidelitate perdurant. Vel quia abominabiles facti sunt : exaltantes cor suum post somnium mortis, in resurrectione aperient oculos suos, et nihil invenient.

Apprehendet eum quasi aquæ inopia : nocte opprimet eum tempestas. Subitam egestatem prædictis divitibus, velut aquam superventuram significat, qui miseria, et inopinata sibi angustia, quæ tempestatis nomine dicta est, nocte, id est, repente dum nesciunt opprimentur : juxta illud Apostoli : *Cum dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.*

Tollet eum ventus urens, et auferet, et velut turbo rapiet eum de loco suo. Venti nomine, sententiam dixit, qua velut pulvis quisque eorum projicietur a facie terræ. Et ventus hic divinæ sententiæ urens dicitur, eo quod ad gehennæ uredinem ducit, sive compellit.

Emittet super eum, et non parcet. Ventus utique sententiæ Dei, sive ipse Deus per sententiam justitiæ suæ, mittet super eum pœnas : id est, meritum facinorum suorum suscipiet. Non enim parcet, cum reddet ei secundum opera sua.

De manu ejus fugiens fugiet. Et non tenebitur, inquit, manu Dei ut salvetur, de qua velut fugæ modo, veloci lapsu in ruina decidet. Quod autem ait, fugiens fugiet, sive ut alii dixerunt, *fuga fugiet :* pereuntem in perpetuum peccatorem significat, quia numquam sit revocandus ad vitam, et illic ei pœnitentiæ locus non erit.

Stringet super eum manus suas, et sibilabit super illum, intuens locum ejus. Alii dixerunt, *Plauget super eum manibus suis, et trahet eum de loco suo.* Nutibus quibusdam corporum humanorum, censuram indignantis Dei, et contra peccatorem divitem irascentis, hoc sermone describit : ubi et jam quasi sibilans indicet quam atrox illi pœnarum locus reservetur. Ad talem locum et Judas Iscarioth abiit.

CAPUT XXVIII.

Habet argentum venarum suarum principia, et auro locus est, in quo conflatur. Ferrum de terra tollitur, et lapis, solutus calore, in æs vertitur. Videtur mihi quod per ænigma et parabolam, sub horum nominibus metallorum, mores hominum, et virtutes animorum describat, minime ordinis observantiam, prophetarum more, custodiens. Argenti vero, et auri vocabulum, secundum auctoritatem Scripturarum, verbi eloquium et sensus animi indicare voluit. Hæc disserentes nos ita dicamus : Habet argentum venarum suarum principia, et auro locus est in quo conflatur. Venæ argenti : id est, initium eloquii ab animæ sensibus oritur : sensus vero aureus, rationis ac sapientiæ judicio fabricatur, et ut sit optimus, ab igne divinæ examinationis probatione conflatur. Fortitudo vero, quæ ferri nomine appellatur, est qua terram, id est, carnis nostræ malitiam in nobis tollimus : adversum eam contra nos militantem, et contra legem spiritus conversantem, rigore animi, et virtute repugnemus. Lapidis quoque nomine cordis figuratur durities, quæ per calorem et fervorem fidei resoluta mollescit : ut primum possit in se verba scribentis recipere. Deinde velut in æs quod canorum est, merito sanctitatis proficiens, ad laudes et gratias Deo offerendas, fidei soliditate perveniet.

Tempus posuit tenebris, et universorum finem ipse considerat. In Scripturis divinis, peccatores homines, dæmones et ignorantiæ atque tribulationes, sive peccata, pro modo, et locis tenebræ nuncupantur.

Lapidem quoque caliginis, et umbram mortis. Hunc lapidem metaphorice diabolum hoc loco intelligere possumus : qui propter errores suos quibus totum mundum involverat, lapis caliginis dictus est. Qui cum fortis et potens sit, per naturam qua est a Deo conditus : confidens per superbiam in virtute sua, et non in Domino, et Deo creatore suo, amiserit sapientiæ lumen, conversus in stultitiam et tenebras, et idcirco lapis caliginis dici potuit : secundum illud, *Stultus in tenebris ambulat.* Sicut ergo lapis caliginis diabolus nominatur : ita et umbra mortis dicitur. Quoniam hi qui se ab eo defendi ac protegi putant : æternis ut ipse diabolus gehennæ ignibus mancipandi sunt.

Dividit torrens a populo peregrinante eos, quos oblitus est pes egentis hominis, et invios. Hoc dicit :

invios, id est, errantes, et illos quos oblitus est pes egentis hominis, separabit torrens a populo peregrinante, eo quod oblitus eorum sit gressus. Sive præsens conversatio egentis hominis pedis nomine significata est. Oblitus est dixit, pro eo quod præmissus egens, non est Deum pro hujusmodi deprecatus, cum tamen eleemosyna Deum precetur, id est, ipsum opus bonum quod homo fecerit, quadam manifestatione sui loquatur ad Deum. Hoc ergo dicit sanctus Job, quod invios sine via veræ religionis viventes, et qui misericordiam pauperibus, quod est Christi fratribus non fecerunt, torrens ignis separet, simul et a sanctorum consortio dividet. Sive hic egenus proprie Salvator noster intelligitur, qui propter nos egenus, et pauper factus est cum dives esset. In pede quoque ejus, dispensationem, vel assumentis hominem, vel mundum ingredientis adverte. Unde propheta ait : *Existi in salutem populi tui.* Hi ergo qui dispensationem salutis suæ in Evangelio non receperunt, oblivioni dati sunt, qui credere per duritiam propriæ voluntatis noluerunt. Et idcirco invii dicti sunt, quia Christum, qui est via, non receperunt.

Terra de qua oriebatur panis, in loco suo, igni subversa est. Diversas res et obscuras connectit, ut cum superioribus inferiora non hæreant. Proinde mihi videtur, quia hoc loco terram Sodomorum describat, cujus abundantiam, et amœnitatem cum admiratione collaudet. Terra de qua oriebatur panis in loco suo, igni subversa est. Hæc terra potest et Judæa intelligi, in qua panis legis Dei, per doctrinam prophetarum populis nascebatur, qua amore Dei per fidem Christi carnalis legis intelligentia subversa est, et in rectos tramites, et spirituales sensus constituta, ut jam occidentem litteram non sequatur.

Locus sapphiri lapides ejus, et glebæ illius aurum. Per metaphoram dicit, quod in Sodomis uberrima fuerint omnia et optima, quæ etiam auro et pretiosis lapidibus comparentur. Locus sapphiri lapides ejus. Sic dicit ei Dominus per prophetam : *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris,* et reliqua. Hoc enim decore pretiosorum lapidum, id est, omnium Christo credentium per Deum Patrem, tunc adornata est Judæa, quando gentium populus ei per fidem Christi est copulatus. Locus sapphiri lapides ejus, et glebæ illius aurum. Lapides pretiosi, et aurum non in optima terra, sed in remotis, et squalidis inveniri dicuntur. Igitur secundum hunc modum Judæa sterilis fide, et infecunda virtutibus, habuit in se hos lapides pretiosos : id est, patriarchas et prophetas, et omnem sanctorum multitudinem. Locus sapphiri lapides ejus, et glebæ ejus aurum. Glebas sanctæ terræ Ecclesiæ, sanctos ejus propter fecunditatem bonorum operum appellavit, quos etiam et propter gratiarum divisiones, glebas sanctus Spiritus voluit nuncupare : quo auri merito censerentur, in quarum occultis venis tamquam animarum seminibus, sensus magni pretiosique nascantur.

Semitam ignoravit avis. Exitus plurimos in eadem regione multitudo habitatorum fecerat, et ideo forsan dixit, quod avibus præ frequenti hominum copia semitas intuendi, vel facultas illic respondendi incedendive non fuerit.

Nec intuitus est eam oculus vulturis. Quia tam condensis frutetis, et contiguis arboribus consita erat : ut eam aves desuper volantes depascere non possent. Semitam ignoravit avis : nec intuitus est eam oculus vulturis. Avem et vulturem, ipsum diabolum cum suis possumus dicere, qui semitam spiritualis intelligentiæ in Lege, et prophetis : hoc est, quæ in Judæam occulte prædicebantur, nosse minime potuerunt. Nec intueri aliquo vestigio scientiæ valuerunt, a sæculis dispensationis futuræ abscondita sacramenta. De quibus ait Apostolus : *Dei sapientiam loquimur in mysterio, quæ abscondita est : quam nemo principum hujus sæculi cognovit.* Semitam ignoravit avis : nec intuitus est eam oculus vulturis. Possunt hic duo populi intelligi non absurde, id est, Judæorum et gentium. Carnalis ergo Judæa fidem in Christo non habens : sed potius legis operibus vivens, eumdem Christum pro nobis factum semitam sive viam, qua reditur ad patriam, ut incredula ignoravit : propter elationem suam, qua se putabat legis operibus posse justificari. Avis dicta est, levis utique, et vaga : atque in ipsis operibus legis instabilis. Vulturi vero gentium populus ideo assimilari videtur : quoniam per errores mortuorum hominum discurrebat, et rebus mortuis pascebatur. Hi ergo Christum legis littera obtectum, et terram repromissionis per Christum futuram, opacitatis significationum umbraculis non potuerunt omnino perspicere. Semitam ignoravit avis : nec intuitus est eam oculus vulturis. Sub his nominibus, avis (*Al.* auri) et vulturis, inimicos Ecclesiæ intelligamus, qui tenebris obscuratum habentes intellectum, nescierunt semitam vocationis ejus, qua ad Deum ambulans per fidem revertitur. Quique diversis erroribus mortuorum hominum rapti, quasi volare arbitrandi sunt.

Non calcaverunt eam filii institorum. Hoc ait, quod ita fuerit terra Sodomorum omnibus bonis referta : ut nullius patriæ eguerit mercimoniis. Non calcaverunt eam filii institorum. Institores sive negotiatores prædicti intelliguntur. Nam negotiatores sunt mali et superbi : quod etiam ad ipsum diabolum pertinet : qui superbiam delictum maximum adinvenit. Et negotiator propter multitudinem peccatorum appellatus est, quæ sive ad se ipsum, sive ad perdendum hominem exquisivit. Isti igitur promissionis terram quæ mansuetis, et corde humilibus reservatur, ut in ea habitent, calcare non poterunt, quia nec quasi incolæ, per eam transeundi habebunt licentiam. Item aliter : Hæc igitur Judæa, cui hic panis doctrinæ ministrantibus prophetis, et sacerdotibus,

præbebatur in loco suo : suo utique, et non Dei ; id est, in loco delectationis suæ, ubi voluptatibus atque illecebris conflagrabat, igne vitiorum suorum ardens subversa est sicut dicit Propheta : *Omnes adulterantes, sicut clibanus corda eorum;* et in psalmo de ea dicitur : *Incensa igni et suffossa* manu operis sui exstirpata omnino, et effossa est. Licet possit ignis iste etiam super ultione peccatorum intelligi, sicut dicit Apostolus : Terra quæ spinas, et tribulos profert, reproba est, et maledicto proxima : cujus consummatio in combustionem. De quo igne iræ ait David : *Juvenes eorum comedit ignis.* Non calcaverunt eam filii institorum. Filii institorum, apostolorum discipuli, et apostolici viri intelligendi sunt, qui gentibus Evangelium prædicaverunt. Hi igitur Judæam, terram videlicet infidelium, ut ei annuntiarent Evangelium, non calcaverunt. De quibus dicitur in Actibus apostolorum : *Vobis oportuerat primum verbum Dei loqui, sed quia indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Sic itaque factum est istis Evangelizantibus verbum, ut mons Christus in mare gentium transplantaretur. Unde et in psalmo ait : *Et transferentur montes in cor maris:* id est, vel prophetarum, vel evangelistarum oracula, ad credituros gentium populos transferentur. Non calcaverunt eam filii institorum. Hi institores sive negotiatores reprobi sunt, et laude indigni, qui peccata peccatis, velut divitias sibi congregant : de quibus ait Apocalypsis : *Omnia clara et pinguia perierunt a te.* Hi igitur negotiatores circa divitias peccatorum, non calcabunt Ecclesiam, id est, non habitabunt in ea : quia sanctam eam, et immaculatam Dominus possidebit.

Nec pertransivit per eam leæna. Ob frequentiam innumerabilium populorum in Sodomis habitantium, bestiæ per medium regionis illius transire non poterant. Nec pertransivit per eam leæna. Leæna potest diaboli dominatio sentiri, sive superbia Judæorum. Quod autem dicit, non pertransivit: hoc ait : non recessit a Judæa, sed ibidem infidelis superbia permansit. Aliter potest, et de Ecclesia intelligi. In illa utique gloria virtutum suarum in loco necessario redemptionis suæ, in quo per fidem stat, igne subversa est : illo utique igne, de quo ipse Dominus ait : *Ignem veni mittere in terram.* Hoc igitur igne Ecclesia, id est, terra sanctorum, amoris Dei desiderio flagrans, subvertitur : ut eam carnalis concupiscentia non possideat. Hoc igitur modo subvertitur, ut in terra carnis suæ vivens, carnis in ea vitia moriantur, ut ait Apostolus : *Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis.* Nec pertransivit per eam leæna. Sive *leo*, ut alii dixerunt. Leo hic non absurde diabolus intelligitur, qui per sanctæ Ecclesiæ terram transire non potuit, eo quod gravibus persecutionibus eam vincere non valuerit.

Ad silicem extendit manum suam. Videtur mihi sanctus Job aliud ænigma protulisse, et propter so-

A liditatem suam, et fortitudinem, Christum secundum hominem, quem assumpsit, silicem posse significari, qui etiam petra et lapis, prophetis et apostolis dictus est. Deus ergo Pater extendit ad silicem manum suam, id est, Filium suum : per quem universa condidit : quem etiam dexteram, et brachium vocat, et ad suscipiendum hominem misit, ut Apostolus dixit ; *Deus Filium suum misit in similitudine carnis peccati.* Et idcirco in extensione manus, Dei Patris, et Filii ejus ad nos adventum significari noverimus, ac per eum sicut sequitur :

Subvertit a radicibus montes. Quos per metaphoram dæmones sive homines superbos esse recte sentimus ; quia principatus, et potestates palam triumphavit in semetipso.

B *In petris rivos excidit.* Duris scilicet præcordiis gentium, et nimia infidelitate constrictis : abundantiam gratiarum suarum largitus est, et velut rivos aquæ fluentes, uberem copiam doctrinarum tribuit. Hoc ipsum distribuisse intelligitur, quod scidisse memoratur, sicut ait Apostolus : *Alii enim per spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ.* Alii dixerunt : *Ripas fluminum disrupit :* ut illam doctrinam spiritualem Legis, et prophetarum de qua Isaias ait : *Qui sititis, ite ad aquam,* quæ in una gente tamquam intra quasdam angustias defluebat, quæ etiam Mosaicæ legis præceptis, velut quibusdam quasi riparum obicibus claudebatur. Hujuscemodi disruptis obstaculis, quasi de alveo legis super omnem terram Evangelio abundante diffudit. Aliter possumus C hanc terram Ecclesiam dicere. Unde ait propheta ; *Fluminibus scindetur terra.* Scindi vero eam atque disrumpi eo modo noverimus, quando se ad suscipiendum verbum Dei, capabilem præbet. Hanc quoque quamdam adapertionem capacitatis, quæ fit per obedientiam terræ rationem habentis, eorumdem fluminum impetus operantur.

Et omne pretiosum vidit oculus ejus. Eductis igitur rivis gratiarum Dei, vidit Deus quam immensa, et innumerabilia pietatis suæ beneficia. Vidit autem dixit : eo quod ante conspectum ejus adimpletio sive effectus suæ voluntatis, exstiterit in Ecclesia sua.

Profunda quoque fluviorum scrutatus est, et abscondita produxit in lucem. Hos igitur fluvios non ab-D surde singulos libros veteris Instrumenti esse sentimus : in quorum magnis latibulis erant Ecclesiæ sacramenta, quæ in tempora Salvatoris Deus Pater scrutatus sit : ad impletionem eorum omnia quæ prædicta sunt manifestans. Sive quia fluviorum nomine, populorum multitudines aliquando intelliguntur : quemadmodum Naum propheta ait : *Portæ fluviorum apertæ sunt :* Profunda fluviorum hoc loco, secreta conscientiæ hominum advertamus : quorum scrutator, et cognitor Deus est, qui in die judicii producendo omnia secreta cordium, reddet unicuique secundum opera sua.

Sapientia vero ubi invenitur, et quis est locus intelligentiæ ? Quod hoc quasi inquirens ait, difficilem

rem, et quævix invenitur, voluit indicare, immo quæ nisi a Deo demonstrante, nec inveniri posset ab homine, nec haberi. Quod et ipse Job in subsequentibus declaravit, ita dicens; Et dixit homini, utique Deus: Ecce timor Domini ipsa est sapientia, et recedere a malo intelligentia.

Nescit homo pretium ejus. Hæc dicendo, inæstimabilem esse sapientiam timoris Dei significavit.

Nec invenitur in terra suaviter viventium. Hanc igitur sapientiam timoris Dei non habet quisquam, nisi carnem suam crucifixerit cum vitiis et concupiscentiis, nisi vixerit ut Paulus apostolus, et omnes sancti, in tribulationibus, persecutionibus, angustiis, et pressuris. Et ideo suaviter dicti sunt vivere illi, qui nullo jugo disciplinæ teneantur, et effrenes ac præcipites in labem prorumpunt vitiorum.

Abyssus dicit, non est in me, et mare loquitur, non est mecum. Abyssum hoc loco infernum intelligamus, sicut dicit Apostolus: *Aut quis descendit in abyssum?* Et mare hoc sæculum, ut Psalmista canente cognovimus: *Hoc mare magnum et spatiosum.* Infernus ergo, et hic mundus sapientiam timoris Dei se non habere testantur. Loca dicit loqui, pro his qui in locis, vel mundi, vel inferorum sunt. Hic de illis loquitur, qui carnali conversatione mundi illecebris possidentur: hæc dictio prosopopœia appellatur, ubi persona loquentis cum loqui non possit, assumitur, et quod continet, pro eo quod continetur. Continet quidem hic mundus, vel infernus: continetur autem homo. Hanc ergo sapientiam non habet mare mundi istius, præter solam Ecclesiam, quæ propter sævientium fluctus inimicorum, insula dicitur in Scripturis, quemadmodum et navicula per figuram in Evangelio nominatur.

Non dabitur aurum obrizum pro ea: nec appendetur argentum in commutatione ejus. Hoc ait, quod nulla res quamvis pretiosa sit, possit huic sapientiæ comparari. Sive quia aurum in Scripturis, vel argentum, tropicus sensus, et sermo intelligitur, hoc dicit, sapientiam istam nullus pro merito sentire posset, aut eloqui.

Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonicho pretiosissimo, vel sapphiro. Diversis rebus, pretiosis, hæc sapientia divina præfertur. Hoc tamen sciendum, quod maxime in meridiano climate hæc metalla pretiosa nascantur. Et quia in India omnes idolorum cultores significantur: in qua colores, ut dixi, pretiosi, vel nascuntur, vel fiunt: id puto posse intelligi, quia in gentibus ubi timor veri Dei non est, fucata et quodammodo terrena religio sit: quæ sub prætextu nominis Dei in errorum mendacio, diverso ac vario sermonum colore velut pictura componitur, et quasi lapis pretiosus eloquio splendeat, sive nomine fulgeat deitatis, et India sive etiam Æthiopia, nigredinem, vel tenebras peccatorum significant: quæ specialiter in idolorum cultuis habentur.

Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri. Aurum vel vitrum, et etiam
A vasa auri, pretiosi quique, et clari intelliguntur: qui in hoc sæculo nomine dignitatis, et divitiarum gloria splendent: hi utique non habentes veræ religionis timorem, pro nihilo habebuntur: eo quod non possunt velut pro merito gloriæ suæ, ad commutationem sapientiæ singularis accedere.

Excelsa et eminentia non commemorabuntur in comparatione ejus. Etiam si excelsa sint, et plurimum eminentia quæcumque in creaturis sunt: ut sunt etiam angelicæ potestates, minima omnia, immo potius indigna memoria erunt, in comparatione illius, quæ fecit omnem creaturam rationalem Deo placere, eique sancto amore conjungi. Et ideo præfertur illis eminentibus excelsis timoris hujusmodi sapientia: quia sine illa nihil sunt ante Deum, sicut et ipse
B diabolus qui amisso timore divinæ reverentiæ, perdidit semetipsum.

Trahitur autem sapientia de occultis. Hæc igitur aliunde non potest nisi de supernis assumi, sive de intimis cordis affectibus, dono sancti Spiritus trahitur, ut propheta ait: *Os meum aperui, et attraxi spiritum*, ut videlicet sapiat homo Deum et timeat, ac recedere a malo intelligat.

Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, nec tincturæ mundissimæ componentur? Diversis modis, et diversis nominibus auri, ac supellectilis pretiosæ, sanctus Job dicit, quod timor Domini non possit ei ullo modo comparari.

Unde ergo sapientia venit, et quis est locus intelligentiæ. Interrogans requirit, et dicit: quod omnis
C creatura vel maxime sapientiam hanc ignoret.

Abscondita est ab oculis omnium viventium: volucres quoque cœli latet. Viventium mundo intelligendum est, de quibus superius ait, cum de hac sapientia loqueretur, nec invenitur in terra suaviter viventium. Quod autem dixit, quia hæc sapientia volucres cœli lateret, superbi, et leves, sive qui altum sapiunt, quod ad tumorem arrogantiæ pertinet, intelligendi sunt, sive spiritus mali, qui secundum parabolam Evangelii, jactum semen dominicum juxta viam comedunt. Hos igitur latere ait bonum timoris Dei.

Perditio, et mors dixerunt, auribus nostris audivimus famam ejus. Potest utroque hoc nomine diabolus dici, sive ille mors appellari potest, ut sui satel-
D lites perditio nuncupentur. Hi ergo dixerunt, quod famam timoris Dei audierint: non enim negare possunt, quia non audierint illam, cum in naturæ suæ bono inditam perceperint: sed per inobedientiæ malum, eam habere noluerunt.

Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum illius. Pro certo scit Deus, quod hæc sapientia properet ad locum utique quietis, et perpetuæ pacis: ubi per hanc ipsam sapientiam timoris sui, super quietum et humilem, et trementem sermones suos requiescere delectetur. Sive Deus intelligit viam ejus, quæ prædicatione Evangelii per omnes terras prolata est. Unde et sequitur de Deo dicens:

Ipse enim fines mundi intuetur, et omnia quæ sub

cœlo sunt respicit. Quis enim ambigit, Deum nosse A etiam ea quæ futura sunt? sed hic potius Deus cognitor futurorum illud inspexit, quod postea dixit ejus Apostolus : *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Hoc igitur modo, adventu suo nos visitando, fines mundi intuitus est. In his, inquam, temporibus nostris, in quos sæculorum fines devenerunt.

Qui fecit ventis pondus, et aquas appendit in mensura. Quando ponebat pluviis legem, et viam procellis sonantibus. Manifestum est, quia omnis creatura in manu et virtute potentiæ illius teneatur. Aliter : Ipsas gratias Spiritus sancti, quasi in ipso initio per apostolos accepit Ecclesia : quando factus est de cœlo sonitus tanquam advenientis spiritus vehementis. Ventos, sive spiritus Scriptura commemorat, B quos Deus largiendo de arcanis secretorum cœlestium prolaturus hominibus est, secundum prophetam dicentem : *Qui producit ventos de thesauris suis.* Aliquando hæ diversitates gratiarum, Spiritus sancti censentur nomine, dantis has gratias, secundum illud Apostoli : *Spiritus prophetarum subjecti sunt prophetis :* qui etiam propter operationem, et effectum divinæ sanctificationis suæ, pondus habere dicuntur, ut secundum uniuscujusque vires prædicatores verbi Dei aliis lac darent, aliis solidum cibum porrigerent, ubi dicerent, vel quibus dicerent. Inde ait propheta : *Dabo vobis imbrem matutinum et serotinum :* hoc est, novum et vetus Testamentum.

Tunc vidit illam, et enarravit, et præparavit, et investigavit, et dixit homini. Id est, in Ecclesia sua, C Deus futuram hanc sapientiam ante prævidit, quod totus mundus timorem illius habiturus esset.

Ecce timor Domini, ipsa est sapientia, et recedere a malo, intelligentia. Alter timor est, ne quisquam Deum offendat : alter vero si offenderit. Ille prior sanctus, et laudabilis, iste alius non habens charitatem sed pœnam. Proinde de hoc prædicabili timore dicit Psalmista : *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi.* De alio timore loquitur evangelista Joannes in Epistola sua dicens : *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Qui timor utique pœnam habet, quia dilectionis meritum non habet :

CAPUT XXIX.

Addidit quoque Job assumens parabolam suam, et dixit. Secundum superiorem regulam etiam istic intelligentiæ lineam ducimus, ut quando id quod sequitur in Salvatorem referri non convenerit, ad membrorum illius compagem sensum expositionis conemur inflectere. Et recte id fieri poterit, ut quod ipse Dominus caput Ecclesiæ suæ in se recipere non potest, de ejus corpore, quod est Ecclesia, sentiatur.

Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me? Optat ergo sanctus Job atque desiderat, ut jam de illo squalore, et cruciatibus liberetur, revertaturque ad illam gloriam pristinæ felicitatis, in qua aliquando, Domino prosperante, degerat.

Quando splendebat lucerna ejus super caput meum. Multis modis in Scripturis divinis appellatur lucerna. Hic vero potuit eam Job pro gloria temporali dixisse, quam a Deo acceperat, et quam in honoris potentia, et divitiis possidebat.

Et ad lumen ejus ambulabam in tenebris. Inter peccata utique, et ea quæ ignorabam, quasi inter aspera, et obscura vitæ hujus, ad lumen virtutum, vel consolationis illius incedebam.

Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, et quando secreto Deus erat in tabernaculo meo. Secretum suum, mentem suam ideo dicere voluit, quia illic tumultuosæ vitiorum turbæ minime perstrepebant.

Quando erat Omnipotens mecum, et in circumitu meo pueri mei. Quando Deum habebat in tabernaculo suo : virtutes ante eum stare tamquam pueri perhibentur, quæ ideo masculi appellantur, propter vigorem contra vitia resistendi : talibus ministris Job beatus ambiebatur.

Quando lavabam pedes meos butyro. Pedum vocabulo in Scripturis divinis, modus quidam humanæ conversationis plerumque intelligendus est. Lavabam, inquit, ab omni peccati macula actus meos, et cum innocentia et simplicitate versabar.

Et petra fundebat mihi rivos olei. Juxta hunc sensum Moyses ait : *Suxerunt mel de petra, et oleum de firmissima petra :* secundum delectationem volentium, ore sapiebat. Et cum petra illa Christum secundum Apostolum figuraret, oleo tamen isto dona Spiritus sancti, sanctus Job largiter sibi effusa voluit demonstrare. Hic est ergo oleum vivum, et verum, qui est Spiritus sanctus Patri et Filio consubstantialis. Hoc ergo oleo sanctus Job abundabat, quo et charitatis pinguedine replebatur.

Quando procedebam ad portam civitatis, et in platea parabam cathedram mihi. Manifestum est, quia Judæorum judices in portis sedebant, ut vindicarent populum.

Videbant me juvenes, et abscondebantur, et senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces, et lingua eorum gutturi suo adhærebat. Reverentiam pii, et sancti timoris, quam ei non solum D omnis ætas, verum etiam universæ potestates merito deferebant, his versiculis demonstravit.

Auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi, eo quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum, cui non esset adjutor. Tam sancta erat, ut ait, præsens conversatio ejus, quam fama referebat.

Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduæ consolatus sum. Pupillus, pauper et vidua, omne genus humilium atque afflictorum significat, quorum nullum sanctus Job præteriit, vel despexit.

Justitia indutus sum, et vestivit me sicut vestimento, et diademate judicio meo. Justitia, judicium rectum, misericordia, hæc erant animæ illius indumenta.

Oculus fui cæco, et pes claudo. Affectus pietatis A ejus atque misericordiæ in his sermonibus demonstratur, sive erant ignorantiæ tenebris lumen præbui veritatis, et claudicanti in viis Domini, recte viæ itinera demonstravi.

Pater eram pauperum, et causam quam nesciebam, diligentissime investigabam. Negotia causasque pauperum contra potentes suscipiendo, defensor eorum factus erat, et judex. Et idcirco ne aliqua adversantium parte opprimerentur, retectis eorum fraudibus, eas investigare dicebat.

Conterebam molas iniqui, et dentibus illius auferebam prædam. Hic velut rapacem bestiam et violentam hominem iniquum describit : de cujus ore substantiam pauperum vi abstulerit.

Dicebamque : In nidulo meo moriar, et sicut palma B *multiplicabo dies.* Nidus ejus, exterior homo ejus intelligendus est, qui de feno carnis illius compositus a Deo fuerat, et constrictus. *Omnis enim caro fenum.* In hoc igitur nido semper se mori sub testificatione dicebat, dum vitiis mundi, et ejus concupiscentiis non vivebat, et ob hoc in resurrectione, velut palma, multiplices dies et æternos habebit.

Radix mea aperta est secus aquas, et ros morabitur in messione mea. Spes mea, et fides quæ ex hac exspectatione mea sunt, patent ad divina eloquia, quarum consolatione, ne in infidelitate mentis meæ viror arescat, infunditur.

Gloria mea semper innovabitur, et arcus meus in manu mea instaurabitur. Qui me audiebant, exspectabant sententiam, et intenti tacebant ad consilium C *meum.* Gloria mea et cætera potest in virtutibus crescentis bonæ conscientiæ fructus et novus semper profectus intelligi. In arcu vero resistentis ac repugnantis vigorem significari existimo, qui in manus sancti operis contra obvios quosque, et hostiles vitiorum impetus præparetur. Sicut ait David in psalmo : *Et posuisti ut arcum æreum brachia mea*, quod est, fecisti infatigabilem intentionem bonorum operum meorum.

Verbis meis addere nihil audebant, et super illos stillabat eloquium meum. Quia jam auctoritas sapientiæ ubique fuerat divulgata : nemo quasi detrectans, ad verba ejus quicquam addere præsumebat, quinimmo stillabat super eos eloquium illius : id est, sensus interiora viscerum penetrabat, ut eorum infusa D præcordiis, a tali magistro perfecti atque optimi discipuli redderentur.

Exspectabant me sicut pluviam, et os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum. Pluviæ nomine, copiosam valde eruditionem suæ scientiæ demonstrat, et laudat auditores suos, quod disputante eo, cum grandi desiderio exspectaverint.

Si quando ridebam ad eos, non credebant. Tanta inquit, reverentia et honore a prædictis habebar, ut sapientiæ meæ, et gravitati non posset indulgentiæ aliquid ac remissionis, quæ ad temperamentum magis morum pertinebant, congruere. Et idcirco ipso a me pietatis fiebat studio, ut affectus amoris ac dilectionis eorum mei admiratione proficeret.

Et lux vultus mei non cadebat in terram. Gratia reverentiæ, quam in ejus facie refulgentem contuebantur, apud prædictos non pro nihilo habebatur. Non enim aliquid ejus nutibus frustra fieri existimabant, et idcirco quasi magnum atque præcipuum in se prædicti suscipiebant, quicquid in serenitate vultus illius contemplabantur.

Si voluissem ire ad eos, sedebam primus. Cumque sederem, quasi rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator. Dignationem suam et sanctam humilitatem his sermonibus manifestat, qua ad inferiores suos, quasi ad amicos sibique coæquales abierit, et se in regni potentia, miseris et mœrentibus præbuisse.

CAPUT XXX.

Nunc autem derident me juniores tempore. Manifestum est.

Quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. Non hoc typho superbiæ atque divitiarum jactantia fecerat, sed utilitate impiorum, et deridentium illum, quorum patres nec canibus quondam ejus digni fuerint comparari.

Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, et vita ipsa putabantur indigni. Egestate et fame steriles. Id est, ignominiæ vilitate despecti.

Qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate, et miseria. Et manducabant herbas, et arborum cortices, et radix juniperorum erat cibus eorum. Qui de convallibus ista rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant. Præ miseria et aviditate, hæc etiam quæ extra cibum erant, vel hominum, vel ferarum, tanquam epulas ac delicias invadebant, humectas convalles præ nimia egestate sugentes.

In desertis habitabant torrentium, et in cavernis terræ, vel super glaream. Qui inter hujuscemodi lætabantur. Qui etiam, ut ait, in locis sterilibus, et inaquosis, sive dumibus, quasi repentia terræ, in foraminibus morabantur : quos imbres montium rigant.

Et esse sub sentibus delicias computabant. Si in æstu suo, vilissimorum stirpium foliis tegerentur.

Filii stultorum et ignobilium, et in terra penitus non parentes. Nunc in eorum canticum versus sum, et factus sum eis in proverbium. Abominantur me, et longe fugiunt a me, et faciem meam conspuere non verentur. Obscuri, et memoria penitus indigni.

Pharetram enim suam aperuit, et afflixit me, et frenum posuit in os meum. Pharetram existimo multitudinem plagarum, vel ipsum diabolum, vel potestatem illius hoc loco intelligi oportere. Quam sicut Job ait, Deus aperuit, dum circa eum diabolus suam exercuit potestatem, unde eum, et jaculis tormentorum afflixit. Insuper etiam frenum ei silentii in ore ne loqueretur imposuit.

Ad dexteram orientis calamitates meæ illico surrexerunt. Id est, vel in ipso tempore felicitatis, quod gravissimum probatur, exortæ sunt, vel per-

missu divinæ potestatis impositæ sunt. Ipse est A enim oriens ex alto, ipse dextera et virtus Altissimi.

Pedes meos subverterunt, et oppresserunt quasi fluctibus semitis sui. Id est, calamitates meæ frequenti repetitione me affligentes, velut fluctibus omnes vias rectas conversationis meæ subverterunt.

Dissipaverunt itinera mea, insidiati sunt mihi, et prævaluerunt, et non fuit qui ferret auxilium. Id est, itinera mea, quibus per viam justitiæ quotidianis profectibus incedebam, inimici mei conturbaverunt, in injuriam meam ex insperato, velut ex insidiis erumpentes, negantibus mihi proximis meis consolationis auxilium.

Quasi rupto muro, et aperta janua irruerunt super me, et ad meas miserias devoluti sunt. Tam veloci, B inquit, impetu prædicta mala super me irruerunt, ut nullo resistente obstaculo, in me desuper volverentur.

Redactus sum in nihilum. Abstulit quasi ventus desiderium meum, et velut nubes pertransiit salus mea. Quo remunerationes tuas pro mandatorum tuorum custodia præstolabar, pariter cum salute, quasi venti impetu, et quasi transvolantis nubis [*Al.* nobis] celeritate rapuisti, quia abripi permisisti.

Tunc autem in memetipso marcescit anima mea, et possident me dies afflictionis. Marcescit, id est, a vigore suæ intentionis dissolvitur.

Nocte os meum perforatur doloribus, et qui me comedunt, non dormiunt. Manifestum est, quia vermes qui carnes ejus comedebant, noctes ducebant per- C vigiles.

In multitudine eorum consumitur vestimentum meum, et quasi capitio tunicæ succinxerunt me. Scatentium vermium multitudo, semper se commovens, et per diversos vulnerum meorum sinus discurrens, vestem quoque meam, dum per me repere non cessat, attrivit : quem totum atque ex omni parte circumdatum, et quasi in unum vulnus redactum incessabili esu haustuque discruciat.

Comparatus sum luto, et assimilatus sum favillæ et cineri. Ad summam vilitatem perductum se dicit, qui vulneribus et sanie, sicut lutum computresceret, et foeteret : exsiccantibus rursus carnis ejus putredinem, sordibus pulveris.

Clamo ad te, et non exaudis me : sto, et non respicis D *me.* In clamore intentio est orantis ad Deum. In eo vero quod stare se perhibet, perseverantiam se ad Deum habere indeclinabilem dixit. Fiducia justitiarum suarum ad Deum : hæc libere Job sanctus loquitur.

Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi. Elevasti me, et quasi super ventum ponens elisisti me valde. Pium et misericordem Deum esse dicit in prosperis suis durum atque crudelem, cum manus duritiam, et graves pœnas sustinet et atroces.

Scio, quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi. Post delictum parentis, inquit, domus inferiorum est constituta, id est, mors ipsa, non conditione ejus creata. Illuc ergo et me tanquam peccatoris Adæ filium, secundum justam sententiam abire voluisti.

Verumtamen non ad consumptionem eorum. Reconciliationem mundi prophetat in Christo futuram, dum dicit homines non in perpetuam consumptionem redigendos, sed aliquando ab inferis revocandos.

Emittis manum tuam : et si corruerint, ipse salvabis. Si post redemptionem, qua per fidem in Christo salvamur, iterum per peccatum ruerint homines, manu pietatis allevante, per pœnitentiam ipse salvabit.

Flebam quondam super eo, qui afflictus erat : et compatiebatur anima mea pauperi. Exspectabam bona, et venerunt mihi mala, præstolabar lucem, et eruperunt tenebræ. Factum est, ut pro bonorum exspectatione, qua miseros consolabar, mala nunc omnia sustinerem, et pro luce prosperitatis, tenebras incurrerem tormentorum.

Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie : prævenerunt me dies afflictionis. Ubi ait, quod eum dies afflictionis prævenerint, puto quod tempus judicii voluerit indicare : quo præventum se idcirco videtur dixisse, quia cum sibi necdum venturum putaverit : ubi etiam magnum dolorem gehennarum significat, dum suas illis comparat pœnas.

Mœrens incedebam, sine furore consurgens, in turba clamabam. Tristis et affectus mœstitia, quia pœnæ meritum nesciebam, et sine furoris iracundia, eram in spem animi virtute consurgens : quia Deus docuerat me patientiam, ut æquanimiter ferrem, publica satisfactione vociferans, et exorans.

Frater fui draconum, et socius struthionum. Cruciatu pœnarum affectus, dolores meos sibilis temperabam : quemadmodum facere dicuntur dracones, quando ab elephantis capiuntur : ut propheta ait : *Faciam planctum velut draconum* : quem faciunt ut dixi, quando ab elephantis interficiuntur. Et socius struthionum : fatuus factus sum et insipiens, ut struthio, avis stultissima, ut præ dolore frustra me existiment laborasse.

Cutis mea denigrata est super me, et ossa mea aruerunt præ caumate. Et hoc ad pœnarum ejus cumulum pertinebat, ut in stercore constitutus, per multa tempora, solis ardentissimos usque ad ossa pateretur radios.

Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium. His rebus, dicit, felicium dierum suorum atque prosperitatis lætitiam, et jucunditatem in luctum esse conversam.

ITEM.

Ad Christi personam vertitur expositio.

Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, etc. In assumpto homine Jesu Christo, id est, Adam secundo, sive novissimo : vox est Adami protoplasti recolentis quid perdiderit, et ad quod bonum redire

copiat. Amiserat quippe per inobedientiæ malum, immortalitatis bonum, paradisique delicias : hanc sibi per Jesum Christum Dominum nostrum instaurari desiderat. Suscipiendo namque in se Dei Filius hominis filium, suscepit in eo et humani generis preces.

Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris. Gloriam divinæ gratiæ, nomine lucernæ qua in paradiso floruerat, significavit.

Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo. Adolescentiæ nomine possunt primordia Adæ intelligi, vel ipsa felicitas : ubi ante peccatum, juvenili vigore, sine ullo defectu ætatis semper virens, quasi in diebus adolescentiæ fuisse dicitur.

Quando erat omnipotens mecum, et in circuitu meo pueri mei. Pueri Adam, virtutes animæ intelligendæ sunt. Pueros autem Christi angelos, qui ministraverunt ei in diebus carnis ejus, vel apostolos, sive omnes sanctos non absurde sentimus.

Quando lavabam pedes meos butyro, et petra fundebat mihi rivos olei. Pedes igitur Salvatoris, prædicatores veritatis : qui in universo mundo annuntiant Evangelium, intelligendi sunt : Hos igitur pedes suos Jesus Christus, Job noster, lacte sive butyro eluit atque abstersit, quando eos a tribulationum pressuris sinceros atque purissimos reddidit : docens eos per spiritum suum, simplicis innocentiæ vitam. Hoc igitur modo pedes annuntiantis pacem Evangelii mundabuntur. Ne coinquinati essent carnalis sapientiæ luto : Petra, inquit, fundebat mihi rivos olei. Ergo petra Ecclesia, fundata super Christum firmissimam petram, de se gratiam Spiritus sancti, velut rivos effundit : quod in Pentecoste, et domo Cornelii, et in illis duodecim, sive in omni Ecclesia declaratum est, et usque hodie declaratur.

Quando procedebam ad portam civitatis, et in platea ponebant cathedram mihi. Velut rex ergo, et Dominus primus civitatis suæ Ecclesiæ, ad portam ejus Christus procedit : id est, sub tempore initiorum ejus : quando ingressum parans dicebat omnibus : *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis.* Cathedra autem eminens scientia Christi intelligenda est : platea autem civitatis, vel quod publice prædicaverit, vel secundum Psalmistæ sensum est intelligenda : *latum mandatum tuum nimis.* Quod non solum in triplicem expositionem, sed etiam in disputationem porrigitur.

Videbant me juvenes, et abscondebantur, et senes assurgentes stabant. His scribit Joannes dicens, *Scribo vobis, juvenes, quia fortes estis, et vicistis malignum.* Hi per fidem Domini, Salvatorem vident in spiritu, et in terra sui corporis absconduntur : reprimentes videlicet atque in se pugnando vitia cohibentes : mortificantes semetipsos a peccatis, et concupiscentiis mundi : hinc ait propheta : *Ascendite vos in terram.* Senes vero filii consummati, et perfecti, qui quotidie mente elevantur ad cœlum, et stant in Domino, fide immobilis vitæ.

Principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo : vocem suam cohibebant duces, et lingua eorum gutturi eorum adhærebat. In adventu, inquit, meo omnium sanctorum meorum prophetia conclusa est, et signata, quod in Zachariæ silentio præfiguratum est. Clausa est quidem prophetia in mysterio annuntiatorum, sed in sacramentorum mysteriis patefacta est. Principes et duces illius populi Judæorum fuerunt reges, sacerdotes et prophetæ. Sive principes et duces, potentes quique mundi istius atque eloquentes possunt intelligi, qui propter mendacia seductionis, principatus in populis tenebant. Hi in adventu Christi conticuerunt.

Auris audiens beatificabat me. Gentium utique populus, ad quem Evangelium meum, annuntiatum prædicatione pervenit. Qui pro redemptione sua laudem deferens, beatificabat me gratias agendo.

Et oculus videns, testimonium reddebat mihi. Populus videlicet Judæorum, cui per prophetas meos prædictus fueram, in præsentia adventus mei testimonium reddebat mihi.

Eo quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum cui non erat adjutor. Pauper hic et pupillus, sanctorum populus est intelligendus : qui propter humilitatem spiritus contribulati, pauper est dictus. Pupillus vero idcirco dictus est, quia pater eorum pro tempore absens est : qui ita loquitur : *Non relinquam vos orphanos.*

* *Benedictio pueri*, sive ut alii dixerunt, *perituri, super me veniebat, et cor viduæ consolatus sum.* Pupillus fidelis, et sanctus : puer, propter reciprocatam innocentiam nuncupatus est. Perditus vero idem appellatus est, quia sanguine Domini acquisitus est.

Justitia indutus sum, et vestivit me sicut diademate judicio meo. Justitia ergo hæc pietatis meæ, ait Dominus, vestivit me sicut vestimento. Et diademate judicio meo. Hoc, inquam, vestimento, in quo per Evangelium justitia patris revelatur : in Ecclesia dicit se esse circumdatum : cujus figuram habuit vestis ejus in monte clarificati.

Oculus fui cæco, et pes claudo. Lumen, inquit, sum peccatori in vitiorum suorum tenebris ambulanti, et in præceptorum meorum semitis claudicanti factus sum gressus. Unde ipse ait : *Ego sum via.*

Pater eram pauperum, id est, humilium corde.

Et causam cum nesciebam, diligenter investigabam. Hanc igitur causam peccaminum misericordia pietatis meæ induturus, diligentissime perscrutabar, ut radicem vulnerum curando perquirerem : ut peccatorem, investigante me, confitentem culpas suas, ab omni peccato criminis liberarem. Sive aliter : Nescivit causas peccati Dominus noster Jesus Christus : quas ab eo Judæi quærebant.

Conterebam molas iniqui, et de dentibus ejus auferebam prædam. Hunc iniquum diabolum esse recte

sentimus, cujus dentes ac molares sunt ad interimendum sævi ac truces animi motus. De hujusmodi, inquit, dentibus velut prædam captivam humanum genus abstraxit, de mortis utique illud interitu liberando. Omnes impii dentes sunt diaboli. Potest et hæreticus quisque intelligi, in cujus dentibus doctrina perspicua sentiatur. In molaribus vero lateant remota, et secreta, et nefanda mysteria.

Dicebamque : Innidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies. Nidus Domini Salvatoris, Ecclesia ejus potest intelligi. Hic igitur Dominus, in Ecclesia quasi nidulo suo, quem sibi feno carnis humanæ congessit, et in qua procreat ac fovet filios, mori dicitur, dum membra ejus, quorum ipse caput est, vitiis ac concupiscentiis hujus sæculi moriuntur. Sequitur : Et sicut palma multiplicabo dies ejus. Igitur post humilitatem Ecclesiæ, quam in nidulo superius Dominus indicavit, gloriam altitudinis ejus in palma arbore voluit ostendere : cujus radix aspera videtur in terra, unde etiam nidulus appellatur : sed comis pulchra sub cœlo, cum ex resurrectione fuerit glorificata, palmæ celsitudinem obtinebit, id est, virtutum suarum merita consequetur, quæ in palma significantur. Sive nidulus hic populus Judæorum potest intelligi. In hoc igitur nido, pati et mori pro nobis voluit, sicut ait Judæis : Moriar, et in eorum mentibus crucifigar : ubi secundum hominem conversatus, et natus sum, et in gentibus, ubi palma victoriæ meæ, crucisque vexillum erectum est, multiplicabo dies, dicens eis : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Radix mea aperta est secus aquas, et ros morabitur in messione mea. Ita erit in nationibus radix, id est, fides qua mihi placeri volui : ut omnes sancti in præteritis placuerunt : ut pateat gentium aquis, id est, populus, ut in me scilicet credant, quibus utique in retributione æterna, ros gratiæ, et muneris erit me largiente profluus. Sive radix charitatis meæ atque dilectionis, quæ fixa est in cordibus diligentium me : aperta est in eis ad aquas eloquiorum meorum.

Gloria mea semper innovabitur. Hic gloriam, Ecclesiam intelligere possumus : Gloria quidem Patris est Filius, cui dicit Pater : *Exsurge, gloria mea, exsurge.* Sed aliter Ecclesia gloria est, quæ justificata est per gratiam.

Et arcus meus in manu mea instaurabitur. Arcum hunc virtutem intelligere possumus, qua pro Ecclesia sua usque ad finem sæculi pugnare non desinit.

Qui me audiebant, exspectabant sententiam, et intenti tacebant ad consilium meum. Quotidie clamat Christus per dispensatores verbi sui, et obedientes ei, sententiam definitionis ejus exspectant. Et intenti tacebant ad consilium meum. Hoc verbo silentii, sanctorum significatur obedientia, qui tardi sunt ad loquendum, veloces autem ad faciendum : sive, quia in ipsa inquisitione legis, sancti intenti esse dicuntur.

A *Verbis meis nihil addere audebant.* Statuta utique et decreta non convellentes Ecclesiæ : in qua fundamentum est veritatis, stabiliunt. Hæretici autem et schismatici, præsumptione superbiæ, qua præstant cæteris, verbis Domini, inventa de corde suo atque superflua dogmata plenitudinis superponere moliuntur.

Et super illos stillabat eloquium meum. Sensim utique sermo doctrinæ meæ, diligentia mea, diligentium me viscera penetrabat : in quo profectus animorum quotidie in virtutibus intelligendus est. Ubi quasi a parva stilla principiorum, pervenitur ad vitam plenam perfectionis, tamquam ad pluviam cordis, terram suam copia saturantem.

Exspectabant me quasi pluviam, et os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum. Omnes sancti antiqui, Salvatorem in carne venturum exspectaverunt, B et omnes nunc pariter ad judicium venturum indubitanter exspectant : ad cujus imbrem serotinum, id est, Evangelium, ora cordium suorum nunc sitientes aperiunt : quia *meliora sunt*, ut Ecclesiastes ait, *novissima sermonis, quam initium ejus.*

Si quando ridebam ad eos, non credebant. Id est, Judæi non credent mihi hilari pietate futuræ beatitudinis lætitiam, et æternæ gaudia promittenti : et peccatores pro reatu conscientiæ suæ, vix credent misericordiæ meæ, et sibi salutem dari posse præ magnitudine criminum desperabunt : cum ego convertentibus ad me majora quam spe possint capere, collaturus sum.

C *Et lux vultus mei non cadebat in terram.* Gratia, inquit, præsentiæ meæ, qua mundo universo innotui, illustro corda fidelium, quia ego sum lux mundi, et quidquid promisero custodientibus pactum meum, irritum non erit : sed totum in tempore retributionis implebitur.

Si voluissem ire ad eos, sedebam primus. Cumque sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator. Ita sentiendum est, qui cum apud sanctos suos magnus, et in excelsis habitet, qui et angeli plerumque dicuntur, et de quibus secundum aliam editionem dicit : *Eram quasi rex concinctus fortibus :* compunctos tamen et contritos corde non despexit.

Nunc autem derident me juniores tempore. Legimus in Evangelio, quemadmodum irrisus est, et D illusus.

Quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. Ego canes in bonam partem dictos existimo, qui gregem Domini a bestiis spiritualibus vigilando defendunt. De quibus dicit propheta : *Canes muti, non valentes latrare.* Judæorum quoque patres, qui sunt utique sacerdotes, principes, pastorali ab eis quippe ablata dignitate, non posui, ait Dominus, cum sanctis gregis ovium meorum custodibus, ob malitiam infidelitatis suæ : ne sacerdotio fungantur mihi, abjeci eos. Quod etiam in Evangelio dicit : *Auferetur a vobis regnum Dei*, et reliqua. Ubi jam incipit tollere panem filiorum, et mittere canibus,

sicut ad eum in Evangelio sub typo Ecclesiæ dicitur: *Nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.*

Quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo. Hæc virtus manuum erat Judæorum, ut mandatis seniorum, et observationibus deservirent. Sive in tempore passionis Domini, potest hic locus intelligi, ita ut virtus operum prædictorum usque ad mortem Salvatoris pervenerit. Vel ita intelligendum: cum ei vitam flerent finitam esse per crucem, triumpho resurgentis ex mortuis, ad nihilum conatuum pessimorum virtus redacta est.

Et vita ipsa putabantur indigni, egestate et fame steriles. Vitiorum suorum et criminum turpi egestate effecti, et fame eloquiorum Dei facti steriles, et mendici, vita insuper præsenti indigni sunt habiti, sicut propheta ait ad Deum: *Disperge illos in virtute tua.* Unde nunc in medio nationum sunt velut captivi, vitam ducentes degenerem.

Qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate et miseria, et mandebant herbas, et arborum cortices, et radix juniperorum erat cibus illorum. Plerumque ubi Deus non habitat, id est, non colitur, solitudo sive eremus appellatur: in qua secundum Apocalypsim mulier, id est, corruptela sedere dicitur. Mandere enim sive rodere, opus est dentium, quoniam vox articulata dentibus et plectro linguæ efficitur, ideo his verbis, doctrina prædictorum significatur, qui populos tamquam herbas et infructuosarum arborum radices mandendo atque rodendo, in errores suos multiplices, velut in suum corpus trajiciunt. Etenim pasci se arbitrantur, si ab hominibus, quos solet Scriptura arbores appellare, quidquid habent vitale subtraxerint. Radicibus juniperorum nihilominus aluntur: arborum scilicet longa ætate viventium, et in quarum lignis multo diutius ignis quam in cæteris durat. Ista sunt ligna, quæ arceuthina appellantur. Sub arborum harum vocabulo, magnos quosque nomine in populo Judaico intelligere possumus, quorum prædicti doctores intima viscerum depascuntur, furando ei prædicatione legis præteritæ, bonum gratiæ Christi.

Qui de convallibus ista rapientes, cum singula repperissent, ad ea cum clamore currebant. De convallibus utique herbas, ut fures, quod alii translatores dixerunt, et *arborum cortices*, rapiunt. Non enim eos quos herbas, cortices et radices arborum per ænigmatis similitudinem intelleximus, in excelsis locis atque similibus potuerunt invenire: sed in convallibus, humilibus scilicet locis, et in inferiora depressis, ubi significati sunt carnales populi Judæorum: quorum intellectus in occidentis litteræ sensu, velut in inferioribus commoratur. Hinc eos primores eorum depopulantur, dum cæci cæcis ducatum præbent.

In desertis habitabant torrentium, et in cavernis terræ; vel super glaream, qui inter hujuscemodi lætabantur, et esse sub sentibus delicias computabant. Non tantum in desertis prædictorum, ubi cultura Dei non erat, morabantur, sed etiam in cavernis terræ, et super glaream, per quam puto carnaliter legem intelligendam, ubi nihil pingue spirituali sensui admiscetur, quo posset fecunditate ubertatis, per fidem filios sanctitatis, matre gratia, procreare: et ob hoc in cavernis terræ esse perhibentur, terrenis videlicet sensibus inhærentes. De quibus flens dicit Apostolus, *inimicos crucis Christi.* Aliter: Torrentes sunt peccatores, qui in hoc mare sæculi per deserta notitiæ defluunt; hi ergo in cavernis sensuum commorantur, eorumque delectantur officiis ad peccandum: ipsi sunt fenestræ domus, per quas mors ingreditur. Sive caverna serpentis est pectus nostrum, quando in eo venenata consilia, et mortiferos actus recondimus. Ipsi vero similiter super glaream habitant, qui terram suam, nulla sermonum Dei diligentia colunt, ut accepta ubertate pinguedinis, possint fructus facere sanctitatis.

Qui inter hujuscemodi lætabantur; et esse sub sentibus delicias computabant. Inter hæc mala quæ sunt dicta superius, ita exsultantes gaudio vivunt, tamquam si quærerent virtutes.

Filii stultorum, et ignobilium, et in terra penitus non parentes. Ita enim et de eorum patribus, propheta jam ante prædixerat: *Generatio prava et perversa, populus stultus, et non sapiens, alienati a terra viventium.*

Nunc in eorum canticum versus sum eis, et factus sum proverbium. Id est, in primo sermone, et in eorum ore ego sum, et ab eis delectatione obtrectationis assumor.

Abominantur me, et fugiunt a me, et faciem meam spuere non verentur. Faciem vero consputam Domini Salvatoris, ipsa passio ejus nobis in Evangelio manifeste demonstrat.

Pharetram enim suam aperuit, et afflixit me. Hic pharetra, diabolus intelligi potest. Et quoniam credimus Salvatorem verum hominem assumpsisse: non absurdum est, ut credamus quod et dolores corporis voluerit in passione sentire: secundum illud prophetæ: *Ipse infirmitates nostras suscepit, et pro nobis dolet.*

Et frenum posuit in os meum. Illatas contumelias patientia demonstravit: sicut ipse Filius in psalmo ait ad Patrem: *Quoniam tu es patientia mea, Domine.* Et in Evangelio, interrogatus Jesus non respondit.

Ad dexteram orientis calamitates meæ, illico surrexerunt. Id est, de voluntate Patris, ad cujus dexteram Filius sedet. Vel hoc ait, quod ad Filium Dei etiam ad eam partem, qua impassibilis est, contumelia passi hominis assumpti pervenerit, secundum Apostolum dicentem: *Si enim cognovissent, numquam Deum majestatis crucifixissent.* Quoniam ipse est dextera Patris, manus et brachium, per quem facta omnia gubernantur: et discipuli magis de dextris illius erant, quem in tempore passionis dereliquerunt. De quibus ait: *Considerabam ad dexteram, et non erat qui cognosceret me.*

Pedes meos subverterunt, et oppresserunt. Quasi fluctibus semitis suis dissipaverunt itinera mea. Insidiati sunt mihi, et prævaluerunt, et non fuit qui ferret auxilium, quasi rupto muro, et aperta janua, et ad meas miserias devoluti sunt. Pedes, humana substantia, quam crucifixerunt, intelligi potest, vel certe evangelizandi officium. In fluctibus, amaros Judæos erga prædicatores Evangelii, et inquietos esse demonstrat.

Dissipaverunt etiam itinera mea. Prophetarum meorum oraculis, adventus mei in carne illis præsentiam pollicebar, et in visionibus revelationum sæpe veniebam ad eos. Hæc utique itinera mea incredulitate atque impietatis suæ scelere dissipaverunt. Possunt etiam pedes ejus, prædicatores vel apostoli ejus intelligi. Et non fuit qui ferret auxilium, quia et ipsi discipuli, relicto eo, confugerunt. Quasi rupto muro, et aperta janua irruerunt super me, et ad meas miserias devoluti sunt, id est, per necem meam in ruinam suam lapsi sunt, ut quasi truculentissimi hostes et ferocissimi, irruptis civitatum munitionibus, domibusque effractis, in necem meam omnes pariter prosilirent. Miseriæ autem passiones sunt, flagella, illusio, probra, alapæ, sputa, colaphi, spinæ et ignominia crucis.

Redactus sum in nihilum. Judæi despicientes eum, pro nihilo habuerunt.

Abstulisti quasi ventum desiderium meum, et quasi nubes pertransiit salus mea. Ventus præsens hæc vita potest intelligi, quæ plerumque venti, sive spiritus nomine appellantur. Ex persona ergo veteris hominis suscepti in Deo, homo Jesus Christus hæc loquitur. Desiderium vero veteris hominis illud erat, ne vitam hanc temporalem amitteret, quod ipse Dominus proximus passioni demonstrat, dicens ad Patrem : *Transeat a me calix iste. Verum, inquit, non quod ego volo, sed quod tu.*

Nunc autem in memetipso arescit anima mea, et possident me dies afflictionis. Dies afflictionis ejus, dies sunt passionis. Inde ait Salvator in Evangelio, *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

Nocte os meum perforatur doloribus, et qui me comedunt, non dormiunt. Nocte, quia vespere captus, per totam noctem scribis, et principibus sub interrogatione quæstionis auditus est. Vel noctem tristitiæ, et passionis, ait Dominus ad apostolos, qui propter dilectionis, et charitatis meæ fortitudinem ossa dicuntur : aculeis doloris, timorisque compuncti, usque ad negationis noxam perforati sunt : id est, penetravit virtutem animi eorum titubatio fidei, ut ad horam tentationis in charitatis soliditate nutarent. Illi vero, qui me usque ad mortem persequendo videntur consumere, non dormiunt : id est, omni vigilantia mentis insistunt, ut ad me devorandum perveniant.

In multitudine eorum consumitur vestimentum meum. Convenientibus in unum Judæis, caro mea injuriis, clavis, cruce, morte confecta est.

Et quasi capitio tunicæ cinxerunt me. In necem meam omnes undique me velut extrangulantes circumdederunt, et ut me præfocarent in morte, tamquam ora capitii, fortibus videlicet laqueis, falsorum testimoniorum me cinxerunt, et intra passionem meam et crucem, quasi intra tunicam me incluserunt.

Comparatus sum luto, et assimilatus favillæ et cineri. Per mortem quam volens suscepi, comparatus sum vilibus, et peccato obnoxiis, atque in Adam Dei sententia condemnatis, cum ipse peccator non sim, neque ita ut omnes peccatores fuerim natus.

Clamo ad te, et non exaudis me : sto, et non respicis me. Ita et in vicesimo primo psalmo, in cruce clamavit ad Patrem : *Deus meus*, et reliqua : *Et clamabo per diem, et non exaudies*, et cætera. Hæc igitur verba dicuntur ex persona Crucifixi : sicut et alia, quæ jam dixi superius. *Clamabo*, inquit, *per diem ad te :* id est, in rebus prosperis hujus vitæ, ut non mutentur : nec exaudis, in verbis delictorum. Clamabo et in nocte, id est, in adversis vitæ hujus clamabo, ut prosperentur, et similiter non exaudies. Neque hoc satis ad insipientiam mihi, sed potius ut sapiam quid clamare me velis : non verbis delictorum ex desiderio temporalis vitæ, sed verbis conversionis ad te in vitam æternam.

Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi. Dum Pater unico Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum : crudelitatis species videbatur, quod erat piæ dispensationis affectus.

Elevasti me, et quasi super ventum ponens, elisisti me valide. Quod est, elevasti in cruce, et non credentibus Judæis, me allisisti.

Scio quia morti trades me : ubi constituta est domus omni viventi. Quia ante Domini resurrectionem, etiam justi in inferni partibus fuisse creduntur.

Verumtamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam, et si corruerint, ipse salvabis. Ad hoc utique morti trades me, ut non consumantur debita pœna, qui divina sententia morti æternæ sunt deputati : sed potius mea morte salventur. Quod autem dicit : Si corruerint, ipse salvabis : post gratiam baptismi, remedium salutis delinquentibus, per pœnitentiam repromittit.

Flebam quondam super eum qui afflictus erat. Duabus autem de causis Salvator Jerusalem deflebat. Una est, qua pro conversis flens, Patrem orabat. Alia vero est, qua pro non credentibus dolens flebat : prævidens utique ut Deus ob incredulitatis duritiam perditionem eorum.

Et compatiebatur anima mea pauperi. Quomodo animæ sanctæ in Scripturis pauperes appellantur, non habentes superbiæ spiritum, vel peccata tamquam mundi hujus divitias. Ita e contrario omnes peccatores pauperes nuncupantur : eo quod superbiæ spiritu tumeant, et sint inopes sanctitate : de quibus in psalmo canitur : *Sedentes in tenebris et in umbra mortis : vinculis ligatos in mendicitate et ferro.* Ad deflendos hujusmodi pauperes, utpote dives in

miserationibus Deus ex affectu misericordiæ tristitiam sustinebat.

Exspectabam bona, et venerunt mihi mala. Exspectabam ergo per patientiam, ut bonum conversionis eorum gaudens, super correctos perciperem. Sed illi divitias bonitatis meæ, et longanimitatis per contumaciam contemnentes, *thesaurizaverunt sibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii mei.* Hæc igitur mala eorum ad conspectum meum ventura sunt, ut reddam unicuique secundum opera sua.

Præstolabar lucem, et eruperunt tenebræ. Lucem in eis fidei et sanctorum operum præstolabar, et infidelitatis eorum ac vitiorum tenebræ prævaluerunt.

Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie. Sive quod dolore tactus, intrinsecus animus ejus sollicitudine et anxietate ferbuerit, super eorum perditione; sive quod Verbo carne facto, et habitante in homine Jesu Salvatore nostro, interiora ejus, id est, animæ illius motus sine cessatione divino igne fervebant.

Prævenerunt me dies afflictionis. Dies afflictionis dies judicii erunt: in quibus prædictam gentem judicaturus sum. Sed tamen nunc, et in hoc tempore nimiis sceleribus suis prævenerunt me, ut secundum justum judicium meum reddam eis: sicut postea accidit in passione, quando a Romanis Jerusalem templumque subversum est.

Mœrens incedebam: sine furore consurgens in tenebris clamabam. Sine aliquo utique iracundiæ furore erat: quoniam donare atque concedere peccata eorum advenerat, non punire. Ait etiam evangelista: *Stabat Jesus, et clamabat: Qui sitit veniat ad me, et bibat.*

Frater fui draconum, et socius struthionum. Judæos in Evangelio Dominus serpentes frequenter appellat et viperas; ita dicens: *Serpentes, genimina viperarum.* Et propheta ait: *Ova aspidum ruperunt,* cum malorum generationem multiplicari videret. Item: *Furor draconum vinum eorum, et furor aspidum insanabilis.* Sed idcirco fratrem eorum se nuncupavit, quoniam de eorum genere secundum carnem est procreatus: de quibus in psalmo ait: *Socer factus sum fratribus meis, et hospes filiis matris meæ.* Et quia secundum præsentem vitam, qua dum hic mortalis fuit, inter eos est conversatus, struthionum se socium dixit, id est, in eadem gente sua cum stultis et insipientibus habitavit; sicut ipse Dominus in Evangelio: *Stulti et cæci.*

Cutis mea denigrata est super me. In cute, carnem suam, id est, Judæam gentem suam, unde Salvator carnem assumpsit, a parte totum dixisse intelligendus est. Quod autem super me ait, denigrata est cutis mea, ita est, velut si diceret, propter me, id est, in persona mea, odio persecutionum et scelere blasphemiæ, peccatorum etiam infandorum criminibus, tota se nigra effecta est caro generis mei, et quasi Æthiopissa colorem nigredinis non amittens, et eo est infelicior, quod hanc nigredinem noctis et tenebrarum, non in superficie corporis, sed in corde con-

A traxit. Unde ait Dominus per prophetam: *Nocti assimilavi matrem vestram.*

Et ossa mea aruerunt præ caumate. Ossa corporis Ecclesiæ, cujus caput est Christus, sancti quidem omnes, sed præcipue apostoli intelligendi sunt: quorum sanctitatis robore atque virtute, omnia membra infirmiora Ecclesiæ sustinentur. Horum igitur adeps pinguissimus charitatis nimio persecutionis æstu in passione Salvatoris exæstuavit. De quibus ipse Dominus in psalmo: *Et ossa mea sicut cremium aruerunt.* Item in alio psalmo: *Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea;* ut ita evangelista: *Et relicto Jesu, fugerunt discipuli.* Sed rursum per confessionem nominis ejus charitate illius uberrima impinguati sunt: ut nullo postmodum B quantolibet ferventi caumate persecutionum, fides Christi in eis, et bonum charitatis aresceret.

Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium. In cithara et organo, lætitia et exsultatio intelligitur. Quam Christus se habere demonstrat, quando super salute credentium delectatur, sicut ipse in Evangelio ait, ubi parabolam centum ovium ponit, de quibus unam ait perisse, et inventa ea, ait: *Amen dico vobis, quia plus gaudebit super eam, quam super cæteras nonaginta novem.* Itemque cum renuntiassent apostoli Domino, quia in nomine ejus plurimæ sanitates per eosdem factæ fuissent, ait evangelista: *In illa hora exsultavit Jesus in spiritu.* Hæc ergo musicorum nomina cordis significant lætitiam, quæ super infidelium obdura- C tione, versa est in tristitiam: sicut de eodem Domino ait evangelista: *Et contristatus est super duritiam cordis eorum.* Ea vero quæ sequuntur usque ad finem parabolæ, quæ secundum virtutem sancti Job superius exposuimus, jam confessi sumus non posse nos secundum mysticos intellectus disserere. Si autem quis possit illa allegoricæ interpretationi rationabiliter coaptare, assensum præbere me fatebar.

CAPUT XXXI.

Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, et hæreditatem omnipotens de excelsis? Numquid non perditio est iniquo, et alienatio operantibus injustitiam? Nonne ipse considerat vias meas, et D *cunctos gressus meos dinumerat?* Ab hinc usque ad finem, justitias suas, vel maxime et misericordias atque virtutes enarrat, quas usque ad quindecim numeros digerit, velut vir perfectus, qui ascensus in corde suo disponens, per gradus quosdam profectuum usque ad domum Dei ascendendo pervenit. Ego, inquit, animo cum his obtutibus carnis meæ, definivi ac statui, ut nihil omnino turpe atque obscenum mihi intrinsecus nuntiarent, quod delectatione voluptatis, intra me iniquis cogitationibus volverem. Senserat, credo, aliquando fortassis delectatione carnem suam, et voluptatibus illecebrarum titillari, et idcirco se continentiæ virtute præcinxerat, timens oculum Dei, cum scrutator cordis sit, et

omnes vias conversationis humanæ, cunctosque gressus actuum mortalium noverit.

Si ambulavi in vanitate, et festinavit in dolo pes meus, appendat me in statera justa, et sciat Deus simplicitatem meam. Sanctus Job certus de æquitate justitiæ Dei, se manifestari optat hominibus. Non enim aliquid ignorat Deus, ut examinando cognoscat : sed sciat Deus, ita dixit beatus Job, ut scire alios faciat, secundum illud : *Tentat vos Deus Dominus, ut sciat utrum diligatis eum :* id est, ut scire cæteros faciat.

Si declinavi gressus meos de via, et si secutus est oculus meus cor meum, et si in manibus meis adhæsit macula : seram, et alius comedat, et progenies mea eradicetur. Nihil mandatorum Dei, ait, præterii : quia nec cor meum acquiescens secutum est oculos meos, cum concupiscentiæ imagines ei offerrem, priusquam pactum cum ipsis haberem, ne quid intrinsecus turpe transmitterent. Unde nec in operibus manuum mearum ulla peccati macula potuit adhærere, et hoc ipsum cum quadam juramenti exsecratione confirmat.

Si deceptum est cor meum super muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus sum, scortum alterius sit uxor mea, et super illam incurventur alii. Hoc enim nefas est, et iniquitas maxima : ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina. Secundum naturæ bonum loquitur, quod in Tobia scriptum est : *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.* Proinde ait, nefanda res est, et iniquitas maxima : hæc funesta ac detestabilia cogitare, vel facere, ignis est incentivæ libidinis, omnia bona virtutum devorans, atque universa in homine sanctarum rerum incrementa consumens.

Si contempsi subire judicium cum servo meo et ancilla mea, cum disceptarent adversum me. Sive ut alii dixerunt, *apud me.*

Quid enim faciam cum surrexerit ad judicandum Deus, et cum quæsierit, quid respondebo illi? Numquid non in utero fecit me, qui et illum operatus est, et formavit me in vulva unus? Magna humilitas sancti viri hujus, et magna futuri judicii cogitatio.

Si negavi quod volebant, pauperibus, et oculos viduæ exspectare feci. Manifestum est.

Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea, quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum. Manifestum est.

Si despexi prætereuntem, quod non habuerit indumentum; et absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est. Hoc dicto ostendit, quemadmodum opus misericordiæ fieri debeat, id est, ne aliis auferas, unde aliis recte dare te arbitreris. Unde Salomon ait : *Honora Deum de tuis justis laboribus.* Et Isaias : *Ego Dominus diligo judicium, et odio habeo rapinam in holocaustum.*

Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem, humerus meus a junctura sua cadat, et brachium meum cum suis ossibus confringantur. Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui. In humero, opera : in brachio, virtutis perseverantia; atque instantia bonorum operum accipi potest. Nisi ita est, inquit, irriti ante Deum inveniantur omnes labores mei.

Si putavi aurum robur meum, et obrizo dixi, fiducia mea. Si lætatus sum super multis divitiis meis, et quia plurima reperit manus mea. Veræ homo philosophiæ, nullo vitio tenebatur, sicut nunc cupiditatis et elationis contemptor fortissimus, aurum etiam pro nihilo se habuisse testatur.

Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare, et lætatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum. Tantæ virtutes et tam præcipuæ nihil prosunt : quamvis quisque in eisdem perpetrandis sit sapiens, magnus et clarus : si errorum stultitia teneatur. Non solum, inquit, quorumcumque idolorum culturis, verum etiam, nec horum pulchritudine ac specie magnorum luminum delectatus sum ; nec quasi adorans ea inter eorum venerationem osculatus sum manum meam : nec creaturam pro creatore veneratus sum, quod in Epistola ad Romanos sanctus Apostolus detestatur.

Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, exsultavi quod invenisset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus. Cum magnum sit, si de inimicis suis quis, cum possit, non studeat ulcisci, quanto apud Deum studiosius est de eorum ruina, nec in corde delectari !

Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus ejus, ut saturemur? Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. Pro hospitalitatibus ejus et virtute, qua et cæteri sancti Deo placuerunt, odium servorum contraxerat.

Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam. De his peccatis tantum, quæ cogitationibus committuntur, hoc loco mihi dixisse videtur : eo quod nec ipsa celare voluerit, quandoquidem secretorum suorum intima manifestaverit hominibus, se consensione iniqua cujuslibet peccati non fuisse participem.

Si expavi ad multitudinem nimiam, et despectio propinquorum terruit me, et non magis tacui, nec egressus sum ostium. Ad propinquorum suorum personam despicientium eum, locus hic pertinet, qui ei inter miserias calamitatum posito, indesinenter injurias irrogabant ; contra quos sibi jurgantes posuit custodiam ori suo.

Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat Omnipotens, et librum scribat ipse qui judicat, ut in humero meo portem illum, et circumdem illum quasi coronam mihi? Per singulos gradus meos pronuntiabo illum, et quasi principi offeram eum. Quem librum sanctus Job demonstraturus cæteris, in humero suo,

in loco videlicet cunctis conspicuo confert ; eo quod libro pro laboris sui meritis velut corona gloriæ coronatus, per singulos gradus virtutum, sive profectuum suorum incrementa ante Deum recensendo, pronuntiat.

Si adversum me terra mea clamat, et cum ipsa sulci ejus deflent. Si fructus ejus comedi absque pecunia, et animam agricolarum ejus afflixi : pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina. Terra, caro hominis recte sentitur. Hanc dicit beatus Job sibi adversariam non fuisse, necessario utique : quoniam bene sibi eam obedientem fecerat circa ornamenta virtutum. Cujus etiam sulcos metaphoricos appellat, qui sive propter bonos mores excolendos, sive propter continendam aquam verbi Dei, infusam divinitus terræ suæ, sulci ab eo dicti sunt : secundum illud Psalmistæ : *Sulcos ejus inebrians, multiplica generationes ejus.* Agricolas autem istos terræ suæ, beatus Job sanctas cogitationes, ut arbitror, dixit : quibus vivus ager mentis suæ strenue colebatur. Quorum agricolarum ideo anima una ab eo refertur, ut advertamus unum eorumdem fuisse consensum. Non est hoc in moribus sanctorum notabile, sive reprehensibile, quando seipsos laudant. Non enim jactantiæ vitio detinentur, ut in suis laudibus gloriam humanam requirant : sed faciunt hoc veritatis intentione, qua ante Deum simpliciter ac sinceriter vivunt.

CAPUT XXXII.

Omiserunt autem tres viri isti respondere Job, eo quod justus sibi videretur. Cedentibus adversariis, Job post multa prophetiæ suæ mysteria, et ipse finit sermonem. Quod autem dictum est, omiserunt autem tres viri isti respondere Job, eo quod justus sibi videretur : scriptor historiæ hujus ex sensu respondentium dixit, eo quod justus sibi videretur, non ex judicio suo : cum referret vel scriberet, quæ in præconium tanti viri stylo hæc suo posteriorum memoriæ commendabat.

Et iratus indignatusque est Heliu, filius Barachiel Buzites, de cognatione Ram. De progenie et generatione Huz et Buz, filiorum Nachor et Melchæ, sororis Saræ, uxoris Abraham, nascitur Job et Heliu. De Huz, Job nascitur, et de Buz, hic Heliu : unde et Buzites dicitur, qui fuit sicut hic scribitur, filius Barachiel. Hunc igitur Heliu, doctissimi Scripturarum dicunt ipsum esse Balaam hariolum, quem in Numerorum libro Balach, rex Moabitarum, ad Israelem maledicendum conduxerat : et hæc Scriptura refert, quod hic Heliu, de cognatione fuerat Ram, et hunc Ram, Abraham esse intelligamus : de cujus cognatione et familia Heliu fuerit procreatus. Hinc utique fratris sui Nachor posteritas, procul dubio Abrahæ cognatio erit : ubi qui hunc librum scribit, quem Hebræi Mosen autumant, in generationis Heliu nominibus, nobilitatem nativitatis ejus voluit demonstrare. Quod autem in hoc libro Ram, quasi partito sive diviso nomine, sanctus Abram dicitur : ita et in di- A versis locis Scriptura Dei, secundum incrementa in eo divinæ gratiæ nominat. Unde quando *Ram* dicitur, habeatur *excelsus :* quando vero *Abram*, proficiens in virtutibus, *pater excelsus* sit. Item cum fides ejus gentibus ad dominationem præponitur, Abraham, id est, *pater multarum gentium* appelletur. Hic igitur Heliu, sicut apparet, secundum bonum naturæ, homo justus videtur fuisse, qui et spiritum habuit prophetiæ : sed puto non eodem modo, vel eadem gratia, ut sancti prophetæ. Unde et ipse Dominus ad sanctum Job de eo locutus est : *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* quod est, improperii verbis atque inordinatis sermonibus sensus propheticus narratur : ubi non reprobat Dominus quod Heliu loquitur, sed quod præpropere ab B eo dicitur, hoc reprehendit. De hoc, inquam, Heliu, et sui similibus, et in principio libri hujus diximus, quod prophetiæ mysterio usi sint etiam, qui exorbitaverant a vera religione, quia et illis dedit Deus verbum suum, ut mysteria futura pronuntiarent hominibus : ubi maxime fides et admiratio gentilium pendet, ut qui nostris nolunt credere prophetis, credant saltem divinis et vatibus suis. Hunc itaque Heliu, qui est Balaam, figuram habere gentium diximus, adversantium Christo, sicut et illos amicos beati Job, hæreticorum figuram. Quod autem ait, finita sunt verba Job : possumus intelligere tamquam dixerit, firmissime stabilita sunt verba divina, et irrita esse non possunt, quæ usque ad æternam promissionem fideliter credentes perducunt. Isti vero, C qui justum virum et sempiternum præsumptione adinventorum dogmatum audent discutere, æterno quandoque silentio conticescent. Quod autem Heliu duobus nominibus vocitatur, non est mirum : familiare est hoc Scripturæ divinæ, ut Salomon Idida, et cognatus Mosi dictus est Jetro, et Raguel, et Petrus Simon. Unde non parvam obscuritatem hæc varietas nominum solet legentibus exhibere.

Iratus est autem adversum Job, eo quod justum se esse diceret coram Deo. Porro adversum amicos ejus indignatus est, eo quod non invenissent responsionem rationabilem, sed tantummodo condemnassent Job. Igitur Heliu exspectavit Job loquentem : eo quod seniores essent qui loquebantur. Cum autem vidisset quod tres respondere non potuissent, iratus est vehementer. D *Respondensque Heliu filius Barachiel, Buzites, dixit.* Videtur mihi quod hæc prius gesta sunt, quæ hic legimus, quam illa quæ in Numeris de hoc ipso Heliu sive Balaam facta referuntur. Hic igitur Heliu qui ait Job et amicos ejus se exspectasse loquentes, honoris ac reverentiæ causa ostendit se fecisse quod fecit : senioribus scilicet deferendo. Jam hic ipsius Heliu verba sunt, ita dicentis :

Junior sum tempore, vos autem antiquiores : idcirco demisso capite, veritus sum indicare vobis meam sententiam. Sperabam enim quod ætas prolixior loqueretur, et annorum multitudo doceret sapientiam. Sed, ut video, spiritus est in hominibus, et inspiratio omnipotentis dat intelligentiam. Non sunt longævi sapientes : nec

senes intelligunt judicium. Dicit hoc sibi magis videri, quia spiritu agantur homines, quibus Deus omnipotens sapientiæ suæ inspirationem tribuerit, quod in sugillationem prædictorum quasi ex obliquo dicit, veluti sibi soli hoc sapientiæ bonum concessum sit. Notandum quod hic Heliu, per quatuor locutiones, sicut textus lectionis docet, sibi ipsi succedit; per quas singulas, vel priorum responsa, quasi eruditius retractare, vel singula loca asperius a sancto Job dicta, coram ipso destruere conatur. Nam post præfationem copiosam, in prima locutione sua, de sancti Job verbis hæc posuit, ita inquiens: Mundus sum ego, et absque delicto immaculatus, et non est iniquitas in me. Quia querelas in me reperit, ideo arbitratus est me inimicum sibi. Posuit in nervo pedes meos, et custodivit omnes semitas meas. In secunda locutione verba Job ita posuit, dicens: Justus sum, et Deus subvertit judicium meum. In judicando enim me, mendacium est; violenta sagitta mea absque ullo peccato. Tertia locutio ejus ita habet, eodem Heliu dicente ad Job. Dixit enim, non tibi placet quod rectum est, id est, Deo dixit, ait, quid tibi prodest, si ego peccavero? Quarta vero locutio Heliu continet quod pro Deo locuturus, operatione sua Deum justum probare disponat, quod usque in finem quarti hujus sermonis sui inter prophetiæ suæ mysteria acerrime, et cum summa instantia prosequitur, et non desistit.

Ideo dicam, audite me, ostendam vobis etiam ego meam sapientiam. Exspectavi enim sermones vestros; audivi prudentiam vestram, donec disceptaremini sermonibus vestris. Quoniam vestra mihi jam facta est manifesta. Hoc ironicos ab eo dici, non dubium est, et ideo quia superius risorie prudentiam dixerat amicorum Job, sequitur id aperte dicens.

Et donec putabam vos aliquid dicere, considerabam. Sed, ut video, non est qui possit arguere Job, et respondere ex vobis sermonibus ejus. Ne forte dicatis, invenimus sapientiam, Deus projecit eum, non homo. Nihil locutus est mihi, et ego non secundum sermones vestros respondebo illi. Extimuerunt, nec responderunt ultra: abstuleruntque a se eloquium. Nullam, inquit, adversum me Job habuit disputationem; sed neque ego illum, quemadmodum vos facitis, maledictionibus victorum et opprobriis aggredior.

Quoniam igitur exspectavi, et non sunt locuti: steterunt, nec ultra responderunt, respondebo et ego partem meam, et ostendam scientiam meam. Proinde et ego, Heliu ait, pro viribus meis respondere tentabo, et ostendam vobis meam, et Job pariter scientiam quod ex jactantia vanitatis dicere eum satis apparet, cum subjungit:

Plenus sum enim sermonibus, et coarctat spiritus uteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit. Loquar et respirabo paululum: aperiam labia mea, et respondebo. Juxta anagogen ventrem suum, aut uterum, κατα-χριστῷ ipsam memoriam suam dixit, eo quod pene omnes sermones Job et amicorum ejus, aliquamdiu disceptantium, velut cibos intra capacitatem suæ memoriæ congregaverit.

Non accipiam personam viri, et Deum homini non æquabo. Nescio enim quamdiu subsistam, et sic post modicum tollat me factor meus. Justi judicii mei, inquit, sententia hæc est, ut nec homini parcam, vera dicendo: nec Deo injuriam faciam, ut eum injuste aliquid contendam fecisse.

CAPUT XXXIII.

Audi igitur, Job, eloquia mea, et omnes sermones meos ausculta. Ecce aperui os meum, loquatur lingua mea in faucibus meis. Simplici corde meo sermones mei, et sententiam labia mea puram loquentur. A Domino ita despicitur Heliu, cum ait de eo, quis est iste? Indignum enim erat atque præposterum ut vir magnus, Deoque placidus, etiam si ut homo in aliquo deliquisset, ab ipso corriperetur, qui longe a vera religione esset. Sed si movet forsitan quempiam, quia iste Heliu multa de Salvatoris temporibus futura prædixit, quæ ut prophetiam suscipiamus: sciat quisquis est, quem hoc movet, illa quæ spiritu Dei prædicta sunt, suscipienda a nobis et credenda. Hæc vero quæ elatione cordis ab eo deprompta sunt, reprobanda, quoniam de propriis suis, ut diabolus locutus est, non ex Deo.

Spiritus Dei fecit me, et spiraculum Omnipotentis vivificavit me. Ut det auctoritatem se audiendi, ita locutus est, quando non possit non recta et vera dicere, is qui Spiritu Dei factus sit, et Omnipotentis spiraculo animatus: ubi Trinitatis Deum intelligere debemus. In Deo enim nominat Patrem: in Omnipotente Filium, in spiritu Spiritum sanctum. Trinitatis enim Deus creavit omnia; sed quando hominem fecit, propria et speciali quadam significatione nominum, per diversam operum nuncupationem se voluit demonstrare, ita legislatore dicente: *Et creavit Deus hominem, ad imaginem Dei creavit eum: masculum et feminam fecit eos.* Itemque: *Et fecit Deus hominem de limo terræ. Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem:* ubi in faciente, et inspirante, vel etiam benedicente, sine ulla discretione, vel dissonantia voluntatis, operatam Trinitatem sentire debemus. Non enim refert aliquid, vel diversum intelligere facit, verbum creavit, inspiravit et benedixit: ubi secundum naturæ unitatem, una est voluntas opusque commune.

Si potes, responde mihi, et adversus faciem meam consiste: ecce et me sicut et te fecit Deus, et de eodem luto ego quoque formatus sum. Verumtamen miraculum meum non te terreat, et eloquentia mea non sit tibi gravis. Prolaturus verba ejus, responsionem deposcit, ut sub blandimento quodam et consolatione simulata minarum terrorem incuteret, quo perturbatus Job facile multiloquio ipsius cederet.

Dixisti ergo in auribus meis, et vocem verborum tuorum audivi: Mundus sum ego, et absque delicto immaculatus, et non est iniquitas in me. Quod ergo He-

lia ait Job : Hoc est ergo in quo non es justificatus, id est, accusare debueris te, non laudare : non illud dicere : mundus sum, sine peccato et immaculatus : iniquitas quoque non est in me. Hoc est, inquam, in quo non es justificatus, quia justificatio per humilitatem acquiritur. Laus vero elationis condemnationem meretur. Potuit quidem ut vir justus et de sanctis operibus suis sibi bene conscius, audenter aliqua quæ vera sunt, Deo dicere : non potuit tamen hæc quæ ei Heliu falso objicit, velut sacrilegus loqui. Denique illa, quæ dixisse Job dicit, ita inquiens :

Quia querelas in me reperit, ideo arbitratus est me inimicum sibi. Posuit in nervo pedes meos : custodivit omnes semitas meas. Hoc est ergo in quo non es justificatus. Non legimus hæc Job dixisse, quæ utique ex sensu ejus, quasi a sancto Job dicta, suis hic verbis composuit. Unde hunc potius non recte verba dicere noverimus, quam eumdem sanctum Job dixisse credamus.

Respondebo tibi, quia major sit Deus homine. Adversus eum contendis, quod non ad omnia verba responderit tibi. Semel loquitur Deus et secundo idipsum non repetit. Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo : tunc aperit aures virorum, et erudiens eos, instruit disciplina, ut avertat hominem ab his quæ fecit, et liberet eum de superbia, eruens animam ejus a corruptione, et vitam illius, ut non transeat in gladium. Ab ipso principio mundi, et deinceps semper locutus est Deus hominibus, et semel nihilominus loquitur, sed ubi frequenter loqui dicitur Deus, vel lex ejus multiplex, vel prophetarum et mandatorum ejus diversitas indicatur. Ubi vero semel loqui significatur, stabilita ac definita ejus sententia demonstratur. Loqui enim Deum efficientiæ ejus res intelligitur. Semel loquitur Deus, et secundo idipsum non repetit, id est, non immutat Deus, nisi hoc ipsum vitæ nostræ mutatio deposcerit : hoc loco de duobus quibusdam correptionum gradibus Heliu diligenter enarrat, et dicit quod eruditio divina, vel castigatio circa hominem, et in noctis visionibus fiat : itemque in lectulo : unde ait : Contabescere faciat hominem, donec ad vitæ hujus extrema perveniat. Et cum ab aliquo sancto pro eo fuerit interventum, ut fecit Isaias pro Ezechia rege, restituatur pristinæ sanitati. Et ait in subsequentibus, quod tribus vicibus hæc circa hominem operetur, id est, evidenter, et probabiliter, et confirmativo modo, vel propter trinumeri perfectionem, vel propter trium testium veritatem. Quo genere etiam patientiam Dei, clementiamque significat, quæ non statim, sed per partes, et per vices castigat, et arguit delinquentem : ubi ei nec præceptis veritatis judicium, nec inutilis remissio, nec injustitiæ imputatur iniquitas.

Increpat quoque per dolorem in lectulo, et omnia ossa ejus marcescere facit. Abominabilis ei fit in vita sua panis, et animæ illius cibus ante desiderabilis. Tabescet caro ejus, et ossa quæ tecta fuerant, nudabuntur. Appropinquabit corruptioni anima ejus, et vita illius mortiferis. Si fuerit pro eo angelus loquens unum de similibus, ut annuntiet hominis æquitatem : miserebitur ejus, et dicet : Libera eum, ut non descendat in corruptionem. Inveni in quo ei propitier. Sive ut alii dixerunt : *Accessit usque ad mortem anima ejus, et omnia ejus marcescere facit.* Cum per hæc itaque correctus homo atque consumptus, morti et infernalibus ministris appropinquaverit, si fuerit quispiam sanctorum, qui nomen sancti angeli habere mereatur : is pro hujusmodi, qui pro peccatis suis a Deo ita corripitur, poterit impetrare : si tamen de multis operibus bonis, quæ operari debuerat, saltem unum bonum opus ejus, quod tamquam sacrificium pro eo placabile offerat Deo, valuerit invenire. Exaudiet, inquit, et jubebit, ut prædictus ad correptionem infernorum cruciatuum non descendat, eo quod vir magnus quidam exstiterit, cujus preces Deus non potuerit non audire. Et angelus quilibet de cœlo assistens ante faciem Dei, potest pro quolibet peccatore in flagellis castigationum posito intercedere : ipsis enim est cura injuncta a Deo, vel maxime, ut diversis hominibus, vel nationibus, defensionis sive custodiæ suæ opem ferant. De quibus Apostolus : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi : propter eos qui hæreditatem capient salutis?* Exemplum autem rerum præsentium, de quibus nunc loquimur, in Scripturis dominicis retinemus, ubi legimus, in somnis homines fuisse correptos, ut Nabuchodonosor regem superbissimum, et Laban, qui parentis sui Jacob interitum disponebat, et Abimelech regem, qui sancti Abrahæ domum contaminare tentabat, et uxorem Pilati, quæ ait ad eum de Domino nostro Jesu Christo : *Nihil tibi et justo illi : multa enim passa sum per somnium propter eum.* Et magi in Evangelio in somnis admoniti, per aliam viam egrediuntur. Fideles etiam viri a Deo in somnis instruuntur, ut Jacob patriarcha, et alios legimus infirmatos esse propter peccata, de quibus illum paralyticum fuisse discimus, cui ait Dominus : *Remittuntur tibi peccata tua.* Legimus et sanctos ægros fuisse, ut Trophimum et Epaphroditum : quos utique velut justos tali castigatione examinatos credere debemus : non ut peccatores infirmitatis verbere flagellatos. Sequitur :

Consumpta est caro ejus a suppliciis : revertatur ad dies adolescentiæ suæ. Recepit, inquit, mala pro meritis suis, et suppliciorum atque pœnarum mensuram : sufficiant hæc ei verbera castigationis, quibus revocatus est ad emendationem : nunc indulgentia divinæ pietatis ad dies adolescentiæ revertatur, id est, sit iterum sanus atque incolumis.

Deprecabitur Deum, et placabilis ei erit, et videbit faciem ejus in jubilo, et reddet homini justitiam suam. Quod interim corde fit, cum per Deum bonum conscientiæ possideatur. Videbit autem Dei faciem, propitium sibi vultum illius sentiens, redditurus ei digna satisfactione justitiam.

Respiciet homines, et dicet : Peccavi, et vere deliqui, et ut eram dignus non recepi. Magna res est, Deoque plurimum acceptabilis ut homo errores suos confiteri non erubescat : præsertim si pro eis se intelligat castigari, et ita se humiliet, ut quidquid castigationis sustinuerit, pro meritis suis parum se passum pronuntiet. A

Liberavit animam suam ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret. Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos, ut revocet animas eorum a corruptione, et illuminet luce viventium. Id est, agnitionis Dei lucem et immensa beneficia illuminatus agnosceret.

Attende, Job, et audi me, et tace dum ego loquor. Si autem habes, quid loquaris : responde mihi. Loquere, volo enim te apparere justum. Quod si non habes, audi me : tace, et docebo te sapientiam. Quasi hac ratione Heliu sanctum Job convicerit, ait illi : *Audi me*, id est, docenti te obediens esto, et præbe consensum. Quod autem dicit, ut taceat : eloquentem et tamquam minus eruditum, vel impatientem jubet ut sileat. B

CAPUT XXXIV.

Pronuntians itaque Heliu, etiam hæc locutus est. Quasi sententiam Heliu pronuntiare dicitur, et præsentes amicos sancti Job ad audiendum se cohortatur.

Audite, sapientes, verba mea, et eruditi auscultate me. Auris enim verba probat, et guttur escas gustus dijudicat. Quemadmodum igitur, inquit, a faucibus ciborum sapor dignoscitur : et idcirco, ait Heliu : C

Judicium eligamus nobis, et inter nos videamus quid sit melius. Id est, prius discutiamus, antequam hominem condemnemus.

Quia dixit Job : justus sum. Non sermonem hunc Job dixit, sed dum virtutes justitiarum suarum notas fecit, justum proculdubio se esse monstravit, quem et Dominus justum jam dixerat. Quod hic dicitur :

Et Deus subvertit judicium meum. In judicando enim me, mendacium est, et violenta sagitta mea absque ullo peccato. Similiter et hoc ipsum non legimus, sed scriptum tenemus : *Vivit Deus, qui abstulit judicium meum.* Subvertere autem judicium, ad iniquitatem respicit judicantis : abstulisse vero judicium, id est, pro tempore distulisse, ad dispensationem justi judicis pertinet. *Et multiplicavit vulnera mea etiam sine causa.* Proinde hoc loco asserente Heliu, hic esse sensus videtur, quod cum Job ita dixerit, fefellit Deum judicium meum, non recte et vere judicavit, et ideo erga me mendacio agitur. Quæ autem locutus est Job, magis incaute, et præsumens de justitia Dei dixisse credendus est. Proinde juste ei et merito Deus ait : Utique qui arguit Deum, debet respondere ei : in quibus utique verbis Dei increpatur. Hoc resonat, quod beatus Job non recte aliqua sit locutus, sed qui optime noverat, quod bona in eo plurima essent, unde et illi placuerat, concedit ea quæ immoderatus cum loqui in summis angustiis dolor compulit. D

Quis est vir ut est Job, qui bibit subsannationem quasi aquam, qui graditur cum operantibus iniquitatem, et ambulat cum viris impiis? Cujus viscera tamquam aquæ abundantia veneno hujus passionis impleta sunt.

Dixit enim : Non placebit vir Deo, etiam si cucurrerit cum eo. Invidiose de eo sanctum Job locutum fuisse mentitur, quia beatum Job tam infeliciter sapuisse non credimus, sed nec alicubi eum hoc dixisse meminimus.

Ideo, viri cordati, audite me : absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet eis. Vere enim Deus non condemnabit frustra, nec omnipotens subvertet judicium. Quasi exposita impietate sancti Job, et in medio audientium prolata in invidiam Job, quasi impia sit locutus.

Quem constituit alium super terram : aut quem posuit super orbem quem fabricatus est? Id est, numquid alium rectorem posuit, qui a creatoris justitia discreparet. Ipse ergo quam potens conditor, tam pius est moderator, quia opus suum agnoscit et diligit.

Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet. Deficiet omnis caro simul, et homo in cinerem revertetur. Id est, mundi : nam si omnia quæ in eo quotidie geruntur, secundum regulam justitiæ suæ voluerit intueri, deficiet ac peribit; sed cum pietate potius gubernat ac sustinet. Nam si iniquitatem observaverit, quis sustinebit? Spiritum dixit animam, quæ vivificat hominem, et flatum, ipsam præsentem vitam, quæ corporibus nostris per anhelitum ex hoc aere ministratur. Hæc ergo Heliu dicit ad se trahere Deum, cum aufert hominibus vitam, quam eis creando tribuerat. Possunt per spiritum prophetiæ hæc loca ita videri figurata, ut nunc in Christo compleantur, quando dispensatione carnis assumptæ, Pater eumdem Filium suum, per quem omnia fecit, ad hunc mundum ex suo eructatum corde direxit, ut spiritum ejus et flatum ad se traheret, id est, ut auferret ab eo, per humilitatem crucis, spiritum, id est, superbiam spiritus mundialis : flatum quoque tumentis eloquii, quo anhelans gloriabatur in sermonibus suis. Sic quoque homo in se represso tumore deficeret : ac revertens in seipsum, cognosceret se terram esse et cinerem : ubi secundum moralem intelligentiam, illud de psalmo sentimus : *Et auferes spiritum eorum, et deficient, et in terram suam convertentur.* Postea ergo quam de virtute Dei et justitia prædictis locutus est, Heliu se rursum ad Job convertens, dicit :

Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur et ausculta vocem eloquii mei. Numquid qui non amat judicium, sanari potest? Et quando tu eum qui justus est, intantum condemnas? Qui dicit regi, apostata : qui vocat duces impios. Manifestum est, inquit, quia is qui juste et recte judicare non diligit : neque sanare a vitiis animam, neque corrigere quemquam potest :

et quomodo tu sanator es languorum nostrorum, qui iniquitates notare præsumis?

Qui non accipit personas principum, nec cognovit tyrannum, dum disceptaret contra pauperem. Opus enim manuum ejus sunt universi. Secundum mysticos intellectus, principes isti Judæorum, Scribæ et Pharisæi, et sacerdotes possunt intelligi: quos in Evangelio increpat. Tyrannum vero eumdem populum Judæorum, non ab re esse sentiamus, qui contra cœtum sanctorum Ecclesiæ, pauperem, humilem spiritu, contritum corde, rejiciendo hodie disceptat: quod facere et tempore apostolorum non desinebat, quando per omnes civitates contra eos pugnas et seditiones agebat. Hos igitur ut infideles et impios Dominus non cognoscet: quibusque etiam manifeste dicturus est: *Non novi vos: discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem.* Sequitur dicente Heliu de his, de quibus dicit superius:

Subito morientur, et in media nocte. Secundum sensum Apostoli est, qui ait istud de filiis tenebrarum. Cum enim dixerit pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. Mediam vero noctem dictam ideo existimo, eo quod in profunda cordis cæcitate positi, spiritualiter moriantur.

Turbabuntur populi, et pertransibunt, et auferent violentum absque manu. Oculi enim ejus super vias hominum: et omnes gressus eorum considerat. Secundum Psalmistam: *Cum viderit*, inquit, *justus vindictam impiorum*, exemplum videlicet peccatorum hominum pertimescens, *manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Hoc igitur modo turbabuntur populi, qua perturbatione terram sensibilem legimus conturbatam: sicut propheta ait ad Deum: *Commovisti terram, et conturbasti eam: sana contritiones ejus quia mota est.* Sic enim quasi boni viatores ad futurum sæculum pertransibunt, ubi locus non erit impio: aliter nullum habebit adjutorium violentus, quo defendi vel erui possit a pertrahentibus eum ad supplicium mortis.

Non sunt tenebræ, et non est umbra mortis: ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem. Sive ut alii dixerunt in fine hujus versiculi, ut latitent qui faciunt iniquitatem. Quod utrumque secundum illud Psalmistæ sensum est, ita dicentis: *Quo ibo a spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam?*

Neque enim ultra in hominis potestate est, ut veniat ad Deum in judicium. Id est, si habuerit in potestate ut veniat, potest habere ut non veniat.

Conteret multos, et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis. Ut de Heli sacerdote et Samuele, Saul et David, Judæorum populo et gentium.

Novit enim opera eorum, et idcirco inducet noctem, et conterentur. Quasi impios percussit eos in loco videntium. Sub his quoque verbis Heliu significasse potuit ob merita sua Judæos nocte infidelitatis excæcandos, ut conterantur et humilientur, sicut propheta et Apostolus ait: *Dedit illis Deus spiritum compunctionis.*

Qui quasi de industria recesserunt ab eo, et omnes vias ejus intelligere noluerunt, ut pervenire facerent

A *ad eum clamorem egeni, et audiret vocem pauperum.* Omnes enim peccatores et impii contra inditum sibi bonum naturæ agunt: sicut Apostolus ait: *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Ubi autem cognoverunt Deum, nisi inspiratione et judicio mentis? Ubi ergo Deo gloriam suam habuerunt contemptui: ubi ab ea contra suam conscientiam recesserunt, omnesque vias mandatorum Dei, quas suis cordibus habent ingenitas, nosse et intelligere detrectarunt, cum hominibus quoque ita impie et injuste egerunt, ut ad Deum pauperum oppressorum clamor ascenderit. Sive Judæos impios atque incredulos percussit Deus in loco videntium, id est, in lege Mosaica: ubi prophetæ, qui videntes dicti sunt, inhabitant. In ipsa itaque spe legis, et

B promissorum compositione, tamquam in quodam videntium loco, juste percussi a Deo sunt: intantum ut oratio illius, qui propter nos pauper factus est cum esset dives, ascenderet ad Deum: *Disperge illos in virtute tua.* Sive viventes sunt omnes, qui in Christo ex fide vivunt: in hac enim spe positi, mente contemplantur futuram beatitudinem. In hoc igitur loco, ubi quasi fide stantes sunt, quidam sub fidei hujus vocabulo, habent speciem pietatis: virtutem autem ejus sunt abnegantes. Hi ipsi igitur, qui hæretici intelliguntur, in loco Dei male stantes, a Deo percutiuntur, apostolis et Ecclesiarum doctoribus, id est, pauperibus Christi contra eos resistentibus et ad Deum clamantibus.

C *Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet?* Propheta ait ad populum: *Orate pro vita Nabuchodonosor, ut illius pace sit pax vobis.* Sive pacem Ecclesiæ, et quietem ipse concedit, quando non surgunt adversus eam pugnæ persecutionum, sive quando hæreticorum lites, et scandala conquiescunt. Nec non contra vitiorum bella, quietis et pacis silentium ipse donat: quando devictis eis, et velut acerrimis hostibus expugnatis, pax fit in homine summa virtutum. Quod autem ait:

Ex quo absconderit vultum, quis est qui contempletur eum? Et super gentes, et super omnes homines. Hoc est, quod nisi ipse dignatus fuerit se homini revelare: quis est qui possit eum suis viribus intueri, vel perscrutando ad majestatem ejus accedere?

D *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Quod manifeste in Saule rege apparuit, et sicut Dominus ait: *Auferam de Jerusalem judicem, et prophetam, et sapientem, et consiliarium: et dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis.* Et Nabuchodonosor justo judicio Dei, multa regna, et plurimas nationes accepit. Potest, et diabolus homo iste intelligi, qui, perdita angelica dignitate, hominis nomen sortitus est: de quo Dominus ait in Evangelio: *Inimicus homo hoc fecit.* Hypocrita vero et simulator ideo est appellatus, quoniam transfigurat se in angelum lucis: cum ipse potius auctor sit tenebrarum, id est, omnium criminum et peccatorum inventor.

Quia ergo ego locutus sum ad Deum : te quoque non prohibebo. Quasi in judicio constitutum, permittit eum interloqui, ut si quid forte sibi est dicendum; non taceat.

Si erravi, tu doce me. Si iniquitatem locutus sum, ultra non addam. Id est, non loquar.

Numquid a te Deus expetit eam, quia displicuit tibi? Tu enim cœpisti loqui, et non ego. Quod si quid nosti melius, loquere. Tu dixisti quod iniquus esset Deus : quia a te iniquitatem, et injustitiam vitæ, injusta correptione exigeret, cui necesse esset injuste afflictum contra eum loqui injusta, et ob hoc, inquit, displicuit tibi Deus dum ejus justitiam, qua te punit insontem, non vis veram esse justitiam.

Viri intelligentes loquantur mihi, et vir sapiens audiat me. Heliu sanctum Job despiciens, convertit se ad eos qui cominus assistebant, et ita de beato Job definite pronuntians, ait ad eos :

Job autem stulte locutus est, et verba illius non sonant disciplinam. Manifestum est.

Pater mi. Quia ab ipso est homo creatus, et conditus. Probetur Job, inquit Heliu : non examinetur, quod solet ad probationem eruditionis referri.

Probetur Job. Id est, manifestetur : probatum sit omnibus, cunctisque pateat, Job qualis sit : ante te probetur, inquam, Job.

Usque ad finem. Ne desinas ab homine iniquitatis. Id est, insit in eo jugiter plaga flagelli hujus : neque desinas infligere pœnas operantibus iniquitatem.

Qui addidit super peccata sua blasphemiam. Id est, super hoc quod peccator est, addit ad cumulum peccatorum, ut in blasphemiæ crimen erumpat, propter quod mala hæc cruciatuum sustinet.

Inter nos interim constringatur, et tunc ad judicium provocet sermonibus suis Deum. Condemnetur inter nos interim, ne et nobis in injustitiam reputetur : absque crimine nostro erit, si postmodum Deum provocare tentaverit.

CAPUT XXXV.

Igitur Heliu hæc rursum locutus est : Numquid æqua videtur tibi tua cogitatio, ut diceres : justior Deo sum? Dixisti enim : Non tibi placet quod rectum est, vel quid tibi proderit, si ego peccavero? Fieri potest, quod de sermonibus ubi asperius locutus est ad Deum, quam forsitan debuit, aliqua inde hic Heliu descripserit, et verborum suorum invidiose quasi sensus illius dicere voluerit.

Itaque ego respondebo sermonibus tuis, et amicis tuis tecum. Pro eo quod non potuerunt ei rationabiliter respondere.

Suspice ad cœlum, et intuere ei, et contemplare æthera, quod altior te sit. Id est, cui te æquare præsumis? Hoc ait Heliu, qui Deum corporaliter locis contineri arbitrabatur : quod in excelsis tantum atque in sublimibus Deus Dominus commoretur.

Proinde si peccaveris, quid ei nocebis? Et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Quod ita dixisse mihi videtur, non enim, te peccante, Deo damni aliquid infertur : aut si pro multitudine peccatorum tuorum ulcisci te voluerit, numquid poteris ei contraire?

Porro si juste egeris, quid donabis, aut quid de manu tua accipiet? Hinc David dicit, quoniam bonorum meorum non eges.

Homini qui similis tui est, nocebit impietas tua, et filium hominis adjuvabit justitia tua. Id est, homini nocere poterit impietas tua, si male agentem te æmulatus fuerit : quemadmodum filium hominis justitia tua adjuvabit, si vias tuas, cum recte incedis, imitetur.

Propter multitudinem calumniatorum clamabunt, et ejulabunt propter vim brachii tyrannorum. Sub hac qualitate disputationis suæ, Heliu sanctum Job talibus admiscet : eisque similem judicat, dum calumniatores et tyrannos, iniquos homines nominat, quorum calumniis, et potentia, homo, et filius hominis oppressi ingemiscunt. Et modo spiritualiter hunc hominem, et filium hominis, populum sanctum non absurde sentimus, qui propter unitatem totius corporis Ecclesiæ, homo unus dicitur, sicut Apostolus ait, et secundum Psalmistam *filius hominis* appellatur, ita dicentem : *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis quem confirmasti tibi.* Potest hoc et de invisibilibus inimicis dici : qui occulta impugnatione vitiorum, mentibus dominantur : propter quod fideles ejulantes in oratione ad Deum dicunt : *Eripe me de inimicis meis, Deus meus.*

Et non dixit. Quando utique affligebant prædictos, quos sibi per iniquam dominationem, Deo permittente, subegerant : ita ut hi sub tanta necessitate pressurarum positi ejularent, et clamarent ad Deum : illi non intenderunt animo, neque intenderunt in cœlum, ut saperent quod Deo conditori suo hæc omnia displicerent. Non dixit, inquam, apud semetipsam talia multitudo iniquorum sive dæmonum.

Ubi est Deus qui fecit me? qui dedit carmina in nocte. Hoc ait Heliu. Cum ergo justos et recte viventes a supra dictis Deus tribulari permittat : consolationem tamen eis in nocte tribulationum concedit. Nox enim ipsa tribulatio intelligitur, secundum illud Psalmistæ : *Probasti cor meum et visitasti me in nocte;* sicut et prosperitas aliquando dies dicitur, quoniam qui in prosperis est, quasi quadam felicitate illuminatur. Unde ait in psalmo : *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* Tantam, inquit Heliu, tolerantiam justi homines a Deo accipiunt, ut etiam in nocte tribulationis, hymnorum spiritalium canticis delectentur. Canticum ergo ad exsultationem cordis, vel maxime pertinet. Proinde hæc exsultatio de spe futuri gaudii nascitur in corde cantantium, et faciunt more viatorum, quia ipsi ut viatores et peregrini transeunt per hunc mundum, qui ut ad destinatum sibi locum sine labore perveniant, cantu fatigationem itineris consolantur ac sublevant. Et juxta mysticos intellectus, noctem, secretum quoddam ac divinæ disputationis remotum silentium intelligamus, quod aliis sæculis, sicut Apostolus ait : *Non fuit revelatum filiis hominum.* Quæ nox sit in

quatuor vigilias distributa, ut a principio mundi usque ad Christum Dominum nostrum hanc noctem dicamus, ut sit prima vigilia noctis hujus, ipse Adam primus, et pater hominum : per cujus conditionem evigilet animus humanus, ut credat creatorem omnium rerum Deum. Secunda vero vigilia sit tempore Noe, quo naufragium mundi factum sit, ut evigilent homines, ne et ipsi intereant. Tertia autem vigilia sancti Abrahæ temporibus habeatur, per quem cognoscat mundus, quemadmodum sit fide vivendum, et Deo placendum. Quarta vero vigilia sit circa tempora prophetarum, qui auroræ et lumini diei appropinquantis viciniores fuerunt, quique in ipsum Christum proximum sibi diem pene electam noctem fidei oculis intendebant. In hac igitur nocte per singula tempora prædictorum, sive prophetiis, sive significationibus, de Christo læta gaudioque plena prænuntiata sunt. Itemque ad illam comparationem futuræ revelationis filiorum Dei, ubi gloriam æterni illius diei percepturi sunt, et in re ipsa beatitudinem possessuri : nox est præsens hæc vita, cui fructus sui in futurum absconditi sunt, et ideo adhuc nox est, quia nondum vides quod speras. Proinde in hac nocte exspectationis, hymni et cantica Scripturarum dicta sunt nobis, donec discussa nocte fidei ad diem æternæ mansionis perveniamus.

Qui docet nos super jumenta terræ, et super volucres cœli erudit nos. Docet in communibus eruditum, subtilioribus : docet non solum per naturæ dona, sed etiam per gratiæ munera. Secundum tropicum vero intellectum, jumenta, homines carnales plerumque intelliguntur, qui gulæ et ventri, et luxuriæ dediti sunt. Alii autem volatilibus comparantur, sive propter levitatem morum, sive propter superbiam, qua tumentes quasi in altum elevantur. Unde dicit Apostolus : *Noli altum sapere.* Et Dominus in Evangelio : *Quia quod est in hominibus altum, abominatio est ante Deum.* Nam in Græco superbus ὑπερηφάνης dicitur, quod est *super apparens*, ut elatam mentem hominis, tumidamque significet.

Ibi clamabunt et non exaudiet, propter superbiam malorum. Quod dixit, ibi clamabunt, fortassis significare voluit locum pœnarum, ubi non exaudiendi sunt peccatores, propter superbiam malorum : sive ut alii dixerunt, *ab injuriis malorum*, quia mali bonis et justis insectationis injurias irrogare non desinunt.

Non ergo frustra audiet Deus, et omnipotens causas singulorum intuebitur. Hoc ait, quod peccatores persistentes in malis suis, non audiat Deus : quoniam sine causa utique ad eum clament, qui non merentur audiri.

Etiam cum dixeris, non considerat : judicare coram illo, et exspecta eum. Quando vides, Job, quia non statim Deus reddit peccatoribus quæ merentur, noli pusillanimitate frangi, ut in blasphemiam erumpas, et dicas Deum injustum, sive iniquum : sed judicare eum ea debes, id est, judiciis ejus consentire, non contra eum præsumptuoso judicio tuo in ejus injustitiam prosilire.

Nunc enim non infert furorem suum : nec ulciscitur scelus valde. Quoniam igitur statuit diem, in quo judicet de orbe terrarum, idcirco in hoc tempore vindictam justitiæ suæ non generaliter exercet. Et hoc totum in exprobrationem sancti Job loquitur, quem velut reum criminum in hoc malum pœnarum, Dei sententia pro parte condemnat. Unde scribit, cui restent plurima, quæ adhuc sit postmodum recepturus.

Ergo Job frustra aperit os suum, et absque scientia verba multiplicat. Juxta hæc convictum sanctum Job Heliu arbitratur, et quadam verborum ratione conclusum.

CAPUT XXXVI.

Addens quoque Heliu hæc locutus est : Sustine me paululum et indicabo tibi. Adhuc enim habeo quod pro Deo loquar. Id est, pro justitia et causa Dei.

Repetam scientiam meam a principio, et operatorem meum probabo justum. Vere enim absque mendacio sermonis mei, et perfecta scientia probabitur tibi. Et in hoc quarto sermone suo, de singulari justitia Domini, profundum nimium, et copioso sermone prosequitur : ubi multa arcana in obscuro sacramentorum recondita, et longe remota mysteria dicere videtur.

Deus potentes non abjicit, cum et ipse sis potens : sed non salvat impios. Hæc est justitiæ ejus immensitas, et naturæ bonæ voluntas, ut nulli invideat, quia nemo ei, quamvis potens sit, potest coæquari.

Et judicium pauperibus tribuit. Juxta justitiæ æquitatis suæ tenorem. Sanctos autem et innocentes viros consuevit Scriptura divina pauperes appellare.

Non auferet a justo oculos suos. Hoc ait, et beatus David : *Oculi Domini super justos*, etc.

Et reges in solio collocat in perpetuum, et illic eriguntur. Hic reges non solum sæculi hujus, sed et Ecclesiæ reges et præpositi intelligi possunt. Et secundum tropicos intellectus, reges, animi hominum sunt, qui corporibus recte dominantur, quibus in psalmo dicitur : *Et nunc, reges, intelligite; erudimini, qui judicatis terram.* Ita hi reges eriguntur a Deo, ut sedeant cum principibus.

Et si fuerint in catenis, et vinciantur funibus paupertatis : indicabit eis opera eorum, et scelera eorum, quia violenti fuerunt. Hi igitur in catenis fortibus, videlicet judicis Dei, et paupertatis funibus colligantur : id est, opem divini auxilii non habentes, pœnis temporalibus quasi vinculis astringentur, omnis rei bonæ inopes effecti pro qualitate meritorum.

Revelabit quoque aurem eorum, ut corripiat : et loquetur, ut revertantur ab iniquitate. Aurem, inquit, cordis ad obediendum sibi Deus per castigationes et secretas inspirationes aperiet.

Si audierint et observaverint, complebunt dies suos in bono, et annos suos in gloria. Hoc est quod Salomon ait : *Memoria justi cum laudibus.*

Si autem non audierint : transibunt per gladium et consumentur in stultitia. Id est, si instruente Deo,

qui docet hominem scientiam, audire contempserint, per gladium, id est, per hanc mortalitatem de hoc sæculo præteribunt, ut in stultitia, id est, in illis locis, ubi stulti deputabuntur, qui dicunt in corde suo, *non est Deus*, æternis cruciatibus consumantur.

Simulatores et callidi provocant iram Dei, neque clamabunt cum vincti fuerint. Ipsum sanctum Job apertius in hoc videtur Heliu quasi ex obliquo percutere, quod et ipse quasi callide et nequiter ageret: virum quoque egregium simularet. Quique etiam cum esset vinctus plagæ hujus compedibus, clamare ad Deum, et invocare eum, ut a laqueis pœnalibus illigatus absolveretur, minime curaret, quod utique desperatione sive contemptu faceret. De cæteris quoque peccatoribus similiter hoc ipsum potest intelligi, qui cum venerint in profundum malorum, contemnent: et de Judæis, et de hæreticis, qui ficta dogmata quasi veritatis velamine operientes, in noctis perfidia obstinato et obturato corde persistunt.

Morietur in tempestate anima eorum, et vita eorum inter effeminatos. Vitiosos et vitia esse noverimus, quæ sicut de virtutibus animi nihil in se habent quietum, virile, et frugi, sed totum turbulentum, remissum et fragile: ita necesse est ut velut tempestate animam semper suis illecebris inquietent, portumque virtutum hominem non sinant apprehendere, et fit istis talibus fluctibus, quod Salomon ait, ut jaceat anima tamquam in corde maris, et velut gubernator in magna tempestate. Vel aliter tempestas adventus ac judicium Dei est, de quo dicit, *in circumitu ejus tempestas valida.*

Eripiet de angustia sua pauperem. Pauperem Salvatorem nostrum intelligimus, qui propter nos pauper factus est, qui in diebus carnis suæ, preces ac supplicationes Patri obtulit, ut posset a morte salvum facere pauperem, sanctum populum Dei humilem spiritu. Vel pauperem quemlibet justorum eruet de angustia pressurarum, sicut etiam in divinis Scripturis diverso modo legimus liberatos.

Et revelabit in tribulatione aurem ejus. Id est, fortis sit unusquisque eorum in tribulatione, corroborante visitatione divina, quando a Deo homo tribulari permittitur, consolationem in aure cordis Domini, illic audiendo percipiet.

Igitur salvabit te de ore angusto latissime, et non habente fundamentum subter se. Hoc in loco infernorum habitacula ab Heliu describuntur, quæ immensa capacitate sui, fundamentum non habeant. Ad quorum tamen fundamenta in prophetis legimus, luciferum qui mane oriebatur depositum: multitudines quoque regum, et populos innumerabiles gentium. Ore autem angusto inferi ideo appellantur, eo quod amplum sit ad recipiendum, angustum ad dimittendum quoniam mortuos intra se teneant, et eos ad vitam non patiantur exire. David quoque sanctus similiter ait ad Deum: *Libera me ex odientibus me, et de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum: neque urgeat super me puteus os suum.* Proinde noverimus quia loca infernalium ergastulorum, secundum fidem Scripturarum, inter immensas abyssi aquas sint constituta: ab illis inferi sedibus nullus homo merito suo liberatus est, nisi gratia Domini nostri Jesu Christi. Et non solum, inquit Heliu, a tartareis angustiis liberaberis, verum etiam in latissimo refrigerii nemore, velut in campis spatiosis liber incedes.

Requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine. Amœnitatem paradisi, et jucunditatem, requiem nominando significavit. Immensam vero abundantiam vitæ beatæ, quæ esset plena ubertatis pinguedine, ac loci illius felicis referta deliciis, voluit demonstrare: cujus terram sanctam mansueti secundum repromissionem Domini possidebunt.

Causa tua quasi impii judicata est, causam judiciumque recipies. Judicio Dei ut impius, et pœnarum debitor reus inventus es, et idcirco secundum meritum causæ tuæ, judicium severissimum recepisti. Et ubi dictum est, causam judiciumque recipies, alii dixerunt, *propter impietatem munerum*, quæ accipiebant: ubi sub pluralitate locutionis, sanctum Job Heliu videtur ferire sermonibus.

Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas; nec multitudo donorum inclinet te. Docetur ab Heliu vir patientiæ et integritatis virtute fortissimus. Optimus judex est, qui his pessimis, iracundia et cupiditate, duobus vitiis non tenetur: quibus hoc loco ab Heliu sanctus vir correptus arguitur.

Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, et omnes robustos fortitudine. Id est, nec parvos nec magnos tua injusta opprimas dominatione, vel omnes motus depone fortitudine superbiæ roboratus.

Ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis. Jam sufficit hucusque in hac cæcitate vixisse. Jam ad lucem prudentiæ ac justitiæ venire contende: sive noctem quam tibi ex diversis peccatis contexuisti, ut in ea velut in continuis ac jugibus et perpetuis tenebris ambulares: jam quæso, ait, ne adhuc protrahas, et tamquam restem addendo peccata peccatis, in longum delecteris extendere: lumine ergo correptionis hujus jam finem talibus impone peccatis: nam protractione hac inemendabilis vita tua fiet, ut pro omnibus malis operibus tuis, populorum preces ascendant ab Deum: quos utique iniquissime deprimebas, interpellantium contra te, suasque miserias sibi a te irrogatas, ante sedem divinæ justitiæ deponentium.

Cave ne declines ad iniquitatem: hanc enim cœpisti sequi post miseriam. Hoc, inquit Heliu, ne in desperationem declines peto, et blasphemiæ iniquitatem jam caveas, sed reverti festines ad Deum. Video enim te post hujus plagæ tuæ horrendam miseriam, ad interitum tuum, hanc impietatis sequi velle perniciem, et voluntatem tuam, et cogitationem, ad adversarium mittere pusillanimitate dejectum.

Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus. Si poterit ei esse quispiam,

et potentia et virtute similis, poterit et justitia atque sapientia, legisque multiplicatione, judiciis quoque ejus similis inveniri. Et ideo cognosce, ait, quia nullus a Deo, qui solus est et fortis et sapiens, injuste poterit condemnari.

Quis poterit scrutari vias ejus. Quis utique, nisi impius, superbus, sive sacrilegus, vias divinorum operum scrutari præsumat? quod non licet; et tamen quantavis intentione mentis perquirat, eas invenire non poterit.

Aut quis audet ei dicere : Operatus es iniquitatem? Quis ergo tam temerarius, et iniquus atque injustus, qui hoc audeat loqui? Hæc omnia in injuriam Job dicuntur.

Memento quod ignores opus ejus, de quo cecinerunt viri. Vel omne generale opus ejus, vel certe speciale opus ejus. Super omnia enim magna, et mirabilia opera ejus, est dispensationis Christi mysterium, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Alii dixerunt : *Memento, quia magna sint ejus opera, quæ laudaverunt viri.* De omnibus operibus Dei dicit, quæ sancti viri in honorem divinæ venerationis merito laudaverunt.

Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul. Per naturæ bonum, notitia creatoris inest cordibus hominum; et quamvis aliquis tam parvus sit et frigidus, ut alienus esse studeat a creatore suo Deo, nullus tamen est qui se abscondit a calore ejus. Et ideo unusquisque mortalium, licet de longe, sentit et intelligit, dissimiliter quidem omnino, quia non tamquam corpus aut sicut quemcumque spiritum creatum, ita sentit esse Deum, sive intelligit, sed alio multo et ineffabili modo, quo Deus acie mentis est intuendus : ubi in ipso obtutu cordis intelligendo, videt homo quod supra ipsum est illud divinum nomen, quod contemplari conatur.

Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram. Numerus annorum ejus inæstimabilis. Vincens scientiam nostram magnitudine scientiæ suæ et altitudine judiciorum suorum.

Qui aufert stillas pluviæ, et effundit imbres ad instar gurgitum. Hanc ergo pluviam, legem Moysi intelligamus, quæ de cœlo velut pluvia venit populo Judæorum. Et pluvia dicta est propter præceptorum multitudinem, sicut et ipse Moyses de eadem gente Judæorum ait, dicens : *Exspectetur sicut pluvia eloquium meum.* Hujus igitur pluviæ stillas de illa gente abstulit Deus, ut est vel de incarnatione vel passione, vel de resurrectione Christi, quæ Judæi credere excæcato corde noluerunt, quæ sunt parva quidem mandata legalia, ut ea ad Evangelii fidem transferret, sicut ait Apostolus : *Verbum enim consummans et brevians in iniquitate,* et reliqua. Et de his stillis, parvisque guttis, tonante Evangelio, prædicationis Christi imbres effusi sunt super terram. Et hi imbres ad instar gurgitum esse dicuntur : qui utique cum in terram copiose descendant, profunditatem in se et obscuritatem continent mysteriorum, quæ in Lege et prophetis per figuras et similitudines dicta vel facta sunt, in revelatione adventus Domini, obscuritate sui et profunditate mysteriorum, veluti clausa signa inventa sunt. Imbrium vero nomine, large effusam gratiam Spiritus sancti esse noverimus, sicut ait Apostolus, *per lavacrum generationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum.*

Qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta desuper. Nubes scimus plerumque in Scripturis sanctos appellari, sicut et manifestum est quodam loco, dicente Domino : *Et nubibus mandabo, ne pluant super eam pluviam :* id est, vineam, quod est, super gentem peccatricem Judæorum : verbis suis salutis pluviam non effunderent. De talibus igitur nubibus, apostolis videlicet, et apostolicis viris, prædicatoribus veritatis, illi imbres pluunt talem pluviam, quæ habeat in se similitudinem gurgitum, propter arcanorum cœlestium opacitatem : ubi congrue illud Davidicum dicitur : *Tenebrosa aqua in nubibus aeris.* Hæ igitur nubes, inquam, per quas imbres gurgitum fluunt in terram, prætexunt cuncta desuper. Habentes enim intra se aquas Evangelii, ut flumina de ventre eorum fluant aquæ vivæ, de superioribus mysteriis, quasi quodam prætextu, et obscuritate aquarum, obstaculum carnalibus faciunt et terrenis.

Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, et fulgurare lumine suo, desuper cardines quoque maris operiet. Ita enim prædictas nubes extendit, ut de eis in omnem terram exierit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba illorum : quemadmodum postea locutus est ad discipulos suos, id est, nubes suas, dicens : *Et eritis mihi testes in Jerusalem, et Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ :* per quas utique nubes sua fulgura prædicationis resplenduerunt, et nominis Christi fama de cœlo velut lumen effulsit. Maris etiam, mundi videlicet hujus cardines occupavit : sive cardines mundi possumus intelligere principes, et capita gentium diversarum ; quorum erroribus ac pravis doctrinarum suasionibus mundus in loco superstitionis dæmoniorum velut in cardine vertebatur.

Per hæc enim judicat populos, et dat escas multis mortalibus. Istis enim rebus sacramentorum prædictis, statuit Deus pietatis suæ judicio universis populis misereri, et dare escas doctrinæ verbi sui, sive mysteriorum cunctis mortalibus, secundum quod ipse ait : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.*

In manibus abscondit lucem, et præcipit ei ut rursus adveniat. Potestate justi judicii sui, lumen notitiæ suæ abscondit a peccatoribus malum operantibus, et venire eam ad illuminationem mentis præcipit ; si Deum adjutorem ejus quispiam fideliter quæreret.

Annuntiat de ea amico suo, quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere. Deus luce manifestationis suæ fidelem sibi amicum in corde docet et instruit. Erudiens quoque annuntiat ei, quod lux sive illa illuminationis gratia, sive divinorum charitas promis-

sorum possessio ejus sit, et ad eam, si disponat ascensiones in corde suo, quotidie proficiendo perveniat.

CAPUT XXXVII.

Super hoc expavit cor meum. Sive *obstupuit cor meum*, ut alii dixerunt.

Et emotum est de loco suo. Prædictis divinis mysteriis, et luce cognitionis Dei patefacta, quæ nisi amicis Dei et fidelibus demonstratur : perterritum est, inquit, cor meum Heliu, et zelo ignorantiæ ad sacramentorum cognitionem translatum.

Audiet auditionem in terrore vocis ejus, et sonum de ore illius procedentem. Quemadmodum vult Deus audite quod dicit, ita audite ; quoniam terret vox ejus tantis sacramentis mysteriorum prævalida : sonumque oris ejus, sive ut alii dixerunt, *strepitum*, pari modo audite. Hic ergo sonus est maxillarum Dei, qui forte idcirco sonus dictus est, non simpliciter sermo, ut inobedientia surdos, et obdurato corde incredulos vox clarior percuteret, et totos ad timendum Dominum commoveret.

Subter omnes cœlos ipse considerat, et lumen illius super terminos terræ. Quid sit hoc mirum de omnipotentia Dei, qui ubique est in cœlo, et in terra, in mari, et in abyssis. Sed videamus secundum allegoricum intellectum, quid sit quod de Deo Heliu ait ; Subter omnes cœlos considerat. Sanctos viros, cœlos Scriptura divina appellare consuevit, propter cœlestem utique conversationem, quibus ita dicitur : *conversatio vestra in cœlis est.* Dominus ergo subter hos cœlos considerat, vel dum ea quæ intra eos sunt, arcanorum scrutator introspicit, vel dum imbecillitatem corporum eorum, quæ animi imperio crucis virtute subdiderint, gubernat ac sustinet, et contra carnalium passionum bella corroborat. Secundum hunc sensum est, quod timore concussus Propheta, ait : *Et subtus me turbata est habitudo mea.* Termini quoque, sive fines terræ ipsi sancti sunt, finem terrenis passionibus et cupiditatibus imponentes, eo quod non sint in medio Babylonis, nec sæculi hujus vitiis circumdentur, secundum quod Petrus apostolus ait ; *Christus igitur in carne passus, reliquit nobis exemplum, quia passus est in carne, desiit esse a peccatis, ut jam non hominum desideriis, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne, vivat temporis :* id est, vivens pro tempore, desinentibus in carne peccatis, velut in finibus habitet carnis. In his finibus posita regina Saba, quæ typum gerebat Ecclesiæ, veri Salomonis meruit audire sapientiam. Tales igitur terminos Deus lumine gratiæ suæ atque agnitionis illustrat.

Post eum rugiet sonitus. Sive ut alii dixerunt ; *fremet vox.*

Tonabit voce magnitudinis suæ, et non investigabitur cum audita fuerit vox ejus. Cum positis in extremo terræ hominibus, Deus in memoriam venerit, illico super infirmitate mortalitatis suæ, gementes ad eum rugient, sicut propheta ait : *Rugiebam a gemitu cordis mei ;* et tunc hic rugitus faciet sonitum in affectu orationis, clamantium ad Deum, qui per-A veniat usque in cœlum. Unde et tonabit eis Dominus voce præceptorum suorum, ut timeant a facie ejus. Quo fragore tonitrui simul agnosce, quia Deus ante desiderium eorum investigabilis sit et immensus.

Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui fecit magna et inscrutabilia. Alii dixerunt : *tonabit Deus.* Deus mirabiliter operatur, quando istud tonitruum nominis sui, quo in toto mundo famæ ejus notitia crebrescit, in auribus facit animæ personare.

Qui præcipit nivi, ut descendat super terram, et hyemis pluviis, et imbri fortitudinis suæ. Nivem candorem gratiæ, quæ per baptismum fidelibus Spiritus sancti dona tribuitur, superius diximus posse significari, et exempla illic testimoniorum de Scripturis multa protulimus, de quibus et illud Davidicum, ubi B ait in psalmo ; *Nive dealbabuntur in Selmon,* quod est *in umbra.* Hoc igitur ait, quod cœlestis, id est, Deus de cœlo veniens, reges quoque discreturus sit, et separaturus : sive in umbra sint dealbandi : ubi hoc mihi significare videtur, quia regeneratio vetustissimorum hominum in Christo, obumbrante Spiritu sancto, esset efficienda. Hæc igitur gratia, nivis nomine significata, ex præcepto divinitatis descendit in terram, quod est, per Jesum Christum venit ad homines, per quam vetustas nostra instauraretur in melius. Contra hanc gratiam Christi, tribulationes persecutionum futuras in pluviis hyemalibus voluit indicare, et propter graves pressuras hyemales pluvias dixit : quas tamen imber fortitudinis Spiritus sancti esset superaturus, quia eis dictum est : *Non* C *enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

Qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua. In manu, id est, in liberi arbitrii potestate, secundum imaginem et similitudinem Dei, qua homo est a Deo conditus et creatus : habet hanc sapientiam veluti quodam signo divinæ operationis impressam, ut juxta liberi arbitrii judicium noverit unusquisque hominum opera sua, sive ut alii dixerunt, *infirmitatem suam noverit,* id est, ut vasa fragilia se subita morte confringi.

Ingredietur bestia latibulum suum, et in antro suo morabitur. Bestiam istam, inventorem malorum diabolum non absurde sentimus, qui idcirco, et singularis ferus dicitur, quia præcedit, sive superat ma-D litia ejus malitiam omnium operantium iniquitatem. Hæc igitur bestia rationabilis ingreditur latibulum suum, pectus scilicet humanum : quando ex permissu judicii Dei, potestatem accipit hominibus dominandi, et in antrum quod suum fecit, sibi constituit habitationem. Sive antrum vel etiam latibulum diaboli, omnes peccatores intelligendi sunt : duri videlicet infidelitate vel saxei, quos vitiis suis atque illecebris possidet, et in quorum cordibus criminibusque requiescit.

Ab interioribus egredietur tempestas, et ab arcturo frigus. Non mihi videtur quod de istius mundi plagis, sive qualitatibus, vel etiam secretis ejus partibus dixerit : sed, quemadmodum diximus antrum

sive latibulum dæmoniorum, esse humana præcordia : ita hæc interiora cum ea ingressi fuerint, secreta eorum et abdita intelligamus consilia : unde in hunc mundum persecutionum tempestates venire creduntur, ut et peccatores conterant, sicut Ægyptios, quibus venit immissio per angelos malos. Et sancti eadem tempestate tribulationum nimia conturbentur, sicut quidam eorum ait : *Gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere :* Frigus quoque ejus infidelitatis immittitur, ut a charitate Dei, et calore fidei discedentes, in algorem negationis incurrant ; quæ omnia immittunt dæmones per ministerium, et sententias principum, et infidelium potestatum. Arcturus vero, quia in sinistra mundi est constitutus, adversariam partem significat : de cujus climate ventus aquilo gelidus spirat B contra meridiem.

Flante Deo concrescit gelu, et rursum latissime funduntur aquæ. Quod hic dixit flante Deo concrescere aquas, id est, glaciari, et concretas fieri, in psalmo e contrario dicit : *Flabit*, inquit, *spiritus ejus, et fluent aquæ :* id est resolventur ac defluent. Sed sive hic flante Deo, sive in psalmo, *flabit spiritus ejus*, jubente Deo, sive jubebit spiritus, intelligere possumus. Et quod hic dixit, concrescit gelu, hoc in psalmi superiore versiculo ait : *Emittit crystallum suum sicut frusta panis.* Ita autem hyemali tempore fieri novimus, ut flante, id est, jubente Deo, nimio frigore densentur, vel etiam concrescant aquæ, et iterum tempore aeris resolvantur. Secundum mysticos vero intellectus in præteritis generationibus, C ob meritum suum relinquente Deo genus humanum, flatu oris Dei, et justitiæ ejus manante sententia, dum removetur ab igne divino, omnis creatura concreta est tamquam gelu, et a vera Dei cognitione, frigoris sui immensitate constricta. Nunc vero per gratiam Domini et Salvatoris nostri, sicut ait Petrus apostolus : *Tempora ignorantiæ despiciens Deus*, rursum ab illo algore oblivionis atque duritia, quæ sicut longi temporis gelu obduruerat, charitatis Dei igne solvuntur aquæ populorum, ut fluant et recurrant ad Deum.

Frumentum desiderat nubes. Hoc est frumentum, de quo Dominus in Evangelio ait per parabolam, dicens : *Colligite zizania in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.* Proinde D hoc vivum frumentum, doctores quosque Ecclesiæ, qui velut nubes portant aquas Evangelii, audire desiderat, sicut et illi qui erant de hoc frumento dominico, habitantes Antiochiæ Pisidiæ, rogabant Paulum et Barnabam, ut loquerentur eis verbum Dei, quod fecerunt apostoli suadentes permanere in gratia Dei. Cornelius quoque ad Petrum ait : *Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia quæcumque tibi præcepta sunt a Domino.* Et Moyses ait : *Excipiat velut pluvia eloquium meum, et descendant sicut ros verba mea.* Unde et Apostolus ait : *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.* Hæc nubes potest, et ipse Dominus, id est, assum- A ptus homo in Deum intelligi, sicut propheta prænuntiavit, dicens : *Ecce descendit Dominus in nube levi in Ægyptum.* Per quem divina gratia, et doctrina cœlestis, mundo effundenda prænuntiabatur. Et pulchre nubes levis dicitur : sive quia ipse Salvator peccatum non fecit Agnus Dei, sive quia virgo Maria, mater Domini, non ex virili semine aggravata, levis nubes est dicta.

Et nubes spargunt lumen suum. Quæ lustrant cuncta per circuitum quocumque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præcepit illis super faciem orbis terrarum. Lumen utique Evangelii prædicationum coruscatione mittentes : lumen Evangelii spargunt supra corda credentium. Alii vero interpretes dixerunt : *Et ipsa per circumitum vertitur in gubernaculis, ad operanda omnia quæ mandaverat eis.* Hæc sunt igitur quæ mandavit, et præcepit cæteris nubibus suis dicens : *Ite in universum mundum, prædicate Evangelium universæ creaturæ.* Proinde quasi vento spiritu Dei, quo ut nubes agebantur, prohibiti sunt ire Bithyniam, et de Judæa Romam illis transire præceptum, et ita sicut editio continet, orbem universum lustrantes circumierunt.

Sive in una tribu, sive in terra sua, sive in quocumque loco misericordiæ suæ eas jusserit inveniri. Hoc est quod ipse Dominus ait in Evangelio : *Eritis mihi testes in Jerusalem, et Samaria, et usque ad ultimum terræ :* ubi illud præcipue intuendum est, quod ait : In quocumque loco misericordiæ suæ jusserit inveniri : ubi per gratiam Christi atque pietatis suæ misericordiam, significavit ad fidem revocandos.

Ausculta hæc, Job, sta, et considera mirabilia Dei. Admonet Heliu, ut sacramenta in Christo et Ecclesia adimplenda, Job aure cordis diligenter intendat, et in mentis suæ specula constitutus, ubi etiam vigilantia contuendi docetur stare : consideret miraculorum Dei futura mysteria, quæ per nubes rationales operaturus sit.

Numquid scis, quando præcepit Deus pluviis, ut ostenderent lucem nubium ejus? More prophetarum pro factis futura commemorat. Præcipit igitur Deus pluviis evangelicis, ut nubium suarum lucem, id est, sancta opera sua doctores per infusionem fidei demonstrarent : et hæc ad illuminandos homines misericordia cœlestis operatur.

Numquid nosti semitas nubium magnas, et perfectas scientias? Hic dum dicit perfectas scientias, de rationalibus se nubibus evidenter ostendit dicere, et prædicatorum viis, et subtilium sensuum semitis. Dic mihi, quæso, si cognoscere potuisti quæ semitæ in nubibus sunt magnæ et perfectæ scientiæ? Figurabat, hæc dicendo, apostolicas nubes, quarum una citissima nubes ait ad Salvatorem : *Tu es Christus Filius Dei vivi*, quæ quoniam suspensa a terra, et proxima erat cœlo, respondet ei Dominus : *Hoc tibi non revelavit caro, et sanguis, sed Pater meus.* Alius vero apostolus tamquam nubes plena aquis perfectæ scientiæ, a tonitruo Evangelii copiosum imbrem effundit ita dicens, *In principio erat Verbum*, etc. Quo

validissimo tonitruo ubique resonante, ut omnem terram ad fidem religionis tremore concuteret : alius in Judæa per iteratam nativitatem exortus, velut parva nubecula ita crevit, et flante spiritu dilatatus est, ut pluvias mysteriorum a sæculis secretorum perfectæ scientiæ, usque ad Illyricum spargeret, aliasque totius mundi regiones largis effusionibus irrigaret. Et hinc est ut aliqui eorum appellarentur filii tonitrui, alius vero diceretur filius suspendentis aquas.

Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra Austro ? Alii dixerunt, *tua stola calida est.* Hoc quidem verum est, quod meridianus ventus sit calidus, quo flante etiam vestimenta hominum, vel corporum, quæ animarum vestimenta sunt, concalescunt. Sed quia nubes, homines sanctos, veritas prophetiæ nos intelligere compulit ventum calidum a meridie spirantem, ferventem fidem, vel gratiam Spiritus sancti ardentem, et clarius illuminantem intelligamus, vel ipsum Dominum nostrum, de quo legimus : *Deus ab Austro veniet* , quo rationalem terram perflante, virtutes animi, quæ sunt vestimenta interioris hominis, inardescunt, et ideo vestimenta appellantur, quoniam ipsi, qui eis utitur, pulchram animam faciunt, et decoram. Et ob hoc hortatur Apostolus dicens : *Fratres, induite vos sicut electi Dei, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam*, etc. Et hæc igitur ab Heliu, sicut et alia, spiritu prophetiæ dicuntur.

Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos , qui solidissimi, quasi ære fusi sunt. Hæc ab Heliu juxta litteram in injuriam Job per ironiam dicuntur. Hæc igitur prima fronte intellectus hujus dicta sint. Nunc vero secundum prophetiæ spiritum, sensum mysticum persequamur, ut cœlos Scripturas sanctas intelligamus , quæ de cœlo datæ sunt hominibus, quarum perpetuitatem ex æris soliditate voluit demonstrare. Sed dicit quispiam : quomodo æternæ erunt Scripturæ divinæ, si mundus certo fine, Deo denuntiante, est terminandus ? sic enim ait in Evangelio : *Cœlum et terra transibunt.* Verum est quidem, quod librorum pelliculæ cum ipsis litteris abolendæ sunt; sed quia subjungit Dominus, *Verba vero mea non præteribunt :* procul dubio quod eisdem apicibus pollicetur, erit æternum. Hos igitur cœlos, ait Heliu, in quibus est divinitatis secreta dispositio, tu forsitan cum Deo, velut simili pollens sapientia, fabricatus es : quos Deus æternus ante mundi constitutionem præfinivit quandoque erumpere in corpora litterarum, qui in illo æternaliter erant, non jam existentes, sed ipsi soli præscientiæ suæ luce conspicui. Et cœlos, sanctos angelos non absurde sentimus, qui propter cœlorum habitationem, rectissime cœli dicuntur, et sunt velut æs æternitate solidati. De quibus Psalmista singulari nomine ait : *Cœlum cœli Domino.* Secundum tropicum intellectum cœli, sancti omnes propter cœlestem conversationem et propter prædicationem mandatorum cœlestium nuncupantur. Heliu autem si prophetiæ spiritum habuit, secundum hunc intellectum quem diximus, potuit contemplatione mentis suæ hæc in Christo revelanda cognoscere, et aliis modis, quibus videtur cœlorum nuncupationem sensisse, licet hoc ipsum in irrisionem sancti Job dici non debuerit.

Ostende nobis, quid dicamus illi. Nos quippe involvimur tenebris. Insultantis verbum est, et exprobrantis, ostende nobis, cum illud verbum dicat, sed ad comparationem scientiæ sub ignorantiæ tenebris commanent. Nam quomodo a sancto Job discere inquirit, quem in verbis suis reprehendit et reprobat. Ostende, inquit, o Job, si aliquid amplius, et melius nosse te arbitraris, quoniam nos grandis ignorantiæ atque inscientiæ tenebris detinemur. Certum est ergo quod Heliu deridens Job atque subsannans hæc dicat.

Quis narrabit ei quæ loquor ? Etiamsi locutus fuerit homo, devorabitur. Dixi tibi quidem, o Job, ut ostenderes mihi quid loqui possem : sed hæc ipsa quæ de Deo dico, quis ei ausus est loqui ? Certe si locutus fuerit quispiam , quod ei omnino non expedit, pro hoc ipso peccato temeritatis et irreverentiæ devorabitur, ut hic Heliu ait. Ita in psalmis legimus: *Devorati sunt juxta petram judices eorum :* ubi intelligitur, peccato diffidentiæ devoratos atque absorptos judices populi Israelis in eremo, qui non crediderunt quod possent de petra aquarum flumina virtute divinæ promissionis educi.

At nunc non vident lucem. Subito aer cogetur in nubes, et ventus transiens fugabit eas. Ita infelicitate hujusmodi excæcati sunt, ut fiant quemadmodum aer quando crassescit in nubes, et ita in justo judicio Dei velut venti in impetu auferentur, sicut impii, quos dejicit ventus a facie terræ. Alii dixerunt: *Omnibus autem non est visibile lumen, quod fulget in nubibus, et spiritus transit et fugabit eas.* Hic mysticum nescio quid locutus est, quod jam non omnibus resplendet illuminatio Evangelii. His utique non resplendet, quorum sensus excæcavit Deus, ut non videant lumen Evangelii gloriæ Christi, qui est imago invisibilis Patris. Hic igitur spiritus justæ sententiæ Dei fugabit eos a cœtu beatorum, ut non videant lumen Evangelii gloriæ Christi.

Ab Aquilone aurum veniet, et a Deo formidolosa laudatio. Audivi quemdam ita dicentem, quod æstatis tempore, sole in aquilone nascente, aurora ardentior rutilat, ita ut ipse sol colorem aureum præferat : et inde Heliu loqui videatur aurum venire, id est, mundo flammeam rotam solis oboriri, et super hoc præclarum sidus sit ad Deum hominibus formidolosa laudatio. Nos autem aurum sanctos intelligimus, qui secundum spiritualem sensum ab aquilone diabolo, sanguine Domini redimuntur. Hoc igitur modo venit ad Deum cœtus sanctorum cum tremore laudantium eum, ac sibi cum quadam formidine, incredibile arbitrantium, quod potuerunt de hoste gravissimo liberari. Quotidie quoque examinationibus, velut aurum flammis tentationum excoctum, de for-

nace mundi istius eruuntur. Alii dixerunt, *Ab aquilone nubes coloris aurei, in his est magna gloria et honor omnipotentis : non invenimus similitudinem virtutis ejus.* Ita enim sanctos homines, qui sunt nubes Dei, tentat frigor aquilonis, ut eos pretiosos, et igne charitatis rutilos reddat. Et idcirco magna gloria Domini et honor omnipotentis est. Non invenitur alius similis virtutis ejus, qui tanta bona ex rebus contrariis speret.

Digne eum invenire non possumus. Magnus fortitudine et judicio et justitia, et enarrari non potest. Ideo timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes. Quoniam, inquit, sicut fortitudine magnus et potens est Deus : ita judicio et justitia verus est, et enarrari non potest. Idcirco sicuti est, a creatura sua quæ adeo imbecillis est et infirma, non potest inveniri : propter quod magni viri atque cordati non præsument scrutari incomprehensibilem, neque contemplari invisibilem conabuntur. Hoc autem totum in sancti Job exprobrationem dicitur : qui dixerit se a Deo sine ullo iniquitatis merito flagellatum. Alii dixerunt : *Qui juste judicat, non putas audire eum? propterea timebunt eum homines, timebunt quoque et sapientes :* hoc inquiunt, quia Deus juste judicat, apud quem non est personarum acceptio. Omnes sapientes et idiotæ, considerantes semetipsos, timebunt eum : scientes quia secundum modum justitiæ suæ ultor iniquitatum est : exaudiet enim iniqua patientes.

CAPUT XXXVIII.

Respondens autem Dominus Job de turbine dixit. Sermone terribili et increpativo arguendus Job, responsum a Domino accepit, hoc enim ipsum quod de turbine dicitur, ad terrorem pertinet objurgationis, quod esset, ut dixi, increpandus a Domino. Dixerat enim Job se justum injuste a Domino castigatum : de turbine ergo Dominus ait.

Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? His verbis amovetur Heliu cum suis confusis atque permixtis disputationibus contra Job : ubi Dei verba videntur intelligi. Et si tu, o Job, loquendo talia in me, delicta aliqua commisisti : iste quis est qui te audeat redarguere, præsertim cum ad increpandum non sit idoneus, qui velut melior objurgare te debeat? Amoto igitur Heliu de medio cum imperitis ejus sententiis, convertit se Dominus ad Job, et ait ei, ut ad increpationem ejus audiendam se præpararet, dicens hoc modo :

Accinge sicut vir lumbos tuos : interrogabo te, et responde mihi. Omnis igitur qui cum Deo est locuturus, lumbos prius castitate jubetur accingere. Populus etiam legem auditurus, et pascha celebraturus in eremo, lumbos mentis jubetur accingere, ne fluctuantes sinus carnalium cogitationum, gressum sanctæ conversationis impediant, vel super lumbos nostros corporeos vestimenta præcingimus. Dicendo ergo :

Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? Indica A *mihi, si habes intelligentiam.* Deo respondere non potuit : quasi hoc modo loquitur ei Deus. Tu igitur, Job, qui circa unum homunculum injuste me arguis operari : ubi eras cum ego mundum, quem ex nihilo feceram, gubernarem? et cum omnem creaturam moderatione justitiæ regam, in te eram injustitiæ aliquid acturus? Hic Deus hoc sermone sub animalium, aviumque nominibus, magna et valde obscura, et Ecclesiæ sacramenta contexit. Deus ergo secundum mysticos intellectus in prædestinatione apostolos præcipuos sanctos Ecclesiæ fundamenta constituit, sicut ait apostolus : *Superædificati*, inquit, *super fundamenta apostolorum et prophetarum.* Sive, ut alii dixerunt, *Ubi eras cum fundarem terram*, id est, cum Ecclesiam de terra humani generis congrega- B tam, virtute fidei stabilirem.

Quis posuit mensuras ejus, si nosti, vel quis tetendit super eam lineam? Virtutem suam Deus, et potentiam mensurasque, et mundi conditionem describit, super quem lineam boni rectique operis sui tetenderit. Aliter : mensuræ Ecclesiæ sunt a solis ortu usque ad occasum : in qua adhuc mensuræ intelligi possunt, æqualitas et plenitudo Trinitatis, cui Ecclesiæ dicitur per prophetam : *In exortu ejus dilata locum tabernaculi tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas, longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida, ad dextram et sinistram penetrabis : semen enim tuum gentes hæreditabit, et civitates desertas inhabitabit.* Super has igitur mensuras locorum omnium, universum mundum rectæ fidei tetendit, C ut esset omnibus in Christum credentibus labium unum : hæc ergo mysteria ante sæcula constituta, Job quippe qui dum non esset, scire non potuit. Sive mensuras Ecclesiæ, diversitates gratiarum recte intelligimus, quas Apostolus divisiones spiritus appellavit, qui ita cum de diversis gratiis diceret, ait : *Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens unicuique prout vult.* Item ait : *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Per has igitur gratias intentio est contemplationis, velut linea recte credentium in Deo, sicut dicitur in Actibus Apostolorum : *Erat illis cor unum et anima una in Deum.*

Super quo bases illius solidatæ sunt? Unde potuit creatura rationalis et sapiens opus Creatoris, ante- D quam esset ipsa, cognoscere, cum etiam nunc vix posset aliqua ex operibus ejus sensus attingere. Aliter, super quo bases terræ Ecclesiæ solide stabiliuntur, nisi super Christum petram, qui est principium fundamentorum ejus. Bases autem Ecclesiæ sunt sancti quique potentes et fortes, a quibus eadem sustinetur et regitur. Alii dixerunt : *Super quo circuli ejus fixi sunt?* ut intelligamus pondus roboris mundi secundum illum sensum esse, quo Psalmista de hoc loquitur, dicens : *Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.* Circuli enim rotundi figura est, figuris cæteris pulchrior. Nam circulus ex omni parte sibi est congruus et æqualis ; totusque per semetipsum solidus vadit, et inter oculorum aciem, per

suum infinitum habitum, quia sine ullo fine semper in semetipsum recurrit, et inexplicabiliter ducitur. Hic igitur significare mihi videtur hominem in nullo sibi adversantem neque se ex parte aliqua oppugnantem, quales erunt in futuro beato sæculo : tunc enim caro non concupiscet adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Quamvis hujus pacis beatitudinem etiam in hoc sæculo nonnulli sancti ex parte præsenserint : non quidem nullam interioris exteriorisque se in ipsis sentiendo discordiam, sed hostilem vitiorum exercitum resistentibus fortiores superando virtutibus, ut Helcana, pater sancti Samuelis, vir unus dictus est. Sic itaque totus in se erit, sibique conveniens, et immobiliter in illa gloria ac sine fine consistens. Hi igitur circuli figurati per dilectionis Dei copulam, ligno crucis affixi sunt, et unusquisque eorum dicit : *Confido enim, quia neque mors, neque vita*, etc.

Aut quis demisit lapidem angularem ejus? Hic lapis angularis Christus, qui a Deo Patre positus est in fundamento terræ Dominicæ : ipse est enim non solum fundamentalis, sed et angularis, in quo duo populi, Judæorum videlicet et Gentium, continentur. De quo et Psalmista ait : *Lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Et Apostolus ait : *Ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis structura compaginata crescit in templum sanctum.* Hunc igitur Pater dimisit in terram, ut in fundamentum poneretur.

Cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei? Demisso itaque in fundamentis Sion lapide pretioso, qui est secundus homo de cœlo cœlestis, laudaverunt, inquit, me simul astra matutina, et injubilarunt omnes filii Dei. Astra et filii Dei angeli intelliguntur, qui in nativitate Salvatoris exsultaverunt. Sicut ait angelus ad pastores : *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.* Item Evangelista : *Et subito facta est cum angelo multitudo*, et cætera. Ideo autem angeli astra matutina dicuntur, quia inter creaturas rationales primi facti sunt in die qui est Christus, et filii Dei sunt : non sunt filii tenebrarum, sicut illi qui de eorum numero collapsi sunt, facti non solum filii tenebrarum, sed etiam rectores tenebrarum, id est, hominum peccatorum. Tunc voce magna, sicut supradictum est, laudaverunt me omnes angeli mei. Quemadmodum in illius oviculæ, humani generis salute, laudantes Deum gavisi sunt. Item astra matutina omnes filios Ecclesiæ non absurde sentimus, qui per baptismum renascuntur Christo, sicut ait Apostolus ad Ecclesiam scribens : *Omnes vos estis filii per fidem in Christo Jesu.* Hi ergo propter vigiliam matutinam, in qua Dominus resurrexit, astra matutina dicuntur, vel pro incipiente eis gratiæ novo lumine, unde et neophyti nuncupantur.

Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens. Cum in conditione mundi aquæ omnem terram operirent, et tenebræ essent super faciem abyssi, tunc secundum fidem libri Geneseos, præcepit Deus die tertio, ut omnes aquæ in locum unum congregarentur. Quibus etiam terminum finemque imposuit, ne se foras limites suos, ad operiendam terram rursum effunderent. Vulvam de qua mare processerat καταχρηστικῶς, ipsam terram subjacentem possumus intelligere, ut de ea, et in ea aquam creatam a Deo esse credamus. Duas enim partes mundi magnas, cœlum et terram, Deus ex nihilo fecit, et ima earum de materia informi, cæteras autem creaturas distinctas sive formatas instituit, inter quarum creationem et aquas credimus factas, quarum quidem conditionem, in principio Geneseos scriptam non legimus; aliarum vero pene omnium factura in libris Dominicis recensetur : licet et de ipso mari sanctus David dixerit, cum de beato viro loqueretur : *Spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt.* Hunc ergo maris processum, effusionem aquarum dicere mihi videtur, qui de occultis venarum terræ finibus emanabat, et operiebat omnem faciem terræ. Quod in diluvio manifestius factum legimus, ubi dicitur : *Et omnes fontes abyssi magnæ erupti sunt.* Proinde vulvam maris, terræ sinum dictum existimo, ut mare de eadem progenitum noverimus. Sed dicit aliquis : Ego aquarum moles cœlo et terræ dico esse congenitas, et simul creatas. Denique de aquis quemadmodum et de terra fecit Deus, sive produxit cæteras creaturas. Si ergo hoc opinionem istam confirmat, ut ideo et aquæ ex nihilo creatæ dicantur, quia et de ipsis alia, et alia in ipsis jubente Deo quam plurima animantia processerunt : de cœlo quid dicemus, quod est pars mundi præstantior, de quo non legimus, quod ex eo quasi informi materia aliquid procreatum sit. In quo etiam, quod ad majorem decoris ejus pertinet pulchritudinem, stellas ac diversos astrorum globos Deus fecit, ordinavit, et composuit. Et juxta hanc assertionem, meliora erunt maris et terræ elementa, quam cœlum, cujus ornatum pulcherrimum admirantes suspicimus : quoniam præcellit vel maxime cæteras creaturas.

Cum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem. Cum ergo, ait, magnum sit mare latitudine, et longitudine et profundo : per fortitudinem tamen potentiæ meæ illud velut parvum elementum, nube tamquam vestimento contexi et caligine; modicis videlicet, et vilibus rebus operui, quæ assimilantur pannis infantiæ. Et quia mare superius diximus quasi de vulva procedere, servans translationem nominis, ipsum mare velut parvulum procreatum : tamquam pannis infantiæ ait caligine obvolutum, sive, ut alii dixerunt, *et nebula obvolvi illud.*

Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem et ostia, et dixi : Usque huc venies et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos. Termini isti, divini sermones sunt, qui sententia immobili, velut termini defixi intelliguntur, hoc ipsum est et

illud quod sequitur, Deo dicente, posui vectem et ostia. Aliter, quis conclusit ostiis mare? Sæculum hoc Scripturæ divinæ frequenter mare appellant, ut etiam sanctus David ait: *Hoc mare magnum, et spatiosum manibus.* Item: *Qui descendunt mare in navibus.* Et Abacuc: *Misisti in mare equos tuos.* Et Isaias: *Occidit cetum qui in mari est.* Proinde hoc mare præceptis divinis, velut quibusdam limitibus sacrorum eloquiorum concluditur, ut de utero cordis sui, ubi cogitationibus velut ex semine, curas atque illecebras mundiales voluptatum, delectatione concipiebat, jam non in opus quasi parturiendo erumperet, seque effunderet in diversa facinora perpetranda; et ideo cum vidisset propheta mundum credentem Deo, hoc bonum in se continentiæ possidere, gratulans ait ad Deum: *Tu confirmasti in virtute tua mare.* Mundum dico fidelem sanctæ Ecclesiæ populum: qui mare specialiter dicitur, et habitat in hoc mundo. Et iste est ille mundus fidelium, de quo Dominus ait: *Sic enim dilexit Deus hunc mundum, ut Filium suum unigenitum daret pro eo.* Est et mundus incredulorum, de quo similiter Dominus ait ad discipulos suos: *Si mundus vos odit: scitote quia priorem me odio habuit*, etc. Sic itaque duos mundos populorum in hoc corporali, et in animali mundo dicimus habitare, qui et duo maria, secundum exemplum superius positum, dici possunt, ab hoc scilicet mari aquarum metaphoricos nomen accipientes, quia et domus bona, sive mala, et civitas optima, sive pessima. Mare vero tropicos dicuntur populi fluctuantes, qui in hac vita inquieto motu incertoque jactantur. Cum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud velut pannis infantiæ obvolverem. Nubem omnia operientem Spiritum sanctum, creaturis omnibus infusum ac superfusum accipiamus, de quo ait: *Spiritus Domini superferebatur super aquas.* Caligo autem quidquid est inane trans mundum: ubi levitas est, id est, retro defectus intelligi potest. Moraliter autem juxta auctoritatem Scripturæ, nubes sunt unusquisque veritatis annuntiator. Horum igitur verbis consolatoriis atque doctrina, rorando desuper, ait Dominus, mundum fidelium ab æstu tentationum protexi, eique umbram supra promissione æternæ beatitudinis præbui, hoc est, vestimentum per sanctos meos ministros Evangelii ei super mare populorum expandi: ne videlicet infideli caumate torreretur. Quod etiam mare populorum intra prædicationem perfectam Evangelii positum, propter morum infantiam in quibusdam lactea doctrina, velut vilioribus vestimentis operitur, eo quod sacratiora mysteria non valeant intueri, quæ sunt intelligentiæ involuta caligine. Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem et ostia. Hucusque venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos. Terminis, inquit Deus, mandatorum meorum, prædictum mare intra unius fidei confessionem congregavi atque conclusi, et ad condensandum se, fortissimum illi vectem charitatis opposui, ostia quoque infidelitatis obstruxi, ut quantalibet tempestatum ac persecutionum violentia, defixos obedientiæ limites transcendere compellatur. Numquam charitatis meæ circumsepta transiliat, cui dixi: Hucusque venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos. Id est, si qui forte cogitationum malarum fluctus te intra pelagus tui cordis exagitant, ventusque validus pressurarum te funditus commovere pertentat, de statu quoque tuo in aridam siccitatem, velut in arena steriles impellat. Hæc munimenta fidei et charitatis meæ cave ne transeas: et ita fiet, ut minaces venti insurgentes allisi in petra validissima dissolvantur.

Numquid post ortum tuum præcepisti diluculo, et ostendisti auroræ locum suum. Hoc Dominus ait ad Job, quod conditarum ac secretarum rerum suarum per gyros suos recurrentes ad ordinata loca, redire quotidie ipse disponat: et idcirco Job arguitur, qui Deum factorem et gubernatorem rerum omnium diceret nullo moderamine æquitatis operatum: et quasi ita dicens ait ei: Tu qui valde sapientem te arbitraris, et quasi coæqualis lucem meam fueris fabricatus, et de meis judiciis disputare posse credis: si elementa astrorum præceptum impleant Creatoris, te forsitan disponente mysterii sui pergunt cursum, cum ista priusquam tu in Adam per me existeres, sint creata. Aliter: Hoc diluculum Salvator noster est, qui et sol justitiæ appellatur. Ipse calore fidei et splendore gratiæ suæ, Ecclesiam, mundum scilicet rationalem illuminat. Igitur numquid tu, Job, præcepisti huic diluculo, ut oriretur de cœlo resplendens his qui sedebant in tenebris et umbra mortis: quemadmodum ergo ut, Job, post initium tuum præcipere non potuisti æternis, ut mundo in errorum tenebris constituto esset diluculum: ita nec post mortis occasum ejus, resurrectionis et locum gloriæ ejus in dextra Patris sui ostendere potuisti, quem post mortem quam sponte susceperat, ad me iterum revocavi. Sicut ipse Dominus Jesus ait in Evangelio: *Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius.*

Et tenuisti concutiens extrema terræ, et excussisti impios ex ea? Potest hæc terra Ecclesia intelligi: de cujus fundamentis Dominus superius dixit, de qua in extremis terræ, id est, in novissimo sæculo excutiendi sunt peccatores; ita ipse Dominus ait: *Ecce mandabo, et concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro.* Deus ergo qui secundum prophetam mensus est aquas pugillo, et cœlos palmo ponderavit, et tribus digitis terram appendit, ipse pro magnitudine utraque manu tenens margines terræ, quasi cribrum huc atque illuc concutit, sive excutit tamquam vestimentum, ut impios velut paleas, et lolium excutiat a frumento justorum. Proinde hæc omnia operantis non solum fortitudo, verum et justitia demonstrat, et inde est, quod sancto Job Dominus cum increpatione loquitur: quare dixerit innocenti sibi pœnam acerrimæ tentationis illatam. Secundum moralem

vero sensum intelligentiæ loci hujus, ut æstimo facilior exitus, ut terram interpretemur naturam humanam, quia ab humo homo dictus est, et extrema sint, sanctorum vita, quia in carne positi, sine carnalibus illecebris vivunt. Et ideo in extremis terræ dicuntur: de terrenis actibus euntes, non in medio tamquam in tota carne viventes. Hæc igitur extrema, sive fines terræ in manu Domini sunt, sicut ait propheta: *Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ:* quos hic ait Dominus se tenere atque concutere, ut tremant a facie ejus, sicut de eo propheta ait: *Qui respicit terram, et facit eam tremere.* Et ita de terra eorum excutit impios, quos utique exsecrandos mores intelligimus vitiorum. Excutit ergo Dominus a sanctis suis hujus mundi impios, quando eos ab illis purificatos constituit innocentes. De talibus impiis et peccatoribus propheta dicebat: *In matutino*, id est, in cognitione scientiæ Dei, fidei in me lucerna nascente, *interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini:* qualibet utique anima sancta, omnes operantes iniquitatem. Sive in novissimo tenebit Deus mundum, quasi reum ad judicium suum, quo tempore extrema etiam terrarum, conscientiæ tremore quatientur, ubi minimos quosque in extremis terræ intelligere possumus, qui et ipsi justo judicio Dei, ut superbi et impii de terra mansuetorum excutiendi sunt. *Beati* enim *mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

Restituetur ut lutum signaculum, et stabit sicut vestimentum. Signaculum istud, anima hominis intelligitur, quæ ad imaginem Dei facta est. Expressa est in ea similitudo bonitatis Dei, omniumque virtutum decus. Hoc igitur signaculum imaginis Dei et similitudinis, per Adæ peccatum attritum fuerat, et oblitteratum, et rursum per Christum iterata impressione restituetur. Quod signaculum nunc quidem per fidem, et baptismi gratiam renovatur, et vita meliore, menti insculpetur. Sed in resurrectione totum omnimodo restaurabitur, quando sicut humani corporis lutum in incorruptione reparabitur, ita et anima cum eo pariter vestimento immortalitatis, velut stola gloriæ vestietur. Ut quemadmodum ipsa gloria, et incorruptio immortalitatis, id est, Christus manet in æternum: ita et is qui ea indutus fuerit, gloriosus sine fine permaneat. De quo vestimento respiciens ad lutum carnis suæ, Apostolus ait: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* Hoc tamen diligentius est intuendum, quod in Scripturis diverso intellectu vestimenta dicuntur. Vestimentum ergo aliquando dicitur ipsum corpus nostrum, quo anima velut amictu circumdatur: sicut propheta ait ad animam peccatricem: *Operiet iniquitas tua vestimentum tuum.* Item vestimenta sunt animæ virtutes, quibus eadem anima componitur et ornatur. De quibus propheta ait ad justum misericordias operantem: *Tunc erumpet matutinum lumen tuum, et vestimenta tua cito orientur:* Et quoniam hæc vestimenta viva sunt, et rationabilia, non fient tibi, sed

A orientur in te. Et peccata aliquando vestimenta nuncupantur, ut Zacharias propheta ait: *Et Jesus erat indutus vestimentis sordidis.* Dixit angelus ad eos qui stabant coram se, dicens: *Auferte vestimenta sordida ab eo: dixit ad eum: Ecce abstuli iniquitatem tuam.* Supra diximus vestimentum esse gloriam immortalitatis, cujus luce quæ numquam deficiet, homo est æternaliter vestiendus. Alii interpretes ita dixerunt: *Et tu sumens terræ lutum, figurasti hominem, et famosum eum posuisti super terram:* id est, creaturis omnibus præeminentem. Dum hæc Dominus ad Job loquitur, vehementer arguitur. Secundum autem mysticos intellectus, obumbrante Spiritu sancto, figuratus est homo Jesus Christus de terra Mariæ virginis. Hic igitur homo de luto carnis humanæ B assumptus est. Lutum hoc loco non propter vilitatem nominis dictum noverimus, sed propter ipsam materiam, de qua sumptus est Christus: veluti Adam in principio, qui de limo terræ plasmatus est. Et sicut ille per unum existit de sinu terræ: ita et hic per unum creantem se, formatus est in utero matris. Et ita famosus est super omnem terram: unde jam a solis ortu usque ad occasum laudetur nomen Domini.

Auferetur ab impiis lux sua, et brachium excelsum confringetur. Lux impiorum est hujus mundi gloria, et felicitas, quæ mundo prætereunte transibit, sicut et Salomon ait: *Lumen impiorum extinguetur:* et eorum virtus et potentia, quæ brachii nomine dicta sunt, illico conterentur.

C *Numquid ingressus es profundum maris, et in novissimis abyssi deambulasti.* Providentiam suam Deus qua cuncta dispensat et regit, in his locis multo copiosoque sermone significat. Unde ait ad Job: Si potes ubique esse, et nosse omnia quæ creata sunt: et si abditos terrarum sinus penetrare potuisti, si etiam profunda maris, et novissima ejus atque extrema abyssi pervagatus es. Ad increpationem ergo Job ista dicuntur. Ubi alii dixerunt: *Numquid ingressus es fontem maris?* initium atque originem, unde ipsum mare, quasi de matrice, de mari Oceano emanat, dicere videtur, quod Oceani perenni cursu ac recursu fieri novimus, feruntque hoc atque confirmant, quod illa immensa effusio maris Oceani, per omnium regionum ac provinciarum fluvios D itura uno puncto temporis fiat. At nos tamen scimus omnium dierum ac noctium alternatis successibus, per horas viginti quatuor venire, atque unius horæ æquinoctialis dodrante transmisso, tardius sine intermissione, sive die venire, sive nocte, per quinque æquinoctiales horas refluitura, æstu violentoque impetu, sive in opertis tantum, sive retrusis magnorum quoque fluminum cursibus ad superiora conscendere, ac per septem ejusdem mensuræ horas cursu paulo leniore diffluere, et in ea tantum quæ quinque horis fuerant suppleta, vacuare. Proinde incredibile videri potest, quod in eodem mari velut fons quidam tantarum aquarum ebulliat, de cujus profunditate et sufficiente abysso, de-

finito sibi tempore aquæ illæ in superficie profundantur, et rursum recurrentes in eosdem profundissimos sinus decidant: præcipitesque discedant, et a Deo sibi constituta lege perpetua, ab imis semper ebulliant atque iterum in ima decurrant, et inde forsitan dixerit Deus ad sanctum Job: Numquid ingressus es fontem maris? Quoniam Deo soli nota sunt quæ creavit. Porro secundum mysticos intellectus hoc dixisse Deum puto, quod circa finem sæculi pro redemptione hominis ad inferos esset descensurus, ubi pro potestate descendentis deambulasse eum dixit: Quia impossibile erat, ut quasi reus peccati infernalibus vinculis teneretur. Ipse enim solus factus est, sicut homo. Ad præsens quidem sine adjutorio, sed tamen inter mortuos liber. Quod autem infernus in imo terrarum sit, Jonas propheta, qui specialiter habuit figuram Salvatoris, in oratione sua quam in ventre piscis effudit, manifeste demonstrat, quemque in infernum abyssi aquæ circumluant, et multis aliis locis Scripturæ de qualitate inferorum loquuntur. Possumus et moraliter hunc locum ita sentire, ut quia mare per figuram, hoc sæculum dici novimus: profunda ejus super omnes iniquos et peccatores, qui quantum illud diligunt, tamen in ejus obscurissimam profunditatem demergunt, ut omnino non videant lumen Evangelii et gloriæ Christi. Novissima vero abyssi sint omnes impii et sacrilegi, qui in profundiores peccatorum tenebras descendentes, lasciviarum nimio fluxu, velut aquarum multitudine deprimuntur: ad hos Dominus noster neminem despiciens, omnesque salvare cupiens, venire dignatus est, ut corda eorum infidelitate cæcata, per gratiam suam illuminaret, et effecti lux in Domino, fierent templum ejus, ut inambularet et inhabitaret in eis, et esset eorum Deus.

Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis, et ostia tenebrosa vidisti? Nulla creatura est quamvis præpotens et fortis, quæ Dei majestati posset obsistere. Et ideo quia per naturam sentiunt Creatorem, cedunt divinæ potentiæ, qua ei omnino nequeunt contraire. Unde antiqui interpretes ita dixerunt: *Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis?* Ubi intellexerunt, quia hujusmodi portæ, quæ utique metuuntur, non sint insensibiles et inanimales, sed sint illi potius spiritus immundi, inimici nostri, adversariæ videlicet potestates, per quas generi humano introitus inventus est ad mortem. Ipsæ sunt et ostia tenebrosa, quorum animos malivolos, et obscuritate invidiæ plenos, Deus solus perspicit. Igitur quoniam hi de quibus loquimur, tenebræ factæ sunt recedendo a vero lumine, et potestates sunt tenebrarum appellatæ, id est, principes hominum peccatorum, et idcirco etiam ostia tenebrosa dicuntur, quoniam deceptione eorum, factus est homini per peccatorum tenebras ingressus ad mortem. Ubi ergo dictum est, ostia tenebrosa vidisti, quid nos jam exposuimus, alii interpretes locum ipsum manifestius transtulerunt, ita dicentes: *Aut janitores inferni videntes te timuerunt:* qui locus expositione non indiget, quin potius quod obscure prius dictum est, apertissime declaravit. Vel certe in passione et in morte Domini, hæc quæ dicuntur, luce sunt clariora, qui claustra inferorum aperuit, et sanctorum inde animas liberavit, leges tartari, exiens inferos, solvit, sententiam mortis resurgens irritam fecit, principatus et potestates trementes, qui erant janitores et ostia, transduxit fiducialiter, sive palam triumphans in semetipso. Secundum tropicam vero intelligentiam, portæ mortis, sensus sunt nostri, quæ portæ tunc virtutibus clausæ sunt, quoniam a vitiis obtinentur, et per eas mors peccati, ad arcem mentis ingreditur. Quæ ostia tenebrosa ideo appellantur, quia in tenebras peccatorum, sive etiam pœnarum, aditum pandunt. Istæ itaque portæ, sive hæc ostia, aperiuntur hominibus ad salutem, cum evictis vitiis tamquam hostibus suis expugnatis atque in fugam versis, sanctitatis eas virtutibus homines aperuerint, ut audiant cum exhortatione sermonem prophetæ dicentis: *Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino.* Sanctus enim homo ad possidendum sanctitatis testimonium, et virtutum monilia, conservantis affectu, et congaudentis ingreditur, quoniam ex participatione thesauri communis, fit illis cor unum et anima una in Deum. Et ita in hoc mundo velut in fornacis examinatione pariter positi: quasi ex uno ore benedicunt Deum in omni tempore, et semper laus ejus in ore eorum.

Numquid considerasti latitudinem terræ? Indica mihi, si nosti, omnia. Quis hominum nosse poterit, quanta magnitudine distendatur, nisi ipse solus qui omnia condidit? De quo propheta ait: *Qui mensus est aquas manu, et cœlum palmo, et omnem terram clausit pugillo.* Item aliter: Numquid tu, Job, prævidisti latitudinem terræ, id est, Ecclesiam futuram, quam per totum mundum, crescente ubique Evangelio, dilatavi. Indica ergo mihi si hoc sapere, sive aliquando intelligere potuisti. Sive latitudinem sapientiæ meæ, quam terræ, domui meæ, id est, Ecclesiæ tribui: numquid ut futura prævidens, oculo mentis accenso per temetipsum inspicere potuisti? quæ sapientia dilatavit cor Salomonis, sicut arenam quæ est in littore maris, eique dedit prudentiam multam nimis, et quæ in exitu canitur, et in latitudine suarum fiducialiter agit, cujus multiplices sensus, et latitudine disputationum ditissimos, jubet eadem sapientia in corde hominis describi tripliciter. Hæc ergo verba possunt ex persona Patris super sapientia, quæ est Filius, disserta intelligi.

In qua via lux habitet, et tenebrarum quis locus sit, ut ducas unumquodque ad terminos suos, et intelligas semitas domus ejus. In via sanctæ conversationis hominis, lux virtutum habitat: tenebrarum vero, id est, vitiorum locus est homo peccator, vel ille locus de quo dicit: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Nosti ergo, Job, discernere uniuscujusque meritum, et secundum justitiam unumquemque horum ad terminos præfinitos

retributionis perducere, cogitationes cordium ipsorum, tamquam semitas domorum suarum intelligere potuisti. Item in qua via, sive *terra*, ut alii dixerunt, lux habitet : lux fidei et cognitionis habitat in corde credentis, sive lux in terra, Christus in Ecclesia. Tenebrarum autem, id est, ignorantiæ et infidelitatis locus, est cor insipientium atque incredulorum. Et ideo per quaslibet semitas tendant boni et mali, secundum meritum ad domum æternæ conversationis, justo et bono Domino ducente, perveniunt.

Sciebas tunc quod nasciturus esses, et numerum dierum tuorum noveras? Quis hominum novit antequam sit, quia futurus est, ætatisque suæ dies annosve cognoscit? Item in Adam peccator, et filius mortis effectus, quando scire vel sapere potuisti, quod spiritu et gratia baptismi nasciturus eras de visceribus matris Ecclesiæ, et in æternum secundum novissimam resurrectionem reparandus, et numerum dierum tuorum, qui sine fine sunt, unde ipse per temetipsum cognoscere potuisti?

Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparavi in tempus hostis, et in diem pugnæ et belli? Potentiam suam Deus, quam etiam in secretis creaturæ suæ rebus atque invisibilibus habet, his verbis voluit demonstrare, dicens ad Job : Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti? non enim loca sunt quædam in aliqua parte mundi immensa capacitate spatiosa, quæ moles atque congeries infinitarum nivium intra se habeant conditas, ut merito ob hoc, quasi loca thesauri appellentur de quibus olim hæ congregatæ sint species, quæ quando Deus voluerit proferantur; sed ita est potius, ut in alio loco ipse Dominus ait : *Et species agri mecum est :* Quæcumque enim voluerit facere, statim voluntas ejus in effectum procedit. Et ideo thesauri nominati, non in aliquo immenso, et capaci loco, sed in ejus voluntate, et dispositione sunt constituti : sicut in alio loco ait : *Et species agri mecum est :* apud quem nihil est imperfectum, quia non est aliud cogitare illius, aliud facere, sed protinus fit, quod voluerit. In hac ergo secreta cordis sui dispositione divina, ubi essent isti thesauri harum rerum cum adhuc in se corporaliter non existerent, interrogatur Job si intrare poterit. Nemo enim secretum illud divinæ majestatis potest adire, sive cognoscere, nisi Filius qui est in sinu Patris, uniusque naturæ atque substantiæ. Hæc ergo præparata dicuntur a Deo in tempus hostis, pugnæ et belli. Multis igitur modis ac diversis aliis innumerabilibus judiciis suis Deus flagellat, et corripit genus humanum, sicut etiam Ægyptios, quos fulminibus et grandine devastavit. Et generaliter aliis rebus frequentat hominum castigationem. Hostili humiliat incursu, terrarum motu hiatuque vastat, turbinibus perdit, ruinis opprimit, naufragiis demergit; aliis quoque plagis innumeris verberat, sive lentis infirmitatibus, sive acutis languoribus atque aere corrupto. Unde in Deuteronomio legimus, quæ hostibus suis repugnantibus et rebellantibus præparat, ut eis secundum justitiam suam infligat debitas pœnas tribulationum. Item aliter : Nivem nunc in bonam partem, nunc in contrariam accipimus : et idcirco sub nivis nomine præfiguratum hoc loco corpus adversariarum potestatum colligunt, quod a charitate Dei longe discesserit, id est, Deum habitantem in cœlo reliquerit, ut justo judicio Dei projiceretur in terram. Hujus autem nivis et grandinis, quasi in quamdam duritiam suæ naturæ oblita transierit, quasi quædam secreta, cogitationum scilicet machinamenta, thesauros Deus voluit nominare, sicut propheta Ezechiel de eorum principe ait : *In multitudine negotiationis tuæ impleta sunt interiora tua iniquitate.* Hujuscemodi igitur Dominus cogitationum omnium solus cognitor perscrutatorque est. Hos, inquam, thesauros, qui per ænigmata nives et grandines nominati sunt, ait Deus se præparasse in tempus hostis, diemque pugnæ et belli. Et quoniam insipienti corde numquam ad Deum conversuri essent, dispensatione divina magistri pœnarum effecti sunt, ut alios Dei judicio ad emendationem flagris correptionum castigent, alios vero secundum justam sententiam Dei puniant, alios duris tribulationibus affectos constituant clariores. Sicut et in isto sancto Job manifeste apparuit, in Ægyptiis quoque similiter demonstratum est, quibus non voluntate Dei pugnantibus, plagæ horrendæ immissæ sunt per angelos malos. Item, numquid ingressus es thesauros nivis, et cætera. Potuit Dominus de adventu suo in carne hoc dixisse, quo ut ignis æternus et ignis cœli, ignisque divinus per quem omnes creaturæ rationabiles concalescunt, dignatus est ad terram descendere, qui velut ad niveam regionem, et frigidam mundi hujus atque instar grandinis nimio infidelitatis frigore duratam, exclamavit et dixit : *Ignem veni mittere in terram.* Proinde hujuscemodi humanorum cordium thesauros, oblivione videlicet Dei sui frigidissimos, ingressum se profitetur, ut, expulso perfidiæ frigore, dilectione ejus flagrarent et dicerent : *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescit ignis.* Ut ad intelligentiæ ignem profectu fidei de stultitiæ frigore venientes dicerent : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum,* illuminato corde atque accenso charitatis fonte, *aperiret nobis Scripturas* Jesus? Sic itaque ingressus mundum ac visitans eum, aspicit corda mortalium, quæ etiam et thesauri ab ipso Domino nuncupantur in Evangelio, ita dicente : *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona.* Hæc igitur Deus facere præparavit, quæ diximus, hostis pugnæ et belli, in tempore utique pro nobis moriens : hostem gravem ac molestissimum inimicum diabolum in inferis triumphavit, et resurgens a mortuis, in Judæa fidei suæ adversarios expugnavit.

Per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram? Quis poterit proprie scire mortalium, quæ sit via solis, quam ordinato cursu agit in dextro cli-

mate cœli, spargentis lucem super terras aut quemadmodum æstus per vices temporum, sive per loca regionum omnium dividatur, ut alibi plus eodem tempore ferveat, et ipse alibi temperato calore sentiatur. Item, Per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram. Via est Evangelii prædicatio, per quam lux fidei spargitur super corda credentium. Et pulchre spargitur, quia infidelitate mentes hominum aridæ, ubertate divinæ gratiæ irrorantur, et ita dividitur æstus sancti Spiritus super terram fidelium. Sic, inquam, dividitur, cum unicuique datur gratia secundum mensuram donationis Domini nostri Jesu Christi. Sive hoc modo dividitur, cum aliis annuntiatio Christi odor vitæ in vitam sit, aliis vero odor mortis in mortem. Sic ergo dividitur ipsum bonum Evangelii, ut vitam aliis largiatur, aliis mortem, crimine infidelitatis operetur. Itemque via sanctæ conversationis hominis, luxque timoris Dei, spargitur super omnem corporis terram, ut fugiant ab eo tenebræ peccatorum et æstus ei tentationum, opitulante Dei gratia, temperentur, ne exorto super se ardore solis, exæstuet. Et sic itaque æstus dividitur, cum eis non totum simul tribulationum pondus imponitur, sicut ait Apostolus : *Fidelis enim Deus, qui non patitur vos tentari*, etc. Et Salomon : *Effugiet æstus, filius prudens, vento autem corrumpitur in messe filius iniquus.*

Quis dedit vehementissimo imbri cursum, et viam sonantis tonitrui, ut plueret super terram absque homine in deserto : ubi nullus mortalium commoratur, ut impleret inviam et desolatam, et produceret herbas virentes? Hic vehementissimus imber, Salvatoris est Evangelium, qui emisit eloquium suum terræ, ut velociter curreret sermo ejus : hic, inquam, imber in montibus Jerusalem, de imo terræ in sublime surrexit. *Quoniam de Sion exiet lex*, ait propheta, *et verbum Domini de Jerusalem;* et elevatus a sanctis apostolicis nubibus, velut aqua effluens, copiose currit, aura sibi flante Spiritus sancti, in variis signis atque virtutibus viam sibi fidei fecit in nationibus, terrore nominis Dei atque miraculorum tonitruo præcedente. Alii dixerunt, *præparavit flumen omnium populorum*. Et flumen, inquam, Ecclesiæ præparavit, ut pluvia copiosa et valida Spiritus sancti inundaretur, sicut in ipso principio nascentis Ecclesiæ super apostolos sanctosque cæteros demonstratum est. Quod autem in laudem imbris evangelici dicitur, quod pluerit super terram inhabitabilem, quæ hominem non haberet : non erit mirabile, si ut sonat, tantum intelligatur; sed in deserto, id est nationibus, doctrinam Dominicæ prædicationis copiose effudit. In deserto, inquam, ubi nullus hominum fuerat commoratus, id est, quoniam nullus prophetarum ad gentes a Deo erat missus, ut impleret invia et desolata, et produceret herbas virentes Evangelii. Imber terræ Ecclesiæ, quæ fuerat desolata a Deo, et pluvia charitatis Dei adipe replevit eam, atque in pinguedine, ut ex ubertate bonorum cœlestium produceret ac proferret herbas virentes sativi seminis, secundum genus suum, sicut ait in psalmo: *Et florebit de civitate sicut fenum terræ*, et multiplicatis fructibus faceret secundum parabolam Domini, aliud tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum fructum, et audiret cum exhortatione se consolantem : *Lætare, sterilis, quæ non paris : erumpe et exclama, quæ non parturis, quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum.*

Quis est pluviæ pater, vel quis genuit stillas roris? Quis est hujus pluviæ, et hujus imbris Dominici auctor et conditor, nisi Deus? Quam pluviam voluntariam segregavit hæreditati suæ, sicut dicit Pater ad Filium : *Fili, pete a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem terminos terræ.* Ipse etiam Deus genuit stillas roris : hinc et propheta ait ad Deum : *Ros enim qui a te est, sanitas est illis.* Proinde in fluvio, affluentissimam affluitatem largitatemque divinæ gratiæ demonstravit. In rore autem eamdem gratiam, sensim insuescentem visceribus, et medullas animæ penetrantem. Alii dixerunt, *vel quis genuit glebas roris.* Has igitur glebas unum quemque sanctorum non absurdum erit intellexisse, quæ sunt in agro Ecclesiæ : quibusque dicit Apostolus : *Dei agricultura estis.* Illic ergo istæ glebæ per baptismum in Christo sunt genitæ, sicut ait Apostolus : *Creati in Christo Jesu in operibus bonis.* Unde hoc rore cœlesti perfusi, pingues in sanctis fructus, et uberes exstiterunt.

De cujus utero egressa est glacies? Uteri nomine, cordis secretum significasse mihi videtur. Non enim probabiliter glaciem egressam de ore Dei intelligere debemus, sed de illo mentis suæ secreto, et inscrutabili judicio, justam ac districtam manasse sententiam. Egredi ergo glaciem dixit, pro egrediente judicio, quo secundum suum meritum, quidam hominum percutiuntur plaga obdurationis, et corda eorum durissimo atque insolubili quodam gelu, et frigidissimo constringuntur : ut non sentiant ferventis divinæ charitatis calorem. De angelis apostaticis, verissime dici potest, et specialiter de Judæis intelligendum est, quibus aquæ eloquiorum cœlestium glaciatæ sunt, ut in fructus gentium gratiæ largitate profluerent : de quarum vocatione dictum est superiore versiculo, et de quibus : *Posuit desertum in stagna aquarum, et terras sine aqua in exitus aquarum, et inhabitare fecit ibi esurientes*, id est, esurientes justitiam : *Et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum nativitatis, et benedixit eos, et multiplicati sunt nimis.* Qui ergo mente spiritualiter nunc ubique positam contuetur Ecclesiam, videt terram ejus, quæ fuit Deo aliquando deserta, nunc prædictis omnibus spiritualibus copiis abundare : sic itaque prædictas stillas roris de cœlo defluentes suscepit Ecclesia, et secundum Judicum librum, quod tempore Gedeon ducis factum legimus, ros unius oviculæ gentisque modicæ, totam terram Christo credentem, qui ros est, gratia benedictionis infudit, et impletum est illud mysterium, quod Psalmista prædixerat dicens : *Sicut ros Hermon.* Hermon

utique mons, qui interpretatur anathema, significat A altitudine sua populum Judæorum. Illius ergo ros, gratiæ videlicet et benedictionis, descendit in montem Sion. Sion namque mons excelsus virtutibus atque sublimis Ecclesia est. In quo constituta est specula contemplationis futura credentium. Unde et ipsa virtutum species Sion interpretatur. Et ut nossemus proprium roris istius nomen, ait Psalmista : *Quoniam illic quidem*, scilicet in monte Sion, *mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in æternum*. Et sequitur dicente Domino :

Et gelu de cœlo quis genuit? Hoc igitur modo de cœlo obdurationis sententia sacrilegi feriuntur, quod utique malum juste eis a Deo dicitur procreari, ut Pharaoni scilicet et Judæis, quos propter infidelitatem suam, et nimiam obstinationem cordis, legimus B obduratos. Sequitur de hujusmodi, dicente Domino :

In similitudinem lapidis aquæ durantur. Nomine aquarum, secundum Scripturarum auctoritatem, populi intelliguntur : sicut Joannes apostolus ait : *Aquæ autem populi sunt ;* et David ad Dominum : *Libera me*, inquit, *de aquis multis, de manu filiorum alienorum*. De his ergo mihi dicere videtur, qui nimio oblivionis Dei frigore obriguerunt, et instar lapidum, solidi et nimium duri effecti sunt. Deinde ait :

Et superficies abyssi constringitur. In abysso, profundissimam obscuritatem mentis puto intelligendam, quæ ita obtusione infidelitatis nimiæ operiatur, et constringatur quodam gelu impietatis, ut saxo similis fiat, ita ut tali mente, non sit ad Deum C ullus aditus respirandi, secundum illud quod Apostolus de Judæis testimonium propheticum assumens, locutus est, dicens : *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, et aures ut non audiant usque in hodiernum diem.* In psalmo quoque centesimo quadragesimo septimo, de gelu, vel glacie et crystallo, secundum hunc sensum quem Dominum dixisse hic legimus, prophetam mystice locutum, manifestum est. Possumus hæc loca et simpliciter intelligere, et gelu de cœlo quis genuit? Cœlum appellantes glacialia montium, et excelsorum cacumina, et per immensum aerem, loca cœlo viciniora, vel magis proxima. Secundum hanc ergo consuetudinem Scripturarum, ipse Dominus inquit in D Evangelio, *volatilia cœli*. His secundum litteram nunc omissis, ea potius, quæ sacrate a Deo prædicata sunt, intelligere et credere nos oportet.

Numquid conjungere valebis micantes stellas pleiades, aut gyrum arcturi poteris dissipare? Nunc de cœli ordine et astrorum circuitu loquitur ad Job. Pleiades appellat stellas, quæ junctæ, velut septem esse monstrantur. His ergo Græci, quod multæ simul essent, nomen ab ipsa multitudine posuerunt : πληθὺς vel πλῆθος enim multitudo dicitur, et inde derivatum est, ut pleiades appellentur. Ait ergo Dominus ad Job : Numquid ut hæ stellæ junctæ, et simul sint, tua potentia facere potuisti? Septentrionis quoque sive arcturi circuitum, quem indesinenti gyro per sinistram plagam mundi in se feci recurrere, ut totus in se vadat semper et redeat : numquid tu poteris dissipare? De astris cœli, sive signis et in aliis locis Scripturæ legimus, sicut in Jesu Nave et Judicum : *Fuit*, inquit, *terminus Amorrhæi ab ascensu scorpionis petra, et superiora loca.* Ut igitur Domini verba secundum mysticos intellectus dicamus, cœlum interpretemur Ecclesiam, quam superius Dominus terræ vocabulo nuncupavit, sed ibi propter originem suam terra est appellata. Nunc vero sublimata per Christum in gloriam : cœlum rectissime intelligitur. In hoc igitur cœlo etiam stellæ pleiades, et septentrionis, unam in se sacræ interpretationis continent formam. Ipse enim septenarius numerus septiformis Spiritus gratias in se demonstrat, quæ in hoc micant, ipsique gratiarum spiritus in eodem firmamento cœli sunt fulgentes. Istæ igitur stellæ per prophetam, septem oculi Domini appellantur, quorum oculorum gratias atque virtutes Isaias propheta enumerat, ubi de Salvatoris nativitate vaticinatur dicens : *Et requiescet super eum spiritus Dei : spiritus sapientiæ, et intellectus : spiritus consilii et virtutis : spiritus scientiæ et pietatis : replevit eum spiritus timoris Dei.* Quemadmodum ergo quisquam non potuit indissociabilis luminis spiritualia astra conjungere, ita omnino fieri potest, ut hæ stellæ gratiarum, Ecclesiam meam circum lustrantes, ab unius connexione insolubili separentur. Quod autem alii dixerunt, aut intellexisti nexus pleiadis : ad spiritualem intelligentiam erigit animum contuentis, ut aliquid allegoricum laboret inquirere.

Numquid producis Luciferum in tempore suo, et Vesperum super filios terræ consurgere facis? Stella est, quam Luciferum dicimus, stellis cæteris clarior, quam ferunt etiam doctores Ecclesiæ, unam esse de illis quinque stellis, quas planetas vocant, quia dissimilem aliarum stellarum cursum habeant, multoque velociorem et inde planetæ, id est, vagantes, sive errantes dicantur, eo quod non certum, sed mutabilem cursum habeant. Hunc igitur Luciferum apparituram terris, post biennium in Oriente autumant nasci. Aliam vero stellam, quam Vesperum appellavit, eo quod circa diei vesperum suo tamen tempore mundo monstretur : hanc, inquit Deus ad Job, super filios terræ consurgere facis? Qui ergo intelligis potentiam omnia gubernantis, et in te operantis agnosce justitiam. Hanc stellam multi putant Hesperum dici. Unde et Italia Hesperia nominata sit, eo quod illic tempore suo primum apparet. Spiritualiter autem verba sunt Patris de Filio suo Salvatore nostro dicentis sic : Numquid educes Luciferum in tempore suo, et Vesperum super filios terræ consurgere facis? Ubi et adventus Domini in carne venturi significatus est, et resurrectio ejus ex mortuis figurata, veniente plenitudine temporis. Ait autem : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* In hoc igitur tempore suo eductus est a Deo Patre, ut

terras inviseret, qui ideo Lucifer nuncupatus est, quia veniens de sublimibus, tamquam post biennium, post legem et prophetas ortus est, et super nos positos in tenebris, et umbra mortis, lucem nobis fidei ac tempestivæ cognitionis exhibuit. Vesper vero idem Filius hominis appellatur, qui in cruce tempore passionis occubuit. De quo ait propheta populis credituris : *Iter faciet ei qui ascendit super Occasum, Dominus nomen illi.* Qui utique in tempore occasus, quando ait ad Patrem : *In manus tuas commendo spiritum meum,* posuit tenebras, et factæ sunt in corde infidelium Judæorum. Hunc ergo Deus Pater, ut pastorem magnum ovium excitavit. Hunc, inquam, Vesperum, eo quod sacrificium vespertinum in vespera sæculorum missus obtulerit, filium hominis super filios terræ consurgere fecit : utinam non sint caro, et terra esca serpentis, neque filii noctis et tenebrarum, sed sint filii Luciferi, filii Dei.

Numquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra? Si numerum astrorum omnium potest quispiam mortalium nosse, potest et militiæ eorum ordinem perscrutari. Nemo ergo hæc proprie novit nisi solus ille qui condidit. Spirituali autem sensu ita intelligi potest : Numquid tu, Job, quasi cognitor futurorum, jam nosti quo ordine in cœlo Ecclesiæ, quam diversæ atque multiplices gratiæ spiritus mei, velut stellæ refulgeant, sive qua gloria, vel quo ordine meritorum, ut siderum radiantium globi, sancti in resurrectione fulgebunt? Hunc locum alii ita vertunt : *Ut omnia quæ sub cœlo sunt, pariter fiant.* Ubi hoc dicere videntur, quod volubilitate sive temporum, sive stellarum, per spatia sibi succedentia redeat et recurrat. Spiritualiter autem ita dictum existimandum est, quod dispensatio per Christum reconciliationis humanæ, usque in finem sæculi crescat, ad notitiam omnium nationum, sive quia sancti ut ad calcem virtutum perveniant, quotidie morum sanctitate proficiant, et ideo sub cœlo, id est, sub obedientia Ecclesiasticæ disciplinæ sunt constituti.

Numquid elevabis in nebula vocem tuam, et impetus aquarum operiet te? Primo auditu hoc ita intelligendum est. Numquid habes tantam potentiam, ut ad imperium ac nutum tuum illico imbres infundentes et operientes de cœlo descendant. Secundum altiorem vero intelligentiam, vocem, inquit, elevo, ait Dominus, quando hominibus clamo : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis,* et pietatis affectu, pulso secreta mentis ipsorum : ubi est velut nebula caligo peccati, et nominis mei valde obscura oblivio, ut obedientibus voci meæ innumeris populis circumdatus, quasi impetu influentibus aquis operiar, quibusque velut vestimento induar, ut in eis habitem, sicut propheta ait : *Sicut sponsa induit me vestimento.* Alii dixerunt : *Vocabis nubem voce, et in tremore aquæ validæ obediet tibi.* Aqua valida tremendum divinæ voluntatis præceptum est, quod Deus quemlibet sanctum voce, id est, affectu clamoris, et insinuationis instinctu, ut obediendo salvetur, observare jubet. Numquid tu, Job, aliquid simile facere potuisti?

Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi, Adsumus? In his sermonibus Dei, adesse virtuti ejus credendum est quæcumque voluerit, cui etiam omnia insensibilia, quasi sensibilia sunt ; sicut dicit propheta : *A facie Domini commota est terra, a facie Dei Jacob.* Reverti autem fulgura ideo appellantur, quia isti mittuntur a Deo, ut prædicatione Evangelii mundum illuminent, quibus Dominus ait : *Vos estis lux mundi.* Et iterum : *Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad ultimum terræ :* et in fine sæculi revertentes cum fructibus manipulorum suorum venient in exsultatione, et dicent : *Quinque talenta mihi tradidisti : ecce alia quinque lucratus sum.* Sive fulgura sunt inspirationes divinæ, quibus illuminantur corda sanctorum, ut eis accensis in amore charitatis Christi conflagrent. Hæc autem fulgura illuminationis Dei revertentur ad Deum, qui ea ad desiderium sui excitandum emiserat, quando per eamdem visitationem divinam ardenti animo et ferventi opus suæ illuminationis effecerunt.

Quis posuit in visceribus hominis sapientiam, vel quis dedit gallo intelligentiam? Manifestum est quod homo, quando ad imaginem et similitudinem Dei factus est, sapientiam rationis accepit, ut præstaret cæteris animantibus, quæ ratione et prudentia carent. Quibus autem bonis a Deo homo donatus sit : lectorem ad eos transmitto qui de bono naturæ, ejusque virtutibus plurima conscripserunt. Gallo etiam gallinaceo Deus hujusmodi sensum dedit, ut emenso noctis tempore, quasi proximæ lucis memor, eamdem mundo canens annuntiet revertentem. Secundum intelligentiam vero spiritualem ita sentiendum est : quoniam Christus Dei est virtus Deique sapientia. Hunc Pater in visceribus hominis posuit : sic enim Dei sapientia qui est Filius ejus, ait, cum eum Petrus Filium Dei confessus fuisset, dicens : *Tu es Christus Filius Dei vivi. Non tibi revelavit hoc caro et sanguis, sed Pater meus qui est in cœlis.* Et Apostolus : *Cum autem complacuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit in gratia sua, ut revelaret Filium suum in me.* Gallum vero puto esse unumquemque sanctorum, qui in nocte et tenebris hujus mundi, accipiunt fidem, intelligentiam, et virtutis constantiam clamandi ad Deum, ut inspiret jam dies permanens et amoveantur umbræ vitæ præsentis, cum urgenti et frequenti clamore precum suarum dicentes : *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam.* Quod et de prophetis intelligere possumus, qui certatim annuntiaverunt diei ac solis adventum. Hoc in loco aliorum multo aliter interpretatio habet, qui ita dixerunt : *Quis dedit mulieribus texturæ sapientiam, et varietatum scientiam?* Si scientiam varietatum, et textrini operis sapientiam a Deo solæ mulieres acceperunt, de quibus dicitur : *Sed mulieres doctæ dederunt, quæ*

noverant in opus tabernaculi : de qualibus et Dominus hoc loco, quasi specialiter ait : Quis dedit mulieribus texturæ sapientiam, et varietatum scientiam? Quomodo in Exodo Beseleel et Oholiab sacerdotum et tabernaculi vestimenta vario ac polymitario opere texuerunt. Noverimus ergo esse animas sanctas, quæ hoc opus efficiendi etiam nunc in historia per intelligentiam spiritus acceperunt : quibus utique sicut scriptum est : *Dedit Deus sapientiam et intelligentiam, quidquid etiam fabre adinveniri potest, dedit in corde eorum.* Sic itaque repleti sunt spiritu sapientiæ, et intelligentiæ, et sapientiæ vel scientiæ, et omni doctrina ad excogitandum et faciendum omne opus, quoniam tabernaculum illud legis, sanctæ Ecclesiæ imaginem præferebat. Dicamus de hac varietate morum, sive meritorum velut vestem vero Salomoni ministrantium, quod per figuram regina Saba dixit Salomoni, cum admiratione laudans sapientiam ejus, et domum, cibos, habitacula, et servorum ordinem, vestes et ministros, et holocausta, quæ offerebant in domo Domini continenter, hanc officiorum varietatem contextam esse per diversas in toto mundo Ecclesias, per quas alibi conjugati, alibi continentes, alibi virgines : hi per eleemosynas, illi per alienationem omnium facultatum : illi per crucem, et mortificationem terrenarum cupiditatum, illi per scientiam Scripturarum multiplicibus sancti Spiritus gratiis, velut diversis coloribus Christi corpus exornant, sibique æternæ gloriæ et immortalitatis vestimenta conficiunt. Contexunt etiam perfecto intellectu fidem Trinitatis, velut spartum triplex quod non cito rumpitur. Hujusmodi vestimenta istæ spirituales mulieres operantur, id est, sive sanctæ animæ, sive Ecclesiæ per diversa regionum spatia constitutæ.

Quis enarrabit cœlorum rationem, et concentum cœli quis dormire faciet? Certum est, quia nullus cœlorum rationem, vel stellarum cursum poterit aut sermone narrare, aut mente concipere. Quod autem ait : Concentum cœli quis dormire faciet? multis Scripturarum locis laudare Deum elementa dicuntur, pro eo quod in illorum dispositione ac pulchritudine Deus, vel ab hominibus, vel ab angelis prædicetur. Id est, quis homines in ejus laudibus vitam, exercentes dormire, id est, quiescere faciet? Pro hoc itaque honore, qui ab Ecclesiæ congregatione persolvitur : quis alius quam ipse requiem dabit ac refrigerium in sempiternum? Dormitio enim aliquando in Scripturis requies intelligitur, ut Isaias propheta ait, *Justitia dormivit in ea* : id est, in Jerusalem æquitas justitiæ requievit, nunc autem homicidæ. Et sanctus quidam, super quem signatum fuerat lumen vultus Domini, ait in psalmo, *In pace in idipsum dormiam, et requiescam.* Item in alio loco, *Si dormiatis,* inquit, *inter medios cleros,* id est, inter sortes duorum Testamentorum requiescatis. Et concentum cœli quis dormire faciet? Sanctos angelos intelligamus, qui pro ipsa habitatione cœli cœlum dicti sunt per prophetam hoc modo, *Cœlum cœli Do-*

A *mino.* Hujus igitur cœli concentum, ait Dominus, quis dormire faciet, id est, quis erit ille qui eos a perpetuis laudibus, quibus me benedicunt, sanctus, sanctus, sanctus Dominus, incessabiliter concinentes, ut cessent, et quasi obdormientes possit inhibere? Quis narrabit cœlorum rationem? Et sancti cœlorum nomine crebro dicuntur, de quibus secundum mysticos intellectus propheta vaticinatur, dicens : *Cœli enarrant gloriam Dei.* Horum igitur donationes, quas habent secundum Dei gratiam differentes; quis poterit vel ipsam fidei ipsorum narrare rationem?

Quando fundabatur pulvis in terra, et glebæ compingebantur? Pulvis de quo Dominus ait, gentium infidelitatem signat : pulvis utique aridus, et solutus fundamento in Ecclesia apostolico admiscetur, ut B per fidem et colligationes, sive compagines charitatis, conglutinatio in Christo fœdere unionis et pacis, in augmentum Dei velut in terram solidam crescendo proficiat. Unde glebæ agri Dominici, effectæ frugiferæ, in unum corpus Ecclesiæ charitatis copula compinguntur. Cœlorum quoque appellatione Scripturæ sanctæ recte dicuntur : eo quod desursum sint hominibus attributæ, sive quia cœlestia in se contineant sacramenta. Horum igitur cœlorum, id est Scripturarum rationem, quæ de mysteriorum obscuritatibus opacatæ sunt, et profundæ, quis poterit animo perscrutari, vel eloquio proferre, aut quis eorum vaticinia cessare præcipiet. Antiqui interpretes ita dixerunt : *Quis cœli organa in terram declinavit?* id est, quis est qui cœlorum laudantium C Deum cantus, usque ad hominum inclinavit notitiam, ut, imitatione laudis ejus, socii angelorum effici mereantur.

Numquid capies leænæ prædam, et animam catulorum ejus implebis? Ex his quæ per omnem textum sermonis hujus enumerat, sex sunt quadrupedia, et quatuor volatilia. Et in hoc decalogi perfecto numero videri potest quod omnem creaturam intelligi voluerit Deus, quæ per eum utpote per auctorem regitur. Decimus autem numerus perfectus est; quia per ipsum iterando, omnis numerus in infinitum multiplicatur. Ergo juxta litteræ superficiem, hoc ait : Ego qui omnia justa dispensatione procuro, circa te tantum, o Job, videor injustus. Juxta spiritualem intellectum, leæna sive etiam leo, diabolus est in- D telligendus, qui et in multis locis Scripturarum propter sævitiam et fortitudinem ita nominatur. De hoc igitur Dominus ait, quod nemini nocere possit, nisi a Deo acceperit potestatem. Justo ergo judicio ejus traduntur, quia ille omnino vires non habet dominandi, nisi ipse permiserit. Numquid capies leænæ prædam, id est, sicut ego eam capere permittam. Puto autem hoc loco ideo catulos dictos, quia leænam nominaverat, quos veneno malitiæ suæ, sive nequitiæ, velut lacte nutrierat ad homines perimendos. De quorum mortibus, nequissimorum spirituum animæ reficiuntur, et de his in psalmo ait ; *Catuli leonum rugientes, ut rapiant et quærant a Deo escam sibi.* His igitur leonibus, et draconibus

escas dare Deus dicitur : quando illos quos expectant, in potestatem accipiunt.

Quando cubant in antris suis (*in silvis*, alii dixerunt) *et in specubus insidiantur?* Antra sive speluncæ sunt corda hominum impiorum : in his latibulis sedent, sive cubant in insidiis, ut interficiant innocentem.

Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum : vagantes, eo quod non habeant cibos? Arbitror quod et hic corvus adversariam partem significet, sicut et pulli ejus, ut quemadmodum superius leænam, et catulos ejus intelleximus diabolum, et turbam perditorum ejus, ita et hic corvum eumdem cum pullis ejus intelligamus. Quod ergo dicitur vagantes, indicatur hoc verbo, quod quasi quamdam famis rabiem patiantur circa hominum genus, ut perditionem portionis ejus, velut cibum sumant, et ideo satagere videntur omni instantia, donec ad effectum votorum suorum perveniant, sicut audivimus Spiritum sanctum, per Salomonem dicentem : *Oculum irridentem patrem, et contumeliosum senectuti matris, effodiant eum corvi de convallibus, et devorent eum pulli aquilarum.* Possumus et ita sentire, ut corvum, id est, diabolum, et omnes socios ejus quondam patres habuerimus, cum erroribus eorum assimilaremur et vitiis, et inde etiam et pullorum nomine dicebamur. Sed relinquentes eos, quod et sponsa docetur, ut faciat : quæ sponsa nos sumus, cui dicitur : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui*, et invocantes nunc Dominum, potest fieri ut pristino adhuc nomine appellemur : sicut propheta ait, ubi de Deo loquitur : *Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.* Et reor quod ideo pristino nomine censeamur, ut noverimus quid fuimus, et quid nunc per Christi gratiam simus. Et inde hoc ipsum magnum bonum intelligentes, magis Deo gratias referamus, dicentes cum Apostolo : *Gratias Deo Patri, qui eruit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii claritatis suæ.* Mos autem sanctæ Scripturæ hujusmodi est, ut pristina culparum nomina in sanctis frequenter recenseat, sicut beatus Isaias propheta ait de Deo : *Benedicent me bestiæ agri*; et apostolus Matthæus dicitur publicanus. Videamus hunc locum, si et in bonam partem exponere possimus, ut istum corvum, et Christum interpretemur. Sicut enim secundum Scripturarum consuetudinem, montem dicimus Dominum nostrum, et diabolum similiter appellamus : petram quoque ac lapidem, arborem etiam, et gladium dicimus : ita et corvum fortassis dicere possumus. Nam et sponsa Ecclesia, inter cætera præconia laudis de Christo, ita ait in Cantico canticorum : *Crines ejus ut abietis, nigri sicut corvus* : sed quando diabolo corvi nomen aptamus, dicimus eum nigrum criminibus atque tetrum, et qui in tenebris nequitiarum commoretur. Quando veró eo nomine Salvatorem significari dicimus, mysteriorum arcanis eum in Scripturis suis obscurissimum esse sentimus. Et cum sciamus diabolum in Scripturis

A serpentem nominari, quis auderet de Domino ita credere, nisi ipse in se serpentis similitudinem verbis propriis expressisset, dicens : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis* : et discipulos tales admonuit esse dicens : *Estote astuti ut serpentes.* Et serpens, id est, diabolus maledictus a Deo est, eo quod Evam seduxit astutia : et Christus maledictus dicitur : quia maledictus omnis qui pendet in ligno. Maledictum quippe hominis in se suscipiendo, id est, eam quæ ex sententia Dei venerat mortem, ut maledictum suspendit in ligno, et inde est quod pro nobis Christus factus est maledictum. Hæc exempla protulimus, ut firmetur sensus supra prolatus : sequentia videamus. Nunc igitur Christo corvo figura-
B liter dicto, pater præparat escam, cum ei ex gentibus convocat credituros, sicut de eodem patre propheta ait dicens : *Qui suscitavit ab Oriente justum, vocavit eum, ut sequeretur. Dabit in conspectu ejus gentes, et reges obtinebit.* His igitur ad fidem vocatis, Dominus Christus velut esca gaudio exsultationis reficitur. Hujus populi, id est, discipuli, et omnes credentes clamant ad Deum in oratione, panem substantialem quotidie postulantes, et hoc ipsum vagantes faciunt, quia peregrini et hospites sunt super terram, ubi sedem sibi firmam et stabilem non constituerunt, sed dicunt cum Apostolo, *Instabiles sumus.* Hi igitur habent quidem cibos Scripturarum : quarum consolatione pascuntur, sed spei et fidei cibus est, non alimonia rei proprie permanentis. Et idcirco
C in hoc mundo vagari dicuntur : donec ad immobilitatem quamdam sæculi futuri perveniant. Nam et ad hunc intellectum spiritualem pertinet, quod corvi isti rore pasci dicuntur, sicut philologi se referunt indagasse.

CAPUT XXXIX.

Numquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes cervas observasti? Ibices ipsi sunt, quos Græci tragelaphos vocant, admixto nomine hirci et cervi, eo quod necesse est, ut simile sibi aliquid hæc animalia habeant, et unum horum puto in Canticis canticorum damulam vocari, quæ aliquando, et caprea, secundum legem mactabantur. Et in Cantico canticorum crebro simul ponuntur, et munda appellantur, quoniam cornuta essent, et ruminarent, ungulamque dividerent. Istius ibicis sunt et alia ani-
D malia quasi ejusdem generis, ut est, corvorum, sicut in Lege dicitur : *Et omnes corvini generis aves non manducabitis.* Hæc ergo animalia, vel maxime in saxis nutriuntur, et in cavernis petrarum. Ibicum tempus quando pariunt nosti, ait Dominus ad Job : vel quando cervæ parturiunt observasti? Quanta alia sunt in Scripturis magis obscura atque ab hominum notitia longe remota, de quibus aliqua in hoc libro ipse Dominus videtur dixisse, quam sunt quæ ad Job nunc loquitur : quod enim laboris est nosse tempus cervarum, et ibicum parturientium? aut unde tam latebrosum est humanæ notitiæ, ut possit tempus horum animalium parientium penitus ignorare, præsertim cum hæc ipsa animalia pene in

medio hominum commorentur. Proinde, ne sit apud quosdam hic sermo Domini vilis, et forte ab eis superfluus existimetur, altius quod dixit intuendum est, ut dicamus in mysteriis sub nomine horum animalium, præfiguratos apostolos et apostolicos viros, et omnes prædicatores veritatis : qui in fortitudine fidei et patientia, velut in petris per spiritum imbuentem eos, verbum Evangelii perfecte in se formatum parturiant, vel cum doloribus persecutionum parturiant. In petra parturiebat et ille qui dixit : *Nam in Christo per Evangelium ego vos genui.* Hoc igitur tempus futurum constitui, et animas prædictorum, velut cervas, quæ de timore meo concipiunt, ut spiritum salutis pariant super terram, tu forsitan, quasi obstetricantis officio, diligentissima sollicitudine observasti, dans eis os, et sapientiam de utero mentis suæ, minus fortasse solidum, vel integrum verbum prædicationis, velut fetum in hanc effunderent lucem.

Dinumerasti menses conceptus eorum, et scisti tempus partus earum? Vivum verbum Dei, et validum, penetrans usque in divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, in hoc spirituali conceptu profectus quosdam incrementorum, velut per menses temporum in cordium sinibus operatur, ut ipsis apostolis primum apparuit, qui in initio prædicationis, quasi parvi, et modici visi sunt, sed paulatim corroborante eos spiritu, verbum in eis demonstratum est, usque ad mensuram plenæ gratiæ pervenisse. Quod velut partu edentes, totum atque perfectum ac plenum divinis promissionibus scribentes, diversis Ecclesiis ediderunt. Hujusmodi igitur conceptus, et partus tempora, qui hoc modo spirituali utero cordis fiunt, unde et tu, Job, ait Dominus, cognoscere potuisti? quorumque tempora sunt in Evangelio præfinitionis meæ consilio constituta. Ubi ergo dictum est, et scisti tempus partus eorum : alii dixerunt, *et dolores eorum solvisti.* Dolores sunt insectationes et tribulationes, quæ prædicatoribus inferuntur, a quibus doloribus isti tunc absolvuntur, quando invitati ad requiem absolvuntur a corpore. Sive tunc absolvuntur a doloribus persecutionum, quando in spe positi, pro malis præsentibus ad promissionem æternæ remunerationis aspiciunt.

Incurvantur ad fetum, et pariunt : et rugitus emittunt. Doctrinam lacteam propinando incredulis et infirmis, sicut ait Apostolus : *Lac vobis potum dedi, non escam :* ab illa celsitudine sapientiæ ad humiliora prædicatores quodammodo humiliantur atque descendunt, ut vir fiat parvulus : et his qui sine lege sunt, tamquam et ipse sit sine lege. Et dum eos conantur in Christo formare et parere, rugitus emittunt, dum ab inimicis Christi supra modum ac supra virtutem suam gravantur, ita ut tædeat eos etiam vivere. De qualibus etiam dicit Apostolus : *Et nunc flens dico inimicos crucis Christi.* Sive ex affectu charitatis hujusmodi rugitus emittunt, sicut ait idem Apostolus : *Tristitia mihi est magna et continuus dolor cordi meo.* Item ait : *Ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacry-*

A *mas.* Qualibus dolens ex charitatis visceribus dicit : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Item ait in Actibus apostolorum, ubi omnem fraternitatem collectam alloquitur : *Vigilate, memoriæ retinentes, quoniam per triennium nocte et die non cessavi cum lacrymis monere unumquemque vestrum.* Et iterum ait : *Ipsi scitis qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate et lacrymis.* Hæc igitur idcirco dicta sunt, ut sciamus quoniam ad gemitus et rugitus pertineant tribulatio, angustia, lacrymæ et dolor continuus cordis sanctorum. Aliter incurvantur ad fetum, et pariunt, et rugitus emittunt : ubi prædicatores veritatis verbum fidei cœperint editione eloquii prædicare, illico ab adversariis incurvantur,
B id est, custodiis carcerum humiliantur atque verberibus; sed quia nec in vinculis verbum Dei est alligatum : illic nihilominus id populis pariunt, quo et ipsi in Christo nascuntur : Sicut ait, ut diximus, in regeneratos, sanctus Apostolus : *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui* : Deinceps ad Deum in orationibus rugitus deprecationum emittunt, vel pro persecutoribus suis Deum rogantes, vel perseverantiam fidelium, adjutorium divinæ gratiæ suppliciter implorantes. Aliter, rugitus emittunt, quia qui adjicit scientiam, adjicit dolorem : gemunt sancti cogitantes quanta sunt pericula hujus vitæ, vel quam longe sunt a virtutibus quas requirunt.

Separantur filii earum, et pergunt ad pastum : egrediuntur, et non revertuntur ad eas. Parturi-
C tione apostolica, filii quos sancti in Christo genuerint, sive a pristinis erroribus suis, sive etiam a carnalibus operibus separantur : in quibus nunc erubescunt, ut jam non sibi vivant, sed Christo, qui pro eis mortuus est, et resurrexit. Pergunt ad pastum : id est, per scientiam profundioris intelligentiæ quotidie excitati conversatione proficiunt, dicentes, animalia sancta veri pastoris : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit :* et cætera, quæ sequuntur in psalmo eodem; sic, inquam, pergunt sancti filii evangelizantium pacem, sicut jam dixi, id est, crescunt atque proficiunt. Ad istum pastum Domini, et ad hanc alimoniam sanctarum animarum, et ad tales delicias spirituales, egrediuntur utique ab infantia morum quotidie proficientes, pro-
D ficiscentes virtutum merito in virum perfectum. Et non revertuntur ad eas. Non revertuntur, ut iterum necesse sit eos doceri, quæ sint elementa exordii sermonum Dei. Non revertuntur ad ea quæ retro sunt, sed ad ea quæ in ante sunt se extendunt. Non revertuntur, ut quidam, quibus ait Apostolus : *Filioli mei, quos iterum parturio donec Christus formetur in vobis* : sed potius subeunt gradus ascensionum, inambulant de virtutibus in virtutem. Hujusmodi ergo filii non possunt audire, ut Galatæ, vocem increpantis Apostoli : *vellem esse apud vos, et mutare vocem meam.* Hic ergo sermo Dei sub figura caprearum, et ibicum, describit apostolos, sicut jam dixi, et apostolicos viros, atque omnes doctores Ec-

clesiæ, per quorum doctrinam Ecclesia spirituales sibi filios generat. Et unaquæque anima de verbo Dei concipiens, parit filios bonorum operum, quæ tamen cervæ sit similis, et ibici, ut in montibus habitet, et in petris nutriat, veloxque sit, et alacris ad currendam viam Domini. Serpentes quoque de terra sua educat, et vivat multo tempore, audiens prophetam : *Adjicientur tibi anni vitæ tuæ*. Talibus cervis sunt montes excelsi, quos Domini vox perficit, et quorum pedes in consummatione perducet.

Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus quis solvit? In cerva et ibice superius figuram Ecclesiæ esse monstravimus. Nunc vero onagri nomine, arbitramur populum Judæorum posse intelligi, quem Deus ob incredulitatem ejus dimiserit, sicut ait : *Et dimisit eos secundum desideria cordis eorum*. Quod in multis aliis locis Scripturarum Deus hoc futurum esse testatur. Cujusque vincula præcepta esse legalia non absurde sentimus. Nam eumdem contumacem populum et rebellem, propheta ita objurgat, et increpat, dicens : *Vacca lasciviens Israel, confregisti jugum, rupisti vincula*. Hunc igitur quasi onagrum, immundum videlicet animal ac effrene reliquit Dominus, ut ab eo jugo imperii sui, quia semper restitit obedire, a vinculis præceptorum diaboli solveretur, et secundum Apostolum servus peccati, liber esset justitiæ; sic enim ipse Dominus de Judæis ait in psalmo : *Disrumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum :* ubi ipsa Trinitas Dei hoc dixisse videtur. Nam quemadmodum in Genesi in factura hominis pluraliter dixit Deus : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram:* ita et hic locutus est : *Disrumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum*. Quem locum Actus apostolorum ita se habere manifeste declarant : ubi apostoli ad Deum elevaverunt vocem suam atque dixerunt : Domine, tu qui fecisti cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt, qui Spiritu sancto per os patris nostri David pueri tui dixisti : *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum ejus*. Ob hoc igitur scelus quod in Christo Filio Dei commissum est, ait Pater, qui in spiritu suo hoc futurum prædixerat, dicens : *Disrumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum*. Processit grande peccatum ac nefandum, quo Salvatorem crucifixerunt, ut merito ab eis vincula præceptorum Dei disrumperentur, et ita legis jugum projiceretur. Quod autem jugum, et vincula eorum dicta sunt, cum Dei fuerint potius quam Judæorum, quibus legem ac præcepta dederat mandatorum : hoc maxime requirendum, quod ita dictum, quia Judæi legem carnaliter intelligentes, quam ex operibus se implere arbitrabantur, quasi suam effecerant, sicut dicit Apostolus : *Israel vero sectans legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit*. Quare? Quia non ex fide, sed ex operibus. Et ideo de eisdem sequitur, dicens : *Ignorantes enim Dei justitiam, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti*. Quod autem ait, suam volentes statuere justitiam, non quia lex ab ipsis sit constituta, hoc ait, sed in lege quæ ex Deo est suam constituerant, quando eamdem legem suis viribus se implere posse credebant, et idcirco secundum hunc sensum Judæorum vincula disrumpenda a Deo dicuntur, et projiciendum jugum ipsorum.

Cui dedit in solitudine domum. Justos destitutos in solitudine, videlicet protectione defensionis meæ habitare feci, sicut etiam postmodum ore prophetico locutus sum dicens : *Fiat habitatio eorum deserta; et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet*. Solitudo itaque factus est populus ille, et eremus, quia ablata lege, prophetia, sacerdotio, sacrificio quoque ac beneficiis divinis, gratiæ etiam protectione privati ac destituti sunt.

Et tabernacula ejus in terra salsuginis. Ut sine ulla spe promissionis Dei sterilis viveret, et infructuosus terram salsuginis dicitur accepisse : ubi præter amaritudinem qua Deum provocaret ad iracundiam, nihil haberet. Sic namque alibi de Deo dicit propheta : *Posuisti flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim. Terram fructiferam in salsuginem a malitia inhabitantium in ea*.

Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit. Ecclesia est hæc civitatis, quæ constat ex multitudine innumerabilium populorum, de qua Dominus ait : *Non potest civitas abscondi in monte posita*. Hanc igitur quisque Judæus despiciens, respuendo contemnit, clamorem etiam cujuslibet evangelizantis verbum Dei, et exigentis obedientiam fidei, non audit, id est, obedire detrectat. Ob hoc igitur, incrassatum est cor eorum, et oculos suos clauserunt, ut non videant oculis, et auribus non audiant, et corde intelligant.

Circumspicit montes pascuæ suæ, et virentia quæque perquirit. Montes, superbos quosque doctores, scribas videlicet, et pharisæos legis suæ, quasi suspiciens, eisque honorem deferens, adulationis ambitu circumit : ab eis procul dubio, in quibus est doctrina hominum, non recedens, in quibus etiam montibus ubi se pascua carnalis legis habere gloriantur, virentia quæque perquirit, quæ ad delicias utique carnis, et sabbata delicata pertinent, et quæ velut virescentis superficie legis historiis, nullum fructum habeant figurarum.

Numquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? Sive, ut alii dixerunt : *Numquid volet monoceros servire tibi?* Ex diversa editione transferentium advertimus, quod ipsum sit rhinoceros quod et monoceros, et Latine intelligatur unicornis, sive super nares cornu habens. Sunt ergo hujuscemodi feræ in solitudine Orientis, et ab hominibus nonnumquam videntur, sive capiuntur. Hic igitur monoceros, populi gentilis imaginem præfigurat; cujus etiam superbia significatur in cornu : sicut quibusdam peccatoribus, et superbis a Deo dicitur per prophetam : *Dixi iniquis, Nolite inique age-*

re; et delinquentibus, nolite exaltare cornu. Nolite extollere in altum cornu vestrum : quia veternosa atque antiqua in his, quos Deus increpat, superbia est. Secundam aliam editionem, in hoc eodem loco psalmi legimus : *Nolite exaltare in excelsum cornu vestrum, loquentes in cervice veteri.* In multis quoque aliis Scripturarum, cornu nuncupato, legimus superbiam nominari : licet et in bonam partem cornu soleat dici, ut est illud : *Exaltabit cornu Christi sui.* Nam et ipse Dominus Christus, propter singulare imperium suum, aliquando et unicornis dicitur. Legimus quoque cornua et regna dici, ut in Daniele et Apocalypsi continetur. Hic monoceros, qui per sapientiam mundialem tumore superbiæ erat in sublime porrectus, numquid tibi subjicietur, ait Dominus ad Job, ut per fidem in sanctitate et justitia serviens, obedientiæ colla submittat, et mansuetus effectus atque humilis, ad Dominicum præsepe recurrat, ac verbis Dei hominisque assumpti, sacris cibariis saturetur. Sive, numquid subjicietur, ut in Ecclesiæ meæ claustro habitet, quod erit viantibus stabulum, atque huic sæculo renuntiantibus salutare perfugium : ubi spiritualium ciborum alimoniis, institutionibus, et cœlestibus pinguescat eloquiis, et impleatur in illo, quod erit per prophetam postea prædicendum : *Agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui.* In monocerote quippe hic nominato, sicut in propheta per asinum, immundus et incircumcisus significatus est populus omnium nationum.

Numquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo, aut confringet glebas vallium post te. Lorum hoc loco dictam ipsam charitatem Christi, quæ est inter omnes virtutes præcipua, intelligere debemus, de qua ad diligentes atque amantes Deum, ait Apostolus, *Copulati in charitate :* cujus vinculis colligandos, propheta olim prædixerat, dicens ad Deum : *Labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt, et post te ambulabunt : vincti manicis pergent.* Et David quemadmodum charitatis Dei vinculis per ministros verbi Dei vinciendi essent credentes, ita loquitur, dicens : *Ad alligandos reges eorum in vinculis ferreis.* Quorum vinculorum nominibus, charitatis Christi fortitudinem voluit demonstrare, quæ etiam fortis et potens in manicis ferreis, ad amorem Domini constringit. Hic ergo rhinoceros, id est, populus quondam incircumcisus, præputio scilicet carnalium voluptatum, et infidelitate immundus, hoc loro charitatis Christi fortissimo alligatus, ita ut nulla eum creatura separare possit a Christo : conficit in corpore glebas convallium, duritiam scilicet peccatorum, et colit in corpore suo terram Dominicam, secundum Apostolum, qui ait : *Non estis vestri.* Et ideo hic specialiter Domini est terra, in qua primitus fit omnium peccatorum quasi veprium spinarumque purgatio. Deinde aratro crucis, et ferro Dominicæ passionis, duritia cordis atteritur, et confringuntur vallium glebæ. Vallium nomine, humiliatos peccatis homines, atque in ima depressos significari existimo, sicut habemus

A in psalmo : *Ascensus in corde suo disposuit in valle fletus.* Unde et Isaias cum increpatione prophetaturus, contra Jerusalem peccatricem prophetiæ suæ hujuscemodi titulum præposuit, dicens : *Onus vallis visionis.* Talium igitur vallium glebas monoceros comminuit, quando humiliati corporis terram edomat, et suscipiendis cœlestium præceptorum seminibus ac reddendis fructibus præparat : quando cum Apostolo castigat corpus suum, et in servitutem redigit : quando omnem hebetudinem obstinati cordis, duramque stoliditatem a se auferre contendit, quod tamen efficere nequaquam poterit, ait Dominus, nisi rectorem et gubernatorem suum obedienter me fuerit secutus. Unde ait Dominus ad Job : aut confringet glebas vallium post te, sicut habemus in psalmo: B *Adhæsit anima mea post te.* Et propheta de hujusmodi : *Post te ambulabunt*, inquit, *vincti compedibus:* ubi admiratione dignos video tales pedes, qui quanto magis compediti fuerint, tanto velocius sine offensione egrediuntur.

Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus, et derelinques ei labores tuos? Numquid credes illi, quoniam sementem reddat tibi, et aream tuam congreget? Ego Dominus novi fortitudinem charitatis ejus, et patientiæ ac longanimitatis, et idcirco dereliqui ei ad imitandum me omnes labores dispensationis meæ, quos in me credendo intelliget, quia pro illo sustinui alapas, verbera ac sputa suscipiens, eidem laboravi : eique ad cœlos revolans exempla laborum ac virtutum reliqui, cui quæ credidi atque C commisi, opitulante sibi gratia mea, reddat multiplex semen, et in area Ecclesiæ meæ germen tricesimum, sexagesimum, centesimumque fructificet, et aream tuam congreget : sicut apostoli, et post apostolos multi fecere doctorum.

Penna struthionis, similis est pennis herodii et accipitris. Herodiorum genera tria esse dicuntur, unum horum album esse colore quidam ferunt, aliud vero quasi gruis quibusdam diversis coloribus varium, tertium quoque genus nigrum affirmant, quod sit non solum velox, et sævum ad prædam : verum etiam in coitu impatientissimum, intantum ut in tempore coitus ex oculis ejus sanguis ebulliat. Herodius in psalmo centesimo tertio ita nominatur : *Herodii domus dux est eorum*, cum de lignis Domini D propheta tropicos loquitur. In Deuteronomio quoque et in Levitico, ubi ne aves immundæ in cibum sumantur Moyses prohibet, et hæc similiter ponitur. Accipitrum etiam aliquot sunt formæ, vel genera. His ergo rapacissimis avibus, venatu et præda viventibus, in pennis struthio comparatur. sicut et alii dixerunt : *Struthio mixta, et alis herodionis et accipitris.* Igitur struthionem secundum spiritualem intelligentiam sensusque divinos, Ecclesiam non absurde sentimus, quæ per lavacrum regenerationis, et verbum munda in Christo effecta est, qui similem quidem pennam habet pennis avium, quæ carnibus vescuntur et sanguine. Sed illæ remigio alarum in hoc aere velut in pelago id agunt, ut de cæteris avi-

bus prædam capiant. Unde sub hac figura inimici nostri spirituales intelliguntur. Struthio vero longe dissimili modo pennis suis utitur : eo quod eas velut per fidem, et speciem duorum testamentorum gubernaculis vivens habitantem extendat. Hæc avis, ait Dominus ad Job :

Quando dereliquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea? Ova sive filios, ut in subsequentibus dicitur, novam creaturam atque in Christo generatam, et candidam progeniem sanctæ Ecclesiæ intelligere debemus. Sed in ovis illos esse noverimus, qui doctrina quotidiana, quasi fetus quidam Ecclesiæ matris nutriuntur, ut quandoque de initiorum frugalitate, et imperfectione procedentes, ad ultimum testa virtutum, veluti distinctis atque formatis membrorum compagibus, existant, cum ex tenebris vitiorum hoc modo facti fuerint lux in Domino, proficientes quotidie ad ætatum morumque soliditatem. Audiant prophetam de ipsis dicentem : *Dies formabuntur, et nemo in eis*, id est, nullum in eis vitium dominabitur, quo impugnante vincantur. Filios vero intelligamus jam solito robustiores, fide ac virtutibus compositos, atque formatos per incrementa virtutum, tamquam per annorum seriem jam de omni infirmitate vitæ incompositæ nihil habentes. Hi igitur, sicut ait Dominus, in terra ab Ecclesia relinquuntur, quando persecutionem ab impiis, et terrena sapientibus patiuntur. Relinquere enim eos Ecclesia dicitur, dum adversantibus non resistit : quos Dominus fervore fidei et patientia duros, atque in illo igne quem misit in terram, et in pulverem fragilis carnis eorum fortissimos facit.

Obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat. Obliviscitur Ecclesia natos suos, dum eis pressurarum molestias, adversarios inferre non prohibet. Hoc loco differentiam puto esse tribulationum propter illud quod dixit, pes conculcet, et illud quod ait, et bestiæ agri conterant. Et hoc sit contritio bestiarum, quando aperte truces, sævi et immanitate morum crudelitate similes bestiarum. Christum confitentes usque ad atrocitatem mortis affligunt. Pes vero conculcationis sit hujuscemodi tribulatio, quando opprobriis, et nimio contemptu iniquorum sancti usquequaque humiliantur, velut quadam conculcatione protriti.

Duratur ad filios suos, quasi non sint sui : frustra laboravit, nullo timore cogente. Præsentibus filiorum suorum tribulationibus, Ecclesia dura et impia videtur, quoniam non ingemiscit, et plangit angustias interitumque natorum. In cujus figuram, sancta mater Machabæorum super filiorum suorum cruciatibus exsultabat : videbat quippe in spiritu, sicut et hic sancta mater Ecclesia per fidem quotidie contemplatur, quantam gloriam in æternum pariant pœnæ præsentes, professione veritatis acceptæ. Et ideo quod sequitur, frustra laboravit, nullo timore cogente, Ecclesiam signat, quæ filios suos ad tentationem, et sæculi hujus molestias præparat, sperans utique a Deo pro his malis temporariis, filiorum suorum gloriam, et incorruptionis beatitudinem sempiternam. Aliter, sed et si doluisset pro filiis consecratis, frustra doluisset, quia non habebat timendi causas, quando eos non perdidit, sed acquisivit.

Privavit enim eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam. Sapientia atque intelligentia mundi hujus privata est a Deo Ecclesia ; nam et Apostolus hoc fieri præcipit, dicens : *Qui vult sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens : quia sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum.*

Cum tempus fuerit, in altum alas erigit, deridet equum et ascensorem ejus. Cum ingruerit, ait, molestior et nimium acerba afflictio persequentis, ibi major ad Deum de afflictione obsecrantis affectus, dum quodammodo excitatur, et humiliatus erigitur intentione vigilantissima deprecandi in excelsum alacri nisu, fidem suam et spem, velut pennas in adjutorio gratiæ Dei fultas suffert, et cum talium alarum sustentata fuerit auxilio, gressus profecto ejus velociores efficiuntur et conciti : ita ut insequentes se derideat inimicos, id est, equum et equitem, quod est diabolum et hominem ministrum inimici, qui in perpetrandas contra Ecclesiam persecutiones, sedet in quolibet equo suo, in corde videlicet hominis persequentis.

Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum? Hunc equum adversariam potestatem arbitror posse intelligi, qui sit pallidus, ut in Apocalypsi scribitur, quem sequitur mors et inferus. Et qui in Zacharia propheta dicitur rubeus, mortibus videlicet hominum, et cruore respersus. Proinde dum permittitur præberi ei a Deo, dicitur fortitudo, et circumdari collo ejus hinnitus, ut per patientiam, et bonitatem Dei, thesaurizet sibi iram in die iræ, et revelationis justi judicis Dei. Et idcirco in collo ejus significatur hinnitus superbiæ, quo tumeat contra Deum, et blasphemiam loquatur.

Numquid suscitabis eum quasi locustas? More locustarum, adversarius noster dicitur suscitari, quando de locis suis ad partiendas regiones, atque vastandas præire dicitur, sicut ait de Deo psalmista : *Dixit, et venit locusta.* Sed hanc suscitationem, instantiam efficiendi operis esse arbitror. Unde dicitur ad Pharaonem : *In hoc ipsum te excitavi, ut ostendam in te virtutem meam, et annuntietur nomen meum in universa terra.*

Gloria narium ejus terror. Sive ut alii dixerunt : *Gloria pectora ejus audacia.* Ut inimicus in fugam vertat adversarium suum, militem scilicet Christi, ipso etiam anhelitu terret : hic est odor mortis, hic est spiritus furibundus anhelans in hominis necem, retrorsum respicit, qui iterum ad peccata convertitur, sive tribulationibus cedit, ut in Evangelio Dominus per parabolam edisserit.

Terram ungula fodit. Sive, ut alii dixerunt : *fodiens in campo luxuriat*, id est, carnales homines, et terrena sapientes conculcat, et proterit, et cum eos humiliaverit, sibique subdiderit, facit eos ea con-

tritione contritos, qualis est contritio, et infelicitas in viis hominum impiorum. In hujuscemodi igitur latitudine vitiorum, velut in campo luxurians, fodit ad subtrahenda hominibus fundamenta virtutum, ut in ruinam subducta soliditate procumbant.

Exsultat audacter. Gaudet superbus præsumptionis audacia, quoadusque perniciose contra homines pugnat.

In occursum pergit armatis. Quæ sint arma sanctorum contra spirithalia nequitiæ, Apostolus diligenter enarrat. Contra hos igitur hujusmodi armis indutus, in occursum pergere dicitur, quando arcem mentis expugnare moliens, adversum murum virtutum, arietes abjicit vitiorum, et ad tentandum Dominum, ausus fuit in occursum ejus venire in eremo, et per singulas civitates apostolis Christum prædicantibus occurrebat, quando eis commotiones seditionum populi suscitabat, sicut etiam in Actibus apostolorum legimus. Unde et ad quosdam Paulus ait : *Ostium mihi apertum est magnum, et evidens, sed adversarii multi.* Et multis aliis locis de hac adversantium impugnatione non tacet, quas diabolus immittebat.

Contemnit pavorem, nec cedit gladio. Quod ad imperium, et invocationem Dei, diabolus effugetur, manifestum est; sed si ad contumaciam, et voluntatem illius iniquissimam, ac procaciter impudentissimam attendamus, intrepidus non terretur, non erubescit etiamsi gladio ferri Dei territus fuerit et fugatus, et revertitur iterum, nec confutatus abscedit.

Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta, et clypeus. Cur habet pharetram inimicus? ut videlicet sedentes in ea Judæi, gentiles, hæretici, in quibus sunt sagittæ mortis, errorum scilicet lethalia dogmata, sagittent in obscuro rectos corde. Habet hastam unde criminibus cæterisque vitiis confodiat peccatores, sagittas, subtiliores dolos, hastam, delicta trabalia atque mortifera. Habet clypeum, quo malitiæ plenitudine, totum militum suorum occupat pectus, quo ne telis verborum Dei compungantur, excutit ea, frustratur, expalmat : ex quo equo transfigurato in angelum lucis, splendore quodam terribili, vibrant hasta et clypeus, et mendacii eloquio abruptæ hæreticorum resonant pravitates, et hic propter indesinentem intensionem usumque blandiendi vibrare dicuntur.

Fervens et fremens sorbet terram. Fervens est vitiis diabolus, inimicus sanctorum, et omnium criminum igne conflagrans, atque in hominem furore invidiæ fremens, ut jam sorbeat illecebris peccatorem, et devoratum in corpus perditæ congregationis suæ transferat, quo corpore propheta dixit se forte absorbendum, nisi Dominus esset in eo : ita inquiens : *Nisi Dominus esset in nobis, forte vivos absorbuissent nos.* Hic ergo contrarius noster ipse est, cui Deus locutus est, dicens : *Terram manducabis omnibus diebus vitæ tuæ.* Et idcirco ipse et socii ejus, ut inimici Domini, terram lingent.

Nec reputat tubæ sonare clangorem. Id est, prophetarum, et apostolorum increpationem audire detrectat, quibus dicitur : *Sicut tuba exalta vocem tuam :* sed magis sæviens, unde verus Pharao dicit : *Persequens comprehendam, départibor spolia*, et cætera. In his locis de quibus diximus, alii transtulerunt : *Super ipsum enim gaudet arcus et gladius, lancea, hasta, et tremore et iracundia evertit terram : nec credit, donec clanguerit buccina :* ubi eumdem sensum existimo contineri, secundum quem nos exposuimus. In arcu, et gladio, et cæteris armis inimici, omnes adinventiones ejus intelligendæ sunt, quæ in eo gaudeant cum his modis, quasi armis interficiunt hominem.

Ubi audierit buccinam, dicit, vah! Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus. Quando audierit, inquit, adversarius noster Dei buccinam, id est, unumquemque doctorem Ecclesiæ adhortantem commilitones suos, secundum præceptum imperiale, atque divinum, ut contra adversarium suum stent fortes in prælio : stupenti animo et scrutabili, auribusque attonitis, ait : Vah! tamquam si diceret : Quid audio? hac quisquam præsumit audacia, ut contra me saltem cogitet bella constituere? Ubi ergo dictum est, Vah! alii dixerunt *Euge*, quod secundum, ut consequentia loci fuerit, sive in bonum, sive in malum capitur, et in Psalterio : *Confundantur et revereantur, qui dicunt mihi, Euge, euge.* Proinde in hoc loco irridentis animo, et subsannantis vultu, euge dicitur. Subtilis enim et vigilantissimus inimicus, et nimium callidus, qui sollicitudinem perdendi omnem terram habet, cum senserit aliqua initia, sive signa quædam in homine, quomodo ei, ejusque vitiis resistendum sit, velut sagina, adversantes sibi prævenire contendit : ne sumpta contra diabolum sanctitatis arma defendant : ne veneratione digni fiant, cum Rex æternus advenerit. Ululatus vero, sive *sonitus*, ut alii dixerunt, exercitus veri imperatoris ille est, quando se invicem uno spiritu, unaque charitate, et fide cohortantes, conspiratis in unum timoris Domini viribus, alloquuntur, ut donec transeat iniquitas, sint perseverantes in prælio; quia charitate regis sui infusa in se per Spiritum sanctum, qui datus est eis, pro alterutro sunt membra sollicita.

Numquid suscitabis eum quasi locustas? Quem de loco ad locum transilire feci, et de præsenti, scilicet mundi delectatione ad desiderium futuri sæculi inflammavi, sic utique suscitatus est de corpore infidelitatis, velut sol, cum calor advenit. Has autem mutationes non locorum esse corporalium noverimus, nam affectus sunt animorum.

Gloria narium ejus terror. Ut terreat peccatores, odio habens quod sunt, et dicens eis de Deo : *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit*, et cætera : de gloria narium ejus est, spiritus enim Dei est in naribus ejus, quod et sanctus Job dixit : Spiritus Dei est in naribus meis. Hoc unguento, spiritu utique Dei, perfusa est Ecclesia, sicut scribit Joannes apostolus : *Et vos unctionem habetis a sancto.*

Proinde hic de quo loquimur, hoc loco de bono flagrabat in interiore sensu hominis sui: in quo sensu secundum voluntatis arbitrium, aliis odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam, quoniam refuso super Christum, id est, [a] myro fidei a sancta Ecclesia repletus est mundus: omnes fidelium populi, eodem sacro chrismate uncti sunt. Propter quod et ipsum unguentum, quod ante Salvatoris notitiam intra alabastri vasi angustias tenebatur, pistici nomen inditum erat, ut noverimus credentium populos, sicut dixit, chrismate consecratos. Hac igitur gloria odoris hujus, quasi terrore generationis perfunditur sensus interior.

Terram ungula fodit. Exsultat audacter, et in occursum pergit armatis. Quidquid in se potissimum habet ad substantiæ perseverantiam, eo utique bono virtutis terram scindit et commovet. Non enim patitur ut solum gradiatur incultum, sed studet, ut ager fiat frugifer et opimus. Unde et ante Deum audacter exsultat, ut audiat de se, sicut de cæteris dici: *Venientes autem venient in exsultatione, tollentes manipulos suos.* Itemque audiat, *Serve bone, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* In occursum pergit armatis, antequam telis vitiorum, sive persecutionum a spiritualibus hostibus obruatur, in acie virtutum consistens, irruentes in se prævenit inimicos, ne aliquo ictu concupiscentiæ, vel etiam diffidentiæ vulneretur. Sic namque in occursum pergit contra hostes armis vitiorum, insectationemque munitos. Secundum hunc sensum sanctus David ait: *Persequar inimicos meos, et comprehendam eos*, et cætera.

Contemnit pavorem, nec cedit gladio. Quantaslibet alt minas cum grandi terrore, ita ut cum pavorem incutere cupiunt inimici, loquatur: *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ: a nemine formidabo adversantium, dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas.* Proinde quoniam in hac salute luminis Dei spero: *Si consistant adversus me castra, non timebit cor meum. Et si consurgat in me prœlium, non cedam gladio*, quo mortem libenter pro Christo subire exopto.

Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta et clypeus. Super exteriorem et corporeum hominem, de quo ait propheta: *Et subtus me conturbata est hebetudo mea:* quasi arcem animam credimus, ubi unusquisque sanctorum, utpote in interiore homine suo tamquam intra pharetram habet sagittas eloquiorum Dei, quas dum ad cavendum profert, sive dum eas frequenti correptione, veluti tela pungentia educit in medium, percussurus utique earum ictibus eos, qui merito ad salutem debeant vulnerari. Super ipsum, inquam, eloquiorum Dei resonat pharetra, quod tamen in commotione sit ambulantis. Ubi intelligitur, quod is recte psallat et corripiat delinquentes, cujus in anteriora quotidie profectus est sanctitatis, sic enim apostolus magnus, et potens equus Domini ait: *Unum autem quidem quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ in ante sunt extendens.* Sive ut brevius et manifestius dicam: Pharetra hæc, locus est cordis, in quo sermonum Dei sagittæ conditæ sunt, et repositæ. Et signanter ait Dominus super ipsum, id est, equum sonare hanc pharetram, quod est super exteriorem hominem ejus, pharetra cordis illius referta divinis eloquiis, regnat, dum ut bellator Domini, et fortis in prælio, evangelizat verbum virtute multa. Super hunc equum nihilominus vibratur hasta, et clypeus. Hasta est vigilans animi virtus, sive constantia, quæ increpat peccatores, sive vitia in se confodienda mortificat. Clypeus vero scutum fidei est, in quo omnia tela nequissimi ignea possit exstinguere. Et hæc propter indesinentem usum bellandi, vibrare dicuntur, quæ sint utique in exercitatione præparata. Nam de talibus armis fulgentibus ita dicitur: *In lucem jacula tua ibunt, in splendorem coruscationis annorum tuorum.*

Fervens et fremens sorbet terram. Fervens fide in spiritu, et fremens ut Salvator, qui quando in vitiis mortuum spiritualiter suscitat, fremit in spiritu. Ita hic, inquam, fremet contra inimicos suos, sive vitia, sive etiam apertos persecutores: et ita sorbet terram suam, dum eam de carnali conversatione in spiritualem convertit. Sic itaque fremens, sibique plurimum cum indignatione irascens, sorbet eam, sicut dixi, ut illam in spiritus sui affectationem transmittat, ubi est ille absconditus cordis homo in incorruptibilitate, quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.

Nec reputat tubæ sonare clangorem. Tanta animi virtute induitur, ut nullum terrorem adversariorum formidet, quando ad omnem sonitum inimicorum provocantium sit paratus.

Ubi audierit buccinam, dicit, Euge. Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus. Qui cum audierit alta voce Evangelium prædicari, gaudet et exsultat, quod *Euge* significat. Omnium præpositorum de Scripturis Dominicis fortissimorum virorum exempla profitentium, totius quoque Ecclesiæ congregationem, quæ exercitus Dei dicitur, unanimem atque unius fidei sonum cum audierit, dicit, *euge*, et lætum cum exhortatione ducum, etiam ululatum audit exercitus. Ululatus autem hoc loco ille significatus est, quando bellatores in acie stantes pugnaturi, se invicem cohortantur. Sed dicit aliquis: Quemadmodum fieri potest, ut una eademque res per figuram nunc in bonam partem, nunc in malam intelligatur, sicut hic nos fecimus, ut hunc equum per allegoriam diximus, et in malum et bonum posse sentire. Ad hoc respondeo, ubi sine epitasi aliquod nomen ponitur in Scripturis, ut puta,

[a] Vitiose hactenus obtinebat *miræ fidei*, pro quo nihil dubitavimus *myro*, id est, unguento rescribere. Vid. Prolog. Hieron. in libros Samuel, et Malach. in fine, ubi *pretiosissimum fidei myrum* nominat: et quæ ibi observamus.

mons tantum, et non additur ei ut dicatur *mons Sion*, aut *mons corruptus*, non ab re existimo, quin expositio de eadem re in utramque partem sit libera. Ubi vero cum epitasi, ut *leo de tribu Juda*, aut certe, *sedet in insidiis sicut leo*: ibi aut Christus, sine ulla cunctatione intelligitur, aut diabolus adversarius noster. Et si placet, demus aliquod exemplum, ubi de arbore in Evangelio Dominus ait ad discipulos suos: *Si habueritis quidem fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori, Eradicare et transplantare in mari, et obediet vobis.* Ubi quidam intellexerunt, quia fides credentium eradicet inimicum, atque evellat de terra Ecclesiæ, terra scilicet Judææ atque confessionis, et in mare populorum, hominum videlicet impiorum transferat: et illi mali spiritus in Evangelio hoc ipsum significare possunt, qui cum hominibus immundis, et peccatoribus porcorum nomine indicatis, in mare præcipitati sunt. Ubi vero eamdem arborem Dominum significari voluerunt, ita interpretati sunt, quod prædicatione apostolorum, qui gratiam Christi, et virtutem fidei susceperunt, arbor Christus Dominus eradicetur quodammodo de illa gente Judæorum, in qua velut stirpe generis tenebatur, et transplantatur in mare gentium, sicut ipse Dominus eisdem Judæis locutus est, dicens: *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum ejus.*

Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum? Consequens est ut hunc accipitrem in bonam partem intelligamus, sanctum scilicet, qui sapientiam per conversionem acceperit, ut prædari et rapere jam cesset, carnibus etiam sæcularium sensuum vivere desistat, et qui veteris hominis exuvias in baptismo deposuerit, plumescens, quodammodo renovata sit sicut aquilæ juventus ejus: maxime cum promissionem habens præsentis vitæ et futuræ, quæ in alis significata est, ad austrum, unde calor fidei est, se verterit, unde Christum venisse cognovit: quod et propheta ita faciendum prædixerat dicens: *Deus ab austro veniet, et sanctus de monte umbroso et caligoso.* Bethleem namque civitatem Domini respicientibus, Jerusalem in meridie, quod est in Austro, positam scimus. Et secundum tropicos intellectus hunc calidum ventum, ut aromata gratiarum ferveant, sponsus invitat, dicens: *Exsurge, aquilo, et veni, auster, perfla hortum meum, et perfla aromata mea.* Ubi ergo dictum est, expandens alas suas ad Austrum, alii dixerunt, *expansis pennis immobilis, et respiciens Austrum.* Intentionem ergo perseverantiæ dicit ejus, qui per calorem fidei duorum Testamentorum gubernaculis vivens, splendorem æternæ beatitudinis contemplatur.

Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila? Aliquando in bonam partem aquila dicitur, et pro ipso Deo, dicente Moyse: *Sicut aquila protegit nidum suum, et super pullos suos confidit*, ut superius diximus. Hic vero a Deo potestas adversaria aquila dicitur, quæ ex permissu Dei elata in superbiam,

A multum possit, sicut propheta ait: *Et erit quasi aquila super domum Dei.* Prophetæ quoque multis in locis Scripturarum suarum eum superbissimum notant, id est, diabolum: et inde est quod eis et magnus dicitur, eo quod levetur tumens super montes aquilonis, et super astra cœli ponat sedem suam, cupiens se exæquare Altissimo.

Et in arduis ponet nidum suum. In magnis quibusque, et eminentibus sæculi hujus, ac malis hominibus sedem sibi constituit, ut in eis velut durus dominus, et rex trux ac potentissimus commoretur.

In petris manet. In excelsis videlicet duris, et in malitia fortibus manet et habitat.

Et in præruptis silicibus commoratur. Præruptæ B silices intelliguntur blasphemi, qui sunt nimium duris et indomitis cordibus, atque in ruinam suam inclinato peccatorum pondere dependentes.

Atque inaccessis rupibus. Inaccessæ vero rupes sunt homines porrecti in altum, nimia elatione cordis sui, ad quorum superbiam, quæ eis supra cæteros quasi singulare ad proprium malum sit, nullus accedat.

Inde contemplatur escam. Per illos utique quos superbia nimium elatos diximus, quos hæresiarchas, aut Judæos, sive sapientes sæculi, id est, philosophos, intelligimus; perditos quosque dum eos erroribus suis in laqueos in escam suam capit, secundum prophetam, qui eodem de diabolo ita ait: *Escæ ejus electæ.*

Et de longe oculi ejus prospiciunt. Sagacis valde C atque pervigilis adversarii nostri animum, ad inquirendas vires sanctorum dimicantium, nomine oculorum appellavit Deus. Quod autem ait, *de longe*, mentis ejus intuitus subtili intentione prospicit, eo quod etiam in posterum exercitatæ malitiæ sagaci suspicione prævideat: non locorum spatia intelligenda sunt, sed initia dispositionis humanæ ad recte vivendum. Hoc, inquam, de longe prospicit, quod est ab ipsis utique exordiis subtilis spiritus, et ad omne malum nimium mobilis intuitus, ut illic antequam conatus hominis saltem in aliquo roborentur, pullulantia bona reprimat et exstinguat, et interemptum hominem faciat fetere peccato.

Pulli ejus lambunt sanguinem, et ubicumque cadaver fuerit, statim adest. Pulli ejus sunt filii ejus, vel D socii ejus, qui in conspiratione tyrannidis cum eo adversum Deum moliti sunt iniquitatem. Hi igitur livore invidiæ, sitientes sanguinem hominum lambunt. Et quod ait, ubi fuerit cadaver, statim adest, alii dixerunt, *et ubi fuerit cadaver, statim reperiuntur*: quod sive de auctore mali, sive de satellitibus ejus dicatur, ubi affuerit, illic peccatum illico gignitur, quod in anima ita feteat, sicut vulnus in corpore.

Et adjecit Dominus, et locutus est ad Job: Numquid qui contendit cum Deo, tam facile conquiescit? Utique qui arguit Deum, debet respondere ei. Tota altercatio quæ in superioribus libri hujus contexitur, in hoc loco a Domino declaratur, cum ipse dicit: Numquid qui contendit cum Deo. Unde appare

quia contra Deum, quadam præsumptionis audacia ex A fiducia bonæ conscientiæ sit locutus, non tamen blasphemavit Deum, sicut quibusdam videtur. Ubi et si asperius aliqua dixit, ad idem respiciens, ad quod Deus, justus est : tenorem justitiæ Dei respiciens , locutus est, non ad blasphemandum Deum, unde illum secundum justum judicium ejus requirendo, quasi constringit et dicit, ut pareat, vel cum injustum declaret. Quare eum circa se juxta injustitiam judicare sentiat, cum eum optime noverit justum. Accepta igitur Job ratione a Deo, in his sermonibus quos locutus est, quia omnia utique quæ creasset, ipse gubernaret et regeret, a quo etiam omnino nihil injustum fieret, convictus sicut hic aperte demonstratur, silebat : sed admonetur a Domino atque compellitur, ut quia adversus eum contendit, eumque arguere conatur, ipse ad B interrogata respondeat. Et ait scriptor libri hujus :

Respondens autem Job Domino dixit : Qui leviter locutus sum, respondere quid possum? Beatus autem Job agnoscens se leviter, et non consummate locutum, dicit omnino se Deo respondere non posse. Propter quod capiat se silentio cohibere, sicut ait :

Manum meam ponam super os meum. Unum locutus sum, quod utinam non dixissem, et alterum, quibus ultra non addam. Eo quod unum et aliud verbum dixerit, pro quibus potuerit lædere. Illa esse existimo, sicut superius comprehendi, quæ ita dixit : Elegit suspendium anima mea , et mortem ossa mea : et si flagellat, occidat semel, et non de pœnis innocentum rideat.

CAPUT XL.

Respondens autem Dominus Job, de turbine dixit. C Id est, vel de increpationis impetu, vel de perturbati aeris ac nubium obscuro.

Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, et indica mihi. Sive ut alii dixerunt : *nequaquam, sed accinge sicut vir lumbos tuos,* et cætera ; quod est : Nolo ut taceas, ait Deus, sicut ipse disponis, sed potius loquere, et quod interrogo te, responde mihi. Quemadmodum autem Deus hominibus loquatur, cum sit ipse spiritus, multis significationibus divinæ nobis indicant litteræ, ut Pater de nube ad Filium loquitur, et Moysi in flamma ignis, et Ezechiel sedenti cum senioribus Israel , fit sermo Domini, et solus audiebat quæ dicebantur a Domino.

Numquid irritum facies judicium meum , et condemnabis me, ut justificeris? Quo sensu sanctus Job D dixerit ea quæ supra conscripta sunt, in hoc loco Dominus manifestat. Nam cum increpatione, propter hoc ipsum ab eo arguitur, quia in ejus injuriam et suggillationem se justificare voluerit, dum eum ex ipsis cruciatibus suis, quos sibi inique inflictos asserit, justitiam injustitiam vocat.

Et si habes brachium sicut Deus, et voce simili tonas, circumda tibi decorem, et in sublime erigere, et esto gloriosus, et speciosis induere vestibus. Disperge superbos in furore tuo, et confunde eos, et respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo. Absconde eos in pulvere simul, et facies eorum demerge in foveam : et ego confitebor quod salvare te possit dextera tua. Ecce Behemoth, quem feci tecum, fenum quasi bos comedet. Hoc est dicere : Numquid potes hos ipsos dæmones, quorum tribulationibus expugnaris, et contereris, expugnare et dispergere? Nec si contra Deum contendere deberes, si tibi esset fortitudo ut Deo est, et vox imperii tui hoc mundo terribilis insonaret : circumdares etiam tibi decorem æternitatis , honoris quoque et sublimitatis esses gloria exaltatus, et omnibus sanctitatis virtutibus tamquam speciosis vestibus te munires, omnes nihilominus superbos justo judicio tuo, velut indignationis iracundia dissipares, et eos in locum suum, id est, in carcerem inferorum detrudens, contereres, quin etiam a sanctorum lumine separatos , in pulverem simul absconderes, sive, ut alii dixerunt, retruderes eos sub terra : simul et facies eorum, id est, animam cum intellectibus suis tamquam oculorum luminibus in foveam inferni demergeres, id est, quam impossibile est, ut hæc homo habeas, tam stultum est, ut quasi ex æquali contra Deum loquaris, a quo humiliter sperare misericordiam debes, ut ex ejus dextera, id est virtute, contra eos, quos dixi superbos, arrogantes impiosque salveris. Ecce hoc ipsum noveris, fortem diabolum, et potentissimum inimicum tuum, quem ob immanissimum trucis animi furorem, Behemoth nomine feralis bestiæ nuncupavi, apud te velut bovem, animal videlicet mansuetum, fenum comedere faciam, non carnes ut leonem. Quia carnes quando comeduntur, non fit sine viventis interitu. Circa te vero non ita est sicut jam dixi, cui jussione imperii mei, hoc modo præcepi, dicens : Ecce in manu tua est vivere , animam ejus serva. Behemoth namque doctores Ecclesiæ, qui Hebræas litteras contigerunt, in Latinum *quasi plures* interpretati sunt. Proinde inimicus diabolus cum toto corpore satellitum suorum hoc loco a Deo describitur. Quem propter pluralitatem nominis ipsius, antiqui ita interpretati sunt : *Sed ecce bestiæ quas feci apud te, fenum sicut bos edunt,* id est, et hoc potentia dexteræ meæ factum est, ut substantiam tuam et facultates, quæ ob pretiosæ mentis tuæ divitias feno comparantur, in potestatem acciperent devorandas. Et ideo vilia quæque et temporalia tibi abstulit, quæ feni nomine significata sunt : non quæ magna et grandia, id est, animæ ornamenta, quibus te spoliatum blasphemiæ ruina comprimeret, quali peccato totus homo a diabolo devoratur. Ita ergo de eo dicit Deus.

Fortitudo ejus in lumbis ejus, et virtus illius in umbilico ventris ejus. In lumbis et umbilicis, ventris voluptas, vel carnis luxuria intelligitur, quæ membris genitalibus post primi hominis lapsum inserta est, ut supra modum legis naturalis illa membra , et quando non vult homo, incentivis libidinis titillentur : et ita voluptatum sectatores, diabolo fortitudinem propriis vitiis ministrantes, de parte illius et consortes efficiuntur, ut sint membra ejus, quorum tamquam corporis sui ipse est caput.

Constringit caudam suam quasi cedrus. Hoc mihi dicere videtur, quod nec in novissimis suis, quæ in cauda significantur, sit ad Deum reversurus, quod est, numquam pro tyrannide sua superbus et impius pœnitebit; sed exaltatus ut cedrus, voce Domini juste judicantis est confringendus, et comminuendus. Constringitur enim ligno durissimo comparatus: duritia scilicet cordis: ne intelligat, stultus efficitur; et excæcatus, ne videat usque in finem. Sive *constringit caudam suam* ita sentitur: Propheta fallaciter loquitur: mendacium cauda est secundum sanctorum prophetarum auctoritatem. Hos igitur Behemot tamquam inimicos, tamquam socios et ministros suos in copulam unitate sibi conspirationis astringit, de quibus antiqui dixerunt interpretes, *erexit caudam suam ut cypressum*, ubi elationem mentis eorum in excelsum significaverunt, hanc arborem nominando, quæ sub uno stipite, procero fastigio in altum porrigitur.

Nervi testiculorum ejus perplexi sunt. In nervis, vincula quædam fortissima ac illecebrosa voluptatum quibus homines carnales implicat, dicere videtur mihi, de quibus vitiis et propheta culpans homines inter cætera ait, ita dicens: *Declinantes autem ad obligationes:* ubi simpliciter pene inexstinguibilem voluptatem in membris humanis a propheta significari puto, cui voluptati caro nostra captiva succumberet, nisi juxta Apostolum Dei gratia subveniret.

Ossa ejus velut fistulæ æris, cartilago illius quasi laminæ ferreæ. His membrorum nominibus indicatur, quod diabolus cum suis durus sit, rigidus, pertinax et inflexibilis. In ossibus namque et cartilagine, intus et foris, in cogitatione videlicet et opere, perfecta ejus demonstratur malitia. Quod autem dictum est, cartilago ejus quasi laminæ ferreæ, alii dixerunt, *Spinæ ejus ferrum est fusile:* ut intelligatur, quia numquam se diabolus per pœnitentiam Deo humiliaverit.

Ipse est principium viarum Dei. Qui fecit eum, applicabit gladium ejus. Hoc in loco hic esse mihi videtur sensus, quod ad vias Dei ambulandas, et per obedientiam præcepta Dominica observanda, hic inter cæteras creaturas primus a Deo sit conditus, et inde dictum sit, ipse principium est viarum Domini. Nam in Ezechiele propheta in capite lapidum ignitorum refertur, quod primus fuerit omnium angelorum, et corona in manu Domini. Sive ita dici potest, ut in illa æternitate sua Deus semper manens, quasi egressus in facturam creaturarum videtur, et hæ sint viæ ejus, ut invisibilia ex visibilibus apparerent. Sive unaquæque creatura via Dei est, per quam ad Dei itur cognitionem, dum cognita ab eo cognoscitur. Sive viæ Dei illæ sunt, quando cuilibet creaturæ rationabili, Deus quasi ad eam veniens innotescit. Proinde hic Behemoth principium viarum Dei dicitur, eo quod primus factus, Dei sui cognitionem a quo conditus est accepit. Dominus autem Christus in principio viarum Dei creatus refertur, ut a reconciliando mundum per sanguinem suum, viam mandatorum patris quasi opera ejus graderetur, quod in principio prædicationis Evangelii demonstravit. Quod autem Dominus ait: *Qui fecit eum, applicabit gladium ejus*, id est, qui fecit Behemoth, applicabit ei gladium ipsius, id est, malo quo alios interemit ipse punietur, sicut et de ejus similibus Spiritus sanctus in psalmo locutus est: *Gladium evaginaverunt peccatores*, et: *Gladius eorum intret in cor eorum.* Notanda tamen est in hoc loco commutatio personarum. Nam et superius Dominus ait, quod Behemoth bestiam ipse fecerit, et nunc dicit quod alius eum creaverit, ita dicendo: Ipse est principium viarum Dei, qui fecit omnia: quod ita exponi potest, quia Pater in Filio omnia fecit, sicut Propheta ait ad Deum: *Omnia in sapientia fecisti.* Alii dixerunt: *Ipse est initium figmenti Domini:* quod illudatur ab angelis ejus, id est, sanctis. Ab his ergo illuditur, quando per gratiam sancti Spiritus, et meritum sanctitatis eis subditur, et invocatione nominis Christi ab obsessis corporibus effugatur. Ab eis utique qui deponentes omnem malitiam et omnem dolum, et simulationem, secundum Isaiam, geniti infantes in Christo sunt, de quibus prophetavit cum virtute gratiæ Christi contra adversarium eorum diabolum in spiritu providentiæ, dicens: Et delectabitur infans ab ubere, super foramina aspidis, et in cavernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Et Dominus, cum de ejus toto corpore loqueretur, ait ad eos, quos innocentes et parvulos fecerat, dicens: *Ecce dedit vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et nihil vobis nocebunt.*

Huic montes herbas ferunt. Omnes bestiæ agri ludent ibi. Hi montes in climate aquilonis constituti sunt, ubi superbus diabolus sedere se dicit, inquiens: Ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo. Quos montes, superbos quosque et nimium elatos homines, ac tumorem cordis illius imitantes, non absurde sentimus. In his igitur habitans, temporariam jucunditatem, quæ herbarum vocabulo appellata est, in eis depascitur, et in malo virentis ac vigentis in eis voluptatis noxiæ delectatur, in quibus etiam montibus omnes bestiæ agri ludunt. Bestiæ istæ socii sunt et ministri diaboli: de quibus ait propheta, orans ad Deum: *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi.* Ager vero hic mundus est, secundum auctoritatem Domini, qua dicit in Evangelio: *Ager autem est hic mundus.* In talibus igitur montibus, qui herbas luxuriæ, non arbores fructiferas ferunt, hæ bestiæ, adversariæ videlicet potestates, non habentes rigorem virtutum, ludunt fluxu lasciviaque vitiorum, et in omnibus eorum montibus; in sceleribus ac nefandis criminibus videlicet gloriantur. Alii de hoc loco dixerunt: *Ascenderunt in montem præruptum: fecit gaudium quadrupedibus in tartaro.* Montem præruptum ipsius superbiæ diabolicæ verticem significatum puto, in quem nimium se extulerit, ita ut de eo usque in ima caderent inferorum. Fecit ergo gaudium, id est, dedit consolationem, vel his qui superbiæ ejus consentientes, de cœlis

ejecti sunt tartaris deputandi, vel his peccatoribus, qui per eum in profunda inferi corruerunt, sub quorum persona ad ipsum dæmonum principem ita sermo propheticus loquitur: *Et tu vulneratus es sicut et nos, nostrisque similis factus es.* Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum: fecit gaudium quadrupedibus, ut dictum est, id est, peccatoribus, qui in terram proni seu vergentes in tartara, cœlum suspicere non possunt.

Sub umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus. Quod umbræ corporum sint, nemo dubitat: sed umbra in Scripturis divinis aliquando requies, et refrigerium intelligitur, aliquando pœnæ. Unde dicitur, *umbra mortis.* Aliquando umbræ, peccata esse referuntur, quæ tamquam umbra corpori, ita morti vicina sint. In peccatis ergo diabolus habitat, et requiescit in secreto cogitationum, sive etiam lumborum: unde et loca humentia appellantur. Sive in secretis, id est, in absconditis Dei, quæ Deus utique non requirit, et velut se indigna non visitat: de quibus absconditis propheta ait ad Deum: *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum.* Peccata ergo tamquam tenebræ absconduntur a lumine veritatis. Sive, ut jam diximus, loco remoto cordis diabolus habitat, quod cor vacuum timore Dei patet vanitati et luxui, atque omnium illecebris vitiorum. Hæc enim umbra solem nesciens, et calami secreta significant. Alii dixerunt: *Sub omnimodis arboribus dormit secus juncum, et calamum, et caricem.* Omnimodas arbores dicit, quæ tamen omnes infructuosæ sunt, non habentes medullam charitatis Dei, nec bonorum operum fructus.

Protegunt umbræ umbram ejus. Peccata ejus super omnium impiorum peccata, et impietates eminent, quas protectione quadam malitiæ suæ defendit, et contegit. Alii ita dixerunt: *inumbrantur in eo arbores magnæ:* ubi hoc mihi videtur dixisse, quod quamvis maligni spiritus, vel homines ministri diaboli, superbia sint excelsi, tamen superet eos magnitudine delictorum diabolus, quia scelestioris criminis inventor est, quam imitator peccati.

Circumdabunt eum salices torrentis. Sive *stirpes et virgultum,* ut alii dixerunt. Mundus iste mortalis propter velocem volubilitatem suam, torrentis nomine appellatur: sicut et propheta ait, cum de passione Domini prophetaret: *De torrente in via bibet.* Dispensatione namque illa qua ad nos venire dignatus est, in cruce mortis calicem bibit, de quo dixit ad Patrem: *Si fieri potest, transeat a me calix iste.* Hujus ergo mundi hominibus, qui sunt sensibus peccatorum et perfidia infidelitatis amarissimi tamquam folia, fructus bonorum operum mentientes, diabolus circumdatur, qui etiam in collegas consortiumque junguntur.

Ecce absorbebit fluvium, et non mirabitur, et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus. Multis in locis Scripturarum, fluminis nomine genus humanum significari noverimus, de quo et ipsa potestas adversaria ait: *Meus est fluvius, et ego feci memet-*

A *ipsum.* Huic ergo fluvio, humano videlicet generi in ima atque inferiora, more fluminis defluentis, desideria cupiditatum, delectationis, præsentisque amorem mundi, ita insinuat, ut eum absorbere possit, et velut inferus deglutire; sic namque humanum genus præceps in supradicta vitia defluet, ut possit ab inimico facile devorari. Quod autem ait: *Habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus:* Jordanis fluvius, baptismi continet sacramentum; dum in ipso Christus Dominus baptizatur, nostrum baptisma consecratum est. Cujus secundum mysticos intellectus, montes et colles, arietes, et agni ovium exsultant a facie Dei Jacob, qui junior frater credendo, seniorem fratrem incredulum supplantavit. De cujus Jordanis terra, id est Ecclesia, propheta ex B persona credentis se dicit Dominum recordari. A Christo utique monte modico incipiens, qui propter passionem modicus factus est, minoratus est ab angelis, obediendo patri usque ad mortem. Hic ergo Behemoth nimia elatus temeritate, fiduciam gerit, ut prædictum Jordanem, sacramenta videlicet Ecclesiæ figurantem, ore suo hauriat, et vorandi cupidus, suo eum ventre concludat. Id est, etiam eos quos sanguis Christi per aquam regenerationis, quam Jordanis typice portendit, et ablutione Spiritus sancti redemit, de illius potestate ac durissimo dominatu quærit, ut rursus suos faciat, seu occulta suasione, seu oppugnatione manifesta.

In oculis ejus quasi hamo capiet eum. Verba hæc Patris de Filio sunt secundum illam allocutionem, C de qua superius diximus, ubi ait Pater de eo, cum ei de diabolo sermo esset: *Ipse est principium viarum Dei.* Hunc igitur Behemoth, homo divini numinis carne hominis assumpti vestitus, in oculis ejus capiet eum, inquit Pater de Filio, quod diabolum esset capturus. In oculis, ait, id est in ipso intelligentiæ lumine, ubi est visus sapientiæ, naturæ rationabilis. Ibi, inquam, divina sapientia captus, dum per calliditatem suam atque versutiam non videt cujus carnem mors devorandam apprehendit. Secundum igitur hunc modum captus est diabolus.

Et in sudibus perforabit nares ejus. Id est, furentem sævitiam atque in sanctorum interitum anhelantem Christus Dominus noster conteret et protur- D babit: sanctos vero propter lignum crucis non absurde hic intelligendos puto; sic itaque humiliat et confringit Dominus inimicum, omnemque impetum invidiæ sævientis, dum eum per eosdem sanctos ligno suæ crucis retundit.

An extrahere poteris Leviathan hamo? Commutavit figuram ænigmatis, ut diabolum quem superius Behemoth translato nomine dixerat, eumdem nunc Leviathan appellet; sed illic eum quasi bestiam dicit, quæ terras inhabitet; hic vero ita illum nominat, qui velut in aquis maris consistat. Unde et alii pro Leviathan *draconem* dixerunt. Unde videri potest, quod horrendum nescio quid genus draconum sit quod Leviathan dicatur, cujus malitiæ atque po-

tentiæ congrue diabolus coaptetur. Behemoth autem eo quod multi cum eo sint appellatur. Nam Behemoth Latine, *quasi plures* sonare dicitur. Unde ipse intelligi potest cum sociis et ministris, et recte, quasi dicatur, qui a Deo non sunt. Leviathan vero *additamentum* quidam aiunt interpretari. Quia ergo in veritate non stetit, et excedens præsumptionis modum addit sibi superbiam, quasi supra naturæ bonum in tumorem et morbum elationis excedit. Proinde additamentum dictus est : vocabulum enim factum de crimine, operuit conditionem naturæ bonæ, quam Deus bonus creaverat. Et Isaias propheta de eo vaticinatur dicens : *In die illo*, sive passionis Christi tempore, sive in adventu judicii ejus : *In die* ergo *illo visitabit Dominus in gladio suo duro et grandi, et forti, super Leviathan serpentem vectem, et super Leviathan serpentem tortuosum, et occidet cetum, qui in mari est :* secundum hoc ipsum est, quod alius propheta similiter ait ad Deum : *Tu confregisti in virtute tua mare. Tu confregisti caput draconum super aquas.* Hic ipse diabolus tamquam caput cum suis membris describitur, et corpus ejus, et squamæ indissolubili copula conjunctæ narrantur. Hunc ergo Leviathan draconem typicum, ait Dominus ad Job, ne in aquis gentium dominetur, tu forsitan de mari populorum extrahere potes, quem hamo virtutis meæ, ut supra dictum est, per fidem credentium extrahere, et exsiccare disposui. Secundum hunc sensum est illud quod et Dominus ait in Evangelio : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet*, et cætera. In primo autem adventu Christi factum est per gratiam redemptionis ejus, ut de societate diaboli et dominatione populi eruerentur. In secundo vero adventu ejus, omnis diaboli potestas est auferenda, quandoquidem mare, hoc est sæculum, non erit, genusque sociorum illius de terra peribunt. Quando etiam quæretur delictum illius, et non invenietur, Domino regnante in æternum, et in sæculum sæculi, absorpta morte mortisque inventoribus in resurrectionis victoria. Quod autem in hoc libro ait Deus, quia hamo extrahet Leviathan, per alium prophetam illud loquitur, dicens : *Expandam super te rete meum in multitudine populorum, et extraham te in sagena mea.* Hami vero et sagenæ differentiam hanc esse existimo ut hamum ipsum Salvatorem Filium Dei, carne vestitum intelligamus : sagena autem dici potest missa prædicatio Evangelii, quæ a solis ortu usque ad occasum latissimo spatio sit expansa, sicut et propheta ait : *Magnus Dominus*, et cætera. Et deinceps ait, *dilatans exsultationem universæ terræ*. Quæ sagena prædicationis Christi, veteris Testamenti figuris, et significationum imaginibus multisque ejusmodi Scripturæ testimoniis, veluti nodis illigatis est solide roborata, quam ceti multi, et dracones sævissimi mundi istius impii et potentes scindere et rumpere tentaverunt, idque non potuerunt efficere, quia firmum fundamentum Dei fecit, et convelli nequaquam potest. Quia si Deus pro nobis, quis contra nos?

A Proinde secundum hanc expositionem idem sensus in hamo et sagena dignoscitur. Cum ergo dixisset Dominus ad Job, extrahere poteris Leviathan hamo? ait ei :

Et fune ligabis linguam ejus? Quemadmodum ex pluribus particulis subtegminis funis intexitur, ut fiat vinculum quo possint aliqua colligari; ita et diabolus de multitudine peccatorum suorum, quasi de resticulorum particulis, vincula sibi sacrilegorum velut fune blasphemiis, et lingua illius colligat, ut sit os obstructum atque oppilatum loquentis iniquitatem. Et in Proverbiis Salomonis, de similibus ejus scriptum est : *Vinculis peccatorum suorum unusquisque constringitur.* Et inde est quod et Dominus in Evangelio pigrum et inutilem servum, ligatis manibus et pedibus, mittendum dicit in te-
B nebras exteriores, id est, vinculis peccatorum suorum, quæ operatus est, secundum divinum judicium ligatus mittitur in pœnas; quod et ipse Dominus in quodam loco manifestissime demonstravit, quando flagellum de Judæorum resticulis fecit, eosque inde flagellans de templo ejecit.

Numquid pones circulum in naribus ejus, aut armilla perforabis maxillam ejus? Sive *captapulum*, ut alii dixerunt. Et armilla perforabis : sive, ut alii dixerunt, *forcipe pertundes labrum ejus*. Circuli captapuli, forcipis et armillæ nominibus, intelliguntur sermones divinæ potentiæ, quibus superbus atque blasphemus humiliatus est a Deo et attritus.

Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? Sive ut alii dixerunt : *Aut loquetur tibi*
C *blande?* Soli Deo, cujus creaturam se esse cognoscit, est subditus, atque ei tantum quem ipsa conscientia pavet, animus ejus superbus addicitur.

Numquid feriet tecum pactum, et accipies eum servum sempiternum? Licet sit rebellis et nimium tumidus, cogitur tamen atque compellitur ipsius naturæ bono, quod ei in testimonium justæ damnationis ejus ex parte non perit, ut Dominum creatorem suum, saltem ut servus malus esse fateatur. Hoc est pactum sive testamentum, quod ei cum Deo inire præceptum est. Unde et ipse Dominus ait : Et accipies eum servum sempiternum. Hoc enim nulla voluntate animi facit, sed divinæ potestatis imperio, et ideo a Deo servus dicitur sempiternus, quia adoptionem
D filiorum Dei, sive primatum illum angelicæ dignitatis, numquam sit recepturus.

Numquid illudes ei quasi avi, aut ligabis eum ancillis tuis? In tantum, ait Dominus, humiliabitur draconis istius fortitudo, et omnino pro nihilo erit; ut illudendus habeatur, et illudendus sanctis angelis deputetur, sicut et supra jam dictum est. Quod autem quasi avis illudi perhibetur, quasi res parva et minima ad potentiam Dei habeatur, avis nomine voluit demonstrare; quodque alligandus ancillis dicitur, illud est quod ipse Dominus in Evangelio ait ad discipulos suos : *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit.* Sic itaque alligatur atque illuditur a sanctis animabus Dei, quæ

sunt ancillæ Christi; dum ab eis ipsi et ejus sociis imperator, et de corporibus ab eo obsessis abire compellitur: cuique per universum mundum quotidie captiva aufertur captivitas, quomodo et secundum Apocalypsim per mille annos alligatus dicitur, quod a parte ad totum intelligitur, secundum apostolum qui ait: *Filioli, novissima hora est;* ex tempore adventus Domini in carne nostra. Itaque alligatus est: ne seducat Christi gratia et redemptione salvandos. Alii dixerunt: *Alligabis eum sicut passerem infantulo*, quod est, ab infantulo teneatur præcepto imperii mei, et velut ligatus in potestatem tradetur. Hic est ille infans, de quo Isaias ait: *Infans ab ubere in foramine aspidum manum mittet:* qui infans propheta, quamvis sit centum annorum puer, per Christi gratiam morietur, id est, sanctus et innocens ad Deum de hoc sæculo emigrabit. Hunc ergo infantem accipere debemus unumquemque sanctorum, qui de fonte, id est de utero matris Ecclesiæ, tamquam infans Deo renatus est, et præcepta Domini, velut lacteos cibos de ejus uberibus sugit.

Concident eum amici, divident illum negotiatores. Amici et negotiatores isti, sancti intelligendi sunt, omnes etiam veritatis prædicatores: quibus Christus Filius Dei ait: *Vos amici mei estis.* Itemque de iisdem per parabolam dicit: *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonam margaritam*, et cætera. Qui regnum Dei, et æternæ vitæ præmium velut pretiosissimam margaritam in venalibus C proposuerunt mundo, ut unusquisque creditorum vendat quæcumque habuerit, delectationem scilicet vitæ præsentis, his mercimoniis commutet et emat eam. Igitur a supradictis amicis, et negotiatoribus corpus hujus draconis conciditur atque dividitur, dum per eosdem ad fidem Christi, perditorum ejus multitudo quam plurima separatur. Nam multi de potentibus ejus, et in malitia fortibus ab ejus consortio, veluti membra illius secernuntur, sicut et Abacuc propheta ait ad Dominum; *Præcidisti in stupore mentis capita potentium:* et de quibus rursum ait ad Dominum: *Misisti in capita inimicorum mortem:* mortem utique vitiorum, ut jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. Hæc capita inimicorum Dei, id est, populorum impiorum principes, ipsi sunt hujus spiritualis draconis reges et nobiles, qui secundum translationem nominum, et figuram tropi alterius, alligandi a prædictis amicis et negotiatoribus esse dicuntur: sicut David propheta ait: *Ut alligent reges eorum in manicis, et nobiles eorum in vinculis ferreis.* Hi ergo reges et nobiles, ipsi sunt et dracones, et membra illius draconis, de quibus draconibus ait propheta ad Deum: *Tu confregisti capita draconum super aquas.*

Numquid implebis sagenas pelle ejus, et gurgustium piscium capite illius? Omnes qui consensione malitiæ et imitatione adhærent diabolo, recte pelles ejus esse dicuntur. Quos ideo pellis nomine arbitror dictos, eo quod indissociabili connexione ei conjun- A cti sunt, et separari ab eo numquam, aut certe vix possunt. De his ergo dicit Dominus sagenas implendas esse.

Pones super eum manum tuam. Memento belli; nec ultra addas loqui. Sic mihi videtur dixisse: Victo per me adversario tuo, pones super eum manum tuam, ut possis ei et tu illudere. Vel pones super eum manum tuam, quasi dixerit, si ejus potentiæ et virtutis te esse arbitraris, pones super eum manum tuam, quod est, si potes effice virtute potentiæ tuæ, ut te contremiscat et paveat sicut et me cui soli hoc debet: sed quia id nequaquam facere potes, ut tibi draco hic magnus, et in malitia potens subjectus sit; memento in hac tribulatione pœnarum tuarum contra quam ferum et trucem hostem bellum habue- B ris: sufficiat tibi adversum me verba aspera locutum, ubi nosse te volui, quoniam hunc fortissimum inimicum tuum superare ac vincere nequivisses, nisi ex præcepto imperii mei accepta in tua potestate jussus fuisset, et tuam nihilominus animam custodiri a me. Igitur in ditionem illius ita datus es, ut non amplius te affligeret, quam vires tuæ paterentur.

Ecce spes ejus frustrabitur eum, et videntibus cunctis præcipitabitur. Cum in conspectu angelorum sanctorum, et innumerabilis multitudinis beatorum hominum præcipitatus fuerit in gehennam, ignemque æternum, spem ejus, qua se fortem putat evadere, horrendum et justum judicium eum frustrabitur, et cassa atque inania cogitans in irritum deducetur.

CAPUT XLI.

Non quasi crudelis suscitabo eum. Quis enim resistere potest vultui meo, et quis ante dedit mihi ut reddam ei? Omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt. Hunc igitur inimicum non ut crudelis suscitat Deus, qui eum quasi punire desiderat: vel quoscumque sanctorum collocatione ejus elidere: cujus naturæ luculentæ potius æterna bonitas competit: sed suscitare Deus nunc Leviathan hoc modo dicitur, ut eum cæteris qualis sit manifestet, quem velut Pharaonem longa impunitate, diutius insultare permittit. Hoc enim justissimo judicio suo Deus fieri sinit: aut ad exercitationem probationemque sanctorum, aut ad iniquorum pœnam. Quis enim resistere potest vultui meo? Ubi hoc videtur dixisse, quod solo aspectui ma- D jestatis Dei, omnis creatura cedat et tremat. Quis ante dedit mihi ut reddam ei? omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt. Non enim, ait, a quoquam potestatem accepi, quam aliquando forsitan non habuerim: ut ei quasi pro hoc beneficio gratias agam, aut aliquid ei retributionis impendam. Secundum hunc sensum et Apostolus loquitur: *Aut quis*, inquit, *dedit illi, et retribuetur ei?* Ubi in his verbis Deus affuisse semper monstratur.

Non parcam ei verbis potentibus et ad deprecandum compositis. Hoc fortassis de diabolo, de cujus verbis hic loquitur, intelligere possumus: etsi sit rebellis in Deum, et contumax, suum tamen tremens sentiat creatorem, et quamvis imme-

mor conditionis suæ, tamen tamquam servus nequam, saltem coactus Dominum suum obsecrare simulat.

Quis revelabit faciem indumenti ejus. Hic indumento velatam faciem diaboli Job dicit, quia se transfigurat in angelum lucis. Revelatur autem facies a Domino, cum artes nequitiarum illius deteguntur.

Et in medium oris ejus quis intrabit? Hic os diaboli, indesinens blasphemia ejus potest intelligi, quod obstruendum a Deo est atque oppilandum, cum verbo Domini fuerit penetratum. Sive in medium oris ejus quis intrabit? potest ita sentiri ut os diaboli, infernus intelligatur: ad quem Salvator descendit, ut devoratos a diabolo homines liberaret. Et ideo quod futurum erat temporis, dixit: In medium oris ejus quis intrabit?

Portas vultus ejus quis aperiet? Abditam et multo secreto absconditam fortitudinem hypocriseos diaboli, dicit Dominus se patefacturum: quam in passione et cruce sua aperte manifestavit, quando cum principibus suis et potestatibus traductus a Filio Dei parum fiducialiter triumphat.

Per gyrum dentium ejus formido. Voratorem et insatiabilem hunc inimicum dicit, qui velut rapacissima bestia, dentibus omnia consumat, et idcirco formido et timor in gyro dentium ejus, quia ad devorandum parati sunt.

Corpus illius quasi scuta fusilia, et compactum squamis se prementibus. Una uni conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas. Unde alteri adhærebit, et tenentes se nequaquam separabuntur. Tres hi versus continui, sub diversorum sermonum repetitione, unum idemque loquuntur. Corpus ergo diaboli, omnes consortes ejus, et spiritus immundi intelligendi sunt, quos tanta consensione atque conspiratione Deus dicit illi adjunctos, ut indissociabili connexione sint eidem copulati, quos etiam sub allegorica dictione, squamarum nomine appellavit, quæ ita densatæ sint, et stricte sibi invicem cohærentes, ut nullum illis sit spiraculum respirandi ad Deum, eo quod ab illa sui connexione, nequaquam ad sanitatem pœnitentiæ relaxentur. Quod autem dæmones impii ministri diaboli, scutis fusilibus comparantur, hoc nomine eorum significat Dominus, quod nimium pertinax et obstinate rebellans, et fortiter solida ac perennis sit eorum repugnatio contra Deum. Diabolum vetus editio *smaragdi lapidi* assimilavit, qui natura asper est, alia attritu lævificans, sed ipse asper esse non desinens, cuncta comminuit, diminutionem autem sui non sentiens.

Sternutatio ejus ut splendor ignis, et oculi ejus ut palpebræ diluculi. Sive ut alii dixerunt: *In sternutamento ejus illucescit sol, et oculi ejus ut species Luciferi.* Sternutatio sordes cerebri egerit, et vitia ex interno concepta depurgat. Diabolus ergo, qui totus sordidus et fetidus est, in hoc lumine se videtur ostendere, cum transfigurans se in angelum lucis malitiæ suæ sordes in perniciem hominum cum delectatione operatur et effundit, et de invidia, id est,

A de malorum omnium capite, venena sua commovet ac producit. Oculi autem diaboli falsi prophetæ intelligendi sunt, de qualibus sanctus Isaias ait, cum ad peccatorem populum loqueretur, dicens de Deo: *Claudet oculos vestros:* qui instigatione ab eo inspirati loquuntur, quæ vicina videntur lumini veritatis. Sicut palpebræ sunt diluculi, cum tamen nihil luminis Dei possideant. Nam etiamsi videantur initium lucis in se ostendere, quæ eis hypocriseos fermento exoritur, mendaciorum tamen tenebras specie veritatis obducunt.

De ore ejus lampades procedunt sicut tædæ ignis accensæ. Quemadmodum os Domini locutum est, ita et omnes impii et sacrilegi, et blasphemi, os diaboli recte dicuntur, ex quo tædæ ignis accensæ, sive, ut B alii dixerunt, faculæ ardentes procedunt, id est, ignis et pœnæ causa suggeritur: et in Apocalypsi, ubi sub equorum similitudine hi ministri diaboli describuntur, ita de eis dicitur: *De ore eorum exiit ignis et fumus, et sulphur:* non perspicue quidem ita exeunt de ore eorum, sed verba blasphemi sunt ignis et fumus, et sulphur, sicut ad eum Dominus per prophetam ait: *Producam ignem de medio tui qui comedat te.*

De naribus ejus procedit fumus. Id est, superbia.

Sicut ollæ succensæ atque ferventis. Quia vapor aut ipse se aut obtemperantes generet causas ignis æterni. Superbiæ spiritus in anhelitu narium demonstratur, quibus animi sui tumorem exanhelare se gaudet, sed humiliari ac reprimi a Domino superius ita dicitur: *Numquid pones circulum in naribus, C et armilla perforabis maxillam ejus?*

Halitus ejus prunas ardere facit. Hic est fumus ejus e naribus et ex anhelitu ejus, ut carbonibus suis ignem sibi æternum, et fumandum subministret. Ita enim et similibus ejus Dominus ait: *Ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis vobis.*

Et flamma de ore ejus egredietur. Sive ut alii dixerunt: *Flamma vero de ore ejus globatur:* ibi idem sensus, quod est, pœnæ blasphemiarum de ore diaboli globatæ egrediuntur.

In collo ejus morabitur fortitudo, et faciem ejus præcedit egestas. Colli nomine, id est cervicis, tumorem arrogantiæ diaboli dicit. Cuique dicitur per prophetam: *Nervus ferreus cervix tua:* in qua principalis peccati malum habitat. Hac igitur superbiæ D fortitudine, et propheta verbis illius loquitur, dicens, *fortitudinem faciam*, quem ob hoc Dominus increpat et dicit ei: *In sapientia tua fecisti tibi fortitudinem.* Et iterum ait ei: *In negotiationibus tuis multiplicasti tibi fortitudinem.* Itemque: *Elevatum est cor tuum in fortitudine tua.* Quod vero ait: Faciem illius præcedet egestas, hoc est quod ubi appropinquaverit diabolus, illico omnes sibi vitæ atque animæ vires exhauriatur, ac substantia consumatur.

Membra carnium ejus cohærentia sibi. Membra diaboli sunt, quos supra in squama et scutis fusilibus nominavit. Carnium autem ejus membra idcirco sunt dicti, quoniam carnalibus ac flagitiosis actibus dediti, ei velut auctori malorum cohæreant.

Mittet contra eum fulmina, et ad locum alium non ferentur. Ordo dicentis Dei hoc loco obscuratus videtur, ubi cum de diabolo dicat, subito personam commutet dicens: Mittet contra eum fulmina, et ad locum alium non ferentur. Credendum est, quod hæc fulmina a Deo mittantur contra diabolum, secundum illum sensum, ubi dicitur: *Pluit Dominus a Domino.* Quod ita hic dictum arbitramur: fecit Deus, quod locutus est Deus. Fulminatur autem a Deo draco diabolus, quando igneis Dei eloquiis de sanctis nubibus increpatur, quæ utique fulmina, in locum missa atque directa, non frustra jacientur, et ad locum non ferentur, nec se ab eis diabolus gloriabitur impunitum.

Cor ejus indurabitur tamquam lapis, et stringetur quasi malleatoris incus. Sive, ut alii dixerunt, *et stat sicut incus infatigabilis.* Cor diaboli durum et inflexibile est, hebetudine quoque lapidis et rigore. Constringitur autem, sive stat sicut incus, quæ non producitur. Incus namque cæditur, sed non producitur, superjecta edomat, immobilis autem ipsa consistit: talis diabolus est. Fidelium enim increpationibus tunditur, prophetarum dictis cæditur, martyrum victoria eliditur, sed manens rigidus, durus, indomitus, æternis addictus est pœnis.

Cum sublatus fuerit, timebunt angeli, et territi purgabuntur. Hoc de primi sæculi temporibus dictum accipi potest. Quantum sit malum superbiæ, jam tunc angeli sancti scire potuerunt, quando præsumptor tyrannidis cœli arce dejectus est: quando etiam pro eo merito quo in veritate, in qua ille non steterat, steterunt: et in hoc beati facti esse credendi sunt, ut certissimi fierent nullius umquam peccati lapsum sibi esse metuendum. Igitur quod dictum est quia sublato diabolo, timebunt angeli, et territi purgabuntur, non sic intelligendum est, quod ad cavendum peccatum superbiæ, emendatiores futuri sint, territi tantæ damnationis exemplo, cum utique perspicuum sit minime eos beatos fore, si studendum eis sit cura impensiore ne peccent. Peccatum enim cavere, vel peccato resistere, ad pœnales hujus mundi miserias pertinet, non ad futuri sæculi gloriam. Hos autem arbitror intelligendum homines, qui ad consortium pervenerint angelorum, utpote quasi novi angeli, damnato diabolo, territi purgabuntur: videntes qualem quantumque hostem, et hujuscemodi pœnas horrendæ damnationis evaserunt. Purgabuntur autem, id est, puriores Deo reddentur, tanta divini beneficii circa se consolatione perspecta. Id etiam quod dictum est, territi, vel quod scriptum est, timebunt, non abhorret a sensu, ut rationabilis videlicet creatura omne beneficium atque omne judicium Creatoris sui, non cum pœnali, sed cum honorifico terrore miretur. Et revera quæ major purificatio, sive purgatio, poterit esse ante Deum, sicut angelici hominis, quam ut semper cum exsultatione (quia cui defertur pius est) et cum tremore (quia cui defertur Deus est) omne bonum certissimæ securitatis suæ gloriæque perpetuæ ad laudem sui referat conditoris.

Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit, neque hasta, neque thorax. Alii vero manifestius transtulerunt dicentes: *Si occurrerint ei lanceæ, nihil facient ei:* id est, nullis metallis terrorum ac increpationibus poterit emendari. In hasta autem et thorace possunt intelligi, qui justitiæ lorica induti, dextera operibus sanctis armati conantur resistere. Ipsum vero punire sive expugnare non valebunt, quia tam fortis et malus est, ut adversantia contemnat, et converti minime velit. Proinde quidquid est fortitudinis animorum in sanctis, ferri vocabulo appellatur. Quidquid etiam virtutum est, æris splendore, vel perennitate censetur.

Reputabit enim quasi paleas ferrum, et quasi lignum putridum, æs. Tanta enim se virtute superbiæ induit, ut hæc omnia arma adversum se suscepta pro nihil pendat, et ipse potius operetur opera, palearum acervis similia et lignis infructuosis, et vetustis carieque fatiscentibus, quæ igne inexstinguibili sunt urenda.

Non fugabit eum vir sagittarius. Cuilibet sanctorum quamvis pharetram cordis sui, increpationum sermonibus tamquam telis compungentibus plenam habeat, ab eis tamen hic durus, et nimium ferreus penetrari non poterit. Et ideo non sentiens vulnera compunctionum, ab hoc tali sagittario non fugatur. Alii vero ita dixerunt: *Non vulnerat eum sagitta ærea.* Verbum Dei incorruptibile, et permanens sagittæ æneæ comparatur, quo numquam potuit diabolus ad pœnitentiam vulnerari: secundum duritiam cordis sui thesaurizat sibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei.

In stipulam versi sunt ei lapides fundæ. Funda potest intelligi quicumque sanctorum, qui manu Domini continentur. Per hos ergo sanctos suos, duros sermones, fortes et asperos velut lapides, hunc impium valide jaculatur, ut eisdem percussus det honorem Deo; sed ille cum singularis malitiæ sit, eosdem sermones sibi convertit in stipulam, ut dum eos pro nihil ducit, fiant ei velut stipula quæ et fumandos globos tartarei ignis accendat. Quod alii eodem sensu dixerunt: *Æstima lapides funda jactatos ut fenum.*

Quasi stipulam æstimabit malleum. Verbum nihilominus divinum, grave scilicet, et forte contundens eum, et atterens vastam duritiam impietatis ejus, ut a sanctorum insectatione teneatur, pro stipula æstimabit: malitia namque obrutus non sentiet pondus tundentis desuper, quoniam cor ejus factum est sicut lapis, et sicut incus indomabilis: quæ numquam, licet supra modum tusa, producitur.

Et deridebit vibrantem hastam. Sive, ut alii dixerunt, *trementem sermonem.* Validum cujuslibet sancti ad se vigore animi ac virtute emissum, non solum non verebitur, verum etiam deridebit, vel eumdem sermonem, vel etiam jaculantem. Hoc totum de diabolo Deus diversis modis ac similitudinibus ideo di-

cit, ut demonstret hominibus, quantum mali sit, et quam potens, et quam sit omnino irrevocabilis.

Sub ipso erunt radii solis, et sternet sibi aurum quasi lutum. Sol justitiæ Christus Deus est, in cujus pennis est sanitas. Hi igitur radii, id est, sancti qui sunt filii lucis ejus, ab hoc principe tenebrarum, in prævaricatione Adam, peccato illius detinentur obnoxii, dum jam redemptos per Christum capitalibus criminibus, suos facit sibique velut captivos et servos subdit, et subjugat. Possunt et illi angeli, quos secum diabolus traxit: de quibus in Apocalypsi dicitur: *Et traxit secum tertiam partem stellarum in terram*: hi radii solis intelligi, qui recedentes a Deo, vero lumine, factæ sunt tenebræ, et principes tenebrarum. Hi ergo sub ipso sunt, quibus diabolus est rex et dominus. Aurum vero secundum hunc sensum quem diximus, ipsi sunt radii solis, quia sub nomine auri, pretiosi quique et mali intelliguntur: hos sibi sternit quasi lutum, cum eos sibi subditos peccatis, sordidos et viles efficit. Dicuntur autem dracones in eis locis secretis, et terrarum abditis sinibus, vel maxime commorari, ubi metallum auri sit. Et ob hoc sub spirituali intelligentia, puto hanc metaphoram conservatam, eo quod hic draco rufus, de auro bonorum quos dejecerat, sibi cubile sternat, quod est omnes spirituales mundi hujus divitias, id est, bonorum hominum sanctitatem, justitiam cæterasque virtutes, velut aurum sub se habebit, cum eos obdormientes in fide in lutum immensum redegerit peccatorum.

Fervescere faciet quasi ollam profundum maris, et ponet quasi cum unguenta bulliunt. Mare hoc sæculum, secundum allegoricos intellectus, esse didicimus, quod est obscuritate sua, et nimia stultitiæ cæcitate tenebrosum, quod ita diabolus carnali accendit concupiscentia, ut ferveat ad amanda terrena. Si autem in bonam partem unguenta intellexerimus, ut gratias sanctorum ferventes hoc loco interpretemur, a contrario diabolus maris istius habitator id agit, ut quomodo spiritualium gratiarum amore in Spiritu sancto fervescunt, ita ad amorem mundi istius homines præsentis vitæ desiderio, quasi quibusdam succensionibus flammeis ardescant. Alii dixerunt, *fervescere facit abyssum, ut vas æneum æstimat sicut delictum, et tartarum abyssi sicut captivum*. Hoc in loco arbitror quod ita de diabolo Deus dixerit: quia de hoc mundo quasi abyssi nomine dictus est ita diabolus: apud se definiens arbitratus sit, quod in recordationem omnino non veniat, quod de memoria divina deletus sit. Cujus impiissimum sensum in nono propheta recolit dicens: *Dixit enim in corde suo, Non requiret*. Itemque: *Dixit enim in corde suo, Oblitus est Deus, avertit faciem suam, ne videat in finem*. Tartarum quoque abyssi, id est, infernum, in quo mundi istius peccatores tenebantur inclusi: ille velut captivum sub durissima videlicet dominatione detrusum vinculis infernalibus detinebat. Exsultans igitur, et lætabundus diabolus æstimabat, quod creaturam Dei sui omnem utique mundum, velut rex et Dominus esset perpetuo

A possessurus, nesciens a Domino Deo regi in æternum, et in sæculum sæculi: perditis impiis gentibus de terra ejus, judicatos pupillos et humiles defensos ut non apponat ultra homo, id est, ipse diabolus, ut se magnificet super terram.

Post eum lucebit semita. Jam tunc resipiscens quæret reverti ad Deum, quando ei tempus pœnitentiæ non erit. Et hanc puto conversionis ejus semitam dixerit, quæ obdurato corde et cæco sera pœnitentia illucescat: quando post acceptam ei minime proderit.

Æstimabit abyssum quasi senescentem. Sive, ut alii dixerunt, *quasi deambulacrum*. Abyssum diximus superius istum mundum, quem senescentem et inveteratum, in peccatis utique permanentem diabolus B arbitratur, nesciens adventu Domini a peccatis veteribus liberandum.

Non est super terram potestas quæ comparetur ei. Nulla creatura est tantæ potentiæ, sive peccatrix creatura tantæ malitiæ, et ideo in utraque re nullus ei poterit comparari.

Qui factus est, ut nullum timeret. Propria voluntate liberi arbitrii sui, in superbiam elatus factus est, id est, ita sui malitia depravatus est, ut nullum timeret, nec ipsum Dominum Deum creatorem suum. Timet quidem ut malus servus, et prævaricator; sed non habet in se dilectionis Dei timorem.

Omne sublime videt. In sublime, inquit, atque in excelsum erigitur, id est, usque ad ipsius inæstimabilis superbiæ suæ apicem elevatur, ut blasphemus C ponat in cœlo os suum, dicens: *Ponam in cœlo thronum meum, et ero similis Altissimo*.

Ipse est rex super universos filios superbiæ. Id est, caput et princeps omnium superborum, quem imitantes angeli, homines impii, et prævaricatores, facti sunt filii superbiæ ejus.

CAPUT XLII.

Respondens autem Job Domino, dixit: Scio quia omnia potes. Id est, qui diabolum humilias, quomodo vis, et quando vis.

Et nulla te latet cogitatio. Scrutatorem cordis et renium latere quis poterit? Unde apparet sanctum Job ex his sermonibus, quos Deo pœnitens confitetur, accusare cogitationes suas, quibus se meminit de D justitiæ suæ meritis sibi plurimum tribuisse, et Deo quasi rustico, notam iniquitatis objicere tentasse.

Quis est iste qui celat consilium absque scientia? Id est, nemo potest abscondere consilium a conscientia tua. Jam in consequentibus manifestissime errorem suum demonstrat, et insipientiam confitetur, per quam ignorans ad Deum loquendi modum excesserit, ita dicens:

Ideo insipienter locutus sum et quæ ultra modum excedunt scientiam meam. Audi, et ego loquar: interrogabo te, et responde mihi. Jam nunc deposita insipientia, atque abjecta stultitiæ præsumptione, per notitiam increpationis divinæ ad emendationem correctus, et præsentis castigationis purgatus examine,

Deum nihilominus audet interrogare dicendo : Audi. Clementiam divinæ indignationis ostendit : et hoc loqui videtur, quod illam plagam longe alio modo circa eum Deus operatus fuerit, quam ipse antea judicaret, et hinc est, quod se a Deo doceri cupit : sibique hoc ipsum deposcit ostendi. Accepto ergo Job, sicut ex sermonibus ejus credendum est, divinæ visitationis oraculo, ait ad Deum :

Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. Post tentationis probationem, proximior factus divinæ cognitioni, dicit se jam Deum videre, quem ante, dum examinaretur, audisse se dixit. Audire autem Deum, vel videre, qui est invisibilis, et incomprehensibilis, non istorum est oculorum, vel istarum aurium, sed potius mentis et cordis. Propter quod beati sunt mundo corde homines, quo Deus videtur.

Idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere. Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themanitem : Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos : quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job. Sumite ergo vobis septem tauros et arietes, et ite ad servum meum Job, et offerte holocaustum pro vobis. Job autem servus meus orabit pro vobis. Faciem ejus suscipiam : ut non vobis imputetur stultitia. Neque enim locuti estis coram me rectum : sicut servus meus Job. Abierunt ergo Eliphaz Themanites, et Baldad Suites, et Sophar Naamathites, et fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos. Quem locum alii dixerunt : *Ideo despexi memetipsum, et distabui, et æstimavi me terram et cinerem.* Quod autem in injuriam sancti Job, amici ejus non recte locuti fuerint, hic aperte, Domino eis imputante, monstratur : unde ipse ait ad eos, quod peccatum illud exprobrationis eis remitti non possit, nisi beatus Job pro illis oraverit, et holocaustum propitiationis obtulerit. Ubi advertimus quod sacerdotis officio beatus Job functus fuerit. Intelligatur hoc loco quod nulli expediat cum exsultatione, et convicio coarguere in Dei castigatione, ac tribulationum laboribus constitutum. Ait namque, quod Job ante pro eis sacrificium offerentem, faciem ejus ad exaudiendum libenter susceperit. Et addit Dominus duplicia. In sequentibus quæritur sensus ejus, qui quemadmodum fuerit duplicatus, libri hujus Scriptor diligenter enarrat. Fratres vero et sorores, qui ad beatum Job post plagam castigationis ejus convenerant, omnes cogitationes, et familiæ generis ejus intelligendæ sunt. Universi etiam noti et amici ejus, qui regalem potentiam ejus singularemque sapientiam prius noverant, venientes ad eum comederunt cum eo in convivio honoris ejus : in quo significatus est ab eo omnium sordium squalor abstersus. In motu vero capitis, indicatam convenientium ad eum lætitiam noverimus : quique muneris gratia, velut inopi, et penitus nihil habenti dederunt oves singulas, et inaures aureas singulas. In hac consolatione, etsi parva et priorum bonorum duplicatione, animadverti potest, quod grandis mul-

A titudo ad illum convenerit : qui cum a singulis parum acceperit, subito tantarum divitiarum factus sit dominus. Potuit hoc scriptor libri hujus, et per anticipationem dixisse, ut post tentationem illam per centum quadraginta annos vitæ suæ, benedicente Domino, cumulatas in duplum divitias possideret : filiorum vero ejus duplicatum numerum non legimus. Unde arbitror quod cum ea quæ omnino perierant, illa ei in duplum fuerint restituta, etiam filii ei viginti pro decem redditi sint. Hi enim ipsi decem primi quos ruina domus labentis oppresserat, apud Deum non putantur exstincti. Propter ædificationem itaque fidei nostræ, tantos ei filios a Deo redditos, quantos amiserat, sentiendum est, ut omni bonorum suorum substantia in duplum sibi a Domino reddita,
B etiam filios in duplum habere se crederet : qui, utpote fidelissimus Dei servus, minime dubitare deberet eos, quos ad Deum præmiserat, non perisse. Sic ubi per totum hunc librum sanctum Job, figuram habuisse Salvatoris perspeximus, donante gratia ejus, ut nobis largiri dignatus est, exposuimus, et in quibusdam locis, amicos ejus significari hæreticos intelleximus, sicut etiam et illum Heliu gentilitatis habuisse imaginem, disseruimus. Sed quia per Christum impiorum atque errantium reconciliatio est : *Non est enim aliud nomen sub cœlo, in quo oportet salvos fieri :* ideo exstincta nunc gentilitate atque abolita, hæretici ad Christum a Deo Patre mittuntur, ut per quem prius salvati fuerant, rursum lapsi per eumdem mediatorem Deo reconcilientur. In holo-
C causto vero septem taurorum et arietum, orationum atque eleemosynarum satisfactio, superbiæ et iræ emundatio plenaria, atque perfecta per laborem atque innocentiam pœnitentia demonstratur. Quod autem ait :

Et suscepit Dominus faciem Job, Dominus quoque conversus est ad pœnitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis; illud est quod ait Apostolus : *Christus Jesus qui est in dextera Dei :* qui etiam interpellat pro nobis, secundum Joannem apostolum, advocatus noster est, et propitiatio apud Patrem. Sic itaque facies Salvatoris a Patre suscipitur, dum et ipse exaudit, et exauditur.

Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Job, duplicia. Illa igitur addita sunt Christo Domino et
D Deo nostro, cum populo Israel per fidem addita est gentium multitudo, et addetur in regno.

Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, et universæ sorores suæ, et cuncti qui noverant eum prius, et comederunt cum eo panem in domo ejus. Et moverunt super eum caput. Quod ait, venerunt, hoc est per fidem ei incorporati sunt, ut intra Ecclesiam in uno spiritu congregati essent membra ejus omnes credentes in eum. Fratres autem et sorores dicuntur, omnis illa cognatio Judæorum populi : de quorum familia natus est Christus. Sive fratres et sorores generaliter omnium nationum multitudines intelligere possumus : eo quod de massa humani generis carnem assumpsit, per quam sibi cæteros fratres di-

gnatus est facere: de quibus ait ad Patrem: *Narrabo* A *nomen tuum fratribus meis, et in medio Ecclesiæ laudabo te.* Et in Evangelio ait: *Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic mihi et frater, et soror, et mater est.* Et cuncti qui eum prius noverunt, venerant ad eum: ita et de eis sentiendum est, quia noverunt eum prius omnes sancti et prophetæ, qui eum utique videbant in spiritu: quem etiam in carne venturum annuntiabant, sicut ipse Dominus dicit: *Multi prophetæ et justi cupierunt videre quæ vos vidistis, et non viderunt: et audire quæ vos audistis, et non audierunt.* Quem videbant autem in spiritu, præsentiam adventus ejus in carne videre desiderabant, sicut et sanctus Abraham, de quo ait Dominus: *Abraham concupivit videre diem meum: et vidit, et gavisus est.* Itaque prædicti sancti venerunt, quoniam habentes eumdem B spiritum fidei, prophetaverunt velut justi ex fide viventes, et sacramentum incarnationis Christi futurum prævidentes in spiritu, in ipsam fidem Christi per eamdem pœnitentiam venerunt, id est, ex fide in fidem, ut essent sub Christo capite unum, et ipsi in corpore Ecclesiæ constituti: ubi, jam resurrectione glorificato Christo, et ex passionis contumelia in honorem pristinum restituto, nunc in domo ejus, Ecclesia, panem sacramentorum ejus comedunt omnes per fidem venientes ad eum. Cum ipso autem panem ideo comedere dicuntur, quia ipse dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Sive quia ipse eorumdem mysteriorum est consecrator, in quibus et ipsum benedicentem et consecrantem accipimus: quia ipse dixit: *Ego sum* C *panis vivus qui de cœlo descendit.* Et verbum Scripturarum panis est Christi, quo in domo Salvatoris Ecclesia, pascuntur, et exhortatione eorum reficiuntur quondam fide inopes, qui in hoc sæculo cum essent alieni a Deo, famem sermonis divini patiebantur, et cuncti qui eum prius noverant, venerunt ad eum, id est, qui eum noverant in terra, venire ad eum meruerunt in cœlum. Et moverunt, inquit Scriptura, super eo caput: exsultantes videlicet, quod spiritualibus et sacris Christi conviviis effecti essent participes: sicut Dominus ait in psalmo: *Vota mea reddam coram vultu timentium eum: edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum.*

Et consolati sunt eum super omni malo quod intulerat Dominus super eum. D Salvatorem nostrum non mediocriter consolatur, qui passionem ejus, quam pro redemptione mundi suscepit, cum gaudio credit, et fideliter oculis fidei contuetur; ipse enim tali consolatione repletus est, qui cum vidisset turbam credentium, exsultavit in spiritu, sicut sancto evangelista scribente didicimus. Intulisse autem Filio suo Deum Patrem malum passionis et mortis, ita dicimus secundum Apostolum: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Super quod magnam sumimus consolationem, quod dabit nobis bona sua, qui mala nostra suscepit.

Et dederunt ei unusquisque ovem unam, et inaurem aurem unam. Unusquisque per fidem ad Christum venientium, offert ei innocentiam suam, mentisque obedientiam. Quia et Apostolus ex peccatoribus sanctos effectos, ita vivere docet, dicens: *Obsecro vos, fratres, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem.* Sic itaque venientes ad Christum, efficiuntur oves dominicæ, oves sanctæ, oves illæ rationabiles, ascendentes de lavacro, geminos fetus habentes, cum per obedientiam mandatorum Dei, renatæ in Christo, innocentes et simplices operarii fuerint et fideles.

Dominus autem benedixit novissimis Job magis quam principio ejus. Et facta sunt ei quatuordecim millia ovium, et sex millia camelorum, et mille juga boum, et mille asinæ. Principia Christi Dei, et Domini nostri, Legis Moysi exordia esse significantur. Novissima vero ejus Evangelium esse monstratur. Unde Ecclesiastes ait: *Meliora sunt novissima sermonis, quam initium ejus.* Proinde meliora sunt mysteria Evangelii revelata in Christo, Legis significationibus et figuris: meliora sacrificia cordium contritorum, quam holocaustomata pecudum. Melior manifestatio veritatis in Evangelio, quam allegoriarum umbra in veteri Testamento. Sic itaque benedixit Dominus novissimis Job magis quam principio ejus, ut in utroque populo, Judæorum et gentium, gratia abundaret: quos populos secundum morum qualitates, quasi sub diversorum animalium nominibus hæc Scriptura voluit appellare. Quam vero significationem eadem animalium in se vocabula contineant, in principio operis istius dixisse me memini. Duplicatum vero horum animalium numerum, propter utrumque populum puto, sive propter abundantiorem gratiam Evangelii, ut jam diximus, de qua Apostolus ait: *Sufficientia nostra ex Deo est: qui et idoneos nos fecit, et ministros novi Testamenti, non littera, sed spiritu: littera enim occidit: spiritus autem vivificat.*

Et fuerunt ei septem filii et tres filiæ. Quod septem filios et tres filias refertur habuisse, gratiarum septenarius numerus indicatur, Legis, et Prophetiæ, et Gratiæ, ut in principio hujus dixi. Quas pater earum moriens fecit cohæredes fratrum suorum, id est, animas quas per spiritum gratiarum in testamento divinarum Scripturarum incorporat, eas utique promissionum suarum facit esse participes. Earum quoque filiarum significanter nomina posita magnum in se continent sacramentum.

Et vocavit nomen unius Diem, et nomen secundæ Casia, et nomen tertiæ Cornu stibii. Non sunt autem inventæ mulieres speciosæ, sicut filiæ Job in universa terra. Deditque eis pater suus hæreditatem inter fratres earum. Vixit autem Job post flagella hæc centum quadraginta annis, et vidit filios suos, et filios filiorum suorum, usque ad quartam generationem: et mortuus est senex, et plenus dierum. Dies ergo lex Dei est, quæ ad cognitionem veritatis, humanæ ignorantiæ noctem illuminat. Casia sanctæ unctionis est donum. Cornu stibii, competentissime Evangelicis copiis

Ecclesiæque divitiis coaptatur, quæ spiritualium rerum thesaurus est. Cornu vero ad insigne regium, et dignitatem Ecclesiæ pertinet : sicut ait propheta : *Exaltarit cornu Christi sui*. Figuram ergo sanctus Job manifeste habuit Salvatoris; et in hoc quod ex ditissimo egens et pauper factus est, ut nos locupletaremur : circa corpus ejus omnem potestatem suam diabolus exercuit : sed nihil profecit, sicut ipse Dominus ait : *Veniet enim princeps mundi et in me nihil inveniet*. Quemadmodum etiam beatus Job post damnum filiorum infidelium ditatus in filiis est : ita et Salvator post amissionem filiorum infidelium ditatus est in gentibus. Per multa ergo sanctus Job Domini nostri passionem quoque et patientiam figuravit, numero filiorum, et filiarum nominibus, septiformem gratiam Spiritus sancti Legis, et Prophetarum atque Evangelii in Salvatorem nostrum plenitudinem portendebat futuram. In quo requievit spiritus sapientiæ et intellectus : spiritus consilii et virtutis : spiritus scientiæ et pietatis : replevit eum spiritus timoris Dei, quod intelligendum est, plenus dierum.

Tandem relevatus longæ explanationis onere, velut deposito gravi fasce respirans, ad te, beatissime pater Vecteri, clausulam sermonis mei dirigo, petens, ut si quid in hoc opere dignum probabili veritate perspexeris, etiam circa meam exiguitatem largissima Domini nostri dona mireris : obsecro, ne aut amico favore permulceas, aut benevola excusatione defendas. Quia nolo eminentiam judicii tui a suæ dignitatis sublimitate dejicias : sed potius sic Opusculum meum laudabile facias, dum incondita ejus corrigendo retractas, et perfecta emendatione castigas.

ADMONITIO

IN SUBSEQUENS BREVIARIUM IN PSALMOS.

Recognitis demum omnibus in universam Scripturam genuinis magni Hieronymi commentariis, hunc de industria reliquum fecimus locum Breviario in Psalmos : quippe qui liber, tametsi perperam S. Patri ascribatur, est tamen e supposititiorum numero fetuum cæteris præstantior omnibus, neque in ultimum amandari tomum, pro sui dignitate patitur, aut in vulgatis hactenus editionibus in eum rejectus est locum. Quod quidem non editorum modo ante nos omnium consilium fuit, sed et summi pontificis, ejusdemque sanctissimi Pii V fecit auctoritas, Victorio teste, ut statim post genuina Hieronymi scripta, et antequam ad aliena ventum esset, istud super Psalmos volumen veluti dubium locaretur. Nos etiam tametsi ea rationum momenta, quæ illud ab Hieronymo abjudicant, pluris multo facimus : sic tamen illi aliquam subinde inesse Hieronymiani laboris partem huc illucque dispersam, quæ sua se propemodum luce prodat, sentimus. Vulgo autem hæc obtinet, propiorque ad fidem sententia est, hujusce auctorem Breviarii vetustiorum se Patrum compilatorem esse, qui ut multa ab Origene, Hilario, Eusebio, multumque his recentiore Lugdunensi Eucherio, quem laudat in psalmum decimum sextum, delibarit, ex Hieronymi tamen commentariis, vel qui perierunt, *in Psalmos a decimo usque ad decimum sextum*, vel qui in alias sunt partes Scripturæ, ubi peregrinis in locis multa subinde exponuntur Psalmorum commata, maximam partem descripserit, suoque Operi, atque ingenio coaptarit. Quod ut minime diffitearis, potiora saltem proponenda sunt argumenta, quæ pridem Erasmus, tum Syxtus Senensis, lib. IV Bibliothecæ Sanctæ, Victorius item, et Martianæus Dupinius, ac Tillemontius, ut alios prætermittam, excuderunt, quæque ad hæc fere capita reducuntur.

Primo, dictionis genus, et stylus, qui internoscendis auctoribus quasi Lydius est lapis, doctrinæ item gustus et saliva, tantum ab Hieronymiano distat, ut abunde satis sit Breviarium istud lustrasse oculis, aut tantisper illud cum veri Hieronymi commentariis contendisse, ut statim intelligas multum illud infra S. Patris ingenium esse. Et plane sit quidem in Hieronymiana lectione hospes, qui non illud statim animadvertat, contra S. Doctoris perpetuo retentam consuetudinem hic sensum historiæ, ipsiusque litteræ expositionem postbaberi, totumque esse auctorem in allegoriis tropologisque de Christo et Ecclesia : Hebraicam vero eruditionem et Græcam leviter adeo tractare, ut sicubi eam interponit, mutuo potius ac verbotenus ab aliis accepisse, quam a semetipso, vel a fonte repetere videatur. Quin etiam observatum Martianæo, siquando ad Hebræum textum auctor hic provocat, nihil eum aliud eo nomine quam aut Græcam Aquilæ versionem, aut Latinam Hieronymi ex Hebræo denotare. Hinc ait psalm. V in Hebræo esse ἐπίβουλον, pro הוות et Psalm. CXIX ἀρχευθίνοις, sive ἀρχευθίναις, pro רתמים, quæ utraque interpretatio est Aquilæ : quemadmodum et cum ait, *sela* haberi pro *semper*, quod ex Hieronymi versione, non ex archetypo accepit. Denique ita modis omnibus ab Hieronymi gustu auctor hic dissidet, ut et interdum a semetipso diversus, non unum, sed plures ejus consarcinatores fuisse operis indicio sit. Nempe aliquot psalmos bonis aliorum Patrum sententiis non inerudite sublectis, ad commentatoris modum exponit : alios ad concionatoris instar, homiletico dicendi genere ad populum, sive in fratrum conventu tractat ; et quod maxime a S. Doctoris ingenio, vitæque instituto abhorret, excurrit sæpe in allocutionum formulas, sive auditores suos interpellans, sive enar-

rationem suam prece aliqua ad Deum fusa concludens. Longiorem paulo psalmum centesimum octavum decimum tribus edisserit homiliis : centesimum vero undecimum, quod latius exponendo persequi non possit, horam causatur. His similia, quæ nihil minus quam Hieronymi in explicandis Scripturis morem redoleant, toto propemodum libro, ne singula nunc otiose replicemus, invenias.

Secundo, nedum aliena multa, sed et contraria penitus Hieronymianis placita auctor propugnat. Id genus est illud cumprimis, quod cynomyiam psalmi CIV interpretatur, *caninam muscam*: Hieronymus e contrario, epistola 104, ad Sunniam et Fretelam κοινομυῖαν legi vult, redditque, *omne muscarum genus*, sive ad Aquilæ sensum, qui πάμμικτον, interpretatus est, *omnimodam muscam*. Psalmo insequenti CV Chami terram, quam Hieronymus Ægyptum esse perquam erudite asseruerat in Quæst. Hebraic. in Genesim, hic pro ipsa accipit Palæstina, cui scilicet terræ, gentibus deletis, Hebræi successerint : et quod in iisdem Quæst. ad Gen. IV tradit S. Doctor *Naid*, sive *Nod*, minime juxta Græcorum Latinorumque opinionem putandam esse terram quam Cain incoluerit, hic pro ipso habet proprii nominis loco. Verus Hieronymus, epistola 140, ad Cyprianum psalmum octogesimum nonum Moysi utpote auctori tribuit, quin et subsequentes, *undecim qui non habent titulos, ejusdem esse Mosis* contendit lib. I contra Rufinum, eamque sententiam, quam ipse ab Origene, hic ab Huillo acceperat, rursum cum aliis in locis, tum præcipue proœmio in Malachiam probat. Ex adverso Breviarii auctor in tot expositione titulorum prolixa, eos quoque mavult Davidi tribuere, satisque manifesto indicat tota illa incerti sensus laciniosa disputatione, eam se penitus ignorasse doctrinam. Alia his gemina tute ipse, lector, invenias, si modo laudatas ad Sunniam ac Fretelam, tum ad Cyprianum epistolas, duasque alias, alteram ad Marcellam 34, alteram ad Principiam 65 quibus psalmos aliquot S. Pater exposuit, cum hoc conferas Tractatore. Quædam et nos interdum in notis animadvertimus, ne te hic ubi cum numero pugnandum esset, longius traheremus. Ut vero quæ pseudonymus auctor peccat, non dissimulamus : ita ægre ferimus, iniquis eum accusationibus aliquando premi. Martianæus, exempli gratia, cum notat imperitiæ ea de causa, quod de Iscariotis nomine dixerit, *dubium, an patrem significet, an villam ejus :* quasi voces ipsas, *patrem ejus*, aut, *villam ejus*, etymon putarit esse. At non hic sensus et mens ejus fuit ; sed cum vulgo receptam sententiam probaret duabus vocibus איש et קריות nomen componi, ut sonet *hominem ex charioth :* incertum hoc dixit, num altera patris esset, an villæ, sive ejus, in qua natus est, terræ appellatio. Nec altera æquior est accusatio ad psalmi CXV locum illum, *Omnis homo mendax*, ubi in Hebraico haberi notat auctor, *Omnis homo*, *mendacium*, *quod dicitur chazab*. Martianæus pro *chazab* in iis quibus usus est mss. invenit *zecam :* idque ab ipso scriptum tractatore contendit, ut tantæ eum imperitiæ arguat, quod postremam litteram vocis כזב, *chazab*, confuderit cum prima subsequentis in Hebraico exemplari מה, *ma*, et falsus præterea fuerit in כ *caph*, pro ב *beth* accipienda : conflarit denique nullius significationis vocabulum. Enimvero propius ad fidem est, falli mss. eos libros, culpamque omnem non in tractatorem conferendam, qui primitus recte scripserit, sed in amanuenses, qui ignotam sibi lectionem postmodum fœde depravarint. Atque idipsum puto, constabit ex eadem illa Martianæi argumentatione : nam si Hebræas litteras in tantum auctor hic noverat, ut archetypum adire posset, ex eoque accipiens, utcumque falli : jam tot una in vocula errores errare omnino non potuit. Demus, illum *caph* properanti oculo accepisse pro *beth :* sed et primam כ *caph*, vocis ejus litteram formatricem prætermisit : denique et tertiam *mem* מ temere suffecit ex dictione alia. Hominem vero, quem ut hujusce lapsus accuses, pro certo ponas Hebræi codicis versandi, perlegendique fuisse non nescium, tribus in litteris totidem hallucinationibus aberrasse, par minime est credere. Igitur quando vulgati antea libri optime habent *chazab*, hæc est omnino retinenda lectio, sicque ipse putandus auctor scripsisse, non ex scribarum oscitantia in eam trahendus calumniam. Sciunt enim qui se mss. codicum studio dedidere, quam sæpe, quibusque verborum monstris exoticas voces Latini amanuenses deforment, ut si eorum standum sit fidei, ne ipse quidem Hieronymus Hebraice aut Græce scivisse videri possit.

Tertio, ad evincendam scriptionis fraudem ex ipsiusmet auctoris, verique Hieronymi de se testimoniis argumenta derivantur : quamquam, ut aperte quod sentio dicam, quæ vulgo proferuntur, infirmiora mihi sint visa. Victorium illud præ cæteris movit, quod sub initium centesimi trigesimi secundi psalmi tradit de se auctor, fratrem sibi esse sæcularem, contra quam proditum de Hieronymo, cujus unicum fratrem Paulinianum satis adhuc juvenem, presbyterum S. Epiphanius jussit. Amovere autem difficultatem sic nititur, ut dicat vel nondum fuisse presbyterum Paulinianum, cum hæc Hieronymus scriberet, vel alium in sæculo habuisse fratrem, quem ignoramus. Nihil vero ei debuit negotii facessere locus ille plane allegoricus, ubi ipsum sæculum, cui valedixerat, auctor vocat sæcularem fratrem. Ex ipsis hoc verbis liquet : *Unum*, inquit, *fratrem dimisimus : et ecce quantos invenimus ! Frater meus sæcularis (quod de meo loquor, de singulis loquor) non tantum me amat, sed substantiam meam.* Martianæus alia se prolaturum receperat testimonia, quibus tractatorem hunc degisse in Ægypto, ibique in monachorum conventu Psalmos lectos, vel decantatos exposuisse, ejusmet verbis evinceret. Verum ubi ad eum ventum est locum, satis habui lectorem amandare ad psalmum CXLIII, in cujus sunt quidem enarratione nonnulla, quæ recentiorem Hieronymi ætate hominem, quæ vero Ægypti incolam aut Palæstinæ denotent nulla. Hinc illa nobis conjectura fere fit cæteris verosimilior, quæ capitur ex psalmo CXXXV, ubi se auctor monachum egisse in Britannia, tantum non manifesto

prodit. Quippe hanc statim nominat, ut exemplum e regione aliqua sumat, probatum stellas pari ubique fulgore radiorum apparere : idque est indicio, ab ea, uti par erat, quam incolebat ipse suique auditores terra, ad reliquas illum mundi plagas argumentari. *Stella*, inquit, *quæ videtur in Britannia, ubique et ipsa apparet.* Ne tamen, qui statim occurrerit menti, Bedam hunc putes esse ; sed alium potius per ea tempora, septimo videlicet atque octavo sæculo, Scotorum abbatem, qui sane ingenti tunc numero eruditionis laude floruerunt. Per ea, inquam, tempora, nam et commentarii ejus ingenium, et mentio Lugdunensis Eucherii, qui medio sæculo quinto claruit, sequiorem istam ætatem clamant. Possim et laudare ex iis quempiam de nomine, et cum primis S. Columbanum abbatem Luxoviensem, in Hibernia Scotorum insula natum, cujus in universum Psalterium commentarios, cum adhuc junior esset, atque adeo priusquam e Britannia proficisceretur, elucubratos, Sigebertus, Anonymus Melicensis, Trithemius, atque alii celebrant. Verum de illo erit dicendi locus paulo post, ubi et inediti commentarii, quem ex ejus Bobiensi monasterio accepimus, speciem exhibemus. Nunc quæ ipsiusmet Hieronymi de se testimonia, istud ab eo opus abjudicant, præferenda sunt. Atque illud luculentissimum quod habet in caput Isaiæ LXIII, quem librum circa an. 410, sub vitæ suæ propemodum finem composuit, ubi cum de Psalmis octavo atque octogesimo tertio sermo incidisset, se illos fatetur apertissime nondum exposuisse. *In bonam*, inquit, *partem scribuntur psalmi pro torcularibus, octavus, et octogesimus tertius : de quibus in suis locis, si vita comes fuerit, Domino præbente, dicetur.* Reliquum vitæ ejus tempus decennio plus minus concluditur : sicque vix potuit operi prophetali supremam manum imponere, ut in Jeremiam, qui reliquus erat, commentarios, morte intercedente, reliquerit imperfectos Hoc vero palmarium, quod cum ipsum Jeremiam exponeret, ad caput secundum simile quid pollicetur, fore videlicet, ut plenius de *Portis*, quæ in vicesimo tertio psalmo memorantur, suo loco disserat. Hinc enim compertum est quam quod maxime, non fuisse ab Hieronymo illud operis conditum, cujus partes aliquas, easque non postremas, nec certis de causis antea prætermissas, nec aliquo inter se junctas ordine, sub ipsum vitæ exitum tradit ipse, non nisi propositum habuisse animo elucubrare.

Nihilosecius alia non imbecilliora argumenta persuadent, quod initio proposuimus, ex veri sæpe Hieronymi pannis universum hocce Opus componi. Id scire per se quis poterit, si quæ sparsim loca Psalmorum S. Pater est interpretatus, quæ maximam partem in uniuscujusque tomi indice colliguntur, conferat cum Breviarii locis, notetque longas parodias, ac sæpe nedum sententias, sed et verba eadem deprehendat. Par quoque fit opinari, *tractatus* illos *septem in Psalmos a decimo usque ad decimum sextum*, quos in suarum elucubrationum censum recipit ipse in catalogo, jamdiu vero intercidisse, quod seorsum certaque germanitatis nota distincti non habeantur, existimatum est, hic interjectos : idque ipsum exornandis et in cæteros psalmos commentariis ansam studioso compilatori præbuisse. Quæ præterea veteres ex Hieronymo in psalmum hunc vel illum laudant, describuntque loca, suntque illa totidem in Breviario hoc verbis concepta, haud quidem facile alia excipias ratione, quam si quibusdam assumentis, quæ revera e S. Doctoris calamo profecta sunt, pseudepigraphum librum interpolari pro certo habeas. Laciniam ex nonagesimi tertii psalmi enarratione recitat testis omnium locupletissimus, ætatique Hieronymi suppar S. Augustinus in Commonitorio ad Fortunatianum, sive epist. 148, certus adeo de Hieronymianæ scriptionis germanitate, ut hanc præcipue tanti nominis auctoritatem contra adversarios urgeat. *Ne multa*, inquit, *commemorando, majores moras faciam, hoc unum S. Hieronymi interpono.* Et mox, *Cum ergo ille vir in Scripturis doctissimus psalmum exponeret, ubi dictum est :* Intelligite ergo qui insipientes estis in populo, et stulti aliquando sapite, qui plantavit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum, non considerat : *inter cætera. Iste locus, inquit, adversus eos maxime facit, qui Anthropomorphitæ sunt : qui dicunt Deum habere membra, quæ etiam nos habemus. Verbi gratia, dicitur Deus habere oculos : Oculi Domini respiciunt omnia : manus quia fecit omnia.* Et audivit, *inquit,* Adam sonum pedum Domini deambulantis in paradiso. *Hæc simpliciter audiunt, et humanas imbecillitates ad Dei magnificentiam referunt. Ego autem dico quod Deus totus oculus est : totus manus est : totus pes est. Totus oculus est, quia omnia videt. Totus manus est, quia omnia operatur. Totus pes est, quia ubique est.* Qui plantavit aurem, non audiet, et qui finxit oculos, non considerat. *Non dixit, qui plantavit aurem, ergo ipse aurem non habet. Non dixit, ergo ipse oculos non habet. Sed dixit :* Qui plantavit aurem, non audiet, et qui finxit oculos, non considerat. *Membra tulit, efficientias dedit.* Hæc enimvero non alibi apud Hieronymum, quam in hoc ipso perperam illi ascripto Breviario invenias : ubi ad eum psalmi nonagesimi tertii locum sic totidem descripta sunt verbis, ut ab illo propemodum archetypo accepta videantur. Quæ tametsi nobis in generali præfatione visa sunt non ex commentario quopiam in psalmos, sed ex una aliqua S. Doctoris epistola ex iis quæ interciderunt, desumpta : Hieronymiana tamen esse non dubitavimus, Augustino pro eorum germanitate fidejubente. Porro alia sunt, quæ Servatus Lupus in *Collectaneo de tribus Quæstionibus* ex hoc utpote Hieronymi Breviario laudat, ut est illud *in explanatione primi psalmi*, quod suo loco expendemus : alia quæ S. Gregorius VII (hunc enim verum esse commentarii in psalmos pœnitentiales auctorem : non cui vulgo tribuitur, S. Gregorium Magnum, propior ad fidem sententia est) e psalmi quinquagesimi versiculo 17 expositione describit, acceptaque refert Hieronymo : quæ quidem sin minus ad universi Operis, certe ad earum, quas recitant sententiarum γνησιότητα astruendam, plurimum momenti habent, notantque insuper quam longo ab hinc sæculorum intervallo, pro Hieronymianis sint habita.

Denique ut alia multa Hieronymi vel dogmata, vel etiam verba huic inesse Breviario sentiam, illud præcipue facit, quod de se trahit S. Pater, in fratrum conventu quotidianis se commentariolis Psalterium edisseruisse. Apertissima ejus hæc verba sunt lib. I contra Rufinum, num. 19 : *Illud carpere dicitur* (Rufinum) *quod secundum psalmum interpretans, pro eo quod legimus in Latino*, apprehendite disciplinam, *et in Hebraico volumine scriptum est* nescubar, *dixerim in commentariolis meis* Adorate filium. *Et rursum omne Psalterium in Romanum vertens sonum, quasi immemor expositionis antiquæ posuerim*, Adorate pure : *quod utique sibi esse contrarium, omnibus patet*. Quam objectionem, cum in sequentibus perquam erudite, diluisset, hæc subdit : *Quid igitur peccavi, si verbum ambiguum diversa interpretatione converti : et qui in commentariolis, ubi libertas est disserendi dixeram*, Adorate filium : *in ipso corpore, ne violentus viderer interpres, et Judaicæ calumniæ locum darem, dixerim*, Adorate pure, *sive* electe, etc. Quin igitur breviores quosdam commentarios in Psalmos profuderit S. Pater, nihil est dubium : quod enim eos in suorum catalogo Operum non recenseat, causas in generali præfatione aperuimus, eamque in primis quod oretenus fusi, non scripto fuerint ab eo consignati, nec jure adeo in scriptionum censum venirent. Jam tum vero de loquentis ore fuisse ab aliquo auditorum utcumque chartis exceptos, et in vulgus prolatos, probat illa Rufini cavillatio, atque ipse Hieronymianæ responsionis contextus. Apparet autem multis in locis notarios properantes de sententiis magis, quas privata in cella recoquerent, quam de verbis fuisse sollicitos. Venit propterea rudis adhuc labor ille in aliorum manus, Hieronymi quidem nomine insignis, sed adeo hiulcus, imperitus, informis, ut licia magis condendo operi, quam opus ipsum viderentur : et licere sibi studiosus quisque putaverit, assumentis aliis conflare atque aliis, et pro suo quisque captu centonem illum farcire. Ita persuasum est mihi, hacque una sententia existimo, varias posse doctorum hominum opiniones conciliari, variæque expositionis, quæ in nonnullis doceat, in aliis dedeceat Hieronymum, causam internosci. Hæc enim vero una, eaque in primis digna, quæ ab hujus libri editoribus expenderetur, est ratio, cur tot exstent, tamque diversa sub Hieronymi nomine ejus Breviarii exemplaria. Scilicet primum illud sancti Patris αὐτοσχεδίασμα ab ore edisserentis temere exceptum, varie pro suo quisque ingenio et commodo interpolatores refuderunt, variisque temporibus in vulgus, et quasi sub diversis obstetricibus prodiit.

Ut rem probe teneas, operæ pretium nunc sit, nonnulla ex his quæ in bibliothecis latent, nosque oculis usurpavimus, vel cum tanti viderentur, aliqua etiam ex parte descripsimus, proferre in medium; certissimo enim indicio cum dissident inter se invicem, simul et νοθείας accusant. Duo non ita pridem typis innotuere aliqua saltem ex parte ad faciendum de auctore periculum. Primum *Expositio Psalmorum* inscribitur, ex qua Martianæus ea quæ prætermissa sibi visa sunt a Breviarii consarcinatore, in ejusdem calce subtexuit. Excepit autem ex duobus mss. codicibus, quorum unum contulit descripsitque diligenter sodalis ejus D. Franciscus *Levacher* e ms. monasterii S. Petri de Pratellis, alterum ipse tractavit codicem Corbeiensem. Nos elegantissimum in Ambrosiana bibliotheca, quæ Mediolani est, alium offendimus, folio minori compactum, ac numero distinctum vigesimo supra centesimum, qui eamdem illam expositionem totidem verbis, quantum assequi conferendo licuit eam partem, quam Martianæus vulgavit, nostro Hieronymo ascriptam exhibet. Ante nos eum codicem vir impense doctus excussit, illudque opus Floro Lugdunensi diacono tribuendum censuit. Causam id asserendi præcipuam hanc habuit, quod in codicis fine post enarrationes omnes, versus quadraginta duo de Davide ascripti sint, quibus librum Psalmorum dedicat *Florado abbati Florus supplex.* Incipiunt :

Hos citharista puer lyricis concentibus hymnos
Edidit in laudes, o bone Christe, tuas.

finiunt *que* his :

Jamque vale, Florique tui sine fine memento,
Ut valeat culpis ipse carere suis.

Et Flori quidem Lugdunensis versus eos esse, non imus inficias, qui et cum novimus pangendis ejusmodi in S. Scripturæ libros carminibus, mirifice delectatum : et nominis inscriptionem antiquam certissimum αὐθεντίας argumentum tenemus. Verum ipsam expositionem sive commentarios, neque ea de causa, neque ullo alio modo eidem ascribi posse contendimus : quando ipsorum contextus versuum manifesto se prodit, in ipsiusmet Psalmorum libri commendationem, recensionemque, minime vero in ejus expositionem elaboratum. Haud pigeat rem totam ex his discere, quos cum in regii Vatis laudes excurisset, auctor subnectit.

Jugibus idcirco precibus, cantuque perenni
Hæc, Pater, ex vestro personet ore lyra.
Qua prisci cecinere senes, quos maxima Nili
Ostia, et alticrepi horruit unda sali.
Quamque sacer longi corruptam erroribus ævi
Reddidit antiquo Hieronymus decori.
Ingenio cujus pulchris instructa sagittis,
Stellarum rutilo [*Sc.* obelis *et* asteriscis] tota nitore micat.
Quas studiosa manus multi sudore laboris
Restituit priscis, te rogitante, locis.

Namque per incultas errat dum lubrica palmas,
Dulcis et ambrosio tincta liquore lyra :
Perdiderat fulvi radiantia signa metalli,
Texerat et furvo fila canora situ.
Sed tamen Hebraica rursus [*Ms.* versus] ratione polita,
Ac simul Argolica denuo picta manu.
Mellifluas cœli spargens trans sidera voces,
Concrepat angelico carmina sacra sono.
Hunc cape correctum gratanti corde volumen,
Utque ita permaneat, da, Pater, oro, operam :
Nullus enim fructus conamina nostra sequetur,
Erasis vitiis, qui bona subdidimus :
Ni vigil atque sagax studio, Pater optime, vestro
Conservet scriptor quæ modo recta manent.

Nullam hic vides Florum a se adornatæ expositionis mentionem facere, totum vero in eo esse, ut recens emendati codicis industriam probet. At nemo, opinor, sibi persuadeat fieri potuisse, si Psalmos quoque illo commentario illustrasset, hac ut de re saltem verbo monere Flordaum abbatem suum prætermitteret. Quin immo tanti operis rationem ac studium multis commendasset, qui in novæ recensionis, ejusque fortasse ab alia studiosa manu concinnatæ laudes exaggerat. Quamquam et aliis argumentis perspicuum est plane, atque evidens, Florum condendis in Psalmos commentariis nunquam manum admovisse : neque adeo ejusmodi laboris meminisse usquam seu recentiores, qui vivorum doctrina illustrium, ipsiusque operum Flori catalogos instruxerunt. Denique, ut et multa alia ob argumenti propinquitatem, ita et ejus diaconi versus compertum nobis est adscitos aliunde, junctosque illi commentario ab eo qui codicem compegit; nam et meliore consilio eos alibi vidimus in uno alteroque Vaticano ms. Psalterio ipsi, Gallicanæ ut vocant versionis, præfigi. Non est ergo ejus auctor commentarii Florus, sed sequior alius, quicumque tandem ille fuerit, interpolator Breviarii in Psalmos, qui non eas modo enarrationes, quas et Martianæus cudit, sed plerasque omnes exinde acceptas in aliam atque aliam formam migrare jussit : utque securius fidei lectorum imponeret, Hieronymi personam induit. Nedum vero falsa sunt, sed et Hieronymiani nominis prorsus indigna, quæ præfationum loco præmisit schedia. Prima est celebris illa ad Damasum epistola, *Legi litteras apostolatus vestri, poscentes ut secundum simplicitatem* LXX *interpretum canendum Psalmographum* (in cod. *canentes Psalmographiam*) *interpretari festinem, etc.*, a Martio pridem vulgata, tantisque sententiarum ac verborum monstris scatentia, ut mirari non desinam potuisse Henschenium, hominem cætera doctum, pro germanis habere. Ejusdem fere sunt furfuris reliqua : *Modus Psalterii. Psalterium in modum delte litteræ formati ligni sonora concavitas, etc.* Et quæ subduntur : *Quia prophetis spiritus non semper eorum mentibus præsto est : quatenus cum hunc non habeant, se tunc cognoscant ex Domino habere, cum haberent.* Succedit his genuina S. Doctoris præfatio in Psalmos a se iterum ad Græcum exemplar emendatos, quæ incipit, *Psalterium Romæ dudum positus emendaram, etc.* Subsequitur ipsa, in cujus hæc diximus gratiam, Psalmorum prolixa expositio : *I. Psalmus David de Christo. Quidam putant istius psalmi clavem super Christi Domini nostri personam esse referendam, ut beatus iste vir, secundum hominem Christus sit, etc.*, quemadmodum et in suo codice reperit Martianæus, nosque post eum in Breviarii calce excudemus. Post Psalmos enarrantur et Cantica, tum Oratio Dominica exponitur, ubi et panem *supersubstantialem* pro *quotidiano* tractator legit. Symbolum quoque apostolorum, et *Fides catholica S. Athanasii* paucis explicantur : atque in illo quidem de *Remissione peccatorum* articulus reticetur, quod Symboli longe antiquissimam ætatem notare videretur (si quidem neque in iis comparet, quæ Tertullianus, Irenæus, vel Origenes recitant) nisi verius putandum sit, scribarum oscitantia in hac illum expositione prætermissum. Post hæc. *Explicit Hieronymus super Psalterium :* duoque hi versus adscripti :

Francisci memores sint hæc sua scripta legentes,
Omne cui subest fundere sæpe preces.

Cætera persequi, cum jam de Flori poæmatio dixerimus, nihil interest.

Revertamur ad Martianæum. His quæ diximus adjunxit ille et longam *præfationem de libro Psalmorum*, quam in tribus mss. exemplaribus canonis hebraicæ veritatis invenit, et pridem cl. Cotelerius in notis ad tom. III Monumentorum Ecclesiæ Græcæ verissime pronuntiaverat, *nec Hieronymi, nec Hieronymiani consarcinatoris esse.* Nihil vero dubium describi totam ex *argumentis* Eusebii Cæsariensis *in Psalmos*, quas ille Ὑποθέσεις, vocat : quamquam Latinus, quisquis ille fuerit interpres, neutram linguam probe calluisse videatur. Hujus quoque Prologi nos multo emendatius exemplar in Ambrosiana bibliotheca invenimus, codice ı, 6, olim S. Columbani de Bobio, ex quo illum castigatiorem suo loco, ut ne quid desit, exhibemus.

Alteram *Psalmorum interpretationem* nuperi Anecdotorum collectores domini Edmundus Martene, et Ursinus Durand proferunt ex ms. Aquicinctensi, qui tamen liber non Hieronymum, sed Hilarium Pictaviensem auctorem præfert. Ipsi etiam laudati editores quamdam ejus operis partem, quatuor scilicet tractatus in psalmos XV, XXXI, XLI, et CXLIX, quos primo edunt in lucem, Hilario adscribunt. Cætera non diffitentur Hieronymiani excerptoris esse; arrepto enim, inquiunt, volumine Breviarii in Psalmos, quod

Erasmus et Marianus Victorius sancto doctori attribuunt, integras enarrationes illi attributas referri, reperimus. Nihil ego dicam quod falso Erasmum pro Breviarii assertore hic laudant : illud vero contenderim, ita quatuor hosce tractatus Hilarium auctorem non habere, ut reliquos omnes certo scimus mentiri Hieronymum. Nulli non pateant ejus rei argumenta ex ipsorum lectione tractatuum repetenda, si cum Hilarii sermonibus conferantur. Satis vero sit, ut propositum teneam, atque ostendam, nihil esse aliud codicem Aquicinctensem quam Hieronymiani breviatoris paulo diversum exemplar, illas quas proferunt pro eorum tractatuum germanitate causas obiter expendisse. Quatuor, inquiunt, istæ enarrationes, quas necdum vulgatas in codice illo reperimus, in editis Hilarii operibus desiderantur. Animadvertimus præterea in illis Hilarii in scribendo methodum observatam, stylum ejus, Scripturæque versionem antiquissimam : nihilque adeo incommodi visum est, si eas Hilario attribueremus. Secus hæc erat ineunda ratio; colligerent enim haud probe, si quatuor illæ dumtaxat ab Hilariano commentario excidissent : nam ut tantum panni adsuas, quantum sarciendæ vesti opus fuerit, non adeo fit illud ejusdem ac reliqua vestis texturæ ac lanæ. Nunc vero cum multo plures, sive in quindecim alios psalmos expositiones Hilarii desint, quæ in eo tamen omnes sunt codice fluxe nimis arguunt ex eo defectu, faciuntque sane pro arbitrio, non ad codicis fidem, cum hisce et cæteris repudiatis omnibus, illas adsciscunt. Tota illa pseudonymi auctoris collectio est : et qui genuini tractatus in Hilariana editione superant, ab his qui in hac sunt collectione, recedunt immane quantum. At, quas repudiant, manifesto constat Hieronymiani consarcinatoris esse ex Breviario, in quo totidem descriptæ sunt verbis : nonnullæ etiam ex illis quædam continent, Hilarii ævo atque ingenio non consentanæa; econtrario quas recipiunt quatuor, et ab his quæ in vulgato Breviario habentur, prorsus aliæ sunt ac diversæ, et a Pictaviensis episcopi stylo ingenioque non dissident. Nimirum hoc est ipsum, quod nos magis movet, ut contrarium putemus ex ipsorummet argumentis colligendum. Nam si opus omne reliquum personatus auctor consarcinavit, cur non et quatuor ipsos tractatus, tam longi operis sane perexiguam partem ? Quis sibi in animum inducat, eum cum cætera omnia ex variis Patrum segmentis collegerit, istos, αὐτολεξεὶ descripsisse ex Hilario, nihilque immutatis sententiis aut verbis, centoni suo adtexuisse. Erat igitur inferendum hoc potius modo : Si nonnullæ ejus commentarii partes, quod ab Hilarii temporibus manifesto abludant, illi ascribi omnino non possunt, nullæ sunt quæ jure meritoque veniant in ejus scriptionum censum. Aliter non quatuor tantum homiliæ, sed si quæ aliæ præterea sunt, quæ nihil ab Hilarii ævo dissideant, pro Hilarianis erunt continuo habendæ, eoque pacto etiam quas dubium est, num Pictaviensis episcopus aliquando fuderit, alienæ lucubrationes sufficient. Quod autem quatuor illæ penitus diversæ ab iis sint, quas Hieronymiani compilatoris Breviarium exhibet, nihil pro Hilario facit. Sunt enimvero passim diversa, ut diximus, ejus libri exemplaria, idque solemne est ejusmodi lucubrationum symbolis, ut pro suo quisque lubitu vel orationem habiturus ad populum, vel sibi conflaturus codicem commentariorum in Psalmos, nonnullos tractatus ex aliis auctoribus decerperet, aliisque testimoniis interpollaret. Fluxum adeo ac leve alterum quoque est argumentum a stylo : nam etsi daremus utcumque ab Hilariano minimum abhorrere, haud sane pauci alii tractatus sunt penes Hieronymianum consarcinatorem, quos nemo hominum Hilario tribuat : tamen ab istorum quatuor ingenio ac methodo ne latum quidem unguem recedant. Nempe ut aliorum Patrum ita et Hilarii segmenta uterque tractator expilavit : ille Origenem in sua transtulit, nihilque mirum sicubi hunc illumque redoleant.

Sed jam alios persequamur propositi Breviarii varios inter se codices percensere. Florentiæ in bibliotheca Medicea Laurentiana, pluteo XVIII; membranaceus codex num. 20, prænotatus, exorditur a psalmo centesimo decimo nono, devenitque ad usque centesimum quadragesimum quintum satis antiqua manu, quamquam in fine quædam exesa vetustate folia recentior supplevit. At Hieronymi quidem *Expositionem super Psalmos* continere annotat vetus librarius; qui vero codicem primo descripsit, hoc uno donavit titulo : *Commentarius in Psalmos David*. Eadem in urbe in bibliotheca Patrum sancti Marci, duo perantiqua exemplaria apponunt S. Doctoris nomen : tamen alterum, *Commentaria D. Hieronymi in Psalmos :* Alterum, *Breviarium D. Hieronymi* inscribitur. Sæpe audit *Expositio Psalterii*, hocque titulo passim occurrunt sequioris ævi mss. e quibus unum laudamus R. littera et num. 42 prænotatum in Ambrosiana, quæ Mediolani est, bibliotheca. Invenire quoque est aliquos hac una inscriptione, *Hieronymi in Psalmos :* talemque ibidem observamus littera C numero insignitum uno supra trecentesimum. Vidimus et Romæ nonnullos, quos inter vetustioris ob ætatis prærogativam memorandus catalogus in uno Palatino-Vaticano, qui numero vigesimo septimo denotatur, prioribusque duabus pagellis nescio cujus antiquioris bibliothecæ indicem librorum texit. In his, *sancti Hieronymi super Psalterium a primo psalmo usque in* LXXVI, *ex Origene sumptum, in uno codice.* Et, *Ejusdem alii* XXVI (leg. fort. LXXIV) *usque in finem. Item Expositio Psalmorum pœnitentialium in uno codice.* Descripsimus quoque multa postremi hujusce operis ex quadrato, eoque probæ vetustatis ac notæ ms. olim S. Columbani de Bobio, nunc Ambrosiano sub R littera ac num 42. Titulus ejus libri habet : *Incipiunt Psalmi, quos beatus Hieronymus ordinavit pro pœnitentia esse canendos.* At quæ tunc temporis varia ab editis, ineditisque aliis libris glossemata excerpsimus, non tanti nunc videntur esse, ut Hieronymiani nominis studioso lectori offeramus. Quia etiam in universum, si velim, quæ innumera sunt, codicum inter se dissidia studiose conferendo exponere, nec facturus sim operæ pretium, nec satis præstare ipsam rem possim ;

certum quippe est homiliis ejusmodi sibi decerpendis, conflandisque inhiasse olim tractatores Ecclesiasticos magno numero, ut si quis speret posse, quod quisque contulerit, æstimare, perinde sit ac si mare exhaurire velit.

Digna tamen visa res est, eaque maxime ad eruditorum hujus ævi ingenium, unum quem cæteris multo præstantiorem omnibus, ac toto cœlo a vulgatis diversum invenimus, diligentius expendere, ejusque aliquod specimen, quando integrum opus huc referre non licuit, lectoribus dare. Est igitur in toties laudata Ambrosiana Mediolani bibliotheca antiquissimus calamo exaratus liber, qui plane aliam ab his, quæ hactenus innotuerunt, eamque sane elegantiorem, sub Hieronymi nomine Expositionem in Psalmos continent : ut si qua alia inter S. Patris opera locum non immerito obtinere visa est, hæc supra cæteras etiam cum dignitate stare possit. Codex sub C littera uno supra trecentesimus numero prænotatur, estque oblongæ, ut vocant, in filio formæ. Olim ad S. Columbani de Bobio monasterium pertinuit, ex quo omnium pretiosissima eo importata sunt antiquitatis monimenta. Caractere descriptus est, ut vocare antiquariis placet, cursivo vetustioris formæ, et qui ad eam proxime accedat notarum figuram, quam in Ægyptiis papyris hodienum cernimus. Quamobrem et est sæpe lectu perquam difficilis, ut notis internoscendis multa exercitatione opus sit : et litteris interdum exesis vetustate, aciem oculorum diffugit, ut satius non uno in loco duxerimus, pati lacunulas aliquot, quam ex ingenio supplere, si fieri id tuto non posset.

Prior charta, qua ad codicem prætexendum librarius est usus, Latinis illa quidem litteris tota describitur, iisque fere similibus reliquo codicis characteri, sed quam sonant linguam, cl. vir cui summa omnia tribuo, ignotam dixit, aut veterem Illiricam. Ego, si hoc ipsum lectoris interest scire, Hebraicam esse monuerim : sunt enim ejus rei indicio, quæ possint, plerisque aliis oblitteratis, pauca legi Hebraicæ terminationis, et soni vocabula : cum primis vero isthæc, quæ ad vocem *hiruzech* apponitur ad libri oram interpretatio, *urbs fortitudinis nostræ*. Ita nimirum quæ vocem illam componunt verba, *kir*, Hebr. קיר, urbem : *us*, Hebr. עז, *fortitudinem* sonat : affixum denique *ch*, Hebr. ך, pronomen est, *tuum*. Rescribendum igitur, inquies, Latine erat, *urbs fortitudinis tuæ*, non *nostræ*, ut Hebræo responderet, quod non diffiteor ; verum ita sentio, non ejus vocis in Latinum explicandæ gratia, sed ut paulisper diversam ab illa significaret esse Latinorum lectionem, fuisse ab studioso aliquo notam appositam. Is vero quicumque fuerit, Origenis industriam est imitatus : quem enim ille Hebræum textum Græcis litteris sibi descripsit in Hexaplis, hic Latinis reposuit : nimirum uterque vernaculis. Fortasse etiam illum Origenis apographum, non Hebræum archetypum Latine repræsentavit : idque causæ fuit, cur peculiares primigeniæ linguæ sonos, et quibus scatet aspirationum modos, idque genus alia de Græcis non usque adeo ad rem aptis elementis, ad Latina minus fortassis commoda per vim detorta Scriptura sæpe non referat, et dare sine mente sonum videatur.

Sed hæc obiter : jam ipsum describere commentarium persequamur. Diximus Hieronymo tribui, sic enim præfert codicis inscriptio, primaque ejus folia, quæ vere Hieronymianas in Psalterium præfationes exhibent. Habet initium libri : *Incipit* * *Præfatio Hierongmi* * *Psalmorum in Christo :* in fine : *Explicit Prologus S. Hieronymi*. Præfationes illæ ipsæ sunt, quas S. Doctor vel ad Paulam epistolarum vice dedit, vel Psalterio ipsi a se primum emendato, tum ex Hebræo in Latinum converso præfixit. Nihilosecius, ut ne quid dissimulemus, utroque illo in loco Hieronymi nomen non ab illa quæ codicem exaravit primitus manu, sed ab alia, tametsi et illa antiqua, ac suppari, alioque, ut videtur, atramento est additum. Subsequitur deinde commentarius, ex quo primi et tertii, et maxima ex parte quarti psalmi enarrationes descripsimus, et ad faciendum de auctore periculum, exhibemus. Secundi integram expositionem amisimus, ejus puto incuria, cui schedas nostras tradidimus describendas ; sed quando non nisi quoddam operis ejus specimen damus, parum illa aut proposito nostro, aut lectoris studio jactura obfuerit. Hoc puto ipsum internoscendo auctori satis erit eruditis viris, neque enim, si Hieronymo tribuendum sit, ex his quæ hactenus disputavimus, suspicari ullo pacto licet. Mihi, nisi audacior est conjectura, quam ut bonis usque adeo argumentis probetur, ipsi placeret adscribi S. Columbano, quem supra laudavimus, primum Luxoviensi abbati in Burgundia, deinde Bobiensi in Italia, ex cujus monasterio in Mediolanensem bibliothecam ipse importatus est liber. Quæ pauca in vulgus prodierunt ejus ingenii monimenta, pleraque enim in bibliothecis, et præcipue Floriacensi dicuntur latere, ejusdem atque hic commentarius salivæ et gustus videntur esse : eadem etiam Scripturarum expressio, quantum e locorum collatione aliquot datum est intelligere. Constat vero cum aliis auctoribus, tum præcipue ex Sigeberto, cap. 60, S. Columbanum *tanto sapientiæ thesauro ditatum, ut adhuc adolescens librum Psalmorum elimato sermone scriberet :* ex quo Trithemius, cap. 223, *Cum adhuc*, inquit, *junior esset magnum studium litteris sanctis impendit, adeo ut eleganti stylo scripserit, in totum Psalterium commentariorum librum unum*. Ad hæc ejus quoque temporis ratio, sæculi nempe sexti, ad cujus usque finem S. abbas devenit, testibus Fredegario in Chronico, et Aimonio, lib. III de Gestis Francorum, satis bene cum reliquis Scripturæ ejus circumstantiis convenit : locus denique ex quo prodit illud nempe monasterium, quod ipse S. Columbanus fundavit, diuque rexit, ad conjecturam momenti plurimum addit. Nihilo tamen minus non pro certis constituta hæc volumus, sed verum auctorem internoscere, doctorum hominum, qui hæc lecturi sunt, judicio permittimus.

PSALMUS PRIMUS.

Primum psalmum quidam in Joas regem dictum esse voluerunt, qui a Joiada principe sacerdotum et nutritus est, et interfecta Athalia, in imperium subrogatus : eo quod per omne tempus, in quo a pontifice eruditus est in lege Dei, in ea meditatus sit noctibus ac diebus. Sed non audiendi sunt hi qui ad excludendam psalmorum veram expositionem, falsas similitudines ab historia petitas conantur inducere. Quomodo enim beatum istum prænotare potuisset, [a] (David) et ab omni errore, amore virtutis alienum, cui (Regum) libri nullum testimonium [b] .... perhibent : in quibus ita dicitur : *Et fecit Joas rectum ante Dominum omnibus diebus, quibus illuminabat eum Joiada pontifex; verumtamen ab excelsis non recessit : adhuc populus sacrificabat in excelsis.* Dicendo itaque, *omnibus diebus, quibus illuminabat eum Joiada princeps sacerdotum, fecit rectum ante Dominum*, indicat quod reliquis diebus, cessante Joiadis magisterio, recesserit, id est, quod primis institutionibus minime conveniret. [c] Refertur etiam in iisdem Regum libris, quod Azaelem regem Syriæ ab impugnatione Jerusalem Joas removerit oblatione [d] .... quæ quidem dona de templo sublata misit, quæ prius utique Deo tam ipse, quam reges Juda, id est, majores obtulerit, antequam actum indicaret : his verbis (bonum enim nos ad agnitionem rei gestæ testimonio lectionis accedere) *Et* [e] *accepit Joas rex Juda omnia sanctificata, quæ sacrificavit Josaphat et Joram, et Ochozias patres et reges Juda, et sanctificata sua, et omne aurum quod inventum est in thesauris domus Domini, et in domo regis, et misit Azahel regi Syriæ.* Huic ergo, qui templum Domini spoliavit, et omnia intus posita dona conrasit, ac misit ea viro alienigenæ, impio atque sacrilego, [f] qui potest David beatitudinis apicem contulisse? Talis ergo historiæ usurpatio inconveniens [g] ad probationem est, quod præsenti psalmo non possit aptari, in quo beatus a David pronuntiatur vir, de quo sermo est, omnis virtutis perfectione conspicuus. In fine enim psalmi dicitur: *Ideo non resurgent impii in judicio, neque peccatores*, usque, *peribit*. Hoc dictum his convenit, qui possunt etiam mori perfecti, et pro bono conversationis suæ apud Dominum confidentiam habere non minimam. Joas vero rex nec talis ostenditur historiæ lectione, ut dignus beatitudine comprobetur. Est ergo moralis psalmus, quod ex his [h] quæ sequuntur apparet, in quibus de vitiorum appetitu et de erroris abstinentia disputatur, quod in Joas proprie non potest convenire. Parvulus enim per illud tempus, in quo a Joiada pontifice nutritus est, numquam aversari mala judicio suo poterat, numquam in meditatione Legis curam sedulam admovere, qui ad omne studium pro nutrientis ducebatur arbitrio : [i] septimum quippe ætatis agenti annum honor et insigne regiæ dignitatis impositum. Duo [j] sunt itaque quæ faciunt hominem ad beatitudinem pervenire, dogmata recta, et sententia : id est, ut pie de Deo, et .... sentiat : et emendata formatio, priusquam honeste sancteque vivat. Neutrum ad perfectionem valet genus : alterum vero alterum supplet a comite; sed fides primum obtinet locum. Sicut in corpore honorabilius caput, et reliqua membra consentur ad perfectionem: tamen hominis necessaria etiam reliquorum accessio, et compago membrorum : similiter et ad consummationem vitæ hæc oportet utraque concurrere, fidem scilicet, et vitam : ut fides eidem ad perfectum comprehensionis ardua atque difficilis, [k] custodia vero facilis. Vitæ autem ratio ad intelligendum prona, [l] et quam omnium intellectui tam in bonorum appe-

[a] Hic *David* nomen, moxque in eodem hoc versu vocem *Regum*, evanescente codicis scriptura, ex ingenio suffecimus : quæ tamen, ne fucum lectori faciat, uncinis inclusimus.

[b] Supplendum videatur *bonum*, aut quid simile. Hic quoque codicis scripturam assecuti non sumus.

[c] In ms. mendose legitur *referente*, ut et *Acraelem*, pro *Azaelem*.

[d] Scilicet *sanctificatorum* argenti atque auri, quam vocem sacer textus infra laudandus sufficiet IV Reg. XII, 18. Tute lacunulam ea voce impleas.

[e] Præstabit hoc testimonium cum Vulgati lectione interpretis contendisse : *Tulit Joas rex omnia sanctificata, quæ consecraverant Josaphat et Jora et Ahazias, patres ejus, reges Juda, et quæ ipse obtulerat, et universum argentum, quod inveniri potuit in thesauris templi Domini, et in palatio regis : misitque Azaeli regi Syriæ.* Noster Græco magis adhæret.

[f] Compendiariæ eæque exoletæ ms. notæ videbantur præferre, *quod profert David*, etc., inepto sensu.

[g] Malim, *approbat esse, quod*, etc. Verum implexa nimis, atque hiulca hæc tota est in ms. periodus ad hunc modum, *ad probat*, etc., *est q. præsenti psalmo non possit aptari, in quo beatus David pronuntiatur vir, de quo sermo, atque omnis virtutis perfectione conspicuus.* Nos tantum, ut sensus constaret, medicam manum admovimus. Quod si nostra audacior conjectura videatur, habet hic lector quo suam industriam experiatur. Nam et paulo post, ubi *perfecti* rescripsimus, erat in ms. *profectum*.

[h] Verba, *quæ sequuntur*, quæ sunt in ms. ob vetustatem oblitterata, de nostro suffecimus. Mox quoque ex ingenio rescripsimus, *de vitiorum appetitu, et de erroris abstinentia*, pro quibus satis erat mendose in archetypo, *devitiarum appetitum et de errore abstinentia*.

[i] Corrupte ms. *ducebat;* tum *itaque* videbatur præferre pro *quippe :* rectius adhuc legeris, *et cui septimum ætatis agenti annum*, etc. Mox quoque *et* conjunctionem substituimus ad sensus integritatem.

[j] Illic, *sunt*, verbum suffecimus. Tertius ab hoc versus statim initio, exesis in apographo litteris, unius lacunulam verbi habet, quod facile tamen ex serie orationis suppleas. Reliquus vero contextus gravioribus scatebat mendis. In voce *priusquam* nihil mutavimus, tametsi placeret eo magis rescribere *vitæ*, aut *morum*, aut quid simile, addita *ut* particula. At pro *saneque*, quod erat in ms. nihil dubitavimus reponere, *sancteque*. Insignius multo et fœdius subsequens erat mendum, ubi enim nos fecimus, *Neutrum*, scriptum erat duobus verbis, *nec non*, nullo, aut sane contrario, ac derisiculo sensu.

[k] Quædam hinc verba exciderint, quorum defectu claudicat sensus. Nullo autem negotio supplere ex ingenio poteris.

[l] Pro duabus voculis, *et quam*, quod manifestum est mendum, recte utcumque legeris uno verbo, *æqua*, aut *æque*.

titu, quam in malorum fuga videatur exposita. Exhibitio vero non operis parum, ac laboris, sed nonnumquam vitæ merito ad [a] fidem aditus aperit, et e diverso ad perfectam cognitionem peccatis [b] obstruit; nam veluti quibusdam tenebris conversationis certum [c] intercludit, et purius impedit unam hanc partem maxime Scripturæ divinæ Moysis excolere. Et ideo etiam in præsenti psalmo ante documenta disciplina moralis indicitur; nam abesse [d] a perfecta fide morum vitia, Apostolo teste, discamus, qui ait ad Corinthios : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, quasi parvulis in Christo :* et subjungit : *cum enim sint inter vos*, etc., *nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis*, cum econtrario Cornelius ad fidem sit....

Itaque argumentum est præsentis psalmi Dominum deprecantis ad reserandum intellectum, et accedere. Et si necesse fuerit pro consideratione nostra, occurrentium aliqua latius explicare, non obliviscemur ejus, quam promisimus in præfatione, brevitatis. Hic maxime servabimus in præsenti psalmo, et in reliquis omnibus, ut omnem intellectum in summam redigentes, strictim quod dicendum est explicemus: quoniam non nobis propositum est [e] latius cuncta prosequi, sed summatim dictorum omnium sensus attingere, ut possit lecturis expositionis [f] prima facies relucere, illis relinquentes occasiones majoris intelligentiæ, si voluerint aliquid addere, quæ tamen a præmissa interpretatione non discrepent; ista enim veri est intellectus perceptio, ut per historiæ fidem tenorem expositionis aptemus, et [g] concinnenter ea quæ dicenda sunt proferamus.

Beatus vir, qui non abiit in consilio, usque, *sedit*. Interdum Scriptura divina inter impium et peccatorem facit differentiam : impium vocans Dei veri notitiam non habentem: peccatorem vero, honesti rectique tramitem non tenentem : tamen ubi communi vocabulo utrumque significet, in præsenti tamen videtur facere distinctionem : quoniam vult, qui sit sectator perfectionis exprimere, cui etiam beatitudinem credit rite competere, vel propter perfectam de Deitate notitiam, vel propter studia vitæ melioris. Quod vero ait, *non abiit, non stetit, non sedit*, animæ motus corporalibus signat indiciis; quoniam cum aliquid molimur efficere, primum ad arripiendum

A opus movemur.... deinde subsistimus, ubi res cœpit esse in manibus : ad sedendum vero convertimur, negotio jam [h] parato. Hoc sanctus David ait, quod ille vere beatus sit, qui neque primis quidem vestigiis impietatis cogitationem adiit vel ingressus est, neque affectum pravi operis.... reperit, neque ulla rea irretitur malæ dilectionis illecebra, quæ nomine cathedræ, et sessionis ostendit, ut eorum consortio jungeretur, [i] sed aliorum simplicitatem veneno suæ pravitatis inficiunt. Hos enim pestilentes vocat, quorum est plane morbosa conjunctio. Nam etiam pestilentiæ proprium est, ab uno in alterum transeundo, inficere multorum corpora atque vitiare. *Non abiit* ergo dicendo, assensus cogitationum notavit, quibus ad pravas suggestiones rapimur, et in

B quibus libuerit implere [j] proprium. Qui vero ait, *non stetit*, numquam in opere exiisse indicat, in quod cogitatio animum suggesserat, quod tamen implemus cum delectat in aliis operibus gradum figere.... ac sæpius restitare. Per cathedræ insessionem ille signatur, qui ita delectatur, et requiescit in mala consuetudine, ut reliquis ejusdem studii hominibus sine ullo verecundiæ misceatur assensu. Qui vero impiorum consilia posuit, peccatorum vero opera, satis ad utrumque respexit. Impietas enim ad agitationem mentis pertinet, et motus non recte animæ sentientis: Peccatum vero in rem actio jam deducta. Tertium quod addidit [k] utrisque subjecit, quam non solum hi pestilentes vocarentur, qui male sentiendo corrumpunt reliquos, et socie-

C tate sua perimunt : verum etiam illi qui tabe consortii bonum conversationis suæ rectæ infringunt. Quibus in totum non admisceri, est sibi [l] .... optime consulentis. Et ideo hunc qui per omnia declinat a talibus beatum præsentis psalmi lectio definivit. Qui ita actus suos circumspicit, ut etiam [m] ab alienis mala sollicitatione declinet : et veretur, ne alienis maculis candor suus puritasque fuscetur. [n] Quoniam tendendo ad beatitudinem, non sufficit recedere tantum a malis : scilicet etiam bona facere necesse est. Inferius ait : *Sed in lege Domini fuit voluntas*, usque, *die, ac nocte*. Non solum, inquit, studet malorum consortia declinare, verum assidua, et jugi meditatione legis, discit, qualem se formare conveniat. Et ut fructuosum hujusmodi, quod com-

[a] Hic quoque nonnihil impedita series orationis est; sed multo impeditior, minusque sana ipsa sententia videatur, si probæ merito vitæ, fidem posse quempiam adipisci censuit.

D [b] Rescripsimus confidenter *obstruit*, pro quo vitiose apographo legebatur *obstinuit*.

[c] Supple *tramitem*. In reliquis, ut sensus utcumque constaret, qui nullus plane erat in ms. reposuimus *purius*, pro *puritas*, et *unam*, pro *unum*, denique uno verbo fecimus *excolere*, pro quo erat duobus, *ex colore*, satis supino antiquarii lapsu. Haud scio, num pluris fuerit Augiæ stabulum purgare.

[d] Vitiose erat in apographo, *abesse perfectæ fidei*.

[e] Hic alteram negandi particulam induximus.

[f] Erat in ms. vitiose, *facie ;* et mox, *relinquentibus*, pro *relinquentes*.

[g] Fortasse legendum est *continenter*.

[h] Suspicor rescribendum, *peracto*.

[i] Malim *qui* reponi, pro *sed*.

[j] Videtur multo rectius legendum *propositum*. In subsequenti proxime versu adverbium, *numquam*, pro exesis in codice litteris substituimus. Leviora quædam alia taciti castigamus.

[k] Ms. præferre videbatur, *utriusque :* mox pro *quam*, malim *quod*, aut *quoniam :* denique *vocarentur*, pro *vocaretur*.

[l] Supple pro vacuo spatio, *hominis :* aut *animi*, aut quid simile.

[m] Deerat in ms. *ab* præpositio.

[n] Restituimus ex ingenio hic, *Quoniam*, et in fine versus, *tantum*, pro quibus corrupte erat in apographo, *quam*, et *tamen*.

mendare nititur præbeat studium : inducit similitudinem, per quam possit, bonum, et [a] beatum quem dicunt, hominibus relucere. *Et erit sicut lignum quod plantatum est secus decursus*, usque, *prosperabuntur*. Sicut arbor, inquit, cui virere.... natura est, etiam [b] loci, in quo plantata fuerit, vivificatur beneficio, ut ab ariditate aquis defendatur irriguis, atque ab his multis sit fructibus plena : quæ neque aeris, neque loci, neque temporis injurias sentit. Id enim indicat, quod sequitur dicens : *Et omnia quæcunque faciet, prosperabuntur* ; omnibus, tam perpetuo virore, quam pomorum numerositate, conspicua. Ita æque ille erit clarus, qui se et a malis abstinuerit, et bonorum studiorum amore devinxerit, quem nec ulla peccatorum opera decipiant, et meditatio continua legis exornet. [c] ss. æternæ.... *Non sic impii, non sic, sed tamquam*, usque, *a facie terræ*. Superioribus dictis omnes ad virtutis studium provocavit ; præsentibus deterret a vitiis, et [d] comparatione pulveris ostendit, quia tanta sit vilitas impiorum, [e] et quam digni aliquo æstimantur assensu : et ita malis supervenientibus impellantur facile, ac stare non possint, ut pulvis qui præ tenuitate sua ac levitate, ventorum flatibus huc illucque dispergitur.... *Ideo non* [f] *resurgant impii*, usque *justorum*. Hæc dicens, non resurrectionem impiis denegat, qui utique si non resurgerent, lucrificarent futura supplicia, quæ quidem non aliter [g] non restituti in corpore sustinebunt. [h] Nam ita erit commune animæ corporisque supplicium, sicut fuit peccatorum communis admissio [i] .... tale est.... posuerimus in apertis criminibus moras ad inquirendum nullas adhibere, sed statim condemnationis ferre sententiam : ita et impii ad pœnam resurgentes non illam [j] dilationem habebunt, quæ solet judicii vi in quæstionibus admoveri : quos gravius manere supplicium psalmo hoc indicatur [k] .... ad sceleratum sententia in locum meritis suis debitum et ultimum contrudentur exitium. Et ideo non dixit absolute, *non resurgent* ; sed addidit, *in judicio* : licet non resurgent ad examinationem, sed resurgent, ut statim sententiam damnationis excipiant. Et ne forte ex communi resurrectionis nomine communem [l] æstimemus etiam futuram expulsionem esse cunctorum, ostendit, quod in eodem momento resurrectionis magna futura sit differentia, ut alius per illum ad honorem perducatur, alius mittatur in pœnam. Erit enim pretiosa aliis et remunerabilis, aliis gravis, atque terribilis. [m] Vel inter et impium, et peccatorem fecit differentiam : et impios quidem ait in judicium non resurgere, id est, ut superius diximus, non in [n] communicationem venire peccatoris : hos in consilio justorum, hoc est, ut nulla illis sit in justorum remuneratione communio. Tradentur ergo etiam ipsi suppliciis, non quod per peccata excluduntur a primis, ea sine dubio, quæ sunt a primis diversa facientibus. In hoc enim erit differentia, ut impii quidem resurgant non discutiendi, sed statim locis [o] suis deputandi : peccatores vero, ut nulla justis communione jungantur. Hoc autem manifestius ex his, quæ sequuntur, ostenditur : *Quoniam novit Dominus viam justorum*, id est, placitum sibi, et acceptum esse remunerationis testimonio perducebit; *et iter impiorum peribit*. Ideo enim non resurgunt ad examinationem impii, quia omnium viæ perfecta Dei notitia continentur : atque ab his nulla dilatione resurrectionem eorum conditio, et sors digna suscipiet.

PSALMUS TERTIUS.

Psalmus David, cum fugeret a facie Absalon filii sui. Absalon autem, qui interpretatur, *patris pax*, significat Judam proditorem, a cujus facie David, id est, Christus, Dei virtus, et Dei sapientia velut fugit, quando illum, postquam diabolus in cor ejus intravit, occulto judicio deseruit.

Domine, quid multiplicati sunt. Vox Christi ad Patrem pro persecutoribus suis, hoc est, Judæis : et Ecclesia pro [*Ms.* per] universis inimicis suis Dominum alloquitur. Hic autem Dominus Christus contra se populos excitatos, qui ad eos venerat causa salvationis. Dicendo, *tribulant me*, ostendit magnopere cæcitatem illorum se doluisse, qui obstinatis mentibus eum respuerunt. *Multi dicunt*. In

[a] Trajectione vitiosâ laborare visus est ms. in quo erat, *quam beatum*.

[b] Hic quoque non dubitavimus refigere *loci*, pro quo ms. contra grammaticas regulas præferebat, *locus*.

[c] Ita compendiariis notis hoc medio versu in codice scriptum est : puta, *salutis æternæ*, quod est fortasse glossema ab ora codicis in textum temere importatum.

[d] Manifesto mendo legitur in apographo, *præparationem*, pro quo substituimus, *comparatione*.

[e] Facile assentiar rescribenti, *ut nunquam*, pro incommoda codicis lectione, *et quam* : tum *æstimentur*, pro *æstimantur*.

[f] Notum, veteres aliquot cum versiones, tum tractatores in instanti legisse, *resurgant*. Noster tamen non sibi usque adeo est constans, ut mox in futuro non præferat, *resurgent*.

[g] Rectius constabit sensus, si *quam* rescribas, pro *non* particula.

[h] Ita locum ex ingenio refigere, coegit orationis series, et sensus, qui antea aut nullus erat, aut plane scriptoris menti contrarius. Pro *nam*, in codice scriptum erat *non* : pro *sicut*, erat *sed*. Hisce amanuensium certissimis mendis textus laborabat.

[i] Elegantissimam expositionem nitori pristino reddas, si quæ exciderunt hæc verba, aut his similia sufficias : *sed tale est, si judicem posuerimus*, etc.

[j] Manifesto errore *dilectionem* præfert ms. pro *dilationem* : mox quoque, *vis*, pro *vi*.

[k] Supplendum videtur, *sed statim sceleratorum sententia*, etc.

[l] In codice erat hiulco sensu, *æstimantes*, et in subsequenti versu, *cum* pro *quod*. Paulo quoque post vocem *differentia*, magis quam ab exesis in ms. litteris, ex contextu ac serie orationis excudimus.

[m] Pro *inter*, vocula, corrupte erat in ms. *enim*.

[n] Vix dictu est, quibus fœdaretur hic versus mendis, quæ ex ingenio castigare necesse fuit. Pro *communicationem*, erat in ms. *excommunicationem* : *peccatores*, pro *peccatoris* : et quod negotium majus facessebat, absque ulla distinctionis nota, *hi*, pro *hos*.

[o] Illud, *suis*, ab evanescentibus in codice litteris conjectando excudimus.

tantum multi fuerunt, ut etiam de numero Judæorum traditor Judas illis fuerit aggregatus. *Multi dicunt:* nam cum repelitur [*Ms.* reperitur] sæpius *multi*, ostenditur sæva numerositas impiorum. *Non est salus.* Hoc ad illas voces pertinet Judæorum dicentium: *Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere. Tu autem, Domine.* Verbum caro factum, hominis est susceptio, et Ecclesiæ; quapropter caro dicit gloriam suam, et exaltationem capitis, quam suscepit omnipotens Verbum: *Voce mea.* Hoc evangelica verba declarant, ubi ait Filius: *Pater, clarifica Filium tuum*, etc. *Et exaudivit de monte sancto suo*, id est, de Divinitatis excellentissima summitate, quando ait: *Et clarificavi, et iterum clarificabo. Ego dormivi.* Venit ad secundam partem, in qua dormitionem et soporationem passionis, et resurrectionem Christi exprimit, de qua ipse dixit: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Et ideo surrexit, quia divina potentia humanam ejus naturam suscepit. Aliter: Dormivit Ecclesia per infidelitatem; surrexit autem per illuminationem fidei. Dormivit Christus in morte per passionem, resurrexit per gloriam resurrectionis. *Non timebo millia.* In passione enim Salvatoris magna eum populi multitudo circumdedit, quam minime timuit: quia post triduum se resurrecturum præscivit. Et caro ejus salva facta est. Ecclesia de Christo Domino suo, hoc est, corpus capiti suo loquitur. Illo enim resurgente, ipsa salvata est. *Quoniam tu percussisti.* Non solum adversantes, id est, persecutores Salvatoris, verum etiam hæretici cæcitate mentis percutiuntur, qui dentibus detractionis corrodunt verba veritatis. Ita et Judæi quando dicebant: *Si rex Israel est, descendat de cruce, et credimus ei;* inimici nominis Christi confusione percussi sunt; ideoque contriti sunt, quia confestim cognoverunt eum resurrexisse in gloria. *Domini est salus.* Æterna enim vita interimi non potest, nec Salvatoris salus ullatenus amputari; et ideo credentes in eum benedictio sequitur sempiterna.

PSALMUS QUARTUS.

In finem in carminibus psalmus David. Hic enim finis perfectionem significat, non consummationem. Psalmus ad opus, canticum vero refertur ad scientiam, vel lætitiam.

Cum invocarem. Mater Ecclesia gratulatur exauditam se esse a Deo justitiæ suæ, a quo ei est omne quod justum habet et recte, justitiæ suæ: quia sanctæ Trinitatis unitatem et omnipotentiam confitetur. Quæ se dilatatam esse dicit, quando confessores fiunt, et martyres coronantur. Aliter: Ab angustiis tristitiæ in latitudinem gaudiorum me adduxisti. *Miserere mei.* Pia mater miserendum esse dicebat sibi, si pro filiis audiretur ejus oratio. *Filii hominum usquequo*, etc. Merito sancta Ecclesia eos diutius graves corde fuisse fatetur, qui post veritatis prædicationem adorare magis idola elegerunt falsitatis, quæ sunt vanitas, et mendacium. Et merito tale nomen susceperunt, quia contra dignitatem veritatis erecti sunt. *Et scitote:* hoc est, credite, quia Christum, quem Judæi crucifixerunt, Deus pater mirificavit in resurrectione, et ascensione. Et ipse Filius exaudivit Ecclesiam suam, quocumque in tempore clamaverunt ad eum: et merito, quia ipsa populis illum ad mirificandum prædicavit. *Irascimini.* Præteritis peccatis irasci debetis, ut præsentem nequitiam effugere possitis: atque nolite iterum facere mala. *Compungimini*, deferentes pravas cogitationes vestras. Antequam scelera perpetretis, quæ semper cordibus vestris involvitis. *Compungimini*, ad pœnitentiam videlicet. Idem vero, quod supra cor, hic cubile nominavit. *Sacrificate.* Hic altera res inchoat; in qua clementissima mater docet, atque dicit: *Sacrificate sacrificium justitiæ:* id est, recte vivite, et corda vestra divinitati munda semper offerte. *Et sperate in Domino*, ut vitam bonam spes felicior subsequatur. Multi idem, etc., etc.

Hæc ad specimen potius operis capiendum, satis abundeque fuerint, nisi et latius fortasse, quam par erat, descripta incuriosis hominibus videantur. Sed ut ad propositum redeam, coronidis loco, admonitionem istam uno adhuc exemplo concludam, ex quo intelligas quam sit Breviarii auctor sublestæ fidei, qui et pro Augustino se venditarit aliquando, et ipsam Augustinianam psalmorum expositionem pervaserit. Notatum hoc pridem Benedictinis editoribus, in tribus mss. Vaticano scilicet, et Regio, et Claromontano Patrum Dominicanorum, qui Augustini tractatus in Psalmos continent, enarrationem XIV psalmi ex Breviarii auctore, vix paucis mutatis verbis, haberi, ac poni proxime ante alteram, quæ vere Augustini est. Describitur vero, ut penes falsum Hieronymum ab initio: *Opportune quartus decimus psalmus lectus est, et secundum ordinem ita evenit*, et cætera ad finem usque, qui hac insuper subscriptione munitur: *Explicit tractatus Aurelii Augustini episcopi de psalmo* XIV. Si aliorum veterum, qui in Psalmos scripserunt, codices manu exaratos in promptu haberemus, quin paria exempla apud eos occurrerent, nullus dubito, aut enim omnium ante se tractatorum scripta compilavit, aut certe personas induit pseudonymus iste Breviarii auctor.

BREVIARIUM IN PSALMOS.

PROLOGUS.

Proxime cum Origenis Psalterium, quod Enchiridion ille vocabat, strictis et necessariis interpretationibus annotatum, in commune legeremus: simul uterque deprehendimus nonnulla eum, vel perstrin-

xisse leviter, vel intacta penitus reliquisse : de quibus in alio opere latissime disputavit, quod scilicet non putaret rem magnam brevi sermone concludere. Igitur pro familiaritate quæ inter nos est, studiose et sedule postulasti, ut quæcumque mihi digna memoria videbantur, signis quibusdam potius quam interpretationibus annotarem. Et quod solent hi facere, qui in brevi tabella terrarum et urbium situs pingunt, et latissimas regiones in modico spatio conantur ostendere : ita in Psalterii opere latissimo, quasi præteriens aliqua perstringerem, ut ex paucis quæ tetigissem, intelligantur et cætera quæ omissa sunt, quam vim habeant atque rationem. Non quod putem a me posse dici quæ ille præteriit, sed quod ea quæ in tomis vel homiliis ipse disseruit, vel ego A digna arbitror lectione, in hunc angustum commentariolum referam. Psalterium Græcum est, et Latine organum dicitur, quod Hebræi NEBEL vocant. Psalmus dicitur, eo quod a psalterio nomen accepit, vel pro psallendo. Quamvis David omnes psalmos cantasset, tamen omnes psalmi in persona Christi pertinent, et qui prætitulati esse non videntur apud Hebræos, pro uno psalmo habentur. Nam per titulum intelligitur uniuscujusque psalmi intellectus. Quid est titulus, nisi [a] clavis? Ut ita dixerim, in domum non ingreditur nisi per clavem, ita et uniuscujusque psalmi intellectus per clavem, hoc est, per titulum intelligitur, in cujus persona cantatur, aut in persona Christi, aut in persona Ecclesiæ, aut in persona prophetæ.

[a] Sumpta ex Origene comparatio est, quam ipsemet ab Hebræo quodam didicisse se profitetur. Placuit et S. Hilario. Dicemus de ea nos postea ad Præfationem alterius *Expositionis Psalmorum*, quam itidem falso tributam Hieronymo subnectemus.

PSALMI INCIPIUNT EDISSERI.

PSALMUS PRIMUS.

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. Quidam dicunt hunc psalmum, quasi præfationem esse Spiritus sancti : et ideo titulum non habere. Alii in eo quod primus sit, ordinis sui habere principium, et πλεονασμὸν esse vitium eum primum dicere, ante quem nullus sit. Aliter : Apud Hebræos, et primus et secundus unus est psalmus, quod in apostolorum quoque Actibus comprobatur. Denique quia a beatitudine cœperat, in beatitudine desinit, dicens : *Beati omnes qui confidunt in eum.* Aliter : Beatus qui non cogitavit, non fecit, non docuit mala. Aliter : Beatus qui non est Judæus, gentilis, hæreticus. Aliter : Tertullianus, in libro de Spectaculis, asserit hunc psalmum et de Joseph posse intelligi, qui corpus Domini sepelivit, et de his qui ad spectacula gentium non conveniunt. *Et in via peccatorum non stetit.* Non dixit, et in via peccatorum non ambulavit : hoc quippe impossibile est ; quia nullus absque peccato, nec si unius quidem horæ fuerit vita ejus. Nullum sine peccato dicit : sed *in via peccatorum non stetit :* hoc est, qui non perseveravit in delicto, sed per pœnitentiam ad meliora conversus est. *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.* Pro pestilentibus in Hebræo *delusores* habet, quod scilicet omnes discipulos perversus doctor illudat. Unde Jeremias : *Non sedi*, ait, *in consilio ludentium* (*Jerem.* XV).

Sed in Lege Domini voluntas ejus. Tribus duo retulit, ut habeat voluntatem, et voluntati jungat et studium. *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Meditatio legis est, non solum in legendis Scripturis, sed etiam in his quæ scripta sunt faciendo. Justus igitur, sive manducet, sive bibat, sive dormiat, in nomine Domini omnia faciens, meditatur legem ejus die ac nocte.

Et erit tamquam lignum quod plantatum est, etc. Pro plantatum, *transplantatum* Aquila transtulit. B Lignum autem cui vir beatus comparatur, sapientiam puto, de qua et Salomon loquitur, *Lignum vitæ est his qui sequuntur eam* (*Proverb.* III). Sapientia autem per Apostolum Christus Dei Filius declaratur. *Christum*, ait, *Dei virtutem, et Dei sapientiam* (I *Cor.* 1), hoc est, Christo Filio Dei conformis utique factus corpori gloriæ ejus. *Quod fructum suum dabit in tempore suo.* Dabit enim fructum non quocumque tempore, sed præscripto : illo scilicet cum devictis potestatibus principatibusque tradiderit regnum Deo Patri, conformatus claritati corporis sui. Quod autem se arborem Dominus dici voluit, ait : *Aut facite arborem bonam et fructum ejus bonum* (*Matth.* XII). Quod lignum ita dixit : *Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet* (*Luc.* XXIII).

C *Et folium ejus non decidet.* Verba doctrinæ quæ ad salutem gentibus proficiunt, juxta illud Apocalypsis: *Et folia ligni hujus ad sanitatem gentium. Et omnia quæcumque fecerit, prosperabuntur* (*Apoc.* XXII). Judæi hunc psalmum dictum esse existimant de Josia : quod solus inter profanos reges non abierit in consilio impiorum, sed secutus sit legem Dei. Verum hoc quod modo lectum est, *et omnia quæcumque faciet prosperabuntur*, non solum de Josia, sed de nullo sanctorum accipi potest, nisi forte in futuro sæculo. Melius igitur de eo intelligimus homine, qui a Salvatore nostro assumptus est atque salvatus : non quo alium assumpsisse, alium assumptum esse testemur; sed quo unus atque idem Filius Dei et filius hominis, qui ante sæcula Verbum semper fuit, ipse postea et carnem est dignatus assumere.

D *Non sic impii, non sic.* Id quod secundo dicitur, *non sic*, in Hebræis voluminibus non habetur : sed ne in ipsis quidem LXX interpretibus. Nam in exemplis Origenis in Cæsariensi bibliotheca legens, semel tantum scriptum reperi. Inter impium et peccatorem hoc interest, qui impius est, negat Deum : qui pecca-

tor est, confitetur et peccat. Sicut justus vir comparatur ligno : sic impius comparatur pulveri. Qui justus est, ligno paradisi comparatur : qui autem impius est, pulveri comparatur.

Sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ. Pulvis licet de terra sit, tamen desinit esse terra. Tam infelix erit impius, ut nec terrenus quidem sit pulvis. Videtur quidem habere terræ substantiam, sed habet suam substantiam : nihil habet solidum, sed quod habet, ad pœnam habet. Huc illucque dispergitur, numquam in uno loco est, quocumque ventus traxerit, illuc ejus impetus dirigitur. Sic et impius, qui semel Deum negaverit, quocumque illum aura diaboli traxerit, illuc errore perducitur.

Ideo non resurgunt impii in judicio : Non quia non resurgant, sed quia in judicio non resurgant : [a] jam enim de his præjudicatum est. *Neque peccatores in concilio justorum.* Si non resurgunt peccatores in concilio justorum, diversa est peccatorum justorumque resurrectio.

Quia cognoscit Dominus viam justorum. Nihil aliud cognoscit Dominus, nisi quod notitia ejus dignum est. *Cognoscit quippe Dominus eos qui ejus sunt : et si qui nescit, nescietur* (*Tim.* II). Et ad peccatores dicitur : *Discedite a me, operarii iniquitatis, non novi vos* (*Luc.* XIII). Viam autem justorum illum puto esse qui loquitur : *Ego sum via* (*Joan.* XIV). De quo et propheta dicit : *Videte quæ sit via bona. Et iter impiorum peribit* (*Jerem.* VI). Quam clementer, non impii peribunt, sed impietas.

PSALMUS II.

Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania. Audacis est hunc psalmum interpretari velle post Petrum : immo de eo sentire aliud quam in Actibus apostolorum dixerit Petrus.

Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus. Non solum Herodes rex, sed etiam illi reges adversus Dominum constiterunt, quorum regna ei in puncto temporis diabolus ostendit.

Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus, etc. Quatuor præcedentes versus vel angeli, vel prophetæ sunt locuti, mirantes quare humana temeritas adversus Dei Filium consurrexerit. A quinto autem versiculo Dominus ipse respondit, cohortans populum gentilium, et omnes qui sibi ex Judæis credituri sunt, ut legalia vincula dissolvant, et grave onus Legis abjiciant, quod non potuerunt portare patres eorum, sed sequantur eum cujus jugum suave est, et onus leve.

Qui habitat in cœlis irridebit eos. Per humanæ sermocinationis exempla, affectus Dei discimus : non quo ille quempiam derideat, sed quod nos derisu digna faciamus. *Et Dominus subsannabit eos.* Subsannatio proprie rugata fronte, et contracto naso exprimitur. Absit itaque hoc nos de Deo corporaliter existimare, quod etiam in gravibus viris quidam reprehensione dignum arbitrantur.

Tunc loquetur ad eos in ira sua. De ira Dei et Lactantius librum pulcherrimum scripsit, et ipse Origenes creberrime disputat, non tam iram esse, quam necessariam correptionem, ut patris in filium, medici in ægrotum, magistri in discipulum. Ira autem patientibus videri potest, non quod Deus emendet iratus. *Et in furore suo conturbabit eos.* Sicut in Epistola ad Romanos : *Revelatur*, inquit, *ira Dei* (*Rom.* I), ut qui eam venturam intelligunt, studeant devitare : ita et in præsenti loco benigne, non ait, puniet : sed, turbabit, ut absque pœnis qui turbatus est, corrigatur.

Ego autem. Vox Christi. *Constitutus sum rex*, pro parte carnis dicitur. *Ab eo*, Deo patre. *Super Sion*, id est, super Ecclesiam. Sion, specula vitæ interpretatur. *Montem sanctum ejus*, mons est Ecclesia, vel ipse Christus, ut illud : *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Prædicans præceptum Domini* (*Isa.* II). Hoc est doctrinam Evangelii.

Dominus dixit ad me, filius meus es tu : ego hodie genui te. Jesus Christus est heri et hodie, et in æternum. Recte autem ei qui natus est in tempore, dicitur :

Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Ac si dicat : Dum Judæi te noluerunt recipere : omnes gentes tibi venient in hæreditatem.

Reges eos in virga ferrea. In dura disciplina Romanorum. Vel per virgam ferream, disciplina intolerabilis : quia corda illorum tortuosa erant. *Tamquam vas figuli confringes eos.* Vas figuli antequam in testam fuerit obduratum, si dissipetur, reformabile est. Lege Jeremiam (*Jerem.* XIX). Si autem semel testa fracta fuerit, nequaquam in integrum compingi potest. Verum quæ apud homines impossibilia sunt, apud Deum sunt possibilia. Figulus, Christus : vas, homo, ut est illud : *Sicut vas in manu figuli, sic vos in manu mea, dicit Dominus* (*Ibid.* XVIII). Aliter : Confringitur in pœnitentiam hic, vel in die judicii in ignem.

Nunc reges intelligite. Reges sæculi omnes vel reges sancti apostoli, intelligite ista supradicta. *Erudimini.* Hoc est, vosmetipsos, vel alios. *Qui judicatis terram*, sanctam Ecclesiam.

Servite Domino in timore. Timore dixit, ut elationem eis tolleret : quia reges eos appellarat. *Et exsultate ei.* Ut eos iterum confortaret, ut illud : *Gau-*

[a] Diximus a Servato Lupo, *in Collectaneo de tribus quæstionibus*, laudari hunc Hieronymi locum iis verbis : *Idem Doctor* (Hieronymus) *alio verbo sensum prædestinationis expressit in explanatione primi psalmi : Qui autem non credit, inquit, jam judicatus est ; jam enim præjudicatus ad pœnam est.* Confer nunc verum Hieronymum, Dialogo contra Pelagianos, num. 28 : *In primo*, inquit, *psalmo canitur*, quoniam non resurgunt impii in judicio. *Jam enim in perditionem sunt præjudicati.* Neque peccatores in consilio justorum ; *aliud enim est gloriam pendere resurgendi, aliud perire perpetuo.*

dete et exsultate, cum tremore: ut cum tremore essent, id est, tremore corporis, et timore animæ.

Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus. Pro eo quod in Græco dicitur, δράξασθε παιδείας: in Hebræo legitur NESCU BAR, quod interpretari potest, *adorate filium*. Apertissima itaque de Christo prophetia, et ordo præcepti, Adorate Filium; ne forte irascatur Dominus, hoc est, Pater. *Et pereatis de via justa.* Judæis qui noluerunt adorare Filium, iratus est Dominus, et perierunt de via recta. Via justa, vel recta, Christus est. In via sumus, quando mandata Dei implemus. De via perimus, quando ab eis declinamus.

In brevi ira ejus. Hoc est, in exitu uniuscujusque hominis. Vel brevi ira in die judicii, ut illud; *Cum enim dixerint homines, pax et securitas, tunc veniet eis*
B *repentinus interitus* (I *Thess.* V). *Beati omnes qui confidunt in eum.* Non in hominibus, neque in semetipsis, sed in Deum. Iste psalmus, ut præfati sumus, in beatitudinem terminatur, unde superior incipit, et ideo apud Hebræos pro uno habentur.

PSALMUS III.

Psalmus David, quando fugit a facie Absalom filii sui. Iste psalmus posterior est sequentibus plurimis, qui ad Saulis videntur historiam pertinere. Ante siquidem David a Saul est passus insidias, quam Absalom adversus eum arma corriperet. Sed quia propositum ei erat, ut non tantum de se referret quæ passus est, quam ut per exemplum sui omnes homines institueret, ideo primis secunda præposuit, ut tentationum ordinem doceat. Siquidem ante propter peccata corripimur, et postea propter
C virtutem probamur. In David vero tentationum ordo mutatus est. Sub Saul persecutione, innocens fuit: sub Absalom, manifestissime criminis reus tenetur, Uria interfecto. Lege quinquagesimi psalmi titulum, et intelliges eum juxta ordinem priorem esse quem tertium.

Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me, multi exsurgunt adversum me. Potest hic psalmus et ad David, et ad Christum, et per eum, ad omnes sanctos pertinere.

Exaudivit me de monte sancto suo. Montem sanctum puto unigenitum esse Filium Dei, ad quem in novissimis diebus populi confluituri sunt, Isaia et Michæa hoc ipsum vaticinantibus. Sed et de Ecclesia intelligitur, quia non potest civitas abscondi super montem posita.

D *Ego dormivi, et soporatus sum, et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.* Quasi somnus, inquit, et locus ejus persecutio.

Non timebo millia populi circumdantis me. Et David potest hoc de Absalom, et exercitu ejus dicere: et Dominus de Judæis frementibus adversum se, et clamantibus: *Tolle, tolle, crucifige eum* (*Joan.* XIX).

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa. Percutit Dominus, et vineas alienigenarum in grandine, et Salvator, qui pro nobis factus est omnia, percussus a Patre scribitur: *Percutiam pastorem, et oves dispergentur* (*Zach.* XIII). Pro *sine causa* autem, *maxilla* legitur in Hæbræo, id est, LECHI. Et quia maxillam præmiserat, consequenter infertur. *Dentes peccato-*
A *rum contrivisti.* Respondeant ergo amici solius historiæ, quomodo Deus maxillam percutiat, et confringat dentes peccatorum, pugilum contra se more certantium. *Dentes peccatorum contrivisti.* Principes Judæorum: dentes, vel hæretici doctores, vel verba ipsorum.

Domini est salus. Hoc est, non ab homine, sed a Deo. Ipse solus potest, et per ipsum a morte in vitam transire. *Et super populum tuum.* Hoc est, populum Christianum. *Benedictio tua.* Populo credentium benedictionem infundit: transmittens eis Spiritum sanctum, vel in futuro quando dicturus erit: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV).

PSALMUS IV.

In finem in carminibus, psalmus David. In finem, id est, in Christo. Finis enim Legis Christus ad justitiam omni credenti. In carminibus, hoc est, in laudibus. Psalmus David, hoc est, laus Christi.

Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ. Incongruum est hoc de David accipere, ut qui in superiori psalmo propter occisionem Uriæ pene est interfectus a filio, nunc audeat dicere: *Exaudivit me Deus justitiæ meæ.* Totus itaque psalmus ad Christum, et per Christum ad justos referendus est. Horum simile quid etiam Jacob locutus est, dicens: *Exaudiet me cras justitia mea* (*Genes.* XXX).

In tribulatione mea dilatasti mihi. Miserere mei, et exaudi orationem meam. Licet mihi auxilium tuleris, et in tribulatione mea dilatasti mihi: tamen ego
C misericordia tua semper indigeo.

Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium. Diapsalma. Verbum SELA, LXX interpretes, Symmachus et Theodotio, *diapsalma* transtulerunt. Aquila vero, *semper;* et puto aut musici cujusdam soni esse signaculum, aut certe perpetuitatem eorum quæ prædicta sunt, indicari, ut ubicumque SELA, hoc est, *diapsalma*, sive, *semper* apponitur, ibi sciamus non tantum ad præsens tempus, verum ad æternum, vel quæ sequuntur, vel quæ præcesserint, pertinere.

Quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini. Quod in die cogitando peccatis, nocte expiate per lacrymas.

Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino. Sacrificium Deo immolate justitiam, et conse-
D quenter sperabitis in Domino.

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. In cujus facie lumen Domini signatum est, iste revelata facie gloriam Domini contemplatur. Tale signum et in gementium frontibus in libro Ezechielis prophetæ notari Dominus præcepit (*Ezech.* IX).

A fructu frumenti, et vini eorum repleti sunt. Id quod in pluribus codicibus invenitur, *et olei eorum*, cum vetustum Origenis exemplum Psalterii revolverem, quod ipsius manu fuerat emendatum, nec in Hebræo, nec in cæteris editionibus, nec apud ipsos Septuaginta interpretes reperi.

PSALMUS V.

In finem pro ea quæ hæreditatem consequitur, psalmus

David. De Ecclesia quæ in fine et consummatione A mundi hæreditatem consecutura est universis nationibus Christo credentibus, psalmus iste contexitur. Denique et ex persona ejus oratio ad Dominum dirigitur.

Verba mea auribus percipe, Domine. Nullus habet hanc fiduciam nisi Ecclesia. Qui peccator est, non est ausus dicere : *Verba mea auribus percipe, Domine*; qui irascitur et maledicit, non est ausus dicere : *Verba mea auribus percipe, Domine*; sed optat ut Deus claudat aures suas. *Intellige clamorem meum*, etc. Clamor in Scripturis non vocis, sed cordis est. Denique ad Moysen dicitur : *Quid clamas ad me* (*Exod.* XIV)? cum Moyses ante non clamasset. *Intellige clamorem meum*. Et Apostolus : *Clamantes in cordibus nostris, abba pater* (*Galat.* IV). Utique qui clamat, non in corde clamat, sed in lingua clamat. B Et quomodo dicit Apostolus, *clamantes in cordibus nostris*? Quando igitur gemitus noster, et conscientia deprecatur, istum clamorem intelligit Deus. Unde dicit et Jeremias : *Non sileat pupilla oculi mei* (*Thren.* II). Videte quid dicat : *Non taceat pupilla oculi mei*: et aliquando pupilla oculi clamat ad Deum. Utique si clamat, lingua clamat, non pupilla oculi. Sed quomodo clamamus in cordibus nostris, quando cum gemitu Dominum deprecamur : sic quando lacrymas ad Deum fundimus, eo tempore pupilla oculi nostri clamat ad Dominum. *Rex meus, et Deus meus*. Ille vere ausus est dicere, *Rex meus et Deus meus*, cui non regnat peccatum in mortali corpore. *Rex meus et Deus meus*, quia regnas in me, et non regnat peccatum : propterea Deus meus es. Tu es Deus meus : C quia non est venter Deus meus : quia non est aurum Deus meus : quia non est libido Deus meus. Quoniam tu virtus es, et ego cupio habere virtutes, propterea tu es Deus meus, hoc est, virtus mea.

Mane exaudies vocem meam. Quidam simplicius interpretantur, hoc est, exsurgo diluculo ad orandum, et deprecor te. Et quæ est ista interpretatio, qua dicitur, mane nos exaudit, vespere non exaudit, media nocte non exaudit. Sed videte quid dicat : Quamdiu in tenebris erroris sum, non me exaudit. Quando vero sol justitiæ venerit in corde meo, tunc me exaudit : *mane exaudies vocem meam*. Non dixit, tertia hora, non dixit sexta hora, non dixit plena luce; sed videte quid dicat : *Mane*, statim ut tenebræ fugere cœperint, exaudis : statim in principio D boni operis me exaudis, non quæris finem. Est enim meum velle, tuum perficere. *Mane astabo tibi*. Videte ordinem, mane, non vespere, non in tenebris, sed mane. *Mane astabo tibi* : stabo constanter, et imitabor Moysen. *Mane astabo tibi* : tibi astabo, non aliis. Cum autem mane fuerit, et stetero, et tibi stetero, tunc merebor te videre. *Et videbo*. Subauditur, te videbo, multi male legunt, et dicunt, καὶ ἐπόψεται : sed sciamus errorem esse; sic dicitur, καὶ ἐπόψομαι hoc est, *videbo*, ut sic ordo quem diximus, incipiente luce virtutum in anima mea, quando stare tibi cœpero, non sedere, non jacere, sed stare : et statues supra petram pedes meos, tunc per istos gradus merebor te videre. *Quoniam tu es Deus non volens iniquitatem*. Propterea non me exaudies plena luce, sed mane, quoniam non vis, Deus, iniquitatem. Cum enim recedere cœpero ab iniquitate, statim merebor exauditionem tuam.

Neque habitabit juxta te malignus. Quando aliquis recedit a nobis qui malus est, gratulemur, hoc in nobis fit quod factum est et in Domino. Videte enim quid dicat Spiritus sanctus : *Neque habitabit juxta te malignus*, quæ enim communicatio luci et tenebris? qui consensus Christo et Belial? quando ergo recedunt aliqui ex nobis, dicamus et nos : *Exierunt ex nobis, sed non fuerunt ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum* (I *Joan.* XII). Dicitur ad Deum : *Non habitabit juxta te malignus*. Si enim Deus ignis est, et ignis consumens, quicumque stipula est, quicumque lignum est, fugit ab igne, ne consumatur ab igne. *Neque permanebunt injusti ante oculos tuos*. Quando dicitur, neque permanebunt, ostenditur quod aliquando manserint. Manserunt autem aliquando injusti ante oculos Dei : manserunt Deo exspectante pœnitentiam ipsorum; sed quoniam permanserunt injusti, propterea non permanserunt ante oculos Dei.

Odisti omnes qui operantur iniquitatem. Infelix est, quem odit Deus. Quis est ille quem odit Deus? qui operatur iniquitatem. Si enim omnes peccamus, et quicumque peccat, odio habetur a Deo, ergo odio habemur a Domino. Si autem odio habemur a Domino, quomodo gratia salvati sumus? Odisti omnes qui operantur iniquitatem. Non dixit qui operati sunt iniquitatem, sed *qui operantur iniquitatem*. Qui perseverant in peccato, illi odio habentur a Domino : qui autem dimiserunt, illi amantur a Domino : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*. Rem novam video. Qui malum operatur, odio habetur : qui mentitur, perit. Videamus quid sit plus, odio haberi a Domino, an perire. Infelix quidem est qui odio habetur a Domino, sed adhuc vivit. Qui autem loquitur mendacium et perit, jam esse desistit. Ergo infelicior est, qui mendacium loquitur, quam ille qui operatur iniquitatem, qui enim operatur iniquitatem, odio habetur : qui autem loquitur mendacium, perit. *Os enim, quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I). Et quomodo scriptum est : *ut sit Deus verax, omnis autem homo mendax* (*Rom.* III). Si autem quicumque loquitur mendacium, jam perit, et occidit animam suam : omnes autem mentimur, ergo omnes peribimus? Hoc autem quod dicit : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, et ex consequentibus psalmi, et ex ipso ordine intelligere possumus, quia de hæreticis dicit : *Qui enim operatur iniquitatem*, suam tantum animam occidit : qui autem hæreticus est, et loquitur mendacium, tot occidit homines, quot induxerit.

Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus. Vir sanguinum, omnis hæreticus est, quotidie animarum sanguinem fundit. Recte dixit dolosum : et homicida est, et dolosus.

Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ, introibo in domum tuam. Illi in iniquitate sua egrediuntur de domo tua, ego in tua misericordia ingrediar in domum tuam, Introibo in domum tuam, quæ est Ecclesia.

Adorabo ad templum, etc. Ipsa est domus quæ et templum.

Domine, deduc me in tua justitia. Ego autem cupio intrare in domum tuam et volo intrare per viam tuam rectam; sed quoniam continuata semitis scandala ponunt inimici mei, et mihi in domum tuam ire cupienti, laqueos ponunt in itinere; propterea, quæso te, ut dirigas pedes meos usque ad finem. Meum est pedes ponere in via tua : tuum est corrigere gressus meos : *Propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.* Hoc est, viam tuam rectam fac propter inimicos meos, qui insidiantur mihi. Quæ est autem ista via? Lectio Scripturarum, hoc est, ne in Scripturis tuis, per quas ingredi cupio in Ecclesiam tuam, corruam. Omnis enim qui male intelligit Scripturas, in via Dei corruit.

Quoniam non est in ore eorum veritas. Describuntur hæretici, describitur vir sanguinarius et dolosus, quem abominabitur Dominus. *Non est in ore eorum veritas.* Non habent Christum veritatem in ore suo, quia nec in corde habent. *Cor eorum vanum est.* Melius habetur in Hebræo ἐπίβουλον. Vere enim insidiatur cor hæreticorum omnibus quos decipit.

Sepulcrum patens est guttur eorum. Infelices sunt hæretici, qui sepulcra sunt dealbata, plena ossibus mortuorum. *Sepulcrum patens est guttur eorum.* Arius, Eunomius, et cæteri hæretici linguas sagittas habent : fauces suas sepulcrum habent. *Sepulcrum patens est guttur eorum.* Et recte dixit, *patens* quandocumque enim vult aliquis deceptus intrare, paratus est hæreticus, et suscipit. Numquam hæretici claudunt os suum, sed semper aperiunt os suum. *Linguis suis dolose agebant.* Aliud in corde tenebant, aliud in sermone pollicebantur. Pietatem loquebantur, et impietatem celabant. Christum loquuntur, et occultant Antichristum. Sciunt enim quod nemo possit induci, si proferant Antichristum. Lucem proferunt, ut celent tenebras, ut per lucem ducant ad tenebras. *Judica illos, Deus.* Sciunt te judicem, sciunt te respicere res humanas. Qui judicaturus in fine es, etiam in præsenti judica. Qui generaliter judicaturus es, nunc ex parte judica. Qui patrem sentire nolunt, sentiant judicem. Judica illos, Deus. Quare? qua de causa? Sequitur :

Decidant a cogitationibus suis. Si enim in præsenti reddideris illis quod merentur, incipiunt recedere a malis cogitationibus suis : quamdiu te judicem non sentiunt, non timent. *Decidant a cogitationibus suis.* Egregie dixit, *a cogitationibus suis.* Quotidie enim hæretici immutant dogmata sua. Denique si vir ecclesiasticus de Scripturis eruditus contenderit contra eos, et Scripturis sanctis coarguerit eos, statim requirunt, quomodo aliud novum dogma reperiant. Non quærunt quomodo salventur, sed quomodo superent. Propterea nunc dixit. Decidant a cogitationibus suis, et te habeant unam cogitationem.

Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos. Non dixit, unde eos expellat : de cœlo eos expellat, de terra eos expellat : unde eos expellat Scriptura non dicit : sed ὑπερβατὸν est, et ὕστερον πρότερον. Debemus ergo legere : *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos.* Quod dicit, hoc est : Ab impietatibus suis multis propter tuam misericordiam expelle eos, hoc est, non sint in multis impietatibus suis. Potest et aliter interpretari : Quoniam plurimum impii fuerunt et noluerunt decidere a cogitationibus suis, et impietates impietatibus augent, et quotidie congregant, et plures habent impietates, propterea expelle eos. Unde? Ab ea quæ hæreditatem consequitur. Tu expelle eos inde, ut quoniam fidem non habent Ecclesiæ, ne versentur in ea. *Quoniam irritaverunt te, Domine.* Tu, Domine, per naturam dulcis es, sed quicumque peccatores sunt et hæretici, naturam tuæ dulcedinis vitio suo vertunt in amaritudinem.

Et lætentur omnes qui sperant in te. Illi pereant, et ecclesiastici lætentur. *In æternum exsultabunt.* Hic, *in æternum*, non de præsenti sæculo debemus dicere, sed de futuro. Denique non dixit, in sæculo exsultant, sed *exsultabunt*, de futuro dicitur. Hic enim tristitia est, ibi vero lætitia. Hæretici de præsenti rident, sed in futuro lugebunt. Nos vero in præsenti lugemus, ut in futuro rideamus. *In æternum exsultabunt.* Quæ erit exsultatio sanctorum virorum? *Et inhabitabis in eis.* Felices erunt qui Christum hospitem habere merebuntur : felices qui tabernaculum Christi erunt.

Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum. Quicumque diligit Deum, gloriabitur in Domino. *Qui diligunt.* Non dixit, qui timent, sed, *qui diligunt.* Ubicumque enim timor est, ibi non est dilectio. *Perfecta* quippe *dilectio foras mittit timorem. Quicumque enim* diligunt nomen Domini, illi gloriabuntur. *Gloriabuntur.* Futura est beatitudo nostra : totum quod promittitur de futuro est. Alii regnent; alii possideant; alii glorientur. Nos hic sumus miseri, ut postea felices simus. Sequamur Christum Dominum nostrum. *Qui dicit se in Christo credere, debet quomodo ille ambulavit, et ipse sic ambulare.* Christus Dei Filius non venit ut ministraretur, sed ut ministraret. Non venit ut imperaret, sed ut serviret. Non venit ut lavarentur illi pedes, sed ut lavaret pedes discipulorum. Non venit ut cæderet, sed ut cæderetur. Non dedit alapam, sed accepit. Non crucifixit, sed crucifixus est. Non alios occidit, sed ipse passus est. Pauper fuit, ut nos divites faceret. Ille accepit pro nobis plagam, ut nos verberati non doleremus. Quotiescumque cædimur, præbeamus maxillam, dorsum opponamus, imitemur Christum. Qui cæditur, Christum imitatur : qui cædit, Antichristum. Hoc totum quare dico? Ut in præsenti sæculo quod sustinemus, pro Christo glorificemus nomen Domini. Dum loquimur, dum ambulamus, repente subtrahimur. Ego ipse qui vobis hodie loquor, die crastina qui de me futurum sit,

nescio. Si venerit levis febricula, ubi est ista vox? Ubi est superbia? Repente vertitur in cinerem. Quid gloriatur terra et cinis? Secundum corporis naturam, terra et cinis sumus. Terra es, et in terram ibis; et terra gloriatur contra factorem suum. Sequitur.

Quoniam tu benedices justo. In futurum ergo differtur beatitudo.

Domine, ut scuto bonæ voluntatis, etc. Apud sæculum aliud est scutum, aliud corona: apud Deum vero ipse est scutum, ipse est et corona, quasi scutum protegit, quasi Deus coronat, ipse est scutum nostrum, ipse est et corona nostra: et ob hoc dicit: *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Protexisti nos scuto tuo, et protectio tua corona nostra fuit, hoc est, corona nostra scutum tuum fuit, id est, nostra victoria. Corona enim victoria interpretatur. Gratias agamus Deo, et deprecemur illum, ut in bona voluntate sua ipse sit scutum et corona nostra, ut numquam recedamus ab eo, ut sequamur illum, et dicamus cum Jeremia: *Et post te subsequens non laboravi, Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos* (*Thren.* I). Scuto protegimur, et cum perfecti fuerimus, coronamur.

PSALMUS VI.

In finem pro carminibus pro octava psalmus David. Iste et undecimus psalmus, pro octava inscriptionem habent, resurrectionis, et pœnitentiæ, ac per hoc salutis nostræ mysterium continentes. In quo humanum genus postulat, ut corrigamur quidem et judicemur a Deo, sed non in ira et in furore ejus. Longum est de sacramento hujus numeri plura exempla revocare. Octo animæ ingressæ sunt in Arcam Noe, quæ in diluvio salvatæ sunt. Octavus filius Jesse David fuit, qui et desperatur a patre, et a Deo solus eligitur. Octavo die circumciduntur primogenita, et immunda esse desistunt. Zacharias quoque pater Joannis octava die circumcisionis filii sui loquitur. Et post dies octo sive sex (utrumque enim in diversis evangelistis legitur) Dominus transformatur in monte, ut sic octonarius in sexto numero contineatur, quomodo nunc in sexto psalmo, inscriptio ponitur ogdoadis.

Domine, ne in furore tuo arguas me, etc. Pœnitentiæ psalmus est, et non emendari refutat et corripi, sed in furore et in ira, quia infirmus sit, et turbata sint ossa ejus. Et aliquando prius furor est, et postea ira; sed maxime unum est. Tamen furor in præsenti, ira in futuro.

Miserere mei, Domine. Vox Ecclesiæ. Miserere mei, quia miser sum. Et ipse misericordiam Dei invenit, qui se miserum confitetur. *Quoniam infirmus sum, sana me, Domine.* Ac si dicat: infirmus sum pro peccato: sana me, quia medicus es. Ego sum ægrotus, tu es medicus. Ego habeo infirmitatem, tu habes sanitatem. Ego sum infirmus per peccatum, tu sana per misericordiam.

Quoniam conturbata sunt omnia ossa mea. Ac si dicat: omnes virtutes, quæ ossa appellavit, in primo homine transgressæ sunt, sive perditæ. *Anima mea exinde turbata est.* Per pœnitentiam ut emendemur.

Et tu, Domine, usquequo. Subauditur, usquequo A animam meam quæ est conturbata vehementer, non eripis, non corrigis, non emendas?

Convertere, Domine, et eripe animam meam. Nisi animam nostram ante converterit, non eam potest eruere de periculo. Vel illud: Domine, qui avertisti vultum tuum a nobis, convertere et nos videre dignare, et erue animam nostram.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui. Non enim mortui laudabunt te, Domine, sed nos qui viventes sumus, quia non est Deus mortuorum, sed vivorum. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Non pro impossibili, sed pro raro posuit. In omnibus enim Dei judiciis delectatur sanctus, et laudat judicia ejus.

Laboravi in gemitu meo. Miserere mei, quia hæc et B hæc quæ sequuntur, feci. *Lavabo per singulas noctes lectum meum.* Qui quotidie lacrymis stratum rigat, non potest in cogitatione ejus libidinum pompa surrepere. *In lacrymis meis stratum meum rigabo.* Quanta multitudo lacrymarum, ut stratum ejus lacrymis rigatum sit.

Turbatus est a furore oculus meus. Ubi sunt amici litteræ? Certe oculus iste corporeus ibi ab ira non conturbatur, nisi forte in tantam rabiem extollimur, ut vultus quoque nostri et ora mutentur. Ille itaque turbatur oculus: qui si scandalizatus fuerit, eruetur. Non autem ait: Ab ira mea turbatur oculus meus: sed, ab ira tua. O Deus, per quem supplicia mihi timeo præparata: turbata est mens mea, et totum cordis mei principale contremuit. *Inveteravi in* C *omnibus inimicis meis.* Non nova adversum me inimici bella gerunt, meus hostis antiquus est. Aliter: Pubertatem ejus hominis qui renovatur de die in diem, non possum consequi: quia veterem hominem cum vitiis et concupiscentiis ejus inimicis meis adversum me porto pugnantibus.

Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem. Postquam ipse misericordiam consecutus est, cæteros docet, vel cohortatur, ut a se abeant. Non enim vult iniquorum habere consortium. Simul autem et illud notandum est, quod jam superius diximus: quod non eos qui operati sunt iniquitatem; sed qui operantur, a se jubeat recedere.

Convertantur et erubescant valde velociter. Non contra inimicos, sed pro inimicis orat: ut convertan- D tur et erubescant a peccatis suis: et erubescant non leviter, sed vehementer: nec recrastinato tempore, sed cito.

PSALMUS VII.

Psalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Jemini. Plerique, et maxime hi qui Hebræi sermonis scientiam non habent, hunc psalmum arbitrantur eo tempore esse cantatum, quo Chusi filius Arachi, amicus David, destruxit consilium Achitophel: et ad eum nuntios misit, ne in eremo ultra sederet, sed procul fugeret, ne opprimeretur a filio. Verum sciendum est vehementer errare. Primum, quod nomen Chusi per *samech* litteram scriptum est: hic vero per *sin.* Deinde quod numquam David qui Joab et cæteris ducibus exercitus sui præceperat, dicens: *Parcite puero Abessalon* (II *Reg.* XVIII), de morte filii loquere-

tur : *Concepit dolorem, et peperit iniquitatem : Lacum aperuit et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit :* maxime qui, morte ejus audita, operuit caput suum, et ejulans clamaret : *Filius meus Abessalon, filius meus Abessalon.* Ad extremum quod illic Chusi, amicus David, filius Arachi scriptum est : hic vero filius Jemini. Sciendum itaque Chusi interpretari, *Æthiopem :* et totum psalmum contra Saul esse conscriptum, qui persequebatur eum ; et in foveam quam foderat, ipse incidit. Quem Æthiopem vocat, propter sanguinarios, et tetros, et crudeles mores. Jemini vero, *familia*, quod ad tribum pertineat Benjamin, de qua Saul ortus est, Regnorum libri testimonio sunt, in quibus Scriptura commemorat : *Et erat vir de filiis Benjamin, et nomen ejus Cis, filius Abihel, filii Sareth, filii Bechor, filii Aphi, filii viri Jemini, vir potens, et huic filius, et nomen ejus Saul* (I *Reg.* IX). Semei quoque ille qui lapides et pulverem in David jaciebat, de familia Saul, hoc est, Jemineus fuit : B sicut in eisdem libris scribitur ; *Egrediebatur vir de propinquitate domus Saul, et nomen ei Semei, filius Gera* (II *Reg.* XVI) ; de quo postea David loquens inducitur : *Ecce filius meus qui egressus est de ventre meo, quærit animam meam : et quanto magis nunc filius Jemini?* Aquila hunc locum ita interpretatus est. *Pro ignoratione David, qui cecinit Domino pro verbis Æthiopis :* Symmachus in hunc modum : *Pro ignoratione David, quod cecinit Domino pro verbis Chusi filii Jemini.* Hæc omnia latius executus sum, quia eruditissimi viri putaverunt hunc psalmum non contra Saul, sed contra Abessalon esse compositum, quod pro parte non esse monstravi.

Domine Deus meus, in te speravi, etc. Non speravi in gladio meo : non speravi in virtute mea; sed speravi in auxilio tuo.

C *Ne quando rapiat ut leo animam meam*, etc. Hoc convenit Sauli, Abessalon non convenit. Quomodo enim poterat Abessalon leonem vocare, de quo dicit : *Parcite puero meo Abessalon?* Si ibi illum puerum vocat, et quasi infantulum et ignorantem : quomodo hic leonem vocat? Hoc interim secundum historiam, et multa sunt quæ dicantur, et totus psalmus in persona Saul interpretari potest. Cæterum quia nobis curæ est, non solum secundum historiam, sed et secundum spiritualem intelligentiam interpretari ; Chusi istum Æthiopem non alium, nisi diabolum interpretamur. Quæritur, iste Chusi quomodo filius sit Jemini : quomodo diabolus Æthiops filius est dextræ? Quod Æthiops, vitio suo est : quod filius dextræ est, creatus a Deo : recte de isto dicitur : *Ne* D *quando rapiat ut leo animam meam.* Adversarius noster diabolus quasi leo rugiens, circuit quærens quem rapiat.

Domine Deus meus, si feci istud. Ecce vir princeps mundi istius : et in me non invenit quidquam. *Si est iniquitas in manibus meis.* Quia peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus.

Si reddidi retribuentibus mihi mala. Saul bis in manus ejus traditus est, quem noluit interficere, dicens : *Non tangam Christum Domini* (I *Reg.* XXIV). Hoc est ergo non restituere ei pro malis mala : qui sibi pro bonis mala restituebat. Si, inquit, inimicis meis mala reddidi pro malis, non resurgam : et si pro malis mala quæsivi, illi pro bonis mala restituent.

A *Decidam merito ab inimicis meis inanis.* In Hebræo pro inani RECAM scribitur. Unde intelligimus id quod in Evangelio continetur : *Qui fratri suo dixerit, raca et fatue* (*Matth.* V), quam habeat interpretationem.

Persequatur inimicus animam meam, etc. Novissima animæ inimica destructa est mors. *Et conculcet in terra vitam meam.* Non potest conculcari, quia non fecit supra dicta. *Et gloriam meam in pulverem deducat.* Si, inquit, inimicis meis mala reddidi pro malis, non resurgam.

Exsurge, Domine, in ira tua. Quoniam te non senserunt per beneficia, sentiant per iracundiam. *Et exaltare in finibus inimicorum meorum.* Pro inimicis rogat, ut in inimicorum finibus exaltetur. Cum inimici esse cessaverint, tunc tu, Domine, exaltaberis in eis.

Et exsurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandasti, etc. Hoc nos dicimus : hoc credentes loquimur. Semper enim personæ mutantur in Psalmis. Multum est nunc si velimus dicere in quot, quantæ personæ mutentur. *Exsurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandasti ;* hoc nos dicimus, pro nobis passus es, crucifixus es ; exsurge, et salva nos. Propterea exsurge, ut credat in te plurima multitudo. Cum ergo exsurrexeris, quid aliud deprecamur, nisi revertere ad patrem?

Et propter hanc in altum regredere. Pro qua? pro synagoga populorum. Quod mortuus es, pro nobis mortuus es : quod resurrexisti, nobis resurrexisti, quod ascendisti ad Patrem, nobis ascendisti. *Et propter hanc in altum regredere.* Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis, qui est in cœlis.

Judica me, Domine, secundum justitiam meam, etc. Hoc David dicere non potest : hoc proprie Salvatori convenit, qui non peccavit.

Consumetur nequitia peccatorum, et diriges justum. Non potest mea justitia dirigi, nisi illorum iniquitas impleta fuerit, videlicet Judæorum.

Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit. Iste locum duplicem recipit intelligentiam. Multi enim putant de Deo dictum, ut dicatur ad peccatores. Et quid dicit? *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit :* hoc est, nisi egeritis pœnitentiam, Dominus vos gladio suo percutiet. Sed videamus si consequentia aptari possint personæ Domini. *Arcum suum tetendit*, etc. Hoc potest dici de Deo. *Et in illum paravit vasa mortis.* Hoc difficile est ; Dominus enim non habet vasa mortis, sed vasa vitæ. Sed et hoc potest intelligi super persona Salvatoris. Hoc vero quod sequitur :

Ecce parturiit injustitiam, etc. Hoc est, ut hæretici in contemptum Dei concitarentur.

Lacum aperuit, etc. Quo eos perderet. *Et incidit in foveam quam fecit.* In fovea enim mortis quam patefecerat, ipse prior periit : sicut de Ario scriptum est : hoc est, nisi conversi fueritis, nisi egeritis pœnitentiam, semper diabolus paratum habet arcum,

emittit sagittas, quibus nos percutiat. Quorum enim corda ardent libidine, vitiis, et passionibus : isti victi sunt a diabolo. *Sagittas suas ardentibus effecit.* Pulchre dixit, ardentibus : non dixit, arsuris : hoc est, qui arsuri sunt sagittis ipsius : sed quorumcumque corda ardere viderit, illos percutit. Dicit enim Apostolus ardentes habere diabolum sagittas (*Ephes.* VI). *Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem.* Diabolus sic concipit, sic parturit, sic nutrit, sic exaltat. *Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit.* Diabolus ipse est lacus, ipse est fovea. *Lacum aperuit.* Sed quoniam non potest aquam continere secundum Jeremiam : propterea lacus illius versus est in foveam. Omnia conciliabula hæreticorum, foveæ diaboli sunt. Sed quod superius præterivimus : *Scrutans corda et renes Deus, justum adjutorium meum a Deo :* in Hebræo ita scriptum est : *Scrutans corda et renes Deus justus :* ut postea consequatur : *Adjutorium meum a Deo, qui salvos facit rectos corde. Numquid irascetur per singulos dies?* Melius pro hoc in Hebræo habetur : *Comminatur in omni die*, quod Aquila quoque transtulit. Et pulchre ait : *Comminans et infrindens in omni die.* Qui enim propter patientiam suam ita delicta non punit : quasi iratus et comminatus, diem ultionis exspectat, ut metu corrigat delinquentem. Exsequamur ordinem.

Convertetur dolor ejus in caput ejus, etc. Quomodo si aliquis mittat in altum lapidem, et non sit cautus, et lapis venerit in caput ejus, suo vulnere vulneratur : sic et diabolus occiditur sua superbia, exaltatur, et corruit. Modo exaltare vult caput, et non potest : quoniam convertetur dolor ejus in caput ejus, et deprimet illum. Diabolus secundum regulam Scripturarum lectus est in Genesi : ipse est coluber, ipse serpens, qui loquebatur ad Evam : quoniam totus terræ hæret. Cætera animalia licet ambulent in terra (*Gen.* III), tamen non omne corpus in terra jacens habent : licet habeant pedes in terra, tamen aliam partem corporis sursum habent. Cæterum diabolus, hoc est, serpens et coluber antiquus, secundum Isaiam totus in terra est (*Isai.* XIV) : et caput et reliquum corpus æquale habet. *Revertetur dolor ejus in caput ejus et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.* Vide quid dicat : et in caput ejus, et in verticem capitis. Cum autem iniquitas caput premit, et verticem premit, ubi est potentia diaboli? Iste finis diaboli. *Revertetur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.*

Confitebor Domino secundum justitiam ejus. Qui non permisit timentes se disperdi. *Et psallam nomini Domini altissimi.* Qui nos a lamentis tristitiæ, in gaudia sempiterna perduxit.

PSALMUS VIII.

In finem pro torcularibus, psalmus David. Tres pro torcularibus psalmi diversorum hominum præscribuntur : David, Asaph, filiorum Chore, et qui ad mysterium Ecclesiæ pertinent : propterea octavum et octogesimum numerum tenent. Quod autem octogesimus, tertius extremus est psalmus, qui pro torcularibus prænotatur, hoc ostendit in Trinitate sacramentum resurrectionis Ecclesiæ contineri.

Domine Dominus noster. Prius nomen Domini apud Hebræos quatuor litterarum est, *jod, he, vau, he :* quod proprie Dei vocabulum sonat : et legi potest IAHO, et Hebræi ἄρρητον, id est, ineffabile opinantur. Secundum vero ADONAI, omnium commune est, quod sæpe et in hominibus ponitur. *Quam admirabile est nomen tuum in universa terra.* Quod pro nobis homo factus es, quod mortuus, quod resurrexisti, in cunctis gentibus est vulgatum.

Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos. Quod post resurrectionem cœlos cum triumpho gloriæ conscendisti.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. Licet per seniorum Prophetarum doctrinam, multa sint quæ Domini contineant laudem : tamen hunc versiculum in Evangelio completum ipse Dominus esse declarat, clamantibus pueris : *Osanna filio David* (*Matth.* XXI). *Propter inimicos tuos.* Ad confusionem Judæorum. *Ut destruas inimicum et ultorem*, Hæreticum, qui cum nequitia sua impugnat Ecclesiam, defendere eam tamen assimulat.

Quoniam videbo cœlos opera digitorum tuorum. Cœlos Scripturas intelligimus sanctas : quæ per Dei digitum, hoc est, per Spiritum sanctum sunt prolatæ. *Quoniam videbo cœlos opera digitorum tuorum.* Qui se visurum esse promittit, necdum præsentem videt. *Videbo*, inquit. Tunc enim etiam rationem operis ejus cursumque cognoscam. Aliter videt gubernator navim : aliter medicus ægrotantem, aliter picturam pictor, quam imperitorum rudes oculi. *Lunam et stellas quæ tu fundasti :* Ecclesiam, vel doctores ejus.

Quid est homo quod memor es ejus? Quale meritum stat hominis, ut memor ejus factus, pro ejus redemptione susciperes carnem. *Aut Filius hominis, quoniam visitas eum.* Filius Dei, factus est Filius hominis : id est, Filius virginis Mariæ : qui visitatavit corpus humilitatis nostræ, quod assumere est dignatus.

Minorasti eum paulo minus ab angelis. In Hebræo pro eo quod est, *ab angelis*, qui dicuntur MALACHIM, *Deum* habet, hoc est ELOHIM. Hunc locum Apostolus in Epistola ad Hebræos super Christo interpretatur. (*Heb.* II). *Gloria et honore coronasti eum.* Gloria cum in ejus descensu inferi claruerunt; honore cum vicit mortem; corona, cum circumdatus sanctorum choro, triumphans rediit ex inferno. *Et constituisti eum super opera*, etc. Ut sint ei subjecta præter eum qui illa sibi subjecit.

Omnia subjecisti pedibus ejus. Cum ascenderet ad cœlos. *Oves et boves universas.* Animas sanctas, fructum innocentiæ operantes. *Insuper et pecora campi.* Inferioris meriti homines.

Volucres cœli. Qui per superbiam, iniquitatem in excelso loquuntur. *Et pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Qui per nimiam curiositatem non con-

templantes cœlestia : inter hujus sæculi fluctus putant esse vitam æternam.

Domine Dominus noster, quam admirabile est, etc. De beatitudine incipit, vel de laude et in laudem terminatur. Hoc admiratur Ecclesia, quomodo sancti voluntarii pro nomine Christi patiuntur, vel quomodo sumus omnes a Creatore mundi redempti.

PSALMUS IX.

In finem pro absconditis filii, psalmus David. Licet Aquila pro *absconditis filii*, *adolescentiam filii* posuerit : tamen sciendum in Hebræo haberi, *pro morte filii.* Denique et Symmachus in hunc modum transtulit, *pro victoria de morte filii.* Totus igitur psalmus per tropologiam ad Christi pertinet sacramentum. Unde et Septuaginta interpretes, Christi passionem et resurrectionem, quæ ignota prius mundo fuit, per verbum absconsionis celare voluerunt, ne a gentibus illo tempore facile nosceretur. Hic de isto filio quod superius dixit, non de illo filio secundum historiam David, id est Abessalon dicit : cujus opera non occulta, sed manifesta et mala fuerunt contra patrem : sed hoc de Unigenito Dei patris intelligitur. Scimus duos adventus, primum et secundum. In primo adventu, et manifestus et occultus venit. Manifestus carne, et occultus divinitate. Et in secundo adventu, et occultus et manifestus veniet. Occultus, quia nescimus diem neque horam. Manifestus, quia videbit eum omnis oculus. Et alio modo occultus, quia nescimus occultum judicium Dei : hoc est, quia repudiati sunt Judæi, electæ sunt gentes. Aliter : Videmus sanctos tribulari, et nescimus an pro probatione, an pro emendatione, ut ad melius crescat eorum gloria. Videmus alios tribulari, quorum pœna hic incipit, et in futuro cum ipsis permanet. Videmus alios nec tribulari, nec injuriam pati : sed sanos corpore, lætitia temporali omnibus abundare. Isti tales periculosi sunt : quia credimus quod ipsos Deus non visitat, quia non sunt digni visitari, ut postmodum sine fine puniantur. Iste psalmus totus in persona Ecclesiæ per prophetam de Antichristo cantatur.

Confitebor tibi, Domine, etc. Vox Ecclesiæ. Trina confessio hic sonat : id est, peccatorum, martyrum, confessorum : gratiarum actio, sive laus, ut in Evangelio : *Confiteor tibi, Pater Domine cœli et terræ* (*Matth.* XI), et hic trina dilectio intelligitur : id est, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo : et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis (*Matth.* XXII). *Narrabo omnia mirabilia tua.* Quomodo dicit, se omnia mirabilia Dei narrare : quia nullus homo potest nec videre, nec comprehendere Deum? Nam omnia mirabilia Dei si narrare velimus impossibile est. Cur non possumus? quia alio loco dicit : *Pronuntiabo omnia judicia* (*Psal.* XVIII). Nec ipsum potest facere homo. Quomodo non potest? quia Dominus dicit : *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* XV). Sed quare non narravit diem judicii, sed dixit : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate* (*Actor.* II)? Sed in hoc solvitur hæc quæstio, cum subjunxit, omnia judicia : postea dicit, oris tui : ac si dicat propheta vel unusquisque sanctus : Quantum me docuisti, tantum narrabo : quia si tantum narras quantum intelligis, omnia mirabilia Dei narras,

A quamvis in semetipsa plura sint. Vel narrabo omnia mirabilia tua, non illa tantum quod mortui resuscitantur, cæci illuminantur, vel cætera; sed et quod per te animæ perditæ, saluti insperatæ redduntur.

Lætabor et exsultabo in te. Lætabor, in spe, et exsultabo, in re : juxta illud Apostoli : Qui gloriatur, in Domino glorietur (II *Cor.* X), *Et psallam nomini tuo, Altissime. Psallam*, opere compleam, *nomini tuo.* Nomen Patris Filius est, Altissimus ipse est Deus. Vel, *psallam nomini tuo :* hic laus cum opere.

In convertendo inimicum meum retrorsum. Qualem inimicum, id est, diabolum : quia Dominus dixit : *Vade retro, Satana* (*Marc.* VIII). Ante adventum Christi diabolus dux itineris mortis fuit : sed postea retro

B Ecclesiam sequens, est quasi canis. Unde alibi dicit : *Tu conteres caput illius, et ille calcaneum tuum observabit* (*Genes.* III) : hoc est, finem vitæ uniuscujusque. Mulier Ecclesia, serpens diabolus. *Infirmabuntur et peribunt a facie tua.* Impii utique ab impietate sua peribunt. Vel sicut superius dixit singulariter, ita et hic pluraliter, id est, omnes satellites suos insimul comprehendit, qui perituri sunt in die judicii. Quare infirmabuntur? quia prius fortes erant propter peccata nostra : sed modo infirmitas Dei nos fecit fortes, et illos infirmos : ut dicit Apostolus : *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (I *Cor.* I).

Quoniam fecisti judicium meum. Vox Ecclesiæ, ac si dicat : Aperte gentes elegisti, et Judæos reprobasti. Quando dicit, *judicium meum :* hic apparet

C quod Ecclesia ex gentibus venit. *Et causam meam.* Ac si dicat Ecclesia. Causasti pro me contra adversarios, et vindicasti me; et fecisti causam meam bonam. *Sedisti super thronum.* Thronus Græcum est, Latine sedes : quia unusquisque sanctus sedes Dei est : ut ipse ait. *Cœlum mihi sedes est* (*Isai.* LXVI). Et alibi : *Anima justi sedes est sapientiæ* (*Sap.* VII). Dicit unus thronus ex ipsis, id est, Paulus : *An experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII)? *Qui judicas æquitatem.* Hoc est, justitiam : judicasti juste tu Pater, causam meam, ut me resuscitares : quia injuste me tradiderunt morti.

Increpasti gentes. Per prædicatores, qui idola adorabant, ligna et lapides. *Et periit impius.* Diabo-

D lus qui in ipsis lignis vel lapidibus adoratur : vel per prædicationem Apostolicam increpatæ sunt gentes, et ab impio factus est prius. *Nomen eorum delesti in æternum.* Id est, memoriam eorum. Non memorabitur in his ultra nomen impietatis : quia credentes in te acceperunt nomen tuum novum, quod benedicetur in terris.

Inimici defecerunt frameæ in finem. Quasi dicat : arma diaboli, quæ erant peccatoribus membra sua, per quos diabolus alios persequebatur, defecerunt. Vel aliter : Inimici defecerunt framea, quasi dicat, de framea, quod est verbum Dei, in futuro judicio deficient, quando per ipsum verbum judicandi erunt. *Et civitates eorum destruxisti.* Id est peccatores.

Quot sunt vitia peccatorum, tantæ et civitates, hoc est, munitiones, in quibus diabolus regnabat: ac si dicat: Defecerunt per tuos prædicatores.

Periit memoria eorum cum sonitu. Sonus doctrinæ illorum, vel hæreticorum mala cum ipsis periit. Vel cum sonitu, id est, a prædicatione Evangelii. *Et Dominus in æternum permanet.* Et ipse et sui sancti cum tumultuatione sua peribunt, in sæcula Domino permanente, ut diximus, et suis sanctis.

Paravit in judicio, etc. Omne enim judicium dedit Filio. *Paravit in judicio sedem suam:* id est, Ecclesiam: de qua ipse judicabit orbem terræ, quod sunt omnes gentes. *In æquitate judicabit populos.* Quod est æquitas, hoc est et justitia, id est, Christus. Vel iterato scilicet adventu cum justis præmia, injustis infernum et pœnam.

Et factus est Dominus refugium pauperi. Inter pauperem et adversarium, hoc est, diabolum, judex erit Christus: qui judicabit inter Ecclesiam et adversarium, hoc est, diabolum. Unde et in Apocalypsi dicitur: Qui est accusator fratrum nostrorum. Vel illi pauperes, qui propter eum pauperes facti, divitias suas in cibos distribuunt pauperum. *Adjutor in opportunitatibus.* Adjutor est Ecclesiæ suæ. *In tribulatione.* Quando opportunum est, ut ait Apostolus. Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere: ne cum peccatoribus in supplicio damnemur æterno (I *Cor.* x).

Sperent in te. Id est, non in se, sed in te, et non in concupiscentiis sæculi. *Qui noverant nomen tuum.* Sive potentiam, sive magnificentiam tuam. Vel nomen tuum: id est, Filium tuum. Quare propter hoc quod sequitur: *Quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine.* Ideo sperant in te: ut illud: Si corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Tamen permittit illos tentari, sed non usquequaque.

Psallite Domino. Id est, cantate Domino, prædicate, opere implete. *Qui habitat in Sion.* Sion, *specula*, id est, Jerusalem, hoc est, *visio pacis:* modo Ecclesia hic speculatio: quia speculatur de futuro judicio Dei. Sed cum venerit ad Jerusalem cœlestem, non erit tunc speculatio, sed visio. Unde dicit Paulus: Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem (I *Cor.* XIII). *Annuntiate inter gentes studia ejus.* Vox prophetæ admonet prædicatores ut prædicent. *Annuntiate studia ejus:* hoc est, prædicate mandata ejus. Forsitan illi dicent: Moriemur si ad gentes ambulaverimus: sed adjungit propheta:

Quoniam requirens sanguinem eorum. Et Dominus: Nolite timere: quia si occidunt corpus, animam non possunt occidere (*Mat.* x). *Memoratus est Dominus: et non est oblitus orationem pauperis.* Ac si dicat propheta: Non est oblitus vindicare sanguinem vestrum. Unde ipse Dominus dixit: Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte (*Luc.* XVIII).

Miserere mei, Domine. Vox Ecclesiæ: *Vide humilitatem meam de inimicis meis: qui exaltas me de portis mortis*, etc. Portæ mortis sunt studia parentum, qui colebant diversos deos dæmoniorum. Ipsi erant portæ mortis, quorum doctrina ad mortem ducebat. Aliter: Portæ mortis, hæreticorum doctrina, de quibus portis exaltata est Ecclesia: et missa est in portas filiæ Sion, quæ sunt portæ vitæ. Sicut per malam doctrinam quasi portas mortis intelligimus, quæ nos ad interitum ducunt: ita et portas vitæ intelligimus bonos prædicatores, qui nos per suam doctrinam ad vitam æternam ducunt.

Exsultabo in salutari tuo. Exsultabo, id est, gaudebo: *In salutari tuo*, in Christo tuo.

Infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt. Hoc est, in malis operibus quæ fecerunt, ibi infixæ sunt, de quibus judicandæ sunt. *In laqueo isto quem absconderunt*, etc. Quia unusquisque laqueum quem alteri parat ad cadendum, ipse prius in eo cadet.

Cognoscetur Dominus judicia faciens. Cognoscetur, hoc est, ad judicium. *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Quia unusquisque peccator ipse sibi secum portat et funes, et vincula, et tormenta, unde sustineat mala. Nam ab aliis non est necesse præparari unde torqueatur, cum ipse sibi præparet quæ ad pœnam pertinent:

Convertantur peccatores in infernum. Id est, quia ultra finem sæculi vivere volunt, convertantur in infernum. *Omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.* Hoc est, qui dicunt quod Deus obliviscatur, et non habeat curam de rebus suis, ipsi obliviscantur a Domino: quia non dicunt verum quod Deus obliviscatur creaturas suas; quia dicit:

Quoniam non in finem oblivio, etc. Quia si differt, non aufert suum auxilium a sanctis suis.

Exsurge, Domine, non prævaleat homo. Vox Ecclesiæ sonat contra Antichristum: *Exsurge*, in judicium: *non prævaleat homo:* id est, homo peccator Antichristus. *Judicentur gentes in conspectu tuo.* Duobus modis primum jam in præscientia Dei judicati sunt. Quare? Quia ad Ecclesiam non pertinent, sed ad Antichristum: quia dictum est: Qui autem non credit, jam judicatus est (*Joan.* III).

Constitue, Domine, legislatorem super eos. Id est, Antichristum, qui lator legis malæ doctrinæ est, ut ait Paulus: Noluerunt recipere veritatem, sed consenserunt iniquitati (I *Thess.* II).

Sciant gentes quoniam homines sunt. Cum condemnatæ fuerint, tunc cognoscent quia spem in homine posuerunt, et non in Deum, qui solus salvare potest.

Ut quid, Domine, recessisti longe? Quare elongas salutare tuum cum nos inflammati sumus ab exspectatione adventus tui? Unde Dominus dixit in Evangelio: Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro (*Matth.* XXIV). *Despicis in opportunitatibus*, etc. Tunc videntur despicere, quando opportunum tempus est Ecclesiæ ut adjuvet, et non statim occurrit illi in tribulatione. Quare? ut illam

exerceat secundum suam voluntatem : quia quanto magis differt, tanto magis Ecclesia dilatatur in desiderio suo.

Dum superbit impius, etc. Dum superbit impius, Antichristus : *accenditur pauper*, Ecclesia in tribulatione, a superbia ipsius Antichristi. *Comprehenduntur in consiliis*, etc. Ab ipsis enim cogitationibus suis alligantur, qui contra Deum sunt.

Quoniam laudatur peccator in desideriis, etc. Ab adulatoribus, et non a justis laudatur peccator, tunc quando peccator peccatorem laudat, alius alium, dum se invicem laudant, occidunt.

Exacerbavit Dominum peccator. Ipse Antichristus. *Secundum multitudinem iræ suæ*. Quia flagella correptionis non accepit. *Non quæret*. Ut se quasi Deum adorent : hoc est, non est dignus ut requiratur, sed ut puniatur.

Non est Deus in conspectu ejus. Quia nihil ei dignum operatur. *Inquinatæ sunt viæ illius*, etc. Non enim per viam rectam graditur, quæ est Christus.

Auferentur judicia tua, etc. Quia non credit in se futurum esse judicium. *Omnium inimicorum*, et Christianorum utique, ad probandum qui eum sequi contemnunt.

Dixit enim in corde, etc. Semper enim seducam homines, ut in malis perseverantes, voluntati Dei resistant. *Dixit enim*, hoc est, Antichristus : quid dixit? *Non movebor a generatione in generationem sine malo :* id est, tanta mala faciam in una gente, ut antequam veniam ad alteram gentem, antea meam famam audiant et timeant. Aliter : Non movebor a generatione carnali in generationem spiritualem : id est, de terra cum corpore in cœlum conscendam : *sine malo*, ac si dicat, sine ulla injuria. Cum voluerit ascendere ad montem Oliveti, Dominus eum interficiet spiritu oris sui. Voluit unus de membris suis Simon Magus cœlum conscendere, sed interiit.

Cujus os maledictione et amaritudine plenum est. Ac si dicat : Qui se sua justitia jactat ut sit Deus, apud Deum maledictus est. *Sub lingua ejus*. Sub corde ejus. *Labor et dolor*. Dolor sibi est, et aliorum temperat laborem et dolorem.

Sedet in insidiis cum divitibus. Id est, diabolus insidiatur per membra sua in quibus præsidet, et aliis nocet. *Ut interficiat innocentem*. Id est, ut de innocentibus faciat nocentes, et sibi primum noceat.

Oculi ejus. Id est, oculi Antichristi. *In pauperem respiciunt*. Hoc est, in Ecclesiam, quæ est corpus Christi : ad nocendum respicit, et non ad adjuvandum. *Insidiatur in occulto, sicut leo in cubili suo*. Diabolus, et leo, et draco potest dici. Draco, quando occulte nocet : et leo, quando aperte persequitur. *Ut rapiat pauperem*. Id est, Christianum.

Rapere pauperem, dum attrahit eum. In laqueo suo humiliabit eum : inclinabit se, et cadet, etc. Videtur inclinare se quasi ad humilitatem, ut videatur quasi mitis et sanctus, et cum se inclinaverit, tunc casu-

A rus est : quia dum sperat longe se esse a morte, tunc repentinus ei superveniet interitus.

Dixit enim in corde suo, Oblitus est Deus : avertit faciem suam, ne videat usque in finem. Oblitus est : ac si dicat : Mea sunt omnia quamdiu sæculum fuerit, et in oblivione tradidit illa Deus : numquam usus est illis : sed mea sunt, quia ego Deus sum.

Exsurge, Domine. Hoc est, ad judicium. Ecclesia dicit contra Antichristum. *Et exaltetur manus tua*. Id est, potentia tua : dum Antichristus se taliter jactat omnia possidere sine fine. *Ne obliviscaris pauperum in finem*. Dum ille se dicit regnare usque in finem. Propter hoc superius dicit.

Irritavit impius Deum. Id est, Antichristus. *Dixit enim in corde suo, Non requiret Deus*. Dicit Antichri-
B stus : Non curat Deus de isto præsenti.

Vides quoniam tu laborem et dolorem consideras. Propheta loquitur ad Deum : Quia Antichristus meditatur ut noceat, tu consideras. *Ut tradas eos in manus tuas*. Manus Dei illi dicuntur, qui justam vindictam Dei exercent super peccatores. Propter hoc manus, quia per illos vindicatur Deus. Aliter : Ut tradas eos in manus tuas, id est, in operibus suis : ut digni sint tradi, qui indigna gesserunt : quia ipsi sibi suis miseriis tradiderunt, et dimisit illos in omnes voluntates suas.

Tibi enim derelictus est pauper. Id est, Ecclesia. Ac si dicat : Tua est ad salvandum. Pupillo *tu eris adjutor*. Pupillus dicitur, qui non habet patrem : orphanus, qui nec patrem nec matrem habet. Pupil-
C lus dicitur, qui patrem diabolum non habet, ut in Evangelio : Nolite vocare vobis patrem super terram (*Matth.* XXIII). Et qui non habet matrem, id est, gentilitatem. Ac si dicat : ad istum eris adjutor.

Conterens brachium peccatoris. Ista ad Antichristum pertinent : quia confringet Dominus fortitudinem ejus. *Et maligni*. Ipse est malignus. *Quæretur delictum ejus, nec invenietur*. Hoc est, ad emendationem non est dignus venire. Et aliter : Non invenietur, ut habeat peccatum : sed sit sicut Deus qui peccatum non habet, quantum apud ipsum.

Dominus regnabit in æternum sine fine. Quia tunc regnum cum tranquillitate, ut Paulus ait : Cum tradiderit regnum Deo et Patri, quando erit Deus omnia in omnibus (I *Cor.* XV). *Peribitis, gentes, de terra*
D *illius*. Qui Antichristum receperunt, peribunt ab Ecclesia, hoc est, de Ecclesia : regnante Christo, gentes criminum a corpore humano depereunt.

Desiderium pauperum exaudivit Dominus. Id est, Ecclesiam suam exaudivit Dominus ut vindicetur. Exaudivit, ut eis tribueret regna cœlorum. *Præparationem cordis eorum audivit auris tua*. Hoc est, clementia tua. Aures Domini audire dicuntur, cum exaudire dignatur : id est, æternam vitam, quam Ecclesia desiderat, cum eam ei dederit : ut quod quondam concupierat in ipse, tandem fruatur in specie.

Judicare pupillo et humili. Hic enim dativo, non accusativo casu loquitur : hoc est, non ut pupillum

judicet, sed ut judicetur pupillo et humili, ut accipiant vitam æternam. *Ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.* Ut ex hoc non erigatur Antichristus super electos Dei, neque tentet illos: quia oppressus regno Filii Dei, amplius non erit. Nos quoque oremus Dominum, ut nos ab ejus operibus custodire dignetur illæsos: ut ab eo pupilli facti, patrem Christum Dominum cognoscentes, ipsum sequamur fide, ipsum retineamus corde, ipsum glorificemus in opere: quia ipsi est cum æterno Patre et Spiritu sancto honor, et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS X.

In finem, psalmus David. Decimus psalmus contra hæreticos, et male credentes canitur.

In Domino confido. Vox Ecclesiæ, contra hæreticos, sive Christi contra dæmones. *Transmigra in montem sicut passer.* Vult justum ad deserta migrare, ut ibi eum facilius elidat. Vel quia hæretici dolosi sunt, de quibus ait propheta: Væ his qui dicunt dulce amarum, et amarum dulce (*Isai.* v): ideo volunt ad se seducere justum, dicentes: Ad nos transmigra. Qui respondit eis: In Domino est spes mea. Quomodo, inquit, ad vestros montes, hoc est, ad vestram superbiam transmigrabo? Quod autem ait, *sicut passer:* sæpe passerem loco prudentia poni legimus. Ideo isti dicunt: Transi ad nos sicut prudens, cum eorum prudentia sit stulta.

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum. Id est, hæretici ora illorum contra Ecclesiam intenderunt arcum, potentiam verbositatis suæ. *Paraverunt sagittas suas:* hoc est, verba. *In pharetra,* in semetipsis. Quia ipsi sunt pharetræ: ubi verba inania, et sententias venenosas quas de Scripturis sanctis confíciunt, occultas retinent. *Ut sagittent in obscuro rectos corde.* Numquam enim in luce pugnant, sed semper in tenebris. Quapropter justus aiebat: Lucerna pedibus meis, verbum tuum, Domine. *Ut sagittent in obscuro rectos corde* (*Psal.* CXVIII). Ut cum viderint in Ecclesia imperitos quosque, vel simplices, laqueis dolosis ac occultis illiciant.

Quoniam quæ tu perfecisti destruxerunt. Quid est quod fecisti? Ecclesiam tuam in unitate. Unde dicit: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem* (*Ps.* VIII). Hæretici destruere volunt hoc et in se, et in aliis, quia unitatem scindunt. Aliter: Quem tu perfecisti, Christum de Spiritu sancto conceptum, Judæi occiderunt. *Justus autem quid fecit?* Cum calumniantur hæretici, et discordant inter se, hoc respondet Ecclesia in persona Ecclesiæ. Inter vos discordamini, sed de vobis Christus non tacet: quia dixit: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Et aliter: Quid fecit justus? Hoc est, redemit mundum, et seipsum dedit pro mundo.

Dominus in templo sancto suo. Ac si dicat propheta: Quamvis, vos hæretici, aversemini Ecclesiam, tamen Dominus in templo erit, hoc est, in Ecclesia. Dicit Apostolus: Vos estis templum Dei vivi (II *Cor.* VI). A Dominus in templo sancto suo: In Ecclesia quam sibi exhibuit sanctam. *Dominus in cœlo sedes ejus.* In cœlo, hoc est, in sancto prædicatore. Unde dixit: Cœlum mihi sedes est (*Isai.* LXVI), et anima justi, sedes sapientiæ in anima justi, quæ cœlestia meditatur.

Oculi ejus in pauperem respiciunt. Oculi Christi aspectu divinitatis ad populum christianum respiciunt. Ad quid respiciunt? Hoc est, ad adjuvandum. *Palpebræ ejus interrogant filios hominum.* Subtilitas divinitatis, id est, judicia Dei occulta, in quibus nos interrogat: quia per hoc cognoscit quid habet unusquisque, quia judicia Dei occulta sunt. Sicut Scriptura aliquando obscuratur, ut nos infirmitatem nostram cognoscamus: iterum allevamur, ne desperemus. Et alio modo: Per prospera et adversa interB rogat: quia per hoc probat Deus qualis quisque fuerit. Alio modo: Videmus unam gentem flagellari, et scimus pro qua causa flagellatur: hic manifesta judicia sunt. Et alio modo: Videmus flagellari, et nescimus pro qua causa, et hic occulta judicia, per hæc superius comprehensa.

Justum et impium interrogat Dominus. Id est, probat. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.* Hoc est, perdit illam.

Pluet super peccatores laqueos: ignis, etc. Hoc secundum historiam factum fuit: quando Dominus pluit sulphur et ignem super Sodomam. Ut ait apostolus Judas, in exemplum ignis æterni factum fuit. Pluet super peccatores. Duobus modis et hæretici pluunt mala doctrina. Et sicut una pluvia irrigat terC ram fecundam et aridam: sic et una prædicatio est a Deo, quæ infundit terram bonam, id est, sanctos: et terram malam, peccatores, quibus pertinent ista quæ sequuntur: Ignis, cupiditas, sulphur, putredo peccatorum, spiritus procellarum, spiritus tempestatis. Spiritus procellarum, pœnam æterni judicii, et verbera indicat peccatorum, quos ignis exurit, tempestas exanimat. Et prophetam dicit: In circuitu ejus tempestas valida. *Pars calicis eorum* (*Ps.* XL): Quare dixit partem? Quia unicuique pro parte sua, quasi de calice, id est, justam vindictam recipiet prout gessit miseriam suam: ut ait propheta: Reddet Deus unicuique secundum opera sua (*Ps.* LXI, *Jerem.* XXV).

Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus. Quia unicuique quasi in speD culo, cum venerit in conspectu ejus, videbit iniquitatem suam et ipse prævidet iniquitatem illorum. Vel præsentia Dei vidit sanctos ad regendum. Diligit enim justitiam: quia unumquemque secundum opus proprium judicat. Æquitatem vidit vultus ejus: ut sanctis præmia, peccatoribus tribuat pœnam. Qui nos vocatione sua dignetur dignos efficere, et non secundum peccata nostra nobis supplicia inferat, sed secundum magnam misericordiam suam veniam largiatur: quia ipsi est cum æterno Patre et Spiritu sancto honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XI.

In finem pro octava, psalmus David. Iste psalmus de

passione Christi cantatur. Pro octava, sicut superius diximus.

Salvum me fac, Domine. Vox Christi ad Patrem pro parte carnis in passione. *Quoniam defecit sanctus.* Præter te, non superest qui possit salvare. *Quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum.* Quare dixit veritates, dum non scimus qui est veritas, ut ait: Ego sum via et veritas (*Joan.* XIV). Sicut multæ Ecclesiæ et una Ecclesia, sic multæ veritates: quia multorum justorum opera, et multi qui faciunt bonum. Sed quare diminutæ? Quia ante adventum Christi, sive prophetæ, sive patriarchæ, tam bonæ naturæ, quam qui ex parte dejecti videbant servire, in multis modis diminuti erant: quia caput, id est, veritas, qui est Christus, nondum venerat. Membra diminuta erant, usquequo caput eorum, quod est Christus, advenit.

Vana locuti sunt, etc. Primum Petrus, quando dixit: Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt (*Matth.* XXVI): sed hi omnes vana locuti sunt, dum adimplere quod proposuerunt, non potuerunt. Et hæretici, mali doctores, qui doctrinam perversam docent, vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum. Christus Dominus, qui hæc loquitur, est omnium proximus: qui fecit misericordiam, ut morte sua alligaret vulnera nostra. Contra quem Judæi in vaniloquio exercebantur. *Labia dolosa in corde et corde locuti sunt.* Simmachus ita transtulit *Labia lubrica*, in corde aliud est, et loquitur. *Labia dolosa*, bilingues dicuntur, quia duabus linguis loquuntur: quia aliud dicunt, et aliud retinent. Sic labia dolosa qui de corde in corde locuti sunt mala: secus quod conceperunt corde, protulerunt ore in opere.

Disperdat Dominus universa labia dolosa. Numquid maledicendo dicit? Non: quia non est mos sanctorum maledicere, sed pronuntiando quod futurum est, dixit: non optando, et sed prophetando (*Joan.* VIII). Qui sunt labia dolosa? Hæretici, et mali prædicatores. *Et linguam magniloquam.* Id est, qui superba loquuntur.

Qui dixerunt, linguam nostram magnificabimus. Hoc est, qui semetipsos in invicem laudant, et opera sua magnificant. *Labia nostra a nobis sunt.* Ac si dicat: Doctores nostros ex nobis ipsis habemus, non aliunde. Plaudunt enim in vana verbositate, dicentes: Nos filii Abrahæ sumus, et nemini umquam servivimus. *Quis noster est Dominus?* Ac si dicant: Nullum habemus Dominum, quia omnia scimus.

Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum. Vox Patris est. Quis erat miser, nisi humanum genus in sæculo, quod in istam miseriam venit in qua gemebat in peccatis? Et gemitus erat in inferno, in illis qui in pœnis habitabant. *Nunc exsurgam, dicit Dominus.* Hoc est, mittam Filium meum qui eos redimat, et illos qui in miseria sunt in mundo, vel eos qui in inferno commorantur. Quod ita factum est: Misit Deus Pater Filium suum ad nos miseros, ut nos liberaret, et illius paupertate divites essemus.

Ponam in salutari meo. Dixit, in salutari, et non dixit, quid ponam: subauditur, salutem gentium. Et adhuc quid ponam? Contra gemitum lætitiam: et contra paupertatem, divitias spirituales. *Fiducialiter agam in eo.* Vox Patris de Filio. Ac si dicat: Cum fiducia omnia facio per eum: quia divinitas firmavit humanitatem: ut scriptum est, libere egit.

Eloquia Domini, eloquia casta. Utriusque Testamenti doctrinam insimul comprehendit. Tunc casta sunt, si a bonis prædicatoribus incorruptibiliter et sine corruptione prædicentur. Tunc erit istud: si quando prædicant non parentum provocati amore, non potentum timore, non propter dona præsentia, non pro honore vano. Aliter: Qui nec audent addere aliquid amplius, nec minuere tam in veteri quam in novo Testamento, sed fideliter prædicant. *Argentum igne examinatum.* Hoc est, Spiritu sancto probatum. Non illi eloquia divina probant: sed Spiritus sanctus illos illuminat, qui ipsa prædicant: sicut in Isaia ille angelus, quando accepit calculum ab altari, et tetigit labia ejus, dicens: Ecce tetigi hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. Per argentum, vetus Testamentum: per aurum, novum. Sic est littera et spiritalis intellectus, quasi ex argento producatur aurum. *Probatum terræ*, hoc est, Ecclesia. Illa eloquia divina probata sunt per Spiritum sanctum, quem accepit Ecclesia. Aliter: Probatum terræ, id est; Christus Dominus, qui venit in humanitate illa pro parte carnis, quam ex Maria accepit, quasi terram Dominus suscepit. *Purgatum septuplum.* Septem dona quæ in Christo fuerunt: non ut ille purificaretur, sed qui ipsa dona accepturi erant, purificarentur.

Tu, Domine, servabis nos. Hoc est, in fide, Ecclesia rogat. *Et custodies nos a generatione hac.* Omnium malorum turbam simul comprehendit, hæreticorum, dialecticorum, et reliquorum. Ab istorum generatione Dominus separavit Ecclesiam suam. Unde et in Evangelio: Hæc omnia venient universæ generationi illi, a sanguine Abel qui effusus est; vel a sanguine Zachariæ filii Barachiæ, quem occiderunt inter templum et altare (*Matth.* XXIII).

In circuitu impii ambulant. Cum transtulerint nos de præsenti sæculo in futurum, tunc impii foris ambulant: nec poterunt intrare cum sanctis, quos tu, secundum magnitudinem tuam, tua sollicitudine conservasti. In circuitu impii ambulant: quia in æternam vitam non pervenient. Et aliter: Cum electi recepti fuerint, extra januam clamabunt: Domine, Domine, aperi nobis. Aliter: In circuitu eorum, et dicetur eis. Nescio vos: *Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.* Filios Dei. Secundum multitudinem juxta abundantiam misericordiæ tuæ, quia multiplicatur Ecclesia, hoc est, de pietate et misericordia ipsius: cum in retributione futuræ beatitudinis promissa tua percipientes, conformes effecti fuerint corpori gloriæ tuæ, in quo tibi est cum æterno Patre, et Spiritu sancto, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XII.

In finem, psalmus David. Duodecimus psalmus vocem continet animæ fidelis, requirentis Deum.

Usquequo, Domine, obliviisceris me in finem? Vox Ecclesiæ. Ac si dicat : Quamdiu? Quare in finem dicit? quatuor elementis constat homo, igne, aere, aqua et terra. Terra inferior est ab his creaturis, quia finis creaturarum terra est : ideo dicit Ecclesia : Et si vilior sum, vilissima quasi terra, usquequo oblivisceris me? Non propterea, quia infima sum, et finis aliarum creaturarum : non propter hoc me obliviscaris in finem. *Usquequo avertis faciem tuam a me,* ut non habeam notitiam, neque illuminationem cogitationis tuæ ante terminum vitæ hujus.

Quamdiu ponam consilia in anima mea. Patior hæc, inquit, quoadusque per spiritale consilium te requiram. *Dolorem in corde meo per diem.* Per illud scilicet lumen notitiæ tuæ quod diu perdideram, apponam dolorem super tenebras peccatorum meorum : hoc est, agam pœnitentiam.

Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? Quamdiu ad te conversus non fuero, erigitur adversus me diabolus, qui est humani generis inimicus. Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? Quasi dicat : Quamdiu habet adversarius dominationem Ecclesiæ? Usque in finem. *Respice, et exaudi me, Domine Deus meus.* Oratio Ecclesiæ est, de tribus personis potest intelligi : Respice in tribulatione, vel in auxilio : et exaudi in hoc quod deprecor.

Illumina oculos meos. Id est, oculos cordis. *Ne unquam obdormiam in morte.* Scimus quia non potest homo dormire qui in tormento est, sed dormire pro nocte illa ponit. Unde superius ait : Mors sine morte, et defectus sine defectu. Et Dominus dormivit in navi, cum suscitatur a discipulis. Notandum, quod Dominus dormiebat, quando fides apostolorum titubabat. Unicuique Dominus pro fide sua vigilat, et per fidem excitatur. Et si non habetur fides, quasi dormire videtur. Unde dicit : Excita fidem tuam, et tunc suscitas Christum. *Respice, et exaudi me, Domine Deus meus. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* Tu es enim lux vera quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum. Tu enim illuminas oculos cordis nostri, ne nos æternæ mortis obrepat somnus. *Nequando dicat inimicus,* etc. *Nequando,* hoc est, in futuro judicio, *dicat inimicus meus, prævalui adversus eum :* id est, seduxi eum ut deciperem. Ac si dicat : Si nos potest adversarius in somno infidelitatis invenire, tunc prævalet super nos.

Exsultabunt si motus fuero. Ipsi quorum pedes moti : quia in veritate Dei non steterunt, si meos pedes, hoc est, sensus, de fide catholica potuerint elongare : tunc exsultabunt : id est, gaudebunt, ut ait Propheta : *Mei autem pene moti sunt pedes :* sed ego in tua misericordia spero, ut stabiliar in fide.

Exsultabit cor meum in salutari tuo : In Domino A Jesu Christo. *Cantabo Domino*, id est laudabo, et prædicabo. *Qui bona tribuit mihi*, hoc est, istius vitæ præsentis subsidia, quibus subsistimus : ut, despectis pompis sæculi, spiritualia mente conspicerem. Aliter : Bona tribuit : virtutes Ecclesiæ, id est, fidem, spem, et charitatem : et in futuro vitam æternam. *Psallam nomini tuo, Altissime :* hoc est, quod canto et prædico, opere impleam. Merito ergo, Domine Jesu Christe, nomini tuo psallitur, quia dives pietate, et justis victoriam præstas, et peccatores ut ad te convertantur invitas : tibi gloria et honor cum æterno Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XIII.

Tertius decimus psalmus non habet inscriptionem, B sed redemptionem nostram ex Sion processuram esse pronuntiat. Et primo quidem contra impios loquitur, qui confidentes in divitiis sæculi, Deum qui has largitur, ignorant.

Dixit insipiens in corde suo. Pro eo quod est, *insipiens*, in Hebræo NABAL positum est. Unde et Abigail de viro suo Nabal ait in monte Carmelo : *Vere secundum nomen suum insipiens est* (I *Reg.* XXV). *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Hunc psalmum de passione Christi referunt, quando omnes Dominum reliquerunt : in tantum ut Petrus quoque qui apostolorum fuit princeps negaverit. *Qui dixerunt in corde suo, non est Deus.* In corde dixerunt, non in ore. Quare? Quia non ausi sunt : ne forte deorum suorum numina violarent. Dixit insipiens, populus Judaicus : qui dicunt in corde, Non C est Deus, non est Christus Filius Dei. Unus ex eis non solum pro Deo non habuit, sed nec prophetam credidit, dum dixit : Hic si esset propheta, sciret utique, quæ et qualis esset mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est (*Luc.* VII). Et alter : Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce, et credimus ei (*Marc.* XV).

Corrupti sunt. Ab illa integritate bonæ naturæ degeneres. *Abominabiles facti sunt.* Id est, odibiles. *In voluntatibus suis.* Id est, in factis suis. *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in voluntatibus suis.* Si enim Dei notitiam habuissent, corrupti et abominabiles non fuissent. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Nisi quis cognoverit Christum, qui est unicus Patris, bonus prorsus esse non poterit. *Non* D *est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Hic apparet quod iste psalmus ad passionem pertinet : quia nullus de discipulis, neque Petrus qui caput Ecclesiæ est : quia et ipse negavit : nullus de hominibus, quia totus mundus ad inferiorem partem declinaverat, præter unum hominem, qui est Christus.

Dominus de cœlo prospexit. Salutem generi humano dare. Vel, *de cœlo*, id est, de sanctis. *Super filios hominum.* Quos sanctos suos faciat. Vel, de sancto suo. *Super filios hominum :* id est, super genus humanum : *Ut videat,* hoc est, ut videre sanctos suos faciat : per quos respicit, et in quibus habitat. *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum : ut videat si est intelligens aut requirens Deum.* Prospicit per

animas sanctas, quas sæpe cœlum diximus, ut videat si sit sapiens, qui Deum mente requirat : nam apud divinam potentiam nihil habetur obtectum.

Omnes declinaverunt. Declinaverat totum genus humanum ad inferiorem partem. *Simul inutiles facti sunt*, et sibi, et aliis. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Dicit enim hæc de gentibus. Sed quia interponit omnes, adjungit Judæos intelligendos, qui sæpe se in volutabris atque idololatriis gentium miscuerunt.

Sepulcrum patens est guttur eorum. Ab hoc [a] versu usque ad eum, ubi dicit : *Non est timor Dei in conspectu oculorum eorum*, in Hebræis codicibus non habetur. Quæritur ergo quomodo Apostolus hoc usus sit testimonio in Epistola quam ad Romanos scripsit (*Rom.* III). Respondemus Apostolum de Deuteronomio ac Psalterio, et cæteris Scripturarum locis hoc testimonium texuisse.

Ibi timuerunt timore : hoc quod sequitur, *Ubi non erat timor :* In Hebræis voluminibus non habetur.

Sepulcrum patens est guttur eorum. Per seductiones suas in ora tamquam in sepulcra homines congesserunt. Nam et alibi simile huic ponitur : Nisi Dominus fuisset in nobis, forsitan vivos deglutissent nos (*Ps.* CXXIII). *Linguis suis dolose agebant.* Corrumpentes mores bonos colloquiis malis. *Venenum aspidum sub labiis eorum.* Quia, sicut aspides, ita obturant aures suas, ne præcepta divinæ Legis exaudiant. Venenum enim, dolus iniquorum colloquiorum intelligitur.

Quorum os maledictione et amaritudine plenum est. Benedictio adulationis maledictionem infert. Amaritudo enim ad id refertur : quia dulcia eloquia Dei, male sentiendo, in suam perniciem amara fecerunt. *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est :* quia et sibi et aliis nocet eorum doctrina, et in futuro condemnat. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Et corporaliter et spiritualiter occidunt, dum Christum, qui vita est animæ, ab ipsa effundere desiderant.

Contritio et infelicitas in viis eorum : contritio corporis, infelicitas animæ. In viis eorum, in operibus eorum. Semper peccatores in via sua infeliciter conteruntur. *Quoniam viam pacis non cognoverunt.* Quæ est Christus Dominus : nec per fidem, nec per operationem. Quare non cognoverunt? Propter hoc quod sequitur : *Quia non est timor Dei ante oculos eorum.* Non proposuerunt Deum ante sensus eorum, in memoria et sancto timore. *Non est timor Dei ante oculos eorum.* Non enim metuunt futurum judicium, ideo non observant mandata ejus.

Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, venturam ultionem ? Ac si dicat : Si modo non cognoscunt, cognoscent in judicio quando venturus est. *Qui devorant plebem meam sicut cibum panis :* hæretici populum Christianum. Sicut panis in omnes cibos currit, sine ipso satiari non potest, sed cum omnibus cibis sumitur : sic et hæretici numquam satiantur iniquitatibus suis, nisi de plebe Dei, vel de Ecclesia, quos possunt capere inde satiantur. *Qui devorant plebem suam*, populum ecclesiasticum, *sicut cibum panis :* quia non est panis vivus, nisi qui de cœlo descendit. *Dominum non invocaverunt.* Si enim invocassent, salvi utique fuissent. Aliter : Deum non invocaverunt. Quare ? Quia multi invocant, sed non Deum, sed aliam rem quam desiderant habere pro Deo, non ipsum Deum.

Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Et gentes suos timent deos, et ipsos potentes Judæi, quando de Christo dixerunt : Si dimittimus eum vivere, venient Romani, et tollent nostrum regnum et gentem. *Illi trepidaverunt timore, ubi non erat timor :* In idolis utique et vanis simulacrorum ritibus.

Quoniam Dominus in generatione justa est. In populo Christiano. Et in Judæis fuit : quia ex ipsis carnem sumpsit. *Consilium inopis confudistis.* Christum Judæi credere noluerunt : hoc est, de adventu mysterium incarnationis ejus credere noluerunt. Inops dicitur Christus, ut ait Paulus : Quia cum dives esset, inops factus est, ut illius inopia nos divites faceret (II *Cor.* VIII). *Consilium inopis confudistis :* id est, Christi : non intelligentes eum a Deo processisse cum præberet consilium, dicens : Pœnitentiam agite. *Quia Dominus spes ejus est.* Pater utique, propter assumptam carnem : quia humanitas confortata est a divinitate.

Quis dabit ex Sion salutare Israel ? Quis nisi Deus qui est in Sion ? Ille dedit salutem, ipsum Christum in Ecclesia sancta. Aliter : *Quis dabit ex Sion salutare Israel ?* Christus Dominus, quem habitatores illius terrenæ Sion non crediderunt. *Dum averterit Dominus captivitatem plebis suæ.* Jam redempti sumus de illa captivitate transgressionis, sed adhuc in captivitate vitæ istius sumus. Et aliter : De parte Judæorum : quod ipsa avertatur de captivitate tempore Eliæ et Enoch, ut Paulus dixit : Cum plenitudo gentium subintraverit, tunc omnis Israel salvus fiet.

[a] Placet nunc verum audire Hieronymum in Præfatione libri XVI Commentariorum in Isaiam : *Sicut*, inquit, *omnis pene ad Romanos Epistola de veteri structa est Instrumento : sic et hoc testimonium de Psalmis, et Isaiæ contextum est : Nam duo primi versus :* Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, *quinti psalmi sunt. Illud autem quod sequitur :* Venenum aspidum sub labiis eorum, *centesimi trigesimi noni psalmi est. Rursumque quod dicitur :* Quorum os maledictione et amaritudine plenum est, *de nono psalmo sumptum est. Tres autem versiculi, qui sequuntur :* Veloces pedes eorum, *usque*, viam pacis non cognoverunt, *in Isaia propheta reperi*, etc. Porro ut in Psalmum decimum tertium una omnes importarentur in veteri Latina interpretatione, eoque magis in Græcum textum in Alexandrino exemplari, illud ipsum Pauli testimonium in causa fuit, quod præter Apostoli intentionem acceptum est, ut ex eodem psalmo singuli versus putarentur desumi. Postremi tres habentur etiam in Proverbiis I, 16, quod Hieronymus dissimulat ; verum minime invenire est quid simile in Deuteronomio, quod hic Pseudo-Hieronymus tradit.

Aliter : Dum avertet Dominus captivitatem plebis suæ, per propriam passionem. *Lætetur Jacob, et exsultet Israel*. Ipse est Jacob qui et Israel : sed hic Jacob, et illic Israel. Hic *supplantator* vitiorum, et illic *videns Deum* facie ad faciem : quando erit Deus omnia in omnibus : qui, relictis sæcularibus, mente Dominum contuetur. Qui nobis tribuere dignetur : ut nos actu Jacob effecti, supplantatis vitiis et vere Israelitæ, ipsum mente videre, ipsum corde tenere mereamur, cui est cum æterno Patre et Spiritu sancto, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XIV.

Psalmus David. Opportune quartus decimus psalmus lectus est : et secundum ordinem ita evenit, ut propemodum de industria lectus esse videatur, secundum ordinem lectus est psalmus. Ex dispensatione Dei puto factum esse : ut quod vobis proderat, in ordine exponendi hodie recitaretur. Quartus decimus psalmus lectus est, qui præscribitur, *Psalmus David*. David autem noster Christus est, ut sæpe diximus. Deinde legimus in Exodo : quia quarta decima die agnus immolatur (*Exod*. XII). Quarta decima die immolatur, quando luna plena est, quando nihil deest de lumine. Videte ergo quod Christus non immolatur, nisi in perfecto et pleno lumine. Quoniam ergo quarta decima die immolandus est vobis agnus, nunc propheta miratur, et interrogat :

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Vos qui vultis habitare in tabernaculo Domini, audite quæ dicit Dominus : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* Tabernaculum hic pro æternitate accipimus, quamvis in aliis locis opera intelligatur : quia hic in tabernaculo præsenti, quod est Ecclesia, multi habitant corpore et non fide : quia hic dum inferiores sumus, quasi in tabernaculo consistimus, usquequo post victoriam in domum perveniatur. Aliter : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* Quis, inquit, terrenus poterit templum Dei effici, et habitare in civitate viventis Dei? De qua Apostolus multa loquitur. *Aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Quis, ait, dignus erit conformis fieri imagini Filii Dei (*Hebr*. XII, *Rom*. IX), qui sæpe mons dicitur? Hic lapis excisus de monte sine manibus : hic factus est mons magnus, hic implevit latitudinem orbis terræ (*Dan*. II), in hoc sanctorum animæ requiescunt. In hoc ergo nullus accipit requiem, nisi qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam : qui immunis est ab omni labe peccati, et præcepta Dei inviolabiliter custodierit. Aliter : *Aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Non prius in monte, et postea in tabernaculo : sed prius in tabernaculo, et ita in monte. Tabernaculum non est firma domus, tabernaculum non habet fundamentum : sed huc illucque mutatur, et cum transmigrante migrat : quia tabernaculum non habet fundamentum, sed est domus incerta : domus autem firma habet fundamenta. Mons pro vita æterna ponitur.

Qui ingreditur sine macula. Hoc est, sine mortalibus peccatis, quia sine minutis esse non possumus. Unde dicitur : Si dicimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Vel aliter : *Qui ingreditur sine macula*. Videte quid præcipitur. Non dixit : qui pervenit ad finem sine macula, sed qui adhuc in itinere est, et maculam non habet. Dicere aliquis potest : Non habeo maculam, non feci malum. Non sufficit nobis malum non facere nisi fecerimus et bonum. Denique sequitur : *Et operatur justitiam*. Non dixit, operatur castitatem, operatur sapientiam, operatur fortitudinem. Et hæ quidem virtutes optimæ sunt. Sapientia nobis prodest, fortitudo nobis prodest, ut persecutionibus resistamus. Deinde temperantia et castitas nobis necessariæ sunt, ne perdamus animas nostras. Justitia sola magna virtus est, et mater omnium. Dicat aliquis : Quomodo justitia major est cæteris virtutibus? Cæteræ virtutes habentem delectant : justitia non delectat habentem, sed alios. Si sapiens sum, sapientia me delectat : si fortis sum, fortitudo mea me delectat : si fuero castus, castitas mea lætitia mea est. Cæterum justitia non prodest habentibus, sed cæteris miseris non habentibus. Vel aliter : *Et operatur justitiam*, hoc est custodit mandata, ut illud : Si vis ad vitam venire, serva mandata (*Matt*. XIX).

Qui loquitur veritatem in corde suo. Multi loquuntur veritatem in labiis, sed non in corde, qui videntur vera dicere, sed cor cum labiis non consonat. Aliter : *Qui loquitur veritatem in corde suo*, ut vera de veritate cogitet, qui est Christus : nec se assertionibus hæreticis misceat, quæ falsæ semper inveniuntur ac vacuæ. Unde Paulus dixit : Corde creditur ad justitiam ; ore autem confessio fit ad salutem (*Rom*. X). *Qui non egit dolum in lingua sua*. Non protulit dolose doctrinam catholicam ad decipiendum ; sed quæ locutus est ore, complevit opere. Ille dolose agit, qui aliud cogitat et aliud dicit : sicut propheta ait : Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum (*Psalm*. XXXIII).

Nec fecit proximo suo malum. Qui facit misericordiam, ipse est proximus. Christus Dominus fecit misericordiam, ut nos sua passione redimeret : cujus doctrinam nullus in malum vertat, sicut hæretici faciunt. Proximus noster, omnis homo Christianus est. Quod tibi non vis fieri, alii ne facias. Et alibi dicit : Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Et iterum dicit : Declina a malo, et fac bonum. Quidam putant proximum esse fratrem, aut vicinum, aut cognatum, aut consanguineum. Sed Dominus noster docet in Evangelio in ea parabola, ubi quidam descendit de Jerusalem in Jericho : Sacerdos transivit, Levita transivit, et non est misertus : Samaritanus transivit, et misertus est. Et interrogat postea Dominus, et dicit : Quis horum proximus fuit? Statim dicitur, qui bene fecit. Et infert Dominus : Ite, et vos similiter facite (*Luc*. X). Omnes ergo homines nobis proximi sunt, et nulli debemus malum facere. *Et opprobrium non accepit*, etc. Numquam a suis vicinis, quasi noxius accusatur. *Timentes autem Dominum glorificat*. Non divites glorificat, non potentes, sed eos tantum qui Dominum timent. Et opprobrium non accepit adversus proximos suos. Opprobrium

detractionis de fratre tunc non accepit, si prius non A credit illa antequam probet. Ac si dicat: Qui ista custodit quæ superius dixit, ille est sine macula, et operatur justitiam. Et iste habitat in tabernaculo, et requiescet in monte sancto tuo, hoc est, in vita æterna.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus. In illius justi conspectu diabolus. Nam in Ecclesia quicumque malus est, in conspectu sancti pro nihilo computatur. Ad nihilum deductus est, quia apud talem sanctum pro nihilo habetur: dum angelus fuit, et refuga factus est; et sicut fuit factus ex nihilo, postea quam bona perdidit, redactus est ad nihilum. Et dum nihil est, fortissimi sancti non eum timent. *Timentes autem Dominum magnificat.* Vox Ecclesiæ: Qui timent Dominum timore sancto, Dominus eos B magnificat. Aliter ad sensum moralem: *Timentes autem Dominum magnificat.* Scit enim in his habitare Deum, sicut ait Dominus: Qui vos diligit, me diligit (*Joan.* XIV).

Qui jurat proximo suo, et non decipit. Iste jam minor est a perfectione, et si bona facit, quia et si pro juramento non decipit, tamen vituperantur pro illo præcepto quo dicitur: Non jurare omnino, neque per cœlum, neque per terram: sit autem sermo vester: Est, est: Non, non. Quia ista sententia perfectorum est, non jurare (*Matth.* V). Quia anima quando promittit Dei præcepta custodire, si proximus corpus est: tunc illum decipit, si hoc quod promittit, non observat. *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Etsi non peccet quis eo quod quantum dat, tantum C recipit: tamen perfectio non est: quia dictum est: Frange esurienti panem tuum (*Isai.* LI). Et beatius est magis dare, quam accipere (*Act.* X). Usquequo ad ista pervenit, minor est a perfectione. Aliter: Pecunia Domini est prædicatio: multi nolunt illam donare, si exinde pretium non recipiunt. Tamen licet victum et vestitum de ipsa prædicatione accipere (sicut sanctus Paulus dicit): amplius exinde nihil habere, sicut dicit: Qui Evangelium prædicant, de Evangelio vivere (I *Cor.* IX). Et Dominus ait: Dignus est operarius cibo suo (*Matth.* X). Sed qui plus requirere voluerit, in usuram reputatur. Unde Paulus dicit: Si vobis spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus (I *Cor.* IX)? Ac si dicat: Non est magnum adversus illa D spiritualia quæ vobis annuntiamus: Habentes autem victum, his contenti simus (I *Tim.* VI). Sicut enim visibilis pecunia prohibetur ad usuram dari, ne is qui commodat, magis spoliet: ita et verbum Dei, quod est magna pecunia, non tantum divitibus qui pascunt et munerant, verum etiam indigentibus et pauperibus gratis debet insinuari: Domino sic dicente: Gratis accepistis, gratis date (*Matth.* X). *Et munera super innocentem non accepit*, ut non conturbent judicium veritatis, munera offerentes. Et aliter: Ne similis Judæ efficiatur: qui, accepto argenti pondere, vendidit innocentem. Sicut propheta dicit: Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit (*Isai.* XXXIII).

Qui facit hæc, non commovebitur in æternum. Hæc omnia sicut allegorice retineri: ita et secundum litteram exposita custodiri debent in moribus. Quæ si quis irreprehensibiliter custodierit, non solum a commotione æterni judicis securus erit, verum et etiam ipsum montem tabernaculumque cœleste possidere merebitur in Christo Jesu Domino nostro; cui est honor et gloria cum æterno Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XV.

Tituli inscriptio ipsi David. Tituli inscriptio in tumulis, et in sepulcris est, quæ mortuorum corpora tenent. Pro quo Aquila et Symmachus, *humilem et simplicem immaculatumque* posuerunt: significantes psalmum ad Christum proprie pertinere dicentem: Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et mansuetus (*Matth.* XI). Psalmus, ut diximus, regis nostri vocem, quam in assumpto homine profert, sine diminutione retinet deitatis missam a Patre. David, id est, ipse Christus. Iste psalmus ad passionem pertinet. Tres sunt tituli, qui scribuntur: unus, super tumulos mortuorum: alius, in liminibus civitatis, vel domorum: tertius, in victoria regis. Hic ergo de titulo victoriæ regis dicit: sicut iste rex fuit, hoc est Christus, et fuit scriptum super caput ejus in pascha post victoriam, id est, post victum diabolum, redempto humano genere, tribus linguis: id est, Græce, Hebraice, et Latine. Unde et Pilatus dixit: Quod scripsi, scripsi. Et posuit super caput ipsius causam Christi: Hic est rex Judæorum (*Matth.* XXVII).

Conserva me, Domine, quoniam in te speravi. Vox Christi ad Patrem in passione, in persona hominis assumpti. Ac si dicat: A Patre, a quo exivi, in passione custodiar: quia tu es spes mea. *Dixi Domino, Deus meus es tu.* Ostendit se hominem in humilitate carnis, cum æqualis sit in omnipotentia majestatis: quia si dixisset, Dominus meus es tu: Filium minorem demonstrasset, Patrem majorem. Propterea dixit: *Dixi Domino, Deus meus es tu:* quia in divinitate æqualis est Patri. *Quia bonorum meorum non indiges.* Eamdem lineam et in Job scriptam legimus. Quid prodest, si tu simplicem facias viam tuam? Universa igitur bona quæ Dominus secundum formam servi in carne monstravit: non Patri prosunt, sed generi humano. *Quoniam bonorum meorum non eges.* Vox Christi. Quæ sunt bona Christi? Hoc est, incarnatio, passio, resurrectio, et redemptio nostra. Vel aliter: Bona sunt, cœli et quæ in eis sunt, et terra bona, et quæ in ea sunt, quæ Deus creavit. Hæc Pater nec postquam facta sunt, indiguit: nec antea. Ista Patri non sunt opus, nec necessaria. Sed cui?

Sanctis qui in terra sunt ejus. Istis hæc omnia sunt necessaria. *In terra sunt ejus*, id est, in Ecclesia. *Mirificavit omnes voluntates suas inter illos.* Christus per sanctos suos mysteria sua mirificavit: hoc est: magnificavit.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea acceleraverunt. Gentes de quibus nunc Ecclesiam con-

grego : antequam idola eorum multiplicarentur, Deum naturaliter noverant. Sed postquam multiplicata sunt idola, quod Septuaginta *infirmitates* interpretati sunt : relinquentes ea, ad me celerrime sunt reversi.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus. Quia spiritualis est religio novi Testamenti. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Mutamur quippe in lavacro : et ex filiis hominum, vocamur Filii Dei. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Vox Christi. Nec memor ero istorum apostolorum nominum, quæ prius ante fidem habuerunt, quando infidelitatem habuerunt. Illa non recordabor : quia crescentibus meritis, nomina addita sunt nova, sicut Abraham, sicut et Sara, sicut Petro, et reliquis, quia antea servi peccati, sed postea amici : sicut Dominus dixit : Jam non dicam vos servos, sed amicos (*Joan.* xv). Et sanctus Paulus fuerat, quando dicebat : Fuimus aliquando et nos stulti, et increduli sicut et cæteri; sed misericordiam Dei consecuti sumus (*Tit.* III). Et iterum : Sed abluti estis; sed sanctificati estis (I *Cor.* VI).

Dominus pars hæreditatis meæ. Vox Christi ad Patrem. Hæreditas Christi, Ecclesia est, et Dominus est pars corporis sui. Pro parte hominis assumpti dicit : quia ille accepit de nostro humanitatem, et nos de suo immortalitatem. *Et calicis mei.* Quare dixit calicem ? Quia per calicem accipit unusquisque juxta mensuram : sed Christus plusquam membra sua : ut ait Paulus : Qui est primogenitus in multis fratribus (*Rom.* VIII). *Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Hoc est quod in Evangelio dicitur : Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum ad se (*Joan.* VI). Secundum historiam, Christi hæreditas Judæi fuerunt, ad quos Christus venit. Sed tunc dissipata est, quando eum crucifixerunt : sed restituetur in futuro, cum plenitudo gentium subintraverit. Aliter : Restituet Deus Pater hæreditatem Christi, quando electos suos, corpus sanctæ Ecclesiæ ad illam integritatem attraxerit, ut post resurrectionem acceptis corporibus suis, incorrupti et immortales vivant : quia illam immortalitatem in Adam perdiderunt.

Funes ceciderunt mihi in præclaris. In optimis. Pro uno Israel, universi orbis hæreditatem consecutus. Funes in hæreditate dantur : quia quod dixit, *ceciderunt mihi in præclaris*, tantumdem est, ac si dicat, in patriarchis, et prophetis atque apostolis : vel quoscumque advocaverit Pater, Christus secum recipit. Propterea dixit, *in præclaris*, sanctis vel apostolis.

Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum. Vox capitis cum membris. Tribuit intellectum discernendi inter bonum et malum : inter sensum et litteram : inter Deum et proximum : inter lucem et tenebras. *Benedicam Dominum qui mihi tribuit intellectum.* Qui sapientia Dei est, non indiget ipsa sapientia : sed secundum illud accipiendum quod in Evangelio dicitur : Jesus proficiebat ætate, sapientia et

A gratia coram Deo et hominibus (*Luc.* II). *Insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.* Noctem, tempus significat passionis : in quo interiori erudita est divinitate humana fragilitas. *Insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.* Delectationes carnales tunc me increpant, quando mihi suggerunt ut peccem, quando delectatur caro. Sed nisi tu fuisses a dextris, forsitan infirmarer.

Providebam Dominum in conspectu meo semper. Filius Patrem, Ecclesia Christum. *Quoniam a dextris est mihi ne commovear.* Ac si dicat : Si tu non fuisses a dextris, forsitan commotus essem de fide ad infidelitatem, de bono ad malum.

Propter hoc lætatum est cor meum, etc. Propter resurrectionem lætatus sum, quia per eam liberatus

B est mundus. Aliter : *Propter hoc lætatum est cor meum, et exsultavit lingua mea.* Propter istud, quod me adjuvas, cor meum lætatur, lingua mea prædicat. *Insuper et caro mea requiescet in spe.* Vox Christi. Pro persona corporis requiescit in spe. Ac si dicat : Ecclesia, quæ est caro mea, modo requiescit in spe. Id est, in spe resurrectionis : ut ubi caput præcessit, membra sequantur.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno. Non derelinques : quia propterea illuc descendit, ut electos suos exinde ejiceret, et diabolum ligaret. Diabolus antea se taliter jactabat, ut omnia regna mundi haberet, sed modo non solum illum tenere non potuit, sed potius a Christo ligatus perhibetur. *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quo-

C modo dicit : Non dabis videre corruptionem : dum alibi dicit : Quæ utilitas in sanguine meo dum descendero in corruptionem (*Psal.* XXV)? Non de corruptione corporis Christi in sepulcro dicit; sed de cæterorum sanctorum.

Notas mihi fecisti vias vitæ. Vox capitis pro corpore. Viæ vitæ, mandata Christi sunt : ut scriptum est : Si vis ad vitam ingredi, serva mandata (*Matt.* XIX). *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Tunc erit plena lætitia, cum adunatum fuerit corpus Ecclesiæ in regnum Dei : hoc est, cum tradiderit regnum Deo Patri suo : tunc erit Deus omnia in omnibus. *Delectationes in dextera tua usque in finem.* Dextera Patris, Filius est. *Delectatio vitæ æternæ in dextera :* id est, in prosperitate quæ Filio datur : *usque in*

D *finem :* ac si dicat, sine fine : quia finis legis Christus est ad justitiam omni credenti : quia plenitudo legis charitas, et finis præcepti charitas. Aliter : *Delectationes in dextera tua usque in finem.* In illa delectabili potentia tua qua tecum sancti sunt regnaturi, quæ nullo fine concluditur. Unde eos deprecamur ut ab his nequaquam disjuncti, si non meremur vestiri gloria, non excludamur a venia. Tibi est enim cum æterno Patre et Spiritu sancto honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XVI.

Sextus decimus psalmus orationem continet personæ Dominicæ conjuncto sibi corpore, quod est Ecclesia. *Oratio David.* Ad tres personas intelligitur.

Hæc oratio in quatuor psalmis habetur. Iste psalmus cantatur ex persona Christi contra Judæos : et ex persona Ecclesiæ contra hæreticos. Exponunt Hebræi, quod quando psalmum David cantavit, quia dixit : *Exaudi, Domine, justitiam meam :* pro ipsa præsumptione qua se exaudiri pro sua justitia jactabat, cecidisset in crimen.

Exaudi, Domine, justitiam meam. Juxta LXX, *Deus justitiæ*, vel Deus justus natura. Nam, *Exaudi, Deus, justitiam* [a] *meam :* hic persona Christi datur intelligi. *Exaudi, Deus, justitiam meam :* vox Christi in passione, et vox Ecclesiæ in tribulatione. Vel justitiam dicit Ecclesia suam, et non suam: Quid [*Fort.* quia] suam, si implet mandata Dei in opere. Non suam : quia a Deo datur, non a se. *Exaudi, Deus, justitiam meam :* quia tibi usque ad mortem obediens fui. *Intende deprecationem meam.* Differentia est inter orationem et deprecationem. Oratio sanctorum est pro devotis, ut perseverent in bono. Deprecatio, pro peccatis suis, vel aliorum. Totius est deprecatio.

Auribus percipe orationem meam. Hoc est, in hoc quod rogo, *auribus percipe orationem meam.* Orat enim non diminutio deitatis, sed infirmitas carnis. *Non in labiis dolosis.* Sed per puritatem quæ tibi est placita.

De vultu tuo judicium meum prodeat. Non in labiis dolosis. Ac si dicat : Exaudi orationem meam, quia ex toto corde oro : non sicut illi qui in labiis dolosis, quia aliud loquuntur, et aliud habent in corde, sive hæretici, sive Judæi. *De vultu tuo judicium meum prodeat, non in labiis dolosis.* Vox Christi ad Patrem. Quia qui labia habent dolosa, me judicant, sed illos tu judica in futuro. Propheta non optando, sed pronuntiando dicit. Hoc ostendit quod facturus est Dominus in judicio. *Oculi mei videant æquitatem.* Oculi Christi, sancti prædicatores, videant, id est, intelligant, æquitatem, id est, æqualitatem, ut justitiam quam prædicant, opere impleant.

Probasti cor meum, Deus, et visitasti nocte. Etiam in angustiis me probasti : quia tristis, et velut in quadam pressura sum noctis tenebrosæ. *Probasti cor meum, Deus.* Vox Christi ad Patrem. Probasti Christum in passione, et Ecclesiam in tribulatione. *Igne me examinasti.* Id est, per ipsam tribulationem peccata mea confudisti. *Et non est inventa in me iniquitas. Ut non loquatur os meum opera hominum.* Qualia sunt opera hominum? Vanitates quas ipsi amant : vel diversa negotia, ista sunt hominum opera : sicut in Evangelio Dominus dicit (*Matth.* XXI). Quod si de verbo otioso redditur ratio : quanto magis de operibus hominum, quæ ex ipso sensu studiose loquuntur.

Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. Propter prædicationem et propter ea quæ promittuntur in cœlis, custodivi vias duras. Quomodo dicit hic duras, dum in Evangelio dicitur : Jugum meum suave est, et onus meum leve (*Matt.* XI)? Suave est volentibus : durum est nolentibus. Quamvis durum videatur esse ad sanctos propter corporalem tribulationem, tamen suave est : quia habent spem vitæ æternæ : Vel aliter : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Ac si dicat : Timens futura supplicia, quæ legis transgressoribus comminatus es, duris me laboribus exercui, et subjeci corpus animæ potestati.

Perfice gressus meos in semitis tuis. Sensus meos in mandatis tuis perfice. Vox Ecclesiæ. Quia a Deo est incipere, et a Deo est finire. Gressus, sensus. *Ut non moveantur vestigia mea.* Ab his quorum moti sunt pedes : id est, quicumque male fecerunt.

Ego clamavi, etc. Quare dixit, *clamavi?* Quia credidit per fidem : propterea dixit, *Ego clamavi. Inclina aurem tuam mihi*, etc. Christus aurem inclinat, quando exaudire dignatur. Per similitudinem infirmi rogat, qui in lecto est, ut veniat medicus, et sanet infirmitates suas. Sic et genus humanum infirmum erat : quando jacebat in lecto : id est in peccato. Rogabat ut veniret verus medicus, qui est Christus in carne, et sanaret languores suos.

Mirifica misericordias tuas, Domine, etc. Numquid antea non fuerant mirificatæ? Sed tunc mirificavit misericordias suas : quando per sanctos apostolos et sanctos suos infirmitates curabat.

A resistentibus dexteræ tuæ. Salvos facis a resistentibus dexteræ tuæ tripliciter : dæmones, Deum : Judæi, Christum : hæretici, Ecclesiam. *Custodi me, Domine, ut pupillam oculi.* Vox Ecclesiæ. Oculus intelligitur corpus Ecclesiæ, et pupilla humilitas Christi, per cujus exemplum vivimus, et videmus. Hoc supplicat Ecclesia, ut possit illam humilitatem observare quam Christus docuit. Quia si per pupillam non custoditur oculus, nequaquam videt. Quia oculi prædicatores intelliguntur, per pupillam sensus spiritualis. Hoc rogat corpus Christi quæ est Ecclesia, ut custodiatur sensus prædicatorum, qui est oculus : ne rapiatur in infidelitate hæreticorum.

Sub umbra alarum tuarum protege me. Umbra duabus rebus constat : lumine et corpore. Per lumen, divinitas : per corpus, humanitas intelligitur. Unde et Mariæ dicitur : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc.* I). Sub ista umbra protege me, ut me non rapiat milvus. Et sub duabus Testamentorum alis : id est, ipsorum doctrinis quibus vivitur, et custoditur, ac tegitur sicut gallina : quia per gallinam intelligitur sapientia Dei Patris. Quia sicut gallina sub alis pullos suos abscondit propter milvos : sic et sapientia divina, et duæ alæ, quæ sunt duo testamenta, protegunt Ecclesiam a milvo : hoc est, a diabolo. *A facie impiorum qui me afflixerunt.* Judæi Christum in passione, et hæretici Ecclesiam.

Inimici mei animam meam circumdederunt. Judæi Christum in passione. Animam dixi [*F.* dixit], non corpus : quia diabolus in anima intrinsecus nescit quid cogitet homo, nisi per exteriores motus intelli-

[a] Minime vero *meam* addunt Septuaginta, qui tantum habent εἰσάκουσον, κύριε, τῆς δικαιοσύνης : quin, ut vetus scholiastes notat, ipsi veteres interpretes, τὸ μοῦ οὐ προσέθηκαν.

gat, et in quo unumquemque delectari videt, diversas suggestiones infert. Istud ad Ecclesiam pertinet, *Adipem suum concluserunt*. Quid per adipem, nisi malitia Judæorum designatur? Quæ in veteri Testamento adipem manducare prohibetur : quia cor eorum incrassatum erat. Unde dixit in Cantico Deuteronomii : Incrassatus est dilectus, et recalcitravit (*Deut.* XXXII). Quare? Quia incrassatus erat de malitia, et recalcitravit : quia nolebat mandata Dei observare. Dilectus a Deo fuit populus Judaicus : quia manna divinum pluit illis : quod ad nos pertinet, quia manducamus Christum. Sed Judæi contempserunt semetipsos : hoc est, obligaverunt se in malitia. *Os eorum locutum est superbiam*. Os impiorum : quia contra Christum, et contra Ecclesiam faciunt.

Projicientes me nunc circumdederunt me : oculos suos statuerunt declinare in terram. Quando Christus passus est, omnis terra tremuit, et sidera obscurata sunt, et petræ scissæ sunt. Sed Judæi oculos in terram statuerunt, quia hominem solum existimaverunt, et divinitatem non intellexerunt. Vel oculos suos in terram statuerunt : quia de terrenis actibus cogitabant, sed de cœlestibus non meditabantur.

Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam, etc. Sicut leo paratus est ad prædam : sic susceperunt Judæi Christum in passione. *Et sicut catulus leonis*. Leo, diabolus : catulus, filius ejus Antichristus. Vel aliud. Leo, diabolus : et filii ejus, Judæi. *In absconditis*, in eorum cordibus, quasi in obscuro. Diabolus, vel membra illius in quibus diabolus habitat, appellantur loca abscondita.

Exsurge, Domine, præveni eos, etc. Vox Christi loquitur ad divinitatem, ut præveniat animæ suæ, ne rapiatur a principe diabolo, quod ita et fecit. Prævenit eum, et alligavit, et ad infernum deduxit. Veniebat diabolus aliquid de suo requirere in Christo, sed in eo nihil invenit, ut dixit in Evangelio : Venit princeps hujus mundi, et in me non invenit quidquam (*Joan.* XIV). Et sancta Ecclesia rogat antequam supplantetur a diabolo, et in ejus insidiis, qui sunt hæretici : ut veniat catholicus noster, qui est Christus, et subvertat astutias inimici, id est, supplantet. *Erue animam meam ab impio, gladium tuum ab inimicis manus tuæ*. Oro, gladium manus tuæ erue ab inimicis tuis, inimicus enim accepit potestatem ut propter peccata nos puniat. Quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare, ait Apostolo (I *Tim.* I). *Erue animam meam ab impio*. Vox Christi ad Deum Patrem loquitur : hoc est, erue animam meam a diabolo. Et vox Ecclesiæ ad Christum hoc rogat, ut liberetur a diabolo, vel ab hæreticis, et ab unoquoque homine malo. *Frameam tuam ab inimicis manus tuæ*. Framea de Christo, et de Ecclesia intelligitur. Framea Dei Patris, anima Christi est, de qua facit justam vindictam. Diabolus framea ejus est, de qua framea vindictam facit in mundo.

Domine, a paucis a terra divide eos, etc. Vox Ecclesiæ. *A paucis, a terra*. Vult Ecclesia separari a carnalibus, et a zizania, et a paleis ante diem judicii : sed sine causa : quia a Deo accepit responsum, sicut Dominus dixit in Evangelio : Sinite utraque crescere usque ad messem (*Mat.* XIII) : hoc est, usque in diem judicii. Quia hic Ecclesia commixta est cum peccatoribus : rogat pro illis qui prædestinati sunt, ut veniant, et separentur ab illis qui non sunt prædestinati, ut dicitur : Multi vocati, pauci vero electi (*Mat.* XXII). Supplanta eos qui in impietate sunt; ut hic emendari debeant, aut in futuro supplantentur in vindicta. *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum*. Tripliciter hic intelligitur venter. Venter, castitas, intelligitur, ut dicit [a] Eucherius. Et angelorum venter repletus fuit mysteriis Dei antequam cecidissent, et Judæorum venter de mysteriis legis, et hæreticorum venter de mysteriis Ecclesiæ.

Saturati sunt filiis. Judæi saturati sunt : quia multiplicati sunt in procreatione filiorum, et in rebus sæculi. Quando dicit, [b] *saturati sunt porcina*, hoc Judæorum immunditiam designat. *Dimiserunt reliquias suas parvulis suis*. Hoc est illam justam vindictam quæ illis debetur. *Reliquerunt reliquias suas parvulis suis* ; hoc est, quando dixerunt : Sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Mat.* XXVII). Et hæreticorum filii similiter condemnationem habebunt. Qui sunt reliquiæ eorum? Ipsorum discipuli, qui de illa mala doctrina eorum regenerati sunt. *Saturati sunt filiis, et reliquerunt residua parvulis suis*. Propter ambiguitatem verbi, quidam pro filiis, porcinam scriptum arbitrantur, quod Symmachus, Hebræam exprimens veritatem, transtulit, *saturabuntur filiis, et relinquent residua parvulis suis*. Saturati sunt filiis, et dimiserunt reliquias suas, immunditiam, et iniquitatem : conculcantes margaritas sermonum tuorum. Et dimiserunt reliquias suas parvulis suis, clamantes : Sanguis ejus super nos et super filios nostros.

Ego autem cum justitia apparebo in conspectu tuo. Vox Ecclesiæ. *Cum justitia* : hoc est, mandata tua adimplere. *Apparebo in conspectu tuo* : hoc est, in præsentia tua in futuro. *Satiabor*. Cœlesti refectione. *Cum apparuerit gloria tua*. Filius tuus, qui est salus, et vita, et Sanctorum omnium gloria : quia Christus et salus, et gloria dicitur. *Ego autem in justitia apparebo*, devicta morte. *In conspectu tuo satiabor*, cœlos ascendens. *Cum apparuerit gloria tua*, sanctis

[a] Quem laudat Eucherius uno fere sæculo post Hieronymum claruit.

[b] Ita enim vero, *saturati sunt porcina*, vel *suilla*, vetera quædam Latina exemplaria ex Græco legebant, ubi pro υἱῶν, *filiis*, lectum ὑῶν, *porcis*, vel ὑείων, ut hodiernus quoque Græcus textus habet *porcinis*, sive, *porcina*. Consule epistolam S. Paulini 50, ad Augustinum; et Augustini ad eumdem 149, n. 4 et seq. Quod Symmachi interpretationem spectat, mss. exemplaria pleraque legunt υἱοί, in casu recto, *saturabuntur filii*, quemadmodum etiam Agellius ad Symmachum, atque Eusebius, et Theodoritus, aliique testantur.

et electis tuis qui per me crediderunt : quia meum A est quod illis est præstitum. Nam ego in illis sum, et ipsi in me tecum. Nos vero a te redempti, Domine Jesu, tantam potentiam pietatemque cernentes, supplices exoramus, ut examinati divino igne, non simus humanorum operum detractores, sed in te stabiles fixique tuam gloriam jugiter extollamus in opere, proferamus in fide, laudemus in voce. Amen.

PSALMUS XVII.

In finem, pro puero Domini David : quæ locutus est Domino verba cantici hujus, in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, et de manu Saul. Totus hic psalmus sub persona David ad Christum pertinet. David Christi typum tenet, qui est *manu fortis*, de cujus semine est noster David, qui est Christus. *Puero Domini*, hoc est, Dei Patris, sicut ait propheta. Magnum B est tibi vocari filium meum. Etenim ecce ego, et pueri mei quos dedit mihi Deus. Et propheta Isaias : Puer datus est nobis, filius natus est nobis. *Quæ locutus est Domino verba cantici hujus.* Et David secundum historiam cantavit istud canticum cum persequeretur ab inimicis, et Christus, qui est caput nostrum, et ad Patrem cantavit in passione : Ecclesia in persecutione. Eripuit eum Dominus : hoc est, et David a persecutione Saul, et Christum in passione Deus Pater eripuit de manu inimicorum ; hoc est, de manu Judæorum, et de manu Saul. Saul *appetitio* interpretatur, quia contra voluntatem Dei expetierunt eum regem. Iste Saul typum diaboli gessit. Isti inimici membra diaboli sunt : id est, Judæi qui persecuti sunt Christum, et dæmones, vel membra eorum qui persequuntur Ecclesiam.

Diligam te, Domine, virtus mea. Alii dicunt, *forti-* C *tudo mea*, sed unum est virtus, et fortitudo. Totus hic psalmus sub persona David, ad Christum pertinet : qui est vera fortitudo. *Diligam te, virtus mea.* Vox Christi. *Virtus mea :* hoc est, divinitas : virtus hominis assumpti. Et Ecclesia virtus Christi est, qui dicit : *Diligam te, Domine.* Si vox Christi est, cum sint unum, una et substantia divinitatis, quia dictum est : Una potestas, una voluntas, una majestas Patris, et Filii, et Spiritus sancti : quomodo dicit, *diligam te, Domine.* Pater dicitur eo quod habet filium, et Filius dicitur eo quod habeat patrem. Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius, sed dilectio quam habet Pater in Filio, et Filius in Patre. Unde Paulus apostolus dixit : Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum D sanctum qui datus est nobis (*Rom.* v). *Dominus firmamentum meum.* Vox Christi, et vox Ecclesiæ. Firmamentum, sicut ait propheta ; turris fortitudinis a facie inimici (*Ps.* LX). *Et refugium meum.* Vox Christi, et vox Ecclesiæ. Refugium Christi in Patre, et refugium Ecclesiæ in Christo. *Et liberator meus*, in tribulatione.

Deus meus, qui me creasti. *Adjutor meus*, de necessitatibus. *Sperabo in eum*, in ipsum totam spem ponam.

Protector meus, qui me protegis, vel defendis. *Et cornu salutis meæ. Cornu salutis :* quia infirmitatem nostram confortavit. Quia ante adventum Christi Ecclesia infirmata erat per peccatum, sed postea confortata per Christum, sicut ait propheta : Erexit cornu nobis salutis nostræ (*Luc.* I). Ac si dicat : Dedit nobis regnum forte, ut illud : Et fecit nos regnum Deo Patri suo (I *Thess.* II). Non ergo in cornu illud superbiæ, sed in cornu salutis tuæ, adjutorium habere confido. *Susceptor meus.* Susceptus est Christus a Patre in humanitate, et Ecclesia suscipitur in fide.

Laudans invocabo Dominum. Justi laudant : quia de omnibus malis liberavit eos, pro eo quod sequitur : *Et ab inimicis meis salvus ero.* Invocavi Dominum. Christus invocavit Deum Patrem. Ecclesia Christum. *Et ab inimicis meis salvus ero*, Christus a Judæis, et Ecclesia ab hæreticis.

Circumdederunt me gemitus mortis. Vox Christi, et vox Ecclesiæ. Circumdederunt Christum illi qui in inferno gemebant, qui in inferno erant, et Ecclesia similiter. *Et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Torrentes aquas dicit quæ pertranseunt. Torrens dicitur qui non de fonte neque de viva aqua, sed a pluviis, vel de montibus in valles descendit, et in mare vadit. Quid per torrentes, nisi universas gentes significat, quæ per montem carnis in mare istud descendunt? Unde scriptum est : Generatio vadit et generatio venit (*Eccles.* I) : Et aliter. *Et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Turbæ iniquorum, quæ sicut torrentes in hyeme intumescunt, protinus defluentes.

Dolores inferni circumdederunt me. In die detrahentium, quæ mortem infernalem operantur. *Prævenerunt me laquei mortis.* Prævenerunt Christum inimici in passione ante vindictam crucis, *laqueis mortis*, quos mihi adversarii intendebant.

Et in tribulatione mea invocavi Dominum. Humanitas invocavit divinitatem, et Ecclesia Christum : non oris voce, sed cordis. *Et ad Deum meum clamavi, et exaudivit de templo sancto suo vocem meam.* Templum corpus dominicum, ubi exaudita est humanitas a divinitate, et Ecclesia similiter a Christo. In templo, in sancta Ecclesia. Et aliud. In corde meo quod sanctificavit : in quo templo sancto inhabitat. *Et clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus. Aures ejus :* hoc est, vis auditionis. Vis fortitudo est, qua sancti fortiter deprecantur, quia dictum est, Regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud.

Commota est, et contremuit terra. Secundum historiam factum fuit : quando Moyses accipit legem in monte Sina. *Terra tremuit*, quod præfiguravit passionem Christi, quia in passione Christi omnis terra tremuit, quando nova lex data est populo Christiano. Aliter : *Commota est terra*, quando de infidelitate ad fidem venerunt, et credentibus terrenis, factum est cœlum. *Fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt.* Hic montes superbi intelliguntur. Fundamenta eorum, dæmones sunt : sicut et fundamenta sanctorum, prophetæ et apostoli sunt. Unde dicit sanctus Paulus : *Ædificati*

super fundamenta prophetarum, et apostolorum: *Fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt* (*Ephes.* II), eorum superbia qui in hoc mundo confidunt. *Quoniam iratus est eis Deus.* Hoc est, eis montibus, vel persecutoribus: dissipans spem mundialium voluptatum.

Ascendit fumus in ira ejus, etc. Fumus ex duabus rebus fit: ex igne et aqua. Per fumum, lacrymæ excitantur, et per ignem compunctio cordis intelligitur, et per lacrymas, aqua. *Carbones succensi sunt ab eo.* Quid per carbones, nisi bonæ naturæ genus humanum, exstinctum per Adam, in adventu Christi illuminatum per baptismum sive per pœnitentiam designatur? Exstinguuntur carbones ab aqua, quæ est cupiditas: et illuminantur per gratiam, quæ est Spiritus sanctus.

Inclinavit cœlos et descendit. Hoc est, quod in alio psalmo ait: Descendit sicut pluvia in vellus (*Psalm.* LXXI): quia humilem se nobis, et in forma servi occultum præbuit, et latentem. Vel aliud: Cœli, angeli inclinati sunt, quando Gabriel ad Mariam venit, et descendit Christus, et venit in carnem. Vel aliter: Cœli, sancti apostoli, vel imitatores eorum. Inclinaverunt ab altitudine: hoc est, de contemplatione, ut doceant brutos, infirmos in Ecclesia propter compassionem proximorum. Vel ad conjugatos, ut sanctus Paulus ait: Vir reddat debitum uxori, et uxor similiter viro (I *Cor.* VII). *Et caligo sub pedibus ejus.* Invisibilem substantiam Dei, et judiciorum occulta significat. Vel aliud: *Et caligo sub pedibus ejus. Caligo*: hoc est, profunditas Scripturarum: quam dedit Deus pedibus suis, qui sunt sancti sui: id est, Ecclesiæ suæ: quia in sensu sanctorum ibi est profunditas Scripturarum, et Christus super illos præsidet.

Et ascendit super Cherubim. Hoc est, super plenitudinem scientiæ, Christus ascendit cum corpore suo super omnes angelos, et archangelos. Cherubim, interpretatur, *plenitudo scientiæ*, quæ est charitas: quia plenitudo legis est dilectio, hoc est charitas. Christus super hoc ascendit, sicut in Evangelio ipse Dominus dicit: Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* XV). Quod ita Christus fecit, qui animam suam pro amicis dedit. *Et volavit*, etc. Secundum historiam quod prius est, volavit super pennas ventorum: quia velocior est ventus omnibus creaturis, et Dominus velocior est vento, quia penetrat usque ad fines terræ, et omnia suaviter disponit. Quia ultra ventum ipse est, ideo velocior. Et ad moralem sensum: animam significare voluit vento. Sicut ventus iste invisibilis est, ita et anima. Ventus movet corpus, et anima movet corpus similiter. Sed cur ventum appellavit animam? Hoc est, quia Deus insufflavit in Adam. Non quod corporalis sit Deus Pater: sed hoc insufflavit, quando animam dedit, ut ait, propheta: Tu, Domine, creas omnem flatum (*Isai.* LVII). Per hæc intelligimus omnes animas a Deo esse creatas. *Et volavit: volavit super pennas ventorum*: hoc est, virtutes sanctarum animarum, quia Christus velocior est vento, et levior quam anima, et præcelsior angelis et sanctis.

Posuit tenebras latibulum suum, etc. Latibulum seipsum dixit in Scripturis. *In circuitu ejus tabernaculum ejus.* Christus in Maria quasi sponsus in thalamo, et corpus Mariæ quasi tabernaculum. Tenebras dicit: eo quod nobis obscura est Incarnatio, vel Nativitas ejus. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris.* Nubes prophetæ sunt: et aqua, doctrina eorum, quia obscuræ sunt Scripturæ prophetarum. Quia sicut nubes pluviam portant, et terram aridam irrigant, sic et prophetæ per eorum doctrinam irrigant corda arida.

Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt. Fulgura, illuminatio Spiritus sancti. Ipse nubes scilicet prophetæ, transierunt in Judæis ad gentes, Spiritu sancto gubernante. Per fulgura ignis, compunctio cordis intelligitur. *Grando, et carbones ignis.* In grandine, verbera: in igne, charitatis accensio ostenditur: quibus fidelium corda moventur ad cognoscendum Deum.

Et intonuit de cœlo Dominus. Per sanctos suos intonuit: quasi de cœlo per justorum corda evangelizavit. *Et Altissimus dedit vocem suam.* Per evangelistas malitiam humanam disperdidit. *Altissimus vocem suam dedit*: hoc est, prædicationem, ut ait propheta: Vox tonitrui tui in rota (*Psal.* LXXVI), id est, prædicatio eorum in toto mundo.

Et misit sagittas suas, et dissipavit eos. Misit verba sua sancta quasi sagittas, quæ pleniter et malis, et bonis prædicant. Bonos remunerat Deus, si faciunt: et malos conterit, si audiunt, et non faciunt. Unde sanctus apostolus ait: Alii quidem sumus odor vitæ in vitam, et alii odor mortis in mortem (II *Cor.* II). Odor vitæ sunt his, qui audiunt et faciunt; et odor mortis sunt his qui audiunt et non faciunt. Quia prædicatores nesciunt qui sunt prædestinati; tamen fiducialiter prædicant. *Et fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.* Fulgura, miracula, atque claritas virtutis suæ. *Conturbavit illos.* Per illa miracula apostolorum compuncti sunt, et illi qui dixerunt ad Petrum: Quid faciemus, viri fratres? Et ille: Pœnitentiam, inquit, agite: et baptizetur unusquisque vestrum (*Act.* II).

Et apparuerunt fontes aquarum. Fontes apostoli, quasi aquis de uno fonte potati sunt. De uno fonte qui est Christus, satiati fuerunt apostoli, sicut in Evangelio dixit. Qui biberit aquam quam ego dabo ei non sitiet in æternum (*Joan.* IV). Et aliter: *Fontes aquarum*, illi, qui per baptismi sacramentum facti sunt peccatoribus fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam. *Et revelata sunt fundamenta orbis terræ.* Prophetæ atque apostoli super quos omnium Ecclesiarum fundamenta locantur. Revelata sunt fundamenta orbis terræ, secundum historiam, quando in passione velum templi scissum est desursum usque deorsum, et illa quæ in templo erant apparuerunt. Et ad sensum de littera sensus spiritualis,

quia quod ibidem latebat in figura, omnibus patuit per mysteria.

Ab increpatione tua, Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ. Ab increpatione tua, Domine, cum diceres: Nisi vos filius liberaverit, moriemini in peccatis vestris (*Joan.* VIII). *Ab inspiratione spiritus iræ tuæ,* promittens in his appropinquare regnum Dei.

Misit de summo et accepit me. Vocando me. *Et assumpsit me de multitudine aquarum.* Adversantium populorum. Vel aliter: *Misit de summo, et accepit me, et assumpsit me de multitudine aquarum.* Deus Pater misit Filium suum, sicut dictum est: Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I). Misit sponsus ad sponsam: verum sponsum junxit sponsæ: hoc est, carnem in utero virginis Mariæ. *Assumpsit me de multitudine aquarum:* id est, de multitudine populi, Ecclesia collecta est. Aquæ multæ, populi multi.

Eripuit me de inimicis meis fortissimis. Deus Pater eripuit Christum a Judæis, et Ecclesiam ab hæreticis. *Et ab iis qui oderunt me, quia confortati sunt super me.* Oderunt Judæi Dominum, et hæretici Ecclesiam. Quia confortati sunt super me, quasi vincere potuissent.

Prævenerunt me. Ut superius diximus, ante vindictam crucis. *Et factus est Dominus protector meus.* Deus Pater Filium suum protexit, et Filius Ecclesiam suam.

Eduxit me in latitudine. Eduxit Ecclesiam de tribulatione, quasi de angustia: *In latitudine:* quæ est spes futuri, vel remuneratio vitæ æternæ. *Salvum me fecit, quoniam voluit me.* Vox Ecclesiæ, qui me voluit, ut exhiberet sibi Ecclesiam. *Quoniam voluit me.* Voluntate propria, et non ex meo merito me vocavit, dicente Apostolo: Gratia estis salvati per fidem: et hoc non ex vobis (*Ephes.* II).

Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum innocentiam manuum mearum retribuet mihi. Quæ autem sit justitia, et innocentia manuum ejus: audi quid sequitur: Quia, inquit, custodivi, ut viæ Dei custodiantur, et nihil impie de eo cum hæreticis sentiatur.

Quia custodivi vias Domini. Id est, sua mandata. *Nec impie gessi a Deo meo.* Ut ad idolum converterem laudem.

Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo sunt semper. Quatuor sunt judicia Dei: duo de præsenti, et duo de futuro. In præsenti, prosperitas malorum, et tribulatio sanctorum. In futuro, remuneratio sanctorum, et condemnatio peccatorum. Ecclesia adhæret Christo, quia Christus non fecit peccatum: nec inventus est in ore ejus dolus. Et Ecclesia Christo adhæret, *quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo sunt semper. Et justitias ejus non repuli a me.* Sed amplexus sum eas.

Et ero immaculatus cum eo, et observabo me ab iniquitate mea. Perseverabo in illa innocentia, in qua vocatus sum. *Et observabo me ab iniquitate mea:* id

A est, non convertar ad illam iniquitatem ubi prius fui in infidelitate.

Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus. Per oculos, aspectus divinitatis intelligitur: quia ipse aspicit quidquid operatur homo in mandatis Dei. In retributione beatorum, qui eam per altitudinem spei considero.

Cum sancto sanctus eris, cum eo qui a te sanctificatur. *Et cum viro innocente, innocens eris*, cum eo qui non corruperit vitiis vitam suam.

Et cum electo, electus eris, cum illo quem præscitum scis. *Et cum perverso, subverteris*, cum hæretico, qui male intelligendo pervertit divina eloquia: sicut alibi Judæis ipse Dominus loquitur: Si in-

B cesseritis perverse coram me, incedam et ego perversus vobis. *Cum sancto sanctus eris.* Tu, Christe, sanctus natura es: quem tu sanctificaveris, ab ill cognosceris, quoniam tu sanctus es. Vox prophet ad Christum: Quem tu innocentem feceris, ab il lo cognosceris, quod tu innocens es: quia nulli n ces, ideo innocens. Quem tu elegeris, ut sit elec tus: ab illo cognosceris quod electus es, ut Paul dixit: Comprehendam autem a quo comprehens sum (*Philipp.* III). Perversi dicuntur, qui de rect tudine declinant ad perversitatem, ut diabolus, Judas, et hæretici, et omnes superbi. Quoties De facit justam vindictam, reprehendunt illum, cu eligit pauperes, et reprobat potentes, cum el piscatores, sicut Petrum, et reliquit nobiles. H

C perversum videtur esse apud perversos, ut pr pheta ait: Viæ Domini rectæ (*Ose.* XIV), sed v vestræ perversæ.

Quoniam tu populum humilem salvum facies, q superius diximus. *Et oculos superborum humilia* *Quoniam tu populum humilem salvum facies*, pœ tentiam agentem, *et oculos superborum humiliab* quia elati superbia, pœnitentiam agere de gnantur.

Quoniam tu illuminas lucernam meam. Quid lucerna nisi intellectus animæ? Sicut oculi corpor si de lucerna exteriori non habent lumen, in te bris non vident: ita et intellectus animæ nisi il minetur ab altero, hoc est a Christo, non vid sicut in Evangelio dicit: Erat lumen verum, q

D illuminat omnem hominem venientem in hunc m dum (*Joan.* I). *Domine Deus meus, illumina te bras meas.* Hoc est ignorantiam cordis. Unde scr tum est: Si lumen quod in te est, tenebræ s ipsæ tenebræ quantæ erunt (*Matth.* VI)? Et apo lus ait: Fuistis aliquando tenebræ, nunc au lux in Domino (*Ephes.* V).

Quoniam in te eripiar a tentatione. Vox Eccle Nisi a Deo eripiar, per me nequaquam possum. *in Deo transgrediar murum.* Murum dicit Eccle peccata nostra: quem ædificamus, peccatis pec augendo. Nisi a Deo destruantur illa peccata, possumus per nos transire ad Deum.

Deus meus, impolluta via ejus. Impolluta via:

est, incarnatio ejus : quia non est ex virili semine, A sed de Spiritu sancto conceptus. Et aliter : Fides perfecta Ecclesiæ, impolluta via ejus dicitur per quam Deus venit ad nos. *Eloquia Domini igne examinata. Eloquia Domini*, sua mandata, in hoc Deo sunt placita : non quod ipsa sint examinata ab igne, aut quod fuissent inquinata ; sed qui illa acceperit, faciant eum ut aurum mundum, purificatum per ignem. *Protector est omnium sperantium in se.* Qui in eum credunt. Deus illos protegit, qui sancto timore illum timent.

Quoniam quis Deus præter Dominum : aut quis Deus præter Deum nostrum? Hic Trinitas intelligitur. Præter Dominum, quod dixit, Deus Pater intelligitur. Præter Deum nostrum : Filius : et tertia persona, id est, Spiritus sanctus : quia Deus Pa- B ter, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, unus est Deus.

Deus qui præcinxit me virtute. Per similitudinem, sicut homo præcingit vestimenta sua, ut non noceant pedibus, qui sunt sensus : et manibus, quæ sunt opera. *Præcinxit :* hoc est, ut restringant sinus cupiditatis, ut supra dixi, ne impediantur per cupiditatem. Vel aliter : *Deus qui præcinxit me virtute :* Spiritus sanctus qui nos armat adversus potestates iniquas, secundum Apostolum : Induite vos arma Dei, et gladium Spiritus sancti, ut possitis resistere diabolo (*Ephes.* VI). Conticescant nunc hæretici aspicientes hic Trinitatem expressam, et cognoscant Filium quem minorem Patre dicunt, primum a propheta prænuntiatum, non quasi priorem, sed nihil C inferiorem. *Et posuit immaculatam viam meam.* Hoc est, fidem meam, ne ab ea violarer.

Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum. Sicut cervi calcant pedibus spinas, et transiliunt silvas : ita sancti calcant spinas, id est, peccata; transiliunt silvas, id est, infidelitatem : et subeunt usque ad Deum, hoc est, usque ad altitudinem charitatis. *Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum*, ad transilienda sæculi hujus impedimenta. *Et super excelsa statuit me.* Excelsa, sancta Ecclesia est : et Christus super excelsa, et excelsa super excelsa : id est, super sublime Ecclesiæ. *Super excelsa statuit me*, spem meam in cœlestibus collocavit.

Qui docet manus meas ad prælium. Opera mea adversus diabolum destructorem. *Qui docet manus* D *meas ad prælium*, ad debellanda facinora. *Et posuit ut arcum æreum brachia mea. Arcum æreum :* id est, intentio, *brachia*, fortitudo : hoc est, ut non deficiant bene agere.

Dedisti mihi protectionem salutis tuæ. Vox Ecclesiæ ad Christum. *Salutis :* quia ipse est salus nostra, ut dicit : Domini est salus. *Dedisti mihi protectionem salutis tuæ :* ne opprimar a malis. *Et dextera tua suscepit me.* Dextera Patris Christus est. *Suscepit me*, Ecclesiam per incarnationem. *Disciplina tua correxit me in finem.* Quem enim diligit Dominus, corripit. Erigimur ergo qui prius corrueramus, cum cæsi a Domino fuerimus. *Et doctrina tua ipsa me docebit.* Necesse est dum sumus hic, sub doctrina esse. Unde Paulus ait : Omnis, inquit, doctrina in præsenti non videtur esse gaudii, sed mœroris, sed postea in futurum reddit fructum plurimum (*Hebr.* XII).

Dilatasti gressus meos subtus me. Sensus Ecclesiæ : *sub me*, sub potestate Ecclesiæ. *Dilatasti gressus meos subtus me*, in amplitudine charitatis tuæ. *Et non sunt infirmata vestigia mea.* Vestigia, exemplo Ecclesiæ, non sunt infirmata a successoribus : quia impressi sequentibus me. Hinc vox Christi post resurrectionem.

Persequar inimicos meos, et comprehendam illos. Judæos utique, qui ei injuste inimici sunt facti. Vel aliter : *Persequar inimicos meos*, affectus carnales. *Et comprehendam illos*, antequam ego comprehendar ab illis. *Et non convertar donec deficiant*, etc. Non convertar pugnare contra illos : vel non convertar ab hac intentione donec deficiant, sive a malitia, sive a cogitationibus pravis. Affligam illos in multis malis, sicut jam factum tempore legimus Titi. *Nec poterunt stare*, quia iniqui, et superbi erecti fuerant. *Cadent subtus pedes meos*, sive ut adorent, sive ut conculcentur.

Præcinxisti me virtute ad bellum, contra mortem, sive ministros ejus. *Præcinxisti me virtute*, id est, fortitudine contra diabolum, vel contra ista supradicta vitia. *Supplantasti insurgentes in me subtus me*, illos qui super caput meum erigebantur.

Et inimicos meos dedisti mihi dorsum. Noluerunt enim convertere faciem suam ad me. *Et inimicorum meorum dedisti mihi dorsum.* Inimici mei dorsum dant, quando confugiunt, et quando post me vadunt. *Et odientes me disperdidisti.* Omnes inimicos Ecclesiæ : vel ipsa vitia et peccata disperdidit Deus. *Et odientes me disperdidisti.* Unusquisque enim in malitia sua dispersus est.

Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret eos : ad Dominum, nec exaudivit eos. Quia indigni erant exauditione ejus. Clamabunt. Qui clamabunt? Impii dæmones, et Judæi et hæretici clamabunt in futuro judicio : *nec erit qui salvos faciat eos :* quia quando clamavit Deus ad illos per prophetas, vel per reliquas Scripturas, audire noluerunt : propterea illi clamabunt, et non erit qui exaudiat eos, ut Salomon ait : Vocavi, et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret (*Prov.* I). Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Propterea et ego in interitu vestro ridebo : cum vobis quod timebatis supervenerit. Subsannabo, cum irruerit super vos repentina calamitas. Tunc invocabitis me, et non exaudiam.

Et comminuam illos, ut pulverem ante faciem venti. Comminuam illos, id est, illos supradictos affectus carnales pro nihilo deducam. *Et comminuam illos, ut pulverem ante faciem venti :* quia aridi et sine imbre misericordiæ fuerunt projecti, et comminuti sunt in superbia sua, et quasi pulvis campi dispersi. *Ut lutum platearum delebo eos*, in modum turbidi luti.

Eripe me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium. Vox Christi ad Patrem : Eripies me de contradictionibus populi Judaici, utique : quia cum aliqui dicerent, Verax est : illi contrario dicebant, Non ; sed seducit turbam. Erue me de illis populis infidelibus qui mihi contradicunt. Tu erue a Judæis infidelibus, et eorum caput, id est, gentium constitue.

Populus quem non cognovi servivit mihi. Id est, gentes quæ me non cognoverunt neque per fidem, neque per legem, servient mihi. Populus quem non cognovi serviet mihi. Ignorabam enim eum, cum idolis serviret : nunc credens, cognitus ac serviens factus est mihi. *In auditu auris obedivit mihi.* Obaudierunt mihi auribus, quia non viderunt mirabilia, neque meam præsentiam corporalem. Postea audierunt, et crediderunt. Imbuentibus prædicatoribus accepit Ecclesia aurem spiritualem : qua intelligens custodiat præcepta divina.

Filii alieni. Hoc idem et Isaias loquitur : Væ genti peccatrici, filiis alienis, populo pleno peccatis (*Is.* I). Antiquo vocabulo, Judæi filii Dei appellati sunt : sed alienati, quia filii diaboli effecti sunt. Et idem Judæi, quorum pater diabolus est : *Mentiti sunt mihi*, quia in veritate non steterunt sicut et pater eorum. *Filii alieni inveteraverunt :* hoc est, quia novi hominis non receperunt adventum, in veteri homine permanserunt. *Et claudicaverunt a semitis suis.* Claudicant : quia patrem credunt, et filium non credunt. Unum pedem habent, et alium non habent : inde claudicant in legis littera. Vox ecclesiæ.

Vivit Dominus. Quem in sepulcro sub signaculorum positione clauserant. *Et benedictus Deus meus*, a Deo Patre. *Vivit Dominus, et benedictus Dominus Deus meus.* Numquid antea non vivebat? Sed hoc pro incarnatione dicit : sicut sanctus Paulus dicit : Qui mortuus est ad tempus ex infirmitate carnis, sed vivit ex virtute Dei. Jam enim non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). *Et exaltetur Deus salutis meæ.* Vox Ecclesiæ ad Christum : Quia Christus exaltatus est in Ascensione. Vel aliter : *Exaltetur Deus salutis meæ :* In me semper excelsus sit : cujus vocatio salus mea est : ne quidquam de eo vile sentiam.

Deus, qui das vindictam mihi, subvertendo Judæos : vel ipsum traditorem Judam. Vel aliter : *Deus, qui das vindictam mihi.* Vox Ecclesiæ ad Christum. Dedit Deus potestatem Ecclesiæ ligandi et solvendi, et disciplinam faciendi ; ut habuit potestatem Petrus et Paulus, per Spiritum Domini : sicut dixit : Ecce dedi vobis potestatem calcare super serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici (*Luc.* X). *Et subdidisti populos sub me*, sub potestate Ecclesiæ, ad regendum gentes incredulas. *Liberator meus Dominus de gentibus iracundis :* Christus in passione a Judæis clamantibus : Crucifige, crucifige eum, et Ecclesia ab hæreticis, et anima ab universis vitiis, quæ appellavit gentes.

Et ab insurgentibus in me exaltabis me, id est, a persecutoribus. *A viro iniquo eripies me*, id est, a diabolo, ut dictum est inimicus homo hoc fecit.

Propterea confitebor tibi in populis, Domine. Ecclesia dicit : Laudabo te in credentibus. Psalmum dicam tibi inter gentes : id est, laudabo, et operabor : *Propterea confitebor tibi in populis, Domine, Psalmum dicam nomini tuo.* Quia ego in his sum ; ego confitebor tibi, Pater : et psallam, vox prophetæ.

Magnificans salutem regis ipsius, Christi Domini, quod resurrexit. Vel aliter : propheta ad Deum Patrem loquitur ; quia sanitatem facit, et salutem per singulos, quia animas attrahit per prædicationem, ut sit salus credentium, qui credunt in salutem regis ipsius. *Et faciens misericordiam Christo suo David :* Hoc est, unigenito suo. David *manu fortis* interpretatur, quod est Christus. *Et semini ejus usque in finem.* Semen ejus, hoc sunt sancti ejus. Facit misericordiam Dominus semper cum sanctis suis sine fine. *Et faciens misericordiam Christo suo, David et semini ejus usque in sæculum*, ipsi mediatori Jesu Domino, et populo ecclesiastico, qui per verbum ejus credidit. Ipse fortissimus liberator nos ab hoc mundo dignetur eruere, et in fide stabilire per Evangelium, quia ipsi gloria, et imperium cum æterno Patre, et Spiritu sancto, in cuncta sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XVIII.

In finem, psalmus David. Psalmus vocem continet prophetæ de Christo loquentis. Iste psalmus in persona Christi cantatur per prophetam, et in persona Ecclesiæ.

Cœli enarrant gloriam Dei, etc. Ex creaturis consequenter Creator agnoscitur. Aliter : *Cœli enarrant gloriam Dei :* Terra non potest enarrare. Secundum historiam cœlum et terra cum cæteris creaturis suis gloriam Dei narrant, ut ait Paulus : Per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur (*Rom.* I) : id est, ab intelligentibus intellecta conspiciuntur. Cœlum hoc, est firmamentum. Unde dixit : Et posuit Deus firmamentum inter medium aquarum, id est, cœlum (*Genes.* I). Aliter secundum sensum : Cœli apostoli, et quod est gloria, hoc est, opus : et quod est narrant, hoc est annuntiant : quia prædicant gloriam Dei. Et ut sciamus quia hoc est firmamentum quod et cœlum dicit in Genesi : Et appellavit Deus firmamentum cœlum. *Annuntiant.* Unde et Dominus ad discipulos : Omnia quæcumque audivi a Patre meo, annuntiavi vobis (*Joan.* XV).

Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam. Paria paribus retulit, quod ex ordine temporum ad Dei magis notitiam perveniamus. *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam.* Dies hesternus diem hodiernum annuntiavit, et hodiernus dies crastinum diem. Secundum sensum : dies, Christus. Et aliter, dies, apostoli. Quomodo Christus dies est, sicut dicit : Ego sum lux mundi (*Joan.* VIII) : sic et apostoli dies sunt, sicut ait : Vos estis lux mundi (*Matth.* V). Et unus dies, duodecim horas habet. Unde ipse Dominus in Evangelio dixit : Nonne duo-

decim horæ sunt diei (*Joan.* XI)? ipsæ intelliguntur duodecim apostoli. *Nox nocti*. *Nox* Judas; *nocti* Judæis: *indicat scientiam*, id est, quando dixit: Quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum (*Matth.* XXVI). Aliter: Nox, profunditas Scripturarum in prophetis, nuntiat profunditatem veteris Testamenti.

Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur verba eorum. *Non sunt loquelæ:* ac si dicat, linguæ: *neque sermones*, quia linguæ multi sermones sunt. Sive diversitates verborum intelliguntur per sermones: ac si dicat: Non fuerunt ullæ locutiones quas apostoli in varietate linguarum non acceperint, et ideo non fuerunt ullæ linguæ quæ sermones apostolorum non audissent: dum dicit: *In omnem terram exivit sonus eorum: et in fines orbis terræ verba eorum*, hoc est, in omnes insulas, vel fines mundi.

In omnem terram exivit sonus eorum: et in fines orbis terræ verba eorum, apostolorum scilicet, atque evangeliorum.

In sole posuit tabernaculum suum. In Hebræo ita habet: *Soli posuit tabernaculum in eis*, id est, in cœlis. Deus *in sole posuit tabernaculum suum*, *et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo*. *In sole*, in utero sanctæ Mariæ virginis. Maria interpretatur stella maris. Lumen solis magis lucet quam stellarum. Sol justitiæ Dominus, ut ait propheta: Orietur vobis sol justitiæ (*Malach.* IV): quod est Christus. Illuminavit sol iste stellam, id est, Mariam, ut esset sicut sol. Ideo posuit tabernaculum suum in sole, quando corpus assumpsit de utero suo. *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo*. Sponsus, verbum Patris, sponsa caro humana: cum qua de thalamo processit, id est, de utero Virginis.

Exsultavit ut gigas ad currendam viam. Per solem mystice Christus intelligitur. *Exsultavit ut gigas ad currendam viam*. Hic gigas pro fortitudine Christi ponitur, eo quod ipse alligavit fortem diabolum, et vasa ejus (quæ nos fuimus) diripuit. *Ad currendam viam:* quia non habuit hic moras. Quomodo? Hic natus venit in passionem, resurrexit et ascendit. *A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus*. *A summo cœlo*, id est, a Patre, quod est principale nomen: non ideo quod major sit Filio secundum divinitatem, sed pro nomine Patris. *A summo*, id est, ab æternitate egressus ejus. *Et occursus ejus usque ad summum ejus*. *Occursus ejus*, in coæqualitate æternitatis. Quia ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Patris, ubi antea et semper fuit cum ipso. *Et non est qui se abscondat a calore ejus*. Nullus quippe est, qui non habeat semina intellectus Dei. *Nec est qui se abscondat a calore ejus*. Nullus est qui de calore suo non habeat aliquid quod ei non dedisset ex multis divisionibus gratiarum actionum; sicut dixit Paulus: Alii datur sermo sapientiæ: alii sermo scientiæ (I *Cor.* XII).

Lex Domini irreprehensibilis. *Lex* ipse est Christus, qui non venit legem solvere, sed adimplere (*Matth.* V). *Irreprehensibilis:* quia non habuit peccatum. *Lex*

A *Domini immaculata*. Qui per creaturas Deum ante laudaverat: nunc cum per donationem legis incipit prædicare. *Convertens animas*, de captivitate in libertatem. *Testimonium Domini fidele*. Quale testimonium? nisi quia dixit: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* XI)? *Fidele*, quia non mentitur. *Sapientiam præstans parvulis*, parvulis non sensu, sed humilitate. Unde scriptum est: Quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Matth.* X).

Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda. *Justitiæ*, id est, judicia: *Rectæ:* quia recte judicat Deus, et a rectis recta habentur. *Lætificantes corda*, animas sanctorum. *Præceptum Domini lucidum*, novum Tes-
B tamentum. *Illuminans oculos*, hoc est, oculos cordis.

Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi. Timor cum charitate: Unde dixit: Perfecta charitas foras mittit timorem (I *Joan.* IV). Timeat non timore gehennæ, aut timore pœnæ, sed timore sancto: sic timeat, ut quem amat non perdat per negligentiam. *Judicia Domini vera justificata in semetipsa*, non ab alio, sed a semetipsis. Neminem enim fallit Deus.

Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, super omnes thesauros mundiales dilecta. *Et dulciora super mel et favum*, quia nullum metallum pretiosum judiciis aut sapientiæ Dei comparari potest: neque aurum aut lapis pretiosus, neque quod ad ornamentum et vestitum pertinet: neque mel unde pascitur. His duabus rebus homo vestitur
C et pascitur: ut Paulus: Habentes victum et vestitum, his contenti simus (I *Tim.* VI). Si fueris lapis pretiosus et probatus sicut aurum, mereberis intelligere judicia et sapientiam Dei.

Etenim servus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa. Propter quid custodit ea: nisi, *in custodiendis illis retributio multa?* Si custodieritis, inquit Dominus, præcepta mea, manebitis in dilectione mea (*Joan.* XV). Quæ major retributio quam ut quis diligatur a Deo?

Delicta quis intelligit? Qui in delictis est, id est, in peccatis, judicia Dei non intelligit, neque sua peccata: quamdiu est in delictis. *Delicta quis intelligit?* Tertia laudis divisio, qua docet impossibile legis, quo per prævaricationem legis peccatum magis
D apparuerat in mundo, Evangelii gratia fuisse completum: neque posse quemquam a cogitationum sordibus liberari: nisi per adventum Spiritus sancti. *Delicta quis intelligit*, nisi scrutator cordium Deus, qui et potest ea dimittere? *Ab occultis meis munda me: et ab alienis parce servo tuo*. Ab occultis, id est, præteritis peccatis, *et ab alienis*, hoc est, quæ futura sunt, et adhuc ad me non venerunt. Vel aliter: *Ab occultis*, id est, omnibus quæ in me sunt, *et ab alienis*, peccatis: quia diabolus habuit in occulto superbiam, et projectus est: postea alienus erat ab Adam, antequam ipse Adam peccasset. Sed postquam consensit ei, superbia et voluntate conjuncti sunt, et de

uno peccato fecit sibi duo judicia diabolus, ut dupliciter judicaretur, quia et se et alium occidit.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero. Si ista peccata non fuerint mihi dominata, tunc ero immaculatus. *Et emundabor a delicto maximo*, id est, a superbia; quia superbia initium est omnis peccati.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei. Tunc tibi placebunt eloquia mea. *Et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper*, id est, de recordatione humilitatis.

Domine, adjutor meus et redemptor meus. Adjutor in tribulatione et in necessitatibus. *Et redemptor meus* : quia tu me redemisti sanguine tuo pretioso. Tu es adjutor humani generis : cum nos ad te accedere facis. Tu es redemptor : quia nos tua passione ac resurrectione ab interitu redemisti, qui nos jugiter in lege tua gradientes custodire digneris : quia tibi est cum æterno Patre et Spiritu sancto honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XIX.

In finem, psalmus David. Istum psalmum propheta in persona Ecclesiæ canit de Christo. Prævidebat propheta Christum ad redemptionem nostram venire in carne, et pro inimicis orare. Inde dixit: *Exaudiat.*

Exaudiat te Dominus in die tribulationis. In die tribulationis, pro parte carnis dixit. Quidam hunc psalmum dictum putant ex voce populi ad Christum loquentis, ut ad regem pariter et sacerdotem.

Mittat tibi auxilium de sancto. Qui formam servi acceperat, recte ei quasi homini imprecatur auxilium. *Mittat tibi auxilium de sancto :* hoc est, de semetipso, quia illa divinitas in ipso corpore erat. *Et de Sion suscipiat te :* Hoc est, de Ecclesia ipsa Sion, quæ et Ecclesia, et ipse est in Ecclesia.

Memor sit Dominus omnis sacrificii tui. Hoc est, ut redimat per passionem suam. Quia Christus ipse est rex, et sacerdos, et hostia : quia semetipsum obtulit in passione, quia pro nobis sanguinem suum dedit. *Holocaustum tuum pingue fiat*, id est, acceptabile sit Deo. Holocaustum est totum combustum : quia Christus cum corpore et anima ascendit in crucem. Omnes victimæ tuæ, sacrificium Christi est, sive quod ei omnes offerimus deprecando : sive quod pro omnibus suum ipse sanguinem fudit. Et est sensus : Ne patiaris quemquam perire, cum pro omnibus mortuus sis, et omnem voluntatem tuam impleat Pater. Unde ait : Volo ut quomodo ego et tu unum sumus, sic et isti in nobis unum sint. (*Joan.* XVII).

Tribuat tibi Dominus secundum cor tuum, id est, sive pro humanitate carnis Christi, sive pro corpore suo, hoc est, Ecclesia, ut exaudiatur optat. *Et omne consilium tuum confirmet:* id est, consilium Trinitatis.

Lætabimur in salutari tuo. Vox Ecclesiæ : in salutem quam dedisti patiendo. *Et in nomine Domini Dei nostri magnificabimur* : Non in nobis, sed in illo, quia in Ecclesia in tuo sumus nomine congregati.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas. Usque huc de passione dixit, modo de resurrectione, et ascensione, et remuneratione. Duæ sunt petitiones Christi cum dicit : Exaudiat te Dominus, et impleat omnes petitiones tuas. Quando dixit Christus ad Patrem : Clarifica me, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus fieret (*Joan.* XVII). Et alibi : Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut quomodo nos unum sumus, sic et illi unum sint (*Ibidem*). *Nunc cognovi, quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.* Nunc dicit propheta ad tempus quando accepit Spiritum sanctum. Tunc cognovit, quod salvaret Deus Pater Filium suum.

Et exaudiet illum de cœlo sancto suo : id est, de semetipso et de sancta Ecclesia. *In potentatibus salus dexteræ ejus.* Potentatibus sanctæ Ecclesiæ : quibus salus facta est per Christum qui est dextera ejus, id est Dei Patris, quia habet Ecclesia ligandi et solvendi potestatem, et disciplinam faciendi. Et Dominus : Ecce dedi vobis potestatem calcare super serpentes, et virtutes omnes inimici (*Luc.* X). Unde Paulus dicit : Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate (I *Cor.* IV)? *In potentatibus salus dexteræ ejus.* In illa potentia qua victor ab inferis resurrexit.

Hi in curribus, et hi in equis. Currus et equus semper in Egyptiis arguuntur. Alii credant idolis atque dæmoniis; nos confidamus in Christo. Vel aliter : *Hi in curribus, et hi in equis.* Per currus, voluptas mundi, sive mundanorum omnium cupiditas designatur; quia quasi rotæ, quæ instabiles sunt, sic ipsi in mente huc illucque discurrunt. Per equos, superbi, et ipsi sunt cupidi. *Nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus* : non in his supra dictis, sed in nomine Domini.

Ipsi obligati sunt, et ceciderunt : qui vitiorum funibus ligati sunt et in superiora non valent ascendere, sed cadent ut illud : Et abierunt retrorsum, et ceciderunt (*Joan.* XVIII). *Nos vero resurreximus et erecti sumus. Resurreximus* ab infidelitate : *erecti sumus* per fidem : quia tortuosi fuimus in peccatis.

Domine, salvum fac regem : et exaudi nos in die qua invocaverimus te. Salvum fac regem : hoc est, Christum, pro parte carnis. *Et exaudi nos.* Rogat Ecclesia ut exaudiatur tempore opportuno. *Domine, salvum fac regem, et exaudi nos in die qua invocaverimus te.* In Hebræo ita scriptum est : *Domine, salvum fac regem : qui exaudiat nos in quacumque die invocaverimus te.*

PSALMUS XX.

Domine, in fortitudine tua lætabitur rex. Iste est rex, cui et in superiori psalmo secundum formam servi oratur salus. Christus rex regum, et Dominus dominantium. *Et super salutari tuo exsultabit vehementer :* id est in eo quod salvasti homines : Filius tuus qui Salvator est, exsultabit.

Desiderium cordis ejus dedisti ei : et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. Jam quippe non sumus servi, sed amici. Quod petivit, expletum est Quomodo ipse et Pater unum sunt, sic et nos in ipso

unum sumus. Vel aliter : *Desiderium animæ ejus tribuisti ei*. Desideravit Filius Dei ut veniret genus humanum redimere. Unde dixit : Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam moriar (*Luc.* xxii). *Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum*. Et hoc est quando Dominus dixit: Pacem meam do vobis : pacem meam relinquo vobis (*Joan.* xiv).

Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Hoc est a longe, quando Melchisedec benedixit Abraham (*Genes.* xiv). Et deinde quotquot benedictiones in patriarchis usque ad adventum Christi fuerunt, Christus in ipsis benedictus est. *Quoniam prævenisti eum :* hoc est ante prævenit eum in benedictionibus dulcedinis, quam a Judæis fel porrectum gustasset : quia antea eum istæ benedictiones venerunt. Gustavit et noluit bibere (*Matth.* xxvii). Gustavit, quia de morte nostra suscepit. Noluit bibere : quia die tertia resurrexit. Noluit bibere : hoc est, non permansit in morte. *Posuisti super caput ejus coronam de lapide pretioso*. Corona Dei : Ecclesia ex variis gentibus congregatio est. De qua Paulus sub persona credentium ait : Gaudium et corona mea (*Philipp.* iv).

Vitam petiit, et dedisti ei. Ut homo mortuus est, ut homo resurrexit : Deus quippe vitam postulare non potuit. *Longitudinem dierum in sæculum sæculi*. Impia synagoga conticeat. Quis hominum vivit in sæculum, et in sæculum sæculi? David et Salomon non amplius quam quadragenis annis regnaverunt.

Magna est gloria ejus in salutari tuo. Impletum est quod ipse in Evangelio postulavit : Pater, glorifica me apud temetipsum (*Joan.* xiii, xvii). *Magna est gloria ejus in salutari tuo :* ac si dicat: *Magna est gloria ejus* : magnum est hominem assumptum esse ad dexteram Dei Patris. *Gloriam et magnum decorem impones super eum ; gloriam* resurrectionis ; *decorem*, quando in monte resplenduit facies ejus sicut sol, et vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix (*Matt.* xvii).

Quoniam dabis ei benedictionem in sæculum sæculi : quia omnis creatura benedicit eum. *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo :* hoc est, erit tecum semper in cœlis. *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo*. Tunc lætificabis Filium in gaudio, cum adunata fuerit illa multitudo sanctorum, et numerus restitutus ei. Gaudebit Christus pro acquisitis, pro quibus passus est.

Quoniam rex sperat in Domino : secundum corporis dispensationem : vel homo assumptus in divinitate. *Et in misericordia Altissimi non commovebitur*. Nec humanitas Filii, nec Ecclesia primitiva, in finem commovebitur. Usque huc, propheta locutus est in persona Ecclesiæ ad Deum Patrem de humanitate Christi : modo loquitur ad divinitatem. Unde dixit :

Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis. Inveniant inimici tui potestatem tuam, ut revertantur in bonum. Inveniat potestas Dei illos qui in humilitate noluerunt Christum credere : inveniant illos in vindicta. *Dextera tua inveniat omnes qui te oderunt*. Odientes se, nimia clementia Dei vult converti, cum etiam inimicos suos invenire desiderat.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui : in bonam partem, ut comburantur illorum peccata. Sicut clibanus intrinsecus ardet, sic illorum conscientia intrinsecus ardebit, eo quod bona non fecerunt. *Domine, in ira conturbabis eos*. Et hic clementia Dei non punit, sed turbat, ut ad pœnitentiam convertantur. *Devorabit eos ignis* : a Spiritu sancto illorum peccata. Devorabit ignis in tempore vultus Dei, cum venerit judicare mundum.

Fructum eorum de terra perdes : id est, ipsos perdes, vel opera ipsorum de sancta Ecclesia. *Et comedet eos ignis*. Iste ignis est de quo Dominus in Evangelio ait : Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat (*Luc.* xii)? De hoc igne et duo quibus in itinere Scripturas Salvator aperuit, dicebant : Nonne cor nostrum ardens erat in via, cum aperiret nobis Scripturas (*Ibid.* xxiv)? *Et semen eorum a filiis hominum. Semen*, id est, filios qui generati sunt in mala doctrina. *A filiis hominum* : id est, a consortio bonorum perdes illos.

Quoniam declinaverunt in te mala. Judæi quod super se per justam vindictam recipere debuerant, in Christum declinaverunt, quando dixerunt, quod dignus erat morte, et expedit ut unus moriatur quam ut tota gens pereat (*Joan.* xi). *Cogitaverunt consilium quod non potuerunt stabilire :* quando dixerunt ad Pilatum : Domine, recordati sumus, quod seductor ille dixit adhuc vivens, post diem tertium resurgam. Jube ergo custodiri sepulcrum usque ad diem tertium. At ille : Habetis custodiam : ite, custodite sicut scitis. Et postea posuerunt sigilla, sed mortui tenere viventem non potuerunt (*Matt.* xxvii). Resurrexit, quod illi nec voluerunt, nec crediderunt. Tunc non potuerunt stabilire consilium quod cogitaverunt.

Quoniam pones eos dorsum. Duobus modis. *Dorsum*, quia semper terrena desiderant : aliter, *dorsum*, ut retro cadant, aut quando respiciunt retro. *In reliquiis tuis præparabis vultum eorum*. Pro *reliquiis*, in Hebræo *in bonis* habet. Sensus itaque iste contexitur : Ad similitudinem sanctorum quos tibi de omni orbe servasti, etiam eos qui tormentis purgati sunt, esse facias, ut juxta vultum sanctorum, vultus quoque esse incipiant peccatorum : hoc est, ut tales sint qui peccatores fuerunt, quales et hi qui sancti sunt. Vel aliter : *In reliquiis tuis præparabis vultum eorum :* id est, prophetas, quos patres eorum occiderunt. Reliquiæ eorum, filii Judæorum qui occiderunt caput prophetarum : ut illa vindicta quæ cœpit a prophetis, veniat super illos qui Dominum occiderunt. Aliter : *In reliquiis tuis præparabis vultum illorum :* hoc est, per Eliam et Enoch credituri sunt in finem. *Præparabis vultum illorum :* ad te credentium, ut illud : Ut convertat corda patrum in filios (*Luc.* i).

Exaltare, Domine, in virtute tua. Vox Ecclesiæ. *Exaltare in virtute tua :* id est, demonstra tuam potestatem et majestatem, quia prius venisti in humilitate, sed modo veni in majestate. *Cantabimus et psallemus virtutes tuas, Domine. Cantabimus* in

corde : *psallemus* in opere : *virtutes tuas* annuntiamus.

PSALMUS XXI.

In finem, pro assumptione matutina, psalmus David. Matutina assumptio resurrectionis Dominicæ et ascensionis ad Patrem significat sacramentum. Hanc inscriptionem Hebræi aliter habent : *Pro cervo matutino*, et interpretatione perversa putant de [a] Esther totum vigesimum primum psalmum esse compositum, quod videlicet ipsius periculo et intercessione apud regem sit de periculo Israeliticus populus liberatus. Sed nos cervum qui interficiat serpentes, et venena consumat, nullum alium nisi Christum intelligimus, sicut totius psalmi contextus ostendit.

Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? Hoc versiculo Dominus in cruce pendens usus est. Ex quo animadvertimus totum psalmum a Domino in cruce posito decantari. Quod autem habet in medio, *intende mihi*, in Hebræis codicibus non habetur, et appositum vox *Domini* declarat, quæ etiam illud in Evangelio prætermisit : ac si dicat : *Quare me dereliquisti?* Hic humanitas loquitur quomodo derelicta fuit in Adam, quando præceptum transgressus est. Vel in passione derelictus Christus pro parte carnis. *Longe a salute mea verba delictorum meorum. Longe :* hic divinitas loquitur. *Verba delictorum meorum :* quia nostra peccata sua reputat. Nam in salute sua nullum est peccatum : sed a peccatore longe est salus. Vel aliter : *Longe a salute mea verba delictorum meorum.* Aquila hunc locum sic interpretatus est : *Longe a salute mea verba* [b] *gemitus mei :* Symmachus, *verba gemituum meorum :* quinta et sexta editio : *verba clamoris mei.* Et est sensus juxta cæteros interpretes : Gemitus mei atque conatus quibus semper populum Israel salvare quæsivi, longe facti sunt a salute mea, quam populo tribuere cupiebam : quia ipsi noluerunt recipere sanitatem. Juxta LXX vero interpretes iste sensus est : Hoc quod salutem deprecor, quod me conqueror derelictum : non ex propria persona loquor, sed ex populi, cujus peccata in meo corpore ipse suscepi. Unde dico : Longe sunt a salute mea, verba ista quæ fundo. Non enim tam mihi salutem postulo, qui Deus sum, quam populo qui salute indiget.

Clamabo per diem, et non exaudies : et nocte, et non ad insipientiam mihi. In die pendens non exauditur a Patre : nocte resurgit ab inferis victor. Aliter : Qui in gaudio non exauditur, exauditur in lacrymis. Unde ait : Non in stultitiam mihi, id est, non frustra clamavi. Et Aquila transtulit ex Hebræo dicens : *Et nocte, et non tacebis :* id est, audies me : respondebis mihi : facies quod oravi. Deus meus clamabo per diem, nec exaudies, et nocte. Clamavit Christus in cruce, et oravit pro suis : exauditus, et non exauditus. Exauditus pro prædestinatis : sicut in octo millibus, vel pro illis centum viginti et quingentis A fratribus. Et non exauditus : hoc est pro illis qui non erant prædestinati. Unde dixit evangelista : Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matt.* XXVII). Ergo dies hic pro bonis, et nox pro malis intelligitur. Vel dies et nox prosperitas et adversitas in Ecclesia. Ecclesia non exauditur in prosperitate, ut non se extollat, et non exauditur in adversitate, ut amplius mundetur. *Et non ad insipientiam mihi :* id est, Filius coæternus Patri scit omnia, cur non sit exauditus in die passionis, id est, pro filiis mortis, et prosperitate, et tribulatione Ecclesiæ suæ.

Tu autem in sancto habitas : laus Israel. Vox prophetæ. *In sancto habitas*, hoc est, in suo corpore, vel in cœlo, sive in Ecclesia.

B *In te speraverunt patres nostri, Domine : speraverunt, et liberasti eos.* Speraverunt patriarchæ et prophetæ, vel reliqui : *et liberasti eos :* id est, de Ægypto vel de Babylonia. *Non sunt confusi :* quia quod promisisti adimplesti, hoc est, terram repromissionis et vitam longam. Aliter : *in te speraverunt patres nostri*, doctores Ecclesiæ. *Non sunt confusi*, quia spes ipsorum semper es.

Ego autem sum vermis et non homo. Hoc propter humilitatem assumpti corporis loquitur : Isaia quoque eadem concinente : Ne timeas, vermis Jacob (*Isai.* XLI). *Opprobrium hominum et abjectio plebis.* Quod majus opprobrium quam crucis? *Et despectio plebis :* id est, Judaici populi derisus. Cur vermis et non homo; dum dicit in Evangelio : Venit Filius C hominis redimere quod perierat (*Luc.* XIX)? Christus et vermis dicitur et homo. Vermis, ut ait propheta : Noli timere, vermis Jacob; et homo, quia ex Maria natus, assimilatur sua nativitas vermi : quia vermis qui in ligno nascitur, non habet patrem, nisi matrem. Et Christus ex Maria est natus absque coitu viri. Duo habitacula fecit Deus, cœlum et terram. Cœlum habitatio angelorum, et terra habitatio vermium. Fecit Deus vermem ascendere in cœlum, et angelum in terram. Christus per humilitatem super omnes angelos ascendit, et diabolus per superbiam projectus est in terram. *Opprobrium hominum et abjectio plebis : opprobrium*, quando dixerunt Judæi : Tu discipulus illius sis (*Joan.* IX) : *abjectio*, quando ejecerunt eum extra civitatem, et crucifixe- D runt eum.

Omnes videntes me irridebant me. Pro parte malorum dicitur, sicut et ipsi Judæi dixerunt : Si Filius Dei es, descende de cruce : vel : Ave, rex Judæorum (*Matth.* XXVII). *Locuti sunt labiis, et moverunt caput. Locuti sunt labiis*, quia quod habebant in corde, hoc loquebantur in verbis. *Moverunt caput :* id est, reliquerunt unum caput quod est Christus, et fecerunt multa sibi capita dæmoniorum.

Speravit in Domino, eripiat eum : salvum faciat eum,

[a] Verus Hieron. in commentar. in Matth. cap. XXVII : *Impii sunt qui psalmum istum ex persona David, sive Esther et Mardochæi dictum putant, cum etiam evangelista testimonia ex eo sumpta super Salvatore intelligat.*

[b] Aquila, βρυχήματός μου, proprie, *rugitus mei*, non *gemitus*; sed et vereor ne sextam editionem hic cum illa Theodotionis confundat, qui revera βοήσεώς μου vertit, ut et quinta; nam sexta δεήσεών μου habet, nempe *supplicationum mearum*.

quoniam vult eum. Vox prophetæ de humanitate loquitur. *Speravit in Domino :* hoc est, humanitas in divinitate. *Eripiat eum :* id est, de Judæis. *Quoniam vult eum :* id est, Deus Pater voluit talem Filium habere sine peccato, per quem peccata mundi tolleret, ut ait propheta : Ipse infirmitates nostras accepit, et ægritudines nostras portavit (*Isai.* LII).

Quoniam tu es qui eduxisti me de ventre. Vox humanitatis. *Eduxisti me de ventre :* id est, de utero sanctæ Mariæ, vel de synagoga, quia per vaticinium prophetarum conceptus est, et ad sensum spiritualem, quasi de ventre eductus est. *Spes mea ab uberibus matris meæ*, etc. : id est, ubera matris non dedignatus est sugere Christus : id est, ab uberibus Mariæ. Vel ubera matris : lex synagogæ. Duo ubera habere dicuntur, quia litteram et sensum habent. B Sed ipsi, id est, Judæi, una ubera susceperunt : hoc est, quia litteram legis tantummodo observant. *Deus meus es tu, ne discedas a me*, in die passionis.

Quoniam tribulatio proxima est. Ut ipse dixit : Surgite, eamus : ecce appropinquavit qui me traditurus est (*Joan.* XIV). *Non est qui adjuvet*, neque angelus, neque homo, nisi tu, Pater.

Circumdederunt me vituli multi : Vituli lascivientes : id est, Judæi, qui lascivientes et incontinentes erant. *Tauri pingues circumdederunt me.* Pro pinguibus, Symmachus *altiles* interpretatus est. In Hebræo verbum ponitur *Basan*, quod et ignominia transferri potest : *quia circumdederunt me. Tauri* dicuntur, propter superbiam illorum : id est, principes illorum Anna et Caiphas, vel reliqui. *Pingues*, propter C crassitudinem malitiæ.

Aperuerunt in me os suum. Quando dixerunt, crucifigatur. *Sicut leo rapiens et rugiens.* Id est, quando de illo cogitabant quomodo eum interficerent. *Rapiens*, quando cum gladiis et fustibus eum comprehenderunt.

Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea. Sic voluerunt Judæi Christum exstinguere quasi aquam, quæ hauritur, et dispergitur, et non revertitur. *Dispersa sunt omnia ossa mea.* Ossa Christi, apostoli dicuntur; quia sicut caro ab ossibus roboratur, ita et corpus Christi, quod est Ecclesia, ab apostolis vel doctoribus firmatur.

Factum est cor meum. Cor Christi Ecclesia intelligitur, antequam Christus ascenderet in crucem; D quæ dura videbatur esse, quia pauci pro nomine illius patiebantur. Unde dicitur : Pro justo quis moritur? *Tamquam cera liquescens.* Quia postquam Christus ascendit in crucem, postea omnes sancti cœperunt tribulationem pro ipso sustinere propter spem retributionis futuri muneris (*Rom.* V). *In medio ventris mei.* Hoc est, in medio Ecclesiæ. *Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.* Sapientia mea, quæ prius non intelligebatur, accensa igni passionis incaluit, et suscepta est ab Ecclesia.

Exaruit tamquam testa virtus mea. Testa antequam in igne ponatur, infirma est : postquam in igne A ponitur, roboratur. Et Christus posteaquam in patibulum crucis ascendit, suam Ecclesiam roboravit. Ergo non aruit sicut fenum ut caderet : sed quasi testa ut firmaretur. *Et lingua mea adhæsit faucibus meis.* Id est, linguæ apostolorum obmutuerunt tempore Passionis : licet unus locutus est, tamen negando non confitendo, id est Petrus. Nam discipuli servantes præcepta mea, de me in posterum loquuntur. *Et in limum mortis deduxerunt me.* Hoc est, in incarnationem, vel in infernum, quando animas sanctorum exinde deduxit secum. *Et in limum mortis deduxerunt me.* Sicut impios quos ventus projecit, ita me existimaverunt in mortem decidere : tamquam si resurgere non valerem.

Quoniam circumdederunt me canes multi. Canum proprium est, ut domino suo congaudeant, et latronem allatrent. Canes hic Judæi intelliguntur, qui allatraverunt Christum, et latroni congavisi sunt : hoc est, Barrabbæ : quando illum petierunt, et Christum occiderunt (*Joan.* XVIII) : *Quoniam circumdederunt me canes multi :* non loquentes recta, sed latrantes iniqua. *Consilium malignantium obsedit me.* Congregatio Judæorum. *Canes multi.* Pro canibus in Hebræo habet *chelabim*, quod Aquila et Theodotio *venatores* interpretati sunt. *Concilium malignantium obsedit me.* Judæi obsederunt : id est, circumdederunt Christum.

Foderunt manus meas et pedes meos. Præteritum pro futuro ponitur. *Foderunt*, clavos fixerunt, et fructum magnum invenerunt : id est, salutem gentium. *Et dinumeraverunt omnia ossa mea.* In cruce distenta conspexerunt membra sua.

Ipsi vero consideraverunt, etc. Dicentes : Alios salvos fecit : seipsum non potest salvum facere (*Matt.* XXVII).

Diviserunt sibi vestimenta mea. Facientes unicuique militi partem suam. *Et super vestem meam miserunt sortem.* Tractantes de tunica : Non scindamus eam : sed sortiamur de ea cujus sit. Vel aliter : *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Quod quatuor milites fecerunt quatuor partes, et tunicam non diviserunt : significabat unitatem Ecclesiæ, quod non scinderetur. Volunt hæretici eam scindere, et non possunt.

Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me. Humanitas ad divinitatem loquitur : ut auxilietur ei in tempore Passionis. *Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me;* sed protinus me resuscita. *Ad defensionem meam conspice.* Ne quid mihi pars inferni illa voracis prævaleat.

Erue a framea animam meam. Erue a gladio vel malitia Judæorum. Vel erue animam meam de illa potestate, quæ seducendo jugulat. *Et de manu canis unicam meam.* Canes, Judæi. Unica : id est, anima Christi. Unica dicitur, quia non habet peccatum illa anima, et aliæ animæ ab ipsa mundantur. Vel unica, Ecclesia : *et de manu canis :* de ore inferni, qui more canino avide devorat.

Salvum me fac de ore leonis. Os leonis, populus

Judaicus : propter fortitudinem malitiæ suæ. *Et a cornibus unicornium humilitatem meam.* Unicornis, ipse populus Judaicus intelligitur : quia unum cornu habet, id est, unam legem : unde ventilabat omnes gentes ante prævaricationem illorum. *Et a cornibus unicornium humilitatem meam.* A satellitibus Satanæ : per quos homines singulariter in superbia exaltantur. Usque huc de Passione dixit : jam de resurrectione loquitur cum dicit :

Narrabo nomen tuum fratribus meis. Vox Christi. Fratres, apostoli, postquam resurrexit, ut ipse ait : Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt (*Matt.* x). *In medio Ecclesiæ laudabo te.* Hoc est, in unitate Ecclesiæ : in medio credentium populorum. *Laudabo te*, prædicabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum. Omnes sancti qui timore sancto illum timent, laudant eum. *Universum semen Jacob, magnificate eum.* Id est, populus minor, supplantatores vitiorum, magnificate illum : Christianorum utique semen, cui serviet major. (*Gen.* xxv).

Timeat eum omne semen Israel. Hoc est omnes videntes Deum, qui renati per baptismum, videtis mente Deum. *Quoniam non sprevit neque despexit deprecationem pauperis :* Meam, qui pro vobis factus sum pauper. Vel populos Christianos non sprevit Deus, sed exaudivit.

Neque avertit faciem suam a me. Sed resuscitavit me a mortuis. *Et cum clamarem ad eum, exaudivit me.* Respondens : Et clarificavi, et iterum clarificabo (*Joan.* xii) : Christus exauditus est in Passione, et Ecclesia in tribulatione.

Apud te laus mea in Ecclesia magna. Id est, apud Patrem ut dixit : Ego et Pater unum sumus (*Joan.* x). *Apud te laus mea in Ecclesia magna :* quæ per omnem orbem terrarum credulitate diffusa est. *Vota mea Domino reddam coram timentibus eum.* Vota Christi, nativitas vel passio : vota Ecclesiæ, opera bona. Vel mysterium corporis ac sanguinis mei offeram cum his qui in ejus timore hæc celebrant.

Edent pauperes et saturabuntur. Pauperes, apostoli, edent corpus Christi. *Laudabunt Dominum qui requirunt eum.* Per finem et opera cognoscentes, quod ipse est panis vivus qui de cœlo descendit (*Joan.* vi).

Vivent corda eorum in sæculum sæculi. Cor animæ ipsorum. Sine fine, quia qui manducaverit ex hoc pane, vivet in eo spiritualis sensus in sempiternum.

Reminiscentur et convertentur ad Dominum omnes fines terræ. Hoc est, fecit Dominus Deus populum Christianum, ut recordaretur in eum, et reverteretur de viis suis pravis. Omnis multitudo gentium recognoscunt se in tenebris involutos : ideo accedunt ut illuminentur.

Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium. Et hic adorant, et in futuro : quia juxta Apostolum, ipsi flectentur omnia genua (*Philipp.* ii).

Quoniam Domini est regnum : et ipse dominabitur

A *gentium.* Regnum diaboli cecidit, et regnum Christi advenit. Ascendente eo in cœlis, omnia subjecta sunt ei.

Manducaverunt et adoraverunt omnes divites terræ. Id est, apostoli vel cæteri sancti manducaverunt corpus Christi, ut dixit superius. *Divites terræ :* hoc est, in fide, et opere, vel virtutibus : cognoscentes quia suavis est Dominus. *In conspectu ejus cadent universi qui descendunt in terram.* Procident, id est, peccatores in die judicii in conspectu Dei erunt. Descendunt a superbia sæculi : ut adorent in sensu humilitatis puræ.

Anima mea illi vivet : et semen meum serviet ipsi. Ecclesia, quæ jam non sibi vivit, vivit autem Christus in ea. Vel aliter : *Anima mea illi vivet, et semen meum serviet ipsi.* Anima Christi vivit Deo
B Patri, et mors ei ultra non dominabitur (*Rom.* vi). Vel Ecclesia vivet Christo. *Semen meum,* filii Ecclesiæ, *serviet ipsi,* populus credentium.

Annuntiabitur Domino generatio ventura. Propheta dicit : *Generatio ventura*, hoc est, populus gentium, qui venturi erant antequam Christus veniret in mundum ad credendum ei. Vel, *generatio ventura*, hoc est, in diem judicii tota integra claritas. *Annuntiabunt cœli justitiam ejus.* Hoc est, apostoli vel doctores. *Justitiam ejus.* Hoc est, mandata illius. *Populo qui nascetur.* Hoc est, per verbum prædicationis. *Quem fecit Dominus.* Hoc est, prædestinavit ante sæcula. *Populo qui nascetur quem fecit Dominus.* Qui per fidem accedens, per baptismum est renatus in Christo. Qui nobis præstare dignetur in conspectu nostro habe-
C re vulnera ejus, et cum Thoma palpantes fixuram clavorum illius (*Joan.* xx) : vel de omni humilitate passionis ejus jugem memoriam facientes, cum suspirio etiam eum pro peccatis nostris inferna penetrasse recolentes, ea semper agamus in hoc corpore terreno, ut ipsi copulari mereamur in regno. Amen.

PSALMUS XXII.

Psalmus David. Psalmus iste continet vocem Ecclesiæ collaudantis Christum.

Dominus pascit me, et nihil mihi deerit. De isto pastore, et Ezechiel loquitur : Suscitabo pastorem, et pascet eos servus meus David (*Ezech.* xxxiv). Vel aliter : Pastor bonus, qui animam suam pro me posuit (*Joan.* x) : æquo me moderamine regit :
D ideo nullius egeo. Vel aliter : Regit me : Ecclesia fiducialiter loquitur per fidem : quia ante adventum Christi, diabolus regebat mundum : sed modo Christus regit Ecclesiam suam. Quod nos dicimus : *Dominus regit me.* Hebræi dicunt, sicut superius est scriptum : *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit.* Qui Deum habet, et qui Deo adhæret, nihil boni deest ei, ut ait propheta : Nihil deest timentibus eum (*Psal.* xxiii). *In loco pascuæ ibi me collocavit.* Ac si dicat : In unitatem fidei, in unitatem Ecclesiæ. *In loco pascuæ ibi me collocavit :* In futura beatitudine composuit spem meam. Pascua enim, futura intelligitur beatitudo.

Super aquam refectionis educavit me. Abluendo per baptismum me enutrivit, vel doctrina patriarcha-

rum, et prophetarum, sive apostolorum. *Animam meam convertit.* Ad se cognoscendum : id est, animam Ecclesiæ : quia antea ad infernum descenderat per culpam primi hominis Adæ : sed modo ad Christum conversa est per fidem.

Deduxit me super semitam justitiæ: id est, super semitam mandatorum per arctam viam. *Propter nomen suum*; non propter meum meritum.

Nam et si ambulavero in medio umbræ mortis : per hujus sæculi obscuritates : *non timebo mala : quoniam tu mecum es.* Domine, te corde retineo. Vel aliter : Umbra duobus modis, id est, a corpore, et a lumine fit. Per corpus, mors intelligitur : per umbram, peccata et ignorantia. Et tamen, quamvis Ecclesia inter hæc supradicta ambulet, non timet : quia Dominum apud se habet, ut ipse dixit : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Mat. ult.*) Propterea Ecclesia non timet.

Virga tua et baculus tuus : ipsa me consolata sunt. Quem enim diligit Dominus, corripit (*Prov.* III). Per virgam intelligitur tribulatio vel disciplina patris, aut persecutio Ecclesiæ. *Et baculus tuus*, quo filios castigas spirituales. Vel per baculum, sustentatio et consolatio futura. *Ipsa me consolata sunt.* Erudierunt me consolando, non afflixerunt mortificando.

Parasti in conspectu meo mensam, etc. Ut jam non lacte quasi parvulus alar, sed solido cibo : id est, ut spirituali dente ruminans Scripturas sanctas, possim perversis resistere. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.* Mensa, id est, Scriptura divina. Sicut post laborem in mensa invenitur consolatio, et refectio, sic et sancti per mensam, id est, per Scripturam divinam habent consolationem, et refectionem, id est, spem, fidem, et charitatem. *Adversus eos qui tribulant me.* Persecutores Ecclesiæ, qui sunt dæmones, Judæi et hæretici. Contra istos omnes in Scripturis sacris invenimus consolationem.

Impinguasti in oleo caput meum. Per caput, id est, principale mentis, Ecclesia intelligitur. Mens etenim caput vocatur : quia sicut a capite reguntur membra, ita cogitationes mente disponuntur. Per oleum intelligitur consolatio : quia sicut per oleum consolatur corpus, ita et per consolationem Scripturarum, mens Ecclesiæ. *Impinguasti in oleo caput meum :* Lætificasti spirituali lætitia mentem meam, quæ caput est totius corporis. *Et calix meus inebrians quam præclarus est.* *Calix* intelligitur verbum Dei. *Inebrians*, quia per prædicationem compungitur homo in mente, quando separat hominem, id est, patrem a filio : filium a patre suo : matrem a filia, et filiam a matre sua : et nurum adversus socrum suam. Tunc nos inebriat, quando ista facit. Per calicem, mensura intelligitur : quia unicuique juxta quod meretur, vel potest capere, sic illi dividit Deus, id est, dat. Vel mystico me calice inebriasti, ut oblivioni traderem delectationes prioris vitæ.

Et misericordia tua, Domine, subsequetur me. Vox Ecclesiæ ad Christum. Misericordia Dei et prævenit et subsequitur. Prævenit, per fidem : subsequitur, in custodiendo mandata Dei. *Omnibus diebus vitæ meæ.* Quamdiu in hoc corpore dego.

Et ut inhabitem in domo Domini. Ecclesia hic quasi in tabernaculo consistit. Quia sicut tabernaculum mutatur de loco in locum : sic et Ecclesia de isto tabernaculo transfertur in domum, hoc est, in vitam æternam, sive perpetuam, ubi sine fine habitabunt sancti. *In longitudinem dierum.* Diebus sine fine. *Ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum :* id est, cœlestem Jerusalem communiter cum omnibus sanctis congregatis in me per fidem inhabitem.

PSALMUS XXIII.

Psalmus David, in prima Sabbati. Psalmus iste continet interdum vocem prophetæ de Ecclesia loquentis.

Domini est terra et plenitudo ejus. Cum conversi fuerint qui terrena sapiunt. *Domini est terra*, hoc est, totus mundus : *et plenitudo ejus*, hoc est, habitatores mundi istius. Vel, *Domini est terra*, hoc est, Ecclesia : *et plenitudo ejus*, id est, omnes sancti. *Orbis terrarum, et universi qui habitant in ea.* Clarificato Jesu, omnium gentium fides fit una Ecclesia.

Ipse super maria fundavit eam. Per maria, fluctuationes istius mundi : quia calcant et superant Ecclesiam ab initio fluctuationes sæculi. Sed fundavit, hoc est, corroboravit Ecclesiam suam in fide. Super fluctus hujus sæculi stabilivit eam, ne ab his dilabatur. *Et super flumina præparavit illam.* Per flumina intelliguntur potentes sæculi, vel cupidi : ut ait Salomon : Omnia flumina intrant in mare. Sic et ipsi potentes, licet magnum habeant censum, numquam satiantur. Super ista flumina est Ecclesia, ut illis prædicet : et convertantur qui potestatem habent. Si audire noluerint : *super flumina præparavit illam.* Super cupiditates hujus sæculi constituit eam : ut ipsa superior esset, munda sine macula et ruga.

Quis ascendit in montem David? Vox prophetæ interrogantis : id est, in cœlestem Jerusalem? *Quis* pro charitate ponitur. Vel mons hic pro alta justitia : ut illud : Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus : et habebis thesaurum in cœlis (*Luc.* XVIII). *Aut quis stabit in loco sancto ejus?* Super altissimam justitiam ejus : ac si dicat, quis perseverabit? quia multi ascendunt, et non perseverant.

Innocens manibus et mundo corde. Purus in opere : quia per manus, opera intelliguntur : *et mundo corde*, id est, mundis sermonibus. Vel mundo corde, sanctus in cogitatione. *Qui non accepit in vanum animam suam.* Qui nullis eam fæcibus peccaminum post baptismum maculavit. Ille in vanum non accepit animam suam, qui opera bona agit. *Nec juravit in dolo proximo suo.* Ille in dolo non jurat proximo suo, qui quæ cogitat, hæc prædicat, et in opere implet. Multi sunt enim qui dolose jurant, ut decipiant proximum : quod abominatur Pater luminum Deus, dicente Petro : Non es hominibus mentitus, sed Deo (*Act.* V). Ergo qui se ab his custodierit maculis,

Hic accipiet benedictionem a Domino : et miseri-

cordiam a Deo salutari suo. A Christo æquali Patri, cujus morte salvatus est. Vel aliter : *Hic accipiet benedictionem a Domino.* De isto supradicto dicit : Qui non jurat in dolo proximo suo, accipiet benedictionem a Domino, quando dicturus erit : Venite, benedicti Patris mei, percipite paratum vobis regnum a constitutione mundi (*Matth.* xxv). *Et misericordiam a Deo salutari suo.* Misericordiam a Deo consequitur, qui se putat esse miserum.

Hæc est generatio quærentium Dominum. Superius singulariter dixit : *Hic accipiet benedictionem :* modo pluraliter, quia Ecclesia ex pluribus personis congregatur : et tamen una dicitur, propter unitatem fidei. Generatio hæc, id est, populus Christianorum, quæ in tenebris jacens, verum Dominum Salvatoremque quæsivit.

Requirentium faciem Dei Jacob. Id est, populus Christianus requirit faciem Dei Jacob. Unde dictum est : Major serviet minori (*Gen.* xxv) : quia posterius nato primatum dedit. Intercedit *diapsalma*, ut immutet personam. Ipse enim Dominus nunc cœlestia regna repetens, nuntiatur. Ascendente ergo cum angelis, hi qui præcedebant sive comitabantur, aliis eorum principibus acclamabant :

Tollite portas, principes, vestras : et elevamini, portæ æternales. Hoc est, reserate cœlestes aditus : pateat æternitatis ingressus. Vel, *tollite portas, principes, vestras :* Vox angelorum [a] bonorum, ad angelos malos : quorum princeps diabolus est. *Portas, principes, vestras :* id est, cupiditatem et timorem. Bene conjunxit cupiditatem et timorem : quia quicumque per cupiditatem congregat, per timorem et malitiam custodit, ut non perdat; et qui timorem, et cupiditatem, et malitiam habet, spiritum malignum de se non dejicit. *Et elevamini, portæ æternales :* id est, fides et charitas. Æternales dicuntur : quia ab Adam usque ad Christum in imo jacuerunt : et ideo elevari dicuntur. *Et introibit rex gloriæ :* hoc est, Christus; quia per fidem et charitatem introivit Christus in Ecclesiam. *Et introibit rex gloriæ :* Christus Dominus immensæ claritatis retinens regnum. Ili quoque attoniti et mentis stupore perculsi dicunt :

Quis est iste rex gloriæ? Vox majorum dæmonum. Ac si dicerent : Nos nostrum regem habemus diabolum : iste rex gloriæ quis est? *Quis*, inquit, *est iste rex gloriæ?* Respondet qui loquitur : *Dominus fortis et potens.* Vox angelorum bonorum. Fortis est, qui alligavit fortem principem vestrum (*Marc.* III). *Fortis*, cum suscepit mortem : *potens*, cum vicit infernum. *In prœlio*, cum spoliato Tartaro, reduxit secum multitudinem captivorum. Clamat iterato, et dicit :

Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales. Eleventur æthereæ januæ : aperiantur æternarum ædium valvæ. *Et introibit rex gloriæ.* Quia non solum post resurrectionem, immensam possedit claritatem : verum etiam et illam quam æqualem cum Patre habuit priusquam fieret mundus. Adorantes igitur hi tantæ gloriæ unicam singularemque potentiam, aiunt :

Quis est iste rex gloriæ? Respondetur his : *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Pluraliter hic *virtutum*, Christus intelligitur : quia super novem virtutes cœlorum sedet. Vel *virtutum* dicit : quia super omnes virtutes diaboli, Dominus est. Vel *virtutum* dicitur : quia diabolus novem ordines angelorum sub sua habuit dominatione, sive bonos sive malos. *Tollite portas.* Vox angelorum bonorum. Vel vox Dominica ad angelos bonos. *Tollite portas*, hoc est, quia quando Adam peccavit, portæ paradisi clausæ fuerunt : et data est romphæa ignea angelo Seraphim, ut eum custodire deberet. Sed postquam Christus venit in mundum, et luctavit cum diabolo, aperuit infernum, et animas sanctorum secum eduxit : et cum angelis bonis ad cœlestia remeavit. Tunc portæ paradisi, quæ ante clausæ fuerant, apertæ sunt. Vel *portæ æternales*, angeli dicuntur : per quorum custodiam, ad cœlestia conscendimus. Elevatæ dicuntur : quia antea omnes animæ sanctorum ad infernum descendebant. Sed postquam Christus ascendit una cum corpore suo super omnes virtutes cœlorum, post angeli lætati sunt : quia animas sanctorum apud se illuc deduxit. *Quis est iste rex gloriæ?* Vox angelorum, qui apud Patrem semper fuerant : ac si dicerent : Nos Patrem, et Filium semper simul esse videmus : iste rex gloriæ quis est? Pro parte carnis dicebant : *Tollite portas :* Vox prophetæ de Judæis, *Tollite portas :* id est, superbiam, et cupiditatem, et avaritiam : quia per has tres, omnis homo ad infernum descendebat. Vel elevate portas, principes, vestras : pro quo in Hebræo positum est : *Levate, portæ, capita vestra :* recto ferantur itinere. Ad perfectum munditiæ dicit hominem venire non posse : et quemquam ad perfectum munditiæ venire non valere. Portæ æternales quas dicit elevari, fides, charitas, et castitas est, quia per has tres Christus Ecclesiam ingreditur. *Quis est iste rex gloriæ?* Humana fragilitas respondit : *Quis est iste?* Ac si dicant : Iste est quem nos crucifiximus, et improperavimus, ac pro nihilo habuimus. Respondent : *Dominus virtutum*, id est, qui mortuus est ad tempus ex infirmitate carnis : sed nunc vivit ex virtute Dei. Vel virtus fuit, quando dixit Thomæ : Infer digitum tuum in locum clavorum, et mitte manum tuam in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis (*Joan.* xxvi). *Dominus virtutum* dicitur, sicut Paulus ait : Quis nos separabit a charitate Christi (*Rom.* VIII)? Tribulatio, an angustia, an persecutio, et reliqua.

[a] Hieronymum Origeniano errori de sanctis hominibus, qui vere natura angeli essent, adhæsisse, ex hoc psalmi commentario Genebrardus suspicatur. Quam vero ab hoc errore S. doctor abhorruerit, evincunt ep. ad Evang. de Melchisedech in nostra recens. 73 et 121 ad Algas. Quæst. 1, etc. Quin econtrario novum exinde excudere argumentum licet contra hujusce operis germanitatem. Vid. quæ in cap. I Aggæi annotavimus.

Item: *Tollite portas, principes, vestras.* Vox angelorum, qui cum Christo ad infernum descenderunt, ad subjectos diaboli dicunt. Ostendunt se principem illorum ligatum ducere: *Tollite portas:* quia fractæ sunt portæ, id est, potestas illorum tunc abstracta est. *Et elevamini, portæ æternales.* Et tunc elevatæ sunt æternales, id est, animæ sanctorum de inferno. Æternales dicuntur, quia semper sine fine apud Deum regnaturi sunt. *Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ.* Pro *Domino virtutum*, in Hebræo legitur *Dominus sabaoth*, quod in alio loco Septuaginta interpretes *omnipotentem* transtulerunt. Merito virtutum Dominus, qui pro nobis homo factus est: morti traditus, infernalibus est tenebris addictus: quod clementer suscepit, patienter toleravit, fortiter vicit, mirabiliter consummavit. Qui cum virtute propria calcans inferos: cum triumpho rediens ad superos: cum gloria ascendit ad cœlos: sedet nunc ad dexteram Dei Patris omnipotentis, interpellans nostris jugiter pro delictis. Amen.

PSALMUS XXIV.

Psalmus David. Vicesimus quartus psalmus mediatoris nostri missam ad Patrem continet vocem: interdum habet Ecclesiæ supplicantis clamorem.

Ad te, Domine, levavi animam meam. Hic vox Ecclesiæ intelligitur ad Christum. *Levavi* dicit, id est, elevavi: quia prius in valle lacrymarum, vel in imo jacebat Ecclesia, antequam Christus veniret in mundum. In quid elevavit? Hoc est, in spe, fide et charitate, per sanctificationem, quia triticum si in imo jaceat, computrescit; si sursum elevatur, custoditur. Sic et anima, si in peccatorum putredine, hoc est, si in imo jaceat, computrescit et perit. Nam si sursum elevatur in his supradictis, spe, fide et charitate, custoditur a Deo. Vel, *ad te, Domine, levavi animam meam* per crucem. *Deus meus, in te confido,* Ecclesiæ confessio est: *In te confido*, non in me, sed in te. *Non erubescam:* quia in homine non confido: de quibus dictum est: Maledictus homo qui spem suam ponit in homine (*Jerem.* XVII); et: Benedictus vir qui confidit in Domino (*Psal.* XXXV). Non sit dilatio resurrectionis, quæ opprobrium generet inter credentes.

Neque irrideant me inimici mei. Qui me irriserant prius cum dicerem: Possum destruere templum, et hoc in triduo reædificare (*Matt.* XXVI). *Neque irrideant me inimici mei:* id est, illi qui in homine tantummodo confidunt, quia postquam ille defectus fuerit, inimici ipsorum irrident ei: et inimici Ecclesiæ sunt dæmones, hæretici, vitia et peccata. *Etenim universi qui te exspectant:* qui te sustinent: *non confundentur.* Neque hic, neque in futuro: Apostoli, vel hi qui credituri sunt per verbum eorum in te.

Confundantur iniqua agentes supervacue. Propheta non optando, sed prophetando dicit: Confundantur in die judicii illi, qui usque in finem in malitiam ipsorum perseverant: illi qui super perpetratum in me scelus illud addiderunt, ut sigillis tumulum communirent. Usque huc Dominus de Passione sua: hinc vox succedit Ecclesiæ: quæ post resurrectionem Dominicam se supplicat edoceri.

Vias tuas, Domine, demonstra mihi: et semitas tuas edoce me. Illas per quas venitur in regnum tuum, vel vias tuas: hoc est, mandata tua: notas fac, hoc est, demonstra mihi. *Semitas tuas edoce me.* Semita minor est quam via: per semitam intelligitur arcta et angusta via, quæ ducit ad vitam.

Dirige me in veritate tua. Vox Ecclesiæ. *Dirige me*, quia ego tortuosus sum. *In veritate tua:* hoc est, in Christo tuo: *edoce me*, ut nihil perverse agam. *Quia tu es Deus salutaris meus.* Tua enim resurrectione meum salutare mihi collatum est. *Et te sustinui tota die.* Hoc est toto tempore. Videbant me pro te sustinere per omne vitæ hujus tempus. Audieram enim per voces prophetarum te venturum esse in mundum. Sustinui autem per lumen fidei, donec me vocares.

Reminiscere miserationum tuarum, Domine, etc. In quibus ut nos redimeres, homo factus es. Vel populus Christianus loquitur: ut rectos eos faciat de sua miseratione; ut illud: Misericordiæ tuæ multæ sunt, Domine; et: Misericordiæ tuæ a sæculo sunt (*Psal.* CXVIII); et: Misericordias tuas ab initio sæculi promisisti nobis (*Ibid.*).

Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris, Domine. Illa quæ in adolescentia gessi, priusquam de domo patris iniqui procederem. Aut delicta juventutis, ante baptismum; et ignorantiæ meæ hoc est, post baptismum.

Secundum magnam misericordiam tuam memor esto mei, Deus. Id est, non secundum merita, sed secundum tuam misericordiam. Immensa est enim misericordia tua, qui vocas ea quæ non sunt tamquam quæ sunt. *Propter bonitatem tuam, Domine.* Quia provocas peccatores ad pœnitentiam.

Dulcis et rectus Dominus. Dulcis, quia est panis vitæ. *Dulcis*, quia promittit præmia futura. *Rectus*, quia reddit unicuique secundum opera sua. *Propter hoc legem dabit delinquentibus in via.* Legem charitatis: per quam dimittentes offensas, reconciliamur Deo. *Delinquentibus in via*, peccatoribus in ista vita.

Diriget mites in judicio. Mites et humiles corde diriget in judicio, hoc est discretionem facit hic in præsenti inter corpus et animam: ut se invicem corrigant in viis mandatorum Dei. Vel illud quod superius scriptum est: Peccata adolescentiæ meæ et ignorantiæ meæ ne memineris. Istum et ætas excusat, et ignorantia. Unde intelligimus eum qui peccat in adolescentia, et non ignorat, veniam non habere. Servus quippe qui novit voluntatem Domini sui, et non facit: vapulabit multum (*Luc.* XII). Omnes viæ Domini, misericordia et veritas: quia et ipsa misericordia, æquis est librata ponderibus. *Docebit mansuetos vias suas.* Misericordiam et veritatem: et ut se ex toto corde diligant, quæ est vera via. Sic enim sequitur:

Universæ viæ Domini misericordia et veritas. Mi-

sericordia, quia nos redemit : *et veritas*, quia impios judicabit. *Dulcis et rectus Dominus :* quia qui se miserum confitetur, miseretur illi Deus. *Requirentibus testamentum ejus.* Illis facit misericordiam, qui requirunt novum Testamentum : quo nos sanguine suo reconciliavit Deo Patri. *Et testimonia ejus.* Prophetas et apostolos : quorum testimoniis est Ecclesia congregata.

Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo. Non propter mea merita, sed propter tuam misericordiam. *Multum est enim.* Grande est peccatum meum. Grande est, inquit, generale peccatum: quod nisi Deus per baptismum delere dignetur, aliter non abluetur.

Quis est homo qui timet Dominum : legem statuit ei in via quam elegit. Ut ad ea quæ elegit, deflectatur. Simile huic per Moysen ad populum Dominus protestatur, dicens : Ecce hodie statui ante oculos tuos ignem et aquam, bonum et malum, vitam et mortem: elige vitam, et vives (*Deut.* XXX).

Anima ejus in bonis demorabitur. Si elegerit vitam. *Et semen ejus hæreditabit terram.* Per opera justitiæ, hæreditatem capiet in regione vivorum. Vel *anima ejus in bonis demorabitur :* id est, sperabit in præmiis futuris : et semen ejus hæreditate possidebit terram. *Semen ejus*, opera ejus, *possidebunt terram :* id est, vitam æternam.

Firmamentum est Dominus timentibus eum. Nos infirmi et imbecilles sumus : sed ab illo hortamur ne ab hujus sæculi fluctibus quatiamur. *Et testamentum ipsius ut manifestetur illis.* Hoc est novum Testamentum. Lex quæ eum annuntiavit per litteram velata, in Christo manifestatur.

Oculi mei semper ad Dominum (*Eccl.* II). Oculi cordis intenta mente ad Deum : de quibus dicitur : Oculi sapientis in capite ejus. *Quia ipse evellet de laqueo pedes meos :* hoc est, de laqueo diaboli sensus meos, a quo prius per voluptates sæculi capiebar.

Respice in me, et miserere mei. Respice, in adjutorium: *et miserere*, quia miser sum. *Quia unicus et pauper sum ego.* Ad Christum pertinet : quia Christus unicus sine peccato : ut ait propheta : Qui peccatum non fecit (*Isai.* LIII). Pauper pro nobis, ut Paulus dicit : Qui cum dives esset, pauper factus est, ut illius inopia nos divites essemus (II *Cor.* VIII). Vel unicus, populus Christianus. Sed bene se unicum dicit, quia unigenitus est Patris. Qui pauper natus in carne, factus est unicum pretium mundi. *Quia unicus et pauper sum ego.* Sic et Elias solus remansit (III *Reg.* XVIII) : et Jeremias solus sedit et flevit, a malis hominibus separatus (*Jerem.* XV) : Unde et David alibi dicit : Habitare facit unius moris in domo (*Psal.* LXVII).

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt. Per passionem. *De necessitatibus meis erue me.* Necessitates meæ sunt, ut homo pro hominibus moriar, et ideo a te eripiar, ut resurgam.

Vide humilitatem meam. Per quam carnem suscepi. *Et laborem meum.* Quo morti subdor. Vel aliter, *Vide humilitatem meam et laborem meum.* Ecclesia loquitur ad Christum. *Humilitatem*, quia humiliant eam peccatores. *Laborem*, in tribulatione. *Et dimitte omnia delicta mea.* Populi delicta, quæ in me suscepi.

Respice inimicos meos : Judæos utique, ut confundantur. *Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt.* Vox Ecclesiæ de persecutoribus. *Odio iniquo oderunt me.* Iniquum odium ad distinctionem justi dicitur. Si enim non odissent me, non utique condemnassent morte.

Custodi animam meam, et eripe me. Ecclesia supplicat ut custodiatur et eripiatur ab omni malo. *Non confundar, quia invocavi te.* In manus tuas commendo spiritum meum. *Non confundar*, neque hic, neque in futuro, *quia invocavi te.*

Innocentes et recti adhæserunt mihi. Innocentes, qui puritatem vitæ ab exordio nativitatis custodierunt. Sicut collo adhæret caput, et membra in eodem corpore continentur : sic et Ecclesia per justitiam adhæsit Christo, et membra ejus in eodem corpore continentur. *Innocentes*, id est, successores apostolorum, vel cæteri sancti et recti, quorum cor non fuit perversum post deos alienos. *Adhæserunt mihi*, revertenti ex inferis. *Quoniam sustinui te, Domine.* Implevi, Pater, voluntatem tuam.

Libera me, Deus Israel, ex omnibus tribulationibus meis. Ut mihi mors ultra non dominetur : sicut Apostolus ait : Scitote quia Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). Sciendum tamen, quod humilitas orationis non ad divinitatem, sed ad humilitatem assumptæ carnis est referenda. Nos vero deprecemur Dominum, ut viventes immaculati, ab infernalibus angustiis liberari mereamur. *Quia sustinui te, Domine. Libera me, Deus Israel. Israel*, id est, animarum videntium Deum. Ex omnibus angustiis, *ex omnibus tribulationibus meis.*

PSALMUS XXV.

In finem, Psalmus David. Psalmus iste de homine et Christo testatur : et omnis Ecclesiæ in Christo perfectæ continet vocem.

Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum. Ut sit mihi per judicium tuum misericordia : quoniam per innocentiæ gradior viam. Superius dictum est : *Judica me, Domine.* Vox Ecclesiæ ad Christum. *Judica me*, non quod judicium futurum roget a Deo, sed discretionem : de qua in alio psalmo legimus : Judica me, Deus, et discerne causam meam (*Psal.* XLII) : hoc est, ut non me judices in futuro, sicut cæteri peccatores judicandi sunt. *Quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.* Pro parte sua dicit Ecclesia. Ac si dicat : Parata sum innocenter vivere, quia nulli nocuit, nec nocere desiderat Ecclesia. *Ingressus sum*, id est, inter peccatores, ubi usque in finem habitat. *Et in Domino sperans non infirmor.* Sed firmor in fide. *Non infirmor*, id est, inter hos peccatores : propterea quia in te spero non in me.

Proba me, Domine, et tenta me. Probari se rogat

Ecclesia, ut se noscat, et ab aliis cognoscatur probata. Sicut Job probatus est, ut se cognosceret, et alii eum cognoscerent : sicut illi reges fecerunt qui eum visitaverunt. *Proba me, Domine*, in tentationibus : *et tenta me*, ne aliquid in me delicti remaneat. *Ure renes meos et cor meum*. Quid renes sonent, in corde significat : quia misericordia tua in conspectu oculorum meorum est. Sic petit judicium, ut misericordiæ recordetur. *Ure renes meos et cor meum*. Spiritum sanctum adhibe delectationibus et cogitationibus meis : qui utraque exurens, me dignum efficiat. Ure, hoc est, igne Spiritus sancti, de quo igne dicit : Ignem veni mittere in terram (*Luc.* XII).

Quoniam misericordia tua ante oculos meos est. Ut ab hoc igne arguar, et non exurar. *Et complacui in veritate tua*. In Christo tuo : ut non in meo mendacio, sed in tua veritate placerem.

Non sedi in concilio vanitatis. Non sum conjunctus his qui contra te, Christum meum, vanum agebant concilium. *Non sedi in concilio vanitatis*, id est, qui de terrenis cogitant semper, non sedit Ecclesia in eorum concilio. *Et cum iniqua gerentibus non introibo*. Non posui cum his absconditam conscientiam meam.

Odivi Ecclesiam malignantium : Judæorum, sive hæreticorum. *Et cum impiis non sedebo* : pactum cum his non inibo. *Et cum impiis non sedebo* : id est, non solum cogitaverunt in verbo, sed perfecerunt in opere.

Lavabo inter innocentes manus meas. In bonis operibus lavabo manus meas, quæ peccatis ante sordebant. *Manus lavabo*, id est, opera. Lavat per lacrymas, per baptismum et pœnitentiam. *Et circumdabo altare tuum, Domine*. Amplectar sublimia tua, ut discam laudare te. *Altare*, id est, fides. *Circumdabo*, id est, operibus bonis. Unusquisque sanctus altare Domini in se habet : quod est fides.

Ut audiam vocem laudis tuæ : et enarrem universa mirabilia tua. Ut cum didicero, exponam cæteris miraculum illud : qualiter pro nobis vel passus es, vel resurrexisti. *Et enarrem universa mirabilia tua*, laudis tuæ : id est, quidquid boni agimus, a Deo reputatur esse, et quidquid mali facimus, a nobis est. Laus Dei perfecta est, et laus hominum imperfecta.

Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. Pulchram effeci mentem meam, ut esset tibi commoratio digna : in qua habitans glorifices me gloria tua. Domus Domini est Ecclesia. Sacerdotes et habitatio gloriæ tuæ ipsi sunt in quibus habitat Deus.

Ne perdas cum impiis animam meam. Cum his qui per impietatem, mitem tradiderunt. *Et cum viris sanguinum vitam meam*. Qui dolose insidiantes, effuderunt sanguinem tuum.

In quorum manibus iniquitates sunt. Hoc est, in operibus eorum. *Dextera eorum repleta est muneribus*. Abstinendum a muneribus docet : culpans eos qui accipiunt munera : qui iniquitatem agentes, quæstum hujus impietatis lucrum aliquod arbitrati sunt : sicut ipse proditor Judas fecit. *Dextera eorum repleta est muneribus*. De sinistra fecerunt sibi dexteram : quia vita futura, dextera dicitur, et sinistra, vita præsens. Illi pro dextera, habuerunt sinistram : ut est illud : Est munus a lingua, et est munus a manu, et est munus ab obsequio. A lingua, laus : hoc est, favor humanus. A manu, a rebus terrenis. Ab obsequio, servitium indebite impensum. Sed melius est, quod ait propheta : Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitat (*Isai.* XXXIII).

Ego autem in innocentia mea ingressus sum. Ecclesia loquitur pro parte bonorum : per studium sanctæ vitæ a prioribus delictis. Ingressus, inter peccatores. *Libera me*. De tribulatione. *Et miserere mei*. Quia miser sum.

Pes enim meus stetit in via recta. Sensus meus in Christo : quia ipse est via. *Pes enim meus*, ne mihi prævaleant, *stetit in via recta* : ille scilicet, in quo ad te accedere cœpi per justitiæ viam. *In Ecclesiis benedicam Dominum*. De unitate congregationis dicit. In Ecclesia, non in latebris, sed in conventiculis populorum te benedicens. Prædicabo dilectionem illam qua tuo me sanguine redemisti : baptismo abluisti : ac pane cœlesti et sacris dapibus adimpletum, innocentiæ me melioris vitæ restituisti.

PSALMUS XXVI.

In finem, Psalmus David antequam ungeretur. Ter unctus est David : Semel sub patre suo Jesse in Bethlehem (I *Reg.* XVI) : secundo, in Hebron (II *Reg.* II) : tertio, quando regnavit super omnem Israel in Jerusalem (II *Reg.* V). Quære ergo cui potissimum hic psalmus conveniat unctioni. Sciendum autem quod *antequam ungeretur*, in Hebræis voluminibus non habetur. Sed de istis tribus unctionibus, media ad istum pertinet psalmum. David figuram Christi tenet : quia et ipse unctus est in baptismo, quando in specie columbæ Spiritus sanctus super eum venit. David a prima unctione non accepit regnum : sic nec Christus secundum carnem tempore passionis accepit regnum, nisi posteaquam ascendit.

Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Nullis tenebris obtegi formidat, quem Dominus illuminat semper et salvat. *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?* Vox Ecclesiæ ad Christum. In omnibus psalmis verba Spiritus sancti sunt. Sicut oculi corporis illuminantur ab alia luce : sic et oculi cordis nostri a virtute fidei, hoc est, a Christo illuminantur. Unde dictum est : Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I).

Dominus defensor vitæ meæ, a quo trepidabo? Ipse est enim fidelis animæ protectio : idcirco non metuit inimicum. Defensor est ipse qui et salus ; sed tamen defensor adjutor dicitur : *A quo trepidabo?* Dicit Ecclesia : A nullo, nec a diabolo, neque ab hæretico, neque a persecutore, dum ipsum habeo defensorem.

Dum appropinquant super me nocentes, ut edant carnes meas. Accedunt, ut excitatis in me prioribus delictis, corpus meum rabido dente dilacerent. Vel, *dum appropinquant super me nocentes, ut edant carnes*

meas, id est, dæmones vel persecutores. Carnes vero, id est, affectus carnis : quia hoc est cibus ipsorum. Et tamen dantur illis carnes edere : id est, corpora sanctorum ad persequendum. Sed habent sancti consolationem a Domino, ut ait in Evangelio: Nolite timere eos qui occidunt corpus : animam autem non possunt occidere (*Matth.* x).

Qui tribulant me inimici mei : ipsi infirmati sunt et ceciderunt. Quia Dominus illuminatio mea est : *qui tribulant me inimici mei*, dæmones, vel persecutores : *ipsi infirmati sunt et ceciderunt.* Tunc infirmati sunt, quando Christus nostram suscepit humanitatem.

Si consistant adversum me castra : non timebit cor meum. Dominus enim bellator fortis, ipse pugnabit pro me. *Si consistant adversum me castra :* id est, fortitudo dæmoniorum, vel persecutorum. Castra dicit, secundum illud : Castrametati sunt (*Num.* XXXIII). *Non timebit cor meum.* Ecclesia dicit, propter illud quod Dominus dixit : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi (*Matth. ult.*).

Si exsurgat in me prælium, in hoc ego sperabo. Et si moveantur adversus me pugnæ, confidens sum in his : eo quod possit Deus, qui est spes mea, iniqua tela in inimicorum ora detorquere. *Si insurgat in me prælium.* Ista supradicta prælia, pugna dæmoniorum. Ego, dicit Ecclesia, in auxilium tuum et defensionem tuam sperabo.

Unam petii a Domino, hanc requiram. Quidam putant unam charitatem, sive gratiam, aut certe unam petitionem dici : cum *ahath* verbum Hebræum, absolute *unum* neutrali genere sonet, et legatur : *Unum petii a Domino*, id est, ipsum Dominum. *Hunc requiram*, id est, ipsum Dominum.

Ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. In domo Domini, in vita perpetua : quia quamvis Ecclesia hic dicatur domus : tamen non proprie, sed nuncupative. Unde dicit : Beati qui habitant in domo tua, Domine (*Ps.* LXXXIII).

Ut videam voluntatem Domini : id est, dilectionem Dei : ut illud : Videbimus eum sicuti est (*Joan.* III), sed hic per speculum. *Unam petii a Domino, hanc requiram.* Videamus quæ est una petitio : *Ut inhabitem*, inquit, *in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ :* ut in hac vita mortali, templum sanctum efficiar, in quo Deus inhabitare dignetur. *Et visitem templum ejus.* Eis qui in terris positi, cœlestem vitam agunt, particeps fiam. Et protegar in templo sancto ejus : id est, protectionem ab ipso supra dicto habeam.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo. In quo per fidem inhabitet mecum : ne mihi tentationum obviarent procellæ. Tabernaculum divinitatis, humanitas Christi est. Abscondit Ecclesiam in tabernaculo suo : quia caput nostrum Christus est, et nos membra illius. Abscondit ergo Ecclesiam apud se, ut dictum est : Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (*Coloss.* III). *In die*
A *malorum.* Numquid dies mali sunt? Non, sed in nostris operibus mali dicuntur, ut Paulus dicit : Quoniam dies mali sunt (*Ephes.* v). De istis præsentibus diebus dicit. Quia quamvis caput sursum sit, membra tamen adhuc deorsum sunt usque in finem. Quia et hoc puto significari, quando ipse solus in monte : navicula in mari jactabatur fluctibus, et ideo ab ipso protectione indigent (*Matth.* VIII). *In die malorum :* in insidiantium felicitate. *Protexit me in abscondito tabernaculi sui.* In corde credenti ad justitiam.

In petra exaltavit me. In Christo exaltavit per fidem. Petra, Christus : ut Paulus ait : Petra autem erat Christus (I *Cor.* x). *In petra exaltavit me :* In se, qui est stabilis petra ac verissimum fundamen-
B tum. *Et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos. Nunc*, in præsenti : *super inimicos*, id est, super istos supradictos, exaltatum est caput nostrum, quod est Christus : super omnes inimicos Ecclesiæ. *Et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos*, super motus carnales, qui me sæpe humiliabant, ne cœlestia contemplarer.

Circuibo et immolabo in tabernaculo ejus hostiam jubilationis. Circuibo, id est, exercitabor in creaturis Dei : considerans orbem in Christo credentem. Quia considerat creaturas Dei : cum aliquis cœlum et terram, vel mare cum suis ornamentis conspexerit, invenit quid immolet Deo, hoc est, laudem. *Circuibo*, hoc est, per quatuor partes mundi exempla sanctorum inquiro, et ibi invenitur laus
C Dei. *Et immolabo in tabernaculo ejus hostiam vociferationis.* Quod pro nobis ad tempus humilitatem sustinuit, gaudens prædicabo : quia talibus hostiis delectatur. *Hostiam jubilationis*, hoc est, prædicationis. Jubilus dicitur, qui nec per litteras, nec per syllabas, nec verbis potest comprehendere magnitudinem laudationis Dei. Hostia dicitur, quæ per partes dividitur, et sanguis circa altare effunditur, et ipsa hostia foris comburitur. Sacrificium dicitur vinum et oleum, et medium animal; et holocaustum, totum combustum, et victima, antequam occidatur. Unde Paulus : Hostiam vivam (*Rom.* XII). *Cantabo et psalmum dicam Domino. Cantabo*, prædicabo; *Psalmum dicam*, opere compleam : vel laudes spiritales mente concinam dilatata.

D *Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te : miserere mei et exaudi me.* Per interioris enim hominis clamorem deprecor ut exaudias me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea : faciem tuam, Domine, requiram. Merito cor justi vultum viventis Dei requirit : quia eum videre posse confidit. Beati enim mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* II). Quæsivit facies mea faciem tuam, hoc est, Ecclesia mea faciem tuam requisivit : hoc est, præsentiam tuam.

Ne avertas faciem tuam a me. Alibi dicit : Averte faciem tuam a peccatis meis (*Psal.* L). Et hoc orandum est. Sed hic dicit : *Ne avertas faciem tuam;* id est, ne dimittas me in propria voluntate : sicut

dictum est : Tradidit illos Deus in reprobum sensum (*Rom.* I) : hoc est, permisit. *Ne declines in ira a servo tuo.* Servus si Dominum terrenum offendit, cum pavore et metu est : quanto magis homo, si Deum cœlestem offendat? Ergo hoc rogat Ecclesia, ut illam hic corripiat, et illam videat. Ut non ab illa cum ira discedat, sed ut illa gerat ea a quibus non declinet : sed facie propitiata respiciat.

Adjutor meus esto, Domine, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus. Adjutor, in præsenti. *Esto*, tam de præsenti, quam de futuro pertinet. *Ne derelinquas me :* neque hic, neque in futuro. *Neque despicias me, Deus salutaris meus.* Salutaris noster Christus est, et hoc rogat Ecclesia ut non despiciatur ab illo : id est, non committat illud peccatum per quod a Deo despiciatur. *Ne derelinquas me :* cum crucifigo carnes meas cum vitiis et concupiscentiis. *Neque despicias me, Deus salutaris meus :* quia et si mortalis sum tamen, cœlestia quæro.

Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me. Pater, diabolus : *mater*, Babylonia, vel gentilitas, antequam Christus veniret in mundum, parentes nobis fuerunt. Modo pater noster, Deus est, et mater nostra, Jerusalem cœlestis : ut ait Paulus : Jerusalem quæ est mater nostra (*Galat.* IV). *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me : Dominus autem assumpsit me.* Regnum mundi et civitates hujus sæculi quæ me genuerunt, et caduca promittebant, reliqui, et a te assumptus, ab his sum derelictus. *Quia pater meus et mater mea dereliquerunt me.* Potest et de David simpliciter accipi, quod minimus inter fratres, a parentibus contemptus, a Deo electus est per Samuelem. In commune vero, parentum in filiis amor morte finitur : Dei amor crescit in tempore.

Legem mihi constitue, Domine. Legem, temetipsum, quia ipse est lex. *In via tua :* id est, mandatis tuis. Quæ sunt illa mandata? Ut non declines ad dexteram, neque ad sinistram, et non respicias retro, ut illud : Nemo ponens manum suam in aratro, et aspiciens retro, aptus est regno cœlorum (*Luc.* IX, 6). Et item : Memores estote uxoris Lot (*Luc.* XVII). Et ea quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram. *Legem pone mihi, Domine, in via tua : et dirige me in semita recta.* Ut non declinem a dextris et sinistris, sed tua sequens mandata, viamque regiam gradiens, terram repromissionis ingrediar. *Propter inimicos meos :* carnales motus, dæmones, hæreticos persecutores.

Ne tradideris me in animas persequentium me. Ut non satietur anima eorum de adversitatibus quæ accidunt mihi. *Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui : et mentita est iniquitas sibi. Insurrexerunt in me*, dicentes mendacium : sed cum in te confiderem, destructi sunt in mendacio suo. *Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui.* Contra Christum testes iniqui surrexerunt, quando dixerunt Judæi : Hic dixit : Destruite templum hoc, et in triduo reædificabo il- A lud (*Matth.* XXVI). Vel contra Ecclesiam dicunt adversarii. *Mentita est iniquitas sibi :* id est, sibimetipsis mentiti sunt, et non mihi : quia unius cujusque vitium in suum recurrit auctorem. *Et mentita est iniquitas sibi.* Testes flagitiosi, in eo quod contra alios mentiuntur : sibi mentiuntur, dum in se supplicia præparant, putantes Deum non vindicare mendacia.

Credo videre bona Domini, in terra viventium. Vox Ecclesiæ. *In terra viventium*, quia pignus nostrum illuc sursum habemus, quod est Christus. Ille accepit de nostra terra mortale corpus, et nos ab ipso accepimus spem et fidem, et per spem et fidem credentes, perveniemus in terram viventium : in qua sancti capient hæreditatem regni cœlorum. *Exspecta Dominum.* Id est, usque in finem sæculi quidquid B tibi accesserit [*Forte* acciderit], pro Christo patienter sustine.

Viriliter age. Id est, fortiter age : ut dixit Angelus ad Jesum : Confortare, et esto robustus (*Josue* I). *Et confortetur cor tuum :* hoc est, anima tua. *Et exspecta Dominum :* hoc est, sustine Dominum. Propheta hic hortatur fidelem illum, qui usque nunc locutus est, dicens : Exspecta primum, ut contra certamina mundi a Deo conforteris. Exspecta deinceps, ut victor ab eodem Domino coroneris : quia non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Nos vero deprecemur Dominum, ut ipso confortante, sustinendo viriliter mundialium fluctuum procellas, exspectemus per fidem : quoadusque veniat reddere, quæ dignatus est polliceri.

C

PSALMUS XXVII.

Psalmus ipsi David. Psalmus vocem habet ipsius mediatoris, Passionis in conflictu loquentis ad Patrem. Quæ autem inimicis optantur : non malitiæ est, sed ratio prophetiæ prædicentis : quæ eis pro malis suis immineant. Vel vox hominis assumpti in divinitate : Clamavit Jesus in cruce, et dixit : *Eli, Eli.*

Ad te, Domine, clamavi, Deus meus. Ut me clarifices illa claritate quam habui apud te priusquam mundus fieret : quia nunc hominem assumpsi. *Ne sileas a me.* Sed loquaris : quia æqualem tecum habeo æternitatem. *Ne sileas a me :* hoc est, non me derelinquas. *Et ero similis descendentibus in lacum.* Id D est, in miseriam istius vitæ : quia si divinitas ab eo recessisset, similis nobis in miseria fuisset. Si silueris, ero similis pereuntibus : tamen si taceas, non cognosceris.

Exaudi vocem deprecationis meæ, dum oro ad te. Oravit Christus in cruce pro toto mundo, et pro Judæis, et pro apostolis. *Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. Extollo manus meas :* id est, extendi eas in cruce. *Ad templum sanctum* : id est, ad hoc extendi, ut templum tibi præpararem : hoc est, corpus Ecclesiæ. Et assimilabor descendentibus in lacum. Lacus significat infernum : locum videlicet eorum qui sub custodia retinentur. Et alibi scribitur : Usque ad captivam quæ erat in lacu (*Exod.* XII) : *Exaudi vocem deprecationis meæ, dum oro ad te : dum*

extollo manus meas ad templum sanctum tuum : in cruce scilicet pro credentibus, qui templum tuum futuri sunt.

Ne simul tradas me cum peccatoribus. Peccatores, latrones, inter quos pendebat, ut ait propheta : Et inter iniquos deputatus est (*Isai.* LIII). *Cum operantibus iniquitatem ne perdas me*. Id est, in die judicii cum his latronibus, aut cæteris malis. Tam ad Christum, quam ad Ecclesiam pertinet, ut non sic peream, mortem suscipiens, sicut operarii iniquitatis.

Cum his qui loquuntur pacem cum proximo suo : mala autem, etc. Loquebantur Judæi pacem cum Christo, dicentes : Magister, scimus quia verax es, et quia a Deo venisti magister, et viam Dei in veritate doces (*Matt.* XXII). *Mala autem sunt in cordibus* B *eorum*, quando interrogabant eum : Licet tributum dari Cæsari, an non (*Marc.* XII) ?

Da illis secundum opera eorum. Qui te non intelligunt per beneficia, intelligant per cruciatus, ut male agentes, bona tua invenire non possint. Propheta non optando, sed pronuntiando, dicit : Ac si dixisset : Daturus es illis vindictam in die judicii. *Et secundum nequitiam adinventionum eorum*, etc. Studia eorum sunt, ut mihi noceant, et laqueos tentationum intendant : ideo justum est, ut in his ipsi deficiant. *Redde retributionem eorum ipsis*. Ipsi enim reddiderunt mala pro bonis, te non intelligentes. *Quoniam non intellexerunt opera Domini*, etc. Machinæ eorum quæ contra Ecclesiam meam eriguntur, nihil prævaleant.

C *Benedictus Dominus*. Pater. *Quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ*. Respondens ante passionem : Et clarificavi, et iterum clarificabo (*Joan.* XII).

Dominus adjutor meus. In passione. *Et protector meus*. In morte. *Et in ipso speravit cor meum*. Humanitas in divinitate. *Et adjutus sum*. In tribulatione, ut resurgerem.

Et refloruit caro mea. Caro Christi in resurrectione refloruit. Vel, *refloruit caro mea* : refloruerunt apostoli : quia post negationem, ad fidem venerunt. *Refloruit caro mea*, procedens e tumulo incorrupta. *Et refloruit caro mea*. Pro *carne*, Theodotio *cor* interpretatus est. Aliter : Quippe resurreximus cum Christo. Et de resurrectione dicitur : Ossa vestra ut herba D orientur (*Isai.* LXVI). *Et ex voluntate mea confitebor illi*. Ipsi Patri, ut illud : Confitebor tibi, Pater, Domine cœli et terræ : quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Matt.* XI). Et Ecclesia Christo : ut illud : Providentes gregem, non coacte, sed voluntarie (I *Petr.* III) ; et item : Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo (*Psal.* LIII). *Et ex voluntate mea confitebor ei*, non ex necessitate. Confitebor tibi per baptismum. *Dominus fortitudo plebis suæ*. Populo Christiano. *Et protector salutarium Christi sui est*. Quicumque in Christo baptizatus est, et ipse Christus vocatur. Sciendum autem quod et iste psalmus, excepta una littera, in Hebræis voluminibus scriptus sit secun-

A dum ordinem litterarum. *Protector*, hoc est, defensor. *Salutarium Christi sui est*. Pluraliter dicit : quia omnes virtutes Christi divinitas custodit.

Salvum fac populum tuum, Domine. Hoc est, populum Christianum. Vel, salvam fac plebem tuam, Domine, quam morte mea redemi. *Et benedic hæreditati tuæ*. Quam per corporis et sanguinis mei mysterium in Ecclesia congregasti. Hæreditas Christi, sua Ecclesia, de qua dixit : Dabo tibi gentes in hæreditatem tuam (*Is.* II). *Et rege eos, et extolle illos usque in sæculum*. *Rege illos*, ac si dicat : Tu rege, non diabolus, nec peccatum. *Et extolle eos usque in sæculum* : hoc est, defende eos usque in sæculum, in vita æterna. Tu, Domine, rege et eleva nos : quia populus tuus sumus, ut in hac vita quæ tibi sunt B placita facientibus ab hac mortalitate in immortalitatem, te commutante, extollamur : id est, in cœlestibus elevemur, regnaturi cum sanctis tuis.

PSALMUS XXVIII.

In finem, Psalmus David, in consummatione tabernaculi. Quando arca de captivitate Philistinorum reducta est, pro qua multa mala habuerunt, dimissa est, in Silo, et David ædificavit ei tabernaculum : in quo hortatur populum, ut offerent sacrificia Deo (I *Reg.* IV, V *et seq.*). David apertissime figuram Christi tenet, et arca figuram Ecclesiæ. Sicut David reduxit arcam de captivitate, sic et Christus reduxit arcam, hoc est, sanctam Ecclesiam de captivitate : id est, de potestate diaboli. Psalmus ergo vocem continet prophetæ loquentis de perfectione Ecclesiæ in hoc sæculo congregatæ.

Afferte Domino, filii Dei. Qui per gratiam in adoptionem filiorum vocati estis. Vox Christi prædicatores admonet : Afferte prædicationem, et exemplum, vel fidem et opera. *Afferte Domino filios arietum*. Quos per Evangelium duces gregum apostoli genuerunt. Arietes, apostoli dicuntur. Arietes in capite duo cornua habent. Et sancti apostoli duo cornua habuerunt : id est, duo testamenta prædicaverunt. Filii arietum, successores apostolorum sunt, quos genuerunt per verbum prædicationis. Consummatio tabernaculi, secundum sensum, perfectio Ecclesiæ est conjunctæ de Judæis et gentibus hic in præsenti.

Afferte Domino gloriam et honorem. Ut per opera vestra glorificetur æternus Deus per verbum et exemplum. Unde dicit : honorificabant et glorificabant. Filios generant, ut diximus, per prædicationem, ut Paulus dixit : Per Evangelium ego vos genui (II *Cor.* IV). Hoc est, gloria et honor Dei. *Afferte Domino gloriam nomini ejus*. Gloriosum per vos nomen ejus in cunctis innotescat. Nomen Patris, Filius est : gloria Christi, Ecclesia est. *Adorate Dominum in atrio sancto ejus*. Dilatate cor vestrum in sanctificatione perfecta, in qua Deus habitet : id est, in Ecclesia, vel in conscientia : ubi unusquisque ipsum adorare debet.

Vox Domini. Prædicatio Domini. *Super aquas*. Super populos. Ut illud : Aquæ multæ, populi multi (*Apoc.* XVII). Vel, *vox Domini super aquas* : id est, in Baptismo super Christum, ut dicit : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matt.* III).

Super aquas : quia populus qui ibidem aderat, vocem audivit. Vel, *super aquas*, ut apostolis ait : Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matt. ult.*). *Deus majestatis*. Deus potestatis. *Intonuit Dominus super aquas multas*. De tabernaculo corporis assumpti, terribiliter populis conversionem prædicavit, dicens : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matt.* III). Sicut tonitruum a nube procedit, ita et Christus intonuit a nube : hoc est, de corpore suo, quando dixit : Pœnitentiam agite.

Vox Domini in virtute. In credentibus potens facta, quando dixit : *Lazare, veni foras* (*Joan.* XI). Vel in virtute, qua in unoquoque sancto loquitur. *Vox Domini in magnificentia*. Quando magnificatur per opera sanctorum. *Magnificentia*, Ecclesiis dilatata.

Vox Domini confringentis cedros. Cedri dicuntur omnes sublimes, et excelsi, vel superbi. Confringet illos, aut per pœnitentiam, aut in dio judicii in vindicta. *Cedros*, superbos quosque. Ecce securis ad radices arborum posita est. *Confringentis cedros*, humilians superbos. Sciendum quod cedrus duas habet intelligentias, sicut et unicornis : hoc est, si ad bonam partem, justos; si ad malum, peccatores ac superbos ostendit. *Et confringet Dominus cedros Libani*. Conteret per pœnitentiam elationes ejus, ac collidet dum ignobilia elegit, ut fortia conterat et confundat.

Et comminuet eos ut vitulos Libani. Ramos earum, et virgulta calcibus verberans. Pro hoc in Hebræo habet, *et vitulus Libani*. Excisa superbia ac petulantia, adducit eos ad imitationem humanitatis suæ, quia tamquam vitulus immolatus est. Iste vitulus est saginatus qui occisus est, hoc est, Christus pro salute mundi. Sicut confringit vitulus de cornibus virgulta tenera : ita Christus confregit Judæos. Unde dixit : Jam securis ad radices arborum posita est (*Matt.* III). *Et dilectus quemadmodum filius unicornium*. Factus est dilectus Filius Dei per assumptionem corporis, filius Judæorum, et contrivit eos qui per superbiam singularem, suam erigere justitiam conabantur. Christus est filius Judæorum, quia ex stirpe eorum secundum carnem fuit. Judæi unicornes dicuntur, pro una lege quam habuerunt, per quam in superbiam se extulerunt.

Vox Domini intercidentis flammam ignis. Pœnitentiam Joannes in deserto prædicans, omnem gehennæ restinguebat ardorem. *Intercidentis*, id est, dividentis persecutorum furentem iracundiam : cum alii dicerent, hic est Christus, alii autem dicebant, non : sed seducit turbam (*Joan.* VII). Ille vero præcidens hunc furorem, credentes ascivit charitati suæ : incredulos autem reliquit. Post flammam sonus venit : ita et post prædicationem persecutio. *Vox Domini intercidentis*, id est, auxilium illius inter persecutores, quia suis sanctis subvenit. *Intercidentis flammam* : illam flammam idoli, ubi tres pueri fuerunt. Vel quotidie in unoquoque nostrum, flammam libidinis per confessionem et gratiam sancti

A Spiritus intercidit, id est, per orationem sacerdotis facit cessare, sicut legimus per Aaron, Deum fecisse in deserto (*Num.* XVI). *Vox Domini concutientis desertum*. Anima quæ deserta fuerat, occupantibus ante se vitiis, ad verba pœnitentiæ commovebitur : ut exeuntibus vitiis ab illa, habitabilis Deo fiat. *Vox Domini concutientis desertum*. Ad fidem commovens gentes desertas, in quibus nullus sulcus prædicationis impositus erat ad suscipiendum verbum Dei. Vel gentes quæ desertæ erant, conversæ sunt de infidelitate ad fidem, per verbum prædicationis. *Et commovebit Dominus desertum Cades*. Tunc celebrabuntur hac mundi solitudine verba sancta Legis, quæ prius a Judæis non intelligebantur : quia *Cades*, interpretatur *Sancta*. Vel aliter : *Commotio tineæ*.

B Bene illos tineæ comparavit, quia sicut tinea pannos comedit : sic conscientia eorum eos comedebat. *Commotio tineæ* dicitur, eo quod commovit illos de illorum conscientia prava, ad fidem Ecclesiæ.

Vox Domini præparantis cervos. Cervos volunt quidam quasi superatores venenosarum linguarum in Ecclesia. Cervi, prædicatores. Præparavit illos, quando misit ipsos prædicare. Cervi transeunt et calcant spinas vel serpentes : sic, et prædicatores venena diaboli et spinas peccatorum transeunt, et ad altiora fugiunt : id est, ad theoricam vitam. *Et revelabit condensa*. Obscura divinarum Scripturarum sive mysteriorum cœlestium, per Spiritum sanctum patefecit. Unde in Evangelio illi duo quibus ipse apparuit, dicebant : Nonne cor nostrum ardens erat

C in nobis, cum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas (*Luc.* XXIV)? *Et in templo ejus*. Hoc est, in Ecclesia. *Omnes dicent gloriam*. Collaudant claritatem Dei. Vel gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

Dominus diluvium inhabitare facit. Aridam terram Deus non possidet. Simul attende vim verbi, quod non dixerit aquas, sed diluvium : ut abundantiam gratiæ spiritualis ostenderet, tamquam in arca Noe sanctos a fluctibus sæculi hujus protegens. Et modo inhabitat diluvium in conscientia per abundantiam Spiritus sancti, per quem delentur peccata. *Et sedebit Dominus rex in æternum*. In Ecclesiis vel in sanctis, qui sedes ejus effecti sunt, vel humanitas Christi ad dexteram Dei Patris. Reges, sancti di-

D cuntur, qui se regunt.

Dominus virtutem populo suo dabit. Id est, virtutem fidei. *Populo suo*, populo Christiano, dimicanti contra hujus mundi turbines ac procellas. *Et benedicet populo suo in pace*. Populo Christiano benedicet et hic et in futuro, quando dicturus erit : Venite, benedicti Patris mei (*Mat.* XXV) : *In pace*, in semetipso, quia ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II). In seipso nos benedicit pax vera Christus Dominus, qui sumus Ecclesiastica plebs.

PSALMUS XXIX.

Psalmus cantici in dedicatione domus David. Psalmus cantici, laus cum opere, dedicatio domus David, resurrectio Salvatoris intelligitur, in qua omnia

vitæ corpora dedicantur. David figuram Christi tenet. Domus David, domus Christi, id est, humanitas, domus est divinitatis. Tunc ædificavit domum, quando humanitatem carnis assumpsit. Et tunc dedicavit, quando a mortuis eum resurgere fecit. Et modo ædificatur domus David, id est, Christi : hoc est, Ecclesia usque in finem ædificatur, sed in resurrectione dedicatur, quando immortalitatem acceptura est. Vocem redemptoris nostri continet, qui per resurrectionem corporis sui Ecclesiam (quæ omnium mater est) acquisitam suo nomini dedicavit.

Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me. Excelse te glorificabo, Pater : quoniam suscepisti me de morte. *Exaltabo te, Domine.* Vox Christi ad Patrem, et vox Ecclesiæ ad Christum. *Exaltabo te,* laudabo te. *Quoniam suscepisti me*, id est, Christum ad dexteram Patris. Et Christus suscepit Ecclesiam, quando humanitatem carnis assumpsit. *Nec delectasti inimicos meos super me.* Ut meo jucundarentur interitu. Quomodo dicit, *nec delectasti inimicos*, dum et Judæi Christum crucifixerunt, et conspuerunt, et flagellaverunt, et persecutores delectantur super Ecclesiam, quando persequuntur? Sed nec Judæi delectati super Christum fuerunt : quia non potuerunt eum exstinguere sicut voluerunt. Sed hic non intelligendum de hominibus, sed de dæmonibus, quia delectari cœperunt, quando æstimaverunt eum cum latronibus ad infernum ducendum : sicut in montem se permisit ab eodem duci (*Luc.* IV). Sed non fuerunt delectati dæmones, quia tunc et principem, et suos subjectos ligavit : ita nec super Ecclesiam erunt delectati in die judicii, quando dicturi erunt sancti : Ubi est, mors, aculeus tuus : ubi est, mors, victoria tua? Absorpta est mors in victoria (I *Cor.* XV) : id est, in victoria sanctorum disrupta est.

Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me. Domine Deus meus. Oratio Christi, sive Ecclesiæ. *Sanasti me :* resurgere me fecisti, ut corpus mortalitati obnoxium non corrumperetur a morte.

Revocasti ab inferis animam meam : id est, animam Christi cum aliis animabus sanctorum Deus de inferno revocavit. Ipse se resuscitatum a patre pronuntiat, sicut ait Apostolus : Qui crediderit quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus erit (*Rom.* IV). *Salvasti me a descendentibus in lacum.* Id est, de miseria istius vitæ præsentis. Vel de lacu inferni, ubi animæ peccatorum sunt : ne sicut illi, præceps caderem in mortem. Hinc tam immensum miraculum propheta cernens, exsultat et dicit.

Psallite Domino, sancti ejus, etc. Quod memoratus vestri sanctificavit vos vocando ad agnitionem nominis sui. *Psallite, Domino, sancti ejus.* Propheta hortatur sanctos, ut laudent illum a quo salvati sunt. *Et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.* Memoria, id est, ut memores sitis beneficiorum qualiter vos de peccato redimere venit.

Quoniam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ipsius. Non quod ira aut indignatio in Deo sit, sed justa vindicta. Indignatio Dei fuit, quando Adam peccavit. *Ira*, justa vindicta intelligitur : quando eum a paradiso dejecit. *Et vita in voluntate ipsius*, id est, sicut per Deum justa vindicta super ipsum Adam venit : ita per ipsum, id est Deum, vita restituta est, quando humanitatem carnis assumpsit. *Quoniam ira in indignatione ejus :* cum se de impiis vindicat. *Et vita in voluntate ipsius :* ut qui fecerit voluntatem ejus, maneat in æternum.

Ad vesperum demorabitur fletus. Cum in passione ejus tenebris obtecta omnia essent, apostoli in fletu et gemitu morabantur. *Et ad matutinum lætitia.* Futuram Domini gloriam, quæ matutina ejus resurrectione præfloruit, figuravit. *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.* Vesper post meridiem dicitur : post meridiem, Adam in paradiso vocem Domini audivit deambulantis, et sub arboris foliis se contexit, tremefactus, eo quod pactum trangressus esset. Vespera, tota ista vita præsens intelligitur, quia per peccatum Adæ, omnes usque in finem sæculi gemunt. Fletus quia fletum habet homo, quando recordatur bona paradisi quæ perdidit in Adam. *Et ad matutinum lætitia* : id est, in resurrectione, quando simul jam ad libertatem restitues. Vel vesperum, quando flebat Maria et apostoli in Passione Domini. Et mane lætitia, quando resurrexit, ut dictum est mulieribus : Ite et nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam; ibi me videbunt (*Matth.* XXVIII). Et dixerunt mulieres ad apostolos : Vidimus Dominum, et hæc dixit nobis (*Joan.* XX). *Ad vesperam demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.* Potest hoc et de tempore Passionis, sicut superius, et de resurrectione, et consummatione sæculi accipi.

Ego autem dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum. Hæc redemptus populus dicit : Jam nullam a te satiatus patior egestatem : neque in te defixus, commoveor. *Ego autem dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum.* Vox Adam in paradiso quia sine fine ibidem se putabat esse. Et dum sic cogitasset, et tanta bona ei dedisset, cœpit cogitare quid esset causæ, cur præcepisset ei Deus ne contingeret de pomo vetito. Hoc vero, inquit, probare volo. Et [*Al.* ei] contigit, et probavit : quia projectus est.

Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Et ipsa est vox Adæ postquam projectus est de paradiso pro sua culpa. Tunc cognovit quod sapientia lucis ab eo recessisset : et quod a Deo in paradiso collocatus fuerat abundantiæ, non a semetipso. *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.* Tunc avertit faciem suam Deus ab Adam, quando peccavit. Et tunc conturbatus est, quando sub maledictione de paradiso projectus est. Et unusquisque homo quando de suis conturbatur peccatis. Vel aliter : *Domine, in voluntate tua*, et non ex mea : *præstitisti decori meo*, corpori assumpto : *virtutem*, ut te cognoscerem. *Avertisti faciem tuam a me*, cum peccarem : *et factus sum conturbatus.* Ignorabam enim adhuc lumen veritatis tuæ.

Ad te, Domine, clamabo, et ad Deum meum deprecabor. Christus Dominus hoc dicit, qui pro redempto populo interpellat ad Patrem. Christus clamavit in cruce, et Ecclesia in persecutione.

Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Si non resurrexero : nam quia effusus est sanguis meus, surgam et sit utilitas : ut acquiram omnes gentes resurrectione mea. Humanitas Christi ad Patrem loquitur, ac si dixisset : Nulla est utilitas quod sanguinem effudi, nisi resurrexero a mortuis. Vel, *quæ utilitas in sanguine meo*, id est, in gente mea? Judæorum nulla est utilitas : quia non credunt, nisi hominem purum tantum. Non solum non crediderunt, sed etiam latus ejus aperuerunt.

Numquid confitebitur tibi [Al. tacet *tibi*] *pulvis?* B Non poterit turba impiorum, quæ adhuc, velut pulvis, omni vento doctrinæ movetur, justificari, si ego non resurgam. Si ego non resurrexero, non confitebitur tibi pulvis. Pulvis, id est, impii, vel infructuosi. *Aut annuntiabit veritatem tuam.* Id est, Christum tuum : ac si dicat : Si non resurrexero, non annuntiant.

Audivit Dominus, et misertus est mei. Audivit Dominus, Deus Pater, *et misertus est mei.* Vox Christi, quia resurgere me fecit a mortuis. *Dominus factus est adjutor meus.* Defensor meus, qui me fecit primogenitum mortuorum.

Convertisti planctum meum. Cum dicerem : Tristis est anima mea usque ad mortem. *In gaudium mihi.* Cum resurgens dixi : Ite, nuntiate fratribus meis, ut C eant in Galilæam, ibi me videbunt. Sed hæc sicut a Christo, ita etiam ab Ecclesia dicuntur : cujus planctus, resurgente Domino, in gaudium est conversus, et quæ deinceps cum ipso Domino, et ad ipsum Dominum, jam mundata Agni sanguine dicit :

Conscidisti saccum meum. Velamentum peccatorum meorum : quia saccus, et cilicium ad peccatores pertinet. Dum ergo dicit : *Conscidisti saccum meum*, et alibi dicit : Induebam me cilicio, et humiliabam in jejunio animam meam (*Psal.* IV), et quidem Christus non est usus isto indumento. Quid est saccus Christi, nisi mortalitas quam de nobis assumpsit? Tunc conscissus est iste saccus, quando resurrexit, et immortalis effectus est. Et licet habuit saccum, sed non habuit opus sacci : id est, pec- D catum : de quo scriptum est : Qui peccatum non fecit : nec dolus inventus est in ore ejus (*Isai.* LIII). Nobis ergo necesse est saccum et cilicium induere : quia opus sacci habuimus, id est, peccatum. *Præcinxisti me lætitia.* Id est, lætitia resurrectionis, sive Christum, sive Ecclesiam in futuro : induens me stola prima immortalitatis per resurrectionem tuam.

Ut cantent [Al. *cantet*] *tibi gloria mea.* In his qui crediderunt gloriæ resurrectionis. *Et non compungar.* A stimulis peccatorum. Neque Christus : quia nullum habuit peccatum.

Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi. Id A est, sine fine laudabo te. In his, ut jam dixi, tibi concinam atque confitear : qui in me congregati sunt per resurrectionem meam. Omnia enim quæ in hoc psalmo humiliter de Christo dicuntur, ad assumptionem corporis magis referenda sunt, quam ad potentiam Deitatis. Nos quoque supplices deprecamur, ut convertat Dominus in gaudium planctum nostrum, remissa mole facinorum : ac mysterio resurrectionis suæ lætificatos attollere dignetur in cœlum : pro quibus descendere dignatus est in infernum.

PSALMUS XXX.

In finem, Psalmus David, etc. Psalmus ipsius Mediatoris initio continet vocem : deinde redempti sanguine ejus populi, gratias agentis, ex ipsius interponitur persona prophetæ. Ait ergo Redemptor ad Patrem :

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum. In te, Pater, spes est corroborationis meæ, dum mihi tamquam cæteris hominibus insultant adversarii, vel illudunt. Vel vox prophetæ ex persona Ecclesiæ dicit, *non confundar :* quia recte confiteor finem Trinitatis. *In te, Domine, speravi. In te,* non in me. *Non confundar in æternum :* quia qui illum integre confitentur, non confundentur neque hic, neque in futuro. *Et in tua justitia libera me, et eripe me.* De fovea quam statuerunt animæ meæ. Quia nisi a Deo justificemur, per nos non possumus justificari. Unde scriptum est : Qui se justificat, ipse se condemnat (*Job* IX). Unde et Paulus de quibusdam dicit : Suam quærentes statuere justitiam, justitiæ Dei non sunt subjecti (*Rom.* X).

Inclina ad me aurem tuam. Vox Ecclesiæ ad Christum. Per aurem benignitas Dei intelligitur. Inclinat Christus aurem, quando exaudire dignatur. Vel tunc inclinavit Deus aurem suam, quando misit Verbum suum, et nos exaudivit in mundo; et intantum inclinavit, ut nostra peccata digito in terra scriberet. *Accelera ut eripias me. Accelera*, id est, festina : *ut eripias me.* Vult sancta Ecclesia liberari de corpore, ut ait Paulus : Cupio dissolvi, et esse cum Christo (*Philip.* I).

Esto mihi in Deum protectorem. Vox Ecclesiæ. *In Deum protectorem.* In Deum defensorem : quia multi sunt dii nocivi, qui non prosunt. Unde Paulus dicit : Sunt quidem dii multi, et domini multi : nobis tamen unus Deus, una fides, unum baptisma (I *Cor.* VIII). *Esto mihi in Deum protectorem*, tamquam proximus. *Et in domum refugii, ut salvum me facias.* Quia Ecclesia, tempestate persecutionis, ad Deum habet refugium. *Ut salvum me facias*, a peccatoribus. Domus autem refugii ipse est in quo Pater inhabitat. Multi volunt fugere a præsentia Dei : sed non possunt evadere, ut ait propheta : Et a facie tua quo fugiam (*Psal.* CXXXVIII)? Sed nos, dicit Ecclesia, insimul in domo habemus refugium : hoc est, in ipso qui est Deus.

Quoniam firmamentum meum, et refugium meum es tu. Ad sustinendos eos qui in me sæviunt. Vel firmamentum fidei : *et refugium meum es tu :* refu-

gium meum dicit : quia Ecclesia in Christo habet refugium, ut ait propheta : Domine, refugium factus es nobis (*Psal.* LXXXIX). *Propter nomen tuum educes me.* Ut hoc notum faciam gentibus credituris. Propter nomen tuum dux mihi eris : Quando ego facio aliquid boni, nomen Domini ex hoc glorificatur. *Et enutries me.* Aggregatis paulatim sanctis, educas Ecclesiam tuam, quæ in me fundatur. *Et enutries me.* Tunc enutrivit Ecclesiam, quando nostram carnem suscepit. Unde et Paulus : Nemo enim carnem suam odio habet, sed nutrit et fovet (*Ephes.* V). Et enutrivit nos, ut fortes simus.

Et educes me de laqueo quem absconderunt mihi. Laqueus dicitur captio : quia quamdiu in via es, hoc est, in Christo, non times in laqueum cadere : laquei secus viam ponuntur. Via, Christus est : sicut ipse ait : Ego sum via (*Joan.* XIV). Et tu si es in via, hoc est in Christo, non times cadere in laqueum diaboli : quia omnis laqueus ab ipso est. *Quoniam tu es protector meus : in manus tuas commendo spiritum meum.* Vox Christi ad Patrem in Passione : quando commendavit animam suam, et dixit : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XLVI). Quod commendatur, salvum recipitur. Et ipse dixit : Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam (*Joan.* XX). *Tu es protector meus.* Vox Ecclesiæ. *In manus tuas commendo spiritum meum :* hoc est, in potestatem tuam commendo animam meam. Hoc exemplum accepit Ecclesia a Christo. Hoc et sanctus Stephanus fecit : hoc et sancti orant, quando exeunt de corpore, ut illud : Fideli creatori commendant animas suas in benefactis. Hoc in cruce positus Dominus dixit, quod in Patris manus spiritum commendaverit : cito eum ipso resuscitante sumpturus. Dicat nunc populus redemptus sanguine Agni : *Redemisti me, Domine, Deus veritatis.* Qui es veritas et vita : quia quod promisit Deus, non mentitur. Sicut promisit per servos suos prophetas : ita et venit, et redemit nos sanguine suo. Unde et Paulus dicit : Empti enim estis pretio magno (I *Cor.* VI).

Odisti omnes observantes vanitatem, supervacue. *Supervacue* dicit : non quod Deus odiat quemquam. Absit hoc sentire. Sed qui istam tantummodo vitam præsentem amant, et cœlestia contemnunt : sperantes inaniter in beatitudinem sæculi seducentis, odit illos Deus. Non quod odium, sicut dixi, in Deum cadat : sed odire Deus, qui sic faciunt, dicitur : id est, repudiare : quia repudiat illos Deus.

Ego autem in te, Domine, speravi. Vox Ecclesiæ : Non in me : sed in te speravi et spero : exspectans resurrectionem tuam. *Exsultabo et lætabor in misericordia tua.* Pro quo exsultabo, et pro quo lætabor? Pro hoc quod sequitur.

Quia respexisti humilitatem meam. *Exsultabo*, corpore : *lætabor*, mente. Tunc respexit, quando carnem suscepit : quia contemptibilis, et captiva, et despecta erat Ecclesia. *Exsultabo et lætabor in misericordia tua*, pro tantæ pietatis commodo, ut me tua morte redimeres : *quia respexisti humilitatem meam*, in spe illa positam, per quam ea quæ non videntur, desiderantur. *Salvasti de necessitatibus animam meam.* Necessitates corporis multæ sunt : id est, manducare, bibere, dormire, vel aliud quod necessario est faciendum : sed necessarium animæ, omnino unum : id est, vita æterna. Salvavit Deus animam de sua necessitate : quia dedit ei vitam æternam : quod est sua necessitas. Proinde salvasti de necessitatibus mortis perpetuæ animam meam quæ tibi erat charitate devincta.

Nec conclusisti me in manus inimici. Illi concluduntur in manus inimici, qui perseverant in peccatis suis. Sed ego, dicit Ecclesia, non concludar : quia non volo perseverare in malis. *Statuisti in loco spatioso pedes meos.* Dilatasti unitatem Ecclesiæ in toto mundo. Quomodo dicit, *in loco?* Numquid localis est Deus ? Et localis, et non localis. Localis est ad se venientibus, et non localis, quia ubique est : sed invenitur in loco pure quærentibus. Ut illud : Et motus est locus in quo erant sedentes (*Act.* IV). *In loco spatioso pedes meos.* Pedes, sancti prædicatores, qui portant verbum prædicationis in toto mundo : vel in Ecclesiam, quam tua resurrectione dilatasti in amplitudinem libertatis.

Miserere mei, Domine, quoniam tribulor. Miserere mei ; ac si dicat : Fac in me misericordiam, *quoniam tribulor.* Illorum vox, qui tribulantur a qualibet tribulatione. *Miserere mei, Domine, quoniam tribulor.* Non jam mortem timens, sed insectationem metuens vitiorum. *Conturbatus est in ira oculus meus.* Ecclesia conturbatur de vitiis et peccatis, tam de suis, quam et de alienum. Sed orandum est, ut ira non vertatur in odium, neque de festuca fiat trabs. Vel conturbatur oculus de futuro judicio. *Conturbatus est in ira oculus meus*, quo te mente cernebam. *Anima mea*, qua te diligebam. *Et venter meus.* Quo tui recordabar. Hæc omnia conturbata sunt, propter priora delicta.

Quoniam defecit in dolore. Ideo in dolore ; quia Ecclesia non potest emendare malos ; nec segregare malos a sanctis usque in finem. Unde Dominus dixit : Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus : Colligite primum zizania, et colligate fasciculos ad comburendum (*Matth.* XIII). *Vita mea et anni mei in gemitibus.* Quamdiu est hic in præsenti vita, habet gemitum et fletum unusquisque homo : *Quoniam defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus ;* donec persecutionem patior propter nomen tuum. Præsens vita deficit, quia mihi tempora sunt, perpetuitatem confiteri.

Infirmata est in paupertate virtus mea. Vox Ecclesiæ. Infirmata est Ecclesia inter homines malos, inter quos habitat hic in præsenti vita ; quia plures sunt peccatores, et pauci sunt sancti. Vel aliter : *Infirmata est in paupertate virtus mea.* Sanitas hujus corporis, inter cruciatus passionum. *Et ossa mea*

conturbata sunt. Fortitudo utique mea. Ossa fortes sancti; vel ossa, virtutes Ecclesiæ, vel sanctorum. *Conturbata sunt,* ab illo. Unde superius dicit secundum apostolum : Scimus quia omnis creatura congemiscit; non solum illa, sed et nos intra nos gemimus (*Rom.* VIII).

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium. Qui me propter tuum nomen persequuntur. Factus sum opprobrium vicinis meis. Vox Christi, et vox Ecclesiæ. Domino Judæi multa opprobria dixerunt, et hæretici, et persecutores, dicunt Ecclesiæ. *Et vicinis meis valde.* Qui ad credendum appropinquabit. *Et timor notis meis.* Quia amici mei, propter metum inimicorum, a me longe recesserunt. Totus psalmus, et super David juxta historiam, et super Dominum juxta prophetiam intelligi potest. *Nimium, et timor notis meis,* id est, apostolis : qui timuerunt in passione. Vel noti, mali Christiani : qui dicunt se credere in Deum, et operibus negant, et despiciunt vitam sanctorum. Vicini dicuntur, per fidem; et noti, propter christianitatem.

Qui videbant me, foras fugiebant a me. Id est, apostoli; qui viderunt Christum comprehendi in passione, et, relicto eo, fugerunt. Vel Judæi fugiunt sacramenta mysterii Ecclesiæ, id est, corpus et sanguinem Christi. Omnes qui videbant me, foras fugerunt a me : non intelligentes interiorem spem meam, pro qua patior; ad exteriora visibilia fugiebant. *Excidi tamquam mortuus a corde.* Obliti sunt me corde, tamquam si fuerim jam defunctus. *Excidi tamquam mortuus a corde.* Id est, sic habuerunt Judæi Christum, quasi hominem mortuum pro nihilo.

Et factus sum sicut vas perditum. Sic habuerunt Judæi Christum quasi vas perditum; id est, hominem mortuum in suo peccato. Sic sunt sancti apud hæreticos, velut homo perditus. *Quoniam audivi vituperationem multorum.* Id est, Christi a Judæis, et Ecclesiæ ab hæreticis. *In circuitu inhabitantium.* Id est, in circuitu Christi, et in circuitu Ecclesiæ : quos ipsi supradicti circumdederunt. *Quoniam audivi vituperationem multorum,* commorantium in circuitu. Erant vituperantes me, positi in peregrinatione hujus terræ : sequentes circuitum temporum, et ad patriam æternam redire nolentes.

Dum convenirent simul adversum me; accipere animam meam consiliati sunt. Congregati sunt persecutores, et fecerunt consilium, ut acciperent animam meam, ad consentiendum sibi in sceleribus mortis. Ut acciperent animam meam : id est, Judæi Christum; et hæretici, Ecclesiam. Consiliati sunt mala consilia, et non bona. Consiliati sunt, ut quærerent et ut tollerent animam Christi, Judæi; et hæretici, animam Ecclesiæ.

Ego autem in te speravi, Domine; dixi : Deus meus es tu. Qui solus fortis es ad liberandum. Vel vox Ecclesiæ. *In te speravi.* In te, non in me. Et peccatores dicunt : *In te speravi.* Sed sancti, et fidem, et opera habent. Peccatores sperant in Deum, et non

A timent illum. *In manibus tuis sortes meæ.* Id est, gratia Spiritus sancti. Non per memetipsum, sed a te actio vitæ hujus, quæ in hoc sæculo geritur.

Eripe me de manu inimicorum meorum, et a persequentibus me. Ne mihi prævaleant.

Illustra faciem tuam super servum tuum. Illustra, hoc est, cerne et discerne quicumque sit melior de sanctis tuis. *Et salvum me fac in misericordia tua; Domine, non confundar, quoniam invocavi te.* Illuminatio respectus tui super me refulgeat; ut non confundar, sed salver ab his persecutoribus.

Erubescant impii, et deducantur in infernum. Erubescant impii, dæmones, hæretici, vel qui non credunt resurrectionem. Erubescant tunc, quando illos sanctos quos in despectionem habuerunt, videbunt B coronatos, et se condemnatos. Vel qui, relinquentes verum Deum, ligna adorant, ac lapides venerantur. *Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum iniquitatem : in superbia et in abusione.* Crucifixum irridentes, et ignorantes resurgentem. Ista cernens propheta, exclamat exsultans et dicit :

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Quia multifarie copiosa dulcedo tua est, quam reservasti timentibus nomen tuum. Nec eam in his tentationibus ostendisti : ne, accepta securitate, excederemus a via justitiæ. Vel, *quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine!* id est, quantam gloriam, quanta præmia præparasti Ecclesiæ tuæ, ut esset semper cum angelis sine fine in æternum mansura. *Quam abscondisti ti-* C *mentibus te;* id est bona sanctorum in temetipso abscondisti.

Perfecisti eis qui sperant in te. Perfecisti : ac si dicat, perfecturus eris. *In conspectu filiorum hominum.* Qui non erubuerunt confiteri quod credunt, ante reges et potestates, ut ait propheta : Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar (*Ps.* CXVIII). *Quam abscondisti timentibus te :* Quia hic per tribulationem pleniter non accipiunt præmium, sed in futuro exspectant. *Et perfecisti eis qui sperant in te.* Consummata spe, retribuisti exspectata in specie. *In conspectu filiorum hominum;* qui humana, et non cœlestia, quæsierunt. Vel cum ibunt in supplicium æternum : justi autem in vitam æternam.

D *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, a conturbatione hominum.* Illuminatio enim vultus tui teget eos; ne ab humana malitia conturbentur : *In abscondito vultus tui,* scilicet justitiæ tuæ abditis; hoc est, in secreto tuo, sicut Job, et ipse, et omnia quæ habuit, absconsa fuerunt in Deum. *A conturbatione hominum,* a persecutione peccatorum.

Proteges eos in tabernaculo tuo, a contradictione linguarum. In tabernaculo fidei, a strepitu malarum linguarum velantur, qui dicunt : Quis novit hæc? aut quis redivit ex inferis?

Benedictus Dominus. Cui benedicit omnis creatura. Quomodo dicit : *Benedictus Dominus?* Numquid illi opus est nostra benedictio? Non, sed ut nos ab

ipso benedictionem accipere mereamur. *Quoniam mirificavit misericordiam suam in civitate munita.* In civitate Jerusalem, in medio mundo. *In civitate munita* dicitur, eo quod firmata vel robusta sit, et in gyro omnes gentes illam circumdant. In circuitu Ecclesiæ totius diffusæ : ibi mirificavit misericordiam suam Dominus; quia ibi natus, ibi passus, ibi resurrexit, et inde ascendit ad cœlos, ut ait propheta : Operatus est salutem in medio terræ (*Ps.* LXXIII). Vel aliter : Jerusalem cœlestis munita de congregatione angelorum, et hominum.

Ego autem dixi in excessu mentis meæ. Ecclesia quando recordatur de paradiso, quomodo immortalis poterat esse, et cogitat qualiter ibidem poterat esse ; et meminit qualis est, et qualiter Deus per angelum Adæ loquebatur (*Gen.* III), et quomodo oculis interioribus Deum videbat : quando ista cogitat, tunc in excessu mentis est Ecclesia. *Ego autem dixi in excessu mentis meæ : Projectus sum a facie oculorum tuorum.* Populus hæc dicit ille conversus ad Christum : Existimavi me, inquit, projectum esse a contemplatione luminum tuorum, et expavi, cum me tanta propter nomen tuum pati permitteres ; vel, *Projectus sum a vultu oculorum tuorum.* Adam, quando transgressus fuit mandatum Dei, tunc projectus est a facie Dei (*Ibid.*), et ipse, et nos, et omnis posteritas sua post eum.

Ideo exaudisti vocem deprecationis meæ, dum clamarem ad te. Ideo, dicit Ecclesia, exaudisti vocem orationis meæ : quia cognovi, ubi poteram esse; et cognosco, ubi modo sum. Exaudisti vocem interioris hominis, te in mentis splendore precantis, et amovisti horribiles tribulationes.

Diligite Dominum, omnes sancti ejus; quoniam veritatem requiret Dominus, et retribuet abundanter facientibus superbiam. Humiliatis his, statuet sanctos suos in magna constantia. *Diligite Dominum, omnes sancti ejus. Diligite*, id est, amate illum. *Quoniam veritatem requiret Dominus*, qui perseverant usque in finem in bonitate, ut dictum est : Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* XXIV).

Viriliter agite. Hoc est, immobiliter. *Et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino. Cor vestrum :* hoc est, anima vestra, in Domino semper. *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.* Fortiter atque constanter custodite propositum, ut fructum metatis in Christo. Quem supplices deprecamur ut insinuet mentibus nostris curam se diligendi, pro nobis passum jugiter confiteri, ut mereamur contra iniquam superbiam, humilitatis armis viriliter repugnare.

PSALMUS XXXI.

Intellectus David. Intellectus Christi. Duplex intellectus est in isto titulo, maxime de illo Publicano et Pharisæo qui in templo orabant (*Luc.* XVIII): quia unus se justificabat; et alius se condemnabat, id est, accusabat. Psalmus vocem continet prophetæ, ostendentis hominem non propriis meritis, sed Dei gratia posse salvari, si confiteatur admissa.

A *Beati quorum remissæ sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata.* Beatus immortalis, laudabilis sive gloriosus. Sed tamen nullus potest apud se esse beatus, nisi ab illo accipiat qui justificat impium : hoc est, Deo. Unde et Paulus dicit : Credenti autem in eo qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam (*Rom.* IV). *Beati quorum remissæ sunt iniquitates:* quorum peccata per confessionem a Domino diluuntur. Quibus modis remittuntur peccata? Tribus. Remittuntur per baptismum : teguntur per charitatem, non imputantur per martyrium. *Et quorum tecta sunt peccata*, per charitatem : secundum illud : Charitas operit multitudinem peccatorum (*Jacob.* V). Vel, *quorum tecta sunt peccata :* hoc est, ut hic velentur per pœnitentiam, ne in judicio revelentur.

B *Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum.* Qui se in hoc sæculo diligenter potuerit expurgare, vel per martyrium. Quod tegitur, non videtur : quod non videtur, non imputatur ; quod non imputatur, nec punietur. *Nec est in ore ejus dolus.* Hoc est in illius ore qui se confitetur esse peccatorem, sicut Nathanael. Unde Dominus dixit : Ecce vere Israelita, in quo dolus non est (*Joan.* I). Et de illo publicano, de quo superius diximus, qui se confitebatur esse peccatorem dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori (*Luc.* XVIII). *Nec est in ore ejus dolus*, sed in veritate credens Deum, hoc corde retinuit, quod ore confitebatur.

Quoniam tacui, inveteraverunt in me omnia ossa mea. Non protuli confessionem ad salutem : ideo omnis C fortitudo mea in carnis infirmitate consenuit. *Quoniam tacui, inveteraverunt in me omnia ossa mea, dum clamarem tota die. Tacui*, vox malorum est. *Tacui :* id est, tacent illorum peccata, et in confessione nolunt dicere. *Inveteraverunt ossa*, id est, virtutes quas debuerant habere, inveteraverunt per peccatum. *Dum clamarem :* id est, clamant. Si aliquid boni habent : per vanitatem demonstrant, ut ille Pharisæus impius faciebat, qui dicebat : Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, adulteri. *Dum clamarem tota die :* in istius vitæ momento.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua. Potentia tua. Cum essem impius, et blasphemus : *gravata est super me manus tua :* id est, potestas tua : quia qui hic non emendant, gravatur super D illos manus Dei, id est, potestas vindictæ in die judicii. *Conversus sum in ærumna.* In assidua tribulatione flagellorum tuorum. *Dum configitur mihi spina.* Stimulus conscientiæ peccatricis. *Conversus sum in ærumna dum configitur mihi spina : ærumna :* id est, miseria. Dum configitur mihi spina : id est, dum pungit me conscientia peccati.

Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitias meas non abscondi. Sed confessus sum, et patefeci omnia. Scio enim te cito remittere delicta, cum tibi fuerint integre reserata, et ideo dixi :

Confitebor adversus me injustitias meas Domino. Non enim adversus Dominum, sed adversus me has pronuntiavi ut justificarer : Dixi, pronuntiavi adversus

me injustitias meas Domino, et tu remisisti iniquitatem peccati mei. In persona illorum dicit propheta qui convertuntur, sicut ille filius qui peregre profectus est, et dixit : Ibo ad Patrem meum (*Luc.* xv). Dixit in corde, ubi Deus videtur: *Et tu remisisti impietatem peccati mei.* Quæ prius gesseram, misericorditer indulsisti.

Pro hac impietate orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Tempus opportunum ad exorandum pro peccatis, hæc vita est : in qua ideo sancti orant: quia nemo est a peccatis immunis. Pro hac iniquitate, vel pro hac remissione, quod superius dixit : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Omnis sanctus :* hoc est, per baptismum ; et qui post baptismum peccat, postea dimittitur illi per pœnitentiam, aut per martyrium.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt. Multi fructus diluviorum in judicio impios vallabunt, qui sanctis nocituri non erunt. *Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non appropinquabunt.* Sine angustiis, ait, quæ quasi aquis inundantibus comparantur, ad Deum sancti appropinquare non poterunt : quia qui sustinuerit usque in finem, hic salvus erit. Vel, *in diluvio aquarum* : id est, varietate doctrinarum hæreticorum : per hoc ipsi ad Deum non approximabunt.

Tu es mihi refugium a tribulatione quæ circumdedit me. Vox Ecclesiæ ad Christum. De hujus sæculi pressuris hæc dicit. *Exsultatio mea.* Quia in te gaudeo. *Erue me a circumdantibus me.* Vel ab inimicis publicis, vel a peccatis. Dum dixit, exsultatio mea, *redime me a circumdantibus me :* quomodo dicit, Redime me, cum ille qui redimitur in captivitate est, et illi qui exsultant, redemptione non indigent? Hoc ad sensum pertinet. Vox illorum est, qui cum Deo sunt, et rogant pro illis qui in ista captivitate tribulantur.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris. Qualem intellectum dat Deus Ecclesiæ suæ. Ut intelligat pro qua causa anxiatur sanctus, et facit prosperare peccatores. *Intellectum dabo tibi, et instruam te in via hac qua gradieris.* In via, scilicet confessionis istius doceam te sapientiam, ut non recedas ab ea. Intelligere te faciam, et docebo te in via hac qua gradieris. Vox Domini loquentis inducitur, et docentis, quomodo homo suum mereatur auxilium, si Dei videlicet præcepta custodiens recto feratur itinere. Itaque ad perfectum munditiæ dicit hominem venire non posse. Et quamquam ad perfectum munditiæ venire non valeat : tamen in animalium modum pronus non feratur in vitia. *Firmabo super te oculos meos.* Vox Christi ad Ecclesiam. *Firma super te oculos meos :* id est, aspectum divinitatis. *Firmabo super te oculos meos*, ut in dilectione luminis mei permaneas.

Nolite fieri sicut equus, etc. Qui non Dei voluntate, sed proprio motu se regere volunt, et effrenes in luxuriam decidunt, hos propheta coercet verbis terribilibus dicens ;

A *In chamo et freno maxillas eorum constringe.* Freno et chamo moderationis suæ, Deus coarctat impiorum supervacuas blasphemias. Equus, indomitus : mulus, piger. Hoc rogat Ecclesia Deum Patrem, ut per frenum, id est, prædicationem, populum gentilem, quos equos nominavit, de lata via et spatiosa sæculi hujus, faciat ad se appropinquare, et populum Judaicum, quos mulos nominavit, qui piger est ad Deum credendum, per chamum, id est, contritionem cordis faciat ad se venire. *Qui non approximant ad te.* Sed per superbiam elongantur.

Multa flagella peccatorum. Quia aliqui peccatores sunt, quorum in ista vita initiantur flagella, quæ postea in futuro habebunt sine fine : *Multa flagella peccatorum :* qui pœnitentiam agere noluerunt. *Sperantes autem in Domino misericordia circumdabit.*
B Illa misericordia, ut vitam mereantur æternam. Qui rectam spem et fidem in Deo habent : ipsos misericordia Dei circumdabit, ut illud : Misit angelum Dominus in circuitu timentium eum (*Psal.* xxxii); et alibi : Custodit Dominus omnes diligentes se (*Psal.* cxliv).

Lætamini in Domino, et exsultate, justi. Propheta hortatur Ecclesiam lætari de spe vitæ æternæ et regenerationis : tamen lætatur et hic Ecclesia in tribulatione. *Et gloriamini omnes recti corde.* Ut Paulus : Qui gloriatur, in Domino glorietur (I *Cor.* i). Recti corde dicuntur, quibus omnia judicia Dei placent, et se accusant de suis peccatis, et Deum, sive in prosperis, sive in adversis, semper laudant *: Lætamini in Domino, et exsultate, justi; et gloriamini,*
C *omnes recti corde.* Ut gloria vestra ad eum referatur, sicut ait Apostolus : Qui gloriatur, in Domino glorietur. Quem supplices deprecemur, ut obtectis per indulgentiam peccatis, nec reputatis ultra delictis, mereamur sanctorum exsultationis perpetuæ esse participes.

PSALMUS XXXII.

In finem, Psalmus David. Psalmus iste vocem continet prophetæ ad Deum hortantis populos : atque monentis justos in quem debeant exsultare.

Exsultatè, justi, in Domino. Propheta hortatur sanctos, ut laudent Deum. *Exsultate, justi.* Alibi dicit : Gaudete, sed unum est. Alii exsultant in rebus hujus sæculi, alii in circo : alii in theatro : Sed tu,
D dicit propheta unicuique sancto, in Domino exsulta, et non in prosperitatibus mundi. *Rectos decet collaudatio.* Rectos dicit, qui in regulam veritatis corda illorum dirigunt : non iniquos, dicente propheta : Væ his qui dicunt dulce amarum, et amarum dulce (*Isaiæ* v).

Confitemini Domino in cithara. Cithara deorsum habet cavamen, et sex chordas habet. Opera sanctorum intelliguntur per citharam, quæ sunt sex opera misericordiæ. Et de illis chordis aliæ bene cantant : aliæ murmurant. Sic et sancti, alii sic, alii vero sic. *Confitemini Domino in cithara.* In carne vitiis et concupiscentiis mortificata per crucem Dominicam. *In psalterio decem chordarum psallite ei.* In Decalogo

mandatorum. Psalterium desursum habet cavamen : prædicatio vel mandata intelligitur in sanctis, quæ de supernis veniunt. Unde dixit : Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, vel vicissitudinis obumbratio (*Jacob.* I). *Decem chordarum*, id est, decem verba legis. Tria mandata in una tabula, quæ ad finem Trinitatis pertinent, hæc sunt; primum : Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est; secundum : Non habebis nomen Dei tui in vanum; tertium : Observa diem sabbati (*Deut.* VI). Septem, in altera tabula, ad dilectionem proximi pertinent.

Cantate ei canticum novum. Id est, psallite ei novum canticum : id est, novam vitam, quia novus homo venit in mundum : novam legem instituit nobis, et novam Ecclesiam per baptismum. *Cantate ei canticum novum*, quia resurrexit, quia sedet ad dextram Patris. *Bene psallite ei*. Ille bene psallit, qui implet in opere quod cantat : id est, prædicat. *In jubilatione*. Jubilus dicitur, quod nec verbis, nec syllabis, et nec litteris, nec voce potest erumpere, aut comprehendere quantum homo Deum debeat laudare. *Bene psallite ei in vociferatione*. Per jubilationem quondam sacerdotum, Jericho mundi figuram retinens corruit (*Jos.* VI), nunc per nostram orationem, ejus concupiscentiæ eliduntur.

Quoniam rectus est sermo Domini. Nec in aliquo curvatur, sed prosperabitur in his ad quæ dirigit illum. *Et omnia opera ejus in fide*. Sicut ait in Evangelio, Si habueritis fidem integram, et dixeritis huic monti, Transfer te et mitte te in mare : fiet (*Matth.* XVII). Et omnia quæcunque fideliter petieritis : credite quia accipietis, et venient vobis. Quia rectus est sermo Domini, et omnia opera ejus in fide. Rectus est in rectis. Opera ejus in fide, in fide sanctorum : quia quod promittit Deus sanctis suis, non mentitur.

Diligit misericordiam, et judicium Dominus. Quomodo dicit, *diligit misericordiam*, cum in alio loco dicat : Ne miserearis pauperi in judicio (*Exod.* XXII) : id est, non propter pauperem nec propter divitem, non propter proximum et longinquum, non propter cognitum et incognitum, declines a recto judicio ; sed prius judica rectum judicium, et postea subveniat misericordia. *Diligit misericordiam*, quia nos assumpta carne redemit, et judicium, qui inter impios justosque discernit. *Misericordia Domini plena est terra*. Totus mundus. Vel terra, sancta Ecclesia de misericordia Dei plena est : quia sicut ille ubique est, et sua misericordia cum illo, et ab illo inseparabilis est : quia non tantum ut justos custodiat, descendit, sed ut peccatores redimeret, ut salvos faceret.

Verbo Domini cœli firmati sunt. Verbum Patris, Filius est. *Cœli firmati sunt* : sancti apostoli per ipsum in fide. *Verbo Domini cœli firmati sunt*. In ipso Verbo, quod erat in principio apud Deum : sive visibiles cœli, sive apostoli sunt creati. *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Trinitatis majestas manifestissime declaratur : Dominus, Verbum, Spiritus Domini. *Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Paracleto scilicet cooperante, horum virtutes cœlorum creatæ sunt. Nam in Domino Pater, in Verbo Filius ; in spiritu oris, Spiritus sanctus declaratur. Et quia dicit, *oris ejus* : non procedens quasi minor credatur. Nam sicut Filius a Patre, et æqualis Patri : ita et Spiritus sanctus æqualis Patri habetur ac Filio. Vel, *spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, id est, per Spiritum sanctum virtutes illorum. Quia per Spiritum sanctum habuerunt diversas gratias : id est, virtutes. Nam per nos nihil boni habuimus, nisi per ipsum.

Congregans sicut in utre aquas maris. Clausum littoribus mare ostendit. *Congregans sicut in utre aquas maris*. Per aquas, sæculi tribulationes significat, et persecutiones sanctorum : quia sicut homo in utre aquas stringit, et quando vult spargit : sic Dominus tribulationes Ecclesiæ, ut ait Paulus : Fidelis Deus qui non patietur vos tentari super id quod potestis ferre, sed faciet etiam proventum ut possitis sustinere (I *Cor.* X). *Congregans sicut in utre*, in novo Ecclesiæ homine : *aquas maris*, sæculi populos, ut sint vinum novum, sicut Dominus ait, in utres novos (*Matt.* IX) : id est, Evangelicum præceptum, reconditum in cordibus credentium. *Ponens in thesauris abyssos*. O magna Creatoris potentia, recondens in thesauris abyssos : producens de thesauris ventos! Tamen hic abyssos, mysteriorum cœlestium altitudinem intelligimus, juxta illud Apostoli : O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei (*Rom.* XI)! Vel, *in thesauris*, id est, in absconditis Dei. Thesaurus, id est, largitas : hoc est, profundum Scripturarum. Unde alio loco dicit : Qui producit ventum de thesauris suis (*Psal.* CXXXIV). Nam quantum voluit per servos suos nobis demonstrare : tantum per nos intelligere potuimus : ipsam profunditatem Scripturarum nequaquam possumus.

Timeat Dominum omnis terra. Qui terrena sapiunt, ipsum potius, et non creaturam, adorent. *Ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem*. Hæc quidam de futuro arbitrantur judicio, sed ad sequentem expositionem magis respiciunt. Ab ipso autem commoveantur universi, omnes qui inhabitant orbem. Ab ipso Deo commoveantur universi : id est, de infidelitate ad fidem. Vel universi : omnes creaturæ ab ipso veniunt, et non sicut peccatores dicunt, quod tempus illas adducit, et non Deus : quia et tempora, et dies, et annos, vel etiam momenta Deus constituit.

Quia ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt. Ideo ipsum cuncta timeant : quia ab ipso vel facta sunt, vel creata. *Ipse dixit* : hoc est per Filium, qui verbum est, dixit ; *mandavit*, per imperium : hoc est, inenarrabiliter.

Dominus dissipat consilia gentium. Secundum illud : Non est consilium, non est prudentia, non est sapientia, non est fortitudo contra Deum (*Prov.* XXI).

Dominus dissipat consilia gentium : Judæorum scilicet, qui tamquam increduli contra Deum Christum susurrant. Vel dissipat consilia eorum, qui turrim ædificare voluerunt; destruxit, ut illud : Venite, confundamus ibidem linguas eorum (*Gen.* XI). *Reprobat autem cogitationes populorum.* Hoc est, Judæorum consilia, quia non potuerunt illa facere nisi quantum a Deo præfinitum fuit. *Reprobat autem cogitationes populorum* : Pharisæorum, et Sadducæorum, vel reliquarum potestatum genera. *Et reprobat consilia principum.* Hoc est, Annæ et Caiphæ, quia ipsi principes erant ipsorum sacerdotum qui primatum tenebant hujus sceleris. Hos omnes cum suis consiliis Dominus resurgendo destruxit.

Consilium vero Domini manet in æternum. Consilium Domini fuit, ut resurgeret a mortuis, sicut et fecit. Istud consilium, Judæi, vel principes illorum, destruere non potuerunt. *Cogitationes cordis ejus in generatione et generationem.* Nihil ex eis diminuetur, juxta illud : Cœlum et terra transibunt : verba autem mea non præteribunt (*Matt.* XXIV).

Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus. Hoc est qui credunt quod Dominus creavit illas creaturas, unde superius mentionem fecit : non quod tempus illas adducat. Vel, *beata gens,* Christianorum, *cujus Dominus Deus ejus.* Dominum enim elegit habere Deum, idolis derelictis. *Populus quem elegit Dominus in hæreditatem sibi.* Ipsi populum Christianum in hæreditatem sibi, ut dixit in alio psalmo : Dabo tibi gentes in hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ (*Psal.* II); et alibi : Dominus pars hæreditatis meæ (*Psal.* XV); et item : Portio mea Dominus (*Psal.* CXVIII). *In hæreditatem sibi.* Repulsis Judæis, nos sumus in hæreditatem asciti.

De cælo respexit Dominus : vidit omnes filios hominum. Ut omnibus misereatur : quia numquam respectus ejus sine misericordia fuit. Vel Dominus de cœlo prospexit : hoc est, misertus est nobis. Super filios hominum. Filii hominum : filii Adam. Vel filii hominum, successores apostolorum.

De præparato habitaculo suo respexit super omnes qui inhabitant terram. Qui finxit sigillatim corda eorum. Ut alii detur sermo scientiæ, alii interpretatio sermonum, alii genera linguarum, et reliqua : quæ operatur unus atque idem Spiritus. Vel qui finxit per singulos corda eorum. Quidam hunc locum mendaciter ad illud referunt, quod animam ex anima existiment esse generatam, et in Adam omnium animas contineri ; quia id quod Græce dicitur *κατα-μόνας*, non unum, sed per multos quemque significet.

Qui finxit sigillatim corda eorum. Qui finxit : id est, fecit. *Sigillatim.* Per singulos omnes intelligit, et insimul omnes cognoscit. *Corda eorum :* opera illorum. *Qui intelligit omnia opera eorum.* Ipse est enim speculator prospiciens de die in diem actus humanos. *Qui intelligit omnia opera eorum :* hoc est, qualiter donum Dei unaquæque anima habeat, ipse dispensat.

Non salvabitur rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. Sed per justitiam, et auxilium Dei. Nam et Goliæ fortitudinem confudit Deus per manum David pueri sui. Non fit salvus rex per multitudinem virtutis suæ. Quare? quia alibi dicit : Dominus est salus (*Psal.* III). Nec gigas salvus erit in multitudine fortitudinis suæ. Gigas pro sua fortitudine dicitur. Nec ipse salvus esse potest per fortitudinem suam, sicut superius de Golia et David.

Fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur. Nisi Deus fuerit ascensor ejus. *Fallax equus ad salutem.* Equus, corpus humanum, jumentum est animæ, ideo fallax. *In abundantia autem virtutis suæ,* non erit salvus : id est, nec gigas, nec rex.

Ecce oculi Domini super timentes eum. Oculi Dei, aspectus divinitatis. *Super timentes eum,* qui eum timent timore sancto. Deus enim sperantes in se inspectione cœlesti protegit ac defendit. *Et in eis qui sperant in misericordia ejus. Ut eruat a morte animas eorum.* Id est, in hoc sperant in misericordia ejus, id est, Dei, ut a morte perpetua eruat animas eorum. Vel a morte, hoc est a diabolo.

Ut eruat a morte animas eorum : Et alat eos in fame. Cum alii verbi Dei penuriam patiuntur : isti ab eo vivificantur.

Anima autem nostra sustinet Dominum. Id est, patiens est in Domino. Quidquid accesserit ei sive bonum, sive malum, sustinet propter Deum, ut ait Paulus : Omnia mihi placent (I *Cor.* X). Vel, *alit eos in fame :* id est, pascit eos. Unde dixit : Et aluit eos quadraginta annis in deserto (*Exod.* XVI). Quia quotiescumque homines habent famem, Deus pascit servos suos : licet de cibo terreno, sed tamen plus est, unde pascit eos de cibo spirituali : id est, de sua doctrina et suo verbo : *Anima autem nostra sustinet Dominum : quoniam adjutor et protector noster est. Et in ipso lætabitur cor nostrum, et in nomine sancto ejus speravimus.* Scimus enim quod nullus speravit in eum, et confusus abscessit. *Quoniam adjutor et protector noster est.* Hoc est, quia ipse est et adjutor et defensor Ecclesiæ. *Et in ipso lætabitur cor nostrum.* Id est, anima nostra lætabitur de spe futuræ remunerationis, et lætabitur Ecclesia in tribulatione. *Et in nomine sancto ejus speravimus.* Nomen Patris Filius est.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos, sicut speravimus in te. Oratio Ecclesiæ est : tamen istum versiculum cogitare debet unusquisque antequam legatur, ut fideliter dicat, *sicut speravimus in te,* ne alibi vacet mens sua. *Fiat, Domine, misericordia tua super nos : sicut speravimus in te.* Ut qui nos per baptismum abluisti, Spiritus sancti infusione confirmes, sicut in Actibus apostolorum cernimus esse factum (*Act.* II). Qui nunc in nobis venire dignetur, ut per ejus lumen effici mereamur hæredes gloriæ sempiternæ. Amen.

PSALMUS XXXIII.

Psalmus David cum mutavit faciem suam coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit. Mutatio faciei in verborum mutatione monstratur : quando a Saul se missum esse simulavit. Aut si veram mutationem vultus volumus intelligere, Abimelech sciamus dictum esse [a] pro Achis. Nec in nomine error est, cum ex parte generatus, etiam Abimelech potuerit appellari. Abimelech quippe interpretatur *pater meus rex.* Quomodo dicit, commutavit vultum suum coram Abimelech? Quia in Regum sic legimus, quod in Geth civitatem ad regem Achis fugit in Philistiim (I *Reg.* VIII). Vel quomodo ausus fuit ibidem ambulare, quia inimicus illorum erat, et ipse interfecit antea Goliam principem illorum? Propterea illuc ambulavit, pro hoc quod mulieres dixerunt : Percussit Saul mille, et David decem millia. Et postea intravit diabolus in Saul per invidiam, et dixit : Quid superest ei, nisi tantum ut regnum habeat? Et pervenit David ad regem Achis. Sed postea Achis misit missos suos ut David ad se ducerent, ut eum interficerent. Et cum invenisset eum ad portam civitatis, cognovit David quod ipsum interficere volebant, necessitate compulsus ad arcem declinavit. Misericordia Dei providente, cecidit Spiritus sanctus super ipsum, et cœpit labi, et salivam mittebat super suam barbam. Et cum adduxissent eum ad regem, dixit illis rex : Pro qua causa adduxistis istum hominem arreptivum, et furibundum super me? David pulcher homo erat, et quando eum apprehenderunt, tympanizabat ad portam civitatis, et in manibus suis ferebatur. Et cum eum dimisissent, et fugisset, istum psalmum cantavit : qui totus circa pietatem, totus circa inspectionem divinam, totus circa compescendas sanctorum tribulationes commemoratur. David figuram Christi tenet : Saul figuram diaboli. Abimelech interpretatur, *regnum patris mei.* Achis interpretatur, *quomodo est*, vel, *ignorantia*, vel, *niger*. David venit in Geth ad regem Achis, et Dominus venit in regnum Patris sui : hoc est, ad regnum Judæorum. Mutavit vultum suum coram Abimelech : hoc est, coram regno patris sui. Unde sanctus Paulus dixit : Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed formam servi accepit : in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo : humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem (*Philip.* XVI). Vel aliter : Mutavit vultum suum, id est, in sacerdotium. Tunc commutavit, quando Melchisedech obtulit panem et vinum (*Gen.* XIV). Immutavit vultum : quia quantum adventus Christi appropinquabat, tantum illæ figuræ apertæ erant : quia antea hostias offerebat, sed postea spiritualiter impletum fuit in novo Testamento secundum ordinem Melchisedech : non dixit secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech. Tympanizabat ad portam civitatis. Tympanum de corio extenditur. Et Dominus extendit manus suas in cruce. Portas civitatis, initium fidei nostræ intelligitur, quando credimus incarnationem Christi. Per salivam, infirmitatem carnis quam dignatus est suscipere. Illa barba, fortitudo divinitatis. Dimisit eum et abiit. Dimisit Christus Judæos, et venit in gentibus. Unde dictum est : Quia indignos vos judicastis vitæ æternæ : nos ex hoc ibimus ad gentes (*Act.* XIII).

Benedicam Dominum in omni tempore, etc. Cum ait : *omni tempore* et semper, docet nos, nec in adversis succumbere debere, nec in secundis extolli,
A sed tam prospera quam contraria æquanimiter ferre : ac beatum ante oculos proponentes, in omnibus quæ acciderint, Dei benedicere nomen. *Benedicam Dominum in omni tempore. Benedicam*, id est, laudabo Dominum. *In omni tempore :* in prosperis et adversis. Fecit hoc David, et modo Ecclesia. *Semper laus ejus in ore meo.* In ore et corde, intenta mente Deum semper laudare.

In Domino laudabitur anima mea. Hoc est, vita mea. Cum huic studio anima dedita, aspera mundi æquo animo sustinuerit : ab his qui sunt Domini, collaudatur. *Audiant mansueti.* Id est, sancti. *Et lætentur.* Non de terrenis, sed de cœlestibus : qui non habent pugnam vitiorum in se, illi qui glebam corporis sui tali testamento coercent. Beati enim man-
B sueti : quoniam ipsi possidebunt terram.

Magnificate Dominum mecum. Patrem Dominum laudate. *Et exaltemus nomen ejus in idipsum.* Ac si dicat propheta : Quomodo ego amo, et vos sic facite. Vel, *exaltemus nomen ejus in idipsum :* Filium cui Pater dedit nomen, quod est super omne nomen.

Inquisivi Dominum. Spiritum sanctum. *Et exaudivit me, et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.* Consumens corruptelam carnis : quæ mihi tribulationes peccaminum ingerebat, ne eum attentius deprecarer.

Accedite ad Dominum. Credite in eum. *Accedite ad Dominum*, non loco, sed fide, et opere. *Et illuminamini.* Id est, in mente intelligite : quia nisi credideritis, non intelligetis. *Et facies vestræ non confunden-*
C *tur.* In judicio quo impii confundentur in condemnationem, in die judicii.

Iste pauper clamavit. Christus Dominus qui pro nobis pauper factus est, ad Patrem in passione clamavit. Vel, *iste pauper*, id est, David, *clamavit*, quando dixit : Domine Deus, vanum fac consilium Achitophel (II *Reg.* XXVI). Et Ecclesia clamat modo. *Et Dominus exaudivit eum, et ex omnibus tribulationibus ejus liberavit eum.* Resuscitans illum a mortuis.

Emittit angelum Dominus in circuitu timentium eum, et eripiet eos. Hoc est, angelum magni consilii dedit illis. Haud dubium est, timentes Dominum, ab angelis custodiri : sicut ipse Dominus per Evangelium docet : Amen, amen dico vobis : quia angeli eorum quotidie vident faciem Patris mei, qui est in cœlis
D (*Matth.* XVIII). Vallantur ergo præsidio angelico, qui de cordis puritate timuerint Deum.

Gustate, etc. Gustus per fauces discitur : visus per oculos, quia per oculos videtur. Propheta dicit, Gustavi. Et quomodo gustavi : sic inveni per fidem, per spem, et per opera bona. *Beatus vir qui sperat in eum.* Quare beatus? Quia illum habet qui omnia habet : hoc est, Deum. Ergo hic dicitur gustus, ut cum quis cognoverit Deum, timeat illum : quia tamquam de gustu ita alibi dixit : Initium sapientiæ timor Do-

[a] Scilicet nomen Abimelech, quod Patrem regem sonat, commune regum Palæstinæ fuit, ut illud Pharaonis, regum erat Ægypti. Id ex hoc ipso psalmi titulo constat, ubi Achis Abimelech appellatur. S. Basilius in hunc locum οἱ βασιλεῖς τῶν ἀλλοφύλων κοινὸν μὲν εἶχον ὄνομα τὸ Ἀβιμέλεχ. *Reges Alienigenarum* (Palæstinæ, sive Philistinorum) *communi nomine Abimelech vocabantur.*

mini (*Psal.* cx), Cum autem timere cœperit, tunc præcepta custodit, et tunc sciet quia suavis est Dominus: quia ipse est panis vivus qui satietatem dat huic mundo. Beatus vir qui sperat in eum, et non in incerto divitiarum.

Timete Dominum, omnes sancti ejus. Qui firmi statis in promissis ejus, timete, ne accepta securitate decipiamini. *Quoniam nihil deest timentibus eum.* Quorum Deus est Christus, nihil deest eis, id est, nihil boni deest eis. Quærite regnum Dei, et justitiam ejus, et cætera apponuntur vobis. Justitia enim Dei omnia præstat.

Divites eguerunt et esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Multi sunt mundi locupletes, et egent gloria Dei, de quibus fuit, et dives ille, ante cujus januam Lazarus decumbebat: qui sitiens in tormentis, quia non fecerat misericordiam, non meruit accipere guttam. Inquirens autem Lazarus non purpuras, sed cœlestia regna, meruit in sinu Abrahæ bonis omnibus adimpleri (*Luc.* xvi).

Venite, filii, audite me: timorem Domini docebo vos. Mos est propheticus, ut discipulos filios nuncupet, sicut Paulus: Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis (*Galat.* iv). Hos docet, ut primo omnium sapientia: id est, timore Domini imbuantur. *Venite, filii, audite me.* Vocat Christus Ecclesiam ad se venire, id est, per fidem, sancti filii Dei dicuntur: juxta quod dictum est in Evangelio: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* i). Et Joannes dicit in Epistola sua: Nunc Filii Dei sumus (I *Joan.* iii). *Timorem Domini docebo vos.* Ut illud: Initium sapientiæ timor Domini (*Eccli.* i). Et alibi dicit: De timore nascitur compunctio salutis. Ad hoc debet unusquisque venire, ut timorem Domini debeat habere.

Quis est homo qui vult vitam. Æternam utique. *Et cupit dies videre bonos.* In quibus cum sanctis jucundetur in regno Dei. Vel vox prophetæ interrogando, et alius dicit, Ego volo, et ille dicit: Si vis, fac ergo quod sequitur, et videbis vitam, hoc est, habebis vitam æternam, et dies bonos, hoc est, dies æternos.

Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Prohibe linguam tuam, id est, a detractione, vel ab amaritudine: quia dictum est: Mors et vita in manibus linguæ (*Prov.* xviii). Quia qui custodit linguam suam, custodit animam suam. Et alibi dicit: Custos justitiæ, silentium et pax (*Isai.* xxiii). Si quis putat se esse religiosum, non refrenans linguam suam, hujus erit vana religio (*Jacob.* i). *Et labia tua, ne loquantur dolum:* ne aliud ore assimiles, aliud corde retineas.

Diverte a malo, et fac bonum. Hoc est, destrue vitia et ædifica virtutes. Nihil prodest, si destruis, et non ædificas. Hoc est, si destruis vitia, et non ædificas virtutes. Ac si dicat: Quis est homo, qui sine his velit vitam? Nullus. Quia in eo nullum bonum fuit, qui nullum malum destruit. *Diverte a malo et fac bonum.* Mala omnia a diaboli instinctu procedunt, sicut bona a Dei. Relinque ergo quæ instigat diabolus, et operare quæ præcipit Christus. *Inquire pacem et persequere eam.* Secundum Apostolum pacem sequimini et sanctimoniam; sine qua nemo videt regnum Dei (*Hebr.* xii). Vel Judæi quæsierunt pacem, id est, Christum ad occidendum, non ad imitandum, quia sequi, imitari dicitur. *Inquire pacem et sequere eam*, id est, Christum: quia ipse est pax nostra. Vel *sequere*, imitare. Unde in Evangelio dictum est: Qui vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me (*Luc.* ix). *Inquire pacem et sequere eam.* Non sufficit malum fugere, nisi bonum quoque feceris.

Oculi Domini super justos. Pietatis enim inspectione eos jugiter contemplatur. *Et aures ejus in preces eorum.* Quia quæ justa sunt postulant. *Oculi Domini*, id est, aspectus divinitatis, *super justos. Et aures ejus ad preces eorum.* Quidquid rogant sancti de bono, exaudit illos: quia Deus et audit, et videt nos: propterea nos faciamus voluntatem illius.

Vultus autem Domini super facientes mala. Iste psalmus in persona bonorum et in persona malorum currit. Propter quid vultus Dei super eos qui mala faciunt? *Ut disperdat de terra memoriam eorum.* Hoc est, de terra viventium, ut ait propheta: Deleantur de libro viventium (*Ps.* lxxxvi). Vultum hic furorem intelligimus, qui minando iram, memoriam peccati a terra disperdit, ut radices benignitatis suæ (unde eam exciderat) plantet. Quæ de auribus, oculis, ac de vultu dicuntur, non ad corporationem Deitatis, sed ad majestatis potentiam referenda sunt.

Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, etc. Quia de puritate cordis integra clamaverunt. Vel tres pueri inter flammas clamaverunt, et Dominus exaudivit eos (*Dan.* iii). Filii Machabæorum, vel modo unusquisque sanctus; et illos, et modo unumquemque ex omnibus tribulationibus liberat.

Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde. Numquam elongatur ab eis qui propter illum sustinent. Cum ipsis est in tribulatione: non loco, sed auxilio, quia Deus non est localis. *Et humiles spiritu salvabit.* Ut eis regna cœlestia largiatur. Humiles spiritu, id est, mites, ut illud: Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* xi). Vel illud: Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Multæ tribulationes justorum. Ergo qui tribulationem non patitur, justus non est. Mors peccatorum pessima est. Justorum tribulatio morte finitur, peccatorum vero supplicia post mortem incipiunt. Vel, *multæ tribulationes justorum*, et de omnibus his liberavit eos Dominus. Tentantur enim, ut probati manifesti fiant. Sed in tempore erit respectus ipsorum, cum judicaverint nationes, et dominati fuerint populis.

Dominus custodit omnia ossa eorum. Id est, virtutes eorum. *Unum ex his non conteretur.* De sanctis suis in futuro judicio, quomodo dicit, unum ex his

non contereretur, quia multi habent ossa fracta, sicut legimus de sanctis martyribus? Sed hic ossa, firmamentum, vel virtutes animæ intelliguntur. Dominus custodit omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur. Æternitatem perpetuæ vitæ dicit, quam per spem fidei gerunt, sive fortitudinem quam in ipso habent Deo custodire : ne in his tribulationibus tepescant, aut conterantur in aliquo.

Mors peccatorum pessima est. Quia et hic initiantur, et in futuro sine fine torquentur. *Et qui oderunt justum, delinquent.* Christum vel testamentum ejus Judæi oderunt. *Oderunt justum*, id est, Christum, et sine causa. *Delinquent*, hoc est, peccabunt. Vel qui odit modo justum, hoc est, unumquemque sanctum, peccat.

Redemit Dominus animas servorum suorum. Redemit nos Christus sanguine suo pretioso, et modo per singulos dies redimit. Vel, *redemit Dominus animas servorum suorum*, de potestate secundæ mortis. *Et non derelinquet omnes qui sperant in eum.*

Qui in Deo sperant, non derelinquet eos, neque hic neque in futuro : sed cum ipsis est, secundum promissionem suam, usque ad consummationem sæculi. Qui nobis præstare dignetur, ut sit jugiter laus ejus in ore nostro : ejusque doctrina mediocriter utentes, nec extollere prospera, nec incommoda valeant inclinare.

PSALMUS XXXIV.

In finem, Psalmus ipsi David. In finem, id est, in Christum, ut illud : Finis legis Christus ad justitiam omni credenti (*Rom.* x). Vel finis, perfectio Christi. Unde et apostoli dixerunt : Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis (*Joan.* xiv). Et Dominus : Qui me videt, videt et Patrem meum : quia ego in Patre, et Pater in me est. In hoc est perfectio Christi. David, fortis manu interpretatur, sive desiderabilis. Et Dominus manu fortis, quia tetigit loculum, et surrexit juvenis filius viduæ. Vel fortis, per quem facta sunt omnia. Desiderabilis, quia intantum desiderant sancti videre Christum, ut etiam corpora sua pro ipso tradant in martyrium. Vel passionis Dominicæ psalmus continet sacramentum. In quo notandum est, quod ea quæ in humilitate, fletu ac lamentatione dicuntur, non divinitati, sed assumptæ carni conveniunt. Orat ergo Dominum Patrem, dicens :

Judica, Domine, nocentes me : expugna impugnantes me. Judæos et principes sacerdotum, qui in carne positum Dominum sæpe impugnantes, nocere voluerunt. *Judica, Domine, nocentes me.* Vox Christi in passione, et vox Ecclesiæ in tribulatione. *Judica* : hoc est, judicio discretionis. Vel *judica*, id est, discerne inter me et Judæos : inter Ecclesiam et persecutores. *Expugna impugnantes me.* Ac si dicat : Tu fac vindictam pro me : sicut dicitur per sanctum Paulum : Mihi vindictam, et ego retribuam (*Rom.* xii). Et item, Si Deus pro nobis, quis contra nos (*Rom.* viii)?

Apprehende arma et scutum, et exsurge in adjutorium mihi. In armis, cœlestia adjutoria : in scuto divinam protectionem designat, quam secundum infirmitatem carnis sibi postulat ministrari. Sed et nos spiritualibus defendit armis ac munit, secundum Apostolum : Induite vos arma Dei (*Ephes.* vi). Arma Domini protectio divinitatis. Quid fortius, quid pulchrius quam Christum armatum stare pro suis sanctis? sicut sanctus Stephanus vidit, quando dixit : Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei Patris (*Act.* vii). Stare, pugnantis vel adversantis est. Tu non potes mutare tua arma : Dominus accedens de armis facit scutum. Et nos debemus arma accipere, ut possimus resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare.

Effunde frameam et conclude adversus eos qui persequuntur me. Ut effusus iræ tuæ gladius super eos decidat, eosque concludat : ne ad nocendum valeant evagari. Per frameam intelligitur anima Dominica : per quam facit Deus Pater justam vindictam. Vel framea intelligitur anima uniuscujusque sancti : quia Deus per animas sanctas facit vindictam : sicut per Petrum fecit de Anania et Saphira (*Act.* v), et per Eliam de quinquagenariis viris (IV *Reg.* i). *Domine, dic animæ meæ : Salus tua ego sum.* Vox Ecclesiæ. *Dic animæ meæ*, ut te intelligat, quod tu es Deus meus : tu es salus animæ meæ. *Dic animæ meæ, Salus tua ego sum.* A me erit, inquit, post mortem vivificanda.

Confundantur et revereantur quærentes animam meam, ut auferant eam. Cum me resuscitaveris, tunc hi confundantur. *Avertantur retrorsum et erubescant qui volunt mihi mala.* Non ut proficiant in ante, sed retrorsum convertantur, ut pereant, id est, dæmones, Judæi, vel persecutores Ecclesiæ, avertantur in futuro judicio. Confundantur et revereantur gentiles de idolis : confundantur de infidelitate ad fidem Christi. Unde Paulus dicit : Qualem ergo fructum habuistis tunc in his, in quibus nunc erubescitis (*Rom.* vi)? Vel, revertantur retrorsum, id est, illi qui malum cursum habuerunt : sicut Dominus ait ad Petrum : Vade post me, Satana (*Matth.* xvi).

Fiant tanquam pulvis ante faciem venti : et angelus Domini persequens eos. Id est, angelo persequente, dispergantur, ut nihil prorsus ex his vel exiguum relinquatur. Pulvis, leves et infructuosi homines dicti sunt : quia sicut pulvis ante ventum, sic peccatores ante sententiam divinam in die judicii. Et *angelus Domini persequens eos.* Angelus Domini, id est, spiritus malus. Si malus, cur Domini? Si Domini, cur malus? Domini : quia Dominus illum creavit, et Dominus illum habet in potestate. Malignus, non natura, sed sua adinventione. Diabolus habet voluntatem nocendi, sed non habet potestatem faciendi, ut ait propheta : Immissiones per angelos malos (*Psalm.* lxxvii) ; id est, tantam habet potestatem, quantum Dominus ei permittit.

Fiant viæ illorum tenebræ et lubricum. Tenebræ, ignorantiæ. *Lubricum*, id est, luxuria. Quia qui istis mente est deditus, diabolus illum persequitur. Vel aliter : Non cognoscant veritatis lumen, nec firma statione consistant, sed lubrici fiant gressus eorum,

qui in hac passione grassantur, atque ab angelo claritatis Dominicæ affliguntur.

Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui. Bene, *sui*, quia quem putabant Domini interitum, eorum effectus est laqueus. *Quoniam gratis absconderunt mihi interitum. Gratis*, id est, sine causa, tam Judæi Christum, quam persecutores Ecclesiam. Ipsi semetipsos laqueaverunt in vindictam. *Supervacue exprobraverunt animam meam.* Nihil enim utile habuit exprobratio eorum.

Veniat illis laqueus quem ignorant. Exscidium illud minatur, quod temporibus Vespasiani super eos advenit. Vel unusquisque peccator funiculis vitiorum suorum constringitur in die judicii. *Et captio quam abscondit apprehendat eos : in laqueum cadant in ipso.* In mortem utique repentinam, quam occulte ipsi Domino nostro moliebantur, ut illud : Foderunt ante faciem meam foveam, et ipsi inciderunt in eam (*Ps.* LVI). Et item dicit : Foveam quam fratri tuo paraveras, in eam cades (*Prov.* XXVI).

Anima autem mea exsultabit in Domino. Et Christus in Patre, et Ecclesia in Christo. *Delectabitur super salutari ejus.* Cum ab eo resuscitatus fuerit. Vel, *delectabitur*, hoc est, lætabitur super salutari ejus. Salutaris noster Christus est, quia in ipso delectatur Ecclesia : ut ait Salomon : Quæ est ista quæ ascendit dealbata, et innixa super fratruelem suum (*Cant.* III)?

Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi? In ossibus, æternitas, sive fortitudo intelligitur, quod ad apostolos refertur : ut quibus visa fuerint primum verba resurrectionis quasi deliramenta, nunc collaudent et dicant : *Quis similis tibi?* hoc est, quis ut tu potuit de morte revocare? Vel ossa, fortiores sancti, vel virtutes sanctorum. *Quis similis tibi?* Ac si dicat, Nemo. Alio loco dicit : Deus, quis similis tibi (*Psal.* LXX)? id est, nullus.

Eripiens inopem de manu fortiorum ejus. Inops Christus pro nobis, ut illius inopia nos divites faceret. De manu fortiorum : id est, de manu Judæorum liberavit eum Deus Pater. Inops Christus, ex persona membrorum suorum loquitur. *Egenum et pauperem a diripientibus eum.* A potestatibus tenebrarum. Quorum maxima virtus est, ut possint diripere pauperes tuos.

Exsurgentes testes iniqui, quæ ignorabant interrogabant me. Evangelium falsos testes dicit ; Propheta, iniquos. Et falsi quos Evangelium vocat, interrogantur; de quibus vero propheta loquitur, interrogant. Unde intelligendum est quod principes sacerdotum sunt iniqui testes, qui interrogaverunt quæ nesciebant, dicentes : Adjuramus te per Deum, ut dicas nobis si tu es Filius Dei (*Mat.* XXVI). Dicente autem illo, Ego sum, sciderunt vestimenta sua, et quasi in testimonium clamaverunt : Ipsi audistis blasphemiam; quid adhuc quærimus testes? Falsum enim erat testimonium, ut dicerent eum blasphemasse, qui dixerat veritatem.

Et retribuebant mihi mala pro bonis : sterilitatem animæ meæ. Exhibente me vitam, condemnaverunt me morti, et fecunditatem bonorum cœlestium promittenti, vitæ penuriam intulerunt. Sic fecerunt Judæi Christo : pro bonis mala reddiderunt. *Sterilitatem animæ meæ;* id est, quomodo illorum animæ steriles erant de bono, et plenæ de peccato : sic voluerunt ut anima Christi fuisset.

Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio. Hæc sunt arma sanctorum. Totus autem psalmus ex persona Christi est, et per Christum ad omnes sanctos referri potest. *Induebar cilicio. Et humiliabam in jejunio animam meam.* Legimus illius jejunium, non legimus cilicium. Sed per cilicium peccatores, quia vestitus pœnitentiæ est. *Induebar cilicio.* Ac si dicat : Induit se divinitas carne, et de peccato damnavit peccatum. *Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio, et humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur.* Induit enim Dominus asperitatem passionis, et luctum de duritia populi non credentis : celebravit jejunium usque ad vesperam, cum in vespera mundi oblatus est, pro mundi salute. Conversa est oratio ejus in sinum Patris, cum in nihilo est frustratus a Patre, et Pater non quasi minori præstitit, sed ut assumptum hominem declararet. Christus non carnaliter, sed spiritualiter jejunavit. Esuriens venit ad arborem fici : sitiens venit ad fontem. Esuriebat salutem humani generis : sitiebat fidem Ecclesiæ. Esuriebat in passione, quando omnes, maxime apostoli, negaverunt, nisi tantum latro in cruce confessus est. *Et oratio mea in sinu meo convertetur.* Hoc est, in secreto Dei Patris agebat. Et sancti orant in secreto: id est, in corde, ubi Deus videtur ut in Evangelio : Cum oras, intra in cubiculum tuum, et ora Patrem tuum in abscondito (*Matt.* VI). Et Anna orabat in templo (I *Reg.* I).

Quasi proximum, quasi fratrem nostrum. Si ex persona David psalmum accipimus, proximum accipimus Saulem. Si ex Christi, Judam proditorem proximum vocat. Vel proximus, et frater Christus Judæis : quia de ipsis humanitatem attraxit. *Ita complacebam.* Id est, Deo Patri : frater ac proximus erat propter generationem corpoream. *Quasi lugens, et contristatus, sic humiliabar.* Lugebat enim, cum, confortante angelo, guttæ sudoris ejus tamquam sanguis defluebant ad terram. Et contristatus est cum diceret : Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI). *Tamquam lugens et contristatus.* Lugebat Christus pro parte nostra, ut illud : Videns, inquit, civitatem, flevit super eam (*Luc.* XIX). *Ita humiliabar :* quia Christus humiliatus est in passione. Vel, *sic complacebam :* quia complacebat Patri per fidem et spem.

Et adversum me lætati sunt. Lætati sunt Judæi, quando Christum apprehenderunt, ut eum crucifigerent. *Et convenerunt in unum.* Ad hoc convenerunt, ut Christum crucifigerent, non ut crederent. Vel adversus me congregati sunt, et convenerunt, cum traditionis meæ promissionem haberent. *Congregata*

sunt in me flagella. Flagellaverunt Christum, sicut dixit: Cum gladiis et fustibus ad me venistis (*Matth.* xxvi). Et Pilatus dixit : Dimittam eum emendatum : id est, flagellatum dimittam. *Et non cognovi.* Quid non cognoverit, quæritur. Quidam putant dolorem vulnerum quæ patiebatur in cruce. Sed melius ad peccata refertur, quod non habuerit conscientiam peccatorum, quare crucifixus sit. Et ignoravi, non quod ignoret Christus aliquid : sed ignoravi, quia propter quod istud mihi accidit, non commisi. Vel ignoraverunt, quod Deus sub carnis velamento lateret.

Dissipati sunt. A vinculo charitatis. *Nec compuncti.* Ut agerent pœnitentiam. *Tentaverunt me.* Multis modis tentaverunt Judæi Christum, sicut dixit unus ex ipsis : Magister, quod est primum mandatum (*Matth.* xxii)? *Subsannaverunt me subsannatione.* Deludentes atque dicentes: Ave, rex Judæorum (*Joan.* xix). *Frenduerunt super me dentibus suis.* Clamantes, Crucifige eum. Per motus corporis, ostenditur motus animæ. Per dentes intelligitur malitia : quia per malitiam ipsum crucifixerunt, et in hunc dentibus striderunt.

Domine, quando respicies. Propheta ex persona Ecclesiæ dicit. Ac si dicat : Respice malorum iniquitatem, et meam justitiam ab ipsis discerne. *Et restitues animam meam a malignitate eorum, a leonibus unicam meam.* Leones ipsos persecutores dicit, qui animam ejus deglutire ore nitebantur : sed ejus resurrectione confusi sunt. Ecce conversa est oratio ejus in sinum ejus, cum unica, id est, ipsa anima integra corpori restituta est. Et quis, inquis, eam restituit? Ipse cum paterna voluntate, qui dixit : Potestatem habeo tollendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam (*Joan.* x). *Et a leonibus unicam meam.* Leo ipse populus Judaicus, propter fortitudinem malitiæ suæ. *Unicam meam :* quia unica fuit anima Christi sine peccato, secundum prophetam : Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*Isai.* liii).

Confitebor tibi, Domine, in Ecclesia magna. Id est, in toto mundo diffusa. *In populo gravi laudabo te.* Id est, in populo Christiano, ibi te laudabo. Gravis dicitur. Quia non est levis ad peccandum : Non levi, quem ventus ut pulverem a facie terræ projiciet : sed in gravi, et supra petram fundato, firmiterque præcepta custodiente. Hinc iterum recordatur passionis suæ, quo potius eis judicium mortis annuntiet dicens :

Non supergaudeant mihi qui adversantur mihi inique. Judæi Christo, et persecutores Ecclesiæ. *Qui oderunt me gratis, et annuunt oculis.* Hæc dicit ut non sit iterata passio : quia nec redemptio veniet iterata. Et annuerunt oculis : quia nihil boni in opere ostenderunt.

Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur. Et est illud : Magister, licet tributum dari Cæsari, an non (*Matth.* xxii)? Vel quando dixerunt : Magister, scimus quia verax es, et in veritate viam Dei doces (*Ibid.*) Sed hæc pacifica plena erant dolo et ira. *Et in iracundia dolos cogitabant.* Sic loquebantur, sed cogitabant, ut apprehenderent eum, et ligarent eum : sicut postea fecerunt. In ira hoc fecerunt, sicut Jacobus ait : Ira viri justitiam Dei non operatur (*Jacob.* i). Et sicut alibi dicit : Irascimini et nolite peccare (*Psal.* iv). Sol non occidat super iracundiam vestram (*Ephes.* iv).

Dilataverunt super me os suum. Dilataverunt, quando accusaverunt in blasphemiis. Et, *dilataverunt super me os suum :* quia non solum peccaverunt in me : sed etiam insultaverunt, dicentes : Si Filius Dei est, descendat de cruce, et credimus ei (*Matth.* xxvii). *Dixerunt: Euge, euge.* Sicut dicit in Evangelio: Euge, serve bone, et fidelis (*Luc.* xix). Vel vox Judæorum est : ac si dicat : Bene, bene videmus quod exspectavimus, illæ virtutes quas faciebas, quod nihil erant. Vel dixerunt, bene : sed dolose. *Viderunt oculi nostri.* Quia non accipis personam hominis, nec est tibi cura de aliquo.

Vidisti, Domine. Pater, illusiones eorum. Ac si dicat : Vidisti illos ad judicandum. *Ne sileas, Domine.* Ne taceas. Tacet modo, et non tacet : id est, non tacet mandatum, tacet judicium. Te in testimonium advoco, cum judicavero mundum. *Ne discedas a me.* Quia Pater a Filio non discessit in passione. Sed tuæ adhæream dexteræ, donec digna ultione puniantur.

Exsurge, Domine, exsurge. Hoc est, in adjutorium. *Intende judicium meum.* Id est, discerne inter me et Judæos. *Intende judicium meum,* quia par est pœna, et dispar est culpa. Id est, quando cum illis latronibus pendebat, quia ipse innocens pendebat. *Exsurge, et intende judicium meum,* qualiter judicantes condemnaverunt me morti. *Deus meus, et Dominus meus in causa mea.* Vox humanitatis ad divinitatem, pro parte carnis loquitur. Judica me secundum magnam misericordiam tuam. Unde dixit, *intende judicium meum,* id est, fac discretionem inter me et illos.

Judica me secundum justitiam tuam, Domine Deus meus. Judicavi ego adulteram, ut non condemnaretur; judicaverunt et isti me innocentem, dignum morte, ideo unusquisque secundum opus proprium judicium mereatur. *Non supergaudeant mihi inimici mei, ne dicant in cordibus suis, Euge, euge animæ nostræ; nec dicant, Devorabimus eum.* Non patefiat ultra os eorum ad me devorandum, ne dicant, devorabimus eum. Devorat homo quod in os mittit. Sed in hoc dicit devorare, quia peccatores volunt illos sanctos devorare : id est, ut unum corpus efficiantur.

Erubescant et revereantur simul qui gratulantur malis meis. Id est, dæmones, Judæi, hæretici, et persecutores : *qui gratulantur malis meis,* hoc est, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. *Induantur confusione et reverentia qui maligna loquuntur adversum me.* Isti supradicti confusione æterna. Unde dicit : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum (*Matt.* xxv). Ut qui me quasi homi-

nem judicaverunt, ut Deum videant judicantem. Illinc propheta ad Patrem loquitur.

Exsultent et lætentur qui volunt justitiam meam. Christum exspectantes, qui est justitia Patris. Vel, *exsultent et lætentur qui volunt justitiam meam :* id est, sancti qui volunt justitiam Dei implere, ipsi exsultent et lætentur in remuneratione vitæ æternæ. *Et dicant, semper magnificetur Dominus : qui volunt pacem servi ejus.* Ipse Dominus est pax nostra : juxta Apostolum (*Ephes.* II). *Servi ejus* : id est, Christi : qui est servus Dei Patris. Unde dicit : Magnum est tibi vocari servum meum (*Isai.* XLIX) : pro parte carnis.

Sed et lingua mea meditabitur justitiam tuam. Lingua mea, sancti sunt, qui meditantur mandata Christi. *Tota die, laudem tuam. Tota die*, toto tempore laudare Deum. *Sed et lingua mea meditabitur justitiam tuam :* quia pro vita populi mortuus, non es in tartaro derelictus. *Tota die laudem tuam :* quia devicta triumphans morte, in cœlis es susceptus a Patre : cum quo tibi et Spiritu sancto est honor et gloria. Amen.

PSALMUS XXXV.

In finem, puero Domini Psalmus David. Iste psalmus personam peccatoris designat, superbiam notat, fontem æterni luminis monstrat.

Dixit injustus, ut delinquat sibi. Id est, sibimetipsi, *injustus*, hoc est, diabolus cum suis satellitibus. Id est, populis Judæorum : vel reliquis suis membris sibi deliquit. Nec alius quispiam per injustitiam sic loquitur ut peccet : sicut ille qui dixit : Ponam solium meum super sidera, et ero similis Altissimo (*Isai.* XIV). Semper enim iniquitas proprio se confodit jaculo; juxta illud : Fili, si malus evaseris, solus hauries mala (*Prov.* XII). Vel aliter : Dixit iniquus ut delinqueret sibi : id est, decrevit se peccare debere. *Non est timor Dei ante oculos ejus.* Si enim timorem Dei ante oculos haberet, numquam exsecrabilia et abominanda committeret. *Non est timor Dei ante oculos ejus.* Id est, ante populum Judaicum : quia si timorem Domini habuissent ante oculos cordis, numquam tanta mala fecissent.

Quoniam dolose egit in conspectu ejus. Diabolus, et Judæi ante conspectum Dei. Vel, *dolose egit in conspectu ejus*, iniquæ concupiscentiæ flammam stimulatus. *Ut inveniatur iniquitas ejus et odium.* Dum concupisceret contra justitiam iniquitatem, dum auferre non potest, odium possedit. Sed et ad Judam proditorem hæc pertinere sequentia docent.

Verba oris ejus iniquitas et dolus. Dixit autem : Ave, Rabbi, et osculo magistrum tradidit inimicis. Ecce verba oris, plena dolo atque iniquitate. *Verba oris ejus iniquitas, et dolus*, et in diabolo, et in populo Judæorum. *Noluit intelligere ut bene ageret.* Id est, diabolus et sui satellites : quia aliud est non posse, aliud est nolle. Et Judas videbat quotidie cum apostolis Christum multa mirabilia operantem, sed non intelligebat. In malivolam enim animam non ingreditur sapientia.

Iniquitatem meditatus est in cubili suo. In cordis secreto, in quo compungi debuit, iniquitatem meditatus est, unde jam superius mentionem fecimus. *In cubili*, id est, in corde eorum. *Astitit omni viæ non bonæ.* Quia ibi astitit, ideo ad nullum justitiæ fructum potuit pervenire. *Malitiam autem non odivit.* Sed dilexit : quia non solum non oderunt, sed amplexati sunt.

Domine, in cœlo misericordia tua. Id est, in sanctis angelis, qui ibidem firmati fuerunt, et non ceciderunt. Vel, *in cœlo misericordia tua*, id est, in sancta Ecclesia, *Domine, in cœlo misericordia tua.* Christus Dominus, qui humanos miseratus labores descendit de cœlo, ut colligaret vulnera nostra. *Et veritas tua usque ad nubes. Veritas*, Christus est, ut illud : Ego sum via, et veritas (*Joan.* XIV). Nubes, sancti prædicatores. Unde dicitur : Mandabo nubibus meis, ut non pluant imbrem super eam (*Isai.* I). Quia sicut nubes pluviam portant : et irrigant terram : sic et sancti prædicatores pluviam, id est, doctrinam Evangelii portant, et irrigant corda arentia. *Et veritas tua usque ad nubes.* Qui spiritualiter Scripturas nolunt intelligere : quærendum est ab eis, quomodo veritas Dei sit usque ad nubes.

Justitia tua sicut montes Dei. Mons Dei sapientia : mons Dei judicium : mons Dei sanctificatio est. Sunt et hujuscemodi montes plurimi, in quibus reconduntur arcana Dei : quæ difficile humanitas potest investigare : juxta Apostolum : Quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus (*Rom.* XI)! Vel aliter : *Justitia tua sicut montes Dei. Justitia tua*, mandata tua. *Montes* Dei, sancti majoris meriti : sicut sanctus Joannes, vel cæteri apostoli. Montes prius a sole illuminantur, et postea valles. Sed montes, id est, sancti non a semetipsis, nisi a sole, id est, a Christo. Unde dixit : Orietur vobis sol justitiæ (*Malach.* IV). *Et judicia tua velut abyssus multa. Abyssus multa*, judicia Dei occulta : quia unum reprobat, et alium assumit, sicut dixit : Jacob dilexi, Esau odio habui (*Malach.* I). Vel judicia sunt, quibus vel justis beatitudo, vel impiis pœna infertur. Quæ ideo abysso comparantur, quia in novi veterisque Testamenti profunditatibus contemplantur.

Homines, et jumenta salvos facies, Domine. Rationabiles irrationabilesque personas juxta illud Apostoli : Sapientibus, et insipientibus debitor sum (*Rom.* I). *Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.* Ab initio quidem proflua fuit misericordia tua; sed tunc multiplicata est, cum nos cruore proprio redemisti.

Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Non progenies viperarum, sed illi qui ad imaginem Dei mente perfecti sunt, sperant sub crucis tuæ defensione muniri. Vel, *Filii hominum*, id est, filii Christi : quia ipse hominis Filius est, et sancti filii hominum. In protectione alarum tuarum, vel, *in tegmine.* Duæ alæ, duo Testamenta, quia inde teguntur sancti a Christo. *Et inebriabuntur.* Id est, ipsi filii : *inebriabuntur* quidem ab *ubertate domus tuæ*, a pinguedine gratiæ Spiritus sancti. *Domus*

tuæ, sanctæ Ecclesiæ. Vel, *inebriabuntur*, ut, oblitis flagitiis, virtutibus copulentur. *Ab ubertate domus tuæ.* Ab intellectu dogmatum Ecclesiasticorum. *Et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Torrens voluptatis Dei, Spiritus sanctus est: qui irrigat omnem animam spiritualibus fluentis, ut fructum exhibeat sanctitatis.

Quoniam apud te, Domine, est fons vitæ. Et tu es, et apud te est origo omnium bonorum, et tu præstas baptismum: per quod ablutis facinoribus, viam largiaris æternam. Vel *fons vitæ:* quia doctrina Dei, animæ vita est. *In lumine tuo videbimus lumen.* Lumen Patris Christus est. In Christo Patris lumine, lumen Spiritum sanctum videbimus. Lumen tuum Pater est: cujus voluntatem faciens, venisti illuminare occulta tenebrarum, ut in te, qui es lux mundi, mereremur illud lumen cernere in gratia mentis puræ: Sic enim ait ad Philippum: Qui videt me, videt et Patrem meum (*Joan.* XIV). *In lumine ejus*, id est, in Christo, *videbimus lumen:* id est Spiritum sanctum, qui super apostolos in specie ignis illuminantis apparuit (*Act.* II). *Et in lumine tuo videbimus lumen*, id est, a Christo illuminabimur, ut ait in Evangelio: Erat lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* VIII).

Prætende misericordiam tuam scientibus te. Qui te venturum in mundum noverunt. De quibus postmodum in Evangelio dicis: Multi justi et prophetæ cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt (*Matt.* XI). Non superbis, et subdolis, sed mundis corde. Vel ostende misericordiam tuam scientibus te, id est, qui te sciunt, et te intelligunt, ipsis ostende misericordiam tuam, Domine. *Et justitiam tuam his qui recto sunt corde: Justitiam tuam*, mandata tua. *Qui recto sunt corde*, id est, qui non habent duplicitatem cordis.

Non veniat mihi pes superbiæ. Ne elatus vanitate, incidam in laqueum diaboli, et evadere non possim: *Et manus peccatorum non moveat me:* id est, opera malorum me non moveat de bono in malum. Non me moveat, ut a te divellar.

Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem. In hac superbia atque vanitate contra quam stare debuerant, ceciderunt. *Expulsi sunt.* A regno Dei. *Nec potuerunt stare.* Expulsi sunt dæmones de cœlo: nec potuerunt stare. Cœlum eos non potuit tenere: quia in pedes superbiæ jam corruerant. Nos vero oremus Dominum, ut nobis nominis sui timorem insinuet, misericordiam de cœlo solite largiatur: superbiam a nobis bonis suis inimicam auferat, atque omnem dolum avertat: nosque sacrosancti luminis sui cognitione illuminatos, regno suo dignos efficiat. Amen.

PSALMUS XXXVI.

Psalmus David. Trigesimus sextus psalmus personam justi glorificat, injusti notat: mores instruit, bonitatem Dei docet, pravitatem evellit.

Noli æmulari in malignantibus. Multas habet æmulatio interpretationes, quæ loco suo debent vel intel-

A ligi, vel exponi: Nam hic dicit, Noli particeps esse malignis: neque ad zelum, neque ad invidiam, quia zelus ira est, secundum illud quod per prophetam Dominus ait: In indignatione magna zelatus sum Sion (*Zach.* VIII). Invidia autem livor est: juxta illud: Occidi adolescentulum in livore meo (*Gen.* IV). *Neque zelaveris facientes iniquitatem.* Non imiteris eos qui per iniquas fraudes divitias congregant, honoremque requirunt: sed Deum attendens, bonitatem apostolicam quære.

Quoniam tamquam fenum velociter arescent, et quemadmodum olera herbarum cito decident. Recte hæc carnalis gloria, et mundata potentia, feno (juxta Isaiam) comparantur. Omnis, inquit, caro fenum, et omnis gloria ejus sicut flos feni (*Isai.* XL). Aruit B enim fenum, et flos ejus decidit. Huic sententiæ addidit Jacobus apostolus: Ita et dives in itineribus suis marcescet (*Jacob.* I). Simili ratione et de oleribus sentiendum est: quia non omnia olera infirmis sunt opportuna.

Spera in Domino et fac bonitatem. Tamquam ægro tibi loquitur sermo divinus: ut inter reliquas gratias quæ sunt fructus spiritus, exhibeas bonitatem. *Spera in Domino:* spem habeas semper in Domino. *Et fac bonitatem:* hoc est, adimple mandata. *Inhabita terram*, sanctam Ecclesiam: vel corpus tuum. Tu dominare carni: non caro tibi. *Et pasceris in divitiis ejus.* In sacris voluminibus. Si hæc terra fructum exhibeat sanctitatis, tunc et tu jucundaberis in divitiis Dei.

C *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.* Cor semper sapientiam petit. Ergo si, admissis his jucunditatibus, in Domino delecteris, dabit tibi thesauros sapientiæ suæ, vel quidquid petieris per fidem. Unde dixit: Quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quam petierint a Patre meo, fiet eis (*Matt.* XV).

Revela Domino viam tuam. Quomodo dicit, *revela?* numquid aliquid nescit Deus? Non, sed tu quod habes in corde, patefacere debes Deo in sermone per confessionem tuam. Confitere ei actiones tuas; et spera in eum semper, et ipse tibi dimittet peccata tua. *Et spera in eum.* Quod possit remittere delinquenti. *Et ipse faciet.* Et quid, inquis, faciet?

Et educet quasi lumen justitiam tuam. Ad claritaD tem qua eum credidisti. *Justitiam tuam:* id est, in claritate opera tua. *Et judicium tuum.* Quo ea quæ bona sunt elegisti. *Tamquam meridiem.* In pleno splendore gratiæ suæ, quem revelat coram angelis suis. Vel meridies, opera sanctorum intelliguntur.

Subditus esto Domino. Non peccato, sed humilis esto coram Domino. *Et ora eum.* Pro delictis præsentibus et antiquis. Unde Paulus dixit: Primo omnium fieri orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones: pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt (I *Tim.* II).

Noli æmulari in eo. Ne invidus ei sis, sicut superius: *Et judicium tuum tamquam meridies.* Tunc enim justi fulgebunt sicut sol in regno patris eorum, et

erunt clara omnia quæ nunc abscondita sunt. Vel, *noli æmulari in eo*, qui prospere agit in via sua. Non te terreat impii felicitas brevis. Quiesce ab ira, et derelinque furorem. Noli æmulari ut malefacias. Depone iram, ne iniqua patiens, vicem reddere compellaris.

Qui prosperatur in via sua. Qui feliciter agit in hoc sæculo. *In homine faciente injustitiam*. Ipse enim se peccando præcipitat, ne cum illo esse desideres qui iniquitatem facit.

Desine ab ira. Quæ Dei justitiam non operatur (*Jacob.* I). *Derelinque furorem*. Qui secundum Salomonem etiam sapientes perdit (*Prov.* XIX). Vel *desine*, cessa ab ira animi, et furore corporis. *Noli æmulari ut maligneris*. Ne alios provocando ad nequitiam, ipse nequam efficiaris.

Quoniam qui malignantur exterminabuntur. Quia non habent radicem pietatis. Vel exterminabuntur de terra viventium. *Sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram*. Id est, terram repromissionis, quæ fluit mel et lac.

Adhuc pusillum, et non erit peccator. Modice exspecta, et non erit peccator, qui tolletur hinc: quia divina opprimetur ultione. *Et quæres locum ejus, et non invenies*. In futurum non erit: neque locum quietis accipiet, *et quæres locum ejus, et non invenies*. Si locus diaboli peccatum est, erit tempus quando peccatum non erit. Hoc autem tunc erit, cum exsultaverimus in multitudine pacis.

Mansueti autem hæreditabunt terram. Quos nullus turbo furoris exagitat: neque concupiscentiæ ignis inflammat. Hæreditabunt terram illam viventium: quia mites et humiles possidebunt terram: hoc est, vitam æternam. *Et delectabuntur in multitudine pacis*. *Delectabuntur*: Id est, *lætabuntur in multitudine pacis*: id est, in Christo: cum in regno Christi conjuncti fuerint, qui est pax nostra.

Observabit peccator justum. Ut invento loco noceat ei: quia per illa opera sanctorum ipsi cruciantur, et torquentur in ista præsenti vita: id est, in mente intus malitia et invidia, quam habent. *Et stridebit super eum dentibus suis*. Nequitiæ et malitiæ dentibus, quibus eum nititur devorare. Per motum corporis, ut diximus, ostendit motum animæ.

Dominus autem irridebit eum: quia prospicit quod veniet dies ejus. Dies ultionis iræ Dei. Numquid Dominus aliquem irridet? Non, sed quia digni sunt ipsi ut irrideantur in vindicta. *Quoniam prospicit quod veniant dies ejus*: hoc est, Dominus scit quando veniet perditio ejus.

Gladium evaginaverunt peccatores, etc. Gladius, sive sagittæ peccatorum, verba seductionis sunt. Arcus vero vel vagina, mens est eorum de quibus proferuntur. Vel, *gladium evaginaverunt peccatores*, id est, gladium persecutorum in persecutione. *Intenderunt arcum*: id est, tendicula ipsorum contra sanctos. *Ut decipiant pauperem, et inopem*. Non divitem mundi, sed pauperem Christi. *Ut trucident rectos corde*. Ut eos qui bene credunt, seducendo interimant. Quia

A tunc animæ sanguis funditur, cum quis blande seducitur, et cadit in peccatum. Sed hæc ad hæreticos referenda sunt, contra quos debemus fortes stare: ut eis quod propheta adjecit, adveniat.

Gladius eorum intret in corda ipsorum, etc. Unusquisque enim qui contra Deum loquitur: aut cujus mens in stulta arrogantiæ vanitate superfluit: nec Scripturis spiritualiter intendens, vitiosa eas interpretatione corrumpit: ipse se proprio interimit pugione. Et sicut ad apostolos pax eorum, si indigna sit domus, revertitur (*Matt.* X): ita et in corda istorum gladius, si contra insontem evaginetur, infigitur. Vel, *gladius eorum intret in corda ipsorum*: hoc est, vindicta in animas ipsorum. Et arcus eorum confringatur, tendicula ipsorum.

B *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas*. Metuit enim illud quod Dominus ait in Evangelio: Quid prodest homini, si mundum universum lucretur: animæ autem suæ detrimentum patiatur (*Matt.* XVI)? *Modicum* autem quod dixit, fides est. Quæ quamquam grano sinapis comparetur, magnam tamen habet virtutem. *Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas*. Quamvis parva sint, meliora sunt: quia dixit Salomon: Melior est exigua portio cum requie, quam plena manus cum iniquitate (*Eccles.* IV).

Quoniam brachia peccatorum conterentur: *Brachia*, id est, fortitudo illorum conteretur in vindicta, ne innocentibus noceant. *Confirmat autem justos Dominus*. In fide conversantium infirma corroborat.

C *Novit Dominus vias immaculatorum*. Id est, conversationem illorum. Novit Dominus qui sunt ejus: immundos autem et eos qui eum ignorant, nescit. Omnis enim ignorans ignorabitur. *Et hæreditas eorum in æternum erit*. In Christo, qui est perpetuus et æternus. Vel in æternum erit: hoc est, in vita æterna.

Non confundentur in tempore malo. etc. Tempus malum, judicii tempus ostendit: in quo cum justi non patiantur famem, de peccatoribus dicitur: Væ vobis qui saturati estis, quoniam esurietis (*Luc.* VI), *Non confundentur in tempore malo*. In tempore discussionis, quod impiis malum erit. *Et in diebus famis saturabuntur*, et si desinant esse ministratores verbi Dei, et hi in Christo, qui panis est vivus, reficientur. Vel, *in diebus famis saturabuntur*: hoc est, quando illi peccatores erunt vacui, tunc sancti saturabuntur de gratia Dei. *Quia peccatores peribunt*. Quia non custodiunt mandata Dei, si non emendaverint.

D *Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint*. In potestate terrena. *Et exaltati*. In vana gloria. *Deficientes quemadmodum fumus deficient*. Adveniente autem morte, omnis gloria eorum tamquam fumus aut nebula tabescet; quia cito omnia transeunt.

Mutabitur peccator, et non retribuet. Quia non restituet pecuniam Domini cum usuris. Mutuum accepit a Domino: id est, quinque sensus corporis, vel divitias, et non gratias agit Deo. *Justus autem mise-*

ratur et commodat. Id est, et in se facit misericordiam, et in aliis: hoc est, discernit ipsos quinque sensus corporis. Vel, *justus miseretur et commodat.* Accepit Verbum, et spiritualibus spiritualia subministrat: ut non solum se, sed alios lucrifaciat. In hoc vero versiculo, etiam miseratio pauperum intelligenda est.

Quia benedicentes ei hæreditabunt terram. In qua bona Dei reposita sunt. Qui semper Deum laudant, et ipsi possidebunt terram: id est, et istam terram solent possidere, et postea terram viventium possidebunt. *Maledicentes autem ei disperibunt.* Promittente Domino: Inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te (*Exod.* XXIII).

Apud Dominum gressus hominis dirigentur. Quibus ad eum transire conatur. Sic et Rebecca abiit interrogare non de loco ad locum, sed de vita ad vitam (*Gen.* XXIV); et Moyses, solutis vinculis pedum, transivit videre rubum (*Exod.* III). Et tu si apponas animum ut transeas a morte ad vitam, non pedum gressibus, sed animi virtute, diriguntur a Domino gressus tui. Ad Dominum gressus hominum diriguntur, sensus uniuscujusque: ut ait Salomon: Hominis est præparare viam suam, sed Dominus diriget gressus suos (*Prov.* XVI). *Et viam ejus volet.* Ut ad se veniat, qui est via, veritas et vita. Vel mandata ejus desiderat.

Cum ceciderit non collidetur. Quare? *Quia Dominus firmat manum ejus.* Id est, opera ejus. *Cum ceciderit*, propter infirmitatem carnis: quia septies cadit justus, et resurgit: *non collidetur*, quia Dominus supponit manum suam. Agenti pœnitentiam, statim miseretur. Sic et David et Petrus cognitum lacrymis purgaverunt delictum, et a Domino confirmati sunt.

Junior fui, et senui, et non vidi justum derelictum. Nolite, inquit Apostolus, pueri effici sensibus vestris, sed malitia parvuli estote (II *Cor.* XIV). Ergo iste ab initio ætatis suæ parvulus in malitia, sed senex in virtute divina: intellexit, numquam posse justum a Domino derelinqui, nec semen ejus quærens panem doctrinæ cœlestis: de qua verbum insipientibus præbuit. *Nec semen ejus quærens panem. Semen ejus*, opera ejus. *Quærens panem*, id est, verbum Dei.

Tota die miseretur et commodat. Dies est, cum unusquisque bonum exercet. Iste ergo omnibus diebus vitæ suæ fenerat Domini sui pecuniam, non ad lucra mundana, sed ad cœlestia conquirenda. *Tota die*, omni tempore. *Miseretur*, a Deo: id est, qui aliis ministrat doctrinam Dei. *Et semen ejus in benedictione erit.* Opera quæ gessit, vel doctrinam quam docuit, a Domino benedicentur. Sed et semen ad Christianum refertur populum, qui in Ecclesia assidua benedictione ditatur. *Et semen ejus in benedictione erit*, in abundantia et gloria.

Declina a malo. Opere. *Et fac bonum.* Quod Deus præcepit. *Declina a malo, et fac bonum. Declina a malo*: a diabolo, vel a peccato, *et fac bonum*, hoc est, imple mandata. *Et inhabita in sæculum sæculi.* In Ecclesia, in unitate fidei, esto cum eo perpetuus.

Quia Dominus amat judicium. Rectum judicium, quo justos impiosque discernit.

Et non derelinquet sanctos suos. Qui in eum totam spem locaverunt. *In æternum conservabuntur.* Hoc est, in perpetuum, quia æterna concupierunt.

Injusti punientur. In vindicta. *Et semen impiorum peribit. Semen impiorum*: hoc est, opera illorum cum ipsis punientur in tormentis, et omne opus eorum disperdetur, quia iniquum est.

Justi autem hæreditate possidebunt terram. Terram viventium. *Et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.* Super illam quæ est sine fine: de qua fugit dolor et gemitus.

Os justi meditabitur sapientiam. Id est, Christum: unde dicit: Et in lege ejus meditabitur die ac nocte (*Psal.* I). Cum ait, *meditabitur*, futurum significat tempus, quod in regno Dei intelligitur ad agendum: in quo non vino luxuriæ, neque cibis voluptuosis, sed sapientia Dei, justorum ora replebuntur. *Et lingua ejus loquetur judicium.* Cum omnia ponderate; et non fraudulenter, neque cum ira, sed justo judicio, quæ de Deo sentit, enarrat. In quo enim abundat gratia spiritualis, omnia perscrutatur, etiam alta Dei.

Lex Dei ejus in corde ipsius. Hoc est, in mente justi. Non solum in ore ac lingua, sed etiam in alto cordis ejus fructificabunt, per legem Dei, opera sanctitatis. *Et non supplantabuntur.* Ab adversario. *Gressus ejus.* Quibus ad Deum pervenire nititur. Vel, *non supplantabuntur gressus ejus.* Sensus ejus a diabolo, vel a peccato.

Considerat peccator justum, etc. Intuebatur enim populus Judæorum justum Filium Dei, et stridebat in eum: quia gravis ei erat etiam ad videndum. Sic et nunc inimicus considerat unumquemque nostrum ut perdat. Sed si vigilanter resistat, eveniet quod sequitur.

Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus. In potestate utique illius. *Nec damnabit eum cum judicabitur illi.* Dat judicium impius, ut pereat justus, et Dominus non damnat eum, quia custodivit legem ejus. Sed illum justum non condemnat in die judicii, cum impium judicat.

Exspecta Dominum, et custodi vias ejus. Per spem firmam, et indeficientem mandatorum custodiam exspectatur Deus: ideo non debemus confundi in diversis mundi tentationibus. *Exspecta Dominum*: Quidquid tibi accidat in prosperis et in adversis, patienter exspecta: id est, sustine. *Exaltabit te, ut hæreditate capias terram.* Illam utique æternæ beatitudinis tellurem: in qua justi post terminatos labores exaltabuntur. *Cum perierint peccatores, videbis.* Tunc justi peccatores perire videbunt, cum fructum mercedis, Domino tribuente, percipient.

Vidi impium exaltatum, et elevatum super cedros Libani, et transivi, et ecce non erat. Cum mundi hujus pelagum transierimus, tunc videbimus non esse diabolum, et locum ejus nequaquam apparere pecca-

tum. Cedrus duas habet interpretationes, sed in hoc loco ejus explanatio hæc est : sicut enim cedrus super excelsos montes apparet exaltata, et impulsu ventorum sæpe delabitur : ita et impius qui, relicto Deo, in divitiis mundi confidit : quamlibet floreat, quamlibet extollatur et elevetur, non invenietur cum ab hoc mundo migraverit. Sed et ad Judam traditorem ista referuntur. Vel cedrus Libani, sancti propter altitudinem meritorum ipsorum, et sacerdotes, odore boni operis. Impii super ipsos sunt : quia calcant et opprimunt illos. *Transivi, et ecce non erat.* Dicat hoc apostolicus cœtus, quia transivi procellam passionis Jesu : et illo resurgente, hic non erat : quia abiit et laqueo se suspendit. *Quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.* Quod autem non sit inventus locus ejus, et habitatio ejus desolata remanserit, Petrus in Actibus apostolicis prodidit, cum Matthiam in ejus ordinem subrogavit (*Act.* I). Vel, *transivi, et ecce non erat : quæsivi eum, et non est inventus locus ejus* : id est, ipsius impii. *Non est inventus locus ejus* : pro tanta velocitate qua deficiunt.

Custodi innocentiam, et vide æquitatem. Si nulli noceas : si cum nullo litigiosus sis, videbis Christum : quia sicut via, veritas et vita : ita et æquitas intelligitur. *Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.* Qui hic pacifice vixerit, ut Filius Dei vocetur : hujus reliquiæ, hoc est, corpus mortale, reservatur ad gloriam resurrectionis, juxta illud Apostoli : Oportet mortale hoc induere immortalitatem (I *Cor.* XV). Reliquiæ impiorum peribunt. Pro *reliquiis*, in Hebræo, *novissima* habet.

Injusti autem, etc.; *reliquiæ impiorum peribunt.* Non reservantur eorum reliquiæ ex superbia, ut in æternum vivant : sed ut in pœnam gehennæ ignis intereant.

Salus autem justorum a Domino. Per quem et præsentem vitam capiunt, et adipisci præstolantur æternam. *Salus autem justorum a Domino.* Ipse est nostra salus. *Et protector eorum est in tempore tribulationis. Adjuvabit eos*, etc. Propterea salvos faciet eos, et protector eorum est in tempore tribulationis, cum per arctam viam, quæ ad vitam ducit, incedunt, plenam doloribus et ærumnis. *Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos a peccatoribus : salvos faciet eos, qui speraverunt in eum*, cum ad perfectionem puræ mentis perducit. Ad eum venire meruerunt : quoniam speraverunt in eum. In omnibus enim angustiis in eum spem locaverunt, qui dixit : Ego sum Deus, et absque me non est alius. Ego occidam, et vivere faciam : percutiam, et ego sanabo (*Deut.* XXXII). Qui sanet omnes infirmitates mentium nostrarum : nobisque præstet toto corde erigere spem nostram, et in se tribuat collocari : ut, a peccatis liberati, mereamur, ipso distribuente, etiam æternitatis præmium adipisci.

PSALMUS XXXVII.

In finem, Psalmus David in rememoratione diei Sabbati. Sabbatum, *requies* interpretatur : hoc est, quando requiescunt sancti : id est, quando requiescit Ecclesia illa requie paradisi quam perdidit in Adam. Iste psalmus ostendit, ut si accidat infirmitas corporeæ fragilitati, non desistat requiri medicina cœlestis.

Domine, ne in furore tuo arguas me : neque in ira tua corripias me. Totus psalmus ex persona pœnitentis est : sed ad Christum referri potest, sicut et sexagesimus octavus. *Domine, ne in furore tuo arguas me : neque in ira tua corripias me.* Ira est, ut sæpe diximus, commotio animi. Furor vero vindicta irrationabilis, cum fellis amaritudine. Ideo iste qui se peccatorem scit : non in ira, sed per misericordiam : nec in furore, sed per patientiam se argui postulat.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. Verba doctrinæ, quæ ut jaculum transverberarunt cor meum, ut agerem pœnitentiam. *Et confirmasti super me manum tuam.* Ut tamquam bonus magister verberibus castigationis afflictum redderes emendatum.

Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ. Vidi faciem iræ tuæ, et non ipsam iram : hoc est, intellexi per Scripturas sanctas, quanta minaberis peccatoribus, et extabui, petens ne ipsa super me ira descenderet. *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.* Nullam quietem indulsi, vel ossibus, vel membris meis, donec ea pœnitendo purgarem.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. Invaluerunt enim mihi, ut sequitur : *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Non est enim mihi leve peccatum meum, sed recognosco, quia grave mihi judicii pondus imposuit, et super verticem capitis mei excrevit. Sicut pondus grande, sic peccata mea super me.

Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ. Porcorum mos est, cœno aut stercoribus pro bonis odoribus uti ; nec intelligunt se in his sordidissime volutari. Nam mihi fœtent et computrescunt vulnera peccatorum, desideranterque expeto medicum. Et cur, inquis, computruerunt? *A facie insipientiæ meæ.* Quia nolebam agere pœnitentiam. *A facie insipientiæ meæ.* Per hoc putruerunt, scilicet per insipientiam meam : ut Paulus dicit : Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (I *Cor.* II).

Miser factus sum et curvatus sum usque in finem. Usque dum confitendo purgarer : quia sine confusione et mœstitia non dimittuntur peccata. *Tota die contristatus ingrediebar.* Indignum me esse judicans, qui vel oculos ad cœlum levare auderem : sed percutiens pectus meum, dicebam : Deus, propitius esto mihi peccatori.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus. Illis illusionibus se profitetur esse infirmatum atque repletum, quibus diabolus humanum genus allicit, ut delinquat. *Deus, tu cognovisti insipientiam meam : quia lumbi mei impleti sunt illusionibus.* Se unusquisque consideret, et titillantem corporis intelligat voluptatem, et tunc dicere potest cum Paulo apostolo : Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus (*Rom.* VII)? Et illud : Neque enim quod volo, hoc facio : sed quod nolo.

Incurvatus sum et humiliatus sum nimis. Ad pœnitentiam. *Rugiebam a gemitu cordis mei.* Petens cum luctu remissionem. Aliud est gemitus corporis, et aliud gemitus cordis. Gemitus corporis, est propter res terrenas vel propter mortem gemere. Gemitus cordis, propter sua peccata, vel aliorum. Sed Christus non habuit quod gemeret, quia non fecit peccatum. *Et gemitus meus non est absconditus a te.* Id est, quidquid habet homo, Deus scit. Quidquid deliqui, quidquid mali gessi, omnia tibi cum gemitu reseravi : sciens quia tibi non occultantur occulta.

Cor meum conturbatum est in me, dereliquit me virtus mea. Quia iram quam superius memoravi, incurrere expavesco. *Et lumen oculorum meorum non est mecum.* Quia, postposito veritatis lumine, in tenebras decideram peccatorum. Sic enim prophetam omnem ordinem hujus psalmi ex peccatoris persona prosecutum fuisse, anteriores nostri docuerunt. Sentiant illi quod libet. Ego vero ab illo loco, ubi ait : *Amici mei et proximi mei*, usque ad finem psalmi : video Dominum meum Jesum Christum a Judæis circumdari, in cruce suspendi, et ex inferno resurgere. Ait ergo ipse Dominus de passione sua :

Amici mei et proximi mei adversus me appropinquaverunt et steterunt. Amici, dicuntur Judæi, propter Abraham. *Proximi*, eo quod ab eorum generatione assumpserit carnem, qui appropiaverunt ei, ut comprehenderetur. Amici mei et noti mei contra me steterunt. Potest et de discipulis accipi, qui, in passione metu territi, a Domino recesserunt : intantum ut etiam eum Petrus denegaret. Vel *steterunt*, causantes contra eum.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt. Apostoli vel reliqui discipuli, de quibus ait evangelista : Cum autem apprehendissent eum, stabant omnes noti ejus a longe (*Luc.* XXIII). *Et vim faciebant qui quærebant animam meam.* Faciebant vim, non noti, sed Judæi : vel Petro, cum dicerent : Nam et tu ex illis es (*Luc.* XXII). Vel Jacobo ; qui cum traheretur, relicta sindone, nudus aufugit ab eis (*Marc.* XIV). *Et vim faciebant qui quærebant animam meam :* scilicet Judæi, quasi illorum fortitudo esset, et a Deo ipsam potestatem non accepissent.

Et qui quærebant mala mihi, locuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur. Multos quidem dolos meditati sunt ; cum interrogarent si deberent dare censum Cæsari, an non (*Matth.* XXII) : aut si mulier deprehensa lapidaretur (*Joan.* VIII). Sed tunc aperte dolum ingerunt, cum falsos testes adducunt. Vel, *qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitatem*, quando dixerunt : In Beelzebub ejicit dæmonia (*Luc.* XI).

Ego autem tamquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum. Semper quæ exprobrabant, sustuli, et jugiter silui. Hoc et Pilatus manifestat, cum dicit : Mihi non respondes ? An nescis quia potestatem habeo dimittere te (*Joan.* XIX)? *Ego autem tamquam mutus non aperiens os suum.* Et apud Pilatum Dominus non est locutus. Et Isaias de eodem loquitur : Tamquam agnus ad victimam ductus, non aperiens os suum (*Isai.* LIII).

Et factus sum sicut homo non audiens et non habens in ore suo redargutiones. Nam cum me sputis linirent, arundine verberarent, illuderentque genu flexo, nihil eis motus respondi. *Et non habens in ore suo redargutiones.* Sic tacui accusatus, quasi non habens quid pro me respondere deberem. Christus in omnibus exemplum dedit, ut homo flagella et correctionem patienter portare debeat.

Quoniam in te, Domine, speravi, tu exaudies me, Domine Deus meus : Ut me resuscites. Vel *tu exaudies me :* hoc est, vide illorum superbiam et meam humilitatem.

Quia dixi nequando supergaudeant mihi inimici mei, et dum commoventur pedes mei. Pedes Christi in passione : vel sancti apostoli, qui pedes Christi esse debuerant : commoti sunt de fide ad infidelitatem. Commoveri possunt pedes mei a stabilitate sua, et inimici in me insultare : si in hac crucis morte humiliatus, non resurrexero. *In me magna locuti sunt.* Dicentes : Si Filius Dei es, descende de cruce (*Matth.* XXVII).

Ego autem in flagella paratus sum. Præparo me ad sustinendam crucem, lanceam, fel, acetum, ut per hanc mortem meo sanguine redimam populum pereuntem, quia Christus ad hoc venit, ut passionem sustineret. *Et dolor meus in conspectu meo semper.* Donec ejiciam victoriam in judicium.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo. Sicut enim maledictioni subjacuit, ut nos a maledicto legis erueret, ita et peccatorem se profitetur, qui peccata nostra portavit, ut pio cogitatu ac misericordiæ consilio, nos ab eisdem erueret. Et sollicitus ero pro peccato meo. Peccatum Christi, humani delicta sunt generis : propter quæ et Patri dicitur nunc esse subjectus.

Inimici autem mei vivunt. Quia non sunt statim ultione divina puniti. *Et confirmati sunt super me.* Confirmati sunt in legis littera : in qua spiritualiter nuntiatum non intellexerunt. *Et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.* Certe inique et non rationabiliter : quia in hac littera, semen suum, ceu astra cœli multiplicari credebant.

Qui retribuebant mihi mala pro bonis. Dulcedinem æternæ vitæ afferentem aceto potaverunt, ac felle. *Detrahebant mihi.* Dicentes : Alios salvos fecit ; semetipsum non potest salvum facere (*Luc.* XXIII). *Quoniam sequebar bonitatem.* Ut implens voluntatem Patris, pro vita populi susciperem mortem.

Non derelinquas me, Domine Deus meus : ne discesseris a me. Cum profunda inferni penetravero.

Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ. Manifestum est, Domine Jesu, quia intendit in te Pater suscitans te a mortuis tertia die, et collocans ad dexteram suam in cœlestibus super omnem principatum et potestatem : dans tibi nomen quod

est supra omne nomen. Ergo quia graves sunt pugnæ carnis, tu, Domine, intende in adjutorium nostrum, et esto nobis salus in tempore tribulationis.

PSALMUS XXXVIII.

In finem pro Idithun Canticum David. Idithun, *transiliens eos*, interpretatur. Iste psalmus patientiam docet, ut refrenans homo os suum, observet ne per fatuitatem verborum incidat in peccatum: quia scit propheta etiam de verbis otiosis rationem esse reddendam. Docet etiam ut ea thesaurizemus in sæculo, quæ ad profectum pertineant animarum.

Dixi, custodiam vias meas: ut non delinquam in lingua mea. Non aliter scio vitæ meæ custodire vias: nisi ut non loquar fatua, ac diversa, sive otiosa. Ex verbis, inquit Dominus, tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. *Dixi, custodiam vias meas:* id est, disposui custodire opera mea: scilicet quinque sensus corporis. *Ut non delinquam in lingua mea. Non delinquam*, non peccem: quia qui custodit linguam suam, custodit animam suam (*Prov.* XVIII): quia mors et vita in manibus linguæ (*Isai.* XXXII). Et item: Cultus justitiæ, silentium et pax (*Eccli.* XXVIII).

Posui ori meo custodiam. Juxta illud: Pecuniam et aurum tuum alliga bene, et facito ori tuo ostium et seram. Beatum enim hominem oris custodia facit: cum non profert inania, sed quæ Deo sunt digna. *Cum consisteret peccator adversus me.* Id est, diabolus, qui justis maledicit ac detrahit, et instigator eorum est, qui sanctis insidiantur.

Obmutui. Ne objurgantibus me obstreperem. *Obmutui*, et non aperui os meum, quia tu fecisti. Ideo patienter fero: quia te scio ad probationem me tentationibus reliquisse. *Et humiliatus sum.* Ad sustinenda eorum improperia. *Et silui a bonis.* De bona conscientia procedebat mihi securitas: ideo me non justificavi coram hominibus: neque bona quæ in me erant, divulgavi: quia scio quod Pater qui videt in absconso, reddet mihi. *Et dolor meus renovatus est.* Nondum enim veneram ad perfectum virum. Nam etsi sustinebam cum dolore improperia, non tamen sciebam maledicentibus benedicere. Vel, *dolor meus renovatus est.* In hoc dicitur dolor Christi: quia illi non fuerunt digni audire verba mysterii, ut ait propheta: Væ mihi, quia tacui (*Isai.* VI). Vel illud: Adhærere faciam linguam tuam palato tuo, quia Dominus exasperans est (*Ezech.* III).

Conculcavit cor meum intra me. Dicit Ecclesia. A recordatione deliciorum priorum. *Et in meditatione mea exardescet ignis.* Quid, inquis, meditabaris? Illud nempe, qualiter ignem illum reperire possim, qui peccata consumeret, mentem illuminaret, qui est Spiritus sanctus, de quo Cleophas et qui cum eo erant, dicebant: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas (*Luc.* XXIV)?

Locutus sum in lingua mea. Hoc est, prædicavi omnibus hominibus, ut illud: Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram (*Ezech.* III). *Notum fac mihi, Domine, finem meum. Et numerum dierum meorum quis est?* Non istius vitæ finem quærit sibi notum fieri propheta: sed illum in quo, evacuatis potestatibus ac destructa morte, Christo jungatur qui est finis legis. Neque istorum dierum numerum vult scire, sed illorum de quibus dicit Dominus: Apud Patrem meum mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV). *Et numerum dierum meorum quis est?* Hoc est, numerus sine numero, dies sine die, tempora sine tempore. *Quis est?* qui semper est. *Ut sciam quid desit mihi.* Hoc est, ut me facias intelligere omnia bona, ut cum hæc nota habuero, sciam quid adhuc in sæculo degente desit ad palmam beatitudinis consequendam. Perfectus enim erat Paulus qui dicebat: Certamen bonum certavi: cursum consummavi. Nunc autem deest mihi corona justitiæ, quam Dominus retribuet mihi (II *Tim.* IV). Quod autem non de suis diebus hæc loquatur, sequentia docent.

Ecce mensurabiles posuisti dies meos. Secundum veterem hominem usque nunc fuerunt: nunc novum desidero, illum quem Abraham vidit et gavisus est (*Joan.* VIII). In quo alibi hortamur lætari, in quo Deus Dominus illuxit nobis. Qui non a sole, neque a luna illuminabitur, sed ab ipso Domino perpetua luce refulget. *Et substantia mea tamquam nihilum ante te.* Suscipiens altiori mente claritatem tuam: pro nihilo judicavi substantiam meam.

Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens. Si peccator est, et in deliciis fluxerit, vanitati subsistit. Si justus, et desiderat dissolvi, et cum Christo esse, vana est ei nihilominus vita præsens.

*Verumtamen in imagine * Dei pertransit homo, sed frustra conturbatur.* Omnis homo ad imaginem Dei factus est. Si ergo in ea ambulare videatur, et in rapinis versetur atque concupiscentiis, conturbatur in actione.

Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea. Sæpe enim plerique thesaurizant et congregant multa, quæ aut desidia filiorum evertit, aut fiscus occupat, aut diripiunt alieni. Beatus autem ille est, qui ibi thesaurizat, ubi fures non effodiunt, nec furantur (*Matth.* VI), ubi audire mereatur: Quamdiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis (*Matth.* XXV).

Et nunc quæ est exspectatio mea, nonne Dominus? et substantia mea apud te est. Relictis omnibus, te, Domine, præstolabor, quia substantia vitæ istius non comparatur ad illam beatitudinem sempiternam.

* Vox *Dei* nec in Hebræo est textu, nec Græco, nec demum in Lat. apud S. August. legitur: ac videtur quidem ex his commentariis ipsave Augustini interpretatione irrepsisse in Romanum, ut vocant, Psalterium.

Ab omnibus iniquitatibus meis erue me. Præteritis, præsentibus et futuris. *Opprobrium insipienti dedisti me.* Dum peccator fui, opprobrium factus sum insipienti diabolo, qui est omnium criminum, et incentor, et accusator. Ideo purgari cupio in hoc sæculo, ne ille me accuset in judicio tuo.

Obmutui et non aperui os meum, quoniam tu fecisti. Cum me conviciis, iracundiis, ac diversis improperiis lacesseret : cogitans me a te factum, nihil ad ea quæ inferebantur, respondi : *Amove a me plagas tuas.* Quia me sentio emendatum.

A fortitudine manus tuæ ego defeci. Incumbente manu vindictæ, virtus delicti defecit, sicut Paulus apostolus ait : Cum autem infirmor, tunc potens sum (II *Cor.* XII). *Ab increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem.* Increpatur omnis homo propter iniquitatem, quem perdere non vult divina majestas. Flagellat autem omnem filium quem recipit.

Tabescere fecisti sicut araneam animam ejus. Tabescit anima, cum caro a luxuriis et concupiscentiis refrenatur. Hoc est tabescere, obstupescere de anterioribus delictis. Ille vero qui ea agit quæ mundanæ vanitati sunt apta, telas texit araneæ, juxta Isaiam prophetam (*Isai.* LIX): hoc est, die noctuque in opere vano vacat, et non utilia, sed dissolubilia et incorruptibilia, operatur. Sed quia propheta animam ceu araneam tabescere dicit : hoc intelligendum est, ut ad tantam subtilitatem per abstinentiam decoquatur, ut ad instar filorum illorum deducatur : scilicet ut nihil crassum, durumque peccati contineat. *Verumtamen vane conturbatur omnis homo.* Vivens in vanitatibus hujus sæculi. Sed et qui in Deo vivit, vana est ei inutilis hæc mundana conturbatio.

Exaudi orationem meam, Domine, et deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas. Pro eo quod a te peregrinor, et desiderium habeo dissolvi, et ad te transire.

Ne sileas, quoniam advena sum apud te, et peregrinus sicut omnes patres mei. Incolam atque peregrinum se dicit, sicut omnes sancti : quia sicut et illi dum erant in corpore, peregrinatur a Domino.

Remitte mihi ut refrigerer priusquam abeam, et amplius non ero. Hic remitte, Domine, si quid deliqui : quia in inferno nulla est remissio : quia nec confessio valet. Qui nos ab hujus sæculi ereptos peregrinatione, facere digneris cives sanctorum et domesticos Dei Patris, ut ædificati super firmissimum fundamentum in templum sanctum, effici mereamur conformes corpori gloriæ tuæ. Amen.

PSALMUS XXXIX.

In finem, Psalmus David. Hic psalmus in exordio vocem habet populi ex gentibus in hæreditatem vocati, inde ipsius Mediatoris ad Patrem.

Exspectans exspectavi Dominum : In promissionibus prophetarum, in quibus me illuminavit : quia prævidebat propheta Christum per Spiritum sanctum venturum esse in carne. *Et intendit mihi.* Per splendorem Evangeliorum, in quibus me illuminavit.

Et exaudivit preces meas. Quia prophetis et patriarchis se abdidit, sicut ipse postmodum dixit: Quia multi prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt (*Luc.* X). Ipse mihi in novo Testamento refulget. *Et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis.* In quibus immersus eram, cum simulacra muta adorarem. Vel, *de luto fæcis :* quia adhæseram terrenis desideriis.

Statuit supra petram pedes meos. Supra petram : hoc est, super Christum. *Pedes meos*, sensus meos: ut illud : Petra autem erat Christus (I *Cor.* X). In se, qui est stabilis petra, confirmavit me : ne ab hujus sæculi nutarem impulsibus. *Et direxit gressus meos.* Ne ad eum veniens, post tergum respicerem. *Et direxit gressus meos :* id est, sensus bonorum operum : Ecclesiæ dirigit : quia unusquisque per se tortuosus est.

Et immisit in os meum canticum novum. Laudem utique suam : quia novus homo venit in mundum, novam legem dedit mundo. *Carmen Deo nostro :* Laudem Deo nostro, ut jam non sonos turpes et theatrales concinam, sed in Dei viventis hymnis per harmoniam novi Testamenti delecter.

Videbunt multi. Annuntiatum venisse. *Et timebunt.* Qui se intelligunt peccatores. *Et sperabunt in Domino.* Ut eis pristina remittantur delicta.

Beatus vir cujus est nomen Domini spes ipsius. In qua bonis omnibus impleatur. Felix illa anima, quæ habet fidem firmam et spem directam in Christo. *Et non respexit in vanitates et insanias falsas.* Omnia quæ in mundo sunt, juxta Salomonem, vanitas est (*Eccles.* I). Insaniæ autem falsæ sunt, iræ, rixæ, direptiones, et reliqua : in quibus homines insaniunt ut peccent : quæ Apostolus opera carnis esse dicit (*Galat.* I).

Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua, et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi. Ostendistis patribus nostris mirabilia tua multa, quæ non crediderunt. Revelasti eis te venturum in lege, et non intellexerunt : nos vero credidimus. Usque huc credentium populus : hinc ipse Dominus ad Patrem ita exorsus est :

Annuntiavi et locutus sum. Dicens : Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum (*Matth.* III). *Multiplicati sunt super numerum.* Judæi in malitia sua. Vel, *super numerum :* hoc est, peccatores super numerum, et foris numerum sunt : quia non sunt digni numerari in numero justorum.

Sacrificium et oblationes noluisti : aures autem perfecisti mihi. Holocausta et pro peccato non postulasti. Aperte hæc Apostolus declarat : quod, adveniente Domino, cessaverint sacrificia Judæorum. Impossibile est, inquit, sanguine hircorum, aut taurorum, auferri peccata (*Hebr.* X). Ideo ingrediens mundum, dicit : Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem

aptasti mihi. Holocaustum et pro peccato non tibi placuit, nisi meipsum pro totius mundi delicto tibi sacrificium exhiberes.

Tunc dixi : Ecce venio. In capite libri scriptum est de me. Quia sacrificia et cæremonias Judæorum, et sabbata, et superstitiones Legis veteris, spiritualis Evangelii religione mutasti : propterea lætus in mundum venio, et de me scribitur: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I). *Tunc dixi, Ecce venio*, ut assumam carnem in qua patiar. *In capite libri scriptum est de me.* Caput libri Testamenti veteris tale sumit exordium : In principio fecit Deus cœlum et terram (*Gen.* I): id est, in Christo Domino. Hoc mysterium et Joannes cernens, sic Evangelium inchoavit : In principio, inquit, erat Verbum, et Verbum erat Deus. Nam et ipse interrogantibus Judæis quis esset, respondit : Principium (*Joan.* VIII). Caput ergo libri, intellige principium, quod est Christus Jesus, qui in hoc libri capite nuntiatus est.

Ut faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui. Descendi enim de cœlo : non ut faciam voluntatem meam, sed tuam, Pater. Non voluntas est carnis, sed Patris : ut pro vita hominum moriar. *Et legem tuam in medio cordis mei.* Quam non veni solvere, sed adimplere.

Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna. Gratias tibi ago, Salvator mundi, quod magnam fecisti Ecclesiam tuam, a quatuor mundi partibus evangelica prædicatione vocatam, tua passione collectam, tua resurrectione mundatam. *In Ecclesia magna*, in toto mundo diffusa.

Ecce labia mea non prohibebo, Domine, tu scisti, etc. Non silui, nihil clam locutus sum, sed omnem virtutem tuam, quod justus, quod verax, quod misericors, quod salus omnium es : non solum in Ecclesiis populorum, sed etiam in synagogis Judæorum incessabiliter prædicavi. *Ecce labia mea non prohibebo.* Labia Christi, sancti sunt. Non prohibet illos prædicare, sicut sanctus Paulus dicit : Verbum Dei non est alligatum (II *Tim.* II). Tu cognovisti : tu scis quod non feci, id est, non prohibui. *Justitiam tuam non abscondi in corde meo*, hoc est, mandata tua. *Veritatem tuam et salutare tuum dixi.* Veritas et salutare, Christus est : hoc prædicant sancti. Non celavi misericordiam tuam, et veritatem tuam synagogæ multæ, id est, in tota plebe annuntiavi.

Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me : misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me. Quoniam circumdederunt me mala quorum non est numerus. Quod misericordiam Patris postulat, quod a Judæis se circumdatum et iniquitates super se multiplicatas dicit : quod a corde derelictus, rursum Patris præsidium precatur : omnia ad infirmitatem carnis sunt referenda, ut sicut verus Deus, ita verus homo credatur. *Tu autem, Domine, ne longe facias misericordias tuas a me.* Non longe, sed prope. *Misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.* Misericordia facit peccata dimittere. Veritas reddit unicuique quod fecit. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.* Id est, genus humanum circumdatur originalibus peccatis, et non potui ut viderem : quia abstracta fuerat illa lux veritatis. Unde dictum est : De terra excæcaberis, et de terra illuminaberis.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei. Id est, ipsæ iniquitates super genus humanum. *Cor meum dereliquit me.* Quando homo peccat, cor suum non habet. Unde David dixit : Invenit servus tuus cor suum (II *Reg.* VII). Ergo antea quando peccavit, non habuit illud.

Complaceat tibi, Domine, libera me, Domine, Ecclesia rogat ad Christum : Hoc tibi complaceat, ut me liberes. In auxilium meum respice. Infirmitas voluntatem habet impetrandi, non potestatem habet.

Confundantur. In cogitationibus pravis, ut ea quæ sunt recta, percipiant : Aut hic emendent, aut in futuro, *et revereantur.* Hoc est, ut reverentiam habeant.

Avertantur retrorsum. Qui malum cursum habuerunt.

Ferant confestim confusionem suam : qui dicunt mihi, Euge, euge. Misericorditer eos deprecatur confundi, ut confestim cognoscant justitiam. Portent confusionem suam, qui se non emendaverint. *Qui dicunt mihi, Euge, euge.* Duos hostes habet Ecclesia, adulationes et blasphemationes.

Exsultent et lætentur qui volunt justitiam meam. Hoc est, fidem et opera. *Et dicant semper, Magnificetur Dominus.* Magnificetur populus sanctorum. Unde dixit : Videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (*Matt.* V). *Qui diligunt salutare tuum.* Id est, Christum tuum. Hæc propheta dicit de his, quibus ipse Dominus per Evangelium ait : Si dilexeritis me, et verba mea in vobis manserint, omnia quæcumque petieritis, fient vobis (*Joan.* XV).

Ego vero egenus et pauper sum : Deus, adjuva me. Egenus et pauper Christus : cum dives esset, egenus factus est. Egenus dicitur qui aliquid habet, et aliquo indiget. Et pauper dicitur, qui nihil habet. Inops, id est, sine ope.

Adjutor et liberator meus esto, Domine; Deus meus, ne tardaveris. Et hæc ad trepidationem corporalem sunt referenda. Nam divinitas quæ fuit in assumpto homine, nulli est obnoxia passioni, sed in eadem potentia qua fuit, et permanet, et permanebit, et nunc, et tunc in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XL.

In finem, Psalmus David. Istum psalmum propheta per Spiritum sanctum in persona Christi cantavit. Psalmus vocem continet prophetæ de Christo pronuntiantis in initio : deinde ipsius Mediatoris loquentis ad Patrem : quæ maxime sunt in Evangeliis impleta.

Beatus qui intelligit super egenum et pauperem. Qui cognoscit Christum in assumpta carne venisse, in qua pro nobis pauper factus est et egenus, hic

beatitudinum cœlestium opes capit. Ipse autem Dominus factus est pauper : cum non haberet ubi caput reclinaret (*Luc.* IX). Egenus, cum se in egentibus refici demonstravit. *Beatus qui intelligit. Beatus*, et felix, *qui intelligit super egenum et pauperem.* Christus egenus et pauper factus est pro nobis, ut illius inopia nos divites faceret : *Qui intelligit*, id est, qui intelligit illum verum Deum et verum hominem esse. *In die mala liberavit eum Dominus.* In die judicii, in qua Judæos nos [*Al.* non] intelligentes damnabit Christus. Aderit tibi dies mala : si non intellexeris super egenum et pauperem.

Dominus conservet eum. Ne ab hoc intellectu recedat in præsenti. *Et vivificet eum.* In hac sapientia perseverantem, transferat a morte in vitam. *Et beatum faciat eum.* Cum sanctis suis in regno cœlorum. *In terra.* In sancta Ecclesia vel in die æternitatis. *Et non tradat eum in manus inimicorum ejus.* Id est, in potestate diaboli, qui credulitati nostræ semper inimicus exsistit.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus. Opem ferat illi : hoc est, adjutorium præstet illi. In lecto doloris, in infirmitate carnis. Vel de illo paralytico potest intelligi, quando Dominus dixit : Surge, tolle lectum tuum (*Matt.* IX) : quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et inhabitatio terrena deprimit sensum multa cogitantem (*Sap.* IX). In hujus corporis ægrotatione in quo anima tamquam in lectulo requiescit, ope Dominici præsidii consoletur. *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.* Corpus, ut diximus, quod pro strato accipitur, in diversis tribulationibus inquietasti, ut probatum atque ab illecebris expurgatum, assumeres. Hic propheta immutat ordinem, et profert vocem Dominici hominis dicentis :

Ego dixi, Domine, miserere mei : sana animam meam, quia peccavi tibi. Quæ mœsta usque ad mortem : non ab originali facinore, sed pro delictis populi contristatur. Vel, *miserere mei*, Ecclesia dicit : quia multi sunt qui peccata committunt, sed verba excusationis prætendunt. Unde Ecclesia dicit : Ego me accuso pro meis peccatis, quia ego peccavi.

Inimici mei dixerunt mala mihi : Quando morietur et peribit nomen ejus? Quando videbant cæcos illuminari, leprosos mundari, sabbata dissolvi, Lazarum resuscitari, quando dicebant : Ecce mundus totus post eum abiit (*Joan.* XIV) : quid aliud poterant cogitare, nisi, ut morte ei hæc virtus eriperetur? Nam et unus ex illis, Caiphas nomine, licet nesciens quæ diceret, aiebat : Expedit ut unus moriatur pro populo, ut non tota gens pereat. *Quando morietur?* Hoc est quod in Evangelii parabola scribitur, colonis dicentibus ; Iste est hæres, venite, interficiamus eum : et nostra erit hæreditas, et non memoretur nomen ejus amplius (*Marc.* XII).

Et si ingrediebantur ut viderent, vana loquebatur cor eorum. Introeuntes prætorium, loquebantur de corde malo, dicentes : Omnis qui se facit regem, contradicit Cæsari (*Joan.* XIX). Vel ad hoc ingredie-

A bantur, ut exstinguerent Ecclesiam, et explorarent, sicut Paulus dicit : Falsi fratres qui subintroierunt explorare libertatem nostram (*Galat.* II). Vana locutum est cor eorum, lingua ficta in dilectione, ut illud : Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces (*Matt.* XXII). Hoc vanum est. *Congregaverunt iniquitatem sibi.* Clamantes : Quid ad nos? Tu videris. Sanguis ejus super nos et super filios nostros.

Egrediebantur foras. Foras, cum Pilato. *Et loquebantur in idipsum. Adversum me susurrabant omnes inimici mei : adversum me cogitabant mala mihi.* Adhibentes testes iniquos, et quærentes me interficere. *Adversum me susurrabant* : id est, murmurabant. *Omnes inimici mei cogitabant mala mihi :* su-
B pradicti Judæi, vel modo contra Ecclesiam hæretici.

Verbum iniquum constituerunt adversus me. Aientes : Nobis non licet occidere quemquam, sed tu accipe, et crucifige eum (*Joan.* XVIII). Vel quando dixerunt : In Beelzebub ejicit dæmonia (*Luc.* XI), et non solum super vivum, sed etiam super mortuum falsos testes miserunt.

Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat? Sic me interficere festinabant, quasi post mortem resurgere non haberem. Hoc est dicere : qui ab iniquis injuste somno mortis opprimitur, non resurget? Sicut alius propheta dixit : Numquid qui cadit, non resurget (*Jerem.* VIII)? Cecidit enim granum frumenti, et messis copiosa surrexit.

C *Etenim homo pacis meæ in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Manifestissime hic Judam denuntiat proditorem, sicut ipse Dominus in Evangelio ait : Cui ego panem intinctum dedero, ipse est (*Joan.* XIII) ; et alibi : Levabit adversum me calcaneum. Quod autem ait : *Qui edebat :* hoc est, qui cœlestem cibum, vitam huic mundo dantem, sumebat, et aliis distribuebat, cum esset apostolus : ipse hanc vitam morti, propter cupiditatis pretium, destinavit.

Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me, et retribuam eis. Resuscitatus est Dominus noster virtute paterna, ad cujus dexteram sedet. Antequam resurgeret, anticipavit ultio Judam, cum eum interitus debitus suggillavit. Quod autem ait : Retri-
D buam illi, futurum ei judicium comminatur.

In hoc cognovi quoniam voluisti me. Resuscitans me. *Quoniam non gaudebit inimicus meus super me.* Diabolus : cujus instinctu hæc Judæi sunt operati : non est gavisus eum retinendo in inferis.

Me autem propter innocentiam suscepisti, et confirmasti me in conspectu tuo in æternum. Maxima est hæc innocentia, cum justus pro impiis moritur : qui non sua, sed nostra peccata portavit. Propter quam innocentiam, et a Patre devicta morte, cum assumpta carne susceptus est in cœlestibus.

Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo, et usque in sæculum fiat, fiat. Pro *fiat, fiat*, in Hebræo scribitur *amen, amen*, quod Aquila, πεπιστωμένως ; id est,

vere, sive *fideliter*, transtulit. Et sciendum primum A librum Psalterii hic esse finitum. Secundum vero esse a quadragesimo primo, usque ad septuagesimum primum. Tertium a septuagesimo secundo, usque in octogesimum octavum. Quartum ab octogesimo nono, usque in centesimum quintum. Quintum vero a centesimo sexto, usque ad finem.

PSALMUS XLI.

In finem intellectus filiis Core, Psalmus. In finem, in Christo : *intellectus:* hoc est, intellectus spiritualis. *Filiis Core:* id est, filiis Christi, qui sunt credentes. *Psalmus* vocem continet Ecclesiæ, sive fidelis viri Deum desiderantis.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te, Deus. Primum enim intelligendum est, quare, vel qualiter desiderat cer- B vus ad fontes aquarum. [a] Mos est enim ejus, ut inventum serpentem naribus hauriat, et post hæc exardescens, exstinguat sitim. Ergo homo Ecclesiæ, qui diu in actu venenoso degebat, ubi se perspicit cœno fornicationis, idololatriæ fetore repletum : desiderat venire ad Christum, in quo est fons luminis, ut, ablutus baptismo, accipiat donum remissionis. Scit enim, quia nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non habebit vitam æternam (*Joan.* III). Sed et si quis hodie nostrum, exstinctis vitiis, ignescat in desiderium Dominicæ contemplationis, potest et ipse dicere : quia desiderat anima mea ad te Deus : hoc est, relicto sæculo, ad te desidero transire.

Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum. Non ad C mortua simulacra, sed ad illum qui dixit : Vivo ego, dicit Dominus : quia mihi flectetur omne genu (*Num.* XIV). Vivus, quia ipse dicit : Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui credit in me, et ipse vivet propter me (*Joan.* VI). *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei mei?* Ac si diceret : Quando erit tempus, ut illa gloria qua efficiuntur sancti conformes gloriæ tuæ, ego in claritate cum illis appaream? Vel, *quando veniam*, id est, quando erit illud tempus, quo Ecclesia vult dissolvi a corpore et esse cum Christo? *Et parebo ante faciem Dei mei :* id est, ante conspectum divinitatis, et tunc videbimus eum sicuti est.

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Quomodo potest de lacrymis panis fieri? Potest : D quia sicut corpus satiatur de pane, ita anima de lacrymis, quia exinde sperat remissionem peccatorum habere. Fletus ac gemitus erant mihi ac lamentatio, ob desiderium tui. *Dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus.* Siquidem pagani deos suos digito ostendunt, et ob hoc ingerunt mihi improperia. Unde sciant, quia ego mente Deum meum reconditum teneo, et per interiorem hominem cum ipso habito.

Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam. Dum hoc improperium quotidie sustinens memorarem, liquefacta est in me anima mea, et tabui in tractatu : cum neque in cœlo neque terra Deum meum cernere possem visibiliter, sed inveniens eum in mente mea gubernantem me ac dirigentem in illo tabernaculo sempiterno, de quo loquor : *Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.* Tabernaculum Dei, Ecclesia est, quæ adhuc peregrinatur a Domino : per quam ad æterna tabernacula, id est, ad cœlestem Jerusalem, quæ est mater omnium nostrum, venitur. In qua sunt multi admirabiles et virtutibus sacris pollentes : quia ædificati super fundamentum apostolorum, tamquam una domus habentur. In quam iste mente ingrediens, qui, relicta idololatria, jam cognoverat baptismi sacramenta, admirans harmoniam Cantici spiritualis, per suavitatem æternæ dulcedinis, accessit ad domum Dei, quod est Sancta sanctorum. Et quasi diceretur ei : Quis te huc adduxit : vel, qualiter huc venisti : vel, quo delectatus es, ut huc accederes? Respondit :

In voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis. Exsultatio, confessio et epulatio hæc, non musicis artibus adimplentur, neque inchoantur, et prætereunt; sed jugiter angelicis vocibus et sanctorum concentibus celebrantur. Quod dum iste adhuc in sæculo positus, mente suspiceret : ingemiscens cur ab eo hæc differtur habitatio, mœstæ animæ ait :

Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Quia, inquit, suavitatem hanc præsens nondum accepi, et insidiator meus adhuc contra me vigilat, adhuc mihi laqueos intendit. Et ille inquit : *Spera in Domino.* Per patientiam sustine. Vel, *spera in Deo.* Anima semetipsam hortatur : vel interior homo hortatur exteriorem. *Quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus.* Confessus sum jam delicta : confitebor deinde laudem ejus, per quam me salvavit a morte periturum, vel illicit ad æterna.

Ad me ipsum anima mea conturbata est. Ob recordationem delictorum priorum. *Propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim, a monte modico.* Jordanis pro baptismo accipitur : Hermon, anathema interpretatur. Igitur iste qui erat peccator, qui sicut cervus desiderabat fontes aquarum, memor fuit in humilitate pœnitentiæ, et baptismi ablutione abluit vetera delicta : anathematizavit peccata sua, et non se extulit magnum gloriando, sed effecit parvulum pœnitendo.

Abyssus abyssum invocat. Multæ sunt de abysso opiniones, quæ opportunis locis explanabuntur. Nam hic, *abyssus abyssum invocat;* cum vel vetus Testamentum novum annuntiat; vel novum vetus in testimonium vocat. Vetus annuntiat novum, cum dicit Moyses : Prophetam vobis suscitabit Deus de fratri-

[a] Quod cervis comparatum est a natura, id ad moralem sensum torquent plerique veterum Patrum, et cumprimis Epiphanius in Physiologo, ubi cervum, serpentibus halitu suo excitis, iisque devoratis, obiturum, ait, mortem, nisi venenum ante trium horarum spatium prævertat. Noster hic auctor ex illo Epiphanii testimonio sumpsisse videatur.

bus vestris (*Deut.* XVIII). Novum vero vetus in testimonium vocat : cum dicit Paulus : Bibebant de sequenti petra : petra autem erat Christus (I *Cor.* X). Propter profunditatem enim intelligentiæ, dicuntur abyssus. *In voce cataractarum tuarum.* In voce prophetarum, quæ adventum Domini annuntiavit. Ideo enim cataractæ dicuntur, quia obscurus in eorum prophetia adventus Domini fuit, nec a Judæis est intellectus. Annuntiat enim hæc vox judicium futurum, vel de beatorum meritis, vel de suppliciis impiorum.

Omnia excelsa tua, et fluctus tui super me transierunt. Excelsæ sunt atque potentes hæ minæ, per quas mortis judicium minabaris : quia non statim decidunt propter immensam patientiam tuam. Fluctus autem sunt : dum ea adveniunt, quæ fuerunt comminata. Ideo iste dicit ea super se ingressa : cum in desideriis mortalibus degens, verberatus plagis, eruditus est, ut desideret Dominum vivum.

In die mandavit Dominus misericordiam suam. Quia per lucem eam Scripturarum sanctarum promisit. *Et nocte canticum ejus.* In tribulationibus posito eam ostendit.

Apud me oratio mea. Et non extra me. *Deo vitæ meæ.* Ut ei merear liber ab hoc sæculo quandoque conjungi. *Dicam Deo, susceptor meus es.* Licet in tribulationibus exercear : semper tamen a te peto protegi ac defendi.

Quare oblitus es mei? Et quare me repulisti? Cur tam diu differs, ut non inducas me in illum locum tabernaculi admirabilis? *Quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?* Diabolus, qui multas mihi tetendit insidias, vel persecutores Ecclesiæ.

Dum confringuntur ossa mea. Dum fortiores Ecclesiæ scandalis ac diversis jurgiis cedere video. Vel ossa, virtutes Ecclesiæ, quasi confringuntur per illas tribulationes, quas sustinent sancti. *Exprobraverunt me inimici mei.* Vel in martyribus, vel in aliis confessoribus.

Dum dicitur mihi per singulos dies : Ubi est Deus tuus? Cum ego te per pœnitentiam et afflictionem corporis animæque placare desiderarem : inimici mei, quasi incassum hæc facerem, dicebant : *Ubi est Deus tuus?* nescientes illa occulta quæ præparavit Deus diligentibus se. *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?* Quia meum desiderium prolongatur.

Spera in Deo, quoniam confitebor illi salutare vultus mei et Deus meus. In ipso nostra sit spes semper attenta : ipse omnes fluctus mitiget : ipse nos in tentationibus conservet : ipse sitim nostram sua contemplatione satiet, nosque vultus sui salutari vivificet.

PSALMUS XLII.

Psalmus David. Iste psalmus, licet in aliquibus versiculis passionem Dominicam signet, tamen vocem habet animæ fidelis, lucem hujus mundi, id est Christum, desiderantis.

Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta. Expeto judicium tuum, quia misericors es. Tu autem discerne me a paleis inter quas in hoc sæculo ingemisco, supervestiri cupiens : ut absorbeatur quod mortale est a vita. Sed et Domini vox est, quibus prius dixerat, Sancti estote, quoniam ego sanctus sum (*Levit.* XX) : et non impleverunt : *Ab homine iniquo et doloso erue me.* Nemo magis iniquus atque dolosus, quam ille qui iniquitatis inventor atque æmulator est sanctitatis : id est, diabolus, qui introivit in cor Judæ ut traderet Christum. Sed et homo ille fidelis quem prius diximus, hæc ait :

Quia tu es, Deus, fortitudo mea. Scio me infirmum et fragilem : nec sentio me aliquam habere fortitudinem in qua eruar, nisi tu salvaveris. *Quare me repulisti?* Fortitudo nostra Christus est : qui tunc nos repellit, cum peccaverimus. *Quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?* Tristis sum propter peccata mea, et ideo affligor in tentationibus variis ab ipso inimico, qui superius homo iniquus dictus est. Unde quia me conturbant tenebræ peccatorum, ad te, qui lux es mundi, confugio supplex.

Emitte lucem tuam et veritatem tuam. Tu es lux, qui dixisti : Ego sum lux mundi (*Joan.* VIII). Tu es veritas qui dixisti : Ego sum via, veritas et vita, qui nos illuminare digneris : ut relinquentes mendacium diaboli, sequamur veritatem tuam. *Ipsa me deduxerunt.* Ab errore peccati. *Et adduxerunt in montem sanctum tuum.* In Ecclesiam tuam. *In tabernaculum tuum.* In illam cœlestem Jerusalem, de qua alius psalmus ait (*Ps.* LXXXIII) : Quam dilecta sunt tabernacula tua, Domine!

Introibo ad altare Dei. Mei, ubi non jam vitulos et arietes, sed meipsum exhibeam hostiam vivam placentem illi. *Ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Cum expurgato fermento veteri in novo me homine tanquam juvenculum consolatur.

Confitebor tibi in cithara, Deus Deus meus. Per mortificationem carnis : quia crucifixus est mihi mundus, et ego mundo. *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?* Quia desidero videre in quo spem posui.

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, etc. Ipsum confitetur : ab ipso peccata sua dimitti postulat. Ipsum salutare vultus sui dicit : ipsum invocat et adorat. Quem et nos confitentes exposcimus : ut mereamur ejus luce illuminari, via dirigi, veritate corrigi, vita locupletari : Vel, *salutare vultus mei Deus meus.* Salvatio animæ meæ Deus meus est, et vultus, hoc est, aspectus animæ meæ Deus meus est.

PSALMUS XLIII.

In finem, pro filiis Core, intellectus. Core, interpretatur *de Calvario*, et Dominus in monte Calvariæ fuit crucifixus. Filii Core, filii Christi : sancti apostoli, vel martyres sunt. Unde dictum est : Non possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus (*Matth.* IX). *Intellectus :* hoc est, ut intelligamus illum, qui initium sumpsit secundum carnem ex tempore, et ante sæcula est genitus. Vel, intellectus est : ut intelligamus de prosperitate

præsenti peccatorum, et de tribulatione præsenti sanctorum. Psalmus non anteriora facta docet, sed Ecclesiam in Christo renasci pronuntiat, ac fideles in ea provocat ad agonem, ostendens neminem posse, nisi qui legitime certaverit, coronari : in quo etiam plerumque voces martyrum proferuntur.

Deus, auribus nostris audivimus. Per spiritualem sensum cognovimus, juxta illud Domini : Qui habet aures audiendi, audiat (*Luc.* VIII). *Et patres nostri.* Apostoli et prophetæ, quorum prædicatione renati sumus ad vitam. *Annuntiaverunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis.* Annuntiaverunt prophetæ quæ sunt gesta illorum tempore. Annuntiaverunt apostoli, quæ te viderunt operantem.

Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos. Disperdidisti ab Ecclesia onera vitiorum, et plantasti ornamenta virtutum : id est, homines justos, qui fructum exhibeant sanctitatis. *Afflixisti populos, et expulisti eos.* Illos, qui, te relicto, ad idololatriam declinabant.

Non enim in gladio suo possederunt terram. Sed in mansuetudine mentis : quia beati mansueti, ipsi hæreditabunt viventium terram (*Matth.* V). *Et brachium eorum non salvabit eos : sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio faciei tuæ.* Dextera Patris, Christus est : ut illud : Dextera enim sua exaltavit nos : id est, brachium : sicut alibi : Et brachium Domini cui revelatum est (*Isai.* LIII)? Ipse et illuminatio : ut ibi : In lumine tuo videbimus lumen (*Psal.* LIII). Hic est igitur missus a Patre, ut liberaret suos. Et cur eos liberaverit, adjecit : *Quoniam complacuisti in eis.* Vult enim Deus : ut sicut ei beneplacitum est in Filio, ita et nos beneplacentes simus in ipso, si volumus liberari.

Tu es ipse rex meus. Qui in me regnas, et non peccatum. *Et Deus meus.* A quo sum acquisitus. *Qui mandas salutes Jacob.* Hoc est, populo Christiano : qui supplantato seniore, mandatum salutis per doctrinam propheticam atque apostolicam suscepit.

In te enim inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. A cornibus aliquid ventilatur, ut Sedechias, qui factis duobus ferreis cornibus dicebat : Sic ventilabis totam Syriam (III *Reg.* XXI). Cornu vero nostrum, Christus est. Idem et nomen Patris, in quo adversarii nostri, vel ventilantur, vel spernuntur.

Non enim in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me. Sed virtus tua.

Salvasti enim nos a tribulantibus nos. Quia in armis meis sperare non debeam ; hæc causa est, quod salvasti nos semper a persequentibus, et absque nostra virtute, nostroque gladio custodisti. *Salvasti enim nos de affligentibus nos, et odientes nos confudisti :* aversæ sunt potestates, quibus confusis, a Christo Domino liberati sumus.

A *In Deo laudabimur tota die.* Quia ipse est laus et gloria nostra. *Et in nomine tuo confitebimur tibi in sæculum.* Quod a te Christo, Christiani vocamur.

Nunc autem repulisti et confudisti nos. Cum ait, *nunc*, præsens tempus ostendit. Ergo in præsenti tempore ad exercitationem repellimur, ut in æternum glorificemur. Sæpe enim et martyres in tempore dicunt : *Et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris.* Ut nos in posterum perpetua virtute corroborares.

Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros. Sic et Petrum Dominus retrorsum convertit, ut in melius repararet. Ergo et nos debemus retrorsum converti, ne in viis pravis perduret iter nostrum. Debemus et inimicos nostros ante nos habere, ut sciamus quid
B cavere debeamus. Quod et si post Christum convertimur ut Petrus, habentes eum ante nos, nihil ultra metuemus. *Et qui oderunt nos, diripiebant sibi.* Propter nomen enim tuum diripiebant nos : cum in carceribus, in plagis, in reliquis nos vexarent tormentis. Sed non nos separavit a charitate tua illa tribulatio.

Dedisti nos tamquam oves escarum. Sicut enim Dominus tamquam ovis ad occisionem ductus, datus est esca populis, cum dicit : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI) : ita et sancti, sicut superius diximus, in multis tribulationibus dati, facti sunt pabulum gentibus : vel cum alimenta æternæ vitæ ministrant : vel dum rapacitatem eorum de suis ærumnis exsa-
C tiant. *Et in nationibus dispersisti nos.* Ut ad tempus dominarentur nostri.

Vendidisti populum tuum sine pretio. [a] Usque nunc de se locuti sunt martyres : nunc de Judæorum populo dicitur, quibus dictum est : In peccatis vestris venditi estis (*Isai.* L). Et ideo sine pretio : quia non est effusus Agni sanguis pro eis. *Et non fuit multitudo in commutationibus nostris.* Vilior erat merces quæ fuit vendita : ideo non est commutatio facta. Nam Dominus populum quem emit, non auro neque argento, sed pretioso ac proprio eum sanguine comparavit : sicut ait Petrus apostolus (I *Petr.* I).

Posuisti nos opprobrium vicinis nostris : subsannationem et derisum his qui in circuitu nostro sunt. Vicini dicti persecutores, propter cohabitationem mun-
D danam, qui sæpe exprobrant irridendo, dicentes : Veniat Deus vester, et eruat vos de manibus nostris (II *Par.* XXXII).

Posuisti nos in similitudinem gentibus. In tuam utique similitudinem : ut sicut te mundus odio habuit prius, ita et nos deinceps odiret. *Commotionem capitis in populis.* Sicut enim in passione tua transeuntes movebant capita sua, ita et in martyribus tuis faciunt. Sed et si quis nunc in te pie voluerit vivere : protinus iniqui blasphemant cum irrisione vel capitis commotione.

[a] Locum hunc Servatus Lupus in *Collectaneo de tribus quæstionibus*, sub finem recitat totidem verbis tamquam ex Hieronymi Commentario, quemadmodum et supra in psalm. primum alium hujusce Breviarii locum describens, Hieronymo acceptum refert.

Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me. Dominus hæc in assumpta loquitur carne, qui pro nobis verecundiam patitur, maledicitur, atque confunditur, usque ad ipsum etiam patibulum Crucis. A

A voce exprobrantis et obloquentis. Cum ei diceretur: Si Filius Dei es, descende de cruce (*Matt.* XXVII). *A facie inimici:* Judæ. *Et persequentis.* Populi Judaici.

Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te. Martyres ista dicunt: quia omnia quæ tu, Domine Jesu, pertulisti, et nos eadem pertulimus, sed te semper confessi sumus. *Et inique non egimus in testamento tuo.* Sed veraciter te prædicavimus. *Et non recessit retro cor nostrum.* Ut errores fanaticos unde digressi fuimus, sequeremur. *Et declinasti semitas nostras a via tua.* Actio nostra non est a tuis justificationibus separata. B

Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis. In corpore isto, in quo versamur et affligimur propter te. *Et operuit nos umbra mortis.* Bene umbra mortis in hoc sæculo opprimit, et non ipsa mors: quia martyres, vel reliqui sancti, et si affliguntur, et si morti destinantur, vivunt tamen Deo, et hæc mors umbra eis est, et non veritas mortis.

Si obliti sumus nomen Dei nostri. Id est, Christum, *Et si expandimus manus nostras ad deum alienum.* Ad idolum.

Nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis. Quod cognoscat Deus cogitationes hominum, ipse in Evangelio prodit ad Pharisæos dicens: Quid cogitatis nequam in cordibus vestris (*Luc.* V)? C Sic et martyres dicunt: Si alicubi excessimus a viis Dei, ipse qui arcana cordis novit, inquirat.

Quoniam propter te mortificamur tota die. In diversis tribulationibus opprimimur propter te, sed sponte præbemus colla cædentibus. *Æstimati sumus, ut oves occisionis* (*Matth.* X). Dixeras enim, quod missurus nos esses tamquam oves in medio luporum (*Matth.* VIII): Nunc autem quia ab his tentationibus elongatus es, et tamquam si in navi dormiens, non nos a tempestate defendis, excitamus te, Domine, confessione supplici deprecantes.

Exsurge, quare obdormis, Domine? exsurge et ne repellas in finem. Ut qui mortuus es pro nobis, et resurrexisti: exciteris in cordibus eorum, qui te mortuum confitentur, et resurrexisse non credunt, D ut tandem desinentes nos persequi, non usque in finem æternæ mortis intereant.

Quare faciem tuam avertis? Avertit enim Deus faciem ad tempus, ut probet electos suos. *Oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ.* Patimur inopiam, pro nihilo habentes hujus mundi divitias, regnum cœleste desideramus. Tribulamur enim, cum elongatur desiderium nostrum.

Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra. Ut ab illis inclinaremur, quos ventus ut pulverem a facie terræ projicit. *Conglutinatus est in terra venter noster.* Ac si diceret: Caro infirmatur, sed sensus in cœlestibus est attentus.

Exsurge, Domine, adjuva nos, et redime nos propter nomen tuum. Jam tuum in tribulationibus auxilium mereamur, ut liberemur ab his pressuris: non propter meritum nostrum, sed propter nomen tuum.

PSALMUS XLIV.

In finem, pro his qui commutabuntur, filiis Core, ad intellectum, Canticum pro dilecto. Pro quo in Hebræo ita habet, *Lamanasse, al sosannim labne Core mescil sir Jedidoth:* quod nos in Latinum vertimus: *Victori pro filiis liliorum Core, eruditionis canticum amantissimum.* Quod autem ait, *pro dilecto*, totus psalmus refertur ad Christum: de quo Pater loquitur in Evangelio: Hic Filius est meus dilectus in quo mihi complacui (*Matth.* XVII). Vel psalmus spiritualium nuptiarum continet Sacramentum: id est, conjunctionem Christi cum Ecclesia. Initiatur ergo a voce paterna.

Eructavit cor meum verbum bonum. Non de conjunctione corporea, sed de corde protulit æquale sibi Verbum per quod facta sunt omnia: Bonum est enim hoc Verbum: quia quod factum est in eo, vita est (*Joan.*). *Dico ego opera mea Regi.* Loquor ipsi Verbo, regi filio, et cuncta perficiuntur.

Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Sicut enim quæ scribuntur non sunt levia neque facilia, sed utilia atque salubria: sic et Dei eloquium tamquam scribatur, ita perficitur. De velocitate vero, hoc est, quod non tardantur quæ dixerit, sed velociter adimplentur, ideo calamus dicit. Et ad quid pertinet calamus? Aut quomodo comparatur calamus Christo? Quia sicut pertinet petra ad Christum, leo, dextra, mons, vel alia his similia: sic pertinet et calamus, scilicet quia mensurator et scriptor est. Unde dixit in Propheta: Surge, et accipe calamum, et metire templum et civitatem (*Ezech.* XL). *Calamus scribæ:* Scriba ipse est Christus. Unde dixit in Evangelio: Omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est patrifamilias (*Matth.* XIII). *Velociter scribentis.* Quia nullus tam cito scribit, sicut ipse Dominus in cordibus sanctorum scribit. Quid scribit, nisi fidem, spem et charitatem suam, verbum prædicationis tribuit?

Speciosus forma præ filiis hominum. Ut non ex æquo, ut alius homo, sed cum homine Dei Filius intelligatur, et ideo pulchrior dicitur præ aliis filiis hominum. Forma autem de qua loquitur, non magnitudini deputanda est, sed decori. Vel quomodo speciosus, cum Isaias dicit: Vidimus eum non habentem speciem, neque decorem: sed quasi despectum, et humiliatum, et percussum, et flagellatum a Deo (*Isa.* LI)? Propheta Isaias ex persona Judæorum dicit hoc, quia illi humanitatem carnis, quasi purum hominem esse crediderunt. Sed hic propheta secundum divinitatem loquitur. Item Isaias propheta præsciebat per Spiritum sanctum illam humanitatem a foris quam viderunt Judæi: sed intrinsecus divinitatem non potuerunt intelligere. *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Cum morbos verbo curas, cum mare quiescere facis, cum silentium ventis indicis, cum febrem discedere jubes, cum Lazarum vocas, et venit: Patrem interpellas, et audit, et non solum

audit, sed etiam respondet : et omnia quæ loqueris, A gratia labiorum tuorum perficiuntur. Diffusio gratiæ in Scripturis sanctis gratia Spiritus sancti est, vel Christi. Diffusa est gratia Spiritus sancti in baptismo in specie columbæ : cum descendit in capite, venit in barbam : deinde in oram vestimenti ejus. Caput nostrum, Christus est; barba, sancti Apostoli; ora vestimenti ejus, sancti prædicatores : sicut ait propheta : Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron, et quod descendit in oram vestimenti ejus (*Psal.* CXXXII). *Gratia in labiis tuis :* quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est (*Joan.* I). *Propterea benedixit te Deus in æternum*. Ob hanc gratiam. Nam cum semper Christus Dominus in Patre fuerit benedictus, in assumpta benedicitur carne : cum descendente Spi- B ritu sancto super eum in baptismo, dicit Pater : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matth.* III). Vel benedixit Pater Deus Filium suum, et Christus suam Ecclesiam.

Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Gladium circa femur. Per gladium, verbum : per femur, incarnatio. Accingit homo gladium ad pugnandum. Sed, *accingere gladium, potentissime*. Ac si dicat propheta : Tu, Christe, indue carnem : pugna contra diabolum, et libera genus humanum de inferno. *Accingere gladio*, verbo prædicationis, qui divisit filium a patre : filiam a matre, nurum a socru : *circa femur* tuum, super carnem assumptam. *Potentissime*, non segniter, neque leviter, sed viriliter.

Specie tua et pulchritudine tua. Sanctitate atque C justitia : vel ad divinitatem pertinet. *Intende prospere, procede et regna*. Si tibi intendis, semper tibi prospera erunt. *Procede :* id est, de cœlo veni. *Et regna :* quia regnum diaboli antea erat. Unde dicimus in Oratione Dominica : Veniat regnum tuum in nobis, et discedat regnum diaboli (*Luc.* XI). *Intende prospere :* vide feliciter. *Procede*, de thalamo uteri virginalis : *et regna*, oppresso mortis imperio.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Veritas, ipse Christus : quia ipse est veritas. Unde de illa muliere dixit ad Judæos : Qui sine peccato est vestrum, prior in illam lapidem mittat (*Joan.* VIII). Mansuetudo, quando dixit : Nec ego te condemnabo. Justitia, quando dixit : Vade, mulier, et amplius noli peccare. *Propter veritatem :* qua illa D quæ per prophetas promiseras, adimplesti. *Et mansuetudinem :* quia sicut ovis pro vita populi immolaris. *Et justitiam :* cum non potestate, sed humilitate eripuisti hominem. *Et deducet te mirabiliter dextera tua*. Potentia, sive virtus. Vel potestas deducet te, scilicet te, in cœlum.

Sagittæ tuæ acutæ. Prædicationes, corda hominum transfigentes. *Acutæ*, quia usque ad interiora cordis penetrant. *Populi sub te cadent in corda inimicorum regis*. A compunctione prædicationis, in corda corruunt ut non superbiant, sed humiliter credant. Qui fuerant non credendo inimici regis, fiant credendo amici. Quia qui Christi inimici erant, postea amici effecti sunt.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi. Non temporalis, sed æterna. Vel sedes Dei, sancta Ecclesia est, aut anima : quia anima justi est sedes sapientiæ. *Virga directionis, virga regni tui*. Per virgam, correptio disciplinæ : quia per ipsam regulam veritatis, corda illorum diriguntur quæ tortuosa erant.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem. Id est, mandata Dei Patris implevisti. *Et odisti iniquitatem*, non quod odium cadat in Deum : sed odire Deus dicitur, id est, repudiare. Iniquitas ipse diabolus intelligitur. Vel virga, disciplina cœlestis accipitur : per quam iniquam tortuositatem nostram quam odivit, ad suam dirəxit justitiam. *Propterea unxit te Deus tuus*. Deum, inquit Apostolus, et Christum : Deus illum fecit (*Hebr.* I). *Oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. Alii reges qui typum illius prætulerunt, et regnando consortes dicti sunt, oleo corruptibili sunt inuncti : hic vero Filius Dei a Deo Patre, oleo exsultationis : hoc est, resurrectionis, ascensionis, dominationisque est delibutus : quia Christus natura unctus, nos per gratiam : quia in illo pleniter fuit divinitas, nam in sanctis per partes datur.

Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis. Myrrha pro sepultura ponitur : *gutta*, contra venena accipitur. In casia homo, qui sæpe arbor dicitur, demonstratur. Ergo defluxerunt hæc a vestimentis ejus : id est, ab assumpta carne, qua velut vestimentum se divinitas circumdedit. Stillavit odor myrrhæ, cum est traditus sepulturæ. Fluxit gutta, cum, compresso serpentis veneno, tartarea restinxit incendia. Prodivit et casia : cum in eo homine per quem evicit inferos, ascendit in cœlos. *A domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo*. Domus eburneas, propter magnitudinem elephantorum, domus amplas accipimus : ampla est enim via quæ ducit ad perditionem (*Matth.* VII). Sed ebur, nisi radatur limis, dividatur serris, ac subulis perforetur, obscurum et horribile est : sic et apostoli erant antequam vocarentur et inhabitarentur. Sed postquam vocati sunt, serris secti, ungulis rasi, scalpellis scalpti, flammis igniti : ac diversis suppliciis elimati, facti sunt domus Dei : in qua ipse Christus dignaretur inhabitare. Horum exempla sequentes martyres, effecti sunt suorum corporum reges. Istorum regum sunt filiæ, animæ sanctæ : quæ Christum delectatæ sunt, honorando nomen majestatis ejus, et præconando misericordiam ejus. *A domibus eburneis :* de quibus lætificaverunt te. Multi per errorem pro [a] *domibus, graves*, dicunt : quia apud Græcos verbum βάρεων utrumque significat.

[a] Quamquam totam veri Hieronymi ad Principiam Epistolam in nostra recensione 65, quæ tota in hoc est exponendo psalmo XLIV, operæ pretium fuerit cum hac pseudo-Hieronymi enarratione contulisse : hic tamen præstat ipsa describere S. Patris ad hunc locum verba, ubi, *pro eo*, inquit, *quod nos transtulimus*, domibus eburneis, *quia in Græco scriptum est*, ἀπὸ βάρεων ἐλεφαντίνων, *quidam Latinorum ob verbi*

Astitit regina a dextris tuis. Quia nihil in regno tuo A sinistrum. *In vestitu deaurato.* Spiritualis credulitatis ornamento. *Circumdata varietate.* Gentium ac populorum. Ipsi nunc Ecclesiæ propheta loquitur. *Regina*, Ecclesia est. Unde dicit in Cantico canticorum: Quæ est ista quæ ascendit dealbata, innixa super fratruelem suum? *Regina dicitur :* quia regit sua vitia et peccata. *A dextris tuis.* Ut illud : Statuet quidem oves a dextris suis, quando dicturus erit : Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod pro vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* xxv). *In vestitu :* id est, non nuda, sed vestita sensu spirituali. *Circumamicta varietate.* De septuaginta et duabus linguis : id est, de diversitate gentium vel gratiarum actione.

Audi, filia, et vide. Crede ut munderis. Filia, quia B ab eo renata. Sponsa, quia ipsi es sociata. Vel Christus vocat Ecclesiam suam per fidem filiam. Filiam dicit : ut casta sit mente et corpore. *Et inclina aurem tuam.* Humiliter ac sapienter ausculta vel desidera. *Et audi*, aure cordis, ut illud, Qui habet aures audiendi, audiat (*Luc.* viii). *Et vide :* hoc est, oculis cordis, unde Deus videtur, ut ait : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Marc.* v). *Et obliviscere populum tuum,* etc. Consortia dæmoniorum, vel vitia, et peccata, et domum patris tui diaboli, qui te prius genuerat : quia totus mundus in maligno positus erat (I *Joan.* v) : ideo, *inclina aurem tuam.*

Quoniam concupivit rex decorem tuum. Christus Jesus a quo regeris, quia nigra eras in domo patris : C nunc autem abscondis post baptismum, vel vitiis abluta, vel gratia fidei candida. *Quia ipse est Dominus.* A quo redempta es. *Deus tuus.* Quem nunc, relictis simulacris, excolis et adoras. Quomodo dicit speciem et pulchritudinem tuam : cum non pulchra, nec speciosa, quam antea fetida, deformis erat Ecclesia? Sed postea pulchra et speciosa per lavacrum baptismi : quia justus pro impiis mortuus est, id est, Christus : mundans eam per lavacrum sanguinis sui, ut ait Apostolus : Non habentem maculam aut rugam (*Ephes.* v). *Et adorabunt eum filiæ Tyri.* Tyrus, interpretatur, *angustia. Filiæ Tyri*, filiæ angustiæ. Ipsi adorant Christum, qui sunt in angustia. Vel animæ credentes ex gentibus. *In muneribus vultum tuum deprecabuntur divites plebis.* Istæ recondentes D thesauros suos, de corde te mundo requirunt : quia ubi sunt thesauri eorum, ibi erit et cor eorum (*Matt.* vi). Fecerunt hoc Magi, qui cum thure, et myrrha, et auro venerunt : quia non tantum verbis, sed etiam muneribus adoraverunt Christum.

Omnis gloria ejus filiæ regis, animæ fidelis, *ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Superius diximus, varietate gentium : hic, gratiarum *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus :* id est, seniores Ecclesiæ, vel reges et potentes : qui habent modo spem, fidem et charitatem : ipsi obtulerunt ad intus : hoc est in conscientia Ecclesiæ. *In fimbriis aureis circumamicta varietate.* Non solum littera, sed etiam sensu spirituali, illi qui intrant, obtulerunt, vel varietate virtutum repleti sunt.

Adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus. Per unam Ecclesiam, apostolica institutione fundatam, multi convertuntur ad Christum. *Afferentur tibi in lætitia et exsultatione.* Non in tristitia peccati, neque in lacrymis pœnitentiæ : sed in lætitia virtutum et exsultatione gratiarum. *Adducentur in templum regis.* Vidit enim Joannes Jerusalem civitatem sanctam descendentem de cœlo, habentem claritatem Dei : sed templum in ea non vidit (*Apoc.* xxi) : Dominus, inquit, est templum ejus. Inducentur ergo in hoc templum virgines istæ : hoc est, animæ sanctorum : ut conformes efficiantur corpori gloriæ ejus.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. Fuerunt, o Ecclesia, apostoli patres tui : quia ipsi te genuerunt. Nunc autem quia illi recesserunt a mundo, habes pro his episcopos filios, qui a te creati sunt. Sunt enim et hi patres tui : quia ab ipsis regeris. *Constitues eos principes super omnem terram.* Constituit Christus sanctos suos super omnes populos. In nomine enim Dei dilatatum est Evangelium in omnibus finibus mundi : in quibus principes Ecclesiæ, id est, episcopi, constituti sunt.

Memores erunt nominis tui, in omni generatione et generatione. Ideo memores erunt : quia numquam obliviscuntur, sed semper te prædicabunt, sive ædificabunt in generationibus sanctorum.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, et in sæculum sæculi. Ob eorum prædicationem semper tibi delicta populi confitentur : tuam gloriam enarrabunt, tuam laudem annuntiabunt.

PSALMUS XLV.

In finem, pro filiis Core pro arcanis, Psalmus. Pro arcanis : id est pro occultis de vocatione gentium et de reprobatione Judæorum. Psalmus docet nos spem nostram in illum debere ponere, qui solus potest de tribulatione liberare.

Deus noster refugium et virtus : adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis. Plenus est enim mundus ærumnis atque pressuris : ideoque quia sunt alia adjutoria regum, virtutes potentium, refugia civitatum : nostra munitio Christus est, qui nos ab his potenter eripere potest.

Propterea non timebimus : Quia in ipso credulitatem [*Mart. vitiose* crudelitatem] habemus. *Dum turbabitur terra.* Generatio Judæorum, qui terrena sapiunt. *Et transferentur montes in cor maris.* Prædicationes apostolicæ in corda gentilium hujus mundi, sicut in Evangelio : Si habueritis, inquit, fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti : Transi, et faciet (*Matt.* xvii). In corde maris ; id est, in gentilitate.

Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ eorum. Aquæ, po-

ambiguitatem, a gravibus, *interpretati sunt, cum* βάρις *verbum sit* ἐπιχώριον *Palestinæ : et usque hodie domus ex omni parte conclusæ in modum ædificatæ turrium ac mœnium publicorum,* βάρεις *appellentur.* Vide et quæ nos ibi observamus.

puli : motus, dæmones intelliguntur. Qui nunc turbati sonum dederunt : cum eversoribus simulacrorum, vel restituerunt, vel mortem parare voluerunt. *Conturbati sunt montes in fortitudine ejus.* Excelsiores sæculi potestates.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Post eversos cultus dæmoniorum, ablutio baptismi, vel irrigatio Spiritus sancti lætificat animam civitatem Dei, sive Ecclesiam, quæ est civitas Dei, quæ super montem posita, non absconditur (*Matt.* v). *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Congregationem fidelium, in qua per fidem habitat.

Deus in medio ejus non commovebitur. Sed firmatur, ut ait : Ne timeas, Maria (*Luc.* I) : vel Ecclesia in tribulatione. *Adjuvabit eam Deus mane diluculo.* Inspectione sancta, qua mundum promerebitur cor. Beati enim mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt (*Matt.* v).

Conturbatæ sunt gentes. Vitiorum ac criminum. *Et inclinata sunt regna.* Potestates dæmoniorum, sub potestate Christi. *Dederunt vocem suam.* In prædicationibus. *Mota est terra.* Obstupuerunt gentes in incredulitate sua : hoc est, gentilitas de infidelitate ad fidem Christi.

Dominus virtutum nobiscum. Per assumptionem carnis, particeps factus est pro nobis. Ideo et Emmanuel, hoc est, *nobiscum Deus. Dominus virtutum*, angelorum et hominum. *Susceptor noster Deus Jacob.* Ipse virtutum Dominus, qui vicit diabolum. Ipse susceptor noster, ut nos in æternum conservet. Adjutor, *Deus Jacob.* Per Jacob, supplantatio vitiorum.

Venite et videte opera Domini. Christus vocat suam Ecclesiam ad fidem, vel ad credulitatem. *Videte*, id est, intelligite : *opera Domini*, virtutes Domini. Vel, *opera Domini :* quia, juxta Danielem, lapis excisus de monte sine manibus, comminutis regnis mundi, occupavit latitudinem omnis terræ (*Dan.* II). *Quæ posuit prodigia super terram.* Multa enim signa, vel ante adventum corporeum, vel post illum ostendit in populis. *Auferens bella usque ad fines terræ.* Omnia bella in adventu Domini quievisse, multorum narrant historiæ. Sed et nunc in Ecclesia sua quotidie bella coercet, ut non sæviant, vel hæretici, vel Judæi. Vel *auferens*, tollens, *bella :* hoc est, pugnam, quia semper est pugna vitiorum et peccatorum. *Usque ad fines terræ*, usque ad finem sæculorum. Dominus aufert a nobis istam pugnam : nam per nos non possumus.

Arcum conteret. Occultas malorum insidias. *Et confringet arma.* Præsentes pugnas. *Et scuta comburet igni.* Insanas diabolicæ protectionis phantasias, quæ omnia illo igni spirituali consumit : de quo ait : Ignem veni mittere in terram : hoc est, in Ecclesiam (*Luc.* XII).

Vacate et videte quoniam ego sum Dominus. Ego feci, et non feram : ego creavi, et ego sustineam : redimam vos et dimittam peccata vestra, ait Dominus (*Isai.* XLVI). Vacate ergo ut me cognoscatis, et non in aliud conturbemini. *Exaltabor in gentibus.*

A Quæ fuerint ad credulitatem conversæ. *Exaltabor in terra.* Si ex Judæorum gente ad me reversi fuerunt : quos non terrena sapere manifestum est.

Dominus virtutum nobiscum : susceptor noster Deus, Jacob. Semper enim cum credentibus dignanter inhabitat : sicut apostolis post resurrectionem polliceri dignatus est, dicens : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth. ult.*).

PSALMUS XLVI.

In finem, pro filiis Core, Psalmus. Filii Core, filii calvi. Vox deridentis est. Hoc de illis quadraginta duobus pueris dicit, qui Elisæum deriserunt, et dixerunt : Ascende, calve ; ascende, calve, et maledixit eos in nomine Domini (IV *Reg.* II). Et egressi duo ursi, comederunt eos. Elisæus figuram Christi
B tenet, illi pueri figuram Judæorum, qui dixerunt : Ave, rex Judæorum. Unde Paulus dicit : Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote (I *Cor.* XIV). Venit medicus sanare ægrotos, sed ægroti occiderunt medicum. Ursi proprie dæmones intelliguntur, quia devoraverunt corda illorum. Psalmus vocem continet apostolicam, admonentem, ut in ipso solo lætemur, cujus sumus sanguine liberati.

Omnes gentes, plaudite manibus. Spiritus sanctus per prophetam vocat ad fidem omnes gentes venire *Omnes gentes :* id est, totus mundus simul, *plaudite manibus.* Plaudere, laudare. Plausus namque laus dicitur. Gaudete in bonis operibus. *Jubilate Deo in voce exsultationis.* Voce sublimi Dominum confitemini in ipso corde, et omni membrorum officio exsultate. Propter magnitudinem lætitiæ dicit. Vox
C exsultationis est : quod nec verbis, nec litteris, nec syllabis potest homo comprehendere, quantum Deum laudare debeat.

Quoniam Deus excelsus terribilis. Ille qui quondam irritabatur a Judæis, obtentis gentibus, excelsus cœlos ascendens, terribilis factus est, residens ad dexteram Patris. *Et rex magnus super omnem terram.* Non solum super Judæorum gentem, sed super omnes nationes terræ. Vel, *super omnem terram*, id est, super omnem Ecclesiam, quia Ecclesia terra dicitur : Christus super eam, quia data est ei potestas in terra et in cœlo. Vel de quo nunc apostoli dicunt :

Subjecit populos nobis et gentes sub pedibus nostris. Elegit nobis hæreditatem suam. Subjectas sibi a
D Christo gentes et populos dicunt : quorum malitia conculcata, dignos in hæreditatem Christi fecerunt. Vel hæreditas Christi, sancta Ecclesia est. Unde dixit in alio loco : Dominus pars hæreditatis meæ (*Psal.* XV). Et nos sua, et ille nostra : secundum illud : Portio mea Dominus (*Psal.* CXVIII). *Speciem Jacob quam dilexit.* De pulchritudine enim Jacob elegit apostolos, qui ab ejus stirpe descendentes, hæc dicunt. Quod autem eum diligat, audi prophetam : Jacob dilexi, Esau autem odio habui (*Malach.* I).

Ascendit Deus in jubilo. Claruit enim ascensio ejus, in qua multitudo angelorum cum magna jubilatione dicebat : Tollite portas, principes, vestras

(*Psal.* XXIII) : jam redit victor ex prœliis. *Et Dominus in voce tubæ.* In qua duo angeli tamquam tuba, illo ascendente, apostolis clamaverunt : Hic Jesus, qui receptus est a vobis, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum (*Act.* I). Vel post victoriam, qua vicit diabolum, sic ascendit. Unde dicit in alio psalmo : Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ (*Psal.* XXIII). Vel sicut legimus in Actibus apostolorum, quando ascendit de monte Oliveti ; Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum : sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum (*Act.* I).

Psallite Deo nostro, psallite, psallite regi nostro, psallite. Qui, oppresso mortis dominatu, carnem cum qua jacuit in tumulo, evexit ad cœlum.

Quoniam rex omnis terræ Deus. Quia jam non solum in Judæa et Jerusalem notus, sed in omni terra fidei lumine declaratus. *Psallite sapienter.* Ut quæ canitis per litteram, intelligatis spiritualiter dicta.

Regnabit Dominus super omnes gentes. Quas in hæreditatem accepit a Patre. Unde et in alio psalmo dicit : Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ (*Psal.* II). Vel, excelsus Dominus super omnes gentes et super cœlos gloria ejus (*Psal.* CXII). *Deus sedet super sedem sanctam suam.* Ad dexteram Patris. Vel angeli pro innocentia eorum dicuntur sedes, quia non peccaverunt. Inde dixit : Cœlum mihi sedes est (*Isai.* LXVI). *Deus sedet super sedem sanctam suam :* hoc est, in Ecclesia. Unde dictum est : Anima justi, sedes est sapientiæ (*Sap.* VII).

Principes populorum. Apostoli. *Congregati sunt.* Ad judicandum. Vel, *principes populorum :* id est, seniores Christianorum ; quorum figuram tenebat centurio ; vel modo illi qui tenent ipsam fidem, quam habuit Abraham. Unde dictum est : Multi venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum (*Matt.* II). *Cum Deo Abraham.* Deus Abrahæ, Deus verus est, qui est Deus viventium, cum quo justi judicium facient. Sic enim et Dominus in Evangelio ait ; Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ ; sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. *Quoniam dii fortes terræ, vehementer elevati sunt. Dii,* sancti sunt : sicut ait propheta ; Ego dixi : Dii estis et filii excelsi omnes (*Psal.* XXI) ; *Elevati sunt vehementer. Elevati sunt,* per fidem et prædicationem. Vel illi qui elevati sunt in superbia, et relictis cœlestibus, terrena concupierunt ; quibus dicitur : Sicut homines moriemini : isti a Deo Abrahæ, vel apostolis ejus, sunt judicandi. Nos vero oremus Dominum, ut, deposito omni tumore superbiæ, ita illi conjungamur in hoc sæculo ; ut in judicio a sinistra parte disjuncti, non inveniatur in nobis quod damnet in pœnam ; sed quod pietate multiplici provehat ad coronam.

PSALMUS XLVII.

Psalmus cantici Filiis Core, secunda sabbati. Per

A psalmum, opus vel prædicatio intelligitur. Per canticum, scientia et laus. Filii Core, sancti apostoli, vel martyres. Prima Sabbati, fecit lucem ; secunda sabbati, fecit firmamentum. Lucem, angelos ; firmamentum, homines. Habet inde aliquid in novo Testamento. Prima Sabbati, resurrexit lux Christus. Unde dicit in Evangelio : Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I). Secunda Sabbati, firmata est Ecclesia in fide, quando dixit Dominus : Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam (*Matth.* XVI). Psalmus totus circa sanctam plebem, totus circa Ecclesiastica mysteria commoratur.

Magnus Dominus et laudabilis nimis. Vox Ecclesiæ. Magnus dicitur, non comparatione, sed pro magnitudine gloriæ suæ, Quasi interrogaretur, ubi magnus, ubi laudabilis? Respondet : *In civitate Dei nostri.* B Anima sancta, cujus cives atque domestici, boni actus intelliguntur. *In monte sancto ejus.* In assumpto Dominici hominis corpore.

Fundatur exsultatione universæ terræ. Terram quæ prius peccatis et maledictionibus subjacebat, ascensione sua occupavit, atque in ea credulitatis suæ exsultationem ac lætitiam dilatavit. Vel fundata fuit, et est Ecclesia, in toto mundo in fide. *Mons Sion, latera aquilonis, civitas Regis magni :* Ad hunc montem, id est, ad Christum Dominum, accesserunt duo populi ex Sion : unus de lateribus aquilonis, qui est ex præputio, alter ex circumcisione. Christus ergo Dominus, qui est pax nostra, abstulit maceriam inimicitiæ de medio, et fecit utraque unum : et collocavit in Ecclesia sua, quæ est civitas Regis magni, C hos populos per fidem. Vel *mons Sion :* hoc est, sancta Ecclesia. De latere aquilonis : quia de malis est congregata. Unde dictum est : Ab aquilone exorientur mala quæ sunt super terram. Hic aquilo diabolus, cui dicitur : Veni, aquilo, perfla hortum meum (*Cant.* IV) : hoc est, Ecclesiam tentationibus. Unde Apostolus dicit : Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis (I *Cor.* XI). Vel, *civitas Regis magni :* hoc est, sancta Ecclesia.

Deus in domibus ejus cognoscetur cum suscipiet eam. Suscepit eam per gratiam. Cognoscitur autem in gradibus ejus, id est, in apostolis, vel reliquis prædicatoribus : per quos Ecclesiæ fides annuntiata est. Gratia enim sumus salvati per fidem : et hoc non ex nobis. Dei donum est, ut nemo de se glorie- D tur. Vel, *in domibus,* id est : in sancta Ecclesia. *Cum suscipiet eam,* in fide : quia antea inter malos erat.

Quoniam ecce reges terræ congregati sunt. Principes sæculi, quorum regnum in cultu idolorum atque dæmoniorum erat. Ex lateribus aquilonis, id est, diaboli accedentes. Vel, *congregati sunt, et convenerunt in unum,* id est, in unitatem Ecclesiæ. *Convenerunt in unum.* Lapidem summum angularem in fundamento fundatum.

Ipsi videntes sic admirati sunt. Gloriam ac potentiam Redemptoris. Vel virtutes Apostolorum admirati sunt, et commoti sunt de infidelitate ad fidem. *Conturbati sunt et commoti sunt, tremor ap-*

prehendit eos. A conscientia delictorum: quia dictum A est: A timore tuo concepimus et peperimus spiritum salutis (*Isa.* XXVI).

Ibi dolores ut parturientis: in spiritu vehementi. Cum corpora exercere per abstinentiam cœperint: in spiritu fortissimo, id est, sancto. *Conterens naves Tharsis.* Humilians superbiam gentium: quia Tharsis, in principio suo, a navigatione negotiatorum superba ac præcellens facta est. Ideo hic comparantur huic navigio, qui in hujus sæculi fluctibus circumferuntur omni vento luxuriæ atque vanitatis. Ipsi nunc in ea credentes dicunt:

Sicut audivimus. Per prophetas. *Sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: Deus fundavit eam in æternum.* Vidimus in Evangelio, quæ est civitas virtutum. Vidimus in Ecclesia, quæ est B civitas Dei in illo regno magno fundata.

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui. In Ecclesia tua suscepimus sanctum Spiritum, sicut et illi prius super quos in Actibus apostolorum est effusus.

Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ. Cum, accepto Spiritu sancto, cunctarum gentium locuti sunt linguis. Sed et in amplitudine fidelis populi semper tua laudatio commoratur. *Justitia plena est dextera tua.* In his qui in judicio in dextera parte sunt collocandi.

Lætetur mons Sion. Ecclesia in Christo. *Et exsultent filiæ Judæ.* Animæ confessorum: quia Judas, *confessio* interpretatur. *Propter judicia tua, Domine.* Quia custodierunt ea ut pœnitentiam agerent. Vel, C *judicia tua*, judicia Dei occulta: quia reprobati sunt Judæi, et electæ sunt gentes in fide.

Circumdate Sion. Id est, defendite Ecclesiam in credulitate vestra. *Et complectimini eam.* In charitate. *Narrate in turribus ejus.* Laudem et gloriam Christi. *Narrate*, hoc est, prædicate. Turres, hi sunt principes Ecclesiæ tuæ: quia turris fortis est, et undique speculatur. Sic et sancti et fortes, et speculatores debent esse in gente humana.

Ponite corda vestra in virtute ejus. Ne separemini a charitate quam docuit. *Ponite*, hoc est, intelligite. *In virtute ejus*, in charitate ejus: quia non solum docere, sed etiam quod prædicant, opere debent implere. *Et distribuite domos ejus.* O vos, Doctores Ecclesiarum, distribuite gradus ordinationum, D canonice et sancte; non præmiis corrupti; non personarum acceptione per adulationem decepti. *Ut enarretis in progenie altera.* Non solum his qui credunt, sed et his qui credituri sunt. Sed quid, inquis, enarremus.

Quoniam hic est Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi, et ipse reget nos in sæcula. Deus, quia per ipsum facti sumus. Rex, quia ab ipso regimur. Ipse enim lubricos et tortuosos gressus nostros direxit in se, qui est via pacis, et pax nostræ salutis.

PSALMUS XLVIII.

In finem, pro filiis Core, Psalmus. Filii Core, sancti apostoli vel martyres sunt. Istum psalmum Spiritus sanctus per prophetam in persona prædicatorum cantavit. Vel ideo iste psalmus, eo quod doceat mundi divitias cum vanis honoribus spernendas: cavendas etiam serpentis astutias, et omnem orbem ad audiendum Dei verbum instanter admonet dicens:

Audite hæc, omnes gentes: auribus percipite, qui habitatis orbem. Sapienter intelligite in spiritualibus auribus, quas Dominus ad audiendum elegit. In Evangelio autem cordis requirit, unde Deus auditur. *Qui habitatis orbem*, id est, corpora vestra.

Quique terrigenæ et filii hominum; in unum dives et pauper. Intelligendum est quod omnes habitatores terræ ad audiendum Dei verbum vocat: scilicet ut nulli hominum occultentur divina, vel judicia, vel mandata. Vel simul, *in unum dives et pauper*: hoc est, servus et liber. Vel, *pauper*: unde dixit: Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V).

Os meum loquetur sapientiam. Loquetur illam sapientiam quæ occulta est ab hujus sæculi sapientibus, et revelata est parvulis, hoc est, ut cognoscant parvuli Ecclesiæ, quia Christus est sapientia Patris; de quo omnes prophetæ loquuntur. Vel, *os meum loquatur sapientiam*: id est, Christum quem prædicat Ecclesia. *Et meditatio cordis mei prudentiam.* Semper in corde meditabar, ut relinquentes homines stolidam vanitatem, Christi prudentiam sequerentur.

Inclinabo in parabolam aurem meam. Quia scit propheta Christum Dominum venturum in mundum, qui in similitudine loquatur: ideo se ad audiendum præparat, id est, spiritualiter ad intelligendum. Vel inclinabo aurem cordis ad humilitatem. In parabola, id est, in similitudine intelligam. *Aperiam in psalterio propositionem meam.* Hoc propono, ut quod ille decalogus prædixit, si custodiatur, cœlestia regna largiuntur. Vel quod proposui in corde, prædicabo in sermone et intelligam.

Cur timebo in die mala. In die judicii. *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Quia in calcaneo quisquis peccaverit, labitur. Sed et iniquitas calcanei, originale peccatum accipitur ex Adam: ut dictum est ad mulierem: Inimicitias ponam inter te et serpentem, et semen tuum, et semen illius (*Genes.* V). Tu observabis, id est, conteres caput suum, et ipse calcaneum tuum.

Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur. Isti labuntur in calcaneo: quia per illum non incedunt qui est via, veritas et vita, vel, *qui confidunt in virtute sua*; quique in abundantia divitiarum suarum gloriantur.

Frater non redemit, redimet homo. Si Christus non redemit, qui se fratrem dixit apostolorum, et resurgendo factus est primogenitus resurgentium: non redimet Adam, quia primus homo mortuus non resurrexit. Nam frater noster Christus est Deus et homo, qui nos redemit. Vel quod non redemit Moyses, redemit Christus. *Non dabit Deo placationem*

suam. Qui non agit pœnitentiam, per quam placatus Deus.

Et pretium redemptionis animæ suæ. Non fecit eleemosynam per quam peccata delentur. *Laboravit in æternum*. In tormentis perpetuis positus. *Et vivet in finem*. Quia non interficitur, sed semper reparatur ad pœnam.

Non videbit interitum. Non intelligit imminere sibi mortem. *Cum videris sapientes morientes*. Si viderit hominem sapientem in Deo ab hoc mundo migrare, dicit : Quid huic jejunia? quid castitas? quid eleemosynæ profuerunt? Nonne et ipse mortuus est? Tale quidam et Redemptori nostro Judæi insultantes, dicebant : Numquid tu major es patre nostro Abraham qui mortuus est, et prophetæ mortui sunt (*Joan*. VIII)? *Simul insipiens et stultus peribunt, et relinquent alienis divitias suas*. Insipiens est, qui Dei notitiam habere contemnit : de quo Apostolus ait : Omnis ignorans ignorabitur. Stultus vero est qui in divitiis et non in Deum sperat. Perdunt ergo ambo divitias ; quia ibi congregant, ubi fures effodiunt et furantur (I *Cor*. XIV).

Sepulcra eorum domus illorum in æternum. Tabernacula eorum in progenie et progenie. Hæc illis erit perpetua habitatio : quia non resurgent, ut habeant æternam vitam : sed ut damnentur in pœna.

Vocaverunt nomina sua, in terris suis. Sæpe enim pagani super defunctorum epulantes sepulcra, atque in nomine eorum qui mortui sunt bibentes, inania cum quodam modulamine cantant : sed nihil prodest in inferno damnatis.

Homo cum in honore esset, non intellexit. Esse se ad imaginem Dei formatum. *Comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*. Deposita forma cœlesti, factus est in similitudinem insipientium jumentorum.

Hæc via illorum scandalum ipsis. Quia de judicio ad pœnam eos deducit : *Et postea in ore suo complacebunt*. Sed nihil proficit confessio in inferno.

Sicut oves in inferno positi sunt : mors depascet eos. Merito a morte depascuntur, qui Christum noluerunt habere pastorem.

Et dominabuntur eorum justi in matutino. In resurrectione. *Et auxilium eorum veterascet in inferno*. Habuerunt divitias, sed cum descenderent in infernum, evanuerunt. *A gloria sua*. Quia non quæsierunt gloriam Christi, qui nunc de se loquitur.

Verumtatem Deus redimet animam meam de manu inferi cum acceperit me. Homo Deus non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit, formam suscipiens servi. Suscepta etiam morte, resuscitatus paterna virtute, hominem qui corruerat reparavit.

Ne timueris cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus, etc. Dives effectus est Judas proditor vendendo Magistrum : sed nihil pretii quod assumpserat, secum cum moritur deportavit. Sic ergo nunc unusquisque, oppresso paupere, dives efficitur et multiplicatur. Noli timere ; cito præterit, et nihil secum de his quæ rapuerat, tollit : Domino in Evangeliis sic dicente : Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te, quæ autem parasti cujus erunt (*Luc*. XIII)?

Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur. Benedicitur a stultis propter potentiam : sed victus affluentia ac potus, proferunt non de bene vivente, sed de bene pascente sententiam. Sed non hæc excusant a pœna. *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*. Tunc gratias agit, quando aliquid lucri conquirit.

Et introibit usque ad progenies patrum suorum : in æternum non videbit lumen. Magis in divitiis quam in Deo speravit, sicut parentes ejus : ideoque de eo dicitur : Ejicite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium (*Matt*. XVI).

Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. Non cognovit, quia hæc omnia ei a Deo fuerant attributa : idcirco insipientia ejus jumentis insensibilibus comparatur. Nos vero deprecemur Dominum, ut ipse nobis tribuat intellectum, ut dum ea quæ videntur, abjiciamus : illa quæ non videntur, adipisci mereamur.

PSALMUS XLIX.

Psalmus Asaph. Asaph interpretatur, *congregatio*. Psalmus discernit justos ab impiis, cœlestes a terrenis, sanctos a peccatoribus protestatur. In quo non propheta se locutum, sed ipsum Dominum pronuntiat, dicens :

Deus deorum Dominus locutus est. Deus in Trinitate, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, unus Deus : *deorum Deus :* quia credentes deos voluit nuncupari. Dedit enim eis potestatem filios Dei fieri : his qui credunt in nomine ejus (*Joan*. I). Dominus autem est : eo quod omnium dominantium dominetur. Et utique ipse qui dudum in patriarchis loquebatur atque prophetis, ipse nunc loquitur. Et quid, inquis, loquitur? *Et vocavit terram*. Non partem aliquam ; sed audi quid adjecit :

A solis ortu usque ad occasum. Nihil reliquit, quod non sua vocatione faceret dignum. *Ex Sion species decoris ejus*. Quæ est fides atque credulitas quæ ex Sion incipit. Unde Dominus in Evangeliis : Oportebat enim hæc Christum pati et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes : incipientibus ab Jerusalem, quæ est Sion (*Luc*. XXIV).

Deus manifeste veniet. Non occultus. Vel, *Deus manifeste veniet :* hoc est, in die judicii, quia omnis homo eum videbit : ut in Apocalypsi ait : Et videbit eum omnis oculus (*Apoc*. I). *Deus noster et non silebit*. Quia ad judicandum veniet : juxta illud : Tacui, numquid semper tacebo (*Isai*. XLII)? Modo tacet, tamen et si tacet judicio, non tacet mandato. In primo adventu tacuit, quia humilis apparuit.

Ignis in conspectu ejus ardebit. Duplicem hic ignis intelligitur habere virtutem. Illuminat enim, et exurit. Gaudeant justi ; quia illuminantur ex eo. Timeant peccatores, qui exurendi sunt ab eo. *Et in circuitu ejus tempestas valida*. Quæ flagellat et corrigit

peccatores, triticumque secernit a paleis. Et quos ignis exurit, tempestas involvit. Et in alio loco dicit: Purgabit aream suam, et congregabit triticum in horreum: paleas autem comburet igni inexstinguibili (*Luc.* v).

Et vocavit cœlum desursum. Apostolos vel reliquos sanctos, qui despectis terrenis, quæ sursum sunt sapiunt. *Et terram discernere populum suum.* Discernit autem et terrenos, ut cum cœlestes ponuntur ad dexteram, hi ad sinistram collocentur. Vel discernet populum suum, in futuro judicio quando dicturus erit: Ite, maledicti, in ignem æternum. Et ad sanctos: Ite in vitam æternam (*Matt.* xxv).

Congregate illi sanctos ejus. O quam mirabiliter hæc Evangelio sancto conveniunt! Dominus enim post dispensationem finis, audit quid dicit: Mittet filius hominis angelos suos cum tuba et virtute magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summo cœlorum (*Matt.* xxiv). Et hic dicit: *Congregate illi omnes sanctos ejus.* Intelligite ergo per hæc, unum veteris novique Testamenti esse dispositorem.

Qui ordinant testamentum ejus super sacrificia. In quorum miserationibus Deus super omnibus sacrificiis delectatur. Vel *ordinant*, prædicant et implent Testamentum novum super vetus, quia transeunt vetera, et ecce facta sunt omnia nova (II *Cor.* v).

Et annuntiabunt cœli justitiam ejus. Evangelistæ, vel lex Moysi. *Quoniam Deus judex est.* Qui separare facit bonos a malis. Vel cœli, sancti: *annuntiabunt*, prædicabunt: ut illud, Cœli enarrant gloriam Dei (*Psal.* xviii). *Justitiam ejus*, mandata ejus. *Quoniam Deus judex est:* quia ipse est judex vivorum et mortuorum. Et advocatus noster est, et judex est, et Deus noster est.

Audi, populus meus: et loquar tibi, Israel. Vox Dei Patris, ad populum Judaicum loquitur. *Audi, populus meus.* Aurem cordis requirit: unde ait propheta: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus (*Psal.* lxxxiv). Et alibi: Audi, Israel: Dominus Deus tuus, Deus unus est (*Deut.* vi). Vel accipe aures audiendi, ut intelligas, Israel. *Et testificabor tibi.* Si mente spirituali perspexeris. Vel *testificabor tibi*, id est, per patriarchas et prophetas, sicut dixit: Ego sum qui sum (*Exod.* v). *Quoniam Deus, Deus tuus ego sum. Deus sum*, omnipotentia; tuus sum autem Deus, per gratiam: non simulacra muta et surda, quæ hactenus veneratus es. Vel ego sum, qui semper sum ipse.

Non in sacrificiis tuis arguam te. Quia corde contrito delector. *Holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.* Si odorem rectæ orationis, tamquam suavitatis incensum, ad me usque direxeris.

Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos. Ista enim sprevi: quia sanguis veri agni effusus est pro peccatis populi mei. Vel, *non accipiam de domo tua vitulos:* id est, incontinentes et superbos. *Neque de gregibus tuis hircos:* Hircos, qui fœtidi sunt in peccato.

Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus et boves. Irrationabiles et diversis montibus vacantes homines: quos oportet vocatione Filii Dei salvos fieri.

Cognovi omnia volatilia cœli. Sive hæreticos, sive divites hujus mundi, qui per mundanam superbiam et irrationabilem scientiam extolluntur. *Et species agri mecum est.* Quia ubi voluero, rerum omnium copia, vel diffunditur, vel negatur. Vel *species agri mecum est:* virtus sanctæ Ecclesiæ. Volatilia cœli quæ mihi offers, turtures et columbas, ego tibi dedi, et omnia antequam fiant, apud Deum vivunt: et quali loco essent, et quali tempore venerint, et in pondere, et in mensura omnia apud Deum sunt: ut ait in Evangelio: Nam et capilli capitis vestri omnes numerati sunt (*Luc.* xii). Vel, *volatilia cœli*, sancti angeli.

Si esuriero, non dicam tibi. Esurire Dei est, non in escis corruptibilibus, sed ut faciat quis voluntatem ejus: sicut ipse ait in Evangelio: Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei (*Joan.* iv). Ergo tacet Christus suam esuriem: quia exspectat peccatores ad pœnitentiam. *Meus est enim orbis terræ, et plenitudo ejus.* Totus mundus. Vel, *orbis terræ*, sancta Ecclesia. Ac si diceret, suo eam esse sanguine redemptam.

Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Vetera hic sacrificia evacuanda esse declarat: ideoque in moribus bonis sacrificium requirit: dicens.

Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. Hoc est sacrificium acceptabile: hoc est holocaustum pingue: ut laudetur Deus ab homine quem creavit, quem redemit: cui et regnum cœleste promittit. Vel vox prophetæ admonet sanctos, immolare spiritualiter, et vota reddere, ut ait: In me sunt, Deus, vota tua: quæ reddam laudationes tibi.

Invoca me in die tribulationis tuæ, etc. Tentamur, ut probemur: perseveremus in fide, invocemus in tribulatione: magnificemus eum cum fuerimus a periculis liberati.

Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Audiant hæc doctores vel episcopi Ecclesiarum: qui peccata populorum resecant prædicando. Unde sanctus Paulus dicit: Manifesti sunt qui præceptum Christi non sustinuerunt (I *Tim.* v), id est, non implent in opere quod prædicant. Unde Dominus dixit apostolis: Quæ dixerint vobis facite: secundum opera vero illorum nolite facere (*Matt.* xxiii).

Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum. Quæ prædicabas in Ecclesia, non custodiebas in vita.

Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas. Cucurristi cum fure, participatus es adultero, quando eis, vel in adulatoriis laudibus, vel in consentaneis voluptatibus es adjunctus. Quod dixit superius, portionem tuam ponebas, id est, portionem quam cum Deo et angelis habere debueras, ponas illam in inferno.

Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos. Illo male agente: tu nequiter ac dolose bene

-gere collaudabas. Vel, *lingua tua concinnabat dolum*, id est, Judas contra Christum. Os suum abundavit nequitia, quando consilium fecit cum Judæis, ut eum crucifigerent.

Sedens adversum fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum. Filius dicitur Christus : quia de synagoga processit. Vel Judas frater Domini dicitur, ut ait propheta : Narrabo nomen tuum fratribus meis (*Ps.* XXI). Vel aliter : Fratres, fortiores sancti : filii, simpliciores. Unde sanctus Paulus dixit : Nos qui firmiores sumus, debemus infirmiores fratres sustinere (*Rom.* XV). *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris :* qui tibi in baptismo est renatus. *Et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum :* quem Ecclesia Dei sicut teipsum per fidem exhibuit Christo. *Hæc fecisti, et tacui.* Quia examinanda ea in futuro judicio reservavi. *Et tacui :* quia non statim vindicavi, sed sustinui.

Existimasti, inique, quod ero tui similis. Dum non vindico in præsenti : arbitratus es ea mihi placere, sicut tibi placent tua mala et aliorum. *Arguam te.* Cum in sinistra parte sedis fueris collocatus, in futuro judicio. *Et statuam illa contra faciem tuam.* Ut his confusus damneris in morte perpetua, hoc est, per illa mandata quæ non custodisti : vel tua peccata, et aliorum, quæ post te reliquisti, ut illud : Quia si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram (*Ezech.* III). Utinam nos in hoc sæculo poneremus ante nos peccata nostra : et non Deus ea in judicio statueret ante faciem nostram : ubi jam non castigatio, sed judicium mortis accedit.

Intelligite nunc hæc qui obliviscimini Deum. Vox prophetæ admonet unumquemque, ut non ponat Dominum in oblivione, nec sua mandata (*Job.* II). *Ne quando rapiat, et non sit qui eripiat. Ne quando rapiat,* ad mortem vel ad diem judicii : unde dixit : Et non est qui de manu tua possit eruere. Vel rapit ille : hoc est, in mortem præcipitat obliviscentes se, et nemo eripere potest :

Sacrificium laudis honorificabit me. Quia de omni bono quod sancti faciunt, Deus honoratur. Unde dixit Paulus : Omnia quæcumque facitis in verbo aut in opere : omnia in gloriam Dei facite (I *Cor.* X), ut et in Evangelio : Ut videant vestra opera bona, et glorificent Patrem vestrum, qui est in cœlis (*Matt.* V). Ob hoc me honorat ille coram angelis : quia ego eum honorificavi coram hominibus in sacrificiis laudis; implevitque quod in Evangeliis est locutus : Qui me confessus fuerit coram hominibus, ego eum confitebor coram Patre meo et angelis ejus (*Luc.* XII). *Et illic iter est.* Christi iter per opera Sanctorum est. *In quo ostendam illi salutare Dei.* Salutaris Dei Patris, Filius est. In hoc sacrificio indicat viam, quæ ducit ad vitam, id est, ad Christum. Qui nobis præstare dignetur, ut discreti a paleis, impleti fructu sanctificationis offeramus ei sacrificium laudis, ut ipso illuminante, intelligere mereamur viam nostræ salutis. Amen.

A

PSALMUS L.

In finem, Psalmus David, cum venit ad eum Nathan propheta : quando intravit ad Betsabee. Iste quinquagesimus psalmus vocem continet pœnitentis personæ : ostendens, ut qui ceciderit in crimine, confitendo mala sua, redeat ad salutem.

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Confiteor immensam miseriam : ideo peto magnam misericordiam. Quia qui se miserum putat esse de suis peccatis : cum illo facit Deus misericordiam magnam. Quia minor misericordia est hic in præsenti, hoc est, quia homo cum non esset, ex nihilo creavit illum Deus ut esset, et regit, et gubernat. Major misericordia dicitur : quando ipsum hominem quem creavit, in futuro remunerat. *Et secundum multitudinem miserationum tuarum,* etc. Confugio

B

ad miserationes tuas, ut gravibus vulneribus theriacam remissionis infundas. *Miserationum,* dicit : quia multa sunt peccata mea, et miserationes tuæ multæ (*Ps.* LXVIII). Unde dicit propheta in alio loco : Miserationes tuæ multæ sunt, Domine.

Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Expeto ut abluas fonte misericordiæ : quia non vis in æternum peccati vulnera reservare : Ac si dicat : Tu potes plus mihi remittere, quam ego intelligam rogare.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. Ante faciem enim meam eam pono. Si tu pronuntias in confessione tua peccata, Deus ignoscet tibi. *Et peccatum meum contra me est semper.* Quia mea peccata a tuæ

C

bonitatis divitiis separant. Quia non trado illud in oblivionem, propono illud semper ante oculos meos. Quia si tu ponis illud ante te : Deus illud non ponit ante se.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci. Tibi enim delinquit quisque cum peccaverit : quia tu solus sine peccato es : dicente Apostolo : Est Deus verax, omnis autem homo mendax (*Rom.* III). Vel dicit David : Ego peccavi, et tu solus sine peccato es, sicut dicit Isaias : Qui peccatum non fecit ; nec inventus est in ore ejus dolus (*Isa.* LIII). Vel illud : Quis arguet me de peccato (*Joan.* VIII)? Et item dicit : Venit princeps mundi hujus, et in me non invenit quidquam (*Joan.* XIV). *Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.* Quia tu rectum judicium

D

judicas. Propter nos transgressores et peccatores ille fuit judicatus, et damnatus. Unde dictum est : Justus ab iniquis judicatus est. Sed ille in futuro judicio erit alios judicaturus et condemnaturus. Justificatus es, Domine Jesu, in sermonibus tuis : cum ductus pro populi peccatis ad mortem, non est inventus dolus in ore tuo. Vicisti judicatus : cum in te nihil dignum morte princeps tenebrarum invenit. Consuetudo prophetæ est, ut acta pro agendis loquatur.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. Hic versiculus totius generis humani casum exponit, sicut in Job : Nec si unius diei sit super terram, potest esse mundus a

sorde peccati (*Job.* xv *et* xxv). Concipitur autem et nascitur in originali peccato, quod ex Adam trahitur, sed baptismo per gratiam Christi purificatur. Vel, *ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.* Hunc locum diligentius in Epistola ad Romanos Paulus edisserit : quod Deus cum possit de nobis judicis auctoritate discernere, non hoc facit, sed nobiscum vult judicari, ut magis justitia appareat judicantis (*Rom.* III). *In peccatis concepit me mater mea.* Obscurus locus et altius retractandus.

Ecce enim veritatem dilexisti. Cum per prophetam peccantem famulum increpasti, veritatem dilexisti. Veritas Christus est : quia Pater diligit Filium suum, vel diligit confessionem ex ore peccatoris. *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Hoc est, quod in alio loco ait : Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua (*Psal.* CXVIII). Incertum et abditum mihi erit, si remittis tale facinus. Sed manifestum est : cum ignoscere dignatus es delinquenti. Sapientiæ enim tuæ est, ut prius increpes, sic remittas. Nam et Ninivitis occulta erat sapientia pietatis tuæ, cum dicerent : Quis scit si convertatur Deus a furore suo, et non peribimus (*Jon.* III)? Vel Deus per Nathan prophetam incerta et occulta manifestavit : id est, narravit David, quando dixit : dimissum est peccatum tuum, sicut Ninivitæ conversi sunt de malo in bonum, per prædicationem Jonæ.

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor. Sicut enim hyssopus terrenus curandis pulmonibus aptus est, ut avertat inflationem : ita cœlesti quis respersus hyssopo : id est, humilitate cordis, ab omni superbiæ malignitate purgatur. *Lavabis me, et super nivem dealbabor.* Ut quia peccata mea sunt phœniceo similia, quasi nix dealbentur. Tu, inquam, Domine, potens es peccatum piceum in lacteum candorem transferre : fuliginosumque hebenum in crystalli fulgorem convertere. Vel, *lavabis me :* hoc est, per pœnitentiam et baptismum. *Et super nivem dealbabor,* sicut dixit Isaias : Si fuerint peccata vestra sicut phœniceum, velut nivem dealbabor (*Isai.* I).

Auditui meo dabis gaudium et lætitiam. Cum jacens in infirmitate peccati, audire meruero : Homo, dimissa sunt tibi peccata tua. Vel *auditui* dicit : quando dixit : Nathan, dimissum est peccatum tuum, *Et exsultabunt ossa humiliata.* Id est, virtutes quæ prius fuerant peccatis humiliatæ. Vel æternitas spei meæ, quæ, peccante me, humiliata fuerat : te indulgente persultat.

Averte faciem tuam a peccatis meis. Nec ea sic aspicias ut revertantur in commemorationem tuam. *Averte faciem tuam.* Ac si dicat : ne videas, nec recorderis illa. *Et omnes iniquitates meas dele.* Præteritas, præsentes atque futuras.

Cor mundum crea in me, Deus. Quo te videam. Sicut rogabat David : ita et unusquisque debet facere. *Cor mundum crea in me, Deus.* Propterea rogabat, ut mundus fieret a peccato. *Et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Quo te recte confitear. Vel,

A *spiritum rectum*, ad videndum et discernendum : sicut antea rectus fuit in me.

Ne projicias me a facie tua. Sicut Cain, ut exsul a te efficiar. *A facie tua :* id est, a præsentia tua. *Et spiritum sanctum tuum ne auferas a me :* Sed ab eo consumptis delictis, tuo statuas conspectui. *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me :* id est, spiritum prophetiæ.

Redde mihi lætitiam salutaris tui. Christi tui illam exsultationem quam in eo habui prius quam peccaverim. Salutaris Dei Patris, Christus est. Ac si dicat : sicut antea prævidebam per spiritum, Christum in carne venturum : et modo sic faciam. *Et spiritu principali confirma me.* Ut ipse in me : et non vitia principentur. Tu vero qui legis sanctam Scripturam :
B sanctam hic Trinitatem intellige. Vel, *confirma me,* in regno. Spiritum rectum : hoc est, innovando Spiritum sanctum : hoc est, spiritum prophetiæ. Spiritum principalem, Patrem. Spiritum rectum, Filium : Spiritum sanctum, Spiritum sanctum.

Docebo iniquos vias tuas : et impii ad te convertentur. Ut declinantes a viis pravis, pœnitentiam agentes misericordiam consequantur, sicut et ego a te misericordiam consecutus sum. *Docebo iniquos vias tuas : et impii ad te convertentur :* hoc est, ponam meipsum, ut meum exemplum alii imitentur.

Libera me de sanguinibus, Deus. De peccatis multis : de quibus et Paulus ait : quia caro et sanguis regnum Dei non possidebunt (I *Cor.* XV). *Deus salutis meæ.* A quo post peccatum vivificor. Quia alius
C nullus potest hoc facere. *Et exsultabit lingua mea justitias tuas.* Per quas punito in me peccato, misericordiam præbuisti. Vel prædicabit mea lingua mandata tua.

Domine, labia mea aperies : et os meum annuntiabit laudem tuam. Si aperias os meum sicut Moysi quondam : ego præconabo quia sanctus, quia pius, quia misericors es. Vel clausa erant per peccatum : nec locus erat, nec tempus, nec persona, nec exemplum poterant dare : quia non est pulchra laus in ore peccatoris.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis. Audiant Judæi sacrificia sua cessasse : intelligant etiam per alium prophetam Deum loquentem : Sabbata, holocausta neo-
D meniasque vestras odivit anima mea (*Isai.* I). Quid ergo tu, homo, offeres? Audi quid subjecit :

Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum Deus non spernit. Merito inter reliquas beatitudines Evangelicas, beatitudo hæc continet principatum. Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matt.* V). Qui non in vanitatibus sæculi inflantur : sed a Deo accipiunt spiraculum vitæ : atque contritionem anxii cordis in eum refundunt, qui pro nobis humilis factus est. Vel multi habent cor contritum, sed non habent humiliatum : quia plangunt quod fecerunt : et postea ad ipsum reverti desiderant, quod antea fecerunt : et de præterito nolunt pœnitere.

Benigne fac, Domine. Hoc est, placitam fac spem nostram. *In bona voluntate tua, Sion.* Qua te contemplamur. *Et ædificentur muri Jerusalem.* Munitiones fidei charitatisque illius quas in Ecclesia positi in te collocavimus.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta. Cum vel te pro nobis offers Patri : vel a nobis laudes et gratiarum accipis actiones. Vel, *muri Jerusalem*, virtutes animæ, vel Ecclesiæ. *Tunc acceptabis sacrificium :* id est, confessionem ex ore peccatoris. *Oblationem :* hoc est, laudationem, *et holocausta. Tunc imponent super altare tuum vitulos. Altare*, fides : quia quidquid offers, per fidem offerre debes : Vitulum, laudes, vel cogitationes, vel victimas, scilicet, ut meipsum offeram hostiam vivam, sanctam, placentem tibi. Nos quoque famuli tui supplices deprecamur, Domine Jesu Christe, ut pietatis B consilio, magnis facinoribus nostris, immensam misericordiam largiaris : nosque per contritionem cordis humiliati, mactando vitia, jugulando delicta, dignum tibi acceptabileque præpares holocaustum. Amen.

PSALMUS LI.

In finem, intellectus David, cum venit ad eum Doec Idumæus, et annuntiavit Sauli, et dixit : Venit David in domum Achimelech. In Regnorum libro, et in ipso Hebraico Psalterio, Abimelech, scriptum est : sed quoniam *beth* et *caph* apud Hebræos litteræ, modico apice distinguuntur : ideo error facilius obrepsit. Abimelech interpretatur, *regnum patris mei.* David interpretatur, *fortis manu.* Venit in domum Abimelech : et Christus venit in regnum Judæorum. Per Saul intelligitur mors : per David C vita. Quid est quod mors persequitur vitam : nisi quod ab initio sæculi semper mors persequitur vitam nostram? Quia qui ista præsentia amant : persequuntur sanctam Ecclesiam : id est, illos qui cœlestia diligunt. Psalmus vocem continet prophetæ peccata Judaici populi exprobrantis : ad ipsum enim hæc loquitur, dicens :

Quid gloriaris in malitia? Cur monitis divinis obvians, prophetas interficis? *Qui potens es in iniquitate.* Nam cum ope Dei crescens, interficis prophetas ejus : hoc ad cumulum auxisti malitiæ, ut ipsum Dominum traderes neci. Vel, *quid gloriaris in malitia?* hoc est Adam, et diabolus : quia quod Deus ædificavit, illi destruxerunt in semetipsis : imaginem Dei et angelorum. *Qui potens es in iniquitate.* Non in bonitate, sed in iniquitate.

Tota die. Omne tempus vitæ tuæ in quo hæc ma- D litia usque ad effusionem Dominici sanguinis propagata est. *Injustitiam cogitavit lingua tua.* Cogitatio sapientium corde concipitur, et ore profertur. Nam in ore stultorum, cor eorum. Ac si diceret : Non tractavit corde, quod vomit ex ore : ideo hæc ad cogitationem detulit linguæ. Vel hic lingua pro corde ponitur : secundum illud : Tu dixisti in corde tuo, in cœlum ascendam, super astra cœli ponam sedem meam, in monte testamenti, in lateribus aquilonis : ascendam super altitudinem nubium : similis ero Altissimo (*Isai.* XLI). *Sicut novacula acuta, fecisti dolum.* Dolus est cum aliud agitur, aliud simulatur. Et novacula si assimilet agere vultus A nitorem, et genas vulnere suo sauciet, dolum faciet. Quia cum ait acutam, indicavit dolo versutam. Sic et Judæi Dominum, quem colere debuerant, non solum non coluerunt : sed diversis dolis superare nitentes, interfecerunt. Vel aliter : *Novacula*, persecutores intelliguntur : quia novacula capillum incidit : sed per capillum superfluitas divitiarum intelligitur. *Sicut novacula acuta, fecisti dolum.* Ille facit dolum, qui in negotio circumvenit fratrem suum. Unde Paulus ait : Nemo circumveniat, aut supergrediatur in negotio fratrem suum : quia de his omnibus vindex est Dominus (I *Thess.* IV).

Dilexisti malitiam super benignitatem : iniquitatem magis, quam loqui æquitatem. Dilexit populus ille malitiam, cum eum qui benignitate propria ad liberandum venerat, interemit. Sed et nunc ipsi Judæi falsa de eo in quem non crediderunt, proloquuntur.

Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa. In excelsum enim iniquitatem loquentes, ipsi se præcipitant in laqueum damnationis. *Verba præcipitationis*, dicit : quia semetipsos præcipitaverunt : sicut diabolus de cœlo, sicut et Adam de paradiso. In *lingua dolosa :* quia aliud habuerunt in sermone, aliud in corde.

Propterea Deus destruet te in finem : et evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo : et radicem tuam de terra viventium. Omnia hæc in Judaico impleta sunt populo : quia et a legis littera destructus, et evulsus de civitate : migratusque est de tabernaculo Dei. Sed et de his hæc intelliguntur, qui non credunt Dominici corporis tabernaculum : quia exterminabuntur a consortio claritatis ejus, ac de beatæ sedis habitaculo, vel de viventium terra quam sancti hæreditabunt. Vel, *destruet te Deus in finem :* hoc est memoriam diaboli. Ut alibi : Ut non apponat ultra magnificare se homo super terram (*Psal.* XLII). Unde sanctus Paulus apostolus dixit : In finem sæculorum inimica destruetur mors (I *Cor.* XV) : id est, diabolus. *Evellet te et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium.* Ut mors in Adam data est : ita omnibus ejus filiis dominatur. Unde dictum est : Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III). Diabolus et Adam eradicaverunt se : et unusquisque sic facit quando peccat.

Videbunt justi, et timebunt. Ne talia appetant. *Et super eum ridebunt.* De ultione calamitatis ejus. *Videbunt*, hoc est, intelligent eorum pœnam : *et timebunt*, sicut sanctus Paulus dicit : Vide ne et tu tenteris (*Galat.* VI). Vel, *timebunt :* id est, nescient exitum illorum. Unde dictum est : Nescit homo finem suum (*Eccles.* IX). Adhuc, *Et super eum ridebunt.* Duo tempora sunt : Tempus flendi, et tempus ridendi. Hic habent sancti tempus flendi, et in futuro tempus ridendi. *Et dicent : ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum : sed speravit in multitudine divitiarum suarum : et prævaluit in vanitate sua.* Ideo super eum hæc vindicta descendit. Vel de illo divite dicit, qui in inferno torquebatur, quia bona receperat in vita sua (*Luc.* XVI) : et de illo

alio cui dicit : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti cujus erunt (*Luc.* XI)? Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives. Numquid malum sit divitias habere, tantum ut de justo habeantur : et Deo gratiæ referantur, qui eas dedit? Non, sed malum est spem in divitiis ponere ; cum in alio psalmo dicat : Divitiæ si affluant, nolite cor apponere (*Psal.* LXI). Divitias licet habere ad necessitatem, et non licet possidere ex amore. Nam et Abraham, et reliqui boni divitias habuerunt : sed spem in divitias non miserunt.

Ego autem sicut oliva fructifera in domo. Comparat se propheta olivæ fructiferæ per pinguedinem sapientiæ : ut in Ecclesia Dei collocatus, vivens in legis allegoria, Evangelica proferat poma. Unus est enim Deus veteris novique Testamenti prolator. *Oliva fructifera*, sancta Ecclesia est : ut illud : Promptuaria eorum plena, eructantia (*Psal.* CXLIII). Hic in bonam partem. Item oliva non fructifera : sicut ait propheta : Vocavit Dominus nomen tuum, a voce loquelæ grandis exarsit ignis in ea : et combusta sunt fruteta ejus (*Jerem.* XI). Et illud : Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam (*Ibid.*); sed conversa es in oleastrum. Item in bonam partem dicit : Tu autem cum oleaster esses, insertus es in bonam olivam (*Rom.* XI) : id est, in fidem patriarcharum. *Speravi in misericordia Dei in æternum, et in sæculum sæculi.* Quia non est humanæ fragilitatis facultas, ut per se quis salvus fiat, sed per misericordiam Dei.

Confitebor tibi in sæculum quia fecisti. Deprecans ut in hoc sæculo, quod verbo creasti, confessionem merear, et illud clementia solita largiatur. *Et exspectabo nomen tuum : quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.* Nomen illud ante cuncta sæcula benedictum, quod reddit sanctis debitum præmium. Quod propheta sitiens postulat : ut in conspectu ejus æternæ beatitudinis accipiat sortem. Qui nobis præstare dignetur, ut ab omni dolo liberi, ab omni iniquitate mundati, Filium Dei æqualem Patri Spirituique sancto confessi, mereamur sicut oliva fructifera in Jerusalem cœlesti plantari.

PSALMUS LII.

In finem, pro Amalech, intellectus ipsi David. Amalech interpretatur, [a] *dolens*, sive *parturiens* : corpus Christi intelligitur. Et Dominus doluit pro peccatis nostris : quia verum corpus fuit, et parturivit filios. Et Ecclesia corpus Christi, dolet pro peccatis suis, et aliorum, et parturivit filios per verbum prædicationis : ut illud : Per Evangelium ego vos genui (I *Cor.* IV). Et item : Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis (*Galat.* IV). Hic psalmus vocem continet prophetæ peccatores atque impios increpantis.

Dixit insipiens in corde suo : non est Deus. Dixit A *insipiens*, populus Judaicus, sive diabolus, *non est Deus.* Ac si dicat, non est Christus Filius Dei.

Corrupti sunt. De lege bonæ naturæ. *Abominabiles facti sunt.* Hoc est, odibiles facti sunt. *In iniquitatibus suis.* Hoc est, in desideriis suis. Deum stulti cum ore negare ausi non sint, corde tamen dicunt eum non esse : in quo malo horribiles et abominabiles Deo fiunt. *Non est qui faciat bonum : non est usque ad unum.* Non de omnibus, sed de his omnibus tantum, qui Deum negant, propheta dicit : quia aliquotiens bona loquuntur : numquam tamen faciunt.

Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Dominum. Id est, ut inveniret quos eligeret : sicut quondam B in prophetis patriarchisque fecit : inventumque tamquam proprium manciparet alumnum. Prospicere et videre, ignorantis et quærentis est. Numquid Deus aliquid ignorat? Non, sed cœli sancti sunt : ut ait propheta : Cœli enarrant gloriam Dei (*Psal.* XVIII). Et alibi juxta Apostolum : Nostra autem conversatio in cœlis est (*Philip.* III) : quia Spiritus sanctus facit sanctos amare et diligere Deum, et ipse Spiritus sanctus Deus est. Prospicit Deus per suos sanctos, quia ille prædicat, et loquitur per illos, ut Dominus ait : Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis (*Matth.* X).

Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. Ili insipientes, quia non requirebant Deum : *omnes de*C*clinaverunt*, in passiones : *simul inutiles facti sunt.* Inutilis dicitur, qui non operatur aliquid boni : unde dicit in Evangelio : Tollite talentum ab eo, et inutilem servum projicite in tenebras exteriores ; ibi erit fletus et stridor dentium (*Matt.* XXV). Sibimetipsis sunt inutiles, qui mandata Dei adimplere non volunt. *Non est qui faciat bonum : non est usque ad unum.* Nullus enim ex his implet voluntatem Patris cœlestis.

Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem : qui devorant plebem meam sicut escam panis? Deum non invocaverunt. Cognoscunt enim se impie agere, et non solum non emendant, sed etiam Dei populum devorant dentibus malitiæ suæ : Deumque invocare contemnunt. *Illic trepidaverunt timore, ubi non* D *erat timor.* Idola ac simulacra mortua timuerunt : qui Deum timere debuerant.

Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent. Conteret enim spem æternitatis eorum Deus, qui in ejus contumeliam magis sibi quam illi placuerunt. Sibi placentes confusi sunt, id est, qui hominibus placent, et non Deo. *Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Merito spernitur a Deo qui

[a] Amalech nomen nec in Hebræo nec in Græco aut Latino est textu. Scriptionem quoque nominis ipsa statim interpretatio rejicit, nam *Amalech* non *parturientem* interpretatur Hieronymus, sed *populum lambentem*, etc. Corrigendum vulgo putant in *Machalath*, Hebraice מחלת, aut *Maeleth*, ut Latini quidam codices habent. Sed neque istud nomen exponit S. doctor *parturientem*, quin potius *chorum*, seu *symphoniam*, ut in epist. 21, ad Damasum de filio prodigo. Et vero מחול, Chorum denotare, constat psalm. CXLIX, 3 et alibi, a radice חול, *saltare*. Quod si *parturientem* interpretari oporteat, a Chul deflectenda sit nominis etymologia.

reliquerit Deum : et qui eum relinquit, digne tamquam ignotus ab eo confunditur, dicente Apostolo: Omnis ignorans ignorabitur (II Cor. xiv).

Quis dabit ex Sion salutare Israel? De Sion, ut ait propheta, exibit Lex, et verbum Domini de Jerusalem (*Isai.* ii). *Quis dabit?* Deus Pater dedit Filium suum in Sion : hoc est, in sanctam Ecclesiam. *Salutare Israel.* Salutaris noster Christus est. Quis dabit nisi Dominus in adventu suo, per quem gloriam æternitatis speculamur? *Cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ.* Ipse quoque, aversa captivitate vitiorum, erexit nos in libertate virtutum. De qua captivitate dicit : Jam redempti sunt de peccato Adæ; sed tamen adhuc in captivitate detinemur, quia non est integra libertas, qu.a dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Et item dicit : Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus (II *Cor.* ii)? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (*Rom.* vii). Sed in die judicii quando inimica destruetur mors, tunc erit vera redemptio. *Exsultabit Jacob, et lætabitur Israel.* Utrumque Christianus populus audit : qui est Jacob, dum supplantat Judaicum populum, benedictionemque ejus accipit, et Israel, dum Deum fidei oculis intuetur. Igitur et nos supplices deprecamur Deum ut declinantes a loquacitate superflua, ipso instruente, intelligamus omnia in ejus dominatione consistere, qui dignetur, ablata captivitate vitiorum, erigere nos in libertatem virtutum.

PSALMUS LIII.

In finem, in carminibus intellectus David, cum veniunt Ziphæi, et dicunt Saul : David absconditus est apud nos in spelunca Ziph. Ziph vicus est, et inde Ziphæi dicuntur. Ziphæi interpretantur, *florentes*, id est, peccatores, qui quasi florentes et virides sunt in præsenti vita, ut ait propheta : Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus, sicut flos agri (*Isai.* xl), quia quod siccum est, igni reservatur. Isti deputantur in pœnam : sancti ad regnum. Sicut herba hodie quasi viridis videtur esse, usquequo fuerit æstus : sic peccatores quia videntur florere, in die judicii arescent, et sancti qui hic videntur quasi aridi et sicci, tunc erunt florentes et virides. Unde dictum est : Justus ut palma florebit (*Psal.* xci). David fuit absconditus in inferiori parte terræ : et Dominus in utero sanctæ Mariæ, et in una gente Judæorum, et divinitas in carne Christi. Iste psalmus orationem Dominici hominis continere dignoscitur, formam servi accipientis, accedentisque ad passionem in forma servi.

Deus, in nomine tuo salvum me fac. Postulat hæc a Patre, ut ostendat carnis infirmitatem. *In nomine tuo:* hoc est in illo nomine humilitatis quod est salvatio. *Et in virtute tua judica me.* Vult se judicari, ut illud honorabile majestatis nomen divinitate conscendant. Humilitas fuit, quando venit de cœlo in uterum, de utero in præsepe, et sustinuit multa, id est, alapas, sputa et reliqua. Virtus fuit, quando resurrexit et ascendit in cœlos quadragesimo die, et quinquagesimo die venit Spiritus sanctus super apostolos, et prædicaverunt doctrinam Evangelii in toto mundo. Unde dictum est : Et dedit illi nomen quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum : et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philipp.* ii). Et quia mortuus est ad tempus ex infirmitate carnis, vivit ex virtute Dei. Et item dicit Apostolus : Nihil existimavi me scire inter vos nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum (II *Cor.* ii). Vel, *judica me.* Vox Ecclesiæ discretionem rogat.

Deus, exaudi orationem meam. Et hoc rogat, ut mereatur a Deo exaudiri. Noverat enim ille solus orare constanter, nec ignorare, ut homo quid peteret : juxta illud Apostoli : Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus (*Rom.* viii). *Auribus percipe verba oris mei.* Vox Ecclesiæ. Aures Domini dicuntur, quando exaudire dignatur.

Quoniam alieni insurrexerunt adversus me. Hoc est Judæi, qui cum peculiares Dei essent, alienos se per transgressionem ab eo fecerunt : non cognitione, sed vita et operibus. Unde dicit : Filii alieni mentiti sunt mihi (*Psal.* xvii). Et si filii, quomodo alieni? De una tribu erant : sed alieni erant, quia ejus vitam qui illos venerat vivificare, volebant tollere. *Et fortes quæsierunt animam meam.* Herodes principesque sacerdotum mundanam habentes fortitudinem. Et Dominus dicit : Non haberes in me ullam potestatem, nisi tibi desuper datum fuisset (*Joan.* xix). Sic et hæretici persecutores super sanctam Ecclesiam. *Non proposuerunt Deum ante conspectum suum.* Non intellexerunt sub persona corporea latere divinitatem. Diapsalma interpositum orationem immutat : ut eum qui prius precabatur quasi homo: ostendat effectum orationis obtinuisse. Ideoque subjecit :

Ecce enim Deus adjuvat me. Quia Dominus descendit in mortem. *Et Dominus susceptor est animæ meæ.* Cito eum redditurus. Vel Deus pater suscepit Filium suum, et Christus suam Ecclesiam in fide.

Averte mala inimicis meis, et in veritate tua disperde illos. Qui me non intellexerunt per malitiam suam, dispergantur in veritate tua : sicut nunc cernimus factum. Dispersi sunt enim in regionibus. Veritatem dicit : quia verus est, id est, reddet unicuique secundum opera sua. *Disperde illos*, in die judicii et in tua justa vindicta : hoc est, diabolum et membra sua.

Voluntarie sacrificabo tibi. Bene *voluntarie* : quia propria voluntate ipse sacerdos et hostia pro delictis populi se obtulit Patri, ut hoc sacrificium vitam tribueret mundo. *Voluntarie sacrificabo tibi.* Vox Ecclesiæ. *Voluntarie* dicit, id est, non necessitate aut coacte, sed voluntarie, secundum illud : Providentes gregem non coacte, sed spontanee (I *Petr.* v). *Et confitebor nomini tuo, quoniam bonum est.* Confessus sum in mundo : quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed tuam quia bona est (*Joan.* vi). *Confitebor* : hoc est laudabo nomen tuum : hoc bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me : et su-

per inimicos meos despexit oculus meus. Quia orationem mundam fudit in principio psalmi: ideo ut Deus omnia prævidens, ereptum se a tribulationibus et inimicos despectos inspectione paterna pronuntiat: scilicet ut illa eum intelligas regnare potentia, quia post resurrectionem victor remeavit ad astra. Quem nos supplices deprecamur, ut ejus adjutorio ab inimicis salvati, a tribulationibus mundanis erepti, ipsum caput nostrum Dominum Jesum Christum quem in cœlis suspicimus, mente et opere prosequamur.

PSALMUS LIV.

In finem, in carminibus intellectus David. In finem, in Christo: ut illud: Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti (*Rom.* x). *In finem*, semper de Christo intelligitur. Unde et sancti apostoli dixerunt: Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis (*Joan.* xiv). Non potes legem implere, nisi ab ipso impleatur. Omnis Scriptura sancta de illo est. *In carminibus*, id est, in laudibus: Sicut carmina sæculi sunt, sic et carmina Ecclesiæ: unde laus Dei cantatur: et consolatio sanctorum est: quia dictum est: Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum: æquales angelis (*Matth.* xix). Psalmus vocem continet Mediatoris, qui cum Deus esset, formam servilem pro nostra libertate suscepit.

Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, et exaudi me. Triplex hæc deprecatio ideo ostenditur: quod primam homo Deus in statu servili manens, a conscientia sanctitatis emittit. Secundam, quia se scit justum, obedientiam non despici postulat. Tertiam, propter infirmitatem carnis, ut sibi intendatur exorat. Qua ratione intellige, o homo: quia nisi pura conscientia depreceris, a Deo prorsus non exaudieris.

Contristatus sum in exercitatione mea. Quam pro mundi vita suscepi: quia semper exercitatio ad res utiles ac necessarias agitur. *Conturbatus sum a voce inimici.* Qui me Samaritanum, et dæmonium habentem, cum Deus essem antea sæcula, increpabant. Vel vox Ecclesiæ. Duos inimicos habet Ecclesia. Unum aperte, et unum occulte. Unum debet diligere, et alium odire. Diligere proximum, ut illud: Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos (*Luc.* vi): Et alium contemnere et odire: id est, diabolum qui occulte venit per suggestiones et delectationes. *Et a tribulatione peccatoris.* Qui mihi semper tribulationum insidias intendebat. Propter hoc tribulat Deus peccatores; aut ut emendentur, aut ut per illos corrigat bonos.

Quoniam declinaverunt in me iniquitates. Populus utique declinat ad iniquitatem, qui mendacium profert super proximum. Vel Judæi super Dominum, sicut dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia (*Matt.* xii): *Et in ira molesti erant mihi.* Persequentes me in invidia sua. *Et in ira molesti erant.* Molestus, id est, sævus. *In ira*, festuca, trabs, odium. Ira conturbat; trabs excæcat: ut illud: Turbatus est præ ira oculus meus (*Psal.* vi).

Cor meum conturbatum est. Secundum hominem, A sed virtute divina confortatum est. Nam et angelus, inquit Evangelista, accedens confortabat eum (*Luc.* xxii). *Et formido mortis cecidit super me.* Timor animæ, et tremor corporis. *Timor et tremor venit super me.* Siquidem ipse dixit: Tristis est anima mea usque ad mortem (*Marc.* xxvi). *Contexerunt me tenebræ.* Tenebræ dicuntur mali homines, qui persequuntur Ecclesiam, et qui tegunt ipsam in odio, quia qui odit fratrem suum, in tenebris est. *Et contexerunt me tenebræ*: sed quia lux eram, non me comprehenderunt.

Et dixi: quis dabit mihi pennas sicut columbæ? et volabo, et requiescam. Non ab alio summam evolationem evadendæ mortis, nisi a me ipso. Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo B iterum sumendi eam: ut de tenebris ad cœlestia revertar. In columba autem spiritualem naturam designat, sicut in baptismo ostensum est. Columba simplex animal est absque felle, et a malitia fellis alienum: quia osculum charitatis animæ significat: quia Ecclesia duas pennas habet, hoc est, duo præcepta charitatis: dilectionem Dei videlicet, et proximi.

Ecce elongavi fugiens. A Judæis. Longe est enim a peccatoribus salus. *Et mansi in solitudine.* Cum gentibus incredulis, quas adventu meo florere feci. De quibus alius ait propheta: Lætetur ac floreat desertum (*Isai.* xxxv). *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* Columba fugit a conversatione humana, et sancti fugiunt a consortio hominum, non C corporaliter, sed spiritualiter, hoc est, in conscientia, quia cogitant, quomodo se contra suggestiones diaboli vel hæreticorum defendere debeant.

Exspectabam eum qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate. Exspectat in corpore positus, non solum salvationem patris, ut a diversis tempestatibus eruatur: sed etiam, ut ultionem de inimicis accipiat. Sequitur:

Præcipita, Domine, et divide linguas eorum. In aqua aliquis sæpe præcipitatur. Ergo hi ita demergantur sicut in diluvio, et dispergantur divisis linguis, ceu factum est in ædificatione turris. Sed cur ista fiant, adjecit: *Quoniam vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate. Iniquitatem*, cum non crediderunt. *Contradictionem*, cum exprobrant, D contradicentes: Nonne hic est filius Joseph fabri (*Marc.* vi)? Et alia multa.

Die ac note. Id est, omni tempore. *Die*, cum doceret turbas, et illi non crediderunt. *Nocte*, cum pateretur, et illi blasphemarent. Ergo taliter circumdata repletaque est eorum civitas, id est, Jerosolyma, ut supra muros redundaret iniquitas ejus.

Et non defecit de plateis ejus usura et dolus. Omnia enim quæ in lege prohibita sunt, ad augendi peccati cumulum excreverunt. In lege enim usuræ accipi prohibentur (*Deut.* xxiii). Usura est plus accipere quam dare. Unde propheta dicit: Non feneravi, neque feneravit mihi quisquam (*Jerem.* xv). Et, Si vis quod tibi dimittatur, dimitte (*Matth.* vi).

Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset : abscondissem me forsitan ab eo. Non hic tantum de passione Dominus queritur, sed et de discipulo proditore. Nam legimus in Evangeliis, quia absconderit se a Judæis (*Joan.* VIII). A Juda autem non se abscondit : sed eum etiam convivio sancto ascivit, sicut sequitur :

Tu vero homo unanimis. Qui cum aliis conjunctus eras apostolis. *Dux meus.* Ad prædicandum cum cæteris missus. *Et notus meus.* Quia me per legis mysterium cognoveras esse venturum. *Dux meus et notus meus.* Vox Christi de Juda. *Unanimis* dicit : quia videbatur ab aliis quasi bonus. *Dux* dicit, propter quod Christum tradidit, dux mortis fuit. *Notus*, quando misit eos binos ante faciem suam in prædicationem (*Luc.* X).

Qui simul mecum dulces capiebas cibos. Cum mandatis vitæ et voluntate patris plerumque refectus es. Cibus enim dulcis est, Patris facere voluntatem, ut illud : Qui intingit mecum manum in paropside, levabit contra me calcaneum suum (*Matt.* XXVI). Vel cibus dulcis, id est, corpus et sanguis Christi : quod ipse accepit indignus. *In domo Dei ambulavimus cum consensu.* Sæpe enim cum ipso Domino in templo Salomonis cum prædicationis consensu abiit.

Veniat mors super illos, et descendant ad infernum viventes. Ut majorem sui cordis dolorem secundum hominem ostenderet : ideo quasi in maledictione quæ eis erant ventura prædixit. *Veniat mors super illos, et descendant ad infernum viventes.* Factum fuit hoc de Dathan, et Core, et Abiron, et simul venit ignis et mortui fuerunt, et terra absorbuit eos vivos (*Num.* XVI).

Quoniam nequitia in habitaculis eorum in medio ipsorum. Etenim tam opere quam cogitatione, nequitia pleni sunt.

Ego autem ad Dominum clamavi, et Dominus salvabit me. Vespere, et mane, et meridie. Vespere cum passionem suscepit, mane cum resurrexit : meridie, cum omni claritate virtutis suæ adimpleta, cœlos ascendit, sedet ad dexteram Patris.

Narrabo et annuntiabo, et exaudiet vocem meam. Redimet in pace animam meam, ab his qui appropinquant mihi. Narrat scilicet : quod eum velociter pater exaudivit : quod eum de tribulationibus mortis eripuit : quod in pace animam ejus ab inimicis, qui ei ob inferendam mortem propinquaverant, liberavit. Vel, *narrabo*, quasi minora, *et annuntiabo*, quasi majora. Liberavit in pace animam meam. *In pace*, hoc est, in semetipso, ut Paulus dixit : Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* I). *Ab his qui appropinquant mihi.* Appropinquant corpore, non vita nec merito. *Quoniam inter multos erant mecum. Inter multos*, sed non in paucis. In multis vero, id est, in baptismo, et in fide non ficta. In paucis non sunt, hoc est, in fide firma, et spe, et charitate. *Inter multos*, credentes, *erant mecum*, et non credebant.

Exaudiet Deus. Me benedicentem, non illos maledicentes. *Exaudiet Deus* : sanctos suos. *Et humiliabit eos.* Hoc est, superbos. *Qui est ante sæcula.* Pater utique, quem in me manere non cognoverunt : quia est ante sæcula, et manet in æternum. Ille qui initium sumpsit ex Maria, ante sæcula genitus est.

Non est enim illis commutatio. De malo in bonum : non commutantur, non transferuntur secundum Evangelium de morte in vitam. *Et non timuerunt Deum.* Ideo causa ad ultionem descendit, sicut sequitur : *Expandit manum suam in retribuendo.* Quia cum eis ad auxilium porrecta fuisset : non eam receperunt. *Non timuerunt Deum :* propterea non declinaverunt de malo in bonum : quia non cognoverunt. *Et extendit manum suam, in retribuendo illis. Extendit manum suam*, ut ait propheta : Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem mihi (*Isai.* LXV) : ideo quia non credit opera mea et potentiam meam. *In retribuendo illis*, hoc est, in vindicta in die judicii : præsertim cum Abrahæ dixi : In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ (*Genes.* XXV), id est, in Christo, et in alio loco : Et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ (*Psal.* II). Christus per novum Testamentum acquisivit hæreditatem suam.

Contaminaverunt testamentum ejus. Quia non intellexerunt Dominum Jesum sanctorum virorum præconio repromissum. *Et divisi sunt ab ira vultus ejus.* Ab spirituali providentia, divisa est contemplatio eorum : ideo pars eorum cum infidelibus posita est. Post eorum exprobrationem ad Judam sermo refertur dicens : Et appropinquavit cor illius, ut impletum a diabolo traderet Christum. *Contaminaverunt testamentum ejus, et divisi sunt ab ira vultus ejus*, id est, hæretici, qui voluerunt contaminare testamentum Dei, divisi erunt in die judicii quando accipient sententiam damnationis : Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matt.* XXV). *Et appropinquavit cor illius.* Voluntas ejus : quia quod intelligunt de Scripturis, in malum vertunt, quia de fide Trinitatis, non recte credunt. Unde dictum est : Oportet esse hæreses, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis (I *Cor.* XI).

Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula. Cum ait, *molliti sunt :* de pluribus dicit, cum prius de uno locutus fuisset. Ergo intellige diabolum nuncupatum, et Judam, qui leniores oleo fecit sermones suos, cum ait : Ave, Rabbi, et osculatus est eum (*Matt.* XVI). Tale oleum renuentes, ut in tribulationibus positi, Dei petamus auxilium, ipse nos Deus suo exemplo docuit dicens :

Jacta in Dominum curam tuam, et ipse te enutriet. Ut ab eo educatus inimicis fortis resistas. *Non dabit in æternum fluctuationem justo.* Si enim justus fueris, non te patitur ab iniquis fluctibus fatigari. Qui fluctuat, in mari est. Per mare, mundus iste intelligitur : in quo sancti fluctuant.

Tu vero, Deus, deduces illos in puteum interitus. Ut

qui noluerunt bibere de fonte aquæ vivæ : in puteum interitus demergantur. *In puteum interitus* : hoc est, in infernum, justa vindicta super illos.

Viri sanguinum et dolosi. Qui sunt effusores sanguinis Redemptoris nostri. *Non dimidiabunt dies suos :* Non solum non impleverunt æternitatis dies, sed nec ad dimidium temporis ejus venire meruerunt. In modico enim spatio in ultione Dominica ab hostibus trucidati sunt.

Ego autem sperabo in te, Domine. Ut pleni inveniantur dies mei. Et nos supplices deprecamur, ut a te, Domine, exauditi : nec peccati oleo delibuti, a te enutriti, a te ab hujus sæculi fluctibus liberati, a te mereamur longitudinem dierum pro bonis actibus adipisci. Amen.

PSALMUS LV.

In finem, pro populo, qui a sanctis longe factus est : David in tituli inscriptionem, quando tenuerunt eum alienigenæ in Geth. In Hebræo ita habet : *Pro columba muta longitudinum David, humilis atque perfecti, cum tenuissent eum Philistiim in Geth.* Columba muta, et David humilis atque perfectus Christus in passione monstratur.

Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo : tota die impugnans tribulavit me. In homine atque bellante, diaboli vel reliquarum nequitiarum spiritualium ostendit immissionem : quorum instinctu Dominus passus est. In die autem corporalem ætatem monstrat. *Miserere mei, Domine.* Ac si dicat : Fac in me misericordiam. *Quoniam conculcavit me homo*, id est, Christus a Judæis in passione conculcatus est, et Ecclesia a persecutoribus. Homo unus pro multis dicitur, et plures pro uno dicuntur. Unus : hoc est, pro unitate malitiæ. Duæ civitates sunt in mundo : Babylon et Jerusalem. Per Babyloniam intelliguntur mali, qui persequuntur sanctos : sic et Jerusalem, id est, anima electa, non cessat orare pro inimicis. *Tota die impugnans tribulavit me.* Tota die, toto tempore pugnæ.

Conculcaverunt me inimici mei. Judæi utique. *Tota die.* A tempore carnis assumptæ. *Ab altitudine diei timebo.* Duos sensus habet hic. Unum, quasi dicat Ecclesia in rogando : Non timebo altitudinem superborum. Alium affirmando : Timebo altitudinem : hoc est, altitudinem divinitatis : quia qui non timet, præsumptuose agit. *Quoniam multi bellantes adversum me.* Ab altitudine diei timebunt : quia non in Deum, sed in rebus transitoriis posuerunt spes suas.

Ego vero in te sperabo : in Deo laudabo sermones meos. Quia in ejus ope præsidioque confido, sicut Dominus dixit : Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit Patris (*Joan.* VII). Quanto magis nos qui omnia ab illo accepimus, et illum accepimus : ipsum semper laudare debemus!

In Deo sperabo, non timebo quid faciat mihi homo. In ipso confirmatus, non timebo bella quæ mihi adversarius movet, quia dictum est : Si corpus occidunt : animam autem non possunt occidere (*Matt.* X).

Tota die verba mea exsecrabantur adversum me. Cum dicerent, non est hic propheta, sed seducit turbam (*Joan.* VII). *Omnia consilia eorum in malum.* In malum enim eis conversa sunt : cum eos divina ultio post Dominicæ passionis scelera verberavit. *Omnia consilia eorum in malum :* Judæi contra Christum, et peccatores contra sanctos.

Inhabitabunt. Unanimiter. *Et abscondent.* Laqueos nequitiæ suæ. *Ipsi calcaneum meum observabunt.* Ut me supplantare possint, sicut voluerunt : vel in numismate census (*Luc.* XX) : vel in muliere deprehensa (*Joan.* VIII). *Ipsi calcaneum meum observabunt.* Judæi finem Christi, et peccatores finem Ecclesiæ : quia septies in die cadit justus, et resurgit (*Prov.* XXIV). Vel, *calcaneum meum observabunt:* sicut dictum est de illa muliere, et serpente (*Gen.* III). Per caput, initium suggestionis malæ, et per calcaneum, finem vitæ. Vel hæretici in qualicumque sermone, finem observare quærunt.

Sicut sustinuerunt animam meam. Ut captum in verbis accusarent apud principes. *Pro nihilo salvos facies illos.* Salvantur enim pro nihilo, cum non commutantur ad gloriam, sed ad supplicia transferuntur. *Pro nihilo salvos facies illos :* quia non fecit Christus propter quod sustinuit, sed expetiverunt Judæi ut illum interficerent. *In ira populos confringes.* Quia impacti sunt in petram offensionis et lapidem scandali. Post hanc ultionem propheta gaudens, prævidens futura decantat.

Deus, vitam meam annuntiavi tibi. Tu es enim vita mea, omnisque populi, qui ad redemptionem venturus es mundi. Unusquisque debet nuntiare per confessionem : sicut Paulus fecit : quando dicebat : Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum : quia ignorans feci in incredulitate (I *Tim.* I). Et item dicebat : Vivo autem jam non ego : vivit vero in me Christus (*Galat.* II). *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo, sicut et in promissione tua. Tunc convertentur inimici mei retrorsum.* Promissiones tuæ erant, ut veteres lacrymas, conversis post tergum inimicis, in gaudia novella transferres : meque cum sanctis cæteris tua gloria munerares. *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo :* hoc est, audisti et vidisti. *Sicut in promissione tua.* Deus promisit sanctis suis bona : sed tamen dicit : Confitere tu prius iniquitates tuas, ut justificeris. *Tunc convertentur inimici mei retrorsum.* Optando dicit Ecclesia, ut qui currunt ad infernum, convertantur ad Deum (*Isai.* XLIII, *sec.* LXX).

In quacumque die invocavero te : ecce cognovi quoniam Deus meus es. In omni enim necessitate tu Deus assistis : misericordiam præstans tuis. *In quacumque die invocavero te*, id est, aut in prosperis, aut in adversis : *Et cognovi quoniam Deus meus es tu.* Vox Ecclesiæ. Aliqui cognoscunt, per creaturam cœli, et terræ : sicut sanctus Paulus dicit : Per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur (*Rom.* I). Et alii per Deum, qui inspirat in animas illorum : sicut Thomæ dixit : infer digitum tuum huc, et mitte manum tuam in latus meum, et cognosce loca clavorum, et noli

esse incredulus, sed fidelis (*Joan.* xx). Et ipse recordatus dicit : Dominus meus et Deus meus.

In Deo laudabo Verbum, et in Domino laudabo sermonem : in Deo sperabo, non timebo quid faciat mihi homo. Laudat iterum propheta Verbum illud, sive sermonem, qui erat in principio apud Patrem : quia sperans in eum, non metuit adversarii minas, dicens :

In me sunt, Deus, vota tua : quæ reddam laudationes tibi. Hæc sunt vota prophetæ, ut laudem Dominicam celebret : sicut alibi dicit : Immola Deo sacrificium laudis (*Psal.* xl). Et cur hæc faciat, adjecit :

Quoniam eripuisti animam meam de morte. Secunda utique. *Oculos meos a lacrymis.* Ne jam necesse esset peccata deflere, ut illud : Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum in die judicii (*Apoc.* vii) : quia dictum est : Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* v). *Pedes meos a lapsu.* Ne ultra laberentur in peccata. *Pedes meos*, hoc est, sensus, *a lapsu*, quia non erit tunc suggestio mala, nec tribulatio. *Ut placeam coram Deo in lumine viventium.* Lumen viventium Christus est, secundum illud : Ego sum lux mundi (*Joan.* viii). Et item : erat lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Ibid.* i). Sicut in Apocalypsi de illa sancta civitate : Lucerna non erat ibi, quia Dominus Deus omnipotens illuminavit eam, et lucerna ejus est agnus, quo sancti ab hujus mundi tenebris eruti clarificantur (*Apoc.* xxi). Hæc propheta non pro se tantum, sed et pro nobis orat. Unde nos deprecemur, ut compressis bellis corporeis, superatis sæculi tentamentis, mereamur Jesu Christo in ipso lumine complacere. Amen.

PSALMUS LVI.

In finem, ne disperdas, ipsi David, in tituli inscriptione, cum fugeret a facie Saul regis Israel, in speluncam. Ipsi David, in tituli inscriptione ne disperdas, hoc est, ne corrumpas tituli inscriptionem : quando scripsit Pilatus super Domini crucem linguis tribus : Jesus rex Judæorum. Et illi : Noli scribere rex Judæorum : sed quia ipse dixit, rex sum Judæorum. Et Pilatus dixit : Quod scripsi, scripsi (*Joan.* xix). David in spelunca absconditus, hoc est, in inferiore parte terræ : præfigurabat corpus humanum, ubi illa majestas fuit abscondita in corpore Christi, ut illud : Traditus sum, et non egrediebar (*Psal.* lxxxvii). Et Paulus dicit : Si enim intellexissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent (I *Cor.* ii).

Miserere mei, Deus, miserere mei : quoniam in te confidit anima mea. Geminata postulatione misericordiæ, confidentiam suam quam in Patre habet, adjungit, ut facilius audiatur. *Quoniam in te confidit anima mea.* Quasi unus homo dicit : sed unus pro multis : quia dictum est : A finibus terræ ad te clamavi, Domine (*Psal.* vi). Et alibi : Erat illis anima una et cor unum (*Act.* ii). *Et in umbra alarum tuarum sperabo.* Id est, in protectione paterna. A calore umbra quæritur : sed per calorem persecutio, vel tribulatio intelligitur, et per umbram protectio divinitatis ; ubi semper confugere debemus. Sed duæ

A alæ, duo Testamenta, vel duo præcepta charitatis. *Donec transeat iniquitas.* Insultatio iniquorum. Docet enim per hæc in spiritualium alarum sperare protectionem. Hinc propheta loquitur.

Clamabo ad Deum altissimum : Deum qui benefecit mihi. Hæc sunt quæ post dinumerata bona sequuntur. *Donec transeat iniquitas*, hoc est, diabolus cum suis membris, vel suis satellitibus. *Clamabo ad Deum altissimum.* Clamavit Christus ad Deum Patrem, et oravit pro falsis fratribus. Et Ecclesia pro inimicis orat. *Et ad Deum qui benefecit mihi*, id est, fecit me ex nihilo ad suam imaginem, et dedit mihi omnia bona præsentis vitæ, et postea in futuro vitam æternam promisit.

Misit de cœlo, et liberavit me. Misit Filium suum
B de cœlis, ut hominem a peccato erueret : vel genus humanum de potestate diaboli, vel de inferno. *Misit in opprobrium conculcantes me.* Impios et peccato obnoxios, qui verbum propheticum negligebant. Vel ut alibi : Dedit apostolis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici (*Luc.* x).

Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam. Misericordia et veritas Christus est. In uno continentur : nec una sine altera. Si sola misericordia fuisset, licentia fuisset peccare; et si sola veritas, non potuisset homo sustinere. *Animam meam eripuit de medio catulorum leonum.* Leones, principes Judæorum : catuli, plebs subjecta : qui clamabant, crucifige eum. Leo, diabolus, juxta Epistolam Petri :
C Adversarius vester diabolus circuit quasi leo, quærens quem devoret (I *Petr.*). Propterea ipse Dominus misericordia ac veritas intelligitur, qui missus a Patre, animas nostras eripuit de dæmonum potestate : qui nos con sæculi leones devorare nitebantur : qui et nunc loquitur, dicens : *Dormivi conturbatus.* Dormivit enim in somno passionis cum diceret : Nunc anima mea turbata est (*Psal.* vi) : quia dictum est : ego dormivi, et soporatus sum, et exsurrexi : quoniam Dominus suscitavit me secundum illud : Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem iterum sumendi eam (*Joan.* x).

Filii hominum dentes eorum arma, etc. Inimicorum dentes quasi arma impugnantium esse dicit quos Dominus sua resurrectione confregit.

D *Exaltare super cœlos, Deus*, etc. Nullus est modus exaltationis divinæ. Nos vero nihil aliud de cœlis quam quæ vidimus novimus. Nam cum ait, *super cœlos :* notitiam excedit humanam. De gloria autem quæ super terram est, illud intelligitur quod alibi ipse Dominus ait : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matt. ult.*). Hinc iterum Dominus :

Laqueum paraverunt pedibus meis. Cum mihi interrogationes inferebant dolosas. *Et incurvaverunt animam meam.* In morte, sed non fuit perpetualiter subdita morti. Sic voluerunt Judæi Christum incurvare : ut non nominaretur nomen ejus.

Foderunt ante faciem meam foveam, et ipsi inciderunt

runt in eam. Cum post resurrectionem inimicis traditi, capti, interfecti atque dispersi sunt.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo et psalmum dicam Domino. Exsultat et concinit de triumpho mortis illius liber. *Cantabo,* prædicabo: *Psalmum dicam,* opere complebo.

Exsurge, gloria mea; exsurge, psalterium et cithara: exsurgam diluculo. Diluculo enim resurrexit, mane cum adhuc tenebræ essent super terram. Sic enim psalterium et cithara: hæc enim dictio Davidica cecinerat: *exsurge, psalterium et cithara.* Quid significant ista organa? unum de supernis, aliud de terrenis. Quid intelligitur psalterium? Christus intelligitur ut illud: Ite, dicite Joanni quæ vidistis, et audistis: Ad lumen redeunt cæci, mortui resurgunt: pauperes evangelizantur, et beatus qui in me non fuerit scandalizatus, hoc est divinitas operata per carnem (*Matt.* XI). Cithara de terrenis, hoc est lassescere, dormire, egere, esurire, sitire, vel cætera. Aliter: Psalterium ad nos pertinet, spes, fides, charitas, longanimitas, bonitas, vel alia his similia. Per citharam, sex opera misericordiæ intelliguntur, quæ debemus implere, id est, esurivi, sitivi, hospes eram, nudus, infirmus, in carcere. Item *psalterium,* id est, in tribulatione gratias agere Deo: de supernis venit per quem sustines. *Cithara,* persecutio et tribulatio quæ in corpore sustines. *Exsurgam diluculo.* Respondit Christus ad Patrem. Unde superius dixit: *exsurge, gloria mea.*

Confitebor tibi in populis, Domine, et psalmum dicam tibi in gentibus. Quas per prophetas, vel apostolos vocavi. *Confitebor tibi in populis, Domine,* hoc est, postquam resurrexero. *Psalmum dicam tibi inter gentes,* id est, prædicare, opere implere.

Quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua. Mea enim resurrectione pacificata sunt omnia tibi, quæ in cœlo et quæ in terra sunt. *Et usque ad nubes veritas tua.* Complens per prophetas quæ nobis prædixeras. Cœli, sunt sancti quando de supernis contemplantur: nubes, quando irrigant corda humana de prædicatione.

Exaltare super cœlos, Deus. Propheta hæc dicit de gloriosa Christi ascensione. *Et super omnem terram gloria tua.* Cum effuderis donum Spiritus sancti in omnem carnem. Quod et nunc nobis præstare digneris, ut in cunctis pressuris ac tribulationibus universis mittas Spiritum tuum sanctum: cujus ope ac præsidio, sive munitione protecti, ad æterna gaudia præparari, ad cœlestia transferri præmia mereamur. Amen.

PSALMUS LVII.

In finem, ne disperdas, David, in tituli inscriptione. Vos suggeritis falsitatem, ego non corrumpam veritatem: quod scripsi, scripsi (*Joan.* XIX). Psalmus vocem continet Prophetæ de judiciis atque justitia commonentis.

Si vere utique justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum. Edocet ut quisquis mortalium judicio A usus fuerit publico, si verum loquitur, et verum judicet: nec ponat blanditiis sermonum muscipulam deceptionis, per quam occulte interimat innocentes. *Si vere utique justitiam loquimini: justa judicate, filii hominum.* Judæi justa loquebantur ad Christum, quando dicebant: Magister, scimus quia verax es, et in veritate viam Dei doces (*Matt.* XXII). Non judicabant justa, quando petierunt Barabbam, filium mortis, et interfecerunt Christum, filium vitæ (*Joan.* XVIII). Vel aliter: *Justa judicate,* id est, vos qui judicatis justitiam bonam esse, *recta judicate,* hoc est, quod tibi non vis, alteri ne facias.

Etenim in corde iniquitates operamini in terra. In hac terra quam habitatis, cogitatione mala, dum bona videmini loqui. *Iniquitatem manus vestræ concinnant.* B Opera enim vestra quæ secundum allegoriam manus accipiuntur, iniquitate repleta sunt.

Alienati sunt peccatores a vulva. Quidam de descensu animæ in corpus, alii vero de Judæis intelligunt: quod abalienati sunt a Deo: ex quo Maria genuit Salvatorem. *Erraverunt ab utero, locuti sunt falsa.* Præscius futurorum Deus, iniquitatem ipsam, prius quam nasceretur, exterminat. Ideo peccatores falsa loqui dicit, eosque errare atque alienari prophetat, sicut quondam de Esau qui priusquam gigneretur, ab hæreditate Dei est repulsus (*Malach.* I *et Rom.* IX).

Furor illis secundum similitudinem serpentis. Illis, qui obiter per iram devorare, veneficis morsibus, Dei famulos volunt, et per pœnitentiam negligunt. *Sicut* C *aspidis surdæ, et obturantis aures suas,* etc.: Diabolum vel satellites ejus dicit: qui cum quotidie noceant, et eis utique qui canticum per invocationem Dominici nominis indicamus: Illi obturato aurium aditu, sævire non desinunt. Aspis genus serpentis. Ille homo qui incantat, Marsus [a] dicitur, et trahit illas de tenebris ad lumen.

Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confringet Dominus. In dentibus, aperta persecutio, in molaribus significatur abscondita. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum:* ne lacerare valeant iniquis morsibus servos ejus. *Molas leonum confringet Dominus.* Malarum nequitiarum insidias: qui quasi molares leonum dentes ad validiorem morsum habentur.

D *Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens.* Sicut enim aqua decurrens, aut absorbetur a terra, aut in mari deficit: ita et isti ad hoc deducuntur ut pereant. Sicut aqua quæ ab initio sæculi in gyro vadit: ita ipsorum est doctrina. *Aqua decurrens,* quod est torrens, hoc est, aqua quæ montibus decurrit in valles. Vel sicut aquæ hyemales cum veniunt, statim siccantur: sic isti cito transeunt. Unde dictum est: De torrente in via bibit (*Psal.* X). Dominus de torrente in via bibit, quia de nostro accepit. *Intendit arcum suum donec infirmentur.* Per arcum, iræ et comminationes Dei intelliguntur. Unde dixit: Nisi conversi fueritis, id est, de super-

[a] Notum illud Ovid. de Medic. fac.: Nos media, Marsis finduntur cantibus angues.

bia ad humilitatem; arcum suum vibravit, sicut Paulus audivit: Saule, Saule, quid me persequeris (*Act.* IX)? *Intendit arcum suum*, futurum judicium: *donec infirmentur:* hoc est, usque dum evanescant insidiæ eorum.

Sicut cera quæ fluit, auferentur. Sicut enim cera igne dissolvitur, ita et isti futuro judicii igne perdentur. *Supercecidit ignis*, Judicium mortuis: *Et non viderunt solem*. Non intellexerunt Christum Dominum, qui est sol justitiæ, de quo in judicio dicturi sunt impii: Et sol justitiæ non luxit nobis (*Sap.* V). *Cecidit ignis, et non viderunt solem*. Peccatores Christum ignem vident, justi solem justitiæ. Aliter: Qui comminationibus Scripturarum territus agit pœnitentiam, huic per ignem suppliciorum sol verus ostenditur.

Antequam intelligant spinæ vestræ rhamnum. Quasi vivos, quasi in ira absorbet eos. Antequam peccata vestra ad finem usque perveniant, et cogitationum spinæ in arborem ebulliant peccatorum: Deus vos corripiet non iratus, sed quasi iratus. Non est quippe Dei ira, sed emendatio, et corripiet vos non ut vivos, sed quasi vivos. Qui enim spinas habent delictorum, vivi non merentur vocari. Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, hæc ad populum peccantem loquitur: Rhamnus septium genus est asperrimum aculeis, et flore gratissimum. Unde intelligitur duplam habere virtutem: ultionis et bonorum retributionis: id est, justis floret ad ornatum, peccatoribus præbet spinas ad [a] confringendum.

Sicut viventes, sicut in ira absorbet eos. Velociter eos absorbet pœna, quia qui non crediderit, jam judicatus est (*Joan.* III). *Viventes*, id est, sapientes mundi qui per illorum sapientiam putant se, quasi viventes sint. Sed sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum. Sed ira Dei quam dicit, justa vindicta est.

Lætabitur justus cum viderit vindictam. Impiorum: quia quando illi damnantur in pœnis, isti lætificantur in præmiis. *Manus suas lavabit in sanguine peccatorum*. Quia difficilis est hic versiculus ad intelligendum: ipsa verba quæ anteriores tractaverunt, educam; Hilarius beatus antistes et, ut ita dicam, inter procellas mundi magnus sustentator Ecclesiæ, ita de eo dicit: « Justus manus suas, non peccatorum sanguine abluit: sed cum peccatores in sanguine sint, quia rei sunt sanguinum, manus suas ille ab omni reatu sanguinis continebit ablutas. » Tunc lavat justus manus in sanguine peccatorum cum vindictam de ipsis viderit, non procurantibus sanctis, et tunc lætabitur, cum post exitum eorum, ejus opera gloriose refulgent.

Et dicet homo si utique est fructus justo. Tunc enim erit ejus fructus, cum ei Christus Dominus cœlorum regna participaverit. *Utique est Deus judicans eos in terra*. Illi ante judicium finis in hac terra judicantur, de quibus superius diximus: Qui non crediderit, jam judicatus est. Et nos si in præceptis Dei, aures non obturamus: si sanctorum monita, cum innocentia exsequamur, si nostrorum spinis facinorum non affligamur: si manus ab omni sanguine immunes cum innocentibus abluamus, honorabit nos Jesus Dominus dignis præmiis, quibus sancti cum ipso perpetualiter collætantur. Amen.

PSALMUS LVIII.

In finem, ne disperdas David in inscriptione tituli: quando misit Saul custodire domum ejus ut interficeret eum. Iste psalmus quia David docet per titulum custodire, Dominicæ passionis declarat mysterium, dicens:

Eripe me de inimicis meis, Deus meus, etc. Per hos inimicitiarum gradus usque ad effusionem ascenditur sanguinis. Inimici etenim fuerunt Judæi Jesu Christo Domino nostro, cum ei invidebant occulte. Insurrexerunt contra eum, cum præceptis ejus obviaverunt. Operarii iniquitatis effecti sunt, cum manus armaverunt ad interfectionem. Viri sunt facti cruoris, cum sanguinem justi super se suosque filios futurum esse dixerunt (*Matth.* XXVII).

Quia ecce ceperunt animam meam: irruerunt in me fortes. Ut me traderent morti.

Neque iniquitas mea neque peccatum, Domine, sine iniquitate cucurri, et direxi. Non hæc David de se dicere potuit, qui se in alio psalmo plenum peccatis esse cognovit; sed de eo qui peccata nostra portans, sine ullo iniquitatis pondere usque ad exitum corporeæ mortis cucurrit. *Sine iniquitate cucurri, et direxi*. Et iste psalmus ex persona Domini intelligi potest. Ait quippe: Venit princeps mundi istius, et invenit in me nihil (*Joan.* XVI). Vel certe *cucurrit*: id est, de cœlo venit in uterum, de utero in præsepe, de præsepi in crucem: de cruce in sepulcrum: de sepulcro ad inferos: de inferis victor remeavit ad cœlos. *Et direxit*, non sensus suos, sed nostros, quia pravi erant, et tortuosi. Unde propheta dixit: Et erunt prava in directa, et aspera in vias planas (*Isai.* XIV).

Exsurge in occursum meum. Ad Patrem hæc loquitur, a quo se in Evangeliis clarificari precatur. Qui et tamquam occurrens, manumque porrigens, respondit dicens: Et clarificavi, et iterum clarificabo (*Joan.* XII). Quem occursum usque ad visitationem gentium extendi postulat, dicens: *Sed exsurge in occursum mihi:* id est, fac illos intelligere de illo cursu quem habui, quod ego æqualis tibi. Unde ait: A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus (*Ps.* XVIII): hoc est, Deus Pater super omnes creaturas spirituales. *Et vide*. Ac si dicat: ut facias tu eos videre: id est, ut credant me æqualem tibi.

Et tu, Domine Deus virtutum, Deus Israel: intende ad visitandas omnes gentes: non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem. Ut cum justos visitatio divina respicit, illos peccati pœna constringat. *Et tu, Domine Deus virtutum:* id est angelorum et homi-

[a] **Malim reponi, *ad confingendum*.**

num. *Deus Israel:* hoc est, Deus animarum videntium Deum. Christus ad Patrem: *Intende ad visitandas omnes gentes*, non solum in Judæa, sed etiam et in gentibus.

Convertantur ad vesperum, et famem patientur ut canes. Usque ad exitum vitæ suæ, famem verbi Dei patientur, nec arguuntur in diversis malis, ut pœnitentiam agerent. *Et circuibunt civitatem.* Sed nullam solemnitatum jucunditatem ac sacrificiorum in ea reperiunt. Vel de his loquitur, qui in fine ex Judæis credituri sunt. Cum enim subintroierit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus erit (*Rom.* XI).

Ecce loquentur in ore suo: et gladius in labiis eorum. Blasphemiæ et infidelitates eorum, gladio comparatæ sunt. *Quoniam quis audivit.* Nemo enim hominum audit, cum hi a Domino irridentur, sicut sequitur.

Et tu, Domine, deridebis eos. Qui te in risu et despectu habent. *Pro nihilo deduces omnes gentes.* Illas quæ te resurrexisse non credunt. Nam sunt in his multi credentes: qui non irridentur a Deo. Vel, *omnes gentes*, qui ligna, et lapides adorabant: nullis meritis præcedentibus, adducit illos Deus ad cognoscendam veritatem.

Fortitudinem meam ad te custodiam. Id est omnes virtutes meas ad te custodiam, non ad me, sed ad te; quia semper in ipsis tibi laudes refero, non meis viribus. Unde Paulus dicit: Si enim accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis (I *Cor.* IV)? *Fortitudinem meam ad te custodiam, quia, Deus, susceptor meus es.* Fortitudinem illam custodiam dicit, quia animam ejus nemo auferre potuit, ipso dicente: Nemo eam auferet a me: sed ego potestatem habeo tollendi, resumendique eam (*Joan.* X). *Deus meus, misericordia ejus præveniet me.* Prævenit illum misericordia Patris: cum prius centurio eum Deum confessus est, quam videret ab inferis resurrexisse. Sed et multi percutientes pectora sua, revertebantur dicentes: Vere Filius Dei erat iste (*Marc.* XV).

Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos: nequando obliviscantur populi mei. Ut et si non credant, tamen intelligant eum esse Deum, juxta illud: et videbit omnis caro salutare Dei nostri (*Luc.* XXXIV). Et non occidas illos, ne forte obliviscantur nominis tui.

Disperge eos in virtute tua. Noli penitus delere Judæos: quia populus tuus semper est appellatus, sed in toto orbe disperge, ut saltem sic emendati, superbire desistant, ut vel in hac dispersione scelus suum pœnitendo deplorent. *Et depone eos, protector meus Domine. Delictum oris eorum, sermones labiorum ipsorum.* Destruantur in malitia sua: propter verba quibus Christum tuum negaverunt, et tamen filios Abrahæ se esse jactitant. *Comprehendantur in superbia sua.* Hoc est, humiles fiant.

Et de exsecratione et mendacio annuntiabuntur in consummatione. Exsecrabantur enim Dominum: cum eum filium Joseph fabri dicebant (*Matth.* VI). Innectebant mendacium, cum eum dæmonium habere

A aiebant (*Matth.* IX). *In ira consummationis, et non erunt.* Ut non possint perseverare in malitia sua, sed in ea consummentur.

Et scient quia Deus dominabitur Jacob, finium terræ. Nam sunt nonnulli qui se descendere ab Jacob genere gloriantur. Et *finium terræ:* id est omnium gentium.

Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem. Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non fuerint saturati, et murmurabunt. Post diapsalma, iterat sententiam, qua inimici famem patientur ut canes: dum legis litteram cum circumcisione carnali, et sacrificia de nece pecudum prosequuntur. Sed quia in peregrinatione hæc celebrant, nec ab his reficiuntur spiritualiter, murmu-
B rant contra Deum. Hinc propheta Dominicæ mysterium resurrectionis contuens, exsultat et dicit:

Ego autem cantabo fortitudinem tuam, Domine. Quia vicisti mortem. Vel fortitudinem divinitatis: quomodo vicit diabolum, hoc prædicabo. *Et exsultabo misericordiam tuam.* Quia diluculo surrexit. *Mane*, hoc est, quando convertit in juventute. Vel *mane*, initium fidei catholicæ: vel *mane*, ut dixi, resurrectionem.

Quia factus es susceptor meus et refugium meum in die tribulationis meæ. Suscepisti me protectione præsidii tui, ne cum his conjungeretur conscientia mea.

Adjutor meus, tibi psallam: quia, Deus, susceptor meus es: Deus meus, misericordia mea. Ipsi se Domino propheta pollicetur jugiter psallere, cujus ope
C adjutus atque susceptus est. Qui et nobis præstare dignetur, ut adjutorio ejus muniti, misericordia adjuti, resurrectione glorificati, mereamur in Ecclesia sancta laudes ejus immaculatis sensibus exaltare. Amen.

PSALMUS LIX.

In finem, pro his qui commutabuntur in tituli inscriptione, ipsi David in doctrinam, cum succendit Mesopotamiam Syriæ et Syriam Sobal, et convertit Joab, et percussit Edom in valle Salinarum duodecim millia. Quæritur ubi hæc historia scripta sit. In Regnorum libris, quæ hic manifestissime legitur (II *Reg.* VIII). Sed ibi pro *valle Salinarum* LXX Interpretes ipsa Hebræa verba posuerunt, GEMELAH. Sed quia interpretatum non est, ab his qui Hebræi sermonis non habent notitiam, quid significet ignoratur.

D *Deus, repulisti nos et destruxisti nos.* Pertinet ad populum Judaicum. Quando illum permittebat Deus tribulari: quasi tunc videbatur repellere. Et modo Ecclesiam videtur repellere, quando illam permittit tentari per tribulationem. Nam aliter non repellit: quia dixit sanctus Paulus: Non repellit Deus plebem suam, quam præscivit (*Rom.* XI). Unde et vox ad Jeremiam Prophetam ait: Vade, et destrue, et dissipa, et evelle, et ædifica (*Jerem.* I). Ac si dixisset: Destrue vitia et peccata, et ædifica virtutes. Repellit nos ac destruit, cum peccamus. Miseretur et ædificat cum ad eum pœnitendo revertimur. *Iratus es, et misertus es nobis.* Ira Dei justa vindicta dicitur.

Commovisti terram. Corporis utique nostri. *Et con-*

turbasti eam. Cum tribulos produceret et spinas. *Sana contritiones ejus, quia commota est.* Mota est enim a malitiis : ut fructum exhibeat sanctitatis.

Ostendisti populo tuo dura. Ut te attentius quæreret. Castigas enim omnem filium quem recipis (*Hebr.* XII). *Ostendisti populo tuo dura :* hoc est, tribulationem. Unde sanctus Paulus dicit : Qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patiuntur (II *Tim.* III). *Potasti nos vino compunctionis.* Ut confusi in facinoribus, compunctio sit ad te revertendi. Per vinum, lex populi Dei intelligitur, et ipsa compunctio gratia Dei est.

Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus, ut liberentur dilecti tui. Præbuisti baptismum, quo abluti, fugeremus a futura ira : per quod non solum peccatores, sed etiam dilecti tui liberantur. *Salvum fac dextera tua.* Christo tuo, qui est salus nostra. *Et exaudi me.* Cum te invocavero. Dextera Patris, Filius est. *Salvum fac.* De illis dicit qui salvandi erunt, quando Filius tuus mittet me in dexteram tuam in die judicii. Unde in alio loco dicit : Dextera Domini fecit virtutem (*Psal.* CXVII).

Deus locutus est in sancto suo. Pater in Deo homine, de quo Gabriel ad Mariam ait : Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei (*Luc.* I). Vel ut sanctus Paulus dicit : Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi (I *Cor.* IV). *Lætabor et dividam Sicemam, et convallem tabernaculorum metibor.* Quidam Sicemam Samariam putant : convallem vero tabernaculorum, hanc habitationem terrenam. Ergo cum venerit Dominus in lætitia splendoris æterni judicare mundum, dividet Samariam : ac convallem tabernaculorum dimetietur. Tunc aliam partem ad beatitudinem transferet : aliam vero quam injustam reperiet, cum infidelibus puniet.

Meus est Galaad, et meus est Manasses, et Ephraim fortitudo capitis mei. In Galaad atque Manasse, totum sibi subjectum indicat mundum. In Ephraim vero populi futuri : id est, Ecclesiæ congregandæ speciem signat : propter benedictionem Jacob, quam in eum effudit. Fortitudinem autem, ipsam Ecclesiam dicit, cujus factus est caput. *Meus est Galaad, meus est Manasses.* Universa hæc de gentium vocatione dicuntur : quarum diversæ virtutes, sub singulorum nominum interpretatione referendæ erunt.

Juda rex meus. Quia ex tribu Juda ortus est Christus. Quia non deficiet princeps de stirpe ejus : donec veniat Dominus, ut dixit Jacob : Juda, te laudabunt fratres tui : manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum. Tu dominaberis super fratres tuos (*Gen.* XLVIII) : Christus intelligitur per Judam, ut illud : Vicit leo de tribu Juda (*Apoc.* V, 5). *Moab olla spei meæ.* Moab in Genesi maledictionis suscepit opprobrium (*Gen.* XIX) : qui post decem generationes recipitur in Ecclesia Dei (*Deut.* XXIII). Ideoque et olla spei, quasi post conversionem urens crudelitatem peccati. Spes enim Dei de peccatoribus hæc est, ut decoctis peccatis, convertantur et vivant. Inde dicit Jeremias propheta : Vidi ollam succensam, et facies

A ejus a facie aquilonis (*Jerem.* I). Et alibi dicit : Ab aquilone exardescent mala, quæ sunt super terram (*Ibidem*) : id est, tribulationes veniunt a diabolo super terram, quæ est Ecclesia, sicut Paulus dicit : Tribulatio patientiam operatur : patientia autem probationem : probatio vero spem : spes vero non confunditur, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* V).

In Idumæam extendam calciamentum meum. Usque in regionem Esau, apostolorum pedes dirigendos esse pronuntiat : quia in calciamentis, pedes : in pedibus vero gressus apostolici intelliguntur, juxta illud : Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona (*Nahum* I *et Rom.* X)! Idumæa B interpretatur, *sanguinea*, sive *terrena*. Ac si dicat : In istos tales ostendam calciamentum meum, id est, mea exempla. *Mihi alienigenæ subditi sunt. Alienigenæ :* id est, gentes : subditæ sunt Ecclesiæ. In Allophylis, alienarum gentium pravitates ostendit, qui usque ad adventum Christi, in ignorantiæ tenebris residebant. Nunc autem subditæ, id est, humiliter auscultantes prophetiam, quæ Christum annuntiat : per fidem suam, lucem vident magnam.

Quis deducet me in civitatem munitam? Christus Dominus qui avertit impietatem ab Jacob : ipse deducet nos in civitatem Jerusalem : in qua sancti divinam circumstant majestatem. Vel, *in civitatem munitam :* hoc est, in Ecclesiam : quæ munita est per fidem. *Aut quis deducet me usque in Idumæam?* Ille C qui se superius calciamenta extendere repromisit, ipse etiam prophetiam, id est, prædicationem propheticam dirigi jubet in eam.

Nonne tu, Deus, qui repulisti nos? Ut probatos agnosceres. *Repulisti*, propter transgressionem nostram, vel peccatum Adæ : hoc est, destruxit idololatriam, vel nostra vitia et peccata. *Et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris.* Quia peccatis infirmi sumus.

Da nobis auxilium de tribulatione : quia vana salus hominis. Audiant hæc qui spes suas in potentatibus hominum, vel in terrenarum divitiarum splendoribus ponunt : quia vana est salus hominis, et Deus solus opportunum tribulationibus nostris præstat auxilium.

D *In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.* In ipso sit virtus nostra : in ipso omnis gloria, et ipse ad nihilum rediget tam vitia, quæ nos tribulant, quam inimicos, qui nos impugnant et a spe æternitatis revocare conantur.

PSALMUS LX.

In finem, in hymnis, Psalmus David. Vocem continet gratulantis prophetæ de æternitatis beatitudine.

Exaudi, Deus, deprecationem meam. Fiducialiter se audiri postulat, quia scit se sanctum. *Intende orationi meæ.* Ac si diceret : Vide eam si justa vel pura sit, ubi tu solus audis et vides in corde : sicut ad Moysen dictum est : Quid clamas ad me (*Exod.* XIV)?

Numquid voce clamoris dicit? Non: sed voce cordis clamat.

A finibus terræ ad te clamavi: dum anxiaretur cor meum. Non de extremis terræ terminis, sed de hujus corporis habitaculo quod superindui cupit, et ex intimi cordis dolore clamavit, ut absorbeatur hoc quod mortale est a vita. *A finibus:* id est, a quatuor partibus mundi: quasi unus homo clamet. Vel unus homo, est una Ecclesia. Propter unitatem dicitur una. Unde et in Cantico canticorum dicitur: Una est columba mea (*Cant.* VI), id est, Ecclesia in toto mundo diffusa. *Dum anxiaretur:* id est, propter transgressionem aliorum. Vel finem meum: dum nescit homo exitum suum. *In petra exaltasti me: deduxisti me quia factus es spes mea.* In Christo se exaltatum dicit, qui secundum Apostolum, et petra stabilis, et credentium spes nominatur. *In petra exaltasti me:* hoc est, in temetipso, ut illud: Petra autem erat Christus (I *Cor.* X). Petrus de petra. Unde Dominus dixit: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam (*Matt.* XVI); et alibi: Venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit; fundata enim erat supra firmam petram (*Matt.* VII), quæ est Christus. *Deduxisti me:* id est, in temetipso: quia tu es dux meus, tu es viator meus. *Quia factus es spes mea.* Vox Ecclesiæ ad Christum. Ac si dicat: Quomodo tu resurrexisti immortalis, et nos sic credimus resurgere. *Turris fortitudinis a facie inimici.* Hæc enim spes, Christus Dominus, turris nobis factus est a facie diaboli, vel nequitiarum ejus, ut nos ab ejus insidiis muniat ac defendat. Sed et Deus Pater factus est nobis turris fortitudinis: exaltans nos in petra, id est, in Christo suo. Tu, Christe, turris fortitudinis, qui vicisti diabolum, et dignatus es pati propter nos. Sunt ergo turres infirmitatis, id est, illi qui confidunt in virtute sua, sicut in Evangelio dicitur: Si quis vult turrem ædificare, et non computat sumptus ejus, et reliqua, postea qui viderint illudent ei dicentes: hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula. In illo utique, ubi sine fine mansuri Deum jugiter contemplabimur. *Protegar in velamento alarum tuarum,* etc. Dum adhuc commoror in hoc corpore, tua muniar protectione. *Protegar:* id est, defendar. *In velamento alarum.* Alæ tuæ, duo Testamenta sunt, quibus protegitur Ecclesia. Vel sub protectione divinitatis.

Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum. Id est, in regno cœlorum præstitisti eis, ut in vitam æternam hæreditent.

Dies super dies regis. Regi æterno: id est, Christo Domino, dies æterni sunt, qui quotidie super dies augentur: quod claritatem ejus nulla discriminet nox. *Adjicies annos ejus usque in diem generationis et generationis.* Generatio igitur hujus regis prima est: qua de Deo Patre ineffabiliter nascitur. Secunda, qua factus est primogenitus mortuorum, quæ extenditur usque ad illam generationem futuri judicii, de qua Dominus ait: Vos qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matt.* XIX). Ergo adjicientur inter istas generationes regis hujus, et dies et anni, cum congregatis electis, supplantatisque inimicis sub pedibus tradiderit: Regnum Deo Patri, ipsis simul congregatis sanctis, sicut sequitur:

Permanet in æternum in conspectu Dei. Manebit enim æternus in his, quos tradidit Deo Patri in regnum cœlorum, et fecit cohæredes, et conformes ac participes sibi, nullo jam in his mortis dominio dominante. *In conspectu Dei:* id est, ubi non erit mutabilitas. *Misericordiam et veritatem ejus quis requiret?* Misericordia est: quia indulget nostra peccata. Veritas, ut amplius non peccemus, ut peccatum super peccatum non inducamus. *Quis,* propter quid hic dicit? Quia pauci sunt qui aliquid boni habeant, et Deum requirant, sed plus dicunt eorum virtute vel suis viribus, quam Dei donum. *Misericordiam et veritatem quis requiret ejus?* Non ejus requiritur misericordia ac veritas ab eis, qui in plenitudine Dei consistunt: Sed nec his quidquam deest, juxta illud oraculum Salvatoris: In die illa nihil rogabitis Patrem (*Joan.* XVI). In hac ergo plenitudine propheta spem ponens, subjecit:

Sic psallam nomini tuo, Deus, in sæculum sæculi. Vox Ecclesiæ. *Psallam,* prædicabo, et opere complebo. *Ut reddam vota mea de die in diem. Ut reddam vota mea:* id est, quidquid spopondimus Deo custodire: *De die in diem:* hoc est, et hic te semper laudare, et in futuro sine fine. Psallet assidue et vota jugiter reddet, cum corruptio corporis hujus induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem, et refulserit (I *Cor.* XV). Quod et nobis præstare dignetur, ut conformes facti gloriæ suæ: eruti a corruptione mortis secundæ, psallere mereamur nomini ejus in spiritualium oblatione votorum.

PSALMUS LXI.

In finem, pro Idithun, Psalmus David. Iste psalmus plenum in Deo affectum prophetæ edocet, dicens:

Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Potest hoc et homo ille dicere: qui, relictis vanæ deliramentis philosophiæ, ac erroris idololatriæ cœno, mundo se corde Domino subdidit.

Nam et ipse Deus meus, et salutaris meus. Scit enim salutare mundi, Jesum Christum hominis formam suscepisse, qui se transferat a morte in vitam. Ab ipso enim Deo salutare meum: sicut dixit Simeon: Quia viderunt oculi mei salutare tuum (*Luc.* II). Et in alio loco dicit: Salutare vultus mei, Deus meus (*Psal.* XLI). *Adjutor meus, non movebor amplius.* Firmiter enim se in eo staturum confidit. Adjutor meus in præsenti, susceptor in æternitate. Ipse postea non timet cadere. Non habet ubi currat amplius, nisi usque ad Deum. Apostoli dixerunt ad Christum: Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis (*Joan.* XIV).

Quousque irruitis in hominem, interficitis universi vos, tamquam parieti inclinato, et maceriæ depulsæ? Non vult acquiescere iniquis, qui tenues hominum ac vitiosas mentes, in nova facinora inclinare compellunt. Interficietis vos omnes. Qui voluntatem habet occidendi, etiamsi non percutiat, occidit. *Quasi parieti inclinato, et maceriæ depulsæ.* Cum ego passionem pati advenerim, vos quasi invitum mori cogitis. Aliter, juxta Symmachi tamen interpretationem: *Naturalis in vobis inversus est sensus: ut cum recti sitis creati, proni ad ruinam feramini.*

Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere: cucurri in siti. Declinat a talibus, qui non solum peccatores impugnant; sed etiam justis honorem auferre nituntur. Ideo currit in sancta siti; quia beati sunt qui esuriunt, et sitiunt justitiam (*Matt.* v). *Cucurri in siti.* Cucurrit Christus de cœlo, venit in uterum, de utero in præsepium: vel cætera his similia. Cucurrit sitiens, venit ad fontem: esuriens venit ad arborem. Vel sitivit, id est, in cruce salutem humani generis sitivit. Unde dictum est: De torrente in via bibit (*Psal.* cix). Et sancti currunt et sitiunt: Currunt, ut Paulus dicit: Cursum consummavi, fidem servavi (II *Tim.* iv). Sitiunt, ut dictum est: Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur. *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.* Proferebant ad seducendum ore venefico bona, cum mala cordibus retinerent.

Verumtamen Deo subjecta erit anima mea: ab ipso enim salutare meum. Nam et ipse Deus meus, et salutaris meus, adjutor meus non emigrabo. In Deo salutare meum, gloria mea Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. Post interjectionem Diapsalmatis profitetur se sive adjutorium, sive gloriam ab ipso habere, qui nobis de his omnibus a passionis suæ contumelia reliquit exempla.

Sperate in eo, omnis congregatio populi. Ipse est et auxilium, et spes: in quo omnis cœtus ecclesiasticus sperare debet ac deprecari, sicut sequitur: *Effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum.* Si cum fletu ei occulta cordium reseramus, ut omnes faciunt sancti, adjutoria ejus adipiscemur. Nam quia hæc peccatores omittunt, adjecit:

Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris ut decipiant, ipsi in vanitate in idipsum. Qui sub justitiæ ponderatione atque eloquentiæ vanitate, decipiunt innocentes. Filii hominis, filii Adam, filii transgressoris. Unde dicit: Filii hominum usquequo gravi corde (*Psal.* iv)? *Mendaces filii hominum in stateris.* Salomon dicit: Pondus et pondus, mensura et mensura: utrumque abominabile apud Deum (*Prov.* xx). Et in alio loco dicit: Statera dolosa abominabilis Domino, et pondus æquum voluntas ejus (*Prov.* xi).

Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere: divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Quia qui in his speraverit, regnum capere cœleste non potest. Unde dicit Apostolus ad Timotheum: Præcipe divitibus hujus sæculi non sperare in in-A certo divitiarum; sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum (I *Tim.* vi).

Semel locutus est Deus duo. Quod ait *semel*, firmitatem dictorum ostendit, quod, *duo*, novi veterisque Testamenti unum demonstrat auctorem. *Semel locutus est Deus duo*, hæc audivi; *semel* non ad numerum referendum est, sed ad sententiæ firmitatem. Quæ sunt autem quæ duo pariter audivit? Et posse Deum omnia, et in sui judicii veritate misereri. Quidam ita dicunt: Semel Deus locutus est in Lege, et eadem rursus in Evangelio præcipit. *Hæc audivi, quia potestas Dei est.* Per hæc duo Testamenta, potestatem, misericordiam, justitiamque Dei cognovit: sicut sequitur: *Et tibi, Domine, misericordia, quia tu reddes unicuique juxta opera sua.* Ipse enim omne judicium B accepit a Patre (*Joan.* v), ut negligentibus damnationem, pœnitentibus misericordiam, justis præmia præparet, qui nos a judicio mortis eripiat: nosque sibi quasi alumnos proprios subdat, conformesque corpori suo factos, æternitati perpetuæ dignanter adsciscat. *Quia potestas Dei est.* Potestas fuit, quia omnes creaturas ex nihilo creavit. Misericordia, in regendo, et gubernando. Potestas fuit in diluvio: misericordia liberavit Noe (*Gen.* vii *et* viii). *Quia tu reddes unicuique juxta opera sua:* bona bonis, mala malis. Damnas peccatores, remuneras justos.

PSALMUS LXII.

Psalmus David cum esset in deserto Idumææ. David figuram tenet Christi. David interpretatur *fortis manu*, sive *desiderabilis*. Idumæa interpretatur *san-C guinea*, sive *terrena*. Desertum, hoc est, derelictum, id est, ipse populus Judaicus: vel gentilis, qui in sanguine, vel terrenis videntur commorari. Psalmus adventus Dominici declarat mysterium: de quo se propheta quasi illuminatum cernens, exsultat et dicit:

Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo: Licet omnes sancti in Deo die noctuque vigilent: hic tamen in oratione sua, pleno divinæ lucis splendore refulget.

Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea! In terra deserta, et invia, et inaquosa. Sitit in Deo, et animæ, et cordis affectu: nihil dubium, nihil adversum in se retinens: sed inter ariditates ac solitudines istius sæculi, eum tota mente desiderat: illum habens ardorem, quo justitia Dei sititur. *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea!* D Anima quidem desiderat Deum; sed ad desideratum finem carnis laboribus pervenitur. Ideo multipliciter caro Deum quærit: quia multis afficitur injuriis. Describit justi viri egestatem, tormenta, vigilias, ægrotationem. Sitivit Dominus fidem Ecclesiæ, et esurivit salutem humani generis. Sic et Ecclesia quotidie sitit Christum. Unde dicitur: Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur (*Matt.* v). *Multipliciter caro:* quia plus sustinet caro, quam anima. Quamvis anima per cogitationem crucietur in corpore: corpus tamen sustinet a foris tribulationem. Vult liberari: id est, deponere mortalitatem. *In terra deserta, in invia et inaquosa.* In deserto, ubi non est via neque aqua, mundus intel-

ligitur. Desertum, propter peccatores dicitur. *Sic in sancto apparui tibi.* In hac siti degens, sanctus apparebo tibi. Hic propheta propter spem suam, futurum pro præterito posuit. *Ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam.* Christum utique qui, juxta Apostolum, Patris et virtus, et claritas est. *Virtutem :* quia vicit diabolum, liberavit genus humanum. Virtutem dicit, quia quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (I *Cor.* I). *Sic in sancto apparui tibi :* id est, in sancto desiderio. *Et gloriam tuam:* id est, gloriam resurgentis a mortuis, sedentis ad dexteram Patris.

Quia melior est misericordia tua super vitas. Misericordia tua vitam præstat æternam. Vita præsens sæpe mortem operatur. *Misericordia tua,* qua liberasti nos de potestate diaboli. *Labia mea laudabunt te, Domine. Sic benedicam te in vita mea.* Bene in vita sua labiis Deum laudat, qui in eo vivit : quia scit alibi dictum: Non mortui laudabunt te, Domine (*Ps.* CXIII). Post misericordiam, laus : hic orando, illic laudando. *Et in nomine tuo levabo manus meas.* Perfecti operis bono a te sublimabor : Christus tota die expandit manus in cruce ad populum non credentem, et contradicentem sibi. Velut Paulus in personas sanctorum levans manus puras sine ira, et disceptatione (*Isai.* LXV, *et* I *Tim.* II). Per manus, opera intelliguntur.

Sicut adipe, et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exsultationis laudabit os meum. Non in adipe ac pinguedine hircorum vel agnorum : sicut priscorum holocaustomatum mos est; sed corde puro, et ore mundo concinam nomini tuo. Sicut illud holocaustum in anterioribus acceptum tibi fuit : sic repleatur anima mea de pinguedine gratiæ Spiritus sancti. *Labiis exsultationis laudabit os meum.* Hic orationes, et illic laudationes, et lætitia sempiterna.

Sic memor fui tui super stratum meum. In lectulo pudicitiæ atque sanctitatis memor sum tui : quia immemor sum delectationis mundanæ. *Sic memor fui tui.* Dicit hæc Ecclesia : et in requie, et in tribulatione, non tui fui oblitus. *In matutinis meditabor in te : quia fuisti adjutor meus.* Merito confitentur adjutorem, quia per integritatem fidei, matutina ejus delectatur resurrectione. Utinam et nos per splendorem puri pectoris mereremur in eo spirituali lætitia delectari.

Et in velamento alarum tuarum exsultabo. Cœlestis auxilii protectione se tutandum putat : ideo in eo exsultat. *Adhæsit anima mea post te : me suscepit dextera tua.* Relicto sæculo, Dei dextera, id est, ab ejus salutari se susceptum testatur.

Ipsi vero. Hoc est, inimici. *In vanum quæsierunt animam meam.* Quia incassum ei nocere voluerunt. *Introibunt in inferiora terræ.* In inferno damnabuntur. *Tradentur in manus gladii.* In perpetuitatem tormentorum, quibus detruncandi sunt. *Partes vulpium erunt.* Sortem Herodis, qui a Domino vulpes dictus est, suscepturi (*Luc.* XIII).

Rex vero lætabitur in Domino. Christus in Patre post resurrectionem. *Et laudabuntur omnes qui sperant in eo.* Qui suscepta sacramenta ejus inviolabiliter servaverunt. *Quia obstructum est os loquentium iniqua.* Judæorum et principum sacerdotum os resurgente Domino oppilatum est, crescente testimonio veritatis. Et nos deprecemur Dominum : ut in ejus lucem vigilantes, ipsum jugiter sitientes, mereamur, eo largiente, bonis operibus adimpleri.

PSALMUS LXIII.

In finem Psalmus David. Psalmus vocem continet prophetæ Deum jugiter deprecantis : ut non solum sua peccata, sed et alia malorum venena, ipso protegente, possit evadere. Sed et nos intelligere debemus id quod in eo canitur, in credentibus posse impleri.

Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor : a timore inimici eripe animam meam. Credenti Deum, multa sunt tentamenta, secundum Apostolum : Omnes, inquit, qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutionem patiuntur (II *Tim.* III). Unde intente nos in orationibus vigilare oportet, ut repugnare possimus vitiis. *A timore inimici :* id est, diaboli persecutoris : ut illud : Nolite timere eos qui occidunt corpus : animam autem non possunt occidere; sed potius eum timete, qui potest corpus, et animam perdere in gehennam (*Matt.* X).

Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem : quia exacuerunt ut gladium linguas suas. Malignantur iniqui, et acuunt linguas suas, ut blasphement; sed sanctus hic non conturbatur, quia a Deo protegitur. *A conventu malignantium :* id est, Judæorum, vel persecutorum. *Exacuerunt ut gladium linguas suas.* Alio loco dicit : Lingua eorum gladius acutus (*Psal.* LVI).

Intenderunt arcum suum. Doctrinam suam. *Rem amaram.* Ut doctrinis dolosis decipiant parvulos Christi : sive neophytum in baptismo, sive illum qui adhuc ignorat mysterium doctrinæ cœlestis.

Subito sagittabunt eum, et non timebunt. Cum eum dolose venenosi sagittant. *Subito,* quasi ex improviso : id est, in excessu. *Et non timebunt :* hoc est, Deum et judicium ejus. *Firmaverunt sibi sermonem nequam. Narraverunt ut absconderent laqueos : dixerunt, quis videbit eos?* Cum se in hac malitia firmant, ut hos deceptionis laqueos huic rudi intendant : non putant hoc Deum posse cognoscere : cui nihil occultum latet : qui et nostras quoque animas potens est a sagittis eorum largis pietatis suæ armis defendere.

Scrutati sunt iniquitates ; defecerunt scrutantes scrutinio. Hæretici quoque scrutantur Scripturas sanctas : et non spiritualiter tractantes, vanas exinde proferunt quæstiones, quibus nos per iniquitatem, et dolum cupiunt illaqueare. Sed nil prævalentes, ipsi potius a Deo scrutati atque exinaniti, relicti sunt vacui.

Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus. Si cum sapientia Dei ad alti cordis intellectum quis accedens ista discriminet : id est, veritatem ac falsitatem discernat, tunc Deus exaltabitur. Qui cum sit

altissimus, tamen de eo quando recte sentimus, sublimatur in nobis.

Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum. Intelligentes enim justi cum viderint hunc parvulum quem superius exposuimus, ab hoc persuasionis veneno infici : cum elevaverint vocem suam ut eum corrigant, protinus erunt iniquis verba eorum quasi plagæ. *Et infirmata est contra eos lingua eorum.* Nullam capit stabilitatem elocutio eorum : sed dolus eorum reddet eos infirmos.

Conturbati sunt omnes qui videbant eos. Confusi et conturbati sunt, qui se simili errore implicitos recognoscunt. *Et timuit omnis homo.* Judicium sibi imminere divinum.

Et annuntiaverunt opera Dei : et facta ejus intellexerunt. Compuncti enim corde, intelligunt, annuntiantque mirabilia Dei.

Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo. Sicut impius pro infidelitate sua formidat : ita justus per spem æternitatis suæ exsultat in Domino. *Et laudabuntur omnes recti corde.* Quia Deum visuri sunt. Beati enim mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* v). Qui nobis præstare dignetur, ut a sagittis inimicorum liberi, ab arcu falsitatis erepti, mereamur ab eo protegi, qui sanctis omnibus pro spe salutis, gloriam tribuit immortalitatis.

PSALMUS LXIV.

In finem, Psalmus David, Canticum Jeremiæ et Ezechiel, et populi de captivitate. Iste psalmus in persona Christi cantatur, et de reversione Babyloniæ in Jerusalem, et de nostra ad cœlestem Jerusalem.

Te decet hymnus, Deus, in Sion ; et tibi reddetur votum in Jerusalem. Non theatralibus neque simulacrorum templis, sed tibi, omnipotens, laus ac votum jugiter est reddendum in Sion, id est, in Ecclesia, tuam gloriam speculante : vel in cœlesti Jerusalem dignus commemoraris inhabitator. Reddetur ergo tibi laus, quia Deus es ; *votum*, quia redemptor es.

Exaudi orationem meam. Per Spiritum sanctum : qui gemitibus inenarrabilibus interpellat pro nobis. *Ad te omnis caro veniet.* Ac si diceret : Ad te convertetur omnis homo.

Verba iniquorum. Dogmata philosophorum, fatuitatesque gentilium. *Prævaluerunt super nos.* Cum te nesciremus, quomodo Jeremias dixit : Vere mendacium et vanitatem locuti sunt patres nostri, et non profuit eis (*Jerem.* xvi). *Et impietatibus nostris tu propitiaberis.* Usque in finem nos fuissemus in errore, nisi tu propitius fuisses nostri : qui nos sanguine proprio mercatus es. Sic et Paulus apostolus ait : Qui nos reconciliavit Deo Patri per crucem (I *Cor.* v).

Beatus quem elegisti et assumpsisti : inhabitabit in atriis tuis. Vocat Deus omnes : nec ullum spernit ; sed pauci sequuntur. Ergo qui se dignum ejus electioni præbuerit, cohabitat ei cum apostolis sanctis in tabernaculis sempiternis.

Replebimur in bonis domus tuæ. Id est, Ecclesiæ, quæ diversis munerum spiritualium exuberat bonis.

A *Sanctum est templum tuum.* Homo ille in quo plenitudo divinitatis inhabitat : de quo dicitur ad Mariam : Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei (*Luc.* II) : cum in ea Dominus carnem assumpturus inhabitabit. *Mirabile in æquitate.* Quia non credentibus Judæis, mirabiliter ipse Dominus veritatem aperuit.

Exaudi nos, Deus salutaris noster : spes omnium finium terræ et in mari longe. Providens propheta, terræ, maris, ac finium omnium, spem Christum esse annuntiavit. Quod autem se ab eo exaudiri postulat : sic intelligitur, ac si diceret : Jam veni, ut per te salvari merear.

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia. Ipse Dominus Verbum caro factum est in assumpto B homine. *Accinctus potentia*, celsitudinem montium diabolicæ dominationis oppressit, et sempiternis ignibus præparavit. Accinctus Dei contrahit vestimentum. Non enim possumus expansam fortitudinis suæ vestem cognoscere. *Qui conturbas profundum maris.* Sæculi hujus profundam jactantiam, prædicatione apostolica commovens. *Sonum fluctuum ejus quis sustinebit?* In eversione enim simulacrorum dant dæmonia sonum : illicientes paganos, ut interimant sanctos Dei. Sed hic sonus, Dei potentia oppilatur.

Turbabuntur gentes. Cum sanctis prævalere non potuerint. *Et timebunt termini terræ a signis tuis.* A virtute crucis, quæ eis prius stultitia erat : vel ab his mirabilibus compunguntur. *Exitus matutini, et* C *vespere delectabis.* Matutinis vespertinisque hymnis Ecclesiæ delectatur Deus, per animam fidelem : quæ relicto inanium superstitionum ritu eum devote laudaverit. Per mane, lætitia : per vesperum, tristitia.

Visitasti terram. Visitavit utique terram nostri corporis, assumendo materiam carnis. *Et inebriasti eam.* Non vino luxuriæ, sed infusione Spiritus sancti. *Multiplicasti locupletare eam.* Diversarum opibus gratiarum.

Flumen Dei repletum est aquis. Denique dicit Dominus in Evangelio : Qui crediderit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII). Attende evangelistam : hoc enim dicebat de Spiritu sancto, quem accepturi erant credentes in eum. Nos ergo qui credidimus, jam flumen Dei sumus. Reple- D bimur aqua, cum baptismo abluimur, et si digni sumus ut Spiritu sancto impleamur. Locupletamur ab eodem spiritualis infusionis imbre, cum vitæ perennis fonte repleti, donis spiritualibus irrigamur. *Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus.* Præparasti, inquam, Domine, cibum nostrum in communione beati corporis ac sanguinis tui : quod si digne hauriamus, judicium mortis effugimus. Tu es enim panis vitæ descendens de cœlo : et vitam tribuens mundo.

Rivos ejus inebrians, multiplicans genimina ejus : in stillicidiis ejus. Rivi enim in nobis a flumine illo : id est, a Spiritu sancto emanant, qui nos diversis gratiarum donis inebriant : ut alii detur sermo sapien-

tiæ, alii prophetia, alii curatio, alii interpretatio, vel reliquæ donationes : quas operatur unus atque idem spiritus, dividens unicuique prout vult (I *Cor.* XII). Per quæ donationum genera, multiplicantur Ecclesiæ. Quæ primum quidem quasi stillicidia in nobis defluunt, dehinc rivi fiunt. Post hæc multiplicantur in generationibus : ut afferant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum (*Matth.* XIII). *Lætabitur germinans.* Terra scilicet lætabitur (*Isai.* LVIII) : cum in ea hic fructus spiritualis exorietur.

Benedices coronam anni benignitatis tuæ. Qua sanctos præmiis, et temetipsum eorum agminibus coronabis. Annum vero acceptabilem, ipsum esse Dominum alius propheta commemorat : Benedices coronam anni ejus. Circulum et semper in se currentia anni tempora, coronam vocavit. Aut certe quia in passione Domini victoria de toto orbe suscepta est. *Et campi tui replebuntur ubertate. Campi*, legis qui nullum jucunditatis fructum in littera protulerunt : nunc spiritualiter intellecti, fructus evangelici dogmatis ubertate complentur.

Pinguescent speciosa deserti. Ecclesia scilicet, quæ divina Dei gratia fluit. *Et exsultatione colles accingentur.* Martyres, sive reliqui sancti : qui immensis a Deo præmiis honorati, perpetuis gaudiis accingentur.

Induti sunt arietes ovium. Patriarchæ, prophetæ, sive apostoli : qui duces fuerunt ovium gregis ecclesiastici, translati a morte in vitam : induuntur immortalitate perpetua. *Et valles abundabunt frumento.* Clamabunt sancti minoris meriti, et coronam non capient : fructibus tamen æternæ vitæ alentur. *Clamabunt, etenim hymnum dicent.* Omnes promiscue electi pro diversorum munerum donis, Deo perpetuas concinunt laudes. Quorum ut congregemur meritis, deprecantes oramus, ut jungamur præmiis, ut si non meremur honorari præmiis, vel ornari coronis, saltem venism consecuti, pœna careamus æterni judicii. Amen.

PSALMUS LXV.

In finem, Canticum Psalmi resurrectionis. Per canticum, intelligentia spiritualis intelligitur. Per psalmum, opus resurrectionis : quia iste psalmus ad resurrectionem Christi pertinet.

Jubilate Deo, omnis terra : Psalmum dicite nomini ejus. Quod ait, *omnis terra :* omne humanum genus terrenum esse demonstrat. Cui jugiter jubilationem ad Deum oportet emittere, ut a nequitiis spiritualibus eruatur. *Psalmum dicite nomini ejus.* Multi laudant, sed non implent opere. *Date gloriam laudi ejus.* Ut sicut ei vocibus jubilatis : ita in eum pro bonis actibus gloriemini; ut videntes homines opera vestra bona, glorificent Patrem vestrum qui est in cœlis. Vel illud : Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam (*Psal.* CXIII).

Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua, Domine! Scilicet ut non creaturam colant, sed Creatoris virtutem in his quæ contemplantur, intelligant. *Quam terribilia sunt opera tua!* Terribile est quod potestis mirari, et non potestis comprehendere, id est, de populo Judaico electo, et postea reprobato, et gentes primitus condemnatas, et postea electas. Vel qui videntur quasi sancti, et reprobati, et de peccatoribus, qui videntur quasi reprobati, et electi. Occulta sunt judicia Dei : terribilia, id est, timenda. *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* Quando viderunt in Ægypto virtutes, et signa : et in mari Rubro. Mentiti sunt quando dixerunt : Omnia quæcumque præceperit nobis Dominus, faciemus (*Exod.* XXIV). Unde dicit : Iniquitas mentita est, et inimici Domini mentiti sunt ei (*Psal.* XXVI).

Omnis terra adoret te, Deus, et psallat tibi : Psalmum dicat nomini tuo. Te adoret, te veneretur : tibi concinat, non creaturæ, quam ejus usibus subjecisti. Hic interponit diapsalma, ut ad nos verba convertat, dicens :

Venite, et videte opera Domini, terribilis in consiliis super filios hominum. Gentes quæ diu in errore fanatico vixerunt, sicut quondam patres nostri, ad Deum cognoscendum invitat. Qui terribilibus consiliis humano generi consuluit, ut cognoscentes Creatoris opera, scirent operum conditorem. *Venite, et videte opera Domini. Venite*, credite, *videte*, intelligite. Vox prædicatorum. *Quam terribilis, in consiliis super filios hominum! Terribilis*, hoc est, quomodo unus reprobatur, et alter eligitur. Reprobantur Judæi, et eliguntur gentes : sicut dixit in Evangelio : Duo in agro : unus assumetur, et unus relinquetur. Duæ molentes : una assumetur, et alia relinquetur (*Matth* XXIV). Duo in lecto : unus assumetur, et unus relinquetur. Terribile est, dum de una massa fuerunt creati, et alii eliguntur, et alii reprobantur.

Qui convertit mare in aridam : in flumine pertransibunt pede. Ipsum adorare docet qui ad transitum Israelis, et mare siccavit, et Jordanis undas appendit (*Exod.* XIV). Sed et ipse Dominus dux, hæc quasi pede præteriit, populo prosequente. Ergo sicut tunc hæ aquæ ipso duce divisæ populo viam in terram repromissionis aperuerunt (*Jos.* III) : ita nunc nobis, si baptismum non polluamus, per ipsum abluti, præeunte eo, in quo renati sumus, in regionem vivorum ingredimur. *Vel pertransibunt pede*, sancti prædicatores fortiter ambulaverunt prædicando : quia Deus præparat illis viam. Unde dictum est : Calciate pedes vestros in præparatione Evangelii pacis (*Ephes.* VI). *Ibi lætabimur in idipsum : qui dominantur in virtute sua in æternum. In idipsum*, hoc est, in Christo : quia qui hic fuit humiliatus, ipse dominatur in æternitate. Sicut enim ejus virtutis dominatio nullo clauditur fine : ita nostra lætitia, qua ei conformes efficiemur, perpetuo permanebit.

Oculi ejus super gentes respiciunt. Ut reprobentur Judæi, et eligantur gentiles; ut illud : Qui finxit oculum, non considerat (*Psal.* XCIII). Contemplatione sancta inspicit populos credituros : nam

nullis penitus distinguitur membris. *Qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.* Judæi scilicet, dum per fellis amaritudinem in Abrahæ nativitate carnali, Dei gloriam collocant, semper humiliantur. Interjectio diapsalmatis ordinem dictorum immutat, ut a prophetica vaticinatione, ad apostolicam transeat exhortationem.

Benedicite, gentes, Dominum Deum nostrum, et auditam facite vocem laudis ejus. Apostoli hæc prædicant, ut ipsum benedicant gentes Deum : quem iidem apostoli dicunt suum, obaudiantque ipsum in quem sunt renati per baptismum. Hinc iterum propheta loquitur.

Qui posuit animam meam ad vitam : Ne eam perpetua consumeret mors. Mors occidit mortem, id est, mors Christi occidit mortem nostram. *Et non dedit in commotionem pedes meos.* Sed stabilivit me in prædicationibus quas gentibus intuli. Hinc succedit vox martyrum.

Quoniam reprobasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum, et induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro : imposuisti homines super capita nostra. Id est, diabolum, ut super nos erigeretur, ad probandum. Vel aliter: Non dixit de angelis, neque de sanctis, sed de peccatoribus, id est, peccatores fecisti esse super nos, ut nos sustineamus per patientiam. Ut illud : Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei (*Act.* XIV).

Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. Martyrum hic ostendit victorias, quas in diversis passionibus meruerunt, et ad unum eos ducit refrigerium, id est, Christum Dominum : per laqueos, per cruces, per verbera, per ignes, æstusque et alia diversa supplicia, per quæ et holocaustum acceptum effecti sunt, pervenisse. Ignis vorat, aqua absorbet. Ignis, tentatio : aqua, prosperitas. Vel ignem Spiritus sancti. *Induxisti nos in refrigerium*, hoc est, in beatitudinem æternam.

Introibo in domum tuam in holocaustis. Hic propheta non de se tantum loquitur, sed et de his quos superius memoravit, qui introierunt in domum Dei : ut non solum se exhiberent Deo hostiam vivam, sed et illos qui eorum exemplo pro nomine Domini passi sunt : *Ut reddam tibi vota mea : quæ distinxerunt labia mea.* Quæ vota distinxerunt, nisi ut alios sibi in martyrium copularent? Vel promissum, ut Deum laudemus, et confiteamur illum creatorem. *Locutum est os meum in tribulatione mea.* Locuti sunt enim, ut numquam eos separaret a charitate Christi ulla persecutio.

Holocausta medullata offeram tibi. Fidem animæ, vel corporis affectum, vel corpus Christi. Ossa inferiora carni : et medulla, inferior ossibus. *Medullata*, hoc est, viscerata cum corpore et anima. *Cum incenso.* Cum acceptabili orationis odore. *Et arietes.* Apostoli, vel doctores Ecclesiarum.

Offeram tibi boves. Qui, rejecta contumacia legis, jugo Domini cervices suas, quod suave est, subdide-

A runt. *Cum hircis.* Qui post peccatum conversi, fideliter in martyrio perstiterunt. Hic autem omnes Domino per holocaustum pacificum offeruntur : ad quos nunc propheta post diapsalma convertit sermonem, dicens :

Venite, et audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Ad ipsum ore meo clamavi, et exsultavi sub lingua mea. Vos qui Dominum metuitis, accedite et considerate qualiter animam meam in beatitudinem constituerit sempiternam : pro eo quod non solum ore postulo, sed etiam in arcanis cordis puri clamavi ad Dominum. *Ad ipsum ore meo clamavi :* manifestissime declaratur in hoc loco clamorem in Scripturis non vocis accipiendum esse, sed cordis.

B *Iniquitatem si aspexi in corde meo : non exaudiet Dominus. Propterea exaudivit me Deus meus : et intendit voci orationis meæ.* Vidi enim puritatem mentis meæ, ideo petere præsumpsi.

Benedictus Dominus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me. Plenus misericordia non amovit deprecationem meam a se : quia quæ justa erant, postulabam. Nam semper piæ aures ejus justorum precibus patent. Sed nos suppliciter Dominum deprecemur, ut aperiat aures suas ad preces nostras, et ipse nos, data peccatorum remissione, de præsentibus ærumnis eripiat : sibique holocaustum purum effectos, mactatis vitiis, sanctorum agminibus jungat. Amen.

PSALMUS LXVI.

C *In finem, in Hymnis, Psalmus Cantici David.* Iste psalmus licet parvus sit, tamen apostolorum prophetarumque continet vocem, qui aut venisse, aut venturum Dominum gentibus nuntiaverunt.

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis. Prima deprecatio est ut misericordiam præbeat Deus : deinde benedictionem. Benedictio ergo quæ succedit misericordiæ, talis sit, ut compressa dominatione carnali, spiritum faciat triumphare. Non nostri judex sit, sed misericors. *Deus misereatur nostri.* Vox apostolorum est, loquentium ad plebem de gentibus congregatam. Credidistis quidem ad vocem nostram. Ecce hæc Ecclesia congregata est in nomine Domini : propterea nos dicimus : *Deus misereatur nostri, et benedicat nobis.* Maledictionem primam in homine

D sua benedictione dissolvat. *Illuminet vultum suum super nos.* Non illum tristem videamus in peccatis nostris, sed gaudentem in virtutibus. Non eum sentiamus judicem, sed Patrem. *Illuminet vultum suum super nos.* Dei facies quæ est? Utique imago ejus. Dicit enim et Apostolus, imaginem Patris esse Filium (*Rom.* II). Ergo imagine sua nos illuminet, hoc est, imaginem suam Filium : *illuminet super nos*, ut ipse nos illuminet. Lux enim Patris, lux Filii est. Qui videt Patrem, videt et Filium. Ubi nulla est distantia inter gloriam et gloriam, uterque est gloria. Precantur hæc apostoli et prophetæ, ut vultu Dei illuminati, fiat prædicatio eorum lumen omnium gentium.

Ut cognoscamus in terra viam tuam, et in omnibus gentibus salutare tuum. A Sic enim invalescat prædicatio nostra, ut via sive salutare tuum, id est, Christus Dominus in his qui nunc terrena sapiunt, et in gentilitatis versantur errore, cernantur. *Ut cognoscamus in terra viam tuam.* Hoc autem petimus, ut illumines vultum tuum : hoc est, imaginem tuam super nos, quæ apud te semper abscondita fuit, et quasi in secreto, et tenebris erat mysteriorum tuorum : secundum illud quod scriptum est : posuit tenebras latibulum suum (*Psal.* XVII). Hoc petimus, ut illumines super nos, ut mysterium quod a generationibus absconditum fuit, juxta Apostolum, reveletur in nobis (I *Cor.* II). Hoc autem totum quare poscimus, quare desideramus? Nisi illuminaveris imaginem tuam super nos, viam tuam, B et scientiam tuam nosse non possumus, ut majestatem tuam quæ in cœlis nota est, notam habeamus et in terra. *Ut cognoscamus in terra viam tuam.* Ego sum, inquit, via, vita et veritas (*Joan.* XIV). *Ut cognoscamus in terra viam tuam.* In terra cognoscamus : Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra (*Matt.* VI), ut quem angeli adorant in cœlis, homines quoque adorent in terra. Sed dicet aliquis : quia nota erat via Dei : Notus enim in Judæa Deus : in Israel magnum nomen ejus. Notus erat Deus, sed Dei via non erat nota in Judæa. Quoniam ergo via Dei Patris non erat nota in Judæis, propterea nunc dicit : *In omnibus gentibus salutare tuum.* Non in uno populo, sed in cunctis gentibus. *In omnibus gentibus salutare tuum.* C Ubi nos habemus in Latino, *salutare;* in Hebræo, *Jesus* dicitur. Denique et angelus hoc loquitur : Et vocabis nomen ejus Jesum (*Luc.* II). Hic enim salvabit populum suum. *In omnibus gentibus salutare tuum.* Ecce completum est, quod apostoli deprecati sunt : In omnibus gentibus notum est salutare ejus. Quocumque humanus sermo esse potest, ibi Jesus resonat.

Confiteantur tibi populi, Deus : confiteantur tibi populi omnes. Confiteantur tibi populi, Judæorum ? Non : sed, *populi omnes confiteantur.* Quomodo omnes gentes, sic et omnes populi. *Confiteantur tibi populi, Deus.* Quid confiteantur? Utique peccata sua : vel certe confiteantur imaginem tuam esse in te. In Filio te confiteantur, in illo te videant : in illo te adorent.

Lætentur et exsultent gentes. D Quoniam de captivitate diaboli liberatæ sunt : quoniam quæ ante incurvabantur ad adoranda idola, ligna et lapides, nunc erecto vultu cœlos respiciunt. *Quoniam judicas populos in æquitate.* Ubicumque æquitas est atque judicium, ibi non lætitia, sed formido est peccatorum. Et quomodo dixit : Deus misereatur nostri, et benedicat nos, et nunc dixit : *Lætentur et exsultent gentes : quoniam judicas populos in æquitate?* Videtur sibi esse contrarius. Si enim misericordia indigent, quomodo lætantur et exsultant : *quoniam judicas populos in æquitate?* Ubicumque enim misericordia est, ibi non est judicium ; ubi autem judicium est et æquitas judicii, ibi procul est misericordia. Sed iste sensus est : *Lætentur et exsultent gentes.* Quare, *lætentur? Quoniam judicas populos in æquitate :* quoniam nequaquam accipis personam unius gentis, sed omnium Deus es. Non tibi soli Judæi placent, sed omnis mundus tuus est. Dicat aliquis : Vim facis Scripturæ, non hoc sensu dixit. Interpretatur seipsa Scriptura, quæ loquitur : *Quoniam judicas populos in æquitate.* Quos populos? *Et gentes in terra dirigis.* Gentes quæ ante non recto pede gradiebantur, fecisti eas ut ambularent in viam tuam. Ut cognosceremus in terra viam tuam, ut ambularemus in via, non in inviis, et per unam viam veniremus ad te, de quo nascitur via. Non enim imus ad Patrem, nisi per Filium. Dicat aliquis : Arianorum dogma est. Ergo per Filium venitur ad Patrem. Ego hoc dico, quoniam per imaginem imus ad faciem; et in lumine videmus lumen, in Filio videmus Patrem. Mysterium et dispensatio est quæ loquitur. Cæterum si quis putat esse blasphemum, quoniam viam diximus esse Filium, et per viam imus quasi ad Deum, videamus hæc ipsa via quid dicat : Nemo venit ad me, nisi Pater meus adduxerit eum ad me (*Joan.* VI). Quomodo ergo Filius ducit ad Patrem, sic et Pater ducit ad Filium. Hæc humana verba sunt. Cæterum et Filius ducit ad Patrem, et Pater ducit ad Filium, et una natura, et una substantia est.

Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes. Jam supra dixerat, et in isto parvulo psalmo, hos duos versiculos iterum repetit. Dixerat enim supra : *Confiteantur tibi populi, Deus : confiteantur tibi populi omnes : Lætentur et exsultent gentes,* et cætera : et nunc rursus repetit hos versiculos, quasi apostoli præcinant cunctis gentibus. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel (*Psal.* CXXVIII). Sæpe expugnaverunt me a juventute mea. Videte quomodo illi præcinunt, et omnium gentium turba respondet. Sic et nunc dicentibus illis in principio : *Confiteantur tibi populi omnes,* et præcipientibus apostolis, et dicentibus : *Confiteantur tibi populi, Deus : Confiteantur tibi populi omnes,* quoniam illos vident reticescere, propterea idipsum iterant, et dicunt : *Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes.* Semel diximus, non audistis; iterum dicimus, ut canatis. Hoc autem totum quare diximus, et semel et secundo, ut confiteantur populi Deo? Quare hoc dicimus ? quare hoc præcipimus? *Quoniam judicas populos in æquitate.* Judæos, qui præ nimietate malitiæ, populi accipiuntur, juxta illud : Populi meditati sunt inania (*Psal.* II). *Et gentes in terra dirigis.* Diriget eas in via vitæ, data peccatorum remissione. Cum dicitur, *omnes,* non solum pro gentium populo, sed etiam pro Judæorum orat, ut et ipsi conversi, confiteantur Christum Filium Dei. *Terra dedit fructum suum. Terra,* sancta Maria, de nostra terra, de nostro semine, de hoc luto, de hoc limo, de Adam. Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III). *Terra,* ista, *dedit fructum suum.* Quod perdidit in paradiso, invenit in filio. *Terra dedit fructum suum.* Primum dedit florem. Dicit et in

Cantico canticorum : Ego flos campi, et lilium convallium (*Cant.* II). Iste igitur flos fructus factus est, ut nos illum comederemus, ut nos manducaremus carnes ejus. Vultis scire quis sit iste fructus? Virgo de virgine : Dominus de ancilla : Deus ex homine, filius ex matre, fructus ex terra. Videte quid dicat ipse fructus : Nisi granum frumenti ceciderit in terram, et mortuum fuerit, non potest facere fructus multos (*Joan.* XII). *Terra dedit fructum suum :* dedit granum frumenti. Quod granum frumenti cecidit in terram, et mortuum est, et ideo multos fructus affert. Multiplicatum est in spica : quod unum ceciderat, in multis resurrexit. Cecidit enim granum tritici in terram, et seges copiosa surrexit. *Terra dedit fructum suum.* Propterea, *confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes. Terra dedit fructum suum.* Quis est iste fructus?

Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus. Deus, Pater : *Deus noster*, Filius. Ipse enim Deus noster. Et vocabis, inquit, nomen ejus Emmanuel, id est, nobiscum Deus. *Deus noster benedicat nos.* Deus Spiritus sanctus. Videte mysterium Trinitatis in uno versiculo comprehensum. *Terra dedit fructum suum.* In isto fructu, Trinitatis mysterium continetur. *Benedicat nos Deus Deus noster.* Qui Deus est omnium per naturam, noster proprie factus est Deus. *Benedicat nos Deus.* Expellat veterem maledictionem. Maledictio nos ejecit de paradiso : reducat benedictio. *Et metuant eum omnes fines terræ.* Non dixit : Diligant eum omnes fines terræ. Perfecta quippe dilectio, foras mittit timorem. Timere incipientium est ; diligere, perfectorum. Qui adhuc timet, in initio est positus, non habet perfectam et plenam fidem. Qui autem diligit Deum, omnia ei provenient in bonum. Videtur brevis, et simplex esse sententiola. Sed ventilemus eam, et in istis simplicibus verbis, ingentia mysteria reperiemus. Inveniemus intrinsecus, quod forinsecus latet. Diligentibus autem Dominum, omnia cooperantur in bonum. Job vir sanctus tentatus est, perdidit filios et filias, domus ipsius corruit, universa perdidit, omnia repente perdidit; nec pater, nec dominus; nihil enim illi remansit in corpore sanitatis, nisi sola lingua per quam blasphemare posset. Videte tentatorem diabolum. A planta, inquit, pedis usque ad verticem percussit eum vulnere pessimo, hoc est, elephantia (*Job.* I). Inde toto corpore vermes fluebant, et putredo. Solam linguam integram ei reservavit, ut posset Dominum suum blasphemare. In omnibus his non peccavit Job labiis suis. Videte magnitudinem tentationis, videte magnitudinem virtutis. Videte et considerate sententiam Apostoli esse completam : Diligentibus autem Dominum, omnia cooperantur in bonum (*Rom.* VIII). Eo tempore quo perdebat res suas, quo filios amittebat; videbantur quidem ei esse contraria quæ accidissent; sed quoniam diligebat Dominum, illa mala quæ ei infert, cooperantur illi bona. Illi vero vermes corporis præparabant ei cœli coronam. Antequam tentaretur, Deus ei numquam locutus fuerat : postquam autem tentatus est, venit ad eum Deus, et familiariter loquitur, quasi amicus cum amico suo. Veniant plagæ, omnia pœnarum genera, dum post plagas, Christus adveniat. Egressi sumus de psalmo, sed non inutiliter, quia dixeramus : *Et metuant eum omnes fines terræ*, et dixeramus, quoniam metuere parvulorum est : cæterum diligere, perfectorum, et dixeramus ad hoc comprobandum de Apostolo : Diligentibus autem Dominum, omnia cooperantur in bonum. *Et timeant eum omnes fines terræ.* Nequaquam sola Judæa, sed omnes fines terræ. Secundum tropologiam autem, *omnes fines terræ :* non medietas terræ : non illi qui in terra sunt media, sed qui in fine terræ sunt, qui relinquunt terram, et ad cœlos ire festinant. Hoc igitur quod apostoli dixerunt in principio, nos dicamus in fine : *Deus misereatur nostri et benedicat nobis ; illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri ;* et notam faciet in terra viam suam. Cum manifestus in claritate venerit Christus, tunc omnibus notum faciet cur tanta carnis humilitate descenderit. *Terra dedit fructum suum.* Maria genuit Salvatorem.

PSALMUS LXVII.

In finem, Psalmus Cantici David. Psalmus, opera : Canticum, intelligentia mentis spiritualis. Sexagesimus septimus psalmus si intelligatur spiritualiter, refertus Legis Evangeliorumque reperitur sacramentis, qui sic inchoat ex voce prophetica :

Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus. Et specialiter intelligitur iste psalmus, et generaliter. Specialiter de ipso Domino, ut resurgat a mortuis, et disperdat inimicos suos, hoc est, diabolum et exercitum ejus, aut Judæos. Generaliter autem, quando in tribulatione sumus et angustia, et dicimus : Exsurge, utquid dormitas, Domine? Exsurge et adjuva nos (*Psal.* 43). Quomodo et apostoli in navicula excitant Dominum dormientem, dicentes : Magister, salva nos : perimus (*Matth.* VIII). *Et fugiant qui oderunt eum a facie ejus.* Non dixit, pereant, sed, *fugiant :* qui peccatores in conspectu Dei non possunt stare. Prævidens propheta orat, ut eo exsurgente, diabolicæ dominationes effugiant, quia et nunc indubitanter credendum est, quod ad invocationem ejus nominis stare non possunt.

Sicut deficit fumus, deficiant. Non ut in nihilum reducantur, sed ut quiescant a peccatis suis. *Sicut fluit cera a facie ignis.* Sicut cera solvitur, et non perdit naturam suam, sed mollescit : sic et isti non pereant, sed deponant malitiam suam, et sic convertantur ad pœnitentiam, et salventur. *Sic pereant peccatores a facie Dei.* Quia peccatores non sunt digni videre Deum.

Et justi epulentur. Qui permanent in sua justitia, qui vitia non habent, delectentur in Domino. Vel aliter : pœna eos judicii persequatur, ut quasi fumi tenuitas deficiant, et ut cera ante ignis faciem dissolvantur, epulantibus sanctis in cœlestibus bonis. *Exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia.* Grandis fiducia est, exsultare in conspectu Domini.

Sicut dispensator creditam sibi a Domino substantiam si male tractaverit et perdiderit, timet Domini præsentiam, ita et qui bene dispensaverit, exsultat in Domini præsentia. *Exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia :* non solum de vindicta, sed etiam de beatitudine sempiterna.

Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus. Cantate, in theorica semper significat Scriptura : hoc est, considerare mysteria, et sensum divinæ Scripturæ. Psallere autem in bono opere significat Scriptura : verbi gratia, ut auditus suum opus præstet. Similiter et os, et oculi, et manus, et omnia membra, si consentiunt, et ita percutiunt psalterium in virtutibus. Largitori lætitiæ sempiternæ canite : eumque vocibus honorate. *Iter facite ei qui ascendit super occasum : Dominus nomen est illi.* Docet ut compressis peccati tumoribus, planam ei in cordibus nostris viam per justitiam præparemus : qui super occasum mortis ascendens, victor remeavit ex inferis. Si non nobis occidat sol iniquitatis, non potest nobis oriri sol justitiæ, cujus sanitas in cœlis est.

Exsultate in conspectu ejus. In ejus enim nos conspectibus gaudere oportet, et non in hujus sæculi illecebris delectari. *Turbabuntur a facie ejus patres orphanorum, et judices viduarum.* Illi qui se nunc tutores et judices dicunt, et hac occasione decipiunt res inopum ; confundentur, cum respicere cœperit Altissimus.

Deus in loco sancto suo. In anima fideli. Semper Deus in sanctis suis habitat. Ubicumque sanctitas est, ibi habitaculum Dei est. *Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.* In Ecclesia, in qua fideliter consistentibus spiritum charitatis infundit, qui unius moris sunt, et non mutantur. Siquidem justus non mutatur : quia semel judicavit in justitia permanere. Peccator autem mutatur. Insipiens enim sicut luna mutatur (*Eccli.* XXVII). In Hebræo autem habet : *Dominus inhabitare facit monachos in domo :* id est, in quibus non cohabitat peccatum.

Qui educit vinctos in fortitudine. Ipse Deus sua virtute educit eos, qui ligati sunt a diabolo in peccatis : sicut illa mulier in Evangelio : quæ ligata fuerat decem et octo annis a diabolo (*Luc.* XIII). *Similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris.* Deus natura dulcis est. Qui autem ad amaritudinem eum adducunt, peccatores sunt, et faciunt sibi amarum Deum. Non naturam suam mutant, sed ipsi sibi peccatores faciunt amarum Deum. *Qui habitant in sepulcris.* Alligatum intra domum suam fortem, id est, diabolum, qui peccatis vincti tenebantur, absolvit, et illos qui idolis dediti, Deum irritaverant, et tamquam in sepulcris jacebant mortui, liberavit : sicut illud in Evangelio : Væ vobis, Scribæ et Pharisæi : quoniam similes estis sepulcris dealbatis (*Matth.* XXIII). Sicut sanctus, templum Dei est, sic sepulcrum sibi efficitur peccator.

Deus cum egredereris in conspectu populi tui. Hoc secundum historiam, quando Deus antecedebat populum suum egredientem de Ægypto (*Exod.* XIV).

A *Cum pertransires in deserto.* Deus non immoratur in deserto, sed pertransit. *Terra mota est, etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel. Cœli distillaverunt*, hoc est, manna (*Exod.* XVI). Sinai interpretatur *tentatio*. Ergo Deus in eis habitat, qui tentantur et superant. In eis autem qui in deliciis sunt, non inhabitat. *Etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.* Unum novi veterisque Testamenti hic designat auctorem. Nam qui coram Israelitico populo in deserto præcessit, ipse in Evangeliis deserta gentium visitavit. Et per quem tunc in Sina huic generationi manna defluxit ; ipse Christianæ genti corporis sanguinisque sui manna in Ecclesia subministrat.

Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati
B *tuæ.* Prædicationem sanctam, quæ per apostolos in corda hominum proflua irrigatione descendit. Vel de lege dicit, quæ data est per Moysen. *Etenim infirmata est.* Vel cum Paulus judicium mortis in se habuit : vel cum Petrus Dominum ter negavit : sive cum reliqui apostoli, relicto in passione Domino, fugerunt (*Matth.* V). *Infirmata est*, lex : quoniam nemo potuit implere eam, nisi Dominus qui dixit : Non veni solvere legem, sed adimplere. Et secundum Apostolum : Impossibilitatem enim legis in quo infirmabatur, Deus Filium suum misit, factum ex muliere, factum sub lege : ut eos qui sub lege erant, redimeret (*Galat.* IV). *Tu vero perfecisti eam : animalia tua habitabunt in ea.* Resurrectio enim tua quod titubabat avertens, ita hanc prædi-
C cationem ad perfectum duxit : ut in ea gentes quæ prius tamquam irrationabilia habebantur animalia, commorarentur. *Animalia tua habitabunt in ea :* hoc est, in hæreditate. Animalia autem dixit eos, qui in Deo vivunt : hoc est, sanctos. Vel aliter : *Pluviam voluntariam segregabis. Pluviam voluntariam*, aut præcepta, aut manna debemus accipere. *Et infirmata est : tu vero perfecisti eam.* Lex quæ per transgressionem Judæorum fuerat infirmata, Evangelii gratia veniente completa est.

Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus. Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. In Hebræo habet : *Quæ evangelizantur :* hoc est, mulieribus quæ evangelizabant apostolis : ubi dicitur ; Euntes dicite fratribus meis, et cætera (*Matt.* XXVIII).
D Aut animas significat, quæ crediderunt in Christo. Secundum Septuaginta autem interpretes, ad apostolos dicitur : quia Dominus dedit eis virtutem prædicandi Evangelium. Hæc dulcedo pluviæ, quæ mellis ac favi saporem vincit, in pauperibus, id est, in sanctis Dei defluxit, quæ ab ore apostolorum, jubente Deo, cum multa virtute processit.

Rex virtutum dilecti, dilecti. Virtutes dilecti Dei : id est, Christi, apostoli sunt. Dominus ergo qui est rex virtutum dilecti, dabit evangelizantibus virtutem multam in prædicando : ut Ecclesiæ devictis hostibus, Judæis, sive dæmonibus, spolia partiantur. Pulchritudo domus, Ecclesia est : cujus divisa referuntur spolia : id est, cum credentes divisi ab

idolis, diversos ministeriorum gradus in ea sortiti sunt : distribuente ipso dilecto Patris, et cooperante Paracleto. *Rex virtutum dilecti. Rex* Pater : *virtutum :* hoc est, sanctorum. *Dilecti*, Filii. Ecce Filius meus dilectus, ipsum audite (*Matt.* XVII). *Dilecti.* Si quis aliquem diligit, semper in ore eum habet. Ergo Spiritus sanctus propter amorem quem habet in Filium, frequenter ejus meminit. *Et speciei domus dividere spolia.* Ipsi apostoli dividunt in Ecclesiis spolia, quæ acceperunt de idolis.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ et posteriora dorsi ejus in pallore auri. Cum duobus credideris Testamentis, invenies in utroque Spiritum sanctum. Et licet sit pulchritudo etiam juxta litteram, scire quæ legas : tamen vis decoris omnis in sensu est. Exterior itaque verborum ornatus in argenti nomine demonstratur : occultiora vero mysteria in reconditis auri muneribus continentur. *Si dormiatis inter medios cleros :* hoc est, si quiescatis inter novum et vetus Testamentum : invenietis in duobus Testamentis gratiam Spiritus sancti. Cleri dicuntur singuli libri : hoc est, Genesis, Exodus, Judicum, Evangelia, Apostolus. *Pennæ columbæ deargentatæ. Deargentatæ*, clarum verbum [a] significat divinæ Scripturæ. *Et posteriora dorsi ejus in pallore auri :* hoc est, in interioribus, spiritualiter mysteria intelliguntur. Si usque ad consummationem vitæ præsentis, quæ sæpe somnus accipitur, inter duo Testamenta : id est, novum vetusque Testamentum quiescatis : invenietis in his Spiritum sanctum : cujus pennæ in prædicatoribus deargentatæ, pro eloquii pulchritudine respondent. In posteriora vero, quæ scapulæ dicuntur, eo quod pectus operiant, bonæ conscientiæ fructus ostenditur : quæ post peractum Evangelium, in auri specie, id est, in honore regio commutantur.

Dum discernit cœlestis, reges super eam nive dealbabuntur in Selmon. Reges dicit sanctos, qui repugnant suis passionibus. Isti ergo sancti dividuntur in Ecclesiis : sicut Paulus in Gentibus, Petrus in circumcisione. Cœlestis Dominus, separatos hos ab idololatriis quos superius diximus, constituit in illius domus pulchritudine reges. Sed prius nive dealbabuntur in Selmon. Hoc est quod dicit, licet sancti sint; sed tamen in isto sæculo sunt quasi umbra, ex parte cognoscentes. Selmon, *umbra* interpretatur. Cum igitur rex cœlestis Christus in Ecclesia sua cœperit apostolos, et principes constituere atque dividere : non habebunt plenam lucem, sed partem aliquam scientiæ : quia nunc ex parte videmus, et ex parte prophetamus (I *Cor.* XIII).

Mons Dei, mons pinguis : mons coagulatus, mons pinguis. Iste est mons ad quem et in Isaia et in Michæa, ut ascendentes pergant, se invicem cohortantur (*Isa.* II, *et Mich.* IV). Quod autem ait : *coagulatus :* Apostoli congruit verbis, qui ait : Lac vobis potum dedi, non escam (I *Cor.* III). Vel mons qui in Ezechiele vulnerat principem Tyri (*Ezech.* XXVI). Montem autem dicit ipsum Dominum. *Utquid suspicamini montes coagulatos.* Hoc ad Judæos dicit, qui existimant Moysen et prophetas similes esse Salvatori.

Mons in quo complacuit Deo habitare in eo : Sensus iste est : Non debetis existimare plures esse Ecclesias, quæ habeant ubera doctrinarum, et possint credentes scientiæ lacte nutrire. Una est Ecclesia, et unus Christus sponsus Ecclesiæ. In nullo enim alio inhabitabit jugiter Spiritus sanctus, nisi in Salvatore, Joanne dicente : In quem videris Spiritum descendentem, et manentem in eo (*Joan.* I) ; ipse est qui excisus sine manibus, implevit latitudinem omnis terræ : id est, Dominicum [b] hominem. *Etenim Dominus habitabit in finem.* In corpore, quod accepit de sancta Maria, quia cum eo est evectus in cœlum.

Currus Dei decem millibus multiplex. Hyperbolice dicit administratorias potestates et sanctos, quia innumerabiles sunt, sicut dixit in Daniele : Mille millia ministrabant illi, et decies centena millia assistebant ei (*Dan.* VII). Et in Ezechiele describitur, Cherubim quatuor pennarum, in quatuor angulis habere quatuor personas ; cujus auriga Deus est (*Ezech.* I *et* X). Cherubim autem interpretatur, *scientiæ plenitudo.* Significat autem persona leonis, regalem : hoc est, regnare passionibus : persona hominis, rationabilem ; persona vituli, in opere : persona aquilæ, in contemplatione, hoc est, in theoria : quæ nos exaltat in virtutibus. Simul autem ut dicamus : Thronus Dei in sanctis est. *Decem millibus multiplex :* Multa enim millia curruum sæcularium, devicerunt evangelizantes Christum in universo mundo. *Millia lætantium, Dominus in illis.* Ministeria divina hic esse indicat. *In Sinai, in sancto.* Hoc est, in sanctis est Deus quando tentantur, et post tentationem sequitur sanctitas. Impossibile est enim aliquem, licet sanctus sit, sine tentatione transire in hoc sæculo, secundum Job : Tentatio est vita hominis super terram (*Job.* VII).

Ascendisti in altum, cepisti captivitatem. Ascendisti in cœlos : captivasti nos, qui captivi tenebamur a diabolo. Qui quondam in Sinai descendens, populo legem distribuit, ipse nunc in sancto, id est, in assumpto homine (de quo angelus ad Mariam (*Luc.* I) : Quod nascetur ex te, sanctum vocabitur) cœlorum excelsa conscendens : eos qui in captivitate diaboli tenebantur, absolvit : ac post se tamquam captivos deductos æternæ vitæ restituit. Sic et carnem assumptam, quasi captivam evexit ad sidera. *Accepisti dona in hominibus.* Bene dixit, *accepisti.* A Patre accepit : accepit ut homo, dat ut Deus : et quod accepit, hominibus accepit, ut det. Ipse enim plenus est, et nihil indiget. Dedit dona spiritualium gra-

[a] Confer Hieron, in cap. III Isaiæ et in serm. 4 et 10.

[b] Vid. quæ observamus ad lib. de Spiritu S. Tom. 2, col. 157.

tiarum hominibus : qui per fidem ad eum deinceps accesserunt.

Etenim non credentes, inhabitare Dominum Deum. Et his hominibus ; id est, ex gentibus populo largitus est Christus : qui non credebant Deum inhabitare posse mortalibus : et hos salvasti, qui non credebant quod possibile est Deum habitare in hominibus : hoc est Salvatorem accipere carnem. Vel etiam eis ministravit bona, qui erant sine spe quod in Ecclesia ejus inhabitare possint.

Benedictus Dominus die quotidie. Qui proficit, quotidie potest benedicere Deum. Quid enim mihi prodest, si heri benedixi : et hodie non possum benedicere? Et pro superioribus beneficiis, et quod nunc nobis ad se veniendi planum præparat iter, assidue est benedicendus. *Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.* Quia ab ipso salvamur. *Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.* Securus esto, peccator : noli dubitare quod quotidie possis benedicere Deum. Ecce enim dicit : *Prosperum iter faciet nobis Deus.* Ergo Deus adjuvat nos, et cooperatur nobis. *Salutarium nostrorum.* Bene dixit pluraliter, *salutarium :* quod quanta peccata commisimus, tot et salutes habemus. *Diapsalma* in Hebræo habet SELA (סלה) : hoc est *semper* et *jugiter.* Ergo Deus semper nos adjuvat.

Deus noster. Quia præter ipsum alium nescimus. *Deus salvos faciendi, et Domini Domini exitus mortis.* Præsto est enim ut salvos faciat pereuntes : quia pro redemptione nostra natus. *Et Domini Domini est exitus mortis* : quia prior mortis exitum patefecit, dicente Apostolo : Factus est, inquit, primogenitus mortuorum, quoniam ipse resurrexit a mortuis, et nos simul fecit resurgere (*Coloss.* I ; *Apoc.* I). Aliter : Diabolus introitus est mortis : Dominus vero educit.

Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum. Ab exitibus mortis egressus confringit capita diaboli, et omnes virtutes ejus. Tu confregisti capita draconis in aqua. Quot peccata sunt, tot capita habet diabolus : Principatus et potestates, quæ tamquam caput cunctis eminebant, hoc est, diabolicas dominationes. *Verticem capilli perambulantium in delictis suis :* Summitatem extollentiæ eorum qui pœnitentiam negligentes, perdurant in peccatis. In tantum enim confringitur caput ejus, ut non remaneat in eo aliqua virtus qua stimulet peccantes. Summum capitis, capillus est, et capilli, vertex. Ergo hoc dicit, quod nec minimum remaneat in diabolo, quod non frangatur.

Dixit Dominus : Ex Basan convertam, convertam in profundum maris. Ut intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Basan, confusio interpretatur. De confusione igitur nos convertit Deus. Hoc autem ideo, quia crucem sustinuit, et pes ejus proprio cruore perfusus est, clamantibus contra eum Judæis atque dicentibus : Crucifige, crucifige eum (*Joan.* XIX). Qui Judæi stimulati fuerunt ab inimicis Christi : hoc est, a dæmonibus. Ut au-

A tem hoc totum fieret, ipsius Salvatoris voluntas fuit qui hæc passus est fieri. Vel de confusione hujus sæculi convertam humanum genus : hoc est per passionem meam, et crucem, quæ isti putant stultitiam et confusionem. *Convertam Basan,* populum meum. *Convertam in profundum maris :* id est, de profundis vitiis, et peccatis sæculi istius : de commotione, et fluctibus convertam populum meum. *Ut intingatur pes tuus in sanguine.* Quoniam pes ipsius intinctus est in sanguine suo. Torcular calcavi solus, et de gentibus vir non fuit mecum (*Isa.* LXIII). Et iterum : Quis est iste qui ascendit ex Edon? fulvida vestimenta ejus ex Bosor (*Ibid.*). Edom, interpretatur *sanguis :* Bosor, *caro.* Ipsum Dominum nostrum significat crucifixum. *Lingua canum tuorum ex inimi-*
B *cis ab ipso.* Canes dicit ipsos Judæos, ut superius : qui clamaverunt, crucifige, crucifige talem : non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX). Ex inimicis autem submissi a dæmonibus negare Salvatorem, et blasphemare eum. Aliter : Quoniam ipse tua voluntate venisti et passus es : et tua voluntate crucifixus es a Judæis. Tinctus est enim pes Domini in sanguine, cum caro assumpta in qua divinitas latebat, lancea verberatur. Ab ipso igitur sanguine, et eorum lingua tincta est, qui dixerunt : En sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Matt.* XXVII). Sed post gloriosum Dominicæ ascensionis triumphum, ultione Dominica, et hostium pes in eorum sanguine tinctus est : et canina scilicet inimicorum rabies ab eo est satiata.

C *Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, regis mei qui est in sancto.* O quam admirabiliter in hoc psalmo vetus Testamentum cum Evangeliorum dictis concordat! Visa sunt enim itinera Christi in ingressu maris Rubri (*Exod.* XIV) : visa sunt et in Evangeliis ipsius regis nostri ; cum in sancto homine elevatus, cœlis invectus est (*Joan.* XX ; *Act.* I).

Prævenerunt principes conjuncti psallentibus : in medio juvencularum tympanistriarum. Et quidem in illo maris transitu prævenerunt principes : id est, prius egressi sunt vel Moyses, vel reliqui seniores, et conjuncti sunt juvenculis cœlesti itinere. *Prævenerunt principes,* angelorum sanctorum animas, qui laudes Domini mortificato corpore concinebant, dicentes : Tollite portas, principes, vestras : quia jam
D redit triumphator inferni (*Psal.* XXIII). Ideo autem *tympanistriarum :* quoniam mortuum est corpus ipsorum peccato. Et Maria soror Moysi, et Aaron tenens tympanum in Exodo, antecedebat psallentes et dicebat : Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est (*Exod.* XV). Aliter : *Prævenerunt principes juncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum.* Apostoli cum Ecclesiis, juncto pariter præcesserunt gradu. Bene eos prævenisse testatur : quia principes fidei de Judæis sunt.

In Ecclesiis benedicite Dominum. Manifestius est locutus, quas supra dixerit tympanistrias. *Dominum de fontibus Israel.* Quia salus ex Judæis est : et inde prima Ecclesia. Ex adumbratione enim Legis, Eccle-

siæ doctrina processit : in qua nunc Dominus, qui ex Israeliticæ stirpis propagine carnem suscepit, benedicitur.

Ibi Benjamin. Paulus apostolus, qui ex tribu Benjamin descendit. *Ibi*, in Ecclesia. *Adolescentulus.* Novissimus omnium apostolorum. *In mentis excessu.* Quem pertulit in Damascum cum iret.

Principes Juda duces eorum. Apostoli sunt principes Juda : hoc est Domini, quemadmodum dicit Jacob : Juda, te laudabunt fratres tui (*Gen.* XLIX). *Zabulon, et principes Nephtalim. Zabulon* interpretatur *fluxus noctis. Nephtalim*, *latitudo.* Quando liberati fuerimus de passione libidinis : hoc est, illius fluxus : tunc incipimus latitudines virtutum. Vel aliter : *Principes Zabulon, et principes Nephtalim,* Petrum et Andream apostolorum principes monstrat; qui in crassitudine tenebrarum, illius lucem magnam annuntiantes, doctores sunt Evangelii constituti, juxta illud : Terra Zabulon, et terra Nephtalim, via maris trans Jordanem Galilææ gentium, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam (*Isa.* XLIX).

Manda, Deus, virtuti tuæ. Christo tuo. *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.* Ut donum baptismi quod contulit, Spiritus sancti infusione confirmet. *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis :* hoc est, salutare quod donasti nobis per tuam passionem confirma, et da auxilium, quoniam homines sumus, et non possumus incedere in virtutibus, si non adepti fuerimus auxilium tuum.

A templo tuo quod est in Jerusalem : tibi offerent reges munera. Reges dicit, qui regnant sibimetipsis, secundum quod scriptum est : Cor regis in manu Dei (*Prov.* XII). Ipsi offerent Deo munera. Virtutes sanctorum, munera sunt Dei. Vel a templo illo corporali, quod bene vivendo sanctum fecerunt. Reges in quibus peccatum ultra non regnat, offerent in cœlesti Jerusalem, quæ est primitivorum Ecclesia, munera regi æterno : scilicet seipsos offerentes hostiam vivam, placentem Deo in conspectum omnium angelorum.

Increpa bestias calami. Bestiæ calami, dæmones sunt, fragilis infirmæque virtutis. Vel hæretici sunt, qui tractant, et scribunt contra te ut decipiant nos. Oportet enim et hæreses esse in nobis. Feræ enim dicuntur ab eo quod capiunt animas, et interficiunt. Vel increpa feras arundinis : Judæorum belluinam superbiam. *Congregatio taurorum in vaccis populorum.* Ipsos hæreticos significat; quia neminem possunt decipere nisi simpliciores, et parvos; hoc est, vaccas minores. Tauros enim non possunt decipere : hoc est, magnos. *Ut excludant eos qui probati sunt argento.* Et propterea simpliciores decipiunt : hoc est, multitudinem, ut veniant usque ad sanctos, et excludant eos de regno cœlorum. Vel in tauris, duces Judæorum : qui persecutionem in Dominum vel in sanctos ejus intulerunt, indicat : ut illud : Tauri pingues obsederunt me (*Psal.* XXI). In vaccis vero stultas populi sequentis animas demonstrat. Quod ibi ostenditur, cum vaccas aureas in Samaria sub

A Jeroboam adoravit (III *Reg.* XII). Ergo consilium eorum quod habent ut sanctos de via justitiæ retrahant : in eorum animabus requiescat, juxta illud : Gladius eorum intret in cor ipsorum, ut hi non excludantur a regno Dei, qui per multas tribulationes tamquam argentum probati, inventi sunt justi. Tale consilium prævidebat Jacob cum diceret : In consilio eorum non introeat anima mea (*Gen.* XLIX).

Dissipa gentes quæ bella volunt. Hæreticos, vel Judæos, qui plerumque contra Ecclesiam certamina parant. *Venient legati ex Ægypto : Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* In tribulationibus ac erroribus idololatriæ positi, vel qui peccatis nigri sive tenebrosi sunt : credentes quod Christus Dominus ipse est Deus Filius Dei : offerunt ei munera, id est
B mentes puras, auro argentoque lucidiores; quia ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia (*Rom.* V).

Regna terræ, cantate Deo, psallite Domino. Vos utique qui prius terrenum regnum diligentes ignorabatis Deum : nunc evicto carnali livore, cœlestia regna penetratis.

Psallite Deo qui ascendit super cœlos cœli ad orientem. Illi utique qui quondam mortis occasu ascenderat in crucem, invectus est nunc super sidera, victorque mortis residet gloriosus. Ad orientem autem usque : sive quia ipse Oriens sit dictus : sive quia per eum omnes oriantur ad vitam.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis suæ. Voci Domini tunc dabitur vox virtutis, cum quod præcipit efficitur : quam mortui cum audierint, resurgent. *Date*
C *gloriam Deo super Israel.* Magis Deum quam carnalem Israel honorate. Aliter : Non labiis, ut Israel, sed corde honorate Deum.

Magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus. In apostolis et prophetis. Unde dicit : Mandavi nubibus meis, ut pluant super Israel imbrem (*Isai.* V).

Mirabilis Deus in sanctis suis. In hoc mirabilis est Deus : quoniam ita dilexit humanum genus, ut signa faciat in sanctis suis. In istis magis mirabilis est Deus quam in cæteris creaturis, quod eos post multas tribulationes evexit in sublimitatem cœlorum. *Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ.* Ad tolerandas passiones mundanas, vel spirituales nequitias. *Benedictus Deus.* Qui nos a morte in vitam, a corruptione in incorruptionem
D demutare dignetur, ut sanctis ejus participes facti, sempiternis in eum gaudiis exsultemus. Amen.

PSALMUS LXVIII.

In finem pro his qui commutabuntur, Psalmus ipsi David. Iste psalmus de passione Christi sonat, et ex persona membrorum suorum : licet quidam in eo putent ei minime convenire, *Pro his qui commutabuntur.* Commutavit se Christus : dum æqualis Patri erat, formam servi accipiens. Vel nos commutamur de infidelitate ad fidem : quia, ut diximus, iste psalmus vocem continet Dominici hominis venientis ad passionem.

Salvum me fac, Deus : quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Salvare eam Patrem, secun-

dem infirmitatis conditionem postulat: quoniam quidem motus populi sævientis irruerunt in eum.

Infixus sum in limo profundi. In veteribus peccatis hujus populi. *Et non est substantia.* Per quam exinde evadam: nisi tu salves.

Veni in altitudinem maris. In profundum sæculi istius. *Et tempestas demersit me:* procella Judæorum.

Laboravi clamans: raucæ factæ sunt fauces meæ. Licet a peccatoribus urgeatur: clamare tamen salutaria præcepta non desinit. *Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.* Secundum imbecillitatem carnis, speravit ut ab eo calix iste transiret; sed secundum divinitatem implevit voluntatem Patris.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Confortati sunt, etc. Ideo super capillos capitis mei, multiplicantur atque confortantur: quia semper major est iniquorum numerus quam justorum. *Quæ non rapui tunc, exsolvebam.* Non enim erat debitor mortis atque peccati, sed in passione hostiam utramque complevit.

Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita. Scit Pater, quod non ea de cœlis attulit, sed nobis assumpsit, ut ait propheta: ipse iniquitates nostras accepit, et ægritudines nostras portavit (*Isai.* LIII). Et Paulus dicit: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (I *Cor.* I). *Delicta mea a te non sunt abscondita,* ut illud: Delictum meum cognitum tibi feci (*Psal.* XXXI).

Non erubescant in me qui exspectant te, Domine, etc. Non evacuetur spes credentium de passione mea: sed cognoscant quia voluntatem tuam facere veni, sicut sequitur.

Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit, etc. Propter voluntatem Patris, malorum improperia supportavit, et verecundia tectus est, cum in assumpta carne colliditur: quia una voluntas fuit Patris, et Filii quod sustinuit passionem. Vel, *operuit confusio:* quando negaverunt apostoli.

Extraneus factus sum fratribus meis, etc. Filius enim erat Synagogæ sicut et illi, secundum ordinem corporationis terrenæ, a quibus exter, et hospes habitus est: quia illi sceleribus erant pleni: hic vero expers peccati. *Extraneus factus sum fratribus meis.* Fratres Domini, apostoli. Unde dixit: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis (*Psal.* XXI). *Peregrinus filiis matris meæ.* Christus peregrinus, ut ait Cleophas: Tu solus peregrinus es in Jerusalem (*Luc.* XXIV). Solus, quia solus et primus resurrexit immortalis. Et mater, synagoga.

Quoniam zelus domus tuæ comedit me. Quia fecerunt eam speluncam latronum. *Et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Exprobrationum enim jurgium super eum projecerunt, cum eum et Samaritanum, et dæmonium habentem vocarent. Unde Judæi contra Christum dicebant: Si Filius Dei es, descende de cruce, et credimus tibi. Alios salvos fecit: seipsum non potest salvum facere (*Matt.* XXVII). Qui exprobrant Filium, et Patrem exprobrant, quia qui non credit Filium, nec Patrem habet.

Operui in jejunio animam meam, et factum est in opprobrium mihi. Opprobrium enim ei inferre conabatur: cum tentans eum Satanas ait: Dic ut lapides isti panes fiant (*Matth.* IV). Vel quando dixerunt discipuli: Rabbi, manduca. Ille dixit: Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis (*Joan.* IV). Et in alio loco: Operamini cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam (*Joan.* VI). Sed esuriebat Christus salutem humani generis. Vel esuriebat fidem Ecclesiæ: quia nullum cibum a Judæis inveniebat.

Posui vestimentum meum cilicium, et factus sum illis in parabolam. In sacco luctus ostenditur vel fletus: quo in morte Lazari usus, in parabolam factus est Judæis, cum, eo flente, dicerent: Ecce quomodo amabat eum (*Joan.* XI). Alii vero: Non poterat hic qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut et hic non moreretur?

Adversus me exercebantur qui sedebant in porta. Illi scilicet qui habentes clavem scientiæ: neque introibant, neque alios introire permittebant: Scribæ et Pharisæi qui discernebant causas, cum sederent in publico judicio. *Et in me psallebant qui bibebant vinum.* Repleti enim vino iniquitatis, qualiter eum interficerent, concinebant. Stulte enim psallit, qui in Deum molitur insidias. Sciens enim propheta stultum in aliquibus esse psallere: audi qualiter doceat quosdam: Psallite, inquit, sapienter. Vel ebrii erant de vino, quando operiebant caput ejus, et dicebant: Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit (*Luc.* XXII).

Ego vero orationem meam ad te, Domine. Non enim vincor his passionibus, quia tecum sum in oratione. *Ego vero orationem meam ad te, Deus.* Judæis mihi maledicentibus atque dicentibus: Crucifige, crucifige eum: ego pro eis orans loquebar: Pater, ignosce eis: non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII). *Tempus placendi, Deus. Tempus placendi,* tempus est passionis, in quo Pater aiebat: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matth.* III). *Tempus beneplaciti, Deus, in multitudine misericordiæ tuæ.* Omnia enim tempora tua beneplacita sunt, sed præsertim hoc tempus quo mea passione genus humanum redimis, quodammodo plus beneplacitum facis. *Exaudi me, Domine, in veritate salutis tuæ.* Ut post veram mortem, resurrectionis veritas approbetur.

Eripe me de luto, ut non infigar. Quære juxta quosdam ne forsitan lutum, carnis quam suscepit significet vilitatem. Orat ut non in luto et pulvere, sicut omne humanum genus dissolvitur, corrumpatur. *Libera me ab his qui oderunt me.* Aperte hæc de Judæis, qui eum numquam dilexerunt, dicit. *Et de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aquæ.* Hæc passionis tempestas non eum in profunditate abyssi retineat infernalis. *Neque absorbeat me profundum.* In quo dum per mortem descendit, non devoretur ab eo. *Neque urgeat super me puteus os suum.* Aditus inferni, sive diabolus.

Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua : secundum multitudinem miserationum tuarum respice me. Hæc secundum infirmitatem humanam postulat dicens : Qui alios mea passione redimis, me, præcurrente misericordia, contemplare.

Non avertas faciem tuam a puero tuo. Vox Christi ad Patrem, qui formam servi accepit, ut ait propheta : Magnum est tibi vocari puerum meum (*Isai.* XLIX). *Quoniam tribulor, velociter exaudi me.* Ut resumam spiritum : quem tuis manibus commendavi.

Intende animæ meæ, et libera eam : propter inimicos meos eripe me. Ut, me resurgente ab inferis, confundantur : Unde Christus dixit : Potestatem habeo ponendi animam meam (*Joan.* X).

Tu scis improperium meum, et confusionem meam, etc. Quam in assumpta sustineo carne.

In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me. Tu vides quales mihi tribulationes inferant, et ostendant illusiones. *Improperium exspectavit cor meum, et miseriam. Improperium*, passionis, *et miseriam :* id est, contumeliam crucis.

Sustinui qui simul contristaretur, etc. Nullus de tanta multitudine iniquorum, aut compassus est doloribus meis, aut exstitit consolator.

Dederunt in escam meam fel : et in siti mea potaverunt me aceto. Hoc jam completum esse, in Evangeliis legimus : cum, sitiente Domino in cruce, acetum cum felle mixtum bibere porrexerunt (*Joan.* XIX). Et ex hoc, et ex alio testimonio intelligitur : quod ad Christum psalmus referri debeat.

Fiat mensa eorum coram ipsis. Dicta Legis et prophetarum : ad quam sæpe convenientes reficiebantur. *In laqueum, et in retributiones, et in scandalum.* Ut non intelligant inibi Dominum nuntiatum. Nam et Dominus in Evangeliis dixit : Moyses vos accusat in quem speratis (*Joan.* V). De me enim ille scripsit.

Obscurentur oculi eorum ne videant. Divinitatem sub fragilitate latentem. Ut non videant. Hoc erat quod precabatur, mensam eorum fieri in laqueum : ne legis scilicet sacramenta cognoscerent. *Et dorsum eorum semper incurva.* Ut Romanis serviant semper. Vel sub onere legis : quod secundum litteram ferre potuit nemo.

Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, etc. Hæc omnia in eversione Jerosolymæ sub Tito et Vespasiano completa sunt. Vel hoc est quod ait : Dimittetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* III). Recedente de Judæa Christo, omnes pariter cum illo recesserunt virtutes.

Quoniam quem tu percussisti ipsi persecuti sunt. De se hæc Christus ad Patrem loquitur, sicut in alio propheta ex persona Patris legimus dictum : Propter peccata populi percussi eum (*Isa.* LIII). Et iterum : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis (*Zach.* XIII). Percussus est enim ut nos resurgeremus : vulneratus est, ut nos sanaret. Sed et

A sanguis, et aqua quæ de vulnere lateris ejus exiit, (*Joan.* XIX) martyrii baptismique prætulit typum, per quod itur ad cœlum. *Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Cum vel Ecclesiam, vel apostolos persecuti sunt.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum. Sicut enim quod me non crediderunt, ad iniquitatem eis est reputatum : ita quod me persecuti sunt, iniquitati huic adjiciatur. *Et non intrent in justitia tua.* Cœlorum cum justis non capiant regna.

Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur. Duos hic libros indicat scriptos : viventium ac justorum. Unde animadvertendum est quod ille sit viventium, in quo ante adventum Dei prophetæ ac patriarchæ scripti sunt. De quo Moyses, B peccante populo, ait : Si non dimittis eis noxam : dele me de libro quem scripsisti (*Exod.* XXXII). Justorum vero dicit illum de quo Dominus ad eos qui per fidem secuti sunt, ait : Gaudete et exsultate : quia nomina vestra scripta sunt in cœlo (*Luc.* X). Persecutores ergo isti, et a primo libro deleti sunt, et in secundo non sunt scripti.

Ego sum pauper et dolens. In Passione. *Et salus tua, Deus, suscepit me.* Resurgentem. Hinc jam propheta loquitur : *Ego sum pauper, et dolens* : Cum enim esset dives, pro nobis pauper factus est, et compeditos suos non despexit. Possumus hoc versiculo uti, si quando in laudes martyrum peroramus. Quidam et de animabus hoc intelligi putant, quod clausæ corporibus non despectæ sint a Deo.

C *Laudabo nomen Dei mei cum cantico : magnificabo eum in laude.* Quod vel de diabolo triumphaverit, vel vicerit mundum.

Placebit Deo. Id est, Patri. *Super vitulum novellum.* Qui seipsum obtulit Genitori. *Cornua producentem.* Fortitudinem Ecclesiæ dantem. *Et ungulas.* Quibus sacrilegia conculcet gentium ac divellat.

Videant pauperes et lætentur. Quod humiliata superstitione gentilium, Ecclesiæ Domini extollitur regnum. *Quærite Dominum, et vivet anima vestra.* Quæ nunc mortua est peccatis.

Quoniam exaudivit pauperes Dominus. Ut eos resuscitaret. *Et vinctos suos non despexit.* Quia, disruptis diaboli nexibus, eos regno suo ascivit.

D *Laudent illum cœli et terra : mare et omnia reptilia in eis.* Ipsi omnia genu flectant cœlestium, terrestrium, et infernorum.

Quoniam Deus salvam faciet Sion. Cœlestem Jerusalem, in qua electos suos pro meritis adunabit in uno corpore illius matris cœlestis. *Et ædificabuntur civitates Judæ.* Animæ sanctorum, quæ per confessionem in templum sanctum tamquam vivi lapides deferuntur.

Et inhabitabunt ibi, et hæreditate acquirent eam, et semen servorum ejus possidebit eam, etc. Sancti utique qui in eam transferuntur. Vel semen eorum, id est, qui per eos conversi sunt. Sed quia titulus psalmi pro his qui commutabuntur inscribitur : oremus Dominum, ut nos a gentilitate conversos, in Judæa

civitates ædificet, et a jugo diaboli absolutos, ut soboles diligat proprias. Ut quos redemit per fellis amaritudinem, per aceti asperitatem, per crucis supplicia, per clavorum vulnera, per mortis contumeliam, per gloriam resurrectionis, sic custodire dignetur in sæculo, ut faciat participes sanctis suis in regno. Amen.

PSALMUS LXIX.

In finem, Psalmus David in rememoratione, eo quod salvum fecit eum Dominus. Iste psalmus ex persona Domini incorporati canitur, deprecantis præsidium Patris.

Deus, in adjutorium meum intende : Domine, etc. Nostrum adjutorium Christus est, qui nunc Patris auxilium postulat ad confutandos eos, qui sibi adversantur.

Confundantur et revereantur qui quærunt animam meam, ut auferant eam. In hoc enim confunduntur, cum eum cujus animam auferre voluerunt, resurrexisse cognoscunt.

Avertantur retrorsum, et erubescant qui volunt mihi mala. Non immutentur in resurrectione cum sanctis, sed retrorsum conversi erubescentes : quia quem ut hominem judicaverunt, judicare ut Deum cernunt.

Avertantur statim erubescentes : qui dicunt mihi euge, euge. Irridentium hæc vox est, quæ ad eos refertur qui dicebant : Si Filius Dei es, descende de cruce; et iterum : Confidit in Deum : liberet eum, si vult (*Matth.* XXVII). Post impiorum vero pœnam, ad gloriam convertitur beatorum.

Exsultent et lætentur in te omnes qui quærunt te. Qui per lacrymas pœnitentiæ te, qui misericors es, requirunt. *Et dicant semper : magnificetur Dominus.* Accepta indulgentia peccatorum. *Qui diligunt salutare tuum.* Diligentes te : eo quod sis omnium vita.

Ego vero egenus sum et pauper : Dominus, etc. Christus Dominus se crebro egenum et pauperem vocat : cujus cura in paternæ pietatis amore consistit.

Adjutor meus, et protector meus es tu, Deus meus, ne tardaveris. Hinc enim passionis tempore discipulo dixit : Quod facis fac celerius (*Joan.* XIII) ; scilicet ut passionem corporis velox resurrectionis adjutorium præveniret. Qui vulneratus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram : ipse nobis nunc auxilium in tempore tribulationis miseratione solita largiatur, ut cum sanctis ejus exsultantes, eum magnificare atque extollere valeamus. Amen.

PSALMUS LXX.

Psalmus David, filiorum Jonadab, et priorum captivorum. Iste psalmus vocem continet prophetæ : de illa Redemptoris humilitate corporea conquerentis, ac de ejus resurrectione gloriosa canentis.

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum. Orat ergo Mediator noster, ut hæc confusio mortis non sit, ut cæterorum omnium, diuturna. *Et in tua justitia libera me, et eripe me. Inclina*, etc. Justitia enim tua est ut qui fecerit voluntatem tuam, transeat a morte in vitam : per quam et ego nunc eripi deprecor. Vel aliter : *Inclina ad me aurem tuam, et*

A *salva me.* Aures Domini dicuntur, quando exaudire dignatur : quia formam servi accipiens, factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus illum exaltavit, et dedit illi nomen quod est super omne nomen.

Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, ut salvum me facias. Quia absque te neque refugium neque munitio : neque protectio a quoquam præstari potest. Numquid Deus localis est? Licet localis sit ad se venientibus : sed non est localis : quia ubique est.

Quia firmamentum meum, et refugium meum es tu. Firmamentum, cum æqualis in eo consistit substantia. *Refugium*, juxta imbecillitatem corpoream.

Deus meus eripe me de manu peccatoris : et de
B *manu*, etc. De potestate populi Judaici, qui me venturum in Lege non intellexit. *Et iniqui.* Semper malignantis. Non omnes peccatores etiam iniqui. Peccatores sunt transgressores, id est, Judæi, et mali Christiani : qui vetus, et novum Testamentum transgrediuntur. Iniqui qui non credunt, ut Paulus ait : Qui sine lege peccaverunt, sine lege et peribunt.

Quoniam tu es patientia mea, Domine. Quia pro tua patior voluntate. *Spes mea a juventute mea.* Ab initio ætatis corporeæ. Ideo spes non confunditur : quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris : per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* II).

In te confirmatus sum ex utero. Legis utique, ex quo initiavi credere. *De ventre matris meæ.* Synagogæ de qua processi. *Tu es protector meus, Domine.*
C *In te cantatio mea semper.* A te protegar in passione, et tuum in gentibus nomen concinam.

Tamquam prodigium factus sum multis. Dicebant enim illi : Samaritanus es tu, et dæmonium habes (*Joan.* VIII ; *Matt.* XVII). *Et tu, Domine, adjutor fortis.* Dixisti mihi : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite.

Repleatur os meum laude tua, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. Unus dies est sanctis tuis in hoc mundo, quem nulla obscurat nox : in quo et cum quibus, laudem, gloriam, magnificentiamque concino tuam : quia ego in his sum. Ego cano tibi. Sed et nunc ipse Dominus aperit os nostrum, ut possimus ejus gloriam nuntiare, atque laudem ejus disserere.

D *Ne projicias me in tempore senectutis, cum deficiet*, etc. In consummatione utique ætatis istius.

Quia dixerunt inimici mei mihi. Dicentes, hic non est de Deo, qui sabbatum non custodit (*Joan.* IX). *Et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum dicentes : Deus dereliquit eum*, etc. Hæc dixerunt impii, et erraverunt : obcæcatum enim est malitia cor eorum. Sed et in ipsa passione quasi derelicto Deo dicebant : Sine veniat Elias, et liberet eum (*Matt.* XXVII).

Deus, ne elongaveris a me : Deus meus, etc. Ut alligato forte, victor redeam ex inferno.

Confundantur et deficiant detrahentes animæ meæ, operiantur, etc. Cum ego resuscitatus fuero.

Ego autem semper sperabo in te, Domine, etc. Ut quæ tibi lex offerre præcepit in sacrificiis suis visibilibus, redemptus populus deportet in moribus.

Os meum annuntiabit justitiam tuam, tota die salutare tuum. Resurgens enim congregabo Ecclesiam, in qua tuas concinam laudes.

Quia non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini. Cognovit ille negotiationem, qui magistrum vendidit. Nam ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem (*Joan.* XVII). *Domine, memorabor justitiæ tuæ solius*. Paternæ eum justitiæ memorem propheta dicit, sicut et ipse in Evangelio ait : Ego quæ audivi a Patre meo, hæc loquor (*Joan.* VIII).

Deus, docuisti me a juventute mea, et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua, et usque in senectam et senium : Deus, ne derelinquas me. Numquid enim est derelictus a Patre? sed semper testimonium perhibuit, quia verax est.

Donec annuntiem brachium tuum generationi omni, etc. Hæc omnia Christianæ generationi annuntiavit: quam suo sanguine acquisivit et pro qua passus est quæ sequuntur. *Quæ fecisti magnalia, Deus! quis similis tibi?* Qui me misericordi consilio ad redemptionem humanam misisti.

Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, et malas! et conversus vivificasti me. Multæ quidem ei tribulationes in carnis infirmitate ostensæ sunt ob salutem humani generis, sed omnia vivaciter toleravit. *Et de abyssis terræ iterum reduxisti me*. Hoc est, de profunditate inferni. Dicant nunc Judæi, qui hunc psalmum in solum David canere volunt : quando de profundo abyssi est eductus.

Multiplicasti magnificentiam tuam, Deus, etc. Cum hi qui in inferno tenebantur, mecum redierunt.

Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi. Qui de illo vino novo evangelicæ et apostolicæ prædicationis repleti, in psalmis me intelligunt præconatum : *Veritatem tuam, Deus, psallam tibi in cithara, Deus sanctus Israel*. In his qui te mente retinent.

Exsultabunt labia mea, etc. Hæc ad clausulam psalmi propheta dicit. *Et anima mea quam redemisti*. Ne ei mors secunda dominaretur.

Sed et lingua mea meditabitur justitiam tuam : cum confusi, et reveriti fuerint qui quærunt mala mihi. Sive vitia, sive potestates aereæ, quæ mihi iniquas inferunt immissiones. Nos vero deprecemur Dominum, ut repleto laudibus ejus ore humano, ea semper meditemur in cordibus, quæ ei placitis vocibus proferamus.

(PSALMUS LXXI.

In Salomonem. Et hic psalmus proprie ad Christum refertur. Salomon quippe pacificus, et pacificus est Christus : et permanet cum sole, et ante lunam generationis generationum. Si super Salomone iste psalmus intelligitur, hoc penitus stare non potest. Salomon quippe, nec cum sole, nec cum luna permansit. Si vero volumus intelligere de Christo, quærendum quomodo Christus non habeat finem : cum sol, et luna, et cœlum, et omnia veterascere, et transire dicantur. Sed iste septuagesimus primus psalmus quem propheta cecinit, Filium Dei in mundum venturum ostendit; eumque post assumptæ carnis injurias liberatosque pauperes de manu potentis, cœlis redditum, a Patre omne sumpsisse judicium. Tale igitur sumit exordium :

Deus, judicium tuum regi da. Loquitur ergo, ut diximus, propheta ad Patrem, ut judicium Filio donet, non quod eum in una Deitate subsistentem non habeat, sed ut in corpore venturum ostendat. *Et justitiam tuam filio regis*. Populo qui in adoptionem filii assumptus, per baptismum in eo renatus est. Nam congrue convenit, ut populus justitia vivat : rex autem judicium, quod a Patre suscepit, exerceat, quod sequens confirmat versiculus.

Judicare populum tuum in justitia. Quem per passionem ac resurrectionem illius acquisisti. *Et pauperes tuos in judicio*. Ut, post præsentes ærumnas, consolationem capiant sempiternam.

Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam tuam. Montes collesque duplam habere intelligentiam, sæpe monuimus, id est, partis deificæ, et adversæ. Ergo hi qui, seducente adversario, faventibus divitiis, in modum collium montiumque elevati sunt : subditi nunc Deo, illam pacem justitiamque suscipiant, quam populus quem superius adoptivum diximus, tenet, id est, Christum, qui est pax nostra, et justitia.

Judicabit pauperes populi. Ut pro eo pauperes facti, cœlestibus regnis locupletentur. *Et salvos faciet filios pauperum*. Qui per eos conversi sunt. *Et humiliabit calumniatorem* : Largito justis præmio, humiliat diabolum, qui nunc eis calumniator exsistit.

Et permanebit cum sole. Cum claritate paterna. Nam huic soli aptari ista non possunt ; quia cum hoc mundo dissolvetur. *Et ante lunam generationis generationum*. Prior enim stabit ante omnem congregationem Ecclesiæ, manebitque in sempiternum.

Et descendet sicut pluvia in vellus. Sicut enim in vellus Gedeonis pluvia descendens (*Judic.* VI), cum terra arida defecit, ita et hic illapsus est in uterum virginalem per infusionem Spiritus sancti. *Et sicut stillicidia stillantia super terram*. Arida enim erat terra humani corporis cum advenit, nec ullum fructum exhibere poterat sanctitatis ; sed ipse eam prædicationis suæ stillicidiis fecundatam fructibus replevit æternis.

Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis. Quod in diebus Augusti Cæsaris est impletum, cum Dominus de thalamo virginali processit. Nam ita his diebus omnia bella quieverunt, ut etiam illud impleretur, quod alius propheta cecinit, dicens : Converterunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces (*Isai.* II). Dies autem ejus sunt, cum concipitur, cum nascitur, cum nutritur. Dies ejus, sunt, cum opera Patris operatur, cum patitur, cum ad inferna descendit, cum resurgit, cum se discipulis præbet, cum cœlos ascendit. *Donec auferatur luna*. Elevetur Ecclesia.

Et dominabitur a mari usque ad mare, etc. Totum

hunc mundum sua passione acquisitum atque subjectum Christo Domino propheta testatur.

Coram illo procident Æthiopes. Peccatis tenebrosi. *Et inimici ejus terram lingent.* Juxta illud : Te adorabunt, et pulverem pedum tuorum lingent (*Isai.* XLIX).

Reges Tharsis, et insulæ munera offerent : reges Arabum, et Saba dona adducent, etc. Omne hic mundiale imperium, honores, et ordines ad Christum Dominum accedere, eique colla submittere, bonorumque morum dona deferre, propheta pronuntiat : quod ex magorum muneribus intelligimus inchoatum. Ipsi enim gentium regumque typum tenuisse monstrantur.

Quia liberavit pauperem a potente. Populum fidelem a potestate diaboli. *Et pauperem cui non erat adjutor. Parcet pauperi, et inopi*, etc. Qui, abjectis mundi divitiis, pœnitentiam egerunt : parcitur his, et salvabuntur.

Ex usuris et iniquitatibus redimet animas eorum. Ne de pereuntibus usuris in terra constituant thesauros, sed in cœlo collocent sacculos qui non veterascant. Sed et usuræ peccata sunt, cum malitia a Satana accepta multiplicatur. *Et honorabile nomen eorum coram illo.* Coram Deo Patre.

Et vivet. In sanctis suis, sicut et Paulus dicebat : Jam non vivo ego : vivit autem in me Christus (*Galat.* II). *Et dabitur ei de auro Arabiæ.* Offerent ei mentis puritatem, tamquam aurum Arabicum, splendore pulcherrimo rutilans. *Et adorabunt de ipso semper.* Eo quod ab iniquitatibus liberati sunt. *Tota die benedicent ei.* In uno Ecclesiæ corpore congregati.

Et erit firmamentum in terra. Magnum enim terræ labenti attulit ejus adventus passio ac resurrectio firmamentum. *In summis montium superextolletur super Libanum fructus ejus.* Super omnes enim altitudines sæculi elevata est gratia baptismi; per quam peccata tolluntur. *Et florebunt de civitate.* Id est, de cœlesti Jerusalem. *Sicut fenum terræ.* Fenum duplam habet rationem. Est fenum quod arescens decidit, et est fenum floridum, et viridi coma perdurans, de quo ornantur coronæ sanctorum. Sancti ergo per baptismum renati, florebunt de cœlesti Jerusalem bonorum operum ornamento splendidi. *Sicut fenum terræ.* Non illius terræ maledictioni subditæ, sed illius melle ac lacte manantis.

Et erit nomen ejus benedictum in sæcula. Ab his quos inibi transtulit, perpetualiter benedicetur. *Ante solem permanet nomen ejus.* Potestas scilicet nominis ejus ; juxta illud : Ante luciferum genui te (*Psal.* CIX).

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ : omnes gentes magnificabunt eum. Hoc enim evangelista commemorat, Domino sic dicente : Prædicabitur hoc Evangelium in universo mundo (*Matt.* XXIV). Sed et omnes gentes venient, et adorabunt coram te, Domine.

Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus. Fecit enim in veteri Testamento : facit et in novo, cum dignanter vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.

Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum. Juxta illud : Et erit credentibus in me nomen novum, quod benedicetur in terris, id est, Christianum. *Et replebitur majestate ejus omnis terra, fiat, fiat.* Cum effuderit Spiritum suum sanctum super omnem carnem : quod jam in Actibus Apostolicis legimus fuisse completum (*Act.* II). Qui et nunc in nobis Paracletum, id est, *Consolatorem* dignetur infundere, ut intelligere possimus cum pro redemptione nostra corpus assumpsisse terrenum, suscepisse mortem, penetrasse inferos, redisse victorem ad cœlos.

PSALMUS LXXII.

Defecerunt hymni David, filii Jesse. Psalmus Asaph. Sciendum quod septuagesimus primus psalmus secundi libri finis sit : unde et in extremo habet, *fiat, fiat :* pro quo nos in superioribus demonstravimus, *amen, amen* in Hebræo dici. Etiam hoc diligentius observandum, quod *defecerunt hymni David, filii Jesse,* ad finem septuagesimi primi psalmi pertineat : id vero quod sequitur, *Psalmus Asaph*, initium sit sequentis.

Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde. Bonus enim est his qui eum visuri sunt : sicut Dominus inquit : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matt.* V).

Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei. Quia, etc. Stabilitas sanctitatis ejus atque incessio ad Deum labebatur, eo quod æmulus impiorum pacis felicitatisque fuisset.

Quia non est respectus morti eorum : et firmamentum in plaga eorum. Et in labore hominum, etc. Ab infirmitate, et plagis velociter convalescunt, nec sicut homines justi, tribulationum quatiuntur flagellis.

Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, et impietate sua. Per arrogantiam enim felicitatis multiplicata iniquitate premuntur.

Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. In pinguedine quoque divitiarum, oblita iniquitas processit ab eis. De hac enim pinguedine, et Moyses ait : Impinguatus est Jacob, et recalcitravit (*Deut.* XXXII).

Transierunt in affectum cordis. Ut suam, et non Dei facerent voluntatem.

Cogitaverunt, et locuti sunt nequitiam, etc. Sive Judæi, qui Deum in carne positum blasphemantes, nequitiæ laqueos tendebant in cogitationibus perversis : sive hæretici, qui per interpretationes iniquas Deo detrahunt.

Posuerunt in cœlum os suum, et lingua eorum transivit in terra. Per superbiam scientiæ locuti sunt contra habitatorem cœli, sed humiliatum est usque in terram iniquum eloquium eorum, et pertransiit : quia firmam non habuit stationem. Idcirco his propheliis Dominus de suis loquitur, dicens :

Ideo convertetur populus meus hic, et dies pleni invenientur in eis. Videntes hæc justi qui prius in peccatoribus zelati fuerant, cernentes pacem eorum, revertuntur ad Deum : ut plenitudinem dierum ca-

piant æternorum, scientes, quia iniqui, nec ad dimidium accedunt.

Et dixerunt : Quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso. Ignorant enim peccatores Deum omnia posse cognoscere : nescientes miseri, quia nihil ab oculis ejus absconditur.

Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias. Abundantes divitiis sæculi, perdiderunt dona paradisi.

Et dixi : ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas? Numquid hæc videns justus frustra se justificavit, aut in contrario innocens opus fecit? Sed hæc ex persona justi Dominus ipse dicit, sicut sequentia docent.

Et fui flagellatus tota die. Flagellabatur enim Dominus sæpe dolis eorum : sed in die passionis certis contumeliis, et veris ictibus verberatus est. *Et castigatio mea in matutino.* Judas utique dixit : Quid vultis mihi dare, et ego indicabo eum vobis, ut apprehendatur (*Matt.* XXVI)? Ipse autem in matutino fuit flagellatus : cum sequenti die de traditione Dominica abiit, et laqueo se suspendit.

Si dicebam : Narrabo sic, ecce generationem filiorum tuorum prævaricatus sum. Ordo lectionis, et sensus iste est : Dum ipse me accuso in orationibus matutinis, hoc reperi ut dicerem : Ego si sic fuero locutus : ego si voluero Dei occulta rimari, incipio a filiis tuis alienus fieri : velut non justificetur quis, neque justum faciat opus. Hi qui me prædicant, et per me tui effecti sunt filii, in me consurgunt. Hinc propheta loquitur.

Existimabam ut cognoscerem, hoc labor est ante me. Perscrutatus sum cuncta, et si laboriose : existimavi tamen cum Apostolo, quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in sanctis (*Rom.* VIII).

Donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum. Intellexi etiam de his sanctis ingrediens mente in eorum cœtum : quia et si in prima vita in paucis vexati, in novissima tamen bene disponentur in multis. Hinc ad illos qui in divitiarum dolo confidebant, verba vertuntur.

Verumtamen propter dolos posuisti eos. Quia tribulaverunt iniquis fraudibus justos. *Dejecisti eos dum alleviaverunt.* In divitiis alleviati a te sunt dejecti.

Quomodo facti sunt in desolationem? Interrogantis vocis hic modus est, et sequitur respondentis. *Subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.* Exposuit enim ordinem rei, juxta illud quod Apostolus ait : cum dixerint pax et securitas : tunc repentinus illis apparebit interitus (I *Thes.* V).

Velut somnium exsurgentium. Sicut quis dormiens videt in visu thesauros magnos auri argentique, et surgens omnia perdit : ita et hi divitias suas post hujus sæculi vitam in qua velut in somno versati sunt. *Domine, in civitate.* In cœlesti utique Jerusalem. *Imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Cum pulsantibus his cœlestem regiam, dices : Discedite a me, operarii iniquitatis : quia non novi vos (*Luc.* XIII).

Quia inflammatum est cor meum. Ut Patris faciam voluntatem. Christus Dominus hæc loquitur. *Et renes mei commutati sunt.* Ne mihi prævaleret luxuria cogitationis humanæ. *Et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi.* Et humiliatum, et ignorantem se dicit, ut verum hominem monstret. Nulla enim Deus ignoratione fallitur, sed tantum peccatores nescit.

Ut jumentum factus sum apud te. Portans in carne peccata populi tui. *Et ego semper tecum.* Ego in te, et tu in me.

Tenuisti manum dexteram meam. Descendente me in infernum, quia sinistra diaboli adversabatur mihi. *Et in voluntate tua deduxisti me.* Resurgentem. *Et cum gloria suscepisti me.* Cœlis redeuntem.

Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Cum emphasi legendum, tam grandia mihi in cœlis præparasti, et ego infelix in terris a te parva quærebam? Aliter : Neque in cœlo, neque in terra alium præter te quæsivi. A te enim impleta est voluntas mea, ut mihi flectatur omne genu, cœlestium, terrestrium, et infernorum. Vox succedit Ecclesiæ dicentis :

Defecit cor meum, et caro mea : Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. Post Deum cordis sui, id est, Christum Dominum cujus pars facta est, tam corde quam corpore toto desiderat. Nam defectio quam se dicit habere, non pro diminutione, sed pro desiderio accipienda est.

Quia ecce qui elongant se a te, peribunt : perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Omnes qui fornicantur, sine Deo peccant. Qui autem peccat, longe est a Deo : ideoque perditioni est proximus.

Mihi autem adhærere Deo bonum est. Cujus sanguine sum redemptus. *Ponere in Domino Deo spem meam.* Quia vanum est in sæculi confidere bonis.

Ut annuntiem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion. Per contemplationem enim spei quam in Deum habet, sperat se induci in cœlestis Jerusalem portis : ad capescendam futuram beatitudinem cum electis ejus. In quorum nos consortium non meritorum inspector, sed veniæ largitor admittat Christus Dominus. Amen.

PSALMUS LXXIII.

Intellectus Asaph. Ideo *intellectus*, in titulo prænotatur : quia duplex captivitas sequitur; carnalis videlicet, et spiritualis.

Utquid, Deus, repulisti in finem : iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ. Immensum Dominicæ pietatis donum est, qui sic repellit, ut revocet : irascitur, ut emendet.

Memor esto congregationis tuæ quam possedisti ab initio. Ecclesiasticæ utique congregationis quam patriarcharum, sive prophetarum, vel vocationibus, vel sacrificiis figurasti.

Redemisti virgam hæreditatis tuæ. Virga hæreditatis Dei, Christus est, sicut Jeremiæ videnti vigilantem virgam dicitur : Bene vides, quia vigilo ego super

populum meum (*Jerem.* I); et iterum : Egredietur A virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et ipsum gentes deprecabuntur (*Isa.* XI). Hæc ergo virga liberata est a persequentibus inimicis. *Mons Sion in quo habitasti in eo.* Sive in assumpto corpore, sive in Ecclesia. Utrumque enim ad montem pertinet sanctum.

Leva manus tuas in superbias eorum in finem. Qui Ecclesiam tuam impugnare conantur. *Quanta malignatus est inimicus in sancto!* Ut hos malis consiliis homines persecutores eorum efficeret.

Et gloriati sunt qui oderunt te, etc. Instinctu enim diaboli gloriantur : cum in odium Dei, sanctos martyres pœnis affligunt.

Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra : polluerunt tabernaculum nominis tui, etc. Facta sunt B quidem hæc secundum historiam : vel cum Nabuchodonosor eos adduxit in Babyloniam (IV *Reg.* XXV), vel cum Titus Vespasianusque, succensa civitate cum templo, multitudine gladio prostrata, reliquum vulgus captivum abduxit. Sed et modo cavendum est, ne quod tunc contigit Jerosolymæ, Christianæ nunc eveniat plebi : sicut superius isto versiculo quem præterivimus quomodo dixit : *Posuerunt signa sua, et signa non cognoverunt, sicut in exitu desuper :* sic Babylonii in arrogantiam victoriæ tumore sublati, in templo tuo signa sua posuerunt, quomodo solent super portarum fornices de hostibus trophæa constitui. Quod Symmachus planius interpretatus est, dicens : *Posuerunt signa sua manifeste in edito, in introitu portarum.* Ergo habeat unusquisque nostrum, C in corde suo, vexillum crucis : non adversarii signum, ne ejus securi succidatur a gratia, sed falce evangelica purgetur ad gloriam. Non succendatur in concupiscentiis, sed accendatur a spiritualibus sacramentis. Non polluatur vitiis, sed virtutibus repleatur. Nec existimet Deum aliquid non posse cognoscere, sed confiteatur nihil oculis ejus abscondi. Postremo non præbeat consensum in improperiis diaboli, sed glorificet nomen Dei sui.

Ut quid avertis manum tuam, et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem? Sinus est sanctuarium ejus, sicut per alium ait prophetam. Sicut enim pastor gregem suum fovet, et fetus in sinu portat : sic Dominus plebem suam vegetat (*Isa.* XL). Tunc ergo ab hoc sinu, vel inspectionem, vel potentiam suam D avertit, cum peccaverimus in eum.

Deus autem rex noster ante sæcula. Sicut per Salomonem ex sapientia, quæ est Christus, dicit : Condidit me in initio viarum suarum, ante sæcula fundavit me (*Eccl.* XXIV). *Operatus est salutem in medio terræ.* Sive in Judæa quæ medium terræ dicitur, sive in utero virginali.

Tu confirmasti in virtute tua mare. Sæculum, vel quæ in eo sunt. *Tu confregisti capita draconis in aquis.* Potentiam dæmoniorum in baptismo subjecisti. *Tu confregisti capita draconis in aquis :* id est, diaboli. *Et dedisti eum escam populis Æthiopum.* Ut versa vice ab his devoraretur, sive comminueretur, per signum crucis, quos prius devoraverat in persuasionibus vanis.

Tu dirupisti fontes, etc. Apostolos, vel reliquos prædicatores.

Tuus est dies, et tua est nox. Claritas Evangelii, vel obscuritas Legis : quia te utraque pronuntiant. *Tu fecisti solem.* Hominem illum per quem sedentes in tenebris lucem viderunt magnam. *Et lunam.* Ecclesiam, quæ in obscuritatibus sæculi lucet.

Tu fecisti omnes terminos terræ. Jussu enim tuo cuncta creata sunt. *Æstatem, et ver tu plasmasti ea.* Quamquam et tempora anni, et omnia elementa mundi Deus fecerit, tamen secundum allegoriam, ver dicimus, cum justi in hoc sæculo bonis operibus florent : *Æstatem*, cum fructum laboris sui percipiunt.

Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino, et populus insipiens incitavit nomen tuum. Stant tui martyres in agone, improperat diabolus, exacerbat gentilis populus. Tu, Domine, memor esto eorum qui ob amorem nominis tui talia patiuntur.

Ne tradas bestiis animas confitentes tibi. O diabole, o ministri diaboli, qui non vultis corpora devorare, sed animas. Tunc enim anima devoratur ore bestiæ, cum conniventiam præbet diabolicæ voluntati. *Animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.* Et si ad horam subduntur tribulationibus, non pereant; sed probati manifesti fiant.

Respice in testamentum tuum, quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ dumis iniquitatum. Dumi interpretantur *spinæ.* Hi ergo qui obscuraverunt persecutionibus suis terram tuam, repleti sunt sentibus iniquitatis. Tu vero, Domine, qui per Testamentum tuum, sive vetus, sive novum, quia utrumque a te processit, et quasi unum habetur, promisisti protegere tuos, succisis nunc spinis, erue nos.

Ne avertatur humilis factus confusus. Non obliviscatur a te, qui in tribulationibus multis atteritur. *Pauper et inops laudabunt nomen tuum.* Cum promissa tua perceperint.

Exsurge, Deus, judica causam tuam. Pro his improperiis quæ vel tu sustinuisti pro nobis, vel nunc Ecclesia sustinet. *Memor esto improperiorum tuorum : eorum quæ ab insipiente sunt tota die.* Ut in judicio confundantur.

Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum. Qui te utique in præsentibus pressuris invocant, consolentur a te. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Nisi enim eorum superbia ascendat : hi non humiliantur. Sic enim et Dominus in Apocalypsi dicit : Impius impie agat, et iniquus amplius faciat iniquitatem (*Apoc.* XXII). Ecce ego venio cito, et merces mea mecum. Nos quoque supplices deprecamur, Domine, ut ereptos nos ab spinis iniquitatum, a superbiæ ruinosæ cothurno, post mundi contemptum attollere digneris in cœlum.

PSALMUS LXXIV.

In finem, ne corrumpas, psalmus Cantici Asaph. interpretatur *synagoga.* In Hebræo, non habet *in*

finem, sed habetur, *Victoria*. Et LXX interpretes non valde erraverunt; siquidem victoria perfecta est. Bene dixit, *In finem ne corrumpas*. Hoc verbum multis modis interpretatur. Dicit et David ad aliquem de amicis suis: Ne corrumpas eum: hoc est, Saul. Videte quid dicat. Et in alio loco legimus, quoniam benedixit David Dominum: quia custoditæ sunt manus ejus, id est, ne interficiat Saul. Et nos ergo, quando non interficimus aliquem: custodiuntur manus nostræ. Alii dicunt quoniam iste psalmus a David compositus est, et ab Asaph cantatus est. Alii autem, quoniam ipse Asaph, et composuit, et cantavit. Ergo secundum LXX hoc dicit: O Domine, qui me custodisti: ut non mitterem manum meam super Christum tuum Saul, usque ad finem custodi me.

Confitebimur tibi, Deus. Hic, *confitebimur*, non pœnitentiam significat, sed gloriam. *Et invocabimus nomen tuum*. Nomen Dei, Pater est: antea enim ignorabatur. Dicit enim Dominus: Pater, revelavi nomen tuum hominibus (*Joan.* XXVII). Omnis enim Filius nomen est Patris.

Narrabimus mirabilia tua. Hoc dicit Ecclesia: hoc dicit multitudo credentium. *Narrabimus mirabilia tua*. Iste versus cum prioribus jungitur; iste autem qui sequitur, ex persona Domini dicitur. Sic enim interpretati sunt Veteres.

Cum accepero tempus, ego justitias judicabo. Nunc enim non est judex, sed erit. Si enim esset nunc judex, peccatores non erigerentur, et in sæculo non obtinerent divitias. Hoc vos scandalizat: quoniam justi fugiunt, et peccatores persequuntur? Hoc vos scandalizat: quoniam iniquitas regnat in mundo? Audite Dominum dicentem: *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo*. Tempus enim judicii reservatum est. In præsenti non est judicium, sed certamen. Non enim judicat Pater quemquam; sed omne judicium dedit Filio. Audiens autem hoc, ne scandalizeris, et dicas: quia minor est iste, qui accipit ab eo qui dat; sed vide quid dicat in Evangelio: Neque enim judicat Pater quemquam; sed omne judicium dedit Filio: quoniam Filius hominis est (*Joan.* III). Reddit causam quare accepit judicium: quoniam Filius hominis est. Audis Filium hominis, et dubitas quare accepit?

PSALMUS LXXV.

In finem, in carminibus, psalmus Asaph, Canticum ad Assyrios.

Notus in Judæa Deus: in Israel magnum nomen ejus. Antequam illuminaret crux mundum, et antequam videretur Dominus in terra, notus erat in Judæa Deus, in Israel autem magnum nomen ejus. Quando autem venit Salvator, in omnem terram exiit sonus ejus, et in fines orbis terræ verba ejus (*Psal.* XVIII).

Et factus est in pace locus ejus. Quod Hebraice dicitur in SALEM (שלם). Videtur ergo secundum litteram dicere Jerusalem, quæ ante vocabatur *Salem*, et postea *Jebus*, et deinde dicta est, *Jerusalem*, in qua fuit rex Melchisedech. Legimus: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech (*Ps.* CIX). Non dixit secundum ordinem Aaron, sed Melchisedech. Quid voluit dicere, Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech? Manifestum est quod in illo loco de Christo dicitur. Sed quid ait, secundum ordinem Melchisedech? Aaron victimas obtulit, Aaron hostiarum sanguinem fudit. Melchisedech nihil horum fecit, sed tantummodo panem et vinum obtulit (*Gen.* XIV). Hoc ergo fecit Melchisedech, et propterea dicitur, secundum ordinem Melchisedech. In Hebraico habet: *Et factum est in Salem umbraculum ejus*. Videte quid dicat secundum tropologiam: non est umbraculum Domini, nisi ubi pax est. Ubi zelus atque discordia: ibi non est protector Deus. Dicamus et secundum Septuaginta. Locus Dei non est, nisi in anima quæ pacem habet. Quæ ergo anima non habet pacem, sciat se non esse locum Dei. Pacem meam do vobis: pacem meam relinquo vobis (*Joan.* XIV). Hæc est Salvatoris hæreditas. *Et habitatio ejus in Sion*. Secundum litteram possumus dicere Jerusalem, et Sion: quoniam ibi fuit templum. Secundum tropologiam vero, et anagogen dicimus: quia in Sion habitatio Dei sit. Sion interpretatur, *specula*. In quacumque ergo anima notitia Scripturarum est atque doctrina, ibi inhabitat Deus.

Ibi confregit fortitudines arcuum. Ubi, in Jerusalem et Sion. Jerusalem interpretatur, *pax*; Sion, *specula*. Videamus ergo quæ sit pax, et quid sit specula. Dupliciter interpretemur: Aut humana anima in qua sit pax Dei, et contemplatio: aut certe Ecclesia, aut certe Scriptura sancta. Ibi enim pax est, et ibi habitatio, et specula Dei. *Ibi confregit fortitudines arcuum*. Illas sagittas ardentes quas mittebat diabolus. *Scutum, gladium, et bellum*. Bellum illud de quo dicitur in alio loco: Dissipa gentes quæ bella volunt (*Psal.* LXVII). Et quid sequitur? *Sela*, quod interpretantur Septuaginta, *diapsalma*, et Hebraice dicitur, *semper*. Videte ergo quia semper confringit Dominus scutum, et gladium, et bellum.

Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis. Dupliciter interpretamur montes. In veteri Testamento, prophetas; in novo Testamento, apostolos. De istis montibus dicit: Levavi oculos meos in montes: unde veniet auxilium meum (*Psal.* CXX). In istis montibus, et civitas Dei posita est. Non potest civitas abscondi super montem posita. Nos omnes sedebamus in tenebris, et in umbra mortis: et illuxit nobis Dominus de montibus æternis (*Matth.* V): hoc est, de prophetis, et apostolis. *Conturbati sunt omnes insipientes corde*. Hunc versum de infidelibus possumus dicere.

Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt, etc. Vere hæc vita somnus est, et divitiæ. Quando enim videmur eas tenere, statim amittimus. Sicut illud quod scriptum est in propheta: Sicut cum aliquis dormit sitiens, si invenerit aquam, bibit: postea cum vigilaverit, ipsa sitis manet (*Isai.* XXIX): ita sunt et divitiæ in hoc mundo: dum tenemus, amittimus.

Dormitaverunt qui ascenderunt equos. Secundum

tropologiam dicamus. Denique Pharao ascendit A equos, et dormitavit, et periit. Ægyptii habebant equos, sed perierunt. Inde et præceptum est in Lege: ut non Hebræus habeat equos. Denique Salomon non habebat equum de Jerusalem, aut de Judæa: sed emebat sibi de Ægypto (*Deut.* XVII: III *Reg.* X). Semper equi in Ægypto venduntur. Hi in curribus, et hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus (*Psal.* XIX). Illi ergo qui ascenderunt equos, dormitaverunt ac perierunt. Habet et Dominus noster equos: habet et montes lucidos. Econtrario, et diabolus habet montes tenebrosos. Sicut ergo sunt montes lucidi et montes tenebrosi: ita sunt et equi boni, et equi mali. Diximus de equis malis, dicamus et de equis bonis. Illo tempore quando ad Eliseum venerunt, ut eum comprehenderent: exiit puer et vidit exercitum in circuitu Assyriorum, et dixit Eliseus: Noli timere, quoniam plures nobiscum sunt, quam cum illis (IV *Reg.* VI). Et ibi scriptum est: Domine, aperi oculos pueri tui, ut videat. Et, apertis oculis, vidit puer currus et equos. Ili erant auxiliatores. Videte ergo quid dicat, currus et equos. Nemo hominum erat super ipsos, sed erant soli currus et equi: Hoc est, quod vult dicere. Multitudo angelorum, ipsi et currus erant, ipsi et equi: ascensor autem erat Dominus. Propterea dicit in Cantico Habacuc: Et equitatio tua salus (*Habac.* III). Hoc ad Deum dicitur. O si nos essemus equi Dei, et super nos dignaretur Deus ascendere! Illi ergo contrarii equi dormitaverunt, et ascensores eorum.

Ex tunc ira tua. Ex quo tempore ira Dei? Quando populus clamabat ad Aaron in eremo, dicens: Fac nobis deos quos sequamur (*Exod.* XXXII). Hic enim Moyses, qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus, quid ei acciderit. Eduxisti eos de terra Ægypti, et continuo te negaverunt.

De cœlo auditum fecisti judicium. Locutus es de cœlo, audivit omnis populus, et contremuit: et tamen in te non crediderunt. *Terra tremuit, et quievit,* Israel autem nec timuit, nec quievit.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi. Hoc est, quod dicitur in alio loco: Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo (*Psal.* XVIII). Alienis a te, quos submittit diabolus. Et quid sequitur? Si mei non fuerint dominati: tunc immaculatus D ero. Si me non vicerint malæ cogitationes, tunc ero mundus in conspectu tuo. Et quid statim sequitur? Et emundabor a delicto maximo. Vide quid dicat. Si me cogitatio non vicerit, et ad opus non perduxerit: a magno peccato liberatus sum. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi.* Nullus est enim mundus in conspectu Dei, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus. Astra non sunt munda in conspectu Dei, et adversus angelos suos perversum quid excogitavit. (*Job.* XV *et* XXV). Hoc totum quare? Quoniam si astra non sunt munda, si in angelis perversum invenitur: quanto magis in cogitatione hominum! Ubi sunt illi qui dicunt, recede a me, quia mundus sum? Quotide quid patimur: quid sit in cogitationibus nostris, novimus, et erubescimus dicere. Multi sunt qui opera mala non fecerunt, alii sunt qui nec loruti sunt: cæterum qui in cogitatione non peccaverit, nullus hominum reperitur. Propterea nunc dicit, *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi.*

Terribili. Cui? Deo. *Et ei qui aufert spiritum principum.* Quando videmus aliquos potentes, verbi causa, Imperatores, præfectos, et in sæculo isto nimium potentes, dicamus et nos ad Deum: *Qui aufert spiritum principum.* Spiritum possumus et de anima dicere: possumus et de superbia dicere. Intelligamus et de superbia dicere. Intelligamus, et aliter: *qui aufert spiritum principum.* Principes hic intelligimus sanctos. Ac si dicat: Princeps fuit Salomon, princeps B ceps fuerunt cæteri sancti, princeps fuit etiam et Apostolus Judas, et quoniam peccaverunt, Deus tulit ab eis Spiritum sanctum. Nemo ergo dicat: Ego episcopus sum, aut diaconus, aut monachus; ego princeps sum in isto sæculo: potens est Deus tollere spiritum principum. Denique ut sciatis, quia tollit Deus spiritum: recessit spiritus Dei a Saul bonus, et suffocabat eum spiritus malignus. Sequitur: Et suffocabat eum spiritus Dei malus (I *Reg.* XVI). Ergo malum habet spiritum Deus? Nequaquam: sed ideo recesserat spiritus Dei, ut postea suffocaret eum spiritus malus: propterea spiritus Dei dicitur malus. Denique sanctus David, sciens quia spiritus tolleret principum: rogat Deum, et dicit: Spiritum sanctum tuum ne auferas a me (*Psal.* L). *Terribili* C *apud reges terræ.* Et secundum litteram intelligitur. Cæterum præstet Deus nobis, ut reges terræ simus. *Reges terræ*, ut imperemus carni nostræ. Unde dicit et Apostolus: Non regnet peccatum in mortali vestro corpore (*Rom.* VI). Et in alio loco scriptum est: Cor regis in manu Dei (*Prov.* XXI). Juliani persecutoris cor in manu Dei fuit. Saul cor in manu Dei fuit. Manasse cor in manu Dei fuit, et omnium impiorum regum Juda in manu Domini fuerunt. Videtis quoniam secundum litteram stare non potest. Reges ergo sancti sunt, et istorum cor in manu Domini est. Et nos ergo petamus Deum, ut reges simus, ut imperemus carni nostræ, ut subjecta sit nobis. Unde dicit et Apostolus: Ideo castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar (I *Cor.* IX). Imperet anima nostra, serviat corpus, et statim veniet Christus, et habitabit in nobis. Denique quid dicit ipse in Evangelio? Veniam, inquit, et stabo ante ostium, et pulsabo: et si quis mihi aperuerit, intrabo, et cœnabo cum eo (*Apoc.* III). Quotidie stat ante ostium pectoris nostri Christus, intrare desiderat. Aperiamus ei, ingredietur in nos, et hospes noster erit, et conviva, hoc est, et nobiscum comedet: cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXVI.

In finem, pro Idithun, Psalmus Asaph. In Hebræo *per Idithun:* ut significet non pro eo, sed per

cum psalmum fuisse cantatum. Quod autem sequitur *Asaph psalmus*, in veteribus exemplaribus non habetur.

Voce mea ad Dominum clamavi : voce mea ad Deum, et intendit mihi. In die tribulationis meæ Deum exquisivi. Videte quomodo in tribulatione est, et Dominum et Deum deprecatur, et tamen unus Deus est. *Voce mea ad Dominum clamavi.* Clamare eo tempore necessarium est : quando longe est ille qui clamat. Ergo iste quod dicit : hoc est, quoniam propter peccata mea longe sum a te : propterea clamo ut me exaudias. *Voce ad Dominum, et intendit mihi.* Ipsum est quod dicit et in alio loco : Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me (*Psal.* CXIX).

In die tribulationis meæ, Deum exquisivi. Difficilem rem dicit : Nos quando tribulamur, in terram dejicimur : nihil aliud nisi de tribulatione cogitamus. Iste vero in tribulatione commovetur : ut Deum deprecetur. Ac si aperte dicat, Filium perdidi : incensa est domus mea, ad mendicitatem veni : non quæro illud quod perdidi, sed Dominum quæro. Si enim istum invenero, in isto invenio omnia. Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia apponentur vobis (*Matth.* VI). *Manibus meis nocte contra eum : et non sum deceptus.* In Hebræo aliter habet : *Manus mea nocte extenditur, et non quiescit. Manibus meis nocte contra eum.* Subauditur, clamavi. Videte ergo quod et opera nostra, nobis tacentibus, clamant ad Dominum : propterea dicitur : Factum est verbum Domini in manu Aggei prophetæ (*Aggei* I). Non ei fit in ore, hoc est, in sermone, sed in manu, hoc est in opere. *Manibus meis nocte :* hoc est, clamavi, manibus clamavi. Propterea dicitur et ad Moysen : Quid clamas ad me? Et certe non est scriptum ibi quia clamaret Moyses ad Deum, sed quoniam cor ipsius clamabat : Abba, Pater (*Exod.* XIV). Inde est quod dicitur in Jeremia : Non siluit pupilla oculi mei (*Thren.* II). Videte ergo quod et pupilla oculi nostri non tacet, sed quotienscumque lacrymas proferimus, totiens clamamus ad Deum, *Manibus meis nocte contra Deum :* Id est, quod dicitur : In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum (*Psal.* CXXXIII). In nocte istius sæculi, et in tenebris cum alii ad vitia properarent, ego opera mea ad te solum levabam. *Et non sum deceptus :* Quoniam sic clamavi et opere clamavi. *Non sum deceptus.* Dupliciter intelligitur. Aut consecutus sum quod volebam, aut certe non sum deceptus ab insidiis diaboli, qui me circumvenire cupiebat. In Hebræo autem scriptum est : *Manus mea in nocte extenditur, et non quiescit.* Semper extenditur manus virtutibus, nonnunquam peccatis contrahitur.

Renuit consolari anima mea. Quantum in peccatis meis est, spe me nulla poteram consolari. *Memor fui Dei, et delectatus sum.* Quantum in peccatis meis fuit : nullam invenire potui consolationem. Rursum cogitavi de Deo, et in misericordia ipsius delectatus sum. In Hebraico aliter habet : *Memor fui Dei, et conturbatus sum.* Consideravi mansuetudinem ipsius : consideravi pietatem, consideravi munditiam, et videns meipsum immundum, vehementer conturbabar. *Exercitatus sum, et defecit spiritus meus.* In Hebræo melius habet : *Loquebar in memetipso, et defecit spiritus meus :* sive desperatione, sive desiderio Dei.

Anticipaverunt vigilias oculi mei. In Hebræo aliter habet : *Prohibebam suspectum oculorum meorum, constupebam, et non loquebar.* Quod dicit hoc est : Considerans peccata mea, oculos ad cœlum erigere non audebam : peccatori enim dicit Deus : ut quid tu enarras justitias meas (*Psal.* XLIX)? Propterea stupebam, timebam, loqui non poteram. Hoc juxta Hebræos. *Anticipaverunt vigilias oculi mei :* Antequam aliquis vigilaret : ego vigilabam. Legimus et in Daniele (*Cap.* X). Et ecce, inquit, ir, id est, vigil. Non dormitavit neque dormiet, qui custodit Israel. Ergo monachus qui non vigilat hunc versum non potest dicere.

Turbatus sum, et non sum locutus. Hoc est, quod dicit Apostolus : Sol non occidat super iracundiam vestram (*Ephes.* IV). *Turbatus sum,* quasi homo : *non sum locutus,* quasi Christianus. Iracundia cœpit in corde meo; sed iracundiam in verba non protuli.

Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui. Quantum pro peccatis meis est, desperabam : et renuerat consolari anima mea. Cœpi cogitare ab initio mundi, quando hominem fecit Deus, usque ad annum meum : ab Adam usque ad tempus meum.

Meditatus sum nocte cum corde meo, et scopebam spiritum meum : Non cogitabam de iracundia, non cogitabam de inimico meo; sed tota mea cogitatio de Deo erat. Nox quæ solet esse, vel ad quietem, vel ad libidinem : mihi erat cogitatio de virtutibus. *Meditatus sum nocte cum corde meo, et scopebam spiritum meum :* hoc est, fodiebam quasi agrum, ut ibi mitterem semen doctrinarum Domini.

Numquid in æternum projiciet Deus? Hæc erat tota cogitatio mea : Deus hominem fecit de terra, et promisit ei vitam æternam : quomodo ergo de paradiso ejectus est? *Et non adjiciet ei, ut placeat adhuc. Aut in finem misericordiam suam abscidet a generatione in generationem?* Hoc est, utramque generationem projiciet, et prioris populi : et sequentis? Et si projecerat Judæorum populum : Numquid et gentium projiciet?

Aut continebit in ira misericordias suas. Non potuit pulchrius dicere : quamvis se teneat, ut non misereatur : tamen vincit illum misericordia sua.

Et dixi, nunc cœpi. In Hebræo aliter habet : *Et dixi, imbecillitas mea ;* id est, hoc quod patior, non est de crudelitate Dei; sed de peccatis meis. *Hæc mutatio dexteræ Excelsi :* Ut Dominus misereatur, ut det gratiam suam universo mundo : ut non retineat in ira sua misericordias suas. *Hæc mutatio dexteræ Excelsi :* Nisi dextera ejus, hoc est, Filius ejus mutatus fuerit, et hominis corpus acceperit : nos mi-

sericordiam accipere non possumus. *Et dixi, nunc* A *cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Qui cum in forma Dei esset constitutus, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinanivit semetipsum, formam servi accipiens (*Philipp.* II).

Memor fui operum Domini. Quæ fecerat Moysi, quæ fecerat sanctis. *Quia memor ero ab initio mirabilium tuorum, et meditabor in omnibus operibus,* etc. Tota mea cogitatio de virtutibus tuis est. Considero quomodo illis misertus es, et de me non despero.

Deus, in sancto via tua. Quicumque ergo sanctus non est, via Dei in eo non est. Via Dei quæ est? Ego sum via et veritas (*Joan.* XIV). Hoc Salvator dicit. Via ergo Dei filius est, via autem Dei non est nisi in sancto. Volumus, ut Christus habitet in nobis, simus sancti. Dei enim via in sancto est. *Quis* B *Deus magnus sicut Deus noster?* Sicut enim sunt dii multi : et domini multi. Hoc loquitur Apostolus, Deus stetit in synagoga deorum (I *Cor.* VIII). Ego dixi, dii estis, et filii excelsi omnes (*Psal.* LXXXI). Et ad Moysen : Dedi te Deum Pharaonis (*Exod.* VII). Sancti dii dicuntur. Illi secundum gratiam dii : tu autem natura Deus es. *Tu es Deus qui facis mirabilia.* Non dixit, quia fecisti ; sed, *qui facis mirabilia.* Quotidie facit Deus mirabilia, et operatur, et Filius, et Spiritus sanctus. *Tu es Deus, qui facis mirabilia.* Heri latro, hodie Christianus. Heri fornicator, hodie continens. Heri rapiebas aliena, nunc tua porrigis.

Notam fecisti in populis virtutem tuam. Christus Dei virtus, et Dei sapientia, mysterium quod a sæ- C culis fuerat absconditum, nunc notum fecit in populis. *Redemisti in brachio tuo populum tuum.* Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est? *Redemisti in brachio tuo populum tuum :* id est, in Christo. *Filios Jacob, et Joseph.* Utrumque populum et Judæorum, et Christianorum. Jacob in populo Judæorum, et Joseph in populo gentium. Denique Joseph interpretatur lingua Hebræa, *augmentum.* Illi ergo præcesserunt, et nos adjuncti sumus : propterea dicit, *filios Jacob et Joseph.*

Viderunt te aquæ, Deus : viderunt te aquæ, et timuerunt. Interim dicamus secundum litteram : hæreamus terræ propter simpliciores. Quando populus transivit per mare Rubrum, et per Jordanem : D creatorem suum intellexerunt aquæ, et populus non intellexit. *Et turbatæ sunt abyssi.* Mare vidit, et fugit : Jordanis conversus est retrorsum (*Psal.* XIII).

Multitudo sonitus aquarum, discusserunt nubes. Pro nubibus, *aquas* habet in Hebræo. Quod ait, *Vocem dederunt nubes*, hoc interpretantur quando visus est Deus in Sina monte.

Etenim sagittæ tuæ perambulabant : vox tonitrui tui in rota. Et hoc interpretantur de fulgoribus, et dicunt : quando tonitruat Deus, similem vocem facit rotæ. Videtis quomodo adhuc in terra hæream, et loquar secundum litteram occidentem.

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ. Hic quid facis tu, Judæe? In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis. Et hoc fac, aut de mari dici, aut de Jordane. Et vestigia tua non cognoscentur. Hoc secundum litteram, quomodo intelligis? Propter simpliciores secundum litteram diximus : revertamur ergo ad intelligentiam spiritualem. *Viderunt te aquæ, Deus.* Loquamur de revelatione Joannis. Aquæ, inquit, multæ, populi multi sunt (*Apoc.* XVII). *Viderunt te aquæ, Deus.* Quæ aquæ? Et aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini (*Ps.* CXLVIII). *Viderunt te aquæ, Deus.* Mentes et animæ puræ. *Viderunt te aquæ et timuerunt.* Timor non fuit de odio, sed de fide. *Et turbatæ sunt abyssi.* Dicamus aliquid secundum intelligentiam spiritualem. In principio Geneseos scriptum est : Et super aquas, inquit, ferebatur spiritus. Et deinde scriptum est : Super abyssos, inquit, ferebantur tenebræ. Videte ergo quid dicitur in principio Geneseos : hoc est, secundum intelligentiam spiritualem. Super aquas, inquit, ferebatur spiritus. Jam eo tempore baptismum significabatur. Non enim poterat esse baptismum sine spiritu. Super abyssos vero tenebræ. Ista est abyssus ad quam dæmones postulant, ne mittantur a Jesu. Super abyssos ergo tenebræ. In aquis erat munditia : in abyssis, tenebræ. Quæ sint abyssi, me tacente, intelligitis : quoniam dæmones formidant ire in abyssum. *Vocem dederunt nubes.* Nubes, prophetæ : quæ Judæis tacuerunt, nobis locuti sunt. *Vocem dederunt nubes, etenim* sagittæ tuæ transierunt. Prædicatio sermonis Christi in universum orbem cucurrit. *Vox tonitrui tui in rota.* Tonitrus proprie, grandis vox est. Denique eo tempore quando Deus locutus est : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui : facta est vox tonitrui rotæ similis (*Matth.* III). Denique propterea scribitur : Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum (*Psal.* XLI) : hoc est duo Testamenta, novum et vetus. *Vox tonitrui tui in rota.* Vox prædicationis tuæ in rota. Propterea grandis vox dicitur : quia grandis est prædicatio. *Vox tonitrui tui in rota :* in toto orbe per circuitum. Non solum auditur in Judæa, quod tu loqueris, sed et auditur in sæculo. Hoc diximus generaliter. Dicamus autem specialiter de interiori homine. Rota modico quodam vestigio stat in terra, et non solum stat, sed quasi percurrit : non stat, sed tangit et præterit : Denique cum volvitur, ad altiora transcendit. Ita et sanctus vir, quoniam in corpore est, necessitatem habet aliqua de terrenis cogitare : et quando venerit ad victum, et vestitum, et cætera hujusmodi : habens victum et vestitum, his contentus est, et tangens terram, ad altiora festinat (I *Tim.* VI). Ille qui currit, et ad altiora festinat, in illo est sermo tuus (*Zach.* IX). Legimus et in propheta, sancti lapides volvuntur super terram (*Ezech.* I). Videte quid dixit : Sancti lapides volvuntur super terram. Quoniam enim rotæ sunt, propterea volvuntur super terram, et ad altiora festinant. Vultis scire rotas plures? Legimus et rotam

in rota. Legimus et in Ezechiel : Invicem sibi hærent rotæ. Duæ rotæ, sunt novum, et vetus Testamentum. Ista rota in illa hæret, et illa in ista. Tamen videte quid dicitur, et in Ezechiel : Et quocumque, inquit, ducebat spiritus, illuc sequebantur et rotæ. Hoc et in Ecclesiaste dicitur : quod in consummatione mundi revolvetur rota super lacum (*Eccli.* XII). Multa sunt quæ dicantur de rotis; sed ad reliqua festinat oratio. *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ :* Apostolica prædicatio. *Commota est, et contremuit terra.* Nisi terra nostra commota esset, et conturbata, nos Christiani non essemus. *Commota est, et contremuit terra.* Super nullum enim requiescit Spiritus Domini, nisi super humilem, et quietum, et trementem verba ejus (*Isai.* LXVI).

In mari via tua. Ubi fluctus, ubi amara aqua, ubi B draco habitat : ubi pisciculi minuti hærent. *In mari via tua.* Qui eras in cœlo, descendisti in terram. Secundum litteram possumus dicere : Eo tempore quo eduxit Moyses Israel, tu eras qui educebas (*Exod.* XIV). *In mari via tua.* Deinde possumus, et secundum historiam aliter dicere : maria tibi fuerunt via. Sed illud semel fecit. Cæterum quotidie loquitur ad mare : Tace, obmutesce. Dominus te mitigat, ut nos per istud sæculum transire possimus. *In mari via tua.* Ille venit fons vitæ, ut dulcoraret mare. Mare amarum, mare mortuum. Propterea juxta Ezechielem : egreditur de templo Domini fons aquæ vivæ, et vadit ad mare Mortuum, quod nihil habebat vivens (*Ezech.* XLVII). Nulli enim pisciculi esse poterant in mari Mortuo, nihil vivebat in mari Mortuo. De templo Domini, hoc est, de sinu ejus egressus est Salvator, et dulcoravit mare Mortuum, et amaras aquas. *In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis.* Propterea in mari via tua : ut tu faceres viam, et sequerentur te apostoli tui.

Et semitæ tuæ in aquis multis, et vestigia tua non cognoscentur : deduxisti sicut oves populum tuum. Bonus pastor deduxit quasi oves populum suum. *In manu Moysi, et Aaron.* Hoc fecit secundum litteram. Cæterum quotidie facit in nobis. *In manu Moysi,* id est in lege. Scimus autem quoniam lex spiritualis est. In lege tua spirituali et Aaron : hoc est, in sacerdotio. In lege tua spirituali, et in sacerdotio tuo spirituali, nos deduxisti populum tuum (*Rom.* VII). D Hoc secundum litteram intelligamus de Moyse et Aaron. Eductus quidem est Moyses et Aaron, sed non introductus in terram repromissionis. Successit ei Jesus. Videte quod scriptum est : Moyses in deserto mortuus est : Aaron mortuus est; Maria mortua est, et hoc est quod scriptum est in propheta : et percutiam, inquit, tres pastores in mense uno. Illi mortui sunt : neque enim potuerunt intrare in terram repromissionis (*Zach.* I). Viderunt tantummodo contra terram repromissionis, et intrare non potuerunt. Judæi viderunt terram repromissionis, et intrare non potuerunt. Mortui enim in deserto, et cadavera A eorum sunt in solitudine, eorum qui mortui sunt in deserto. Nos filii sub Jesu duce venimus ad Jordanem et intravimus terram repromissionis, et venimus ad Galgala, et secundo circumcisi sumus spirituali circumcisione, et ablatum est a nobis opprobrium Ægypti. Nunc ipse Jesus dux noster gladium tenet, et semper nos præcedit, et pugnat pro nobis et vincit adversarios, et septem diebus circuimus Jericho : hoc est, istum mundum. Canimus sacerdotalibus tubis, et circuimus Jericho : hoc est, istum mundum, et cadunt muri ejus, et nos ingredimur, et victores existimus. Deinde vincimus civitatem Ahi : venimus postea ad Jebus : venimus ad Azor : venimus ad alias civitates, vincimus adversarios, quos sub Moyse vincere non potuimus. Gratias ergo agamus duci nostro Jesu; illo enim duce, illo pugnante, nos vincimus. Ille imperavit soli ut staret, et stetit : et istius typo ille magnus erat, ille imperabat, sed Dominus efficiebat. Ille victor exstitit, ille quod frequenter dixi, in spelunca quinque reges interfecit, ille nos induxit in terram repromissionis. Illi agamus gratias; ille est filius Nun, quod nos legimus Nave; ille est qui dicebatur Osee, quod nos [a] Ause legimus. Non enim dicitur secundum Hebraicam veritatem Ause, sed Osee, id est, salvator. Vere salvator : salvat enim nos, et eduxit de deserto, et induxit in terram repromissionis, cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXVII.

C Præcipit Scriptura divina, quando ad divitis prandium invitati fuerimus, cum intelligentia mittamus manum nostram ad epulas. Igitur et nobis dives prandium propositum Scripturarum est. Venimus in pratum, ubi herbæ florent : hinc rosa rubet, inde candent lilia, diversi flores sunt. Anima nostra huc, illucque trahitur, unde flores pulchriores capiat. Si rosam colligimus, lilium relinquimus : si lilium tulerimus, violæ nobis supersunt. Ita et in septuagesimo septimo psalmo, qui mysticus est, et sacramentis plurimis involutus : quamcumque aspexeris litteram, flores sunt. Flores diversi, et non possumus totos colligere. Eligamus autem omne quod possumus, e paucis potest et cætera florum dignitas contemplari. *Intellectus Asaph.* Hoc titulo prænotatur. Ipse nos titulus ad intelligentiam provocat. Asaph unus fuit de chorodidascalis, sicut fuerunt et filii Core, et Idithun, et cæteri. Ergo de cæteris ex chorodidascalis, et iste unus est propheta. Quia ergo intellectus est simplex, et in psalmo narratur historia : necessitate compellimur omne quod scriptum est, secundum intelligentiam intelligere. Scriptum est : In terra Ægypti in campo Taneos; interrupit mare, et eduxit eos in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis, et cætera. Videmus quia simplex narratur historia. Si ergo sic intellexerimus ut scriptum est, sine causa titulus prænotatus est : *Intellectus Asaph.* Sin autem intellexerimus ut titulus prænotatur, necessitate compellimur, aliud in littera habere, aliud in spiritu reperire.

Attendite, populus meus, legem meam : inclinate aurem vestram in verba oris mei. Aperiam in parabolis

[a] Immo hanc verus Hieronymus lectionem multis reprehendit. Vide in Jovinian. lib. 1, cap. 12, et initio Commentariorum in Oseam.

os meum, et loquar propositiones ab initio. Videtis A quia bene supra scriptum est : *Intellectus Asaph.* Denique et ipsa prophetia sic incipit : *Attendite, populus meus, legem meam* : non Moysi legem, sed legem meam. *Inclinate aurem vestram in verba oris mei.* Hoc est quod dicit in Evangelio : Qui habet aures audiendi, audiat (*Luc.* VIII). *Aperiam in parabolis os meum.* Aperiam vobis quod Judæis clausum est. *Aperiam in parabolis os meum.* Et sine parabolis, inquit, non loquebatur eis : discipulis autem suis secreto solvebat parabolas (*Marc.* IV). *Aperiam in parabolis os meum.* Quod illis in parabolis loquor foris, vobis intrinsecus aperiam. *Et loquar propositiones ab initio.* Pro propositionibus, in Hebræo habet, *in ænigmate.* Ergo omne quod dicitur, ænigma est. Ænigma non est hoc quod dicitur, sed aliud B quod significatur. Dicat mihi aliquis : Vim facis Scripturæ, cum enim titulus habet : *Intellectus Asaph*, tu mihi ex persona Christi interpretaris hoc dictum. Ex persona Christi interpretemur hoc dictum, si Christiani sumus. Sumus autem Christiani, qui Christi baptismum accepimus, et non solum confitemur, sed et profitemur, quia Christiani sumus. Debemus ergo credere Evangelistis. Scriptum est in Evangelio secundum Matthæum : Cum, inquit, locutus fuisset in parabolis Dominus noster atque Salvator, et illi non intelligerent (*Matth.* XIII) : et cætera quæ scripta sunt in Evangelio. Et postea evangelista quid intulit? Hæc omnia, inquit, facta sunt, ut impleretur illud quod scriptum est : *Aperiam in parabolis os meum, et loquar propositiones ab initio.* Vides C ergo quod evangelista Matthæus hoc ex persona Christi intellexit. Cum enim induxisset Dominum dicentem in parabolis, et illi non intelligerent : hoc, inquit, factum est, ut impleretur quod scriptum est : *Aperiam in parabolis os meum, et loquar propositiones ab initio.* Videtur nobis nihil remansisse quæstionis, sed diligenter attendite (*Joan.* V) : Studii enim mei est non declamare more rhetorico, sed Scripturarum sensus aperire. Denique et Dominus atque Salvator quid dixit? Scrutamini Scripturas, et ibi invenietis quomodo de me scriptum est. Et alibi dixit Judæis : Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. Videte quid dicat : Erratis. Quare? Nescientes Scripturas (*Marc.* XII). Quoniam autem nescitis Scripturas : propterea ne- D scitis Christum, qui est Dei virtus, et Dei sapientia. Dicitur [a] ergo in Matthæo : *Hæc* inquit, *facta sunt, ut impleretur quod scriptum est in Asaph propheta.* Sic invenitur in omnibus veteribus codicibus, sed homines ignorantes tulerunt illud. Denique multa Evangelia usque hodie ita habent : *Ut impleretur quod scriptum est per Isaiam prophetam : Aperiam in parabolis os meum, et loquar propositiones ab initio.* Hoc Isaias non loquitur, sed Asaph. Denique et impius ille Porphyrius proponit adversum nos hoc ipsum, et dicit : Evangelista vester Matthæus tam imperitus fuit, ut diceret : quod scriptum est per Isaiam prophetam : *Aperiam in parabolis os meum, et loquar propositiones ab initio !* ergo simpliciter dicamus : quomodo illud in Evangelio scriptum est, sic scriptum est in Matthæo et Joanne, quod Dominus noster hora sexta crucifixus sit. Rursum scriptum est in Marco : quia hora tertia crucifixus sit. Hoc videtur esse diversum, sed non est diversum. Error scriptorum fuit : Et in Marco hora sexta scriptum fuit; sed multi episemum Græcum ς, putaverunt esse γ : sicut et ibi error fuit scriptorum : ut pro Asaph, Isaiam scriberent. Scimus enim quia prima Ecclesia de imperitis congregata fuit gentibus. Ergo cum legerent in Evangelio : Ut impleretur quod scriptum est in Asaph propheta : ille qui primus scribebat Evangelium, cœpit dicere : Quis est iste Asaph propheta? Non erat notus in populo, et hoc fecit, ut dum errorem emendaret, faceret errorem. Dicamus aliquid simile, et in alio loco in Evangelio secundum Matthæum : quando Judas retulit triginta argenteos, et noluerunt accipere sacerdotes, nec mittere in corbonam, quoniam erat pretium sanguinis : et emerunt inde agrum figuli in sepulturam peregrinorum (*Matth.* XXVII). Pretium Christi, sepultura nostra est, et vocatur ager ille Acheldemach, quod est, *ager sanguinis.* Sanguinis ager non Judæorum, sed nostra sepultura est. Nos enim peregrini fuimus et advenæ, et non habebamus ubi requiesceremus. Ille crucifixus est, et mortuus est, et nos cum illo consepulti sumus. Ut impleretur, inquit, quod scriptum est in Jeremia propheta : Retulit, inquit, triginta argenteos, pretium quod appretiatum est, et cætera. Sicut scriptum est, inquit, in Jeremia propheta : hoc in Matthæo scriptum est. Requisivimus in Jeremia propheta, et hoc penitus invenire non potuimus, sed invenimus illud in Zacharia : Videtis ergo, quia et hic error fuit, sicut ibi (*Zach.* XI).

Quanta audivimus et cognovimus ea. Hi versiculi ab : *Attendite, populus meus, legem meam* ; usque in istum versiculum, *loquar propositiones ab initio* : ex persona Christi dicuntur, et ipse Salvator loquitur. Jam cæteros versiculos usque ad finem psalmi, ex persona apostolorum debemus accipere. Dicente ergo Domino : *Inclinate aurem vestram ad verba oris mei.* O apostoli, quod, inquit, audistis in secreto, prædicate super tecta (*Matt.* X). Quid dicunt apostoli? *Quanta audivimus et cognovimus ea*; et patriarchæ et prophetæ locuti sunt nobis. *Et patres nostri narraverunt nobis. Non sunt occulta a filiis eorum*, etc. Propterea illi locuti sunt, ut nos filii eorum sciremus. *Et legem posuit in Israel : quanta mandavit patribus nostris.* Illis carnaliter locuti sunt : sed nos ea spiritualiter intelligimus. *Ut nota facerent ea filiis*

[a] Consule verum Hieron. Commentario in Matthæum cap. XIII, vers. 35, et quæ in eum locum observamus.

suis. Hoc est, nobis. Propterea illis locutus est, ut nobis proderent.

Filiis qui nascentur et exsurgent, et narrabunt filiis suis. Pro patribus, inquit, tuis nati sunt tibi filii (*Psal.* XLIV). Nos filii sumus illorum. Illi nobis narraverunt, et nos narravimus filiis nostris, filii eorum nos sumus.

Ut ponant in Deo spem suam. Ut jam non credant in idolis, sed in Deo credant. *Ut non obliviscantur opera Dei.* Ut videant ordinem creaturæ, et ex creatura intelligant creatorem. *Et mandata ejus exquirant.* Non contemnant sicut Judæi, sed exquirant sicut Christiani (I *Cor.* X).

Nec fiant sicut patres eorum. Ne murmurent sicut murmuraverunt quidam in deserto, et perierunt. *Generatio prava et exasperans.* Non ego hoc loquor: Propheta tuus hoc loquitur de te. *Generatio prava et exasperans.* Generatio adultera et pessima signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ (*Matt.* XVI). Quare dixit, *prava?* Quia facti sunt in arcum perversum. Arcus enim numquam extenditur in eum qui se mittit, sed contra adversarios. Ista autem generatio cum esset recta a Deo condita, et haberetur in manu Dei quasi arcus, ut mitteret per eam sagittas, versa est quasi arcus perversus, blasphemans in Creatorem suum.

Generatio quæ non direxit cor suum. Usque hodie perversus est Israel. *Et non est creditus cum Deo spiritus ejus.* Quoniam non recepit Filium, propterea non recepit Spiritum sanctum. Denique Spiritus sanctus, quando descendit in specie columbæ, non descendit super turbas Judæorum, sed super unum Jesum. Si vis ergo, Judæe, spiritum accipere, crede in Jesum, quoniam Spiritus sanctus sedet in Jesu.

Filii Ephraim intendentes et mittentes arcum. O quanta mysteria! o quanti flores! Non dico dies, sed et totus mensis ad intelligentiam istius psalmi non potest sufficere. In singulis verbis sensus sunt. Habemus et thesaurum in vasis istis fictilibus. Multi hoc interpretantur de corpore, et de Spiritu sancto: hoc est, habemus thesaurum in vasis fictilibus. Est quidem et ista intelligentia: sed ista multo melior est, quoniam habemus thesaurum pretiosissimum in vasis fictilibus: hoc est, in verbis rusticis Scripturarum. *Filii Ephraim intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli,* et cætera. Legimus in Regum libris: quoniam sub Roboam filio Salomonis, Jeroboam filius Nabath scidit populum a reliquo populo, et decem tribus duxit in Samariam (III *Reg.* XII). Judæ vero tribus, et Benjamin remanserunt sub imperio Roboam, et multi de tribu Levi, qui habitabant in Jerusalem sacerdotes et Levitæ, sicut scriptum est in Paralipomenon, reversi sunt in templum Dei, hoc est, in Jerusalem (II *Par.* XI). Tres ergo tribus fuerunt: hoc est, Juda: Juda ipsa regalis tribus, et Benjamin, et postea Levitæ ibi venerant de diversis tribubus ad templum. Qui erant ergo in Samaria, de tribu Ephraim habebant regem. Quomodo enim qui regnabant in Judæa, habebant regem de tribu Juda, et genere David: sic qui regnabant in Samaria, habebant regem de tribu Ephraim, et reges ipsorum vocabantur Ephraim. Legamus Osee prophetam, et omnem prophetiam ejus contra Ephraim reperiemus (*Osee* VII). Et dicitur ibi: Ephraim, inquit, factus est quasi columba insipiens. Vide quid dicat. Columba enim insipiens relinquit templum, et habitat in silvis. Columba semper in domibus habitat. Ephraim vero columba mea reliquit templum, reliquit domum, et habitat in silvis, habitat in desertis. Hoc interim secundum litteram, debemus enim et historiam ponere. Nunc vero post litteram, quasi per quosdam gradus debemus ad majora conscendere. Dicamus ergo, filios Ephraim, omnes esse hæreticos. Et isti enim recesserunt de domo Dei, et isti dimiserunt David, et habitabant in desertis. Et dicuntur quidem columbæ, quia legunt ipsi Scripturas, sed insipienter intelligunt. Multi sunt qui dicuntur, *filii Ephraim, intendentes et mittentes arcum.* Vide omnes hæreticos, qui dereliquerunt Jerusalem, qui dereliquerunt templum Dei, qui habitant in Samaria. Ubi fecerunt vitulos aureos? In Bethel, et in Dan. Et vide quid dicat: Fecerunt vitulos aureos in Bethel, in domo Dei, idololatræ facti sunt. Et fecerunt illud in Dan: hoc est, in judicium suum, et in condemnationem. Dereliquerunt domum Domini, et nihil aliud nisi de auro cogitant. Dicat aliquis, Quare fecerunt vitulos aureos? Noster thesaurus repositus est in vasis fictilibus. Ecclesiastici enim, rustici sunt et simplices: omnes vero hæretici, Aristotelici et Platonici sunt. Denique ut sciatis, quoniam omnis eloquentia sæcularis, aurum dicitur: hoc est, quoniam lingua eorum quasi propter splendorem auri dicitur: Calix aureus Babylon in manu Domini. Videte quid dicat: Babylon confusionis. Ergo mundus iste, calix aureus est. De hoc calice aureo omnibus gentibus propinatur (*Jerem.* LI). *Filii Ephraim intendentes et mittentes arcum.* Quamcumque videris scripturam hæreticorum, omnes superstitiones habent. *Reversi sunt in die belli.* Nesciunt eum qui dixit: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis (*Joan.* XIV): sed ad verba sunt præparati. Habent verba, sed audient illud quod scriptum est: Dissipa gentes quæ bella volunt (*Psal.* LXVII). Dicat aliquis, nostram esse sententiam: Videamus consequentia:

Non custodierunt testamentum Dei, et in lege ejus noluerunt ambulare, et obliti sunt benefactorum ejus. Consurrexerunt contra eum, qui eos regeneravit in baptismate. *Et mirabilium ejus quæ ostendit eis.* Videte sensum Scripturarum, quomodo de filiis Ephraim venit ad historias præteritas: ut illud quod scriptum est: Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio: parabolice dictum ostendit.

Coram patribus eorum quæ fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos: interrupit mare, et perduxit eos, statuit aquas quasi in utre, et deduxit eos in nube diei. Dicat aliquis: Vim facis Scripturæ: sim-

pliciter enim dicitur de populo Israel, quando eductus est de terra Ægypti, et propterea secundum historiam dicitur. Et legimus decem tribus quoniam dereliquerunt Deum, et idololatræ effecti sunt, et quasi secuti sunt vitulos aureos. Videamus Asaph propheta quo tempore fuerit. Utique illo tempore, quando fuit David quadraginta annis. Rursum Salomon aliis quadraginta annis. Post octoginta annos sub Roboam, postea scissæ sunt decem tribus. Vides ergo quod dicitur, non dicitur de decem tribubus, sed de hæreticis prophetatur. *Coram patribus eorum fecit mirabilia.* Obliti ergo sunt hæretici patris sui, qui fecit mirabilia in terra Ægypti, in tenebris istius sæculi, quomodo illos liberavit. In Ecclesia renati sunt, et postea ubi nati sunt, displicet eis Ecclesia. *In terra Ægypti in campo Taneos:* ubi idololatria, B ubi rex Ægypti, ubi equitatus Ægypti, ubi Joannes et Mambres adversarii Moysi, ubi idololatria. Nos omnes eramus in Ægypto, et a Domino liberati sumus. *Interrupit mare, et eduxit eos.* Ambulabat Dominus super mare, et fluctus maris mitigavit, et nos perduxit. *Interrupit mare, et eduxit eos.* Usque hodie, o Monache fidelis, quando educeris de Ægypto, interrumpitur mare, et sic educeris. *Statuit aquas quasi in utre.* In Hebræo non habet, utrem: sed, *sicut acervum. Et deduxit eos in nube diei.* Ecce Dominus venit in Ægyptum in nube levi. Nubem levem, aut proprie Salvatoris corpus debemus accipere: qui leve fuit, et nullo peccato prægravatum est. Aut certe nubem levem debemus sanctam Mariam accipere: nullo semine humano prægravatam. Ecce Do- C minus venit in Ægyptum, sæculi istius: super nubem levem, Virginem. *Et deduxit eos in nube diei.* Pulchre dixit, *diei:* Nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce. *Et tota nocte in illuminatione ignis.* Et tenebræ non sunt absconsæ a te. Sicut lux tibi, ita et nox tibi (*Deut.* IV). Et tota nocte in illuminatione ignis. Dominus noster, ignis consumens est. Ignis consumens. Non dixit quid consumens, nobis intelligentiam dereliquit. Qui super fundamentum Christi ædificaverunt, lignum, fenum, stipulam (I *Cor.* III): Dominus illis ignis consumens est. Ignis duplicem habet naturam, et lucet, et urit. Si peccatores sumus, incendit: si justi, lucet nobis.

Interrupit petram in deserto. Interrupta nobis est petra in eremo. Percussa est petra, et fluxerunt D aquæ. Illa petra quæ dicit: qui sitit, veniat et bibat; de cujus ventre fluxerunt flumina (*Joan.* VII). *Et adaquavit eos velut in abysso multa...* In deserto, ubi aqua non erat, abundantia nobis aquarum facta est.

Et eduxit aquam de petra, et eduxit tamquam flumina aquas, et apposuerunt adhuc peccare ei, etc. O perversitas cordis pravi, in Deum male loquitur, et qui justitiam esurire debuerat, carnes requirit et olera. Nam sicut Moyses percussit in eremo petram, et produxit populo aquas (*Num.* XX), ita et Dominus quem Paulus percussum ait propter peccata nostra, immensos nobis protulit fontes (*Rom.* IV): apostolos scilicet, quos petra monstravit, et per quos A fluxerunt torrentes. Torrentes autem doctores accipimus: per quos torrentes, id est, subsequentes Ecclesiarum doctores repleti sunt. Ex quorum nos prædicatione, sitim verbi Dei restinguimus. Sed et ad fontem Baptismi nobis atque martyrii, eadem petra ostendit. De latere enim ejus cum percussus est, sanguis et aqua processit, quod baptismum et martyrium figuravit (*Joan.* XIX). Torrentes autem doctores dicti, quia priusquam crederent, ab imbribus et volutabris hujus sæculi erant repleti. Nunc autem baptismo abluti, a fonte vitæ perennis inundaverunt. Addit murmuratio Judaica, dicens:

Numquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? Difficilem putat virtutem Dei: ut qui eduxerit aquam de saxo, quasi non possit manna dare de cœlo.

Ideo audivit Dominus, et distulit. Utique se ab eis, ne in terram repromissionis intrarent. *Et ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel.* Jacob non semper supplantator vitiorum intelligitur: nec Israel in omnibus videns Deum accipitur. Apostolus autem docet esse Israelem secundum carnem (I *Cor.* X), de quo dicitur: Et fornicatus est Israel (*Judic.* VIII). Si enim vidisset mente Deum, fornicatus utique non fuisset. Sic de Jacob, cum Esau pollutum idolis adorabat, dicens: Video faciem tuam tamquam faciem angeli Dei (*Gen.* XXIII); vel, cum impinguatus recalcitravit, non erat supplantator vitiorum. Ideo et hic ita intelligendum est: quia accensus est in Jacob terrenus ignis concupiscentiæ, et ita in ultione divina, super Israel carnalem ascendit.

Quia non crediderunt in Deum, nec speraverunt in salutari ejus. Nec Patrem, nec Filium, qui salus mundi est, crediderunt.

Et mandavit nubibus desuper, et januas cœli aperuit. Et pluit illis manna ad manducandum. Præstita hæc sunt Hebræis: sed et modo in Ecclesia prophetis et apostolis præcipitur, ut nobis verbum prædicationis, quo anima spiritualiter pascatur, annuntient. *Panem cœli dedit eis, panem angelorum manducavit homo.* Ipse homini cibum præbuit, qui dixit: Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi: qui manducaverit ex eo, vivet in æternum (*Joan.* VI). Ex hoc enim pane cœli, sancti reficiuntur et angeli. *Cibaria misit eis in abundantia.* Ut jam non litteræ hordeo, sed spiritualis tritici dogmate satientur.

Et transtulit Austrum de cœlo, et induxit in virtute sua Africum, et pluit super eos sicut pulverem carnes, etc. In ventis, flatum Spiritus sancti demonstrat. Collatio autem multitudinis, quæ pulveri vel arenæ maris assimilatur, terrenum et durum eorum arguit sensum.

Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum, et manducaverunt, et saturati sunt nimis. Castra, synagogas dicit. Tabernacula vero, corda eorum in quibus hæc defluxerunt. Quod autem eos nimis indicat saturatos, ingluviem eorum carnalem increpat: quod hi qui de Dei præceptis refici debuerant, de pulvereis se carnibus sentiunt satiatos. *Et desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati a desiderio suo.* Immensa pietas Domini, ut

terreno victu esurientes pascit: sic et qui eum desideraverit, cœlesti, quem superius diximus, pane replet. Ergo hi qui carnes tantum, et non Deum desideraverunt, quid in sequenti tulerint, videamus.

Adhuc esca eorum erat in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos, et occidit pingues eorum. Hæc de his qui Deum post acceptum manna dereliquerunt. Nam et nunc in Ecclesia si quis Carne et Sanguine Christi reficitur, et declinat ad vitia, noverit sibi Dei judicium imminere, sicut Paulus apostolus ait: Qui acceperit corpus et Sanguinem Christi indigne, judicium sibi sumit, et bibit (I *Cor.* XI). *Et electos Israel impedivit.* Impediuntur, et nunc electi Ecclesiæ: si ne ipsi quoque sacerdotes innocenter hæc sacramenta percipiant.

In omnibus his peccaverunt adhuc: et non crediderunt in mirabilibus ejus. Et defecerunt, etc. Peccant quotidie iniqui, quoadusque deficiant, et cum festinatione deficiunt: qui sacerdotibus Dei obaudire contemnunt, sicut et populus ille qui contra famulum Dei Moysen murmurabat.

Cum occideret eos, quærebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum. Flagellati in peccatis revertebantur: excussoque infidelitatis somno, maturabant ut audirent verbum Dei.

Et rememorabant, quia Deus adjutor est eorum, et Deus excelsus redemptor eorum est. Nullum posse intellexerunt adjutorium ferre, nisi illum qui eos de servitute Ægypti liberavit.

Et dilexerunt eum in ore suo. Cum dicerent: Omnia quæcumque præceperit Moyses, faciemus (*Exod.* II). *Et lingua sua mentiti sunt ei.* Dicentes Moysi: Omnia quæcumque dixerit Dominus, faciemus.

Cor autem ipsorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus. Nam et Dominus testimonio utens Isaiæ prophetæ, dicebat: Populus hic labiis me honorat: cor autem ejus longe est a me (*Isa.* XXIX).

Ipse autem est misericors, et propitius fiet peccatis eorum, etc. Multitudo enim misericordiarum continet eum, ut dum exspectat pœnitentiam, non puniat delinquentem: quia non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* XVIII).

Et rememoratus est, quid caro sunt. Scit enim, quia caro semper resistit legi Dei. *Spiritus vadens, et non rediens.* Novit enim quia homo, amisso spiritu, in pulverem revertitur. Nam et Spiritus sanctus cum recedit a peccatoribus, quamdiu in volutabris peccaminum sunt, non revertitur ad eos.

Quoties exacerbaverunt eum in deserto: in iram concitaverunt eum in inaquoso. In incredulitate utique atque ariditate cordis sui.

Et conversi sunt, et tentaverunt Deum, et Sanctum Israel exacerbaverunt. Erat tunc Moyses sanctus Israel, qui Deum et mente videbat et oculis, quem sæpius exacerbabant. Sed et nunc exacerbant, cum audiunt, quod Christum Dominum in carne nasciturum annuntiat.

Non sunt recordati manus ejus: die qua redemit eos de manu tribulantis. Pharaonis utique, qui figuraliter diabolus dicitur.

Sicut posuit in Ægypto signa sua, et prodigia sua in campo Taneos. Sicut enim tunc in decem signis, id est, plagis, Moyses populum ex Ægypto liberavit: ita et Paulus apostolus decem Epistolis præsentis mundi tenebras oppressit.

Convertit in sanguinem flumina eorum, et imbres eorum ne biberent. Vana philosophorum verba, quæ in doctrinis Platonicis Ecclesiæ parvulos interimebant: in ultionem divinam illis conversa est et in cruorem, ut qui sanguinem fundebant, id est, animas jugulaverant seducendo, sanguine deinceps potarentur.

Misit in eos cynomyiam, et comedit eos. In cynomyia Cynicorum sectam indicavit, quæ libidinem atque luxuriam, summum prædicat bonum. *Et ranam, et disperdidit eos.* In ranarum vocibus, et [a] poetarum carmina designantur, quæ per inflationem verbositatis exterminationum fabulas intulerunt.

Et dedit ærugini fructus eorum. In ærugine, sive canicula, fornicationis forma monstratur. Nam sicut hæc lento repens conamine, crudelissime arborum fructibus insidiatur: ita et hæc blande illiciens homines, iniquis eos atque occultis morsibus sævissime vorat. *Et labores eorum locustæ.* In locusta, humani generis discordiæ confutantur. Quæ cum sine rege ordinatum ducat exercitum, humanum tamen genus semper dissidet ac discordat.

Occidit in grandine vineas eorum, et moros eorum in pruina. Et tradidit grandini jumenta eorum, et possessiones eorum igni. In grandine castigatio divina monstratur: in qua vel vineæ, vel arbores flagellantur: hæ scilicet quæ pro bonis fructibus, tribulos protulerunt. Ab hac enim grandine et jumenta occiduntur, ut eorum insipientia arguatur, qui divinum nomen bestiis indiderunt. Ignis quoque ad depascenda vitia et illuminanda credentium corda mittitur, sicut Dominus ait: Ignem veni mittere in terram: et quid volo, nisi ut accendatur (*Luc.* XII)?

Misit in eos iram indignationis suæ: indignationem, et iram et tribulationem, immissionem per angelos malos. Ut qui divinis plagis non arguebantur, diabolicis insidiis tunderentur. Qui autem sint angeli, ipse Dominus in Evangelio declaravit. Ite, inquit, in ignem, quem præparavit Pater meus diabolo et angelis ejus (*Matt.* XXV).

Viam fecit semitæ iræ suæ, et non pepercit a morte animabus eorum, et jumenta eorum in morte conclusit. Habet viam divina ira, cum in peccati ultione quis traditus non liberat animam suam a supplicio gehennæ. Vel cum insipientia, quæ jumentis est similis, in morte sempiterna concluditur.

[a] Origenes homil. 4 in Exod.: *Per ranas indicari singulariter arbitror carmina Poetarum, qui inani quadam et inflata modulatione, velut ranarum sonis et cantibus mundo huic fabulas intulerunt*, etc. Tractator in sua transtulit.

Et percussit omne primogenitum in terra eorum : primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham. Sicut hæc gesta in Ægypto referuntur : ita et Dominus, principatus, et potestates, sive dæmoniorum, sive vitiorum, in hoc mundo, sacrosancto adventu suo delevit, ac triumphavit in ligno crucis suæ, et ab eorum corde depulit, qui calliditati diabolicæ dediti fuerant, quia Cham [a] *calliditas* interpretatur.

Et abstulit sicut oves populum suum, et perduxit eos tamquam gregem in deserto. His plagis verberata Dominus Ægypto, eduxit populum suum de suprascripta servitute, quem sanguine suo redemerat, et collocavit eum in Ecclesia, quæ prius sterilis fuerat ac deserta : de qua ait : Multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum (*Isa.* LIV).

Et eduxit eos in spe, et non timuerunt, et inimicos eorum operuit mare. Collocatis his in spe æternitatis, operuit mare inimicos eorum, scilicet ut cum hi abluebantur baptismo, diabolus cum suis exercitibus mergeretur.

Et induxit eos in montem sanctificationis suæ : in montem quem acquisivit dextra ejus. In ipsam Ecclesiam quam virtute gloriosæ resurrectionis suæ acquisivit.

Et ejecit a facie eorum gentes, et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis, et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel. Ejectis peccatis gentibus a cordibus humanis, data est eis possessio terræ viventium : factumque est, ut ubi quondam sortilegus hariolusque habitaverat, nunc mente videns Deum inhabitet.

Et tentaverunt, et exacerbaverunt Deum excelsum : et testimonia ejus non custodierunt. Et averterunt se, et non servaverunt pactum : quemadmodum patres eorum. Ad Judæos nunc sermo convertitur, quos nec virtus, nec beneficia mollierunt divina : sed sicut patres eorum occiderunt prophetas, ita et isti ipsum Dominum persequuntur. *Conversi sunt in arcum pravum.* Arcus enim perversus est, qui dum contra inimicos sagittam putatur jacere, sauciat tenentem. Sic et Judæi, qui in Deum liberatorem suum, iniquas jaculantur verborum sagittas.

In iram concitaverunt eum in collibus suis : et in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt. Relicto enim eo, servierunt idolis ac simulacris, adorantes etiam in montibus.

Audivit Dominus et sprevit : et ad nihilum redegit valde Israel. Illum qui tantum nomine, et non visione Israel erat.

Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, in quo habitavit inter homines. Vel in tabernaculis Silo sub Eli, vel in Jerusalem sub Salomone. Sed his repulsis, elegit potius templum regis virginis incorruptæ, sive Eclesiæ sanctæ ex gentibus evocatæ.

Tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchri-
A *tudinem eorum in manus inimici : et conclusit in gladio populum suum, et hæreditatem suam sprevit. Juvenes eorum*, etc. Manifeste hic excidium illud quod in Jerosolymis sub Tito Vespasianoque actum est, præconavit. Et quia tamquam acta agenda prædixit, noverit qui legit, quia apud Deum futura jam facta sunt. Sed utinam et in nobis hæc, Domino cooperante, fiat, ut concupiscentia decidat, erecta potestate virtutum. Forma iniqui amoris corruat, erecta Ecclesiæ pulchritudine. Interimatur populus vitiorum, vivificata numerositate virtutum. Respuatur terrena hæreditas, acquiratur regnum Dei. Juvenculus, id est, incipiens peccatum, a virtute Sancti Spiritus exuratur, et virgo anima collætetur. Incentores vitiorum, gladio, id est, verbo Dei trucidentur, ut exsultent mentes ab his viduatæ cum Christo. B

Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino, et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit eis. Ut dormiens et quasi ebrius, habetur Dominus in cordibus iniquorum. Quum autem pœnitentiam agere cœperint, excitatur. Et percussis vitiis usque in posteriora temporum, traditisque in opprobrium sempiternum, vigilat in eis.

Et repulit tabernaculum Joseph, et tribum Ephraim non elegit : sed elegit tribum Juda, montem Sion quem dilexit. Non ad hoc repulit tribum Joseph vel Ephraim, ut in æternum sperneret : sed noluit de ea suscipere carnem, eligens tribum Juda, de qua beata Maria procederet, ex qua nasceretur ipse, ut dilectionis suæ montem, id est, Ecclesiam elevaret. C

Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in sæcula. Ipsam Ecclesiam suam singulari virtute firmavit, ut immobilis in sæcula sempiterna persisteret.

Elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium, et de post fetantes accepit eum. Pascere, etc. Omnia hæc ad Christum Dominum referenda sunt, qui a paterno consilio, ad redemptionem nostram electus est de grege mortalium : carnem assumens, pascens Christianum populum, sive supplantatorem vitiorum, sive mente videntem Deum. Qui nunc Ecclesiam suam suis voluntatibus inhærentem, in bonitate cordis sui pascere, et in cœlesti Jerusalem collocare dignetur. Ipsi gloria cum æterno Patre et Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen. D

PSALMUS LXXVIII.

Psalmus Asaph. Iste psalmus vocem continet prophetæ, captivitatem terrenæ Jerusalem deplorantis : quæ captivitas non tantum ad illam civitatem, quantum ad animam, quæ sæpe civitas scribitur, referenda est.

Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam : polluerunt templum sanctum tuum. Apostolus dicit : Vos estis templum Dei, et Spiritus Dei habitat in vobis

[a] Satis inepte *callidum* cum duplici *ll*, penitus diverso sensu. Chami nomen tractator exponit, quod verus Hieronymus *calidum*, sive *calorem*, interpretatur. Origenianum quoque Lexicon, Χὰμ, θέρμη; *Cham, Calor.*

(I *Cor.* III). Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Ergo si increscentibus vitiis succumbit anima Christiana: tunc hæreditas quæ Dei esse debuerat, adversario subditur, et tunc templum Spiritui sancto dedicatum, coinquinatum a gentium criminibus disperditur. *Posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.* Sicut enim poma cum maturescere cœperint, a suis custodiuntur, maturaque facilius devorantur: ita et adversarius noster irruentibus vitiis custodit sibi consentientem animam donec eam ad plenum voluntatis suæ consensum adducens, valeat devorare. Quamdiu enim in ea scintilla lucet fidei, acerba est dentibus inimici.

Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli: carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem ipsorum tamquam aquam in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret. Hæc quidem in Jerusalem ante adventum acta sunt Salvatoris: sed passionem infantum figuraverunt, ubi carnes eorum bestiis atque volucribus, id est, persecutoribus expositæ sunt, et tanta multitudo sanguinis est effusa, ut vix omnium sepeliri corpuscula possent. Circuitus autem in Jerosolymis, plorantis Ecclesiæ intelligitur luctus, juxta illud: Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt (*Jerem.* XXXI; *Matth.* II).

Facti sumus opprobrium vicinis nostris, etc. Opprobrium fiunt sancti his qui prius fratres fuerant, et tunc separati ab Ecclesia, timentes Deum persequuntur: quod ad hæreticos refertur:

Usquequo, Domine, irasceris in finem, accendetur velut ignis zelus tuus? Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt, et in regna quæ nomen, etc. Ne nobis irascaris quæsumus, Domine, qui te novimus: sed in illos potius retorque furorem tuum, qui Christum tuum ignorant.

Quia comederunt Jacob, et locum ejus desolaverunt. Illum carnalem, qui seductus est astu inimici.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: cito anticipent nos misericordiæ tuæ, Domine, quia pauperes facti sumus nimis. Præveniat nos quæsumus, Domine, misericordia, quæ est unigenitus tuus, ut veniens propitietur iniquitatibus nostris, et eruat nos a peccatis. Pauperes enim facti sumus in mundo propter illum.

Adjuva nos, Deus, salutaris noster; propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris, etc. Tunc nobis, vel adjuvas, vel propitiaris: si claritas nominis tui, quæ in gentibus benedicitur, nos morte sua a morte eripiat.

Nequando dicant gentes, ubi est Deus eorum? et innotescat in nationibus coram oculis nostris. Gentes, sive nationes, potestates adversæ sunt, quæ invalescunt adversum nos, dicentes: Ubi est Deus verax vester? Sicut pagani martyribus sæpe dicebant.

Ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est. Judicium hic invocat: quo sanguis martyrum exquiratur a Domino, qui in Apocalypsi ait: Quiescite modicum, donec impleatur numerus conservorum vestrorum (*Apoc.* VI). *Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.* Qui te per longas lacrymas requirentes, absolvi et tecum esse desiderant.

Secundum magnitudinem brachii tui, posside filios mortificatorum. Eos scilicet qui per martyrum exempla currentes, crucifixerunt se vitiis et concupiscentiis.

Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum. Ut non judicii pœna damnentur, sed in hoc sæculo septuplam compositionem pœnitendo dissolvant. Sinus autem sæpe pectus hominis intelligitur, in quo anima requiescit. *Improperium ipsorum quod exprobraverunt tibi, Domine.* Tibi enim exprobrant: quia martyres tuos in quibus habitas, contumeliis affligunt.

Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ. Propter innocentiam autem, quam gerunt, oves vocantur, vel quia Christum pastorem habent. *Confitebimur tibi in sæcula, et in generatione et generationem.* Hoc est, a prophetis usque in Evangelia. *Annuntiabimus laudem tuam.* Quia tibi est cum æterno Patre et Spiritu sancto honor et gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXIX.

In finem pro his qui commutabuntur, testimonium Asaph. Iste psalmus vocem continet prophetæ deprecantis, narrantisque magnalia Dei.

Qui regis Israel, intende. A Deo regitur, qui mente videt Deum. Ergo hunc propheta intendere sibi deposcit. *Qui educis tamquam oves Joseph.* Non illum Joseph, cujus typum in alio psalmo repulit: sed illum qui triginta argenteis a discipulo venditus, paterna virtute ex inferno deductus est cum grege justorum.

Qui sedes super Cherubim. Super plenitudinem omnis scientiæ. *Appare.* Huic mundo te videndum præbe. *Coram Ephraim, et Benjamin, et Manasse.* Illum Ephraim Manassemque commemorat, quos alibi fortitudinem sui capitis dicit, id est, Ecclesiam vel apostolos. Quod autem Benjamin in medio posuit: significat Paulum apostolum, qui de tribu Benjamin descendit, cæteris apostolis sociandum (*Philip.* III).

Excita potentiam tuam. Quam Ægyptiis ac filiis Israel ostendisti. *Et veni, ut salvos facias nos.* Ut sicut illos eruisti de Ægypto, ita nos salves a potestate dæmonum.

Deus, converte nos. Ad te cognoscendum. *Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.* Ostende Filium tuum, ut salvemur.

Domine Deus virtutum, quousque irasceris super orationem servi tui? Non enim irascitur, si justitiam petamus; sed conscientia delicti, putat etiam ab oratione irasci.

Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura. Sæpe ob desiderium Dei, sive recordationem peccati, lacrymæ nobis panes, potusque fiunt. Quod autem ait, *in mensura*, illud indicat, ut in hac oratione, in qua peccatis absolvi cupimus, vel Deum videre desideramus: victus tenuis accipiatur, si in precatione, non in multiloquio proferatur.

Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, etc. A Judæis atque hæreticis, qui in circuitu Ecclesiæ obstrepunt, nosque impugnant.

Domine Deus virtutum, converte nos ad te, et ostende faciem tuam, etc. Illum qui dixit: Qui me videt, videt et Patrem (*Joan.* XIV).

Vineam de Ægypto transtulisti: ejecisti gentes, et plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu ejus, etc. Licet hæc synagogam figuraverint, ad Ecclesiam referenda sunt, quæ a tenebris sæculi ad cœlestem dignitatem, ejectis vitiorum gentibus, fide favente, translata est. Cui etiam via, id est, mandata per quæ graderetur, largita sunt, plantatis in ea doctoribus, per quos in omnem terram Evangeliorum sonus nuntiaretur. Ipse quoque a Domino super Cherubim residente custoditur, dirigitur, ac nutritur. B

Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei. Cum patriarchis atque apostolis claritatis suæ.

Extendit palmites suos. Nos sumus vites, qui ex vinea illa fronduimus. *Usque ad mare.* Id est, usque ad baptismum accessimus, qui prius in vanitate sæculi hujus fluctuabamus. Mare enim Apocalypsis baptismum signat. *Et ad flumen propagines ejus.* Ut qui in ea renascebantur, baptismo abluerentur. Hinc ad synagogam revertitur.

Ut quid destruxisti maceriam ejus? Tunc enim munitio synagogæ deposita est, cum ei cæcitas contigit, donec plenitudo gentium subintraret. *Et vindemiant eam omnes transeuntes viam.* Spoliatur ab his qui per hujus sæculi viam ad Deum transeunt: dum Judæos converti faciunt prædicando. C

Exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam. In apro atque singulari fero immanitas diaboli intelligitur, a quo exterminata est propter incredulitatem.

Domine Deus virtutum, converte nos. Synagogam ad Ecclesiam.

Respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam. De qua superius sum locutus. *Et perfice eam quam plantavit dextera tua.* Quam virtus, id est, Filius tuus resurrectione sua fundavit. *Et super filium hominis.* Filium virginis. *Quem confirmasti tibi.* Quem, devicta morte, ad tuam dexteram collocasti.

Incensa igni et suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt. Synagoga utique cum Judæis non credentibus. D

Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ. Super populum quem dextera, id est, Christus tuus salvabit. *Et super filium hominis quem confirmasti tibi.* Ipsum Mediatorem, Salvatoremque nostrum.

Non discedimus a te, vivificabis nos. Si tibi fide adhæreamus, tunc pane illo vitæ quem de cœlo misisti, reficimur. *Et nomen tuum invocabimus.* Ipsum cui dedisti nomen super omne nomen.

Domine Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus. Ipsum, qui est imago tua: ipsum, qui est facies tua, qui est illuminatio vultus tui, in quo manes, et qui manet in te. Qui purificatis mentibus nostris dignetur illabi, seque nobis mundi Salvatorem ostendere, nosque inspectione sancta salvare. Ipsi gloria et imperium tecum, et cum Spiritu sancto, et nunc, et in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXX.

In finem, pro torcularibus, psalmus ipsi Asaph. In lege scriptum est tres esse solemnitates: Paschæ, Pentecostes, et Scenopegiæ. Ante Scenopegias, ante dies decem jejunium erat, et jejunium erat usque ad vesperum. Eo tempore tubis canebant, hoc est, jejunabant, et in jejunio tubis canebant: et post dies decem, Scenopegiæ erant. Diligenter attendite: Tres solemnitates in lege scriptæ habentur. Primum Pascha, deinde Pentecostes, deinde Scenopegiæ. Ante Scenopegias, jejunium: in jejunio autem tubis canebant. Animadvertite Scriptura quid significet. Tollite velamen, quod positum est ante oculos Moysi; et videte quoniam tabernacula non possumus fieri, nisi ante jejunemus. Ipsum autem jejunium nisi habuerit signum victoriæ, quod nostros adversarios deterreat, non vincitur Amalec. Quoniam ergo tres sunt solemnitates, Pascha, Pentecoste, Scenopegiæ: ideo et tres psalmi habent titulos *pro torcularibus:* Octavus psalmus, et octogesimus, et octogesimus tertius. Videtis ergo quomodo tres psalmi scripti sint in psalterio, qui *pro torcularibus*, prænotantur. Videte quid dicat psalmus octavus, et octogesimus, et octogesimus tertius: et antequam de numero disputemus, dicamus quid sibi significare velint torcularia. *Pro torcularibus.* Torcularia non sunt alibi, nisi ubi vineæ et infinita vindemia. *Pro torcularibus.* Propterea dicit Dominus atque Salvator: Torcular calcavi solus, et de gentibus vir non erat mecum (*Isai.* LXIII). Propterea vineam de Ægypto transtulit et plantavit. Et dicit in Jeremia: Ego te plantavi vineam veram totam, electam: quomodo conversa es mihi in amaritudinem vitis alienæ (*Jerem.* II)? Et Noe vinum bibit, et inebriatus est. Dicitur et Salomone, dicitur etiam in mysterio: Bibite, amici, et inebriamini (*Cant.* V). Legimus et in alio loco: quoniam Joseph ille vir sanctus, qui in typo præcessit Salvatoris, qui venditus est a fratribus suis: quem vendiderunt fratres sui, et regnavit in Ægypto (*Gen.* XLIII). Sic Dominus et Salvator noster venditus est a Judæis, et regnavit in Ægypto istius sæculi. Ille ergo Joseph vir sanctus, ille præcipuus qui crudelitatem pietate superavit: qui ideo venditus est in Ægyptum, ut Ægyptum pasceret, et fratres suos qui eum vendiderunt. Ille igitur Joseph invitavit fratres suos. Sed videte: Et inebriatus esse in meridie dicitur. Hoc vero secundum litteram stare non potest, ut Vir sanctus inebriatus fuerit. Inebriatus est et Noe, sed vere fuerat inebriatus. Joseph inebriatus fuit ut Noe, et inebriatus est in domo sua. Videte mysterium: Videamus ante quid significet in mysterio, et postea disputemus quid significet in sensu. Post diluvium mundi istius bibit Noe, et inebriatus est in domo sua, et denudata sunt femora ejus, et ejus apparuit turpitudo: et venit frater major et irrisit, frater autem minor texit (*Gen.* IX). Hoc totum dicitur de Salvatore, quoniam dicebat in cruce passionis: Pater, si possibile est, transeat a me calix iste (*Matth.* XXVI). Bibit, et inebriatus est, et denudata sunt femora ejus, et apparuit ignominia crucis. Venit frater major populus Judæorum, et irrisit: et minor, populus de gentibus, texit ignominiam. Propterea maledictus Chanaam, servus erit fratris sui. Ecce maledictio illa usque hodie perseverat. Nos minor populus, imperamus majori populo Judæorum. Sicut ergo Dominus in Passione inebriatus est, sic et sancti in ardore fidei quotidie inebriantur in Spiritu sancto. Tu qui die

hesterna aurum colligebas, hodie projicis : nonne apud ignotos videris insanus? Denique et apostoli quando Spiritus sanctus descenderat super eos, et impleverat eos, et loquebantur linguis variis, propterea dicebantur musto pleni (*Act.* II). Multa sunt quæ dicantur de vini mysterio, et de ebrietate. *In finem, pro torcularibus, Asaph.* Octavus psalmus, et octogesimus, et octogesimus tertius. Nullus alius habere poterat torcularis numeros, nisi octavus, et octogesimus, et octogesimus tertius. Octavus dies resurrectionis in singulari numero. Rursum in octo decadibus, octogesimus alius major numerus. Videtis ergo quoniam hæc torcularia non præscribuntur, nisi in die resurrectionis, octava, et octogesima. Dicat aliquis : Quare postea dicitur in octogesimo tertio torcularia? Hæc torcularia ad Trinitatis mysterium pertinent. Propterea et tres sunt chorodidascali. In octavo psalmo, David; in octogesimo, Asaph; in octogesimo tertio, filii Core. Octavus est David, qui interpretatur *fortis manu.* Prima enim nostra victoria, pugnam habet atque luctam. Propterea dicitur fortis manu David. Secunda vero, hoc est, in octogesimo Asaph. Asaph autem interpretatur *Synagoga.* In octavo ergo vincimus, et in octogesimo cum Domino congregamur. In octogesimo vero tertio filiorum Core. Core, interpretatur *Calvaria.* Ascende, Calve; ascende, Calve (IV *Reg.* II). Hæc dicebant etiam pueri Elisæo, quoniam passus fuerat in loco Calvariæ. Multa sunt quæ dicantur, quomodo Elisæus in Bethel irrisus sit a quadraginta duobus pueris. Ista sunt torcularia, de quibus dicit et Salvator : Facite vobis amicos de iniquo mammona, ut vos recipiant in æterna tabernacula (*Luc.* XVI).

Exsultate Deo, adjutori nostro. Qui nos de tenebris Ægypti liberavit. *Jubilate Deo Jacob.* Supplantatori inimicorum.

Sumite psalmum, et date tympanum, psalterium jucundum cum cithara. Hymnum de corde puro, vel mente, ac attenuatione peccatorum mundi.

Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis nostræ. Illi canebant tuba in Pascha, Pentecoste, et Scenopegia. Nos modo in Ecclesia licet omni tempore Deo canere debeamus : sed præcipue in resurrectione, in remissione, et in domus innovatione : hoc est, cum resurgimus in Christo : cum remissionem accipimus, cum domus pectoris nostri innovata fuerit post ruinam.

Quia præceptum in Israel est, et judicium Deo Jacob. Ipsius enim præceptum est, atque judicium, ut gratia salvemur, et non ex nobis.

Testimonium in Joseph. In Christo qui pro nobis venditus est. *Posuit illud, cum exiret de terra Ægypti.* Vel in rubo, vel in igne, vel in aliis mysteriis. *Linguam quam non noverat, audivit.* Populus ille gentium, in Ecclesia mandata, quæ prius ignorabat, accepit.

Divertit ab oneribus dorsum ejus. Quando in Ægypto eramus, exstruebamus civitates Pharaonis, lutum et laterem portabamus, et tota anima nostra quærebat paleas. Non habebamus frumentum, non habebamus cœlestem panem qui de cœlo venit : necdum acceperamus manna de cœlo, necdum nobis serpens fuerat in eremo suspensus : necdum petra aquam nobis miserat : necdum extendebamus manus, et cadebat Amalec. Sedebamus in luto, et faciebamus opera Ægypti, civitates Pharaonis exstruebamus.

A *Divertit ab oneribus dorsum ejus.* Quam grandia ante habebamus onera! Propterea Moyses noster dicit : Venite ad me, omnes, qui onerati estis peccatis, et ego reficiam vos (*Matth.* XI). *Manus ejus in cophino servierunt.* Cujus? Israelis. Alii sunt cophini Ægypti, et alii Jesu. Habet et Jesus cophinos suos, et duodecim cophinos de fragmentis implevit Salvator noster (*Luc.* IX). O rem miram, et ingentia mysteria significantem! Quinque millia populi vescebantur in eremo, sine parvulis, et mulieribus : in loco deserto non inveniuntur nisi tantum quinque panes : locus enim desertus erat. Requiro te qui tantum litteram sequeris. In deserto loco non inveniuntur nisi quinque panes, et duodecim cophini quomodo inveniuntur? Si desertus erat locus, utique duodecim B cophinos habere non poterat; sed hoc totum significatur, quod populum suum Dominus in deserto istius sæculi eduxit de Ægypto : pavit panibus suis, et quodcumque supererat, in duodecim cophinis condidit, hoc est, in duodecim apostolis, ut quod periret in duodecim tribubus, salvaretur in duodecim apostolis.

In tribulatione invocasti me, et liberavi te. Prophetiæ et psalmi ideo obscuri sunt : quoniam subito cum nescis, persona mutatur. Denique hucusque locutus est propheta : nunc subito inducitur persona Dei loquentis ad populum. *In tribulatione invocasti me, et liberavi te.* Quicumque in tribulatione es, securus esto, invoca me, et exaudieris. *Exaudivi te in abscondito tempestatis.* Tempestas illa quando te premebat, C et quasi fluctibus huc illucque trahebat : ego eram in media tempestate. *Probavi te apud aquam contradictionis.* Secundum litteram de Moyse et Aaron dicitur : quod ad aquam contradictionis offenderint Deum (*Exod.* XVII; *Num.* XX). Denique ideo non sunt ingressi terram repromissionis. Nobis autem dicit Deus : *Probavi te apud aquam contradictionis.* Simon probatus est ad aquam contradictionis : quia in hypocrisi accepit baptismum (*Act.* VIII). Quicumque ergo in hypocrisi accepit baptismum, iste probatur ad aquam contradictionis.

Audi, populus meus, et testificabor tibi. Nobis loquitur Deus. Quodcumque populo dixit, etiam nobis loquitur. *Israel, si audieris me.* Quid quæris, ut audiant? Videamus quid præcipiat. *Non erit in te Deus* D *recens.* Cui Deus venter est, Deus ei recens est. Quotcumque vitia habemus, quotcumque peccata, tot recentes habemus deos. Iratus sum : ira mihi Deus est. Vidi mulierem et concupivi : libido mihi Deus est. Unusquisque enim quod cupit et veneratur, hoc illi Deus est. Avarus aurum deum habet. *Nec adorabis Deum alienum.* Noster Deus, virtus est : aliorum, vitia.

Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti. Nos sumus qui educti sumus de terra Ægypti : si tamen exivimus, si in eremo sumus, si terram repromissionis cupimus videre. Si reliquimus Sodomam, non respiciamus ad Sodomam. Salvati sumus in monte, non desideremus Ægyptias

A carnes, non dicamus : Quam bene nobis erat in Ægypto, cum manducabamus carnes in ollis, et allia, et cucumeres (*Num.* XI)! Vis accipere Domini cibos? Vis comedere ipsum Dominum Deum tuum et salvatorem? Audi quid dicat : *Dilata os tuum, et implebo illud*. Dilatate ora vestra, ipse est Dominus, et panis. Ipse hortatur nos ut comedamus, et ipse noster cibus est. Quantumcumque dilataveris, tantum accipies. Non est igitur in mea potestate, sed in tua est. Si volueris, totum me accipies : si nolueris, accipe saltem partem.

Et non audivit populus meus vocem meam. Ego sto ante ostium, et pulso. Volo ut aperias et ingrediar, et non vis aperire (*Apoc.* VIII).

Et Israel non intendit mihi : et dimisi eos secundum B *desideria cordis eorum*, etc. Infelix est qui a Deo non corripitur. Si quis peccans non percutitur, iste miser est. Ideo dicit : *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum*. Ideo eos dimisi : quoniam sæpe percussi, et disciplinam non receperunt. Rogavi, non audierunt : percussi, non senserunt dolorem. Dimitto eos in voluntatibus suis, ut saturati vitiis suis, vel sic agant pœnitentiam.

Si populus meus audisset me. O clementissime Pater, o misericors Deus! Rogavit, et non est auditus : quasi iratus dimittit filium lascivientem. Iterum videt perire, et dolet, quia perit. Et quid dicit : *Israel si in viis meis ambulasset, pro nihilo*, etc. Numquid grande mihi erat liberare te de tribulatione? Numquid non poteram majestatem meam mittere, et C eruere te de periculo? Sed quia dimisi te libero arbitrio, et stadium tibi proposui, et non coronatur, nisi qui pugnaverit, propterea victoriam tuo arbitrio derelinquo (II *Tim.* II).

Inimici Domini mentiti sunt ei. In Hebraico melius habet : *Inimici Domini negabunt eum*, hoc est, Judæi : inimici enim ipsius negaverunt eum. Sed isti inimici qui negaturi sunt eum, ergo peribent? ergo reliquiæ non erunt? Et quomodo jurasti Abrahæ, Isaac, et Jacob : quoniam semen ipsorum sit quasi stellæ cœli et sicut arena maris? Quare promisisti patribus, et non reddis filiis? *Inimici Domini negabunt eum.* Sed quid dicit? *Et erit tempus eorum in sæculum.* Cum introierit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus fiet (*Rom.* XI). In futuro credent, modo non D crediderunt. Nunc dicam ad Judæos. Solent sibi applaudere, et dicere : *Et erit tempus eorum in æternum.* Nos dicamus, verum est : credituri enim sunt de Judæis. Denique legimus in Apocalypsi Joannis, duodecim millia de singulis tribubus, hoc est, centum quadraginta quatuor millia creditura, et hoc dicitur virginum esse. Ubi autem virginum tantus numerus erit, non virginum quantus erit? Ergo et nos dicamus Judæis, et non erit tempus vestrum in æternum, hoc est, in futuro sæculo. Sed ad te qui hodie non credis, quid pertinet? *Et erit tempus eorum in sæculum.* Inimicorum Dei quale tempus erit.

Et cibavit eos ex adipe frumenti. Induxit eos in terram repromissionis : cibavit non manna ut in deserto, sed frumento quod cecidit, quod surrexit. *Et cibavit illos ex adipe frumenti.* Videte mysterium Scripturarum : *Ex adipe frumenti.* Frumentum adipes habet : numquid et intestina habuit? Sed voluit largitatem et pinguedinem gratiæ spiritualis ostendere, et ideo adipes nominavit. *Et de petra melle saturavit eos.* Ipse frumentum est : ipse petra est, qui populum Israel satiavit aqua in deserto. Spiritualiter melle, et non aqua saturavit eum, ut quicumque crediderunt et acceperunt cibum, mel sentiant in ore suo. Quam dulcia faucibus meis eloquentia tua, super mel et favum ori meo (*Psal.* CXVIII)! Denique et Dominus noster post resurrectionem propterea favum comedit, et de petra melle saturatus est (*Luc.* XXIV). Ergo rem dico novam : Ipsa petra mel comedit, ut nobis mel tribueret, et dulcedinem, ut qui in Lege biberant myrrham, hoc est, amaritudinem : postea in Evangelio comedant mel Evangelii : cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXXI.

Psalmus Asaph. Iste psalmus hortatur, ut si volumus Dominum habitare nobiscum, ea semper quæ illi sunt placita, faciamus.

Deus stetit in synagoga deorum. Multa sunt schemata. Frequenter enim sedemus, interdum stamus, interdum jacemus, interdum currimus, interdum ambulamus, ita et Deus describitur pro varietate hominum, et status ipsius diversus inducitur. Si sancti sumus, et sumus similes Moysi, dicitur ad nos : Tu vero hic sta mecum (*Exod.* XVII). Hoc enim dixit Deus ad Moysen. Stabat enim Moyses super petram, propterea et Dominus stabat illi. Si vero prius sancti fuerimus, et postea peccatores : jam non nobis stat Deus, sed ambulat : hoc est, movetur de loco suo, qui nobis ante steterat. Postquam nos moti fuerimus, et ipse nobiscum pariter movetur. Denique et Adam quamdiu in paradiso fuit, et mandatum servavit, stabat ei Deus. Postquam vero transgressus est : audivit vocem Dei ambulantis in paradiso. Vis scire quia ambulabat ei Deus? Quid ei dixit? Adam, ubi es? Qui ante stantem Deum non fugerat, postea ambulantem fugit (*Gen.* V). Diximus de stante, diximus de ambulante, dicamus de sedente. Quandocumque sedens inducitur Deus, dupliciter inducitur. Aut quasi rex, aut quasi judex. Si quasi rex, videtur sicut Isaias : Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum (*Isai.* VI). Ibi quasi rex regnans inducitur. Quando vero quasi judex inducitur : throni positi sunt, et libri aperti sunt, ut in Daniele scriptum est : Quid dicitur? Throni positi sunt, et libri aperti sunt (*Dan.* VII) : hoc est, Dominus quasi judex sessurus, et omnium opera relecturus. Libri qui modo complicati sunt, tunc aperientur. Omne quod facimus, quod loquimur, quod cogitamus, etiam de otioso verbo reddituri sumus rationem. Scriptum est in libris Dei. Putat aliquis libros esse in cœlo, ubi scribuntur peccata nostra : Ego libros puto conscientias nostras, quæ tunc aperientur, et videbit unusquisque quod fecit.

Nil occultum quod non revelabitur. Propterea throni positi sunt, et libri aperti sunt. Quanta scripta sunt in libro meo, et ne fratri quidem meo, neque amico meo audeo confiteri. Sciunt angeli quid fecerim, sciunt Throni, sciunt Seraphim; scit Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Diximus de Deo, quod aliis stet, aliis ambulet, aliis vero sedeat : aut quasi Rex, aut quasi judex : aliis vero dormit. Si quando nos derelinquit tentationibus, licet simus sancti : tamen relinquimur tentationibus ut probemur : eo tempore nobis dormit Dominus. Denique quid dicit Psalmista : Exsurge, ut quid dormitas, Domine (*Psal.* XLIII)? Et apostoli, quando erant in navi, et navis fluctibus tundebatur, dormiebat eis Dominus : Propterea enim navis fluctibus tundebatur. Denique excitant eum, et evigilat, et statim tempestas quiescit (*Marc.* IV). Diximus de quatuor schematibus Dei : quia aliis stet, aliis ambulet, aliis sedeat, et aliis quasi dormiat : aliis vero evigilat et consurgit. *Deus stetit in synagoga deorum.* Quia dii erant, propterea stabat ei Deus. In qua synagoga nostra, diversa Deus habet schemata : aliis stat, aliis sedet, aliis ambulat, aliis dormit. Cum ipse sit immutabilis, pro nostra varietate mutatur. Vide hominis dignitatem. *Deus stetit in synagoga deorum.* Largitur nobis nomen, ut largiatur et meritum. *In medio autem deos dijudicat.* Quasi imperator in medio exercitus dijudicat. Deus deos dijudicat. Res formidabilis, res terroris plena. Si deos dijudicat, de peccatore quid facit? Duos istos versiculos quasi propheta dixit; hoc vero quod sequitur :

Usquequo judicatis iniquitatem? Ipse Deus loquitur ad judices, hoc est, ad principes populi. Specialiter isti versiculi qui sequuntur, ad judices dicuntur. Si sæculi judices, manifestum est. Si vero Ecclesiæ judices, de episcopis intelligamus atque presbyteris. *Usquequo judicatis iniquitatem?* Qui judicat iniquitatem, judex iniquitatis est. Ille erat judex iniquitatis, de quo dicitur in Evangelio : qui Dominum non timebat, et hominem non reverebatur. *Usquequo judicatis iniquitatem?* Dedi vobis potestatem in gregem meum, et in populum Dei : debetis judices esse, et non lupi. *Et facies peccatorum sumitis. Judicate egeno et pupillo, humilem et pauperem justificate. Eripite pauperem, et egenum,* etc. Quando venerit ad vos judicium, non consideratis causam, non consideratis judicium, sed personnas eorum qui habent causas. Ac si dicat : Si venerit pauper, habens justum negotium, et venerit dives, habens malum negotium : vos personam aspicitis, non negotium. Hoc interim secundum unam interpretationem. Cæterum est et alia interpretatio sacratior. Solet in theatris unus homo frequenter diversas habere personas : nunc ingreditur in mulierem, nunc in virum, nunc in regem, et qui in regem processerat, rursum in servo procedit. Dixi exemplum, ut de carnali venire possimus ad spirituale. Et nos diversas personas accipimus. Quando enim irascor, personam leonis assumo. Quando res alienas rapio, lupi personam assumo. Quando vero crudelis sum et interficio, assumo personam crudelis. Sed quo-

A modo qui sunt peccatores, in peccatis habent diversas personas, sic econtrario qui sancti sunt, habent et ipsi diversas personas, sed in bono. Quando eleemosynam facio, habeo personam quasi elementis. Quando vero bene judico, habeo personam boni judicis. Quando vero injuriam patior, et humilis sum, habeo personam humilis. Infelix est, qui plures in malo habet personas. Felix est, qui diversas personas habet in bono.

Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Qui? Mali judices. Quos ego deos vocabam, vitio suo mali appellati sunt. Nescierunt me, neque intellexerunt judicium meum : in tenebris ambulant. Quia dereliquerunt lucem : propterea in tenebris ambulant. Ego dixi : vos estis lux mundi, et vos declinastis a luce, et facti estis tenebræ. Quia ergo hoc

B fecerunt, videamus quid sequitur. *Movebuntur omnia fundamenta terræ.* Videte, principes mali qualem habent retributionem. Propter malos judices, terræ fundamenta quatiuntur. Hoc interim diximus primum secundum litteram : quoniam totius orbis concussio propter malos principes venit. Dicamus autem et aliter : *Movebuntur omnia fundamenta terræ.* Ego malos judices, qui fundamenta posuerunt in terram, et non in cœlum, subvertam : qui debuerunt fundamentum habere Christum, quem posuit architectus Paulus : et noluerunt, sed in terram posuerunt fundamenta sua.

Ego dixi, dii estis, et filii excelsi omnes. Audiat Eunomius, audiat Arius, qui dicunt Filium Dei similiter esse filium, ut nos sumus. Quod dii sumus, non est naturæ, sed gratiæ. Quotquot enim eum recepe-

C runt, dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I). Propterea feci hominem, ut de hominibus dii fiant. *Ego dixi, dii estis, et filii excelsi omnes.* Videte quanta sit dignitas, et dii vocamur et filii. Ego feci vos deos, sicut feci Moysen Pharaonis Deum (*Exod.* VII) : ut postquam dii fueritis, digni efficiamini filii mei. Considerate Scripturam divinam : Non est personarum acceptio apud Deum. Non dixit : *Ego dixi, dii estis*, reges et principes, sed omnes quibus æqualiter corpus dedi, et animam, et spiritum : æqualiter donavi, et deitatem, et adoptionem. Æqualiter omnes nascimur, et imperatores, et pauperes : æqualiter et morimur. Æqualis enim conditio est.

Vos autem sicut homines moriemini. Videtis ergo quoniam qui homo est, moritur. Deus enim non mo-

D ritur. Et Adam quamdiu servabat præceptum, et Deus fuit, non mortuus est. Postquam vero gustavit de arbore illicita, statim mortuus est. Denique dicit ei Deus : In quacumque die gustaveris, morte morieris (*Gen.* II). Melius habet in Hebræo : *Vos autem sicut Adam moriemini.* Sicut ille ejectus est de paradiso, sic et nos ejecti sumus. *Et sicut unus de principibus cadetis.* Quoniam dixerat : *Filii excelsi omnes*, non potest filius esse excelsi, nisi et ipse excelsus fuerit. Ego dixi, ut omnes vos excelsi sitis, ut ego excelsus sum. *Vos vero sicut unus de principibus cadetis.* Quoniam excelsi eramus, propterea cecidisse dicimur. Ubi sunt qui dicunt diabolum, diabolum esse factum? Ubi sunt qui dicunt malam na-

turam a Deo creatam? Secundum Hebræum hic duo dicuntur: *Vos autem sicut Adam moriemini.* Sicut Pater vester noluit audire præceptum Domini, et cecidit: ita et vos moriemini. Ergo illud de Adam dictum est. Hoc vero quod sequitur: *Et sicut unus de principibus cadetis*, quis est iste unus de principibus qui cecidit? Si volueris dicere Adam, jam in superioribus versiculis dictum est: *Vos autem sicut Adam moriemini.* Simulque videte significantiam verbi: *Vos autem sicut Adam moriemini.* Quoniam Adam mortuus est, et nos morimur. Diabolus vero qui princeps fuit et cecidit, non mortuus est. Neque enim potest angelica dignitas mortem recipere, sed tantum ruinam. Idcirco dixit: *Sicut unus de principibus cadetis.* Quomodo cecidit lucifer qui mane oriebatur: Et ecce, et hic cecidit, et ibi cecidit. Propterea cecidit, quia semper in cœlestibus versabatur. Iste est cui dicitur in Ezechiel: Tu es resignaculum similitudinis (*Ezech.* XXVIII). Videte quid dicat: Resignaculum similitudinis. Non dixit: tu es signaculum similitudinis: sed resignaculum similitudinis. Signaverat te, Deus, et similem sibi fecerat. Tu vero postea resignasti te ad similitudinem et imaginem Dei, et tu conditus es. Denique dicitur in ipsa prophetia: In medio Cherubim nutritus es: inter lapides jaspidis et carbunculi fuisti in paradiso Dei, et cecidisti, inquit, et a monte Dei vulneratus es. Iste est princeps Tyri ex eo tempore quo cecidit; siquidem Tyrus lingua Hebræa dicitur *Sor* (צר): hoc est, *tribulatio.* Ergo et iste princeps qui primo erat in cœlo: nunc factus est princeps Tyri, hoc est tribulationis istius sæculi. *Sicut unus de principibus cadetis.* Quando dicit, *sicut unus*, ostendit esse et alios. Legite Apocalypsim Joannis: Draco quando de cœlo cecidit, tertiam partem stellarum secum duxit (*Apoc.* XII). Hucusque Deus locutus est ad homines, et rursum per prophetam loquitur.

Surge, Deus, judica terram. Surge, quia navis nostra fluctibus tunditur. *Surge: Deus, judica terram*: quoniam mali judices non judicant, sed evertunt legem tuam, et pecora tua lacerant. Tu surge, qui verus judex es. Quia ergo mali judices mortui sunt sicut Adam et ceciderunt sicut unus de principibus: propterea tu surge, tu judica, tu salva creaturam tuam. Mercenarius enim cum lupum viderit, fugit (*Joan.* X), relinquit oves: non potest ita dolere alieno, quomodo dolet patri et matri. Dicamus et aliter: Surge, qui pro nobis passus es, pro nobis mortuus es: surge, et salva nos. Dicamus aliter: Qui venisti humilis et contemptus, veni quasi judex et vindica nos. *Surge, Deus, judica terram.* Videte significantiam proprietatesque sermonum. Non dixit: judica cœlum, sed terram. Ergo terra judicatur, non cœlum. Si ergo terra judicatur, et non cœlum, ergo in cœlo peccata non fiunt; si autem fierent in cœlo peccata, diceret: *Surge, Deus, judica terram*, et cœlum. Et videte clementiam prophetiæ. Non dixit, interfice terram: sed judica, et salva. Non dixit, judica per angelos, judica per ministros tuos. Illi enim si judicaverint, non possunt misereri, quia exsecutores sunt sententiæ tuæ. Tu vero si judicaveris, poteris ipse misereri. *Surge, Deus, judica terram.* Imperator potest suam mutare sententiam: præfectus non potest. Propterea te judicem deprecamur, non contemnentes, sed precantes. Homines etenim et angeli ad comparationem tui crudeles sunt. Tu solus mitissimus judex es. Vultis scire quoniam Deus clemens est judex, et omnis homo crudelis est? Dormiente patrefamilias inimicus homo zizania superseminavit. Servi volunt evellere, et dicit paterfamilias: Dimittite ut simul crescant: ne cum zizania de frumento evellitis, eradicetis simul et triticum (*Matt.* XIII). *Quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.* Propterea te judicem deprecamur, quia omnibus gentibus misertus es. Quare non dixit, tu possidebis omnes gentes; sed, *tu hæreditabis?* Ubicumque hæreditas ponitur, ibi mors ante præcessit. Propterea hæredes et cohæredes dicimur. Hæredes dixit Christi, quia pro nobis mortuus est. Cohæredes, quia nobiscum regnaturus est. *Tu hæreditabis*: Misisti enim servos tuos, revertamur ad apostolos, alium in circumcisionem, alium in gentes. Quamdiu Moysen miseras, quamdiu Isaiam, quamdiu Jeremiam, quamdiu alios prophetas: notus erat in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus. In modica terra nominis Dei notitia ferebatur. Misisti Petrum piscatorem, qui dimiserat rete, qui ab opere callosam habebat manum. Non misisti oratorem, non misisti philosophum: Misisti hominem rusticanum, hominem piscatorem. Iste piscator, iste rusticanus de Jerosolyma perrexit Romam, et rusticanus cepit Romam quam eloquentes capere non potuerunt. Rursum ivit Paulus apostolus, et de Jerosolyma prædicavit usque in Illyricum, et prædicavit, ubi non erat prædicatum Evangelium, ne super alienum fundamentum poneret ædificium (*Rom.* XV). Deinde dicit, quod de urbe Roma iret ad Hispaniam. Videte Paulum persecutorem, qui in Judæa fuerat persecutor, prædicat gentibus. Ubi sunt qui prædicant Alexandrum Magnum Macedonum imperatorem, quod in brevi spatio vicerit tantas gentes? Habuit exercitum, habuit et ingentes turbas, et non tale aliquid potuit, sed modicum quiddam. Iste vero Paulus quondam persecutor fuit, qui dicebat: Et si imperitus sum sermone, non tamen scientia (I *Cor.* XI). Qui solœcismos facit in loquendo, crucem Christi portat, et quasi triumphans omnes capit. Totum orbem subegit ab Oceano usque in mare Rubrum. Dicat aliquis: hoc totum lucri causa fecerunt. Hoc enim dicit Porphyrius: Homines rusticani et pauperes, quoniam nihil habebant, magicis artibus operati sunt quædam signa. Non est autem grande facere signa. Nam fecere signa in Ægypto magi contra Moysen (*Exod.* VII). Fecit et Apollonius, fecit et Apuleius. Infiniti signa fecerunt. Concedo tibi, Porphyri, magicis artibus signa fecerunt, ut divitias acciperent a divitibus mulierculis, quas induxerant: hoc enim tu dicis. Quare mortui sunt? Quare crucifixi? Fecerunt et alii signa magicis artibus, sed pro

homine mortuo non sunt mortui, pro homine crucifixo non sunt crucifixi. Sciunt isti hominem esse mortuum, et moriuntur sine causa? Felix ergo nostra victoria, quæ in sanguine apostolorum dedicata est. Fides nostra non probatur, nisi per illorum sanguinem. Benedicamus ergo Deum, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXXII.

Canticum psalmi Asaph. Iste psalmus vocem prophetæ continet collaudantis Deum. Ait ergo :

Deus, quis similis erit tibi? Quia nullus est similis tui : nullum alium auctorem, nisi te quærimus. *Ne taceas, neque compescaris, Deus.* Nos tacemus, tu pro nobis loquere. Justi vox est quæ dicit : *Neque compescaris, Deus.* De justitia sua securus est.

Quoniam ecce inimici tui sonuerunt. Possumus secundum tropologiam de Ecclesia interpretari et hæresibus. Possumus autem secundum litteram interpretari de populo Judæorum, et de cæteris gentibus, quæ in circuitu expugnant Judæam. *Quoniam ecce inimici tui sonuerunt.* Vocem et detractionem adversariorum sonitum voluit appellare. *Quoniam ecce inimici tui sonuerunt.* Videte quid dicat : *Sonuerunt*, hoc est, quasi cymbalum tinniens, sic sonuerunt auribus meis. Sonus proprie dicitur, cum auditur tantummodo sonus, et vox non intelligitur. Ergo quod dicit, hoc est : Illi quidem loquebantur, et quasi volebant me arguere : cæterum ego non quasi vocem, sed quasi sonum audiebam. *Et qui oderunt te, extulerunt caput.* Videte quid dicat : Ergo qui elevat caput, odit Deum. Superbis enim Dominus resistit : humilibus autem dat gratiam (*Jacob.* IV, *et* I *Petr.* V). *Et qui oderunt te, extulerunt caput.* Si causam habes contra aliquem : si tibi detrahit frater tuus, et tu es humilis pro Christo, et ille superbus propter diabolum, tu imitaris eum qui dicit : Discite a me, quia mitis sum et humilis corde (*Matt.* XI). Ille autem qui erigitur, illum imitatur qui dicit : In cœlum ascendam, super sidera cœli ponam thronum meum, ero similis Altissimo (*Isai.* XIV). *Et qui oderunt te, extulerunt caput.*

Super populum tuum malignaverunt consilium. Sufficit alicui, si populus Dei sit. *Cogitaverunt adversus sanctos tuos.* Hoc interpretatione non indiget. Legisse, intellexisse est.

Dixerunt, venite et disperdamus eos de gente. Et non sit gens, quia populus Dei est. *Et non memoretur nomen Israel ultra.* Non memoretur hic, qui sensu videat Deum.

Quoniam cogitaverunt unanimiter simul. Infelices nos : Infelix populus Dei, non potest in bono tantam habere concordiam, quantam mali habent in malo. *Adversus te testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum et Ismaelitæ : Moab Agareni, Gebal, et Amon et Amalec, alienigenæ cum habitantibus Tyrum : etenim Assur venit cum illis, facti sunt in adjutorium Lot.* Undecim sunt qui pugnant adversus sanctum. Quoniam ergo pugnaverunt contra sanctos, ad perfectum numerum, id est, duodecimum, venire non po-

A tuerunt. *Tabernacula Idumæorum.* Non habent domus fundamentum, sed tabernacula quæ cito pertranseunt. Idumæa dupliciter interpretatur, aut *sanguinea*, aut *terrena*. Videte ergo qui pugnant adversus sanctos. *Tabernacula Idumæorum*, terreni et Ismaelitæ interpretantur, *obedientes sibi*, hoc est, quodcumque cor habuerit, et mala cogitatio, statim faciunt. Propterea dicitur in Ezechiele : Fili hominis, loquere adversus prophetas, qui sequuntur cor suum, et quodcumque impellit cogitatio, faciunt (*Ezech.* XIII). Nos autem non debemus sequi cogitationem nostram, nec dici Ismaelitæ, hoc est obedientes sibi, sed Ismael, hoc est, obedientes Deo. *Moab*, *ex patre*, hoc est, recedentes a Deo Patre. *Agareni*, *proselyti.* Qui cum deberent esse habita-

B tores Dei, proselyti facti sunt. *Gebal* interpretatur, *vallis vana. Ge*, dicitur *vallis. Bal* vero interpretatur, *vana.* Isti ergo qui contra Dei populum sunt, non sunt de monte, sed de valle vana. Et Ammon interpretatur, *populus turbidus:* hoc est, qui confidunt in multitudine, et non in simplicitate. *Amalec*, interpretatur *lingens terram.* Quicumque enim pugnant adversus populum Dei, non comedunt cœlestem panem, sed lingunt terram sicut serpens. *Alienigenæ.* Ubi dicitur, *alienigenæ*, in Hebræo habet *Philistiim.* Philistiim vero interpretantur, *cadentes potione :* hoc est, qui inebriati sunt de calice diaboli, et inebriati ceciderunt. *Cum habitantibus Tyrum. Tyrus* lingua Hebræa dicitur *Sor*, quod interpretatur, *tribulatio et angustia.* Qui debuerant esse pere-

C grini in isto sæculo, facti sunt habitatores. Isti ergo qui expugnant populum Dei, habitant in Sor, hoc est, in angustia et tribulatione animæ suæ. Istæ ergo tantæ gentes quæ pugnant adversus sanctum, videamus quem habent principem : Salvatorem, an diabolum. Quid sequitur? *Etenim Assur venit cum illis. Assur*, Nabuchodonosor adversarius Dei, qui populum Dei duxit in captivitatem : licet videatur gentes habere plurimas pro se dimicantes : tamen principem habent Assur, hoc est, diabolum. *Facti sunt in adjutorium filiis Lot. Lot*, interpretatur *declinans.* Dæmones ante fuerunt angeli, et postea cum diabolo ceciderunt, et facti sunt satellites ejus, sicut scriptum est in Apocalypsi Joannis : Quia draco cecidit, et traxit secum tertiam partem stel-

D larum (*Apoc.* XII). Ergo quid dicit? Isti qui venerunt cum tantis gentibus, et expugnaverunt populum tuum, et venit cum eis Assur, et principem habent diabolum, facti sunt in adjutorium filiis Lot, hoc est, dæmonibus. Qui a te declinaverunt, hoc operantur quod et dæmones. Videtis quia difficillima loca sunt ; videtis quia obscura sunt, et in singulis sermonibus magna sunt sacramenta, et necessitate compellimur in verbis Hebraicis, et plenis mysteriis diutius immorari. Neque enim nunc rhetoricum locum eventilamus, sed id quod a Spiritu sancto dictum est, interpretari nitimur. Nisi enim sic interpretetur, ut diximus, quid prodest Ecclesiis Christi legere tabernacula Idumæorum et Ismaelitæ,

et cætera nomina? Quoniam ergo venerunt contra populum tuum, videamus quid eis imprecetur Psalmista.

Fac illis sicut Madian et Sisaræ, sicut Jabin. Legistis in Judicum libro: Iste est Madian quem expugnavit Gedeon (*Judic.* VII *et* VIII). Jabin, et Sisara isti sunt, quos expugnavit Debbora et Barach (*Judic.* IV). *In torrente Cison disperiunt in Endor.* Debbora et Barach interfecerunt Sisaram principem militiæ. Ergo quod dicit, videte quid sit: Domine, quantam habent superbiam! quoniam cum tanto veniunt exercitu, quoniam Nabuchodonosor habent principem Assyriorum: quoniam facti sunt in adjutorium filiis Lot: quoniam hoc agunt quod agunt dæmones: quoniam superbia ipsorum usque ad te elevata est: propterea te deprecor, ut ad ignominiam suam, non a viro vincantur, sed a muliere. *Facti* B *sunt ut stercus terræ.* Qui? Madian, et Sisara, et Jabin. Isti tres facti sunt, sicut stercus terræ. Madian interpretatur *relinquens judicium*: Quicumque pugnat contra populum meum, non cogitat futurum esse judicium. Sisara interpretatur *equi visio.* Isti qui pugnant contra populum tuum, non sunt de grege tuo, et de pecoribus tuis, sed de equis qui insaniunt in feminas. Isti ergo equi semper parati in prælium sunt. *Sicut Jabin.* Jabin interpretatur *intellectus.* Qui sibi in sua sapientia confidunt, et non in gloria Dei. *Facti sunt ut stercus terræ.* Illi qui gloriabantur in exercitu, qui habebant principem Assur, et dicebant: In cœlum ascendam, non solum in terram ceciderunt, sed in terra stercus facti sunt.

Pone principes eorum. Quorum? Qui pugnant contra C populum tuum. *Sicut Oreb et Zeb, et Zebee, et Salmana. Omnes principes eorum.* Legisse vos puto historiam in Judicum libro: quoniam Gedeon qui vocatur alio nomine Jerobaal, pro populo Dei pugnans, hos quatuor reges vicerit et interfecerit eos (*Judic.* VI *et* VII).

Videte quales sunt principes Madianitarum, qui reliquerunt judicium Dei: *Oreb, et Zeb, et Zebee, et Salmana.* Quis putat in istis verbis esse mysteria Salvatoris? Legunt hoc philosophi, et irrident. Legunt rhetores, et putant esse deliramenta. Non solum autem rhetores, sed et Judæi non habent clavem scientiæ: quoniam velamen positum est ante oculos eorum. Oreb interpretatur *foramen*, in quo coluber ingreditur. Zeb interpretatur *lupus.* Videte D nomina principum adversariorum Christi. Zebee, *hostia*, hoc est, quos lupus suffocaverit. Et Salmana, *perfecti in malitia.* Videte ergo nominum sacramenta.

Qui dixerunt: hæreditate possideamus sanctuarium Dei. Dixerunt, sed non perfecerunt: quia Dominus pugnabat pro populo suo.

Deus meus, pone illos ut rotam. Videte clementiam prophetæ: Non precatur contra eos, sed pro eis. Videte quid dicat: Deus meus, qui Deus es omnium, meus proprie Deus. *Deus meus, pone illos ut rotam.* Qui quasi fundamentum habent in malitia: non habeant fundamentum, sed vacillent, et non stent in malitia. *Sicut stipulam ante faciem venti, sicut ignis qui comburit silvam. Sicut stipulam:* non sicut fru- A mentum, sed, *stipulam*; quod dicit, hoc est: si quis est in eis stipula et palea, pereat. *Sicut ignis qui comburit silvam.* Non dixit, arbores frugiferas; sed, *silvam*, quæ non habet fruges. Si quis ergo stipula est, et non habet frumentum: si quis silva est, et non habet fruges, hic pereat. *Sicut flamma comburens montes.* Superbia in eis pereat.

Ita persequeris illos in tempestate tua, et in ira tua. Quid? Occides eos? Non: sed, *Turbabis eos.* Ut salventur.

Imple facies eorum ignominia. Ut confundantur. Quare hoc? *Ut quærant nomen tuum, Domine.* Videtis ergo quia non contra eos, sed pro salute ipsorum deprecatur. Denique et in sequentibus videte quid dicat:

Erubescant et conturbentur in sæculum sæculi, et confundantur et pereant. Pereant secundum hoc quod mali sunt, et salvetur quod bonum est. Denique videte, quoniam perditio hic non abolitionem sonat, sed salutem. Qui sequitur.

Et cognoscant quia nomen tibi Dominus: tu solus Altissimus in omni terra. Erigat se qui vult ut erigatur. Nos dicamus: Tu solus Altissimus in omni terra. Quantumvis aliquis exaltetur, nos habeamus Deum, cui excelsius nomen est, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXXIII.

In fine pro torcularibus filiis Core, et Psalmus. Tres sunt psalmi qui *pro torcularibus* præscribuntur, octavus, et octogesimus, et octogesimus tertius. Octavus præscribitur David: octogesimus vero præscribitur Asaph: octogesimus vero tertius filiis Core. Do vobis aliquam regulam, ut sciatis in Scripturis quid observare debeatis. Quicumque psalmus præscribitur filiorum Core, nihil triste habet, sed semper læta significat. Quoniam enim Core, et Dathan, et Abiron fecerunt contra Moysen, et a Domino puniti sunt: filii Core qui non sunt secuti patrem suum, æterno gaudio benedicti sunt. Quoniam autem Core interpretatur *Calvaria*, et manifestum est, quod Calvaria significat locum resurrectionis: quicumque filius Core est, filius est resurrectionis; quicumque autem filius resurrectionis est, nihil potest habere quod triste est.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Deinde dicitur: *Beati qui habitant in domo tua.* Vide tria esse tabernacula, et atria, et ad extremum domum. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!* Quæ sunt ista tabernacula? Videamus Evangelium an nobis aliquam significantiam præbeat. Loquitur Dominus et dicit: Facite vobis amicos de iniquo mammona, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula (*Luc.* XVI). Videtis ergo quod iniquum mammona in isto sæculo deficit. Tamen considerate quod iste iniquus justitiam præparat. Mammona in lingua Hebræa divitiæ nuncupantur: non aurum, ut quidam putant. De iniquo mammona. Vera est et philosophi quædam sententia: « Omnis dives aut iniquus, aut iniqui hæres est. » Propterea dicit Dominus atque Salvator quod divites difficile ingrediuntur in regnum cœlorum (*Matt.* XIX). Dicat aliquis: Quomodo Zachæus ingressus est in regnum cœlorum, qui dives fuit? Sed dedit divitias, et statim

commutavit divitias regno cœlorum. Non dixit, quicumque divites fuerint, non intrabunt in regna cœlorum : sed dixit, quod difficile divites intrabunt in regna cœlorum. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!* Alii desiderant possessiones, alii sæculi istius divitias, alii parere in istius sæculi Ecclesiis, et gloriam aliquam habere apud homines: mihi hoc solum desiderium est videre æterna tabernacula. Illa mihi dilecta sunt tabernacula, ubi congregatio virtutum est, non vitiorum. *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini :* hoc est solum desiderium, hic solus amor meus, ut videam atria tua. Videte ordinem. Primum desiderat tabernacula: tabernacula quæ non habent fundamentum : tabernacula quæ cito mutantur. Tabernaculum enim semper mutatur, et huc illucque transfertur. Cæterum atria non sunt quidem domus, sed tamen habent aliqua fundamenta, et de atrio intramus in domum. Iste ergo primum tabernacula desiderat, et postea deficit, et amore tabescit ut videat atria, et cum fuerit in atrio, tunc dicit: *Beati qui habitant in domo tua.*

Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. Difficile est ut cor et caro alicujus in commune consentiant. Si enim secundum Apostolum spiritus pugnat contra carnem, et caro contra spiritum (*Galat.* v) : quomodo hic dicit, cor meum et caro mea exsultavit? Hoc non potest dicere, nisi ille qui in amorem Dei tota mente defixus est. *Cor meum, et caro mea.* Illud est quod dicit et in alio loco : sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea (*Psal.* LXII)! Ista est caro quæ desiderat Dominum, de qua in alio loco dicitur : Et videbit omnis caro salutare Dei (*Isai.* XL). Illa autem caro de qua dicitur : Omnis caro fenum (*Eccli.* XIV), non desiderat Dominum. *Cor meum et caro mea.* Vide mihi aliquem abstinentem, qui mortem carnis suæ, lucrum putat animæ suæ. Hæc autem carnis sunt jejunia, et injuriæ. Denique et Apostolus quid dicit? Quem tradidit Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat (I *Cor.* v). Nisi caro mortua fuerit, spiritus vivificari non potest. Propterea dicit et Apostolus : Quando infirmor, tunc fortior sum (II *Cor.* XII). Consideret se unusquisque quando jejunio lassus est et defectus : quomodo anima vigeat, quomodo nihil aliud mens nisi de Deo considerat : quomodo semper dicat, *quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!*

Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi ubi reponat pullos suos. Altaria tua, Domine virtutum, rex meus, et Deus meus. Interim simpliciter interpretemur. Videte quid dicat: Desidero, Domine, æterna tabernacula tua : *concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.* Sedem aliquam et nidulum animæ meæ, et corpori meo habere desidero. Aves quæ libere huc atque illuc vagantur : tamen postquam volaverint, habent locum et nidulos ubi requiescant : quanto magis anima mea, et caro mea debet sibi locum præparare, ubi possit requiescere! Nunc altius aliquid ascendamus. In Domino confido : quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montes sicut pas- A ser? Videte ergo quia nemo transmigrat in montes nisi qui passer est. *Et turtur nidum sibi.* Iste est turtur, de quo dicitur in Cantico canticorum : Vox turturis audita est in terra nostra (*Cant.* II). *Turtur nidum sibi.* Turtur est animal castitatis. Turtur non habitat in humilibus, sed semper facit nidos sibi in excelsis arboribus. Sicut ergo passer et turtur aves castissimæ nidos sibi in sublimioribus faciunt : sic ergo tabernacula, et atria et domus non sunt in humili ista terra, sed in excelso, hoc est, in regnis cœlorum. Denique videte quid dicat.

Beati qui habitant in domo tua. In tabernaculo non habitamus, sed peregrinamur. Et in atrio quamdiu sumus, non habitamus, sed peregrinamur. De atriis enim transimus in domum. Cum autem venerimus B in domum, quid dicitur? *Beati qui habitant in domo tua :* Domus quæ habet fundamentum. Quoniam de domo nobis exire non licet, de atriis licet.

Beatus vir cujus est auxilium abs te. Nos quidem desideramus tabernacula et atria et domum tuam, sed hoc ipsum ut capere possimus, non est virtutis nostræ, sed auxilii tui. *Ascensiones in corde suo disposuit.* Quis disposuit ascensiones in corde suo? Beatus vir cujus est auxilium a Domino : ille disposuit ascensiones in corde suo. Quicumque sanctus est, quotidie in priora extenditur, et præteritorum obliviscitur. Propterea dicuntur et in Psalterio psalmi graduum quindecim, et primus dicitur: Ad Dominum cum tribularer clamavi. Et in secundo: Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium C mihi. Et in tertio : Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, et semper procedit, et proficit, et ascendit in sublimiora. Quod dicit, hoc est: *Ascensiones in corde suo disposuit :* Felix est qui quotidie proficit, qui non considerat quid heri fecerit, sed quid hodie faciat, ut proficiat. Sanctus ascensiones in corde suo ponit, peccator descensiones. Quomodo qui sanctus est, quotidie proficit : ita qui peccator est, quotidie decrescit. *Beatus vir qui disponit ascensiones in corde.* Videte consequentiam Scripturarum. *In valle lacrymarum in loco quem posuit.* Ubi dicitur, *in valle*, necesse est ut econtrario intelligamus et montem. Ergo quicumque disponit ascensiones in corde suo, ubi positus est? *In valle lacrymarum.* Consideremus quod in valle sumus, non sumus in D monte, non sumus in paradiso : nec in paradisi altitudine, sed in humilitate terræ, maledictæ terræ, maledictæ quæ nobis tribulos et spinas generat, quæ cibus serpentis est, de qua dicitur ad Adam: Terra es, et in terram ibis. Quamdiu ergo sumus in valle lacrymarum, non debemus ridere, sed plorare. Propterea dicit et Dominus : Beati flentes, quia ipsi ridebunt (*Matth.* v). Interim ergo dum sumus in valle lacrymarum, sæculum hoc lacrymarum est, non gaudii. Non debemus ridere, quoniam hoc sæculum et hoc tempus lacrymarum est, illud gaudii. *In valle lacrymarum in loco quem posuit.* Quid est quod dicitur : *in loco quem posuit. In loco*, hoc est, in valle lacrymarum. *In loco quem posuit.* Deus nos posuit ad

certamen, ut semper in hoc pugnemus. Locus ergo iste, hoc est, vallis lacrymarum, non est pacis, non est securitatis, sed certaminis atque bellorum.

Etenim benedictiones dabit legislator. Dicat aliquis : *In valle lacrymarum, in loco quem posuit*, ad agonem, hoc est, ad certamen : quare posuit ad agonem? quare pugnare nos voluit? Respondit sibi ipsi Psalmista, et dicit : Propterea in loco isto pugnare nos voluit, ut possit tribuere coronas. *Etenim benedictiones dabit Legislator.* Iste Legislator, hoc est, agonotheta noster, propterea nos pugnare voluit, ut nos possit benedicere. Videte consequentiam. Quæ sunt autem benedictiones istius agonothetæ? *Ibunt de virtute in virtutem.* Hic vincunt, ut ibi coronentur. Si hic vir fortis apparuerit, ibi robustior fit, *ibunt de virtute in virtutem.* Ergo nisi hic habuerimus virtutem : ibi virtutem majorem habere non possumus. Neque enim dixit, ibunt de imbecillitate in virtutem : sed, *ibunt de virtute in virtutem.* Vis ibi esse fortis? Ante hic esto fortis. Vis ibi coronari? Hic pugna. *Ibunt de virtute in virtutem.* Possumus et aliter dicere : Christus Dei virtus, et Dei sapientia (I *Cor.* I). Qui hic habuerit virtutem, et ibi habebit ipsam virtutem. *Ibunt de virtute in virtutem.* Quid habebunt lucri cum ierint de virtute in virtutem? Quid habebunt præmii? *Videbitur Deus deorum in Sion.* Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V) : Sufficit victoribus, sufficit eis qui pugnaverunt facies Christi. Deum videre, infinita corona est. *Videbitur Deus deorum in Sion.* Quanta lætitia est, quanta felicitate ire de virtute in virtutem, et hoc ipsum habere præmium, ut Christum videre mereamur!

Protector noster aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui. Videte quid dicat : *Et respice in faciem Christi tui.* Et deprecatur homo, ut pater aspiciat in faciem filii. Sed vide quid dicat. Quoniam dixit Apostolus : An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus (II *Cor.* XIII)? Et rursum ipse Salvator dixit : Qui vos recepit, me recipit (*Matth.* X)? Ergo hoc est quod dicit : respice in nos. In nobis enim respicis filium tuum, qui habitat in nobis.

Quia melior est dies una in atriis tuis. Videte quid dicat : *Dies una.* Putat aliquis sic intelligendum : Melius mihi est in regno cœlorum parum habere, quam hic totum, hoc est, in isto sæculo. Est quidem et ista intelligentia non mala. Sed nos dicamus : Si posset fieri, ut aliquis una die esset in regno cœlorum, et postea præcipitaretur, recte diceret : *Melius est dies una in atriis tuis.* Nunc vero quod dicit una dies, hoc est, quod dicit in regno cœlorum. Una illa dies non habet noctem et tenebras, sed semper lux est. Qui ergo una die in regno cœlorum fuerit, semper ibi est.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Hoc est quod etiam Salvator ait de Joanne : Amen, amen dico vobis, quoniam inter natos mulierum non est major Joanne Baptista (*Matth.* XI). Deinde dixit : quia ipse est angelus. Et deinde dixit : Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo. Sensus ibi iste est :

A Joannes inter omnes homines major est. Et si vultis scire, ipse est angelus. Iste autem qui in terra angelus est, in cœlorum regno novissimus est, hoc est, ab angelis minor est. Qui autem minimus est in regno cœlorum, hoc est, angelus, major est ab isto, qui in terra omnibus major est. Hoc est ergo quod nunc propheta dicit : *Elegi abjectus esse in domo Dei mei*, hoc est, minus esse volui in regno cœlorum, quam in isto sæculo primus. *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Tabernacula non habent fundamentum, sed pertranseunt. Tamen qui peccator est, numquam incolit terram, sed inhabitat et possidet.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus. Duo diligit Deus : misericordiam et veritatem. Si tantum B misericors esset, omnes nos ad peccata provocaret. Si tantum veritatem diligeret, nemo spem haberet pœnitentiæ. Propterea duo quærit, ut ex altero alterum temperet. Si peccator es, audi misericordem Deum, et noli desperare, sed age pœnitentiam. Si vero justus es, noli negligens esse, quia Deus clemens est : quoniam Deus et justus est, et veritatem diligit. *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Non dixit, gloriam et gratiam dabit ; sed dixit, gratiam et gloriam dabit Dominus. Primum donat peccata, et postea coronat.

Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia. Melius habet in Hebræo, *in perfectione.* Innocentia enim non est perfecta virtus ; quoniam qui innocens est, nisi habuerit prudentiam, non est perfectæ consummatæque virtutis. Propterea dicit etiam in C Evangelio : Estote prudentes ut serpentes, et simplices ut columbæ (*Matth.* X). *Domine virtutum.* Videte quid dicat, *Domine virtutum.* Ergo quando peccata aliqua habemus in nobis : Deus qui Dominus virtutum est, non est Dominus noster ; quia Dominus non est peccatorum, sed justorum. *Beatus vir qui sperat in te.* Ille sperat in Domino, qui conscientiam non habet peccatorum, qui oculos liberos ad cœlum levat. Iste sperat, qui scit non offendisse se Dominum suum ; cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXXIV.

In finem filiorum Core. Psalmus hoc titulo prænotatur. Frequenter dixi, ubicumque titulus est, *filiorum Core*, nihil triste est, sed semper lætum. Tristitia enim patris, filiorum gaudio consolatur. D Denique diligenter psalmos relegite, et ubicumque inveneritis titulum, *filiorum Core*, nihil triste reperietis. Frequenter dixi Core, quod interpretatur *Calvariæ* locus : necesse est ut lætum aliquid significet. Denique quis est iste Core? Qui de Jericho ascendebat in Bethel. Bethel *domus Dei.* Diligenter animadvertite. Quicumque in Jericho est, et vult ire ad domum Dei, necesse est ut ascendat. Ergo de Jericho Core noster, hoc est, Elisæus, ascendit in domum Dei in Bethel, et egrediuntur de Bethel, hoc est, de domo Dei, hoc est, de synagoga ubi prius fuerat domus Dei, egrediuntur pueri quadraginta duo, et illudunt Elisæum et Core nostrum, et dicunt : Ascende, Calve ; ascende, Calve. Ille venit ad domum suam, et irridetur a parvulis Bethel. Verum Elisæus ille patientissimus, qui propterea venerat in Bethel ut salvaret, respexit se aliquando : respexit, et jussit de saltu

A exire duos ursos, et interfecerunt quadraginta duos pueros (IV *Reg.* II). Sic et Dominus noster, hoc est, noster Core, cum venisset in Bethel, et vellet ascendere, irrisus a parvulis, jubet exire duos ursos, hoc est, Vespasianum et Titum, et interfecerunt quadraginta duos pueros. Qui sunt isti quadraginta et duo pueri ? Ab ascensu Christi usque ad subversionem Jerusalem, quadraginta et duo anni sunt. Diligenter aspicite, et sic invenietis. Dedit itaque illis locum pœnitentiæ quadraginta et duos annos post resurrectionem suam, cum ad Bethel ascenderet. Sed quoniam illi irridebant : Ascende, Calve; ascende, Calve; egressi sunt duo ursi, et intefecerunt illos.

Benedixisti, Domine, terram tuam. De adventu dicitur Salvatoris. Hoc proprie secundum historiam. Cæterum secundum tropologiam, cum dixerimus de historia, postea dicemus. *Benedixisti, Domine, terram tuam.* Hoc diximus de adventu Salvatoris. Terra quæ te offenderat, quæ idololatriis fuerat inquinata, te veniente salvata est. Benedixisti, Domine, terram tuam. Loquitur peccator postea veniam consecutus. *Benedixisti, Domine, terram tuam.* Licet tribulos et spinas attulerit, tamen creatura tua est, et ideo salvata est. *Avertisti captivitatem Jacob.* Eorum qui in Christo crediderunt. *Avertisti captivitatem Jacob.* Quicumque in peccatis est, captus tenetur.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ. Non propter opera eorum, sed propter misericordiam tuam salvasti populum tuum. *Et operuisti omnia peccata eorum.* Usque ad finem de adventu Salvatoris psalmus est, sicut dixit, misericordia et veritas. Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius, ut inhabitet gloria in terra nostra. Vere enim gloria Dei habitavit in terra nostra, et deinde justitia de cœlo prospexit. Etenim Dominus dabit benignitatem. Quam benignitatem ? Terra nostra dedit fructum suum. Maria, terra nostra, caro nostra, dedit fructum suum. Justitia ante eum ambulavit. Justum fructum dedit terra virgo. Hoc interim diximus secundum historiam : nunc dicamus secundum tropologiam : *Remisisti iniquitatem plebis tuæ.* Nemo dimittit, nisi quod debetur. *Operuisti omnia peccata eorum.* Virtutibus operuisti, et propterea peccata non parent. Ac si diceret : Iniquitatem operuisti justitia ; impudicitiam operuisti castitate ; nigredinem operuisti candore.

Mitigasti omnem iram tuam : avertisti ab ira indignationis tuæ. Converte nos, Deus salutum nostrarum, etc. Videte quid dicat : Tu quod in te fuit, aversus es ab ira propter clementiam tuam. *Converte nos, Deus.* Tu aversus ab ira, nos avertisti a peccatis. *Converte nos, Deus salutum nostrarum.* Quare non dixit, salutis nostræ, sed *salutum nostrarum.* Si semel peccaremus, una indigeremus salute. Multa peccavimus : propterea multis indigemus salutibus.

Deus, tu conversus vivificabis nos. Quamdiu ergo ad nos Dominus non convertitur, mortui sumus.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis. Quod Salvator descendit, misericordia Dei est. Non venisset medicus, nisi ægrotarent plurimi. Quoniam ægrotabant plurimi, propterea venit medicus. Quoniam indigebamus misericordia, propterea venit Salvator.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Multi putant quando loquitur Moyses et dicit : hæc dicit Dominus, et Isaias, et cæteri, et cum dicitur : Factum est verbum Domini ad Isaiam, sive ad Ezechiel prophetam ; quoniam forinsecus sermo fiat, et per istas aures audiat propheta quod loquitur a Domino : Non est ita. Denique et Dominus noster quid loquitur ad Pharisæos et Judæos? qui habet aures audiendi audiat (*Luc.* VIII). Et Isaias ait : Dominus addidit mihi auriculam (*Isai.* V). Videte quid dicat : Dominus addidit mihi auriculam. Quoniam non habebam illam auriculam quæ in corde est ; addidit mihi ut Dei possim audire sermones. Et nunc ergo propheta quodcumque audit, audit in corde. B Quando enim clamamus in cordibus nostris, abba pater, et clamor ille silentii est, et silentium auditur a Domino : sic et Dominus loquitur ad cor nostrum, quod clamat, abba pater. Ideo ergo nunc dicit propheta : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Tale quid et Abacuc propheta dicit : Stabo in contemplatione, et videam quid respondeat mihi Dominus, et quid respondeam ad eum (*Abac.* II). *Et audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Ergo et hoc quod dicit : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus :* loquitur in corde, loquitur in sensu. Vultis scire qualis sit clamor cordis? Vultis scire quoniam clamor apud Deum non vocis, sed lacrymarum est? Dicitur in Lamentationibus Jeremiæ : Non tacuit pupilla oculi mei (*Thren.* II). *Quoniam lo*- C *quetur pacem in plebem suam.* Proprie dicitur hoc de populo Judæorum, qui in Christum credituri sunt. Hoc est de adventu Christi. Dicitur et de fide populi Judaici, hoc est, de apostolis, et quicumque apostolis crediderunt. Quoniam loquetur pacem in plebem suam. Pax non dicitur, nisi quando bellum non est.

Et super sanctos suos et in eos qui convertuntur ad cor. Hoc est, qui primum sequebantur carnem, et postea convertuntur ad cor. Ut sciatis quia pro Judæis dicitur iste versiculus, hoc est, de his qui crediderunt in Salvatorem : videte exempla quæ diximus. Fac mihi Judæum legere Leviticum, et omnia illa sacramenta quæ scripta sunt, et quomodo leprosus ingreditur in synagogam, quomodo gallina tollitur et obtorquetur illi collum. Deinde dicitur de D sanguine quomodo aspergatur : dicitur de aqua : dicitur de hyssopo : dicitur etiam quomodo scindantur illi vestimenta, et sic ingreditur in synagogam ille qui leprosus fuerat. Si secundum litteram legamus, quid nobis prodest quod legimus? Si vero conversi fuerimus ad cor, si spiritualiter intellexerimus : videbimus quoniam leprosus non potest intrare ad populum Dei, nisi scindantur vestimenta ejus, nisi quodcumque clausum fuerit reveletur. Denique videte, quoniam iste leprosus nisi per sanguinem et aquam, et hyssopum, non ingreditur synagogam. Ergo et tu qui usque hodie leprosus fuisti, non apparebat lepra tua antequam venires ad sacerdotem. Sed quoniam venisti ad sacerdotem, dissuit

sacerdos vestimenta tua, et quod tectum videbatur sanum esse, ostendit leprosum. Omnia peccata tua et lepram tuam posuit ante oculos tuos, et ideo te reducit in synagogam Dei per sanguinem et aquam. Per sanguinem, per passionem Christi, et per aquam, per baptismum. Ergo post lepram sanari non poteris, nisi per passionem Christi et per baptismum. Et cum hoc feceris, dicitur et illud : Asperges me hyssopo et mundabor : lavabis me, et super nivem dealbabor (*Psal.* L). Usque hodie in Ægypto es : quamdiu non veneris ad sanguinem et ad aquam, salvari non poteris. Vis ut exterminator qui interfecit Ægyptum, non te interficiat? Tolle hyssopum, intinge in sanguine, asperge postes tuos. Exterminator cum viderit sanguinem in fronte tua, accedere non poterit. Hoc totum quare dixi? Quia scriptum est : *Et in eos qui convertuntur ad cor.* Ergo non poterit Deus loqui pacem plebi suæ, nisi eis qui convertuntur ad cor.

Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius. Ostendo viam salutis, do misericordiam, licet necdum conversus es ad cor: tamen exspecto, do locum pœnitentiæ. Et hoc totum quid est. *Ut inhabitet gloria in terra nostra.* Propterea te ad pœnitentiam vocat : ut qui leprosus eras, habeas hospitem Christum.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt. O quam præclara amicitia! *Misericordia et veritas obviaverunt sibi.* Peccator es : audi quid dicat, *misericordia.* Sanctus es : audi quid dicat, *et veritas.* Nec si peccator es, desperes : nec si justus es, superbias. Dicamus aliter: Duo sunt credentes populi : unus de gentium populo, et alius de Judæorum. Judæis repromissum est quod veniret Salvator : nobis autem qui extranei eramus a lege Dei, non est repromissum. Misericordia igitur est in populo gentilium, veritas in populo Judæorum : quia quod repromissum est, venit, hoc est, quod repromissum est, patribus, hoc completur in filiis. *Justitia et pax osculatæ sunt.* Videte quid dicat : *Justitia et pax osculatæ sunt.* Ipsum est quod supra dixit : *Misericordia et veritas.* Misericordia ipsum est quod et pax : veritas autem ipsum est quod et justitia. Si quid enim ad pacem pertinet, hoc et ad misericordiam, et si quid ad veritatem, hoc ad justitiam. Videte ergo quid dicat : *Justitia et pax deosculatæ sunt,* hoc est, misericordia et veritas amicitiam fecerunt, hoc est, et gentilium populus et Judæorum sub uno pastore Christo est.

Veritas de terra orta est. Ego sum via, et vita, et veritas (*Joan.* XIV). Ille qui dicit, ego sum veritas, de terra ortus est. Quæ est ista veritas quæ de terra orta est. Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus exiet (*Isai.* XI). Et in alio loco : Quoniam Deus operatus est salutem in medio terræ (*Psal.* LXXIII). Quid dicis, Manichæe, qui negas carnem habuisse Salvatorem ? Ecce veritas, id est, Salvator de terra, hoc est, de Maria ortus est. *Et justitia de cœlo prospexit.* Justum enim erat, ut Salvator misereretur populo suo. Videte quid dicat : O justa judicia Dei et ininvestigabiles viæ ejus! *Veritas de terra orta est,* hoc est, Salvator. Et rursum : *Et justitia de cœlo prospexit.* Justitia ipse Salvator est. Quomodo de terra orta est? Quomodo de cœlo prospexit? *De terra orta est*, quod homo natus est ; *de cœlo prospexit,* quoniam Deus semper in cœlis est, hoc est, natus quidem est de terra ; sed ille qui de terra natus est, semper in cœlo est, hoc est, sic apparebat in terris, ut cœlum non derelinqueret. Deus enim ubique prospexit : quoniam donec peccabamus, avertebat oculos suos a nobis. Quod dicit, hoc est : Justum est ut figulus misereatur operibus suis, ut pastor misereatur gregi suo. Nos populus ejus sumus, nos creatura ejus sumus. Propterea ergo de terra ortus est, et de cœlo prospexit, ut impleat justitiam suam, et misereatur operi suo. Denique ut sciatis quoniam justitia non crudelitatem sonat, sed misericordiam, videte quid dicat :

Etenim Dominus dabit benignitatem. Propterea prospexit de cœlo, ut misereatur operibus suis. *Et terra nostra dabit fructum suum.* Veritas quidem de terra orta est. Hoc de præterito. Nunc de futuro dicitur : *Et terra nostra dabit fructum suum.* Nolite desperare : quod semel natum est ex Maria, quotidie et in nobis nascitur. *Et terra nostra dabit fructum suum.* Et nos possumus parere Christum, si volumus. *Et terra nostra dabit fructum suum,* de quo fiat cœlestis panis, de quo dicitur : Ego sum panis, qui de cœlo descendi (*Joan.* VI). Hæc quidem omnia diximus de misericordia Domini, quoniam propterea venit ut salvaret humanum genus. Veruntamen scire debemus, quoniam ipse judicaturus est vivos et mortuos, ipse veniet ad judicium.

Justitia ante eum ambulabit, et ponet in via gressus suos. Nolite negligentes esse. *Justitia ante eum ambulabit, et ponet in via gressus suos.* Videte quid dicat, *gressus suos :* ubi non sunt lapides, ubi non sunt spinæ et tribuli, ubi æqualis est via, ubi ambulare potest, ubi non potest impingere. Et nos ergo faciamus in corde nostro viam Domino ; de qua via laborabat et Joannes, et clamabat in eremo, ut faceremus viam Domino (*Matt.* III). Ergo et nunc dicitur : *Et ponet in via gressus suos.* Ubi invenit viam, ambulat. Licet ante habebamus spinas et tribulos, licet et lapides, dicitur nobis in Isaia : Et lapides de via projicite (*Isa.* LVII). Hoc autem propterea dicit : ne cum voluerit deambulare in via nostra, impingat pedem suum. Lapides qui in via sunt, et projici jubentur, peccata nostra sunt. Non ambulat in corde nostro Christus, si peccatum aliquod fuerit, statim impingit in lapides. *Et ponet in via gressus suos.* Faciamus viam, et ponet in via gressus suos Jesus, cui sit gloria et honor in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXXV.

Oratio David. Iste psalmus vocem continet nostri Mediatoris venientis ad passionem. In fine vero ipsius prophetæ tenet orationem.

Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me : quoniam sanctus sum. Juxta fragilitatem assumpti corporis ad Patrem fundit orationem. Secundum deitatem vero sanctum se dicit, sicut quondam dixerat

ad Moysen : Sancti estote, quoniam ego sanctus sum (*Lev.* XIX *et* XX). *Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te. Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die.* Formam servi suscepit, quam in omni tempore præsentis vitæ salvari precatur. Scit enim quia et si spiritus promptus est, caro autem infirma est.

Lætifica animam servi tui. A tribulationibus præsentibus mœstam. *Quia ad te, Domine, animam meam levavi :* Ad te eam resuscitari credens.

Quia tu, Domine, suavis et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te. His qui te de puro corde invocant, mitem te præbes, et copiosam misericordiam eis indulges.

Auribus percipe, Domine, orationem meam, etc. Quoniam justa peto.

In die tribulationis meæ. Hoc est, in die passionis. B *Clamavi ad te.* De cruce. *Quia exaudisti me.* Ut commendatum tibi restitueres spiritum meum.

Non est similis tui in diis, Domine, et non est secundum opera tua. Non reperitur in simulacris gentium, qui sic possit ut tu operari.

Omnes gentes quascumque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine, etc. Per passionem enim meam cognoscent magnitudinem virtutis tuæ. Hinc propheta loquitur.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua. Si enim me ad Christum tuum, qui est via, deducas, nulla me fallacia retinebit. *Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.* Cum a mœrore facinorum erutus fuero, tunc in te lætitia spirituali gaudebo.

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde C *meo : et glorificabo nomen tuum in æternum,* etc. Cur confiteatur nomini Domini, aut honoret eum, versiculus sequens exponit, dicens :

Eripuisti animam meam ex inferno inferiori. Non quod duo inferna sint, sed iste superiorem infernum, peccatum dixit ; inferiorem vero, qui est verus infernus, in quo peccatores damnantur. Laudat ergo ob hoc misericordiam Domini, quod sit erutus a supplicio inferioris inferni.

Deus, iniqui insurrexerunt adversus me : et synagoga potentium quæsierunt animam meam. Vitiorum, seu dæmoniorum. Non ex persona Christi hæc propheta loquitur, sed intelligitur de Judæis. *Non proposuerunt Deum ante conspectum suum.* Obcæcaverat eos malitia eorum. D

Et tu, Domine Deus, miserator et misericors : patiens et multæ misericordiæ et verax. Misericors, cum remittis : *patiens*, cum peccatorem, ut convertatur, exspectas : *verax*, cum promissa restitues.

Respice in me, et miserere mei : da imperium tuum puero tuo. Ad repugnandum potestatibus adversis. *Et salvum fac filium ancillæ tuæ.* Ecclesiæ, in qua sum renatus.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui me oderunt et confundantur : quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me. Muniar crucis tuæ signo, quod videntes, potestates adversæ fugiant confusæ, et discedant a me. Hæc enim pro nostro A populo propheta rogat. Sed et nos precamur, Domine, ut crucis tuæ signo tutati, atque ejus præsidio custoditi, mereamur ab omnibus diaboli insidiis liberari : quia tibi est honor et gloria cum æterno Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXXVI.

Psalmus Cantici filiis Core. Inter psalmum et canticum quid interest, frequenter dixi : Psalmus ex Psalterio dicitur : Canticum vero ex voce profertur. Psalmus refertur ad manus, hoc est, ad opera : canticum ad theoriam.

Fundamenta ejus in montibus sanctis. Non prædixit cujus ; et dixit : *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Qui loquitur, propheta est. Filii sunt Core. Core quid interpretatur, frequenter dixi : *Calvaria*, hoc est filii resurrectionis. *Fundamenta ejus*, B sive Dei, sive certe Ecclesiæ. Quæ sunt autem fundamenta, nisi Pater, et Filius, et Spiritus sanctus? Hæc ergo fundamenta non sunt in vallibus, sed sunt in montibus, et non in montibus quibuscumque, sed in montibus sanctis. Loquitur Paulus : Quasi sapiens architectus fundamentum posui (I *Cor.* III), hoc est fidem Trinitatis. Denique dicit, et in alio loco : Exspectabant enim civitatem habentem fundamenta : cujus artifex et conditor Deus (*Hebr.* XI) : *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Ideo dixit *in montibus sanctis :* quia sunt et alii montes non sancti. Denique dicitur in Isaia : Super montem tenebrosum levate signum (*Isai.* XIII). Et in alio loco dicitur : Quis es tu, mons corrupte (*Zach.* IV)? Dicitur et in Jeremia : Dicat Domino C Deo vestro gloriam, antequam offendant pedes vestri ad montes tenebrosos (*Jerem.* XIII). Videtis ergo quia sunt et montes tenebrosi, et dicitur nobis a Jeremia, ut demus gloriam Deo, antequam offendant pedes nostri ad montes tenebrosos. Si enim pedes nostri impegerint ad illos montes, gloriam Domino dare non possumus. *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Quos nos possumus dicere fundamenta? Apostolos. In illis erant fundamenta : ibi primum posita est fides Ecclesiæ, et ibi fundamenta sunt posita. Et quia unusquisque superædificat fundamento : alius aurum, alius argentum, alius lapides pretiosos : diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Istas portas diligit, quas videmus corruisse. Istas portas diligit, et D istam Sion diligit, quæ arata est sicut ager. Et videte quid dicat : *Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Jacob.* Videte quid dicat : Super omnes civitates Jacob, hoc est, Judæ : istam tantum diligit civitatem. Et quomodo videmus alias ex parte stare, et istam penitus corruisse? Legamus Apocalypsim Joannis (*Cap.* XXI) : legamus et Isaiam (*Cap.* LXII). Ubi ædificatur civitas Jerusalem, et duodecim portæ ipsius dicuntur esse de lapidibus pretiosis constructæ, et ipsa civitas de cœlo descendit, et dicuntur muri ejus aurei, et dicuntur plateæ ejus stratæ esse smaragdo, et dicuntur singulæ portæ ex singulis lapidibus pretiosis (*Ezech.* XXVIII). Hæ sunt totæ Domini divitiæ, et hoc diligit Dominus

quod et homines? Prohibet nos ab avaritia, et ipse de avaritia exstruit civitatem? Ergo, *diligit Dominus portas Sion*. Illas portas duodecim Sion, manifestum est quod de apostolis scripsit. *Super omnia tabernacula Jacob*, super omnes veteres sanctos. Hoc interim diximus secundum unum tropum. Dicamus autem et aliter : *Diligit Dominus portas Sion*. Mihi videntur portæ Sion esse virtutes. Sicut enim portæ mortis sunt vitia atque peccata : ita portæ Sion videntur mihi esse virtutes. Denique dicit in alio loco : qui exaltas me de portis mortis (*Psalm.* IX). Si autem portæ mortis peccata sunt : ergo portæ Jerusalem virtutes sunt. *Super omnia tabernacula Jacob*. Videte quomodo Jacob, hoc est, vetus populus, non habet fundamentum, nec domum fundamentis positam, sed tabernacula quæ cito pertranseunt.

Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Ergo hoc quod dictum est, *fundamenta ejus in montibus sanctis*, possumus et de Deo dicere. Possumus autem et hoc dicere : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*. Quæ est ista civitas ubi dicta sunt gloriosa? In omnibus prophetis dictum est de hac civitate. Isaias dicit : Exsurge, exsurge, Jerusalem, induere fortitudinem brachii tui (*Isai.* LII). Iterum ipse Isaias : Ego civitas firma, civitas quæ non oppugnatur. Dicit et David : Fluminis impetus lætificat civitatem Dei (*Psal.* XLV). Et in alio loco : Domine, in civitate tua imagines eorum dissipabis (*Psal.* LXXII). Et Salvator gloriosa locutus est de hac civitate. Non potest abscondi civitas super montem posita (*Matt.* V).

Memor ero Raab, et Babylonis, scientium me. Quoniam dixit : *gloriosa dicta sunt de te*, *civitas Dei*, et tamen ipsam civitatem Ecclesiam intelligimus de gentibus congregatam, propterea nunc de vocatione gentium dicitur : *Memor ero Raab*, *et Babylonis scientium me*. Quicumque peccator est, securus sit. Dominus memor fuit Raab. Securum dixi, si revertatur ad Dominum. Cæterum securitas sine lacrymis, non habet remedium. *Memor ero Raab*. Raab illius meretricis quæ suscepit exploratores Jesu : quæ erat in Jericho, quo venerat Jesus, et misit duos exploratores Jericho (*Josue* II). Mundus iste, qui in septem diebus subvertitur, vult interficere exploratores. Et cum ille cupiat interficere exploratores, sola meretrix Raab suscepit. Et suscepit eos non in inferiori loco, sed in cœnaculo. Dicamus ergo primum secundum quod vulgo dicitur : neque enim debemus et illam interpretationem dimittere. Et suscepit eos non in inferiori loco, sed in cœnaculo. In domate, hoc est, in sublimitate fidei suæ, et abscondit eos in lino, hoc est, in stupa lini. Hoc interim diximus secundum historiam, et vidétis quomodo de ipsa historia paulatim ad mystica ascendimus sacramenta. Jesus dux, qui populum eduxerat de Ægypto : Jesus dux, qui interpretatur *Salvator*, Mose mortuo, et sepulto in terra Moab, in terra Arabiæ, hoc est, Lege mortua, in Evangelium cupit inducere populum suum. Emittit duos

A exploratores Jericho. Duos exploratores, unum in circumcisionem, alium in gentibus, Petrum et Paulum. Jericho quærit eos occidere : illa eos suscepit meretrix, Ecclesia de gentibus congregata. Credit in Jesum, et quos volebat Jericho interficere, ipsa salvat in domate suo. Et ponit eos in domate suo, in excelsa fide sua, et abscondit eos in lini calamo. Licet meretrix sit, tamen ponit eos in lino. Linum multo labore, et diligentia in candorem venit. Scitis ipsi, quoniam linum de terra nascitur, et cum in terra natum fuerit, nigrum est : nullam speciem habet, nullum usum. Primum ergo tollitur de terra, frangitur, deinde torquetur, postea lavatur, deinde tunditur, deinde plectitur, et multa cura et labore vix venit ad candorem. Ergo hoc dicitur,
B quod ista quidem meretrix suscepit exploratores in lino suo, ut illi exploratores linum ipsius verterent in candorem. Quid igitur? Dat illis consilium, et sic dicit : Exspectate his tribus diebus. Non erat una dies, non duo, nisi tres dies. Videte quid dicat. Exspectate tribus diebus. Non nominat tres noctes, sed tres dies : quia illuminatum habebat cor. Et deinde dicit post tres dies. Et quid dicit : Nolite, inquit, ire per campestria, sed in montana conscendite. Ecclesiæ enim fides non est in vallibus, sed in montibus constituta. Jericho ergo postea subvertitur ab Jesu, et ista sola meretrix reservatur incolumis. Ergo hoc dicitur : *Memor ero Raab*, hoc est, quæ suscepit exploratores meos, et ego in die judicii memor ero ejus. *Memor ero Raab*. Raab quid
C interpretatur? diximus secundum historiam : dicamus et secundum nominis interpretationem. Juxta anagogen Raab dupliciter interpretatur. Aut interpretatur *latitudo :* aut certe interpretatur *superbia*. Ergo videte quid dicat. Illa quæ quondam ambulabat in lata et spatiosa via quæ ducit ad mortem (*Math.* VII) : illa quæ superba erat, et habebat impetum ad ruinam, postea conversa est in humilitatem. *Memor ero Raab*, *et Babylonis*. Babylon interpretatur *confusio*. Videte quid dicat : Non solum Raab memor ero, sed etiam Babylonis : quæcumque anima a vitiis peccatisque confusa est. *Et Babylonis scientium me*. Videte quid dicat : Licet aliquis Raab fuerit, licet Babylon fuerit : tamen memor ero quicumque me scierit. Ergo si fuerimus Raab, et
D Babylon, etiam debemus esse securi, et dicere : Deus dixit : *memor ero Raab*, *et Babylonis*. Sed videte quid sequitur : *Scientium me*. Fuerunt Raab et Babylon, sed postea conversi sunt ad me. *Memor ero Raab et Babylonis scientium me*. Illa quæ quondam erat in latitudine peccatorum, ascendit postea ad memoriam Dei. Hucusque quasi per ænigma locutus est : nunc vero apertius loquitur ad vocationem gentium. Videte enim quid dicat :

Ecce alienigenæ et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic. Alienigenas vocat ad distinctionem Israel. Nos enim sumus alienigenæ, et Tyrus. Tyrus interpretatur *tribulatio*, hoc est, *sor :* et populus Æthiopum niger, et in peccatorum sordibus involutus.

Et populus Æthiopum. Hoc est, quod dicitur : Æthiopia præveniet manus ejus Deo (*Psal.* LXVII). *Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum.* Quod dicitur, hoc est : Illi qui ante alieni erant, illi erant in tribulatione : qui erant positi in corde maris. Dicitur enim de Tyro : Tyrus posita in corde maris. Illi igitur qui prius erant in mari, et fluctibus tundebantur, postea inventi sunt in Ecclesia. *Et populus Æthiopum.* Nos quondam Æthiopes fuimus, Æthiopes vitiis atque peccatis : quoniam peccata nos nigros fecerant, sed postea audivimus : Lavamini, mundi estote (*Isai.* I). Et diximus : Lavabis me, et super nivem dealbabor (*Psal.* L). Nos ergo Æthiopes versi sumus in candorem. *Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Ubi fuerunt? Ubi gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.

Numquid Sion dicet homo, et homo natus est in ea? Septuaginta interpretes ita transtulerunt : *Numquid Sion dicet homo?* Spreverunt ergo multi, nec intellexerunt μήτι Σιών, quid est, et addiderunt ρ et legunt μήτηρ Σιών ἐρεῖ ἄνθρωπος. Et hoc propterea dicunt : quoniam sequitur : *et homo natus est in ea.* Speraverunt etiam ita debere dici : mater Sion dicet homo, quoniam filius natus dicitur : propterea errant in matris vocabulo. Dicamus ergo primum secundum quod vulgo dicitur : neque enim debemus et illam interpretationem dimittere. Dicamus ergo et nos : Mater Sion dicet homo, et homo natus est in ea. Isti qui nati fuerunt in Ecclesia, alienigenæ, Tyrus, et populus Æthiopum : isti sunt qui nascuntur in Ecclesia : credunt in Ecclesiam, et nascuntur in Ecclesia. Nisi enim baptizati fuerint, filii Ecclesiæ non erunt. Isti vero qui baptizati sunt in Ecclesia, matrem appellant Ecclesiam. Dicamus, et secundum Hebraicam Veritatem : *Numquid Sion dicet homo, et homo natus est in ea?* Quod dicit, hoc est, quis poterit nuntiare Sion? quis ei poterit nuntiare hominum : quoniam homo nascetur in ea, et ipse salvabit eam? Hoc est, nullus hominum potest ei nuntiare, quia Sion salvetur in homine qui in ea nascitur. *Et homo natus est in ea.* Quis est iste homo? *Et ipse fundavit eam Altissimus.* Respondeant Ariani : quoniam dicunt Altissimum solum Patrem esse : ecce hic de Filio dicitur : *Et ipse fundavit eam Altissimus.* Non dixit : Filius Dei, qui erat in principio apud Patrem. Sed quid dixit? *Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* Si autem, *Altissimus* dicitur, quanto magis verbum Dei!

Dominus narrabit in scriptura populorum, et principum horum qui fuerunt in ea. Non dixit, qui sunt in ea, sed *qui fuerunt in ea. Dominus narrabit :* et quo modo narrabit? Non verbo, sed scriptura. In cujus scriptura? In populorum. Non sufficit in populorum, sed etiam principum dicit. Et quorum principum? Qui sunt in ea. Non dixit hoc, sed *qui fuerunt in ea.* Videte ergo quomodo Scriptura sancta sacramentis plena est. Legimus apostolum Paulum : legimus Petrum, et legimus illum dicentem : An experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur Christus (II *Cor.* XIII)? Et quod Paulus loquitur, loquitur Christus. Qui enim vos recipit, me recipit (*Matth.* X). Dominus ergo noster atque Salvator, narrat nobis et loquitur, in scripturis principum suorum. *Dominus narrabit in Scripturis populorum :* in Scripturis sanctis. Quæ Scriptura populis omnibus legitur, hoc est, ut omnes intelligant. Quod dicit, hoc est : Sicut scripserunt apostoli, sic et ipse Dominus, hoc est, per Evangelia sua locutus est, non ut pauci intelligerent, sed ut omnes. Plato scripsit in scriptura, sed non scripsit populis, sed paucis. Vix enim intelligunt tres homines. Isti vero, hoc est, principes Ecclesiæ et principes Christi, non scripserunt paucis, sed universo populo. *Et principum*, hoc est, apostolorum, et evangelistarum, *horum qui fuerunt in ea.* Videte quid dicat : *Qui fuerunt*, non qui sunt : ut, exceptis apostolis, quodcumque aliud postea dicetur, abscindatur, non habeat postea auctoritatem. Quamvis ergo sanctus sit aliquis post apostolos : quamvis disertus sit, non habet auctoritatem. Quoniam Dominus narrat in scriptura populorum, et principum horum qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium, habitatio est in te. Propheta loquitur ad Ecclesiam, et dicit ei : *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Quare non dixit : *lætantium omnium habitatio est in te :* sed dixit, *sicut lætantium omnium?* Dicitur in alio psalmo : In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati (*Psal.* CXXV), et non dixit, consolati. Sic et in isto loco dicit : *Sicut lætantium omnium habitatio in te.* Hoc totum quare dixit? Quoniam in præsenti sæculo quamvis aliquis sanctus sit, quamvis renuntiet sæculo, non habet perfectam victoriam. Denique dicitur in Evangelio : Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* V). Si autem dictum est : Beati qui flent, quoniam ipsi ridebunt : manifestum est, quoniam in præsenti sæculo non est certa lætitia : ergo lætitia nostra quasi lætitia est. *Habitatio in te.* Videte quid dicat, ut aliquis numquam recedat ab Ecclesia. Scire debemus, quoniam quod interpretati sumus de Ecclesia, potest et intelligi de anima nostra. Si enim Sion interpretatur *specula*, anima autem nostra, non aliter, nisi semper sublimiora considerat : vera Ecclesia verum templum Christi non est, nisi anima humana. Ecclesia Christi non est alia, nisi anima credentium in Christum. Vos, inquit, estis templum Dei, et spiritus Dei habitat in vobis (I *Cor.* III). *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, hoc est, Dei fundamenta non sunt, nisi in montibus sanctis, in dogmatibus animæ credentis. *Diligit Dominus portas Sion.* Habet Sion nostra plurimas portas, quas si aperuimus, ingreditur ad nos sponsus, et dormit nobiscum. Denique ipse dicit : Ecce ego sto ante ostium, et pulso : Si quis mihi aperuerit, intrabo et cœnabo cum ipso (*Apoc.* III). *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Civitas non est unum ædificium, sed in multis ædificiis consistit. Sic et Sion nostra, nisi plures virtutes habuerit, civitas Dei non erit. *Memor ero Rahab et Babylonis scientium me.* Illa quæ quondam erat in

latitudine peccatorum, ascendit postea in memoriam Dei. *Numquid Sion dicet homo, et homo natus est in ea?* Rem vobis miram loquor; sed veram. Sion nostra in qua aliquotiens alienigenæ sunt, et Tyrus, et Æthiopes : illa specula : illa meretrix : illa Raab: illa Babylon : illa quæ divaricavit pedes suos omni transeunti, secundum Ezechiel (*Cap.* XVI) : illa meretrix si voluerit, virgo repente efficitur. Virgo fit, et concipit Filium Dei, et generat. A timore tuo, Domine, concepimus, et parturimus, spiritum salutis tuæ fecimus super terram. Videte ergo, quoniam illa meretrix a Deo concepit et parturivit Salvatorem: Spiritum salutis tuæ fecimus super terram. Ergo anima nostra illa Raab, illa meretrix, potest concipere, et parere Salvatorem. *Et homo natus est in ea.* Si voluimus, quotidie nascitur Christus. Per singulas virtutes nascitur Christus. Si enim Christus Dei virtus, et Dei sapientia est, quicumque virtutem facit, virtutem generat. *Et ipse fundavit eam Altissimus.* Ipse qui nascitur in te : ipse fundamentum dat Sion tuæ. *Dominus narrabit in scriptura populorum.* Manifestum est, quoniam quod Dominus loquitur in Scriptura, nulli ita loquitur quomodo Sion. Et tamen cum ista omnia fuerint : cum natus fuerit in ea Christus, non est certa et secura victoria, sed semper in periculo sumus. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Qui læ'us est, ex ipsa hilaritate securus est. Qui autem securus est, cito decipitur. Qui autem insidias reformidat, cito potest evadere, præstante Domino, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXXVII.

Canticum Psalmi filiis Core : in finem pro Mahalath, ad respondendum intellectus Heman Israelitæ. Iste psalmus passionis Dominicæ continet sacramenta, ea proferens usque ad consummationem, quæ idem Dominus passus pro mundi salute ad Patrem locutus est.

Domine Deus salutis meæ, in die clamavi. In illa claritate tecum degens quam semper habui : pœnitentiam populis prædicavi. *Et nocte coram te.* Inter tenebras Judæorum.

Intret in conspectu tuo oratio mea : inclina aurem tuam ad precem meam. Quam in hoc corpore positus profundo.

Quia repleta est malis anima mea. Peccatis populi pereuntis. *Et via mea in inferno appropinquavit.* Cum pro his qui pereunt, trador.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum. Sicut reliquos peccatores me in mortem redigere arbitrati sunt : nec resurgere crediderunt. *Factus sum sicut homo sine adjutorio.* Cum non est libertati meæ socius in inferno : nec adjutor ad liberandum. *Inter mortuos liber.* Nemo me in inferno vinxit : sed ego vinctorum catenam propria virtute laxavi.

Sicut vulnerati dormientes in sepulcris : quorum non es memor amplius. Sicut satiati divitiis sæculi, et in stupris atque obscœnitatibus sepulti, a te non memorantur, ita et ego a corde raptus sum Judæorum. *Et ipsi de manu tua repulsi sunt.* A virtute tua separati.

Posuerunt me in lacu inferiori. Cum latronibus et peccatoribus obnoxiis. *In tenebris et in umbra mortis.* Ad infernales angustias, in quibus mors sola dominabitur.

Super me confirmatus est furor tuus, et omnes fluctus tuos induxisti super me. Iram et procellam macellationis furoris tui, quas in gentibus effusurus eras, super me induxisti, qui peccata eorum suscepi : sicut alibi ait : Propter peccata populi mei percussi eum (*Isa.* LIII).

Longe fecisti notos meos a me. Angelos vel apostolos, ut nullus præberet auxilium. Nam et ego poteram te rogare, Pater, ut exhiberes mihi plusquam duodecim legiones angelorum (*Matt.* XXVI), sed silui, ut implerentur Scripturæ. *Posuerunt me abominationem sibi.* Non noti, sed Judæi.

Traditus sum morti, et non egrediebar. Non sum disjunctus a paterna divinitate : sed nec de sepulcro statim prodii, ut dilatio resurrectionis veritatem ostenderet mortis. *Oculi mei languerunt præ inopia.* Sensus utique tenuitate, cum apostoli, relicto eo, vel fugerunt, vel negaverunt : quia eum resurgere nescierunt, sicut ille dilectus discipulus. Nondum enim sciebat Scripturas, quia oporteret illum a mortuis resurgere.

Clamavi ad te, Domine. Dicens : Eli eli lamma azabthani (*Matt.* XXVII). *Tota die expandi manus meas ad te.* Extensus in cruce.

Numquid mortuis facies mirabilia? Non illis qui viventes mortui sunt, sed mihi qui in te vivo. *Aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi.* Non aromata medicorum, sed tu, Pater, me resuscitas. Neque illi, sed ego confitebor tibi in populis.

Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, et veritatem tuam in perditione? Non te laudabit sepultus in divitiis sæculi, neque habitans in perditione peccati.

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis? Omnis enim qui facit peccatum, odit lucem, et a corpore terrenis oppresso vitiis, justitia tua occultatur.

Nam ego ad te, Domine, clamavi. In orationis arcano. *Et mane oratio mea preveniet te.* Quia matutina me resurrectione clarificabis.

Utquid, Domine, repellis orationem meam : avertis faciem tuam a me? Ut non transeat calix iste.

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea. A tempore carnis assumptæ. *Exaltatus autem.* In cruce. *Humiliatus sum.* In sepulcro. *Et conturbatus.* In morte.

In me transierunt iræ tuæ. Transierunt, et non persliterunt. *Et terrores tui conturbaverunt me.* Ipsos quos superius in gentes me effusurum pronuntiavi.

Circumdederunt me sicut aqua tota die. Judæi in fluctibus persecutionum. *Circumdederunt me simul,* Pharisæi cum sacerdotibus : Pilatus cum principibus, et populis.

Elongasti a me amicum et proximum. Proximus est, qui facit misericordiam : qui mecum non est inventus: *Et notos meos a miseria.* Præ confusione passionis, etiam ipsi apostoli elongati sunt a me. Hinc jam descendens ad infernum, de manu alligati fortis, spolia reportans, prævenit matutina ejus operatio Patrem : cum mane resurgens apparuit multis. Quem nos supplices deprecamur, ut plebem sua passione a laqueo inferni liberam, sua fortitudine roborare, ac de secundæ mortis nexibus dignetur absolvere : ut expediti ac liberi, regno ejus mereamur adjungi. Ipsi gloria et imperium cum æterno Patre et Spiritu sancto in cuncta sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXXVIII.

Intellectus Æthan Israelitæ. Iste psalmus in multis vocibus continetur. Habet enim vocem Patris ad Filium, Filii ad Patrem : Ecclesiæ, ipsiusque prophetæ, vel apostolorum. Ex prophetica ergo voce sic inchoat ad Patrem :

Misericordias Domini in æternum cantabo. Illas misericordias, quibus hominem peccato mortuum dignatus es visitare per Filium.

A generatione et generatione. A veteri in novo Testamento. *Annuntiabo veritatem tuam.* Christum tuum. *In ore meo.* In quo confessio fit ad salutem.

Quoniam dixisti : in æternum misericordia ædificabitur. Semper enim miseratio tua sublimatur, et numquam destruitur. *In cœlis præparabitur veritas tua.* In apostolis prædestinatur. Hinc vox Patris :

Disposui testamentum meum electis meis. Doctoribus Ecclesiarum, ut acquisitos per gratiam populos, vel doceant, vel informent: *Juravi David servo meo.* Dei quippe juratio, promissionis est confirmatio. *David servo meo,* id est, Christo Domino : qui ex genere David carnem assumpsit. *Usque in æternum præparabo semen tuum.* In credentibus Ecclesiæ.

Et ædificabo in generatione, et generationem sedem tuam. Ipsam Ecclesiam in qua ceu rex sedebis in æternum. Iterum propheta ait :

Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine : etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum. Apostoli enim prædicabunt Jesum Christum, et quæ per eum operaris in congregatione sanctorum.

Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? In prophetis utique. *Aut quis similis erit Domino in filiis Dei?* Multi sunt filii Dei per adoptionem : sed nullus unigenito Filio vero Deo potest assimilari.

Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum. Paracletus scilicet, qui in congregatione apostolica adorandus erat, æqualis esse Patri ac Filio prædicatur. Nam et Dominus Jesus Christus cum Patre et Spiritu sancto, una subsistit omnipotentia. *Magnus et horrendus super omnes qui in circuitu ejus sunt.* Qui ei per innocentiam vitæ appropinquare meruerunt.

Domine Deus virtutum, quis similis tibi? Potentia et virtute. *Potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo.* Hi de quibus ipse qui es veritas, ais : Pater volo, ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum (*Joan.* XVII).

Tu dominaberis potestati maris. Hujus sæculi potestatibus. *Motum autem fluctuum ejus tu mitigas.* Tentationes quas commovent servis tuis.

Tu humiliasti sicut vulneratum superbum. Diabolum, qui clavis crucis tuæ sauciatus, humiliatus est in spoliis. *Tu in virtute brachii tui dispersisti inimicos tuos.* Satellites ejus.

Tui sunt cœli, et tua est terra. Apostoli vel reliqui sancti : qui in terris positi, cœlestem vitam agunt. *Orbem terrarum et plenitudinem ejus tu fundasti.* Haud dubium est hujus mundi plenitudinem a te procreatam. Sed et illam vivorum terram, in qua plenitudo sanctitatis, te introducente, inhabitabit, tu præparasti electis tuis. *Aquilonem et mare tu creasti.* Aquilo Antichristus intelligitur. De quo ait Deus ad Jeremiam: Ab aquilone pandetur malum super cunctos habitatores terræ (*Jerem.* I).

Thabor, et Hermon in nomine tuo exsultabunt. Hermon, inquam, *anathema* interpretatur : sicut in quadragesimo primo exposuimus psalmo. *Thabor* vero *veniens lumen,* vel veniat lux. Igitur iste qui vel optative, vel prophetice advenire pronuntiatur lumen, vetus intelligitur Testamentum. Ille vero qui anathema, id est, perditionem profert, novum Testamentum ostendit, in quo peccata anathematizari jubentur, dicente Domino : Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Exsultent ergo ambo in nomine Domini : cum vel ille lumen mundi venire vaticinatur : vel iste eum in ipso mundo jam lucere, signis virtutibusque demonstrat. *Tuum brachium cum potentia.* Fortitudo tua cum ea qua volueris, efficacia prævalebit.

Firmetur manus tua. Opera quæ facis in mundo. *Et exaltetur dextera tua.* Majestas tua, vel Ecclesia in gentibus acquisita. *Justitia et judicium præparatio sedis tuæ.* Nisi quis prius justitiam judiciumque fecerit, non potest effici sedes tua.

Misericordia et veritas præcedunt faciem tuam. Ubi enim misericordia ac veritas comitantur, illic et inspectio faciei tuæ convertitur. *Beatus populus qui scit jubilationem.* Spiritualem utique jubilationem, per quam mundi nequitiæ collidentur : sicut quondam ad jubilationem Jesu, et sacerdotum, Jericho corruit, mundi figuram tenens (*Josue*).

Domine, in lumine vultus tui ambulabunt. In illuminatione utique Spiritus sancti. *Et in nomine tuo exsultabunt tota die.* In nomine illo novo quod benedicitur in terris, id est, Christiano. *Et in tua justitia exaltabuntur.* Sequentes atque custodientes eam.

Quoniam gloria virtutis eorum tu es. In te enim gloriantur, et non in alio. *Et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.* Sicut enim eis beneplacita fuerunt præcepta tua : ita tibi beneplacitum est, ut in te exaltetur virtus eorum.

Quoniam Domini est assumptio nostra. Carnis utique. *Et sancti Israel regis nostri.* Ipsius Domini nostri Jesu Christi, qui in Ecclesia regnat. Hinc iterum propheta ad Patrem loquitur :

Tunc locutus es in visione sanctis tuis. Prophetis, reliquisque electis. *Et dixisti, posui adjutorium.* Po-

pulo scilicet. *In potentem.* Id est, super diabolum, qui opprimeret superbiam ejus. *Et exaltavi electum de plebe mea.* Christum Dominum. Qui propterea electus de populo dicitur: quia carnem assumpsit ex homine.

Inveni David servum meum. Invenit eum: elegit utique, ut ex ejus genere assumeret carnem. Quod autem ait, *servum*, Apostolus explanat: Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed formam servi accepit (*Philipp.* II). *Oleo sancto meo unxi eum.* Non tristi et corrupto, sed pleno lætitia, et sanctitate.

Manus enim mea auxiliabitur ei: et brachium meum confortabit eum. In assumpto corpore.

Nihil proficiet inimicus in eo. Diabolus scilicet. *Et filius iniquitatis non apponet nocere ei.* Judas traditor, qui merito filius iniquitatis, id est diaboli, dicitur: quia diabolus intravit in cor ejus, ut traderet Christum.

Et conscindam a facie ipsius inimicos ejus. Judæos utique, qui sæpe a Domino confusi tamquam conscissi gladiis, discedebant a conspectu ejus. *Et audientes eum in fugam convertam.* De dæmonibus dicit iniquis: qui coram eo sæpius fugiebant, clamantes: Quid venisti ante tempus torquere nos? Scimus quia tu es Filius Dei (*Matth.* VIII).

Et veritas mea, et misericordia mea cum ipso. Veritas, quia ea quæ a me audivit, loquitur. *Misericordia*, quia sanat infirmos, tam in mente quam in corpore. *Et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.* Fortitudo Ecclesiæ sanguine suo redemptæ.

Et ponam in mari manum ejus. Ostendam opera ejus mundo. *Et in fluminibus dexteram ejus.* Super principatus et potestates mundi.

Ipse invocabit me, Pater meus es tu: Deus meus et susceptor salutis meæ. Sæpius eum invocasse Patrem Deum, in Evangeliis legimus: sicut illud est: Pater, clarifica me apud temetipsum (*Joan.* XVII). Et iterum: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII). *Deus meus.* Deus autem vocat cum dicit: Deus, Deus meus, utquid me dereliquisti? et multa alia.

Et ego primogenitum ponam illud excelsum præ regibus terræ. Est enim Dominus Jesus primogenitus ex mortuis (*Coloss.* I): sicut ait Apostolus: Excelsus factus, cœlos ascendens: regna mundi cuncta subjiciens.

In æternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi. In Ecclesia quam per misericordiam, et testamentum præceptorum suorum redemit, hæc in ea perpetualiter conservantur.

Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli. Congregatio enim sanctorum quæ in Ecclesia est, in qua Deus tamquam in throno residet, sicut sol fulgebit in regno Patris.

Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, etc. Quod derelictores legis, judiciorum oblitores, profanatores justificationum, mandatorumque transgressores, in virga, id est, in disciplina Dei corripiantur, et misericordia divina non auferatur: illud ostenditur, ut nullus sine spe recuperationis ab Ecclesia arceatur: quia sicut severitas divina terret, arguente justitia: ita pietas reparat, moderante clementia.

Semel juravi in sancto meo. In homine illo Dominico. *Si David mentiar.* Nullo enim mendacio circumscribitur Deus: sicut ait evangelista: Iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant (*Matt.* V). *Semen ejus in æternum manebit.* Populus acquisitus. *Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo.* Ipsam Ecclesiam in claritate futuræ beatitudinis permanere, iterum atque iterum promittit. *Et sicut luna perfecta in æternum.* Tota lucida, tota perfecta: nil obscuritatis continens in se. *Et testis in cœlo fidelis.* Ipse Christus Dominus, qui fidele testimonium reddidit de opere Patris in mundo, in cœlos est evehendus. Hinc ad Patrem vox apostolica.

Tu vero repulisti et despexisti. Quia separamur a rege nostro, dum patitur. *Distulisti Christum tuum.* Tradendo eum inimicis.

Avertisti testamentum servi tui. Per quod promiserat nos secum regnare. *Profanasti in terra sanctuarium ejus.* Promiseras enim quod non dares sanctum tuum videre corruptionem, et nunc jam in sepulcro tegitur.

Deduxisti omnes sepes ejus. Verba Legis et prophetarum in quibus retinebatur. *Posuisti firmamentum ejus formidinem.* Nos qui eum audiebamus cum doceret turbas.

Diripuerunt eum omnes transeuntes viam. Transeunt enim illum qui dixit: Ego sum via, et veritas, et vita (*Joan.* XIV): cum vel vestimenta ejus dividunt, vel corpus clavis, et mucrone confodiunt. *Factus est opprobrium vicinis suis.* Judæis, ac principibus sacerdotum, qui dicebant: Vah! qui destruebas templum Dei, et post triduum reædificas illud: descende de cruce (*Matt.* XXVII).

Exaltasti dexteram deprimentium eum. Cum humilias eum in mortem. *Lætificasti omnes inimicos ejus.* Pilatum cum gentibus et Judæis.

Avertisti adjutorium gladii ejus. Cum non profuit Judæis sermo prædicationis illius. *Et non es auxiliatus ei in bello.* In conflictu utique passionis.

Destruxisti eum ab emundatione. Si enim alligata fuisset munditia ejus, non utique vestimenta ejus nostra facinora inquinassent: sicut ipse ait: Aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi (*Isai.* LXIII). Nam et inter iniquos deputatus, et cum latronibus crucifixus est. *Et sedem ejus in terra collisisti.* Sanctorum animas super quas quiescebat; quæ conturbabantur de obitu ejus.

Minorasti dies temporis ejus. Dies illius sunt diminuti, ut velocius remearet ad Patrem. *Perfudisti eum confusione.* Confusione utique mortis. Hæc dicebant apostoli, ignorantes eum a mortuis debere resurgere. Quod autem hoc nescirent, evangelista commemorat. Nam de dilecto discipulo ait: Nondum enim sciebat Scripturas: quia oporteret illum a mortuis

resurgere (*Joan.* xx). Et Petro quasi deliramenta visa sunt verba resurrectionis hujus. Thomas autem ait : Nisi videro, non credam (*Ibid.*). Ideo ergo talia loquebantur apostoli quasi exprobrantes Patri : quia ignorabant eum ab inferno redire. His igitur succedens, Ecclesia dicit : A

Usquequo, Deus, irasceris in finem : exardescet sicut ignis ira tua? Quamdiu irasceris, ut eum a morte non revoces?

Memorare, Domine, quæ sit substantia mea. Nulla mihi est vitæ substantia, nisi in eum quem præstolor reverti de tartaro. *Numquid enim vane constituisti omnes filios hominum.* Si enim illos non vane, sed veraciter in spe resurrectionis constituisti, quanto magis Filium tuum debes resuscitare!

B *Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem : aut quis eruet animam suam de manu inferi?* Scio quia nullus homo carneus evadit mortem, neque animam suam servabit ab inferis. Sed novi quia Deus sub velamento carnis latebat absconditus, quem mors et infernus non debeant retinere.

Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine : sicut jurasti David in veritate tua? Si hic non resuscitatur?

Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum. Qui eum exspectant. *Quod continui in sinu meo multarum gentium.* Quos congregavi tamquam in sinu, in una domo credulitatis.

Quod exprobraverunt inimici tui, Domine. Judæi, Pharisæi, Sadducæique. *Quod exprobraverunt.* Quid exprobraverunt? *Commutationem Christi tui.* Cum se ab his commutans, ad gentes diceret : Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (*Luc.* xiii). C

Benedictus Dominus in æternum, fiat, fiat. Ecce benedictus, ecce gloriosus cum redit ex inferis : cum se præbet discipulis, cum Ecclesiæ vota et pia desideria restituit, dicens sanctis : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matt. ult.*). Qui nos a malis actibus commutare dignetur in bonos, ac sua pietate dignos effectos, Spiritu sancto repletos, in regno suo solita miseratione constituat. Quia ipsi est gloria et imperium cum æterno Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXXIX.

Oratio Moysi hominis Dei. [a] Quatuor sunt psalmi qui oratione prænotantur, sextus decimus et octogesimus quintus, et octogesimus nonus, et centesimus primus. In centesimo primo dicitur : *Oratio pauperis cum anxiatus fuerit, et in conspectu Dei fuderit orationem suam.* Iste, *Oratio Moysi hominis Dei.* Legimus canticum Moysi, quod in Exodo eo tempore quando populus mare transivit Rubrum, et demerso Pharaone, et omni ejus exercitu, Maria cecinit et Moyses (*Exod.* xv). Deinde legimus et D in Deuteronomio, quod canticum illud scripserat in Deuteronomio (*Cap.* xxxii). Si igitur psalmi isti, et cantica ista Moysi sunt, quare in propriis voluminibus non habentur? Diximus ergo quomodo centesimus primus psalmus inscribitur, *Oratio pauperis*, et alius est qui scripsit de ipso, et ille pauper qui pro nobis deprecatur, Dominus est : qui cum dives esset, pauper factus est propter nos, et cætera (II *Cor.* viii). Sic et hic Moyses, quoniam a principio generis humani historia ipse scripsit : ipse enim scripsit quomodo cœlum et terra facta sint, quomodo et homo factus sit, de conditione hominis. Et iste psalmus de conditione hominis loquitur : quid sit homo, et quare natus sit. Qui ergo in Genesi scripsit de hominum conditione, ipse et nunc inducitur a Spiritu sancto disputare quid sit homo.

Domine, refugium factus es nobis in generatione et generationem. Qui refugium quærit, aut ab æstu nimio quærit et calore, aut bestia illum persequitur, aut hostes illum persequuntur, ut interficiant. Et nos igitur in æstu sumus istius sæculi, et nos bestia persequitur, de qua dicimus : Ne tradas bestiis animam confitentem tibi (*Ps.* lxxiii). Et nos hostes prosequuntur : propterea subtus alas tuas refugimus. *In generatione, et generationem.* Et in præterito, et in præsenti, et in futuro. Aliter : *In generatione, et generationem.* Et in veteri populo Judæorum, et in novo Christianorum.

Priusquam montes fierent, et formaretur terra et orbis. [b] Subrepit in hoc loco hæresis. Si refugium factus est nobis antequam montes fierent, et formaretur orbis : ergo animæ erant antequam fieret orbis. Quid enim dicit Scriptura? *Domine refugium factus es nobis, in generatione*, inquit, *et generationem.* A principio mundi : ante principium mundi. Hoc illi dicunt. Et ne putes me, inquit, dicere priusquam montes fierent, et formaretur terra, et orbis, tu, inquit, refugium factus es nobis. Si autem refugium nostrum fuit antequam orbis fieret : ergo ante animæ fuerunt, quam mundus fieret. Male distinguis, hæresis. Quare calumniam facis Spiritui sancto? Sic loquere, quomodo Spiritus sanctus locutus est. Sic ergo legendum est : *Domine, refugium factus es nobis, in generatione et generationem*, hucusque distinctio. Rursum aliud principium : *Priusquam montes fierent, et formaretur terra, et orbis*, a sæculo et usque in sæculum tu es Deus. Tu es Deus antequam montes fierent : tu es Deus antequam formaretur terra, et orbis. *A sæculo et usque in sæculum tu es Deus.* Tu es semper, tu es æternus.

Ne avertas hominem in humilitatem, et dixisti, convertimini, filii hominum. O Domine, ut hoc audeamus petere, et dicamus : *Ne avertas hominem in humilitatem :* tu nobis dedisti fiduciam, dicens : Re-

[a] Nec tamen auctor, quod in promptu erat, ex hoc titulo psalmum Moysi tribuendum concludit. Docuerat vero id Hieronymus cum alibi, tum ex Origenis sententia lib. i contra Rufinum : *Octogesimum quoque nonum psalmum, qui scribitur Oratio Mosis hominis Dei, et reliquos undecim qui non habent titulos, secundum Huilli expositionem, ejusdem Moysi* (Origenes) *putat : nec dedignatur Hebræam Scripturam interpretans, per singula loca quid Hebræis videatur inserere.*

[b] Vid. epist. in nostra recensione 140, ad Cyprianum num. 6, et quæ in eum locum annotamus. Inde et conficias, plane simili recurrente sententia, Hieronymum de suo hoc opere fieri non potuisse ut taceret, si istud elucubrasset.

vertimini ad me, filii, revertentes, et ego sanabo A contritiones vestras (*Ezech.* XVIII; *Osee*, XIV). *Et dixisti, convertimini, filii hominum.*

Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies una quæ præteriit. Et custodia in nocte quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt. Debemus secundum historiam scire, quia nox in quatuor vigilias dividitur. Denique et in Evangelio dicitur : In quarta autem vigilia (*Matt.* XIV, et *Marc.* IV). Una ergo vigilia tres horæ sunt. Nox ergo dividitur in quatuor vigilias. Denique milites quatuor stationes habent, quando vigilant, et excubant, et serviunt. Videte ergo quid dicat. O brevis nostra æternitas! Adam ille propagator noster qui vixit nongentis et triginta annis : etiam ille Mathusalem, qui vixit nongentis, et sexaginta quinque annis (*Gen.* V); fac, quod vixerit mille, B ad comparationem æternitatis tuæ, quod grande fuerit, breve est. Quid enim potest grande esse quod finem habet? Mille anni nostri antequam offenderemus, una dies apud te erat. Quid dico una dies? Una vigilia. Vide quid dicat : Dignatus es pro nostra salute descendere : fudisti pro nobis sanguinem : ne patiaris perire nos, et mori in humilitate. Ipse dixisti : Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me (*Joan.* XII). Exaltatus es et exaltasti nos : noli derelinquere, ut contrahamur.

Mane sicut herba transeat : mane floreat et pertranseat : vespere decidat, induret et arescat. O mysteria Scripturarum! *Mane sicut herba transeat.* Loquitur Dominus noster atque Salvator in Evangelio de feno quod in una die oritur, et una die arescit (*Matt.* VI). C Quomodo herba quæ viret et floret, mane videtur quasi flos esse et virens : cæterum sol cum venerit et texerit illud, ad vesperam quasi demarcescit, et decidit, sic et omnis vita nostra quasi flos videtur esse cum viret et arescit. Vidistis ante decem annos adolescentulum. Nihil illo pulchrius : huc illucque currebat. Si eum nunc aspexeris, videtur in senectute quasi mortuus. Licet vivat senectute, tamen adolescentia perit. *Mane sicut herba transeat,* hoc est, juventus nostra : Ipsum est enim mane. *Sicut herba transeat : mane floreat, et transeat.* Floremus in adolescentia : arescimus in senectute. *Vespere decidat, induret et arescat.*

Quia defecimus in ira tua, et in furore tuo turbati sumus. Nongentis triginta annis antea vivebamus, D usque ad mille fere veneramus. Ecce in brevem vitam vita nostra contracta est.

Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo. Nihil te celat, hoc est, peccata nostra, nec nox celat, nec involutum tenebræ. Omnia apud te lucent. *Sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.* Melius habetur in Hebraico : *Vita nostra in illuminatione vultus tui.* Quidquid agimus, quidquid in secreto nos facere putamus, patet in oculis tuis.

Quoniam omnes dies nostri defecerunt. Cucurrit ætas : et dum ignoramus, graviter perimus. Et hoc ipsum quod loquimur, de morte est, et non intelligimus.

Anni nostri sicut aranea meditabuntur. Videte quid dicat. Quomodo aranea quasi mittit fila, et huc illucque discurrit, et texit tota die, et labor quidem grandis est, sed effectus nullus est, sic et vita hominum huc illucque discurrit. Possessiones quærimus, divitias appetimus, procreamus filios, laboramus, in regna sustollimur, et omnia facimus, et non intelligimus, quia araneæ telam teximus.

Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta annis. Ubi sunt mille anni? In septuaginta annis contracti sumus. Si autem multum, octoginta. Si autem plus vixerimus, jam non est vita, sed mors.

Si autem in potentatibus, octoginta anni. Quem enim invenies octogenarium esse et sanum? Dicit et Græca sententia : senectus ipsa morbus est. *Et amplius eorum labor et dolor.* Quidquid plus fuerit, non est vita, sed dolor. Hoc interim diximus secundum historiam. Cæterum dicamus secundum anagogen. Et omnis quidem psalmus recipit tropologiam, et poteram nunc per singulos versiculos currere, et spiritualem intelligentiam in singulis dicere, sed hora excludimur. Uno tamen versiculo quasi gustum vobis do spiritualis intelligentiæ, ut quidquid hic tacuero, putetis hic dictum esse. Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta annis. *Septuaginta anni*, septem decades sunt, *et octoginta anni*, octo decades sunt. Videte ergo quomodo septimus, et octavus numerus prædicatur. Et quomodo diximus : tu refugium factus es nobis in generatione et generationem, et in veteri et in novo Testamento : propterea nunc et septimum et octavum numerum ponit. Hoc dicit in Ecclesiaste : Da partem septem, et da partem octo (*Eccle.* XI). Propterea et quindecim sunt graduum psalmi, hoc est, septem et octo : quindecim pariter nos ducunt ad regna cœlorum : Denique postquam septimus graduum psalmus expletus est, quid dicitur in scriptura ipsius psalmi? Psalmus, inquit, Salomonis, qui exstruxerat veterem domum. Et quid dicit : Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam (*Psal.* CXXVI). Quid ergo dicit ipse Salomon, qui præscribitur in ipso titulo? Ergo ædificavi templum, sed nisi octavus numerus ædificaverit, in vanum est domus ædificata. Legimus et in Evangelio secundum Matthæum : Beati pauperes : Beati mites : Beati esurientes, et sitientes, et cætera, et sunt octo Beatitudines (*Matt.* V). Ergo Dominus noster octonario numero conclusit Evangelium. Denique nusquam invenimus octo pariter Beatitudines, nisi in Evangelio. Octonario numero, hoc est, in die resurrectionis. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta annis.* Vultis ostendam vobis interim quod septimus et octavus numerus continent plurima sacramenta? Legamus Ezechiel, et in una porta dicitur : Et ingrediatur, inquit, per portam orientis in templum quod ædificatur. In Ezechiel, in extrema parte : Et ascendet, inquit, sacerdos primum, per septem et octo gradus. Et fieri poterat, ut in ea porta, et septem essent gradus et octo. Sed vide

quid dicit : Orientalis porta unde lumen venit, Dominus noster atque Salvator. Una quidem porta est, et nemo ingreditur in eam nisi sacerdos magnus. Et quid dicitur ibi? Porta hæc semper clausa erit. Non autem aperitur nisi sacerdoti (*Ezech.* XLIV). Sic igitur, et novum, et vetus Testamentum semper clausum fuit: non est apertum nisi Salvatori. Iste est enim qui habet clavem, qui aperit, et nemo claudit; qui claudit, et nemo aperit. Una ergo porta habet septem, et octo gradus. Et in veteri quidem Testamento sacramenta sunt Evangelica, et in novo Testamento sacramenta sunt Legis. Audite majora mysteria. Eo tempore quando Salomon, hoc est, pacificus noster (qui dicit (*Joan.* XIV): Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis : ipse est enim pax nostra, et pax quæ exsuperat omnem sensum) ipse ædificavit templum Deo. Et vide ibi Scriptura quid dicat. Et erant, inquit, latomorum septuaginta millia, et eorum qui portabant octoginta millia (III *Reg.* V). Videte numerum. Latomi qui lapides cædunt, qui quasi fundamenta ædificiorum præparant, qui lapides ad ædificandum in templo Dei de terra tollunt, in septimo numero ponuntur, in prophetis, in patriarchis. Illi enim humanum genus quasi de terra ejicientes, in templum Domini præparaverunt. Isti vero, hoc est, octoginta millia: Apostolica prædicatio et Evangelica : isti qui cum Deo Salvatore et ipso Salomone gravia gentium peccata portabant. Hucusque videtur finitum esse mysterium. Audite majora mysteria. Et qui præerant, inquit, istis operibus et templo, tria millia erant. Non possunt esse majores. Et qui præsunt operibus, nisi illi qui prædicant Trinitatem? *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta annis.* Multa sunt quæ dicantur, sed hora excludimur.

Dexteram tuam sic notam fac, et compeditos corde in sapientia. In quibusdam codicibus dicitur, *eruditos:* in aliis dicitur, *compeditos.* Aliud eruditus, aliud compeditus significat. Quid ergo dicit : *Dexteram tuam notam fac.* Quid tamdiu dexteram tuam contrahis? Deus quare avertis manum tuam in sinum tuum? in alio psalmo dicitur. Quid dicitur? Hoc est, in ægritudine positi sumus, in peccatis jacemus : mitte dexteram tuam, et eleva nos. Quare tamdiu dexteram tuam habes in sinu tuo? Eructet cor tuum verbum bonum : mitte dexteram tuam, et libera nos. Notum nobis fac mysterium, quod absconditum fuit a generationibus. *Dexteram tuam notam fac.* Quid subrepis, Ari? Non dixit, dexteram tuam fac. Deus enim sine dextera sua numquam fuit. Sed quid dixit? *Dexteram tuam*, quæ semper fuit, et in sinu tuo fuit, *notam fac.* Quoniam illum permanentem in deitate sua nosse non possumus : assumat hominem, et sic intelligamus eum. *Dexteram tuam sic notam fac, et compeditos corde in sapientia.* Eos qui sapientiæ habent compedes, hoc est, qui compediti sunt in corde per sapientiam tuam. Non vobis sit molestum, quia obscurus est locus. Prophetæ habebant sapientiam : sed ipsa sapientia compediebat eos, non poterant

A volare sine Christo. Videte ergo qui dicat : Mitte dexteram tuam, hoc est, Filium tuum. Notum nobis illum fac : ut et prophetæ qui quasi prophetaverunt umbram, incipiant Dominum manifestius prædicare.

Convertere, Domine, usquequo. Multum peccavimus, avertis faciem tuam : non sunt digni peccata nostra tuis videri oculis. Propterea deprecamur, *convertere, Domine, usquequo.* Ecce jam tanta fluxerunt sæcula : semper te prophetæ venturum prædicaverunt gentibus, et adhuc non venisti. *Et dirige filios hominum.* Qui pravi sumus, a te dirigamur. *Et dirige filios hominum.* Propterea eos dirige, quia filii hominum sunt. Si enim essent filii tui, directi essent. Tu enim dixisti : Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI). Vos autem ut homines moriemini,

B et quasi unus de principibus cadetis. Et in alio loco : Non permanebit spiritus meus in hominibus istis : quia caro sunt (*Gen.* VI). Quoniam homines sunt, propterea caro sunt. Ergo quia filii hominum, et perdidimus esse filii Dei, et pravi facti sumus : propterea dirige nos, et rursum tui efficiamur filii.

Et sit splendor Domini Dei nostri super nos. Dicit et Apostolus ad Hebræos : Quoniam Dominus atque Salvator splendor sit gloriæ Patris (*Hebr.* I). *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos.* Hoc est quod dicitur et in alio loco : Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine (*Psal.* IV). Signum crucis, vexillum nostrum est. Hæc interim de psalmo diximus, et ut æstimo, diutius quam debueramus, immorati sumus. Intelligimus nos multo plura dixisse,

C quam debuimus dicere; sed non possumus Domini nostri verba reticere, non possumus inchoatum psalmum relinquere. Non est multum, quodcumque prodest animæ : nihil satis est, quod bonum est, si tamen bonum. Rogemus igitur Dominum nostrum Salvatorem, ut splendor ejus luceat in cordibus nostris, ut ejiciat a nobis tenebrarum impugnationes, et sordidas cogitationes, et omnia peccata propellat de cordibus nostris, ut illuminet nostras tenebras, ut fugiant tenebræ, et habitet splendor lucis in cordibus nostris. Templum Domini, et tabernaculum, et Sancta sanctorum, semper lucernam habeant ardentem : semper superluceat lucerna in domo Domini. Si enim exstincta fuerit lucerna, Dominus in tenebris non habitat. Dicamus igitur et nos : Lu-

D cerna pedibus meis verbum tuum, Domine (*Psal.* CXVIII) : cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XC.

Iste psalmus non habet titulum, eo quod de capite, vel membris cantatur. Caput in cœlo : membra in terra. Et proprie intelligitur de jejunio, et illa tentatione eremi. Prævidebat propheta, quod venturus erat Christus in carne, ut tentaretur a diabolo (*Matt.* IV).

Qui habitat in adjutorio Altissimi. Adjutorium interpretatur, *Ezras.* Denique βοηθὸς Ezras propheta dicitur. Iste est qui reduxit populum de captivitate Babyloniæ, et induxit in terram repromissionis. Qui ergo habitat in Ezras, habitat in Jesu. Interim secundum tropologiam : Qui ædificavit domum sine

manibus juxta Apostolum, illam domum quam ædificaverat Dominus etiam obstetricibus in Ægypto (*Exod.* I). *In protectione Dei cœli commorabitur. Dicet Domino : Susceptor meus es tu, et refugium meum, Deus meus.* Multi enim me persequuntur hostes : propterea tu es refugium meum, Deus meus. *Sperabo in Domino : quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium.* Non dixit, spero : sed, *sperabo.* Quamdiu enim peccamus, non speramus. Si peccare desierimus, speramus. *Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium.* Multi sunt venatores in isto mundo, qui animam nostram venari conantur. Denique et Nemrod ille gigas, magnus in conspectu Dei venator fuit (*Gen.* X), et Esau venator erat (*Gen.* XXVII) : [a] quoniam peccator erat : et penitus non invenimus in Scripturis sanctis, sanctum aliquem venatorem. Piscatores invenimus sanctos.

Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus (*Ps.* CXXIII). Quis est iste laqueus qui contritus est? Dominus, inquit, conterat Satanam sub pedibus nostris velociter; et Apostolus dicit : Ut liberemini a laqueo diaboli (*Rom.* XVI). Vides ergo quoniam iste venator est, qui animas nostras venari cupit ad perditionem? Multos habet diabolus laqueos, et diversos habet laqueos. Avaritia diaboli laqueus est : ira, detractio, etc. *Et a verbo aspero.* Quamdiu in sanctitate sumus, anima nostra tranquilla est. Quando vero de peccatis cogitare cœperit anima nostra, turbatur, et quasi quibusdam fluctibus concutitur.

Scapulis suis obumbrabit tibi. Sed hæc secundum illud Deuteronomii : Dominus quasi pullos suos, alis suis protegit nos quasi aquila (*Deut.* XXXII). Dicitur enim ibi, quasi aquila protegere pullos suos. Licet ergo possimus dicere hoc, quod Deus quasi pater nos protegit, et quasi gallina protegit pullos suos, ne rapiantur ab accipitre (*Matth.* XXIII). Tamen et aliud possumus dicere : *Scapulis suis obumbrabit tibi.* Exaltabitur in cruce, extendet manus, et proteget nos. *Et sub pennis ejus sperabis.* Aspiciens, inquit, manus ejus crucifixas, et si te serpens momorderit, sanaberis (*Num.* XXI). Licet ambules in deserto istius sæculi : si te percusserit scorpio, si regulus, si aspis, si cætera venenata animalia, securus esto de sanitate : Serpens in eremo suspensus est.

Scuto circumdabit te veritas ejus. Scutum nostrum rotundum est, hoc est, ex omni parte nos sepit. Non solum scutum est, sed et murus. Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Aliquos de scuto coronat. Videte quid dicat : Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos (*Psal.* V). Quid dicit? Proteges nos; et facies vincere, et post victoriam coronabis. *Scuto circumdabit te veritas ejus.* Quoniam dixerat, *a verbo aspero*, et verbum asperum, possumus intelligere hæreticorum et philosophorum, et Judæorum, et hoc quasi verbum asperum, non est verum, sed mendax est. Propterea enim turbidum est, quia mendax est. Propterea turbidum est, quia conturbat animas nostras, per mendacium suum. Dominus ergo qui veritas est, et dicit : Ego sum veritas (*Joan.* XIV), scuto circumdat nos veritas ejus, ne ardentibus sagittis diaboli percutiamur. Propterea Christus qui est veritas, supponit scutum suum, ut scuto veritatis superet mendacium. *Non timebis a timore nocturno.* Diabolus enim semper in tenebris est; ut percutiat, inquit, in occultis innocentem (*Ps.* IX *et* LXIII). Vides ergo quod qui simplex est, innocens est, et semper in occultis percutitur. *Non timebis a timore nocturno.* Quod dicit, hoc est : licet in errore fueris, quæ nox est, tamen non timebis, quia habes scutum veritatis.

A sagitta volante in die. Sagitta volans diaboli, videtur mihi sermo esse hæreticorum, et philosophorum. Et isti enim lucem scientiæ promittunt, et dicunt se habere diem; et non possunt decipere, nisi lucem promiserint. Verum lux ista quam promittunt, de ardentibus sagittis est. Et propterea dicitur : *A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris.* Sagitta quidem volat quasi in die, sed negotium est perambulans in tenebris. *Ab incursu et dæmonio meridiano.* Melius est dicere Græce ἀπὸ συμπτώματος. Σύμπτωμα autem dicitur eventus, hoc est, quando non speramus, et aliquid novi evenerit. Aut σύμπτωμα dicitur, quando simul multi cadunt. Videte ergo quid dicat : Licet plures indocti fuerunt, tamen tu qui sanctus es, non inducaris. Do exemplum, ut simpliciores possint intelligere quid dicitur : Si ieris in civitatem monachus solus, et cœperis deambulare, et audieris clamorem in circo, et aliquis tibi dixerit, veni et specta : circus est; et cœperis ei tu dicere, non licet : non possum ire. Si ille tibi ostenderit infinita hominum millia, et dixerit tibi : ducenta hominum millia ibi sunt : ergo illi omnes perituri sunt; et tu solus salvus eris? Tu debes intelligere, quia symptoma diaboli est, hoc est, scire debes quia plures cadunt. *Et dæmonio meridiano.* Dicunt quidem multi : quia sunt dæmones et meridiani, et hoc vulgo dicitur. Cæterum ego dico simpliciter : quoniam dæmonium eo tempore potestatem habet in nos, quando peccamus. Sive mane peccaverimus, dæmon ingreditur in nobis, sive vespere, sive nocte : quacumque peccaverimus hora, dæmon ingreditur in nobis. Videtis ergo quod frivolum est quod vulgo dicitur. Quid ergo dicit, *a dæmonio meridiano?* Quoniam Abraham angelos susceperat in meridie, et Joseph fratres suos ad prandium invitaverat in meridie (*Gen.* XVIII *et* XLIII). Sancti enim erant, et Abraham et Joseph, et propterea convivium eorum in clara luce erat, et sole perfecto.

[a] Verus Hieronym. in Michæam cap. V : *Quantum ego possum mea recolere memoria, numquam venatorem in bonam partem legi. Ismael et Esau venatores fuerunt, et præcesserunt in typo populi Judaici.* Quibus succinit Ambrosius in psal. CXVIII : *Nullum invenimus in divinarum serie litterarum de venatoribus justum.*

Propterea pascunt in meridie. Et ego, si plenam habuero scientiam Scripturarum, licet hora tertia sit, tamen pasco vos in meridie. Denique et sponsa in Cantico canticorum dicit : Ubi pascis, inquit, ubi cubas? In meridie (*Cant.* I)? Videtis quoniam sponsus non pascit, non recumbit in hora tertia, sed in meridie. Ubi pascis, ubi cubas, ubi te invenio, ubi deliciis frueris, ubi te possum invenire, o sponse meus? Vis me invenire? In meridie, in scientia perfecta : in bonis operibus : in claro lumine. Quoniam ergo habemus nos meridiem : propterea etiam diabolus transformatur in angelum lucis (II *Cor.* XI), et ipse simulat habere se lucem, habere se meridiem. Quando hæretici quasi mysteria aliqua promittunt, quando regna cœlorum, quando continentiam, quando jejunia, quando sanctitatem, quando renuntiationem sæculi, promittunt meridiem. Sed quoniam non est Christi lumen : non est meridies, sed dæmonium meridianum.

Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis. Singula verba Scripturarum, singula sacramenta sunt. Ista verba, quæ rustica putantur a sæculi hominibus, plena sunt sacramentis. Habemus enim thesaurum istum in vasis fictilibus (II *Cor.* IV). Thesaurum, sensum divinum, habemus in verbis vilissimis. *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis.* Ex latere cujus? Ab ejus cui dictum fuerat : *Scuto circumdabit te veritas ejus : non timebis a timore nocturno.* Quis est iste? De quo supra dictum est : *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* Ab eo ergo qui habitat in adjutorio Domini, cadent a latere ejus mille, et decem millia a dextris ejus. Dextera sancti dicitur : sinistra non dicitur, sed latus. Videte enim quid dicitur : *Et decem millia a dextris tuis.* Et quomodo dixeras : *Cadent a latere tuo mille?* Quando enim dextera dicitur, et sinistra non nominatur : pro sinistra, latus nominatur. Non enim poterat justum esse, ut justus haberet sinistram. Qui te, inquit, percusserit in dexteram maxillam, præbe ei et alteram. Non dixit, et sinistram : non enim est sinistra quæ præbetur, sed dextera altera. Ergo simpliciter dico : quoniam justus duas dexteras habet. Denique et ille Ajoth, qui scribitur in Judicum libro, propterea duas dexteras habere dicitur : quia justus erat, et interfecit illum pinguissimum regem. *Cadent a latere tuo mille : et decem millia a dextris tuis.* Plures sunt, qui insidiantur dexteræ nostræ; et non sunt plures, qui insidiantur sinistræ. Propterea a latere mille cadent, et a dextris decem millia. Ubi enim major pugna, major victoria. Pauci insidiantur lateri : plures insidiantur dexteræ.

Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, etc. Istum locum diabolus super Domino interpretatus est, eo enim tempore quo tentavit Dominum : Si, inquit, Filius Dei es, mitte te deorsum (*Matt.* IV). Scriptum est enim de te, *Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Diabolus nihil amplius dixit, nisi hoc : Quoniam angelis suis mandavit de te, ut in manibus portent te, ne forte ad lapidem offendas pedem tuum. Mediam partem dimisit. Hic enim dicitur : Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Hoc non dixit, ut custodiant te : sciebat enim contra se esse. Poterat enim Dominus ei respondere : Si custodit me Dominus in omnibus viis : ergo et a te custodior. Tacuit ergo quod sciebat contra se esse, et posuit quod pro se erat. Vere diabolus quasi diabolus, interpretatur de Salvatore, quod non est de Salvatore. Si enim de Salvatore est totus psalmus, sicut interpretaris, o diabole, et de ipso est quod dicitur :

Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Hoc est, ego Pater protegam Filium meum. Si sic interpretatur, diabole, quomodo tu intelligis : videamus si stet sensus : Protegam eum, quia cognovit nomen meum : hoc est, ego Pater Filium meum protegam.

Clamavit ad me, et exaudiam eum. Hoc est in die crucis. *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum.* Hoc est, eum faciam resurgere.

Longitudine dierum replebo eum. Hoc est, in æternum vivet. Et hoc intelligamus de Filio Dei. Longitudine dierum replebo eum. Hoc quod sequitur, quomodo stat in Salvatore? *Et ostendam illi salutare meum.* Salutare Dei, Filius Dei est. Si ergo de Filio dicitur, quomodo potest stare : quia salutare Dei, Filius Dei est? Vides ergo quoniam male interpretatus es, o diabole. Sed fac ut sic interpretetur, ut tu dicis. Dixisti : Quoniam angelis suis mandavit de te, ut in manibus portent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Dic quod sequitur. Quid taces? Super aspidem, et basiliscum ambulabit, et conculcabit leonem et draconem Christus Dominus noster, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XCI.

Psalmus cantici in die sabbati. Iste psalmus hoc titulo prænotatur. Non potest diem sabbati agere, nisi qui sex dies transierit. Sex diebus laboramus, in septima die requiescimus. Ergo Domino cantare non possumus, nisi in die sabbati. Quamdiu opera istius mundi facimus, hoc est, sex diebus, Domino cantare non possumus. Denique dicitur in Levitico : Non facietis in die sabbati omne opus servile (*Levit.* XXIII). Quicumque ergo in sabbato est, et in requie Domini, opus servile facere non debet, hoc est, quod ad mundum istum pertinet : sed illud debet opus facere, quod ad sabbatum pertinet. Vultis scire quoniam in sabbato operantur sacerdotes in templo Domini? Non licet in sabbato cuicumque ligna cædere (*Num.* V). Denique unus qui inventus est in eremo, lapidatus est, et occisus. Denique non licet ignem succendere : non licet etiam aliquid operis facere. Videtis autem quoniam omnia hæc quæ in mundo alicui facere non licet in sabbato, sacerdotibus solis licet. Nam et ligna cædunt, et ignem supponunt, et alia faciunt ministeria, et hostias immolant. Hoc totum quare dixi? Ut ostenderem scriptum esse in lege, debere nos cessare etiam in die sabbati ab operibus mundi, et ea facere quæ ad Deum pertinent. Psalmus igitur cantici est in die sabbati : quando non operamur mundo, et operamur Deo. Videamus quid nobis sit cantandum in sabbato, quando a mundi cessamus operibus.

Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime. Non dixit : bonum est psallere, et postea confiteri : sed vide ordinem : Bonum est confiteri, et bonum est psallere. Primum age pœnitentiam, et lacrymis dele peccata, et postea canta Domino: *Bonum est confiteri Domino;* non hominibus, sed Deo; illi confitere peccata, qui sanare potest. *Et psallere nomini tuo, Altissime.*

Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem. Diligenter intelligite quod dicitur: *Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem.* Singuli versiculi ad singulos referuntur. *Bonum est confiteri Domino: ad annuntiandum mane misericordiam tuam.* Si confiteris Domino, annuntians mane misericordias Domini. *Et psallere nomini tuo, Altissime.* Istum versiculum refert ad hunc qui sequitur, *et veritatem tuam per noctem.* Quando enim confitemur Domino, speramus misericordiam. Quando vero psallimus, operamur virtutes. *Ad annuntiandum mane misericordiam tuam.* Ubi sunt qui secundum litteram Scripturas intelligunt? Media die misericordiam Dei annuntiare non possumus? Et certe Christianorum et monachorum est, maxime in noctibus peccata sua confiteri. Et quomodo nunc dicit : *Ad annuntiandum mane misericordiam tuam?* Quod dicit, hoc est : Non possumus confiteri Domino, et misericordiam ejus consequi, nisi cœperit in corde nostro clarum lumen lucere. Nisi præcesserint tenebræ, et mane factum fuerit, misericordiam Domini consequi non possumus. Tunc autem annuntias mane misericordiam Domini, cum sol justitiæ ortus in corde tuo fuerit. *Et veritatem tuam per noctem.* Veritas Domini non annuntiatur, nisi ad noctem : in die non potest annuntiari. Non enim possunt imbecilles ferre quæ magna sunt : neque possunt ea sustinere quæ pretiosa sunt. Unde dicitur et in alio loco de Deo : Posuit tenebras latibulum suum (*Psal.* XVII), hoc est, Dominus posuit tenebras latibulum suum. Et veritas ergo Domini annuntiatur in nocte : quasi quibusdam verborum tenebris obvolvitur. In ænigmate dicitur, et in parabolis : ut videntes non videant, et audientes non intelligant (*Marc.* IV). Legimus in Osee, et dicitur ad prophetam : Tu vade, et accipe tibi uxorem, uxorem fornicariam (*Osee* I) : Judæi et gentiles rident. Quare rident? Quoniam veritas in nocte posita est, non in die. Vultis scire quoniam veritas Dei in nocte est, et quasi in tenebris, et in parabolis posita est? Moyses ascendit in montem Sina, et ingressus est, inquit, in turbinem, et caliginem, et in tenebras, et ibi locutus est cum Domino (*Exod.* XXIV). Neque enim poterat Israel populus videre mysteria Dei : quia in caliginem Dei non intraverat.

In decachordo psalterio, cum cantico et cithara. Simpliciter dico, quotiescumque levamus manus sine cogitationibus et disceptationibus, in decachordo psallimus Domino. *In decachordo psalterio, cum cantico in cithara.* In cithara nostra, et corpus, et anima, et spiritus, omnibus chordis composita sunt.

Quia delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exsultabo. Christianus quodcumque viderit, semper ædificatur. Monachum nihil destruet, nisi peccatum. Quodcumque aspexeris, ædificium tuum est. Vides cœlum, vides solem, vides stellas, vides lunam, hoc ædificat te. Debes enim cogitare et dicere: Si sol, et luna, et cœlum, et stellæ Deo serviunt : quare ego non serviam? Vides terram, vides animalia, et omnia quæ in terris sunt, et hoc confer cum animo tuo, et ædificat te, et dic animo tuo : Omnia in suo tempore currunt. Siquidem ver et æstas, autumnus et hyems, numquam mutantur hæc tempora, sed secundum dispositionem Domini omnia serviunt. Cœlum servit, et terra servit, et infelix ego homo non servio. Veniamus ad minuta animalia : dimitto nunc de elephantis, dimitto de leonibus, dimitto de diversis animalibus, venio ad minuta animalia. Respice apem, respice formicam : vide corpus, et inquire sapientiam (*Prov.* VI *et* XXX). Major sapientia, quam corporis magnitudo. Apes et formicæ cogitant hyemem esse venturam ; et monachus et Christianus non cogitant judicium esse venturum. Illæ cogitant quoniam fame periclitari possunt, si non laboraverint in æstate unde vivant in hyeme : nos non cogitamus, quia sine opere torquebimur in gehenna. Hoc totum quare dixi? Quoniam nunc scriptum est : *Quia delectasti me, Domine, in factura tua.* Quodcumque aspexero, delectat me. Intelligo enim factorem, et benedico Deum. *Et in operibus manuum tuarum exsultabo.* Video arborem, et considero quomodo cortex arboris est quasi tunica, qua vestitur, et quasi germen viret. Et deinde video quomodo flos fit : quomodo flos cadat, ipse et flos vertatur in pomum. Video paulatim per singulos dies, in singula tempora mihi naturam operari, et in meos cibos crescere. Video quomodo Deus in omnibus mihi laborat, ut mihi nihil desit. Propterea exsulto in te, Domine.

Quam magnificata sunt opera tua, Domine! In hoc loco Marcion et Manichæus erumpunt. Quid enim dicunt? Si omnia Deus fecit, et in utilitatem hominum fecit : quid necesse fuit cimicem facere et pulicem? Ego tibi breviter respondeo : ut ostenderetur, o homo, fragilitas tua. Qui enim cogitationem tuam in cœlum ponis, respice, morderis a cimice, et contremiscis. Quid erigeris in cœlum, et cogitatio tua transcendit in cœlum? Ecce a pulice vulneraris. *Quam magnificata sunt opera tua, Domine!* Parva quidem corpora, sed magna ratio. Singula habent utilitates suas. Ego sic miror Dominum in elephantis, quomodo et in formica : sic illum prædico in camelo, quomodo et in culice. Vide culicem quomodo quasi punctum cujusdam corpusculi est, et tamen vide in ipso puncto corpusculi, omnia esse membra divisa. Habet sex pedes, habet duos oculos, habet os, habet et ventrem, habet et tubam vocis, habet et alas. Si consideraveris membra, corpus non invenis, et tamen magnificatur Deus, quia sine corpore membra sunt omnia. *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.* Quodcumque cogitavero, invenire non possum. Abyssus judicia tua. O profunditas divitiarum sa-

pientiæ et scientiæ Dei. Dicam et ego cum Ecclesiaste: Dixi, sapiens efficiar, et ipsa longius facta est a me: longius multo quam erat. Et profunda quis invenire potest (*Eccles.* VII)? Ecclesiastes quod dicit, hoc est: Antequam cogitationem meam in opere ponerem, non videbam magnificentiam Dei. Dixi, sapiens efficiar, hoc est, dixi, debeo quærere rationes singularum causarum, et ipsa longe facta est a me, longius multo quam erat, hoc est, sapientiam quam ante non inquirens, ignorabam: postea quærere cœpi, quam invenire non poteram.

Vir insipiens non cognoscit, et stultus non intelligit hæc. Quicumque non est Christianus, et in operibus non intelligit Creatorem, iste insipiens est.

Cum exorti fuerint peccatores sicut fenum. Vidisti imperatores: vidisti præfectos: vidisti exercitus: vidisti victorias et triumphos. Heri fuit, et hodie non est. *Et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem, ut intereant in sæculum sæculi.* Heri apparuit quasi flos: hodie flos ipse non comparet. Heri virebat herba: hodie siccata est. Ubi est illa pulchritudo? Nihil bonum est, nisi quod æternum est. Nihil bonum est, nisi quod perpetuum est. Quodcumque finem habet, nec inter bona numerandum est. Quid enim mihi prodest, si heri præfectus fui, et hodie fame morior? Quid enim mihi prodest, si anteriori die rex fui, et hodie in carcere morior? Omne quod præteritum est, et finem habet, nihil est. Unusquisque nostrum de sæculo venit ad hanc vitam. Alius matrem reliquit, alius filios, alius uxorem, alius parentes. Recordemur infantiæ nostræ: recordemur adolescentiæ: recordemur quod aliquando habuerimus divitias, et unusquisque pro viribus suis habuit quod potuit. Ecce transivimus ad hanc vitam. Ubi sunt illa omnia? Cogitata magis dolorem faciunt, quam voluptatem. Nihil est itaque bonum, nisi quod perpetuum est.

Tu autem Altissimus in æternum, Domine, quoniam ecce inimici tui, Domine: quoniam ecce inimici tui peribunt, et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem. Si peribunt, quomodo dispergentur? Qui enim semel perierit, dispergi non potest. Debuit dicere: Ecce dispergentur et peribunt. Quod ergo dicit, hoc est: *inimici tui, Domine, peribunt*, cum omnia tibi subjecta fuerint: omnis qui inimicus tuus fuerit, postea efficietur amicus, hoc est, non peribit homo: sed peribit inimicus. Qui inimicus fuit, amicus erit, et sic peribit inimicus. *Quoniam ecce inimici tui peribunt, et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.* Quomodo si sancti simul sunt, gratiosum est: sic si peccatores simul fuerint, quasi pessima congregatio est (*Gen.* XVIII). Quanto enim plures simul fuerint, tanto pejores sunt. Denique eo tempore quo turris ædificabatur contra Deum, dispergebantur in utilitatem suam. Consensus eorum malus fuit: dispersio vero profuit etiam illis ipsis qui dispersi sunt.

Exaltabitur sicut unicornis cornu meum. Semper cornu in regno ponitur. In te inimicos nostros ventilabimus cornu (*Psal.* XLIII). Denique nullum animal in templo immolatur Domino nisi quod cornu habet. Tria immolabantur Domino in templo, immolabatur taurus, immolabatur aries, immolabatur hircus. Tria immolabantur, et universa cornuta sunt. Nisi enim aliquis habuerit cornu in quo inimicos ventilet, non est dignus immolari Deo. Propterea et Dominus cornu dicitur, his qui credunt in eum: Et in cornibus crucis suæ ventilavit inimicos. Ibi confudit diabolum, et omnem ejus exercitum: Christus quidem crucifixus erat in corpore: sed vere crucifigebat ibi dæmones. Non fuit crux: sed triumphus fuit, sed vexillum fuit. Propterea conscendit crucem, ut nos de terra in altum tolleret. Et puto crucem Salvatoris istam esse scalam quam vidit Jacob. In ista scala descendebant angeli, et conscendebant (*Gen.* LXXXII). In ista scala, hoc est, cruce, descendunt Judæi, et conscendunt gentiles. *Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum.* Alii habeant plura cornua: ego unum solum cornu habeo. Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini: per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (*Gal.* VI).

Et senectus mea in misericordia uberi. Senectus nostra oleo Dei indiget. Quomodo enim corpora nostra quando laboramus (loquor simplicius propter simpliciores fratres, qui non possunt intelligere sublimius) quomodo corpora nostra, quando laborant, non reficiuntur, nisi unctione olei: quomodo lumen quod in lucerna est, nisi oleum miseris, exstinguitur: sic et lumen senectutis meæ, oleo et misericordia Dei indiget ut crescat. Denique et apostoli ascendunt in montem Oliveti, ut quoniam lassi erant, et indigebant lucernæ ipsorum oleo Domini, de oleo Domini illuminentur. Unde dicit et justus: Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini (*Psal.* LI). Et in alio loco dicitur: Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ (*Psal.* CXXVII). Nullus alius mons erat, de quo ascendit Dominus regna cœlorum, nisi mons Oliveti? Numquid non erat mons sublimior in Galilæa, Thabor? Quid necesse fuit ut Dominus de monte Oliveti conscenderet in regnum cœlorum? Sed vide quid te Scriptura doceat: Nisi tibi et lampadibus tuis oleum miseris, non poteris ascendere in regna cœlorum. Debes esse in monte Oliveti, et non in valle Olivarum, sed in monte Oliveti. Dicat aliquis: Quæ est ista vallis Olivarum? Habet diabolus olivas suas: habet philosophos: habet hæreticos: habent et ipsi oleum. Et ipsi lumen scientiæ promittunt, sed illa oliveta in perditionem deducunt: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum (*Psal.* CXL). Nos ergo rogemus Dominum, ut senectus nostra, et omnis noster labor, et omnes tenebræ nostræ, oleo Domini illuminentur. Diligenter attendo in Scripturis, ubi primum legerim senectutem. Adam nongentis triginta annis vixit, et tamen senex non dicitur: Mathusalem nongentis sexaginta novem annis vixit, et senex non dicitur. Venio usque ad diluvium, et post diluvium per annos ferme tria millia,

et nullum invenio qui dictus est senex. Primus Abraham senex dicitur : et certe multo minoris ætatis fuit quam Mathusalem. Sed propterea dicitur senex, quoniam senectus ipsius inuncta fuit oleo uberi. Denique scriptum est ibi : Et mortuus est Abraham, nutritus in senectute bona : plenus, inquit, dierum (*Gen.* xxv). Propterea in senectute bona, quoniam plenus dierum. Omne enim tempus vitæ ipsius, dies fuerunt, et non nox. Hoc ipsum quod dictum est de Abraham, dictum est de Isaac et de Jacob. Qui enim simul servierunt Domino, recte simul senes Domini nuncupantur. *Ut cedrus Libani multiplicabitur :* lignum bene olens, lignum unde templi tecta contecta sunt. *Ut cedrus Libani multiplicabitur :* lignum imputribile.

Plantati in domo Domini : in atriis Dei nostri florebunt. Alibi plantamur, in regno cœlorum florebimus. Ego vero plantavi : Appollo rigavit, sed Dominus incrementum dedit (I *Cor.* III). Plantatus in domo Domini, hoc est, in Ecclesia : non muris, sed in dogmatibus. Regnum enim Dei, inquit, intra vos est (*Luc.* XVII). Quicumque plantatus fuerit in domo Domini, si hic radices miserit, ibi flores affert. *Plantati in domo Domini : in atriis Dei nostri florebunt.* Ista sunt æterna tabernacula. Quæ sunt ista atria? Diversæ in cœlo mansiones. Simul videte quid dicat : *Plantati in domo Domini : in atriis Dei nostri florebunt.* Hic domus est : ibi atrium est. Debuit utique primum dicere secundum ordinem, atrium : et sic domum. Sed videte quid dicat. Hic licet videamur in domo esse : cum migraverimus ad regna cœlorum, ad comparationem angelorum, et virtutum cæterarum, non sumus in domo, sed in atrio sumus : in initio sumus, non in perfectione. Non enim erimus angeli, sed quasi angeli (*Matt.* XXII). Non tibi quasi parum videatur homo, si sicut angelus fueris.

Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi. Felix ille qui crescit quotidie, qui senescit ætate, senescit et virtutibus. Hæc interim de Psalterio diximus : locuti sumus et de Evangelio pauca, diximus quoque et de Apostolo. Oremus Dominum, ut omne quod diximus nos, et quæ audistis, opere compleamus, et verba vertamus in opera : ut qui hic plantati sumus in domo Domini, in atrio Christi floreamus : cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XCII.

Laus cantici ipsi David in die ante sabbatum, quando fundata est terra. Iste psalmus vocem continet prophetæ, virtutem atque magnificentiam Domini decantantis.

Dominus regnavit, decorem induit. Cum resurgens a mortuis, sanctorum sibi chorum adjunxit ; *Induit Dominus fortitudinem.* Quia diabolum oppressit. *Et præcinxit se virtute.* Quando multitudine angelica circumdatus, remeavit ad Patrem.

Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur. Instabilis enim, et mobilis esset adhuc nisi sua fuisset resurrectione firmatus.

Parata sedes tua. In animabus sanctis.. Tu enim A præelegisti eas ante constitutionem mundi, ut essent genus electum. *Et tunc a sæculo tu es.* Et ante resurrectionem mundi.

Elevaverunt flumina, Domine : elevaverunt flumina vocem suam. Apostoli : quorum fluenta prædicationum, ariditates gentium irrigaverunt. *A vocibus aquarum multarum.* Detrahentium populorum.

Mirabiles elationes maris. In sæculi hujus fluctibus. *Mirabilis in altis Dominus.* Gloriosus residens ad dexteram Patris.

Testimonia tua, Domine, credibilia facta sunt nimis. Per apostolos tuos. *Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudine dierum.* Ecclesiam tuam quam exhibuisti tibi non habentem maculam aut rugam in qua nos digneris mundos ac splendidos custodire B (*Ephes.* v) ; nec polluere baptismi gratiam, per quod in te renati sumus ad vitam : quia tibi est cum æterno Patre et Spiritu sancto, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XCIII.

Psalmus David quarta sabbati. Semper de titulo disputamus, ut ex titulo intelligatur et psalmus. *Psalmus David quarta sabbati.* Quarta sabbati, in medio sabbati est : quasi in corde sabbati, hoc est, in medio hebdomadis. Dies enim quarta est, et quarta dies habet ex utroque latere æquales dies. Habet enim ex uno latere diem primum, secundum, tertium : et ex alio latere habet diem quintum, sextum, septimum. Videtis igitur quoniam dies quarta, hoc est, quarta sabbati, ex utroque latere duplici trinitate firmatur. Simulque considerandum : quia quartus numerus, virtute decimus est. Quomodo? si enim computes, et C ordinem facias : unum, duo, tres, quatuor, decimus numerus efficitur. Vidistis igitur quoniam quartus numerus efficit decimum, et considerate ex hoc : quia quatuor Evangelia in decalogo computantur, ut quodcumque dicebatur in decalogo hoc compleatur in quatuor Evangeliis, ut non dissentiat lex vetus ab evangelica dignitate. Hoc interim diximus de titulo, nunc veniamus ad psalmum.

Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit. Qui tanto tempore latuit, et non apparebat in populo : postea libere egit. Quia antea ignorabatur, postea triumphavit in cruce. *Deus ultionum Dominus.* Si Deus ultionum Dominus est, mihi vindictam et ego retribuam, dicit Dominus, quid te cupis vindicare, homo? Habes ultorem Deum. Dicit hoc et Apostolus : Si esurierit inimicus tuus, ciba D illum. Si sitit, da illi potum. Hæc enim faciens, carbones ignis congregabis super caput ejus (*Deut.* XXXII ; *Rom.* XII). Hoc non videtur pietatis esse, sed crudelitatis. Si enim bene illi facio, ut illi malefaciat Deus : non venit hoc de pietate, sed de crudelitate mentis. Quod enim dicit Apostolus : Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, da illi potum : hucusque videtur misericordia. Hoc vero quod infert : Hæc enim faciens, carbones ignis congregabis super caput ejus. Videtis enim propterea panem dare, et aquam dare bibere, ut ille in sæculis torqueatur. Et hoc dicit Apostolus, et misericordiæ prædicator crudelitatem docet? Non igitur sic accipiendum, sed alio sensu. Si te percutit inimicus, tu ei præbe

et alteram maxillam (*Matth.* v). Si tibi ille malefa- A
cit, tu illi fac bene. Si enim hoc feceris, carbones ignis congregabis super caput ejus. Quod dicit, hoc est, mundabis eum a peccato. Vincitur enim crudelitas illius patientia tua. Si sagittam dirigas in lapidem, et lapis durus fuerit : non solum non infigitur, sed resilit. Sic inimicus tuus si percusserit, et repercussus non fuerit, patientia tua superatus, ad meliora convertitur.

Usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores gloriabuntur? Impatientia humana non vult Dei habere patientiam. Miseri nos, qui volumus nobis Deum esse patientem, et inimicis impatientem. Si quando peccamus, patientem cupimus Deum. Si quando aliquis in nos deliquerit, in ipsum non volumus esse patientem Deum. *Usquequo peccatores* B
gloriabuntur? Non eis sufficit peccare, sed etiam in peccatis gloriantur. Prima infelicitas est peccare : secunda infelicitas, immo novissima, non agere pœnitentiam. Isti ergo peccatores non solum non flectunt cervicem, sed libere post peccatum suum gloriantur.

Effabuntur et loquentur iniquitatem. Proprie hæc de hæreticis loquitur. *Loquentur omnes qui operantur iniquitatem.* Videte signum : Qui loquitur, necesse est ut male faciat. Ex abundantia enim cordis os loquitur (*Luc.* vi). Ubicumque conscientia vulnerata est, ibi in ore facile peccatur.

Populum tuum, Domine, humiliaverunt. Semper Dei populus humiliatur : Dei populus opprimitur : *Populum tuum, Domine, humiliaverunt.* Semper populus Dei humiliatur, et imitatur Deum qui humilis C
fuit, et mitis corde.

Viduam et advenam interfecerunt, et pupillos occiderunt : et dixerunt, non videbit Dominus. Licet hoc manifestum sit secundum historiam, semper enim quicumque præsidio indiget, facile opprimitur, et quanto aliquis humilior fuerit, tanto ille magis qui opprimit, offendit Deum : tamen et secundum tropologiam interpretemur : dixeram enim de hæreticis hoc dici. *Viduam et advenam interfecerunt.* Vidua illa quæ Deum virum habere desivit, anima est peccatoris. Advena est qui non est habitator, hoc est, qui non habitat. Ille qui nuper crediderat, repente scandalizatus perit. *Et pupillos occiderunt, et dixerunt : non videbit Dominus.* Miramur si pupilli dicuntur, ubi vidua est? sicut enim vidua, anima peccatoris est : sic pu- D
pillus illos dicit, qui Patrem amiserunt habere Deum.

Et dixerunt. Quid dixerunt? *Non videbit Dominus : nec intelliget Deus Jacob.* Hoc dicit omnis qui opprimit sanctos. Illis hoc dicentibus videte Spiritus sanctus quid respondeat.

Intelligite qui insipientes estis in populo : et stulti aliquando sapite : Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Qui figulus est, ignorat vas suum? Qui alium facit audire, ergo ipse non audiet? Qui mihi dedit oculos, ergo ipse non videt? Qui auctor est intelligentiæ meæ, ipse non intelligit? [a] Iste locus adversus eos maxime facit, qui Antropomorphitæ sunt, qui dicunt Deum habere membra, quæ etiam nos habemus. Verbi causa : Dicatur Deus habere oculos : oculi Domini respiciunt omnia : manus Dei facit omnia. Et audivit, inquit, Adam sonum pedum Domini deambulantis in paradiso (*Gen.* iii). Hæc simpliciter audiunt, et humanas imbecillitates ad Dei magnificentiam referunt. Ego autem dico quod Deus totus oculus est : totus manus est : totus pes est. Totus oculus est : quia omnia videt. Totus manus est : quia omnia operatur. Totus pes est : quia ubique est. Ergo videte quid dicat : *Qui plantavit aurem, non audiet?* Non dixit : qui plantavit aurem, ergo ipse aurem non habet. Non dixit : ergo ipse oculos non habet. Sed quid dixit? *Qui plantavit aurem, non audiet? et qui finxit oculos, non considerat?* Membra tulit : efficientias dedit?

Qui corripit gentes, non arguet. Qui alios docet, ergo ipse non novit? *Qui docet hominem scientiam.* Subauditur, ergo ipse non habet scientiam?

Dominus scit cogitationes hominum : quoniam vanæ sunt. Legimus in poeta sæculari :

O curas hominum! o quantum est in rebus inane!

Et gentiles, et philosophi istum versiculum ad cœlum levant. Et quid dicunt? Nihil potuit prudentius dici : Ecce rusticanus noster Hebræus ante tanta sæcula hoc locutus est. Et quid dixit? *Dominus scit cogitationes hominum : quoniam vanæ sunt.* Vultis scire quoniam cogitationes hominum vanæ sunt? Pater et mater nutriunt filium : promittunt sibi de illo felicitatem ; mittunt ad studia, erudiunt : venit usque ad adolescentiam, disponunt ut etiam militet. Cum omnia cogitaverint per annos triginta, una febricula venit, et tollit omnes cogitationes. Inimicum habeo : et dies judicii est ad triginta dies, diebus et noctibus nihil aliud cogito, nisi quod illi respondeam. In lectulo meo sum, et cogitatio mea absenti respondet inimico. Non est tibi inimicus, et verba respondent inimico. Diebus et noctibus in cogitatione sum. Cum autem dies judicii venerit, omnia illa quæ cogitaveram, pereunt : et quodcumque Deus dixerit, hoc loquor. Propterea et Dominus in Evangelio ait : Quando stabitis ante judices, non cogitetis quid respondeatis : quia Dominus dabit vobis in illa hora quid respondeatis (*Luc.* xii). *Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt.* Una cogitatio felix est, cogitare de Domino.

[a] Tota hæc περικοπὴ ab his verbis : *Iste locus* usque in finem ex Hieronymo recitat S. Augustinus in Commonitorio ad Fortunatianum, seu Epist. 148, affirmatque ab eo scriptam, cum hunc *psalmum exponeret.* Ait enim : *Ne multa commemorando majores moras faciam, hoc unum S. Hieronymi interpono, ut noverit iste frater, etc..... Cum ergo ille vir in Scripturis doctissimus psalmum exponeret, ubi dictum est : Intelligite ergo qui insipientes estis in populo et, stulti aliquando sapite, qui plantavit aurem non audiet aut qui finxit oculum non considerat : inter cætera : Iste locus, inquit, adversus eos maxime facit,* etc. Vide quæ in præfixa huic operi admonitione hac de re diximus.

Beatus homo quem tu erudieris, Domine. Felix est qui Deo magistro utitur. *Et de lege tua docueris eum : ut mitiges ei a diebus malis.* Videte quid dicat : *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum* : hoc est, Scripturis tuis. Hoc autem quid prodest, ut doceatur ille de lege tua? *Ut mitiges ei a diebus malis.* Videtis igitur quoniam scientia, et exercitatio, et opera de Scripturis mitigat nobis dies malos? *Donec fodiatur peccatori fovea.* Quando te erudieris de lege Domini, unum tibi in duplex dividitur. Tibi enim dies mitigat malos; et peccatori fodit foveam.

Quis consurget mihi adversus malignantes : aut quis stabit mihi adversus eos qui operantur iniquitatem? Obscuri sunt psalmi, et semper personas mutant, et propterea obscuri sunt, et nimiæ difficultatis est scire in singulis versiculis quis loquatur. *Quis consurget mihi adversus malignantes : aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?* Hos versiculos Salvator loquitur : Ego sanctus sum, in cruce sublevatus sum : mortuus sum, resurrexi, et ad cœlos victor ascendi. Quis est putas de sanctis, qui mecum resurget? Ergo quod dicit, hoc est : Propterea resurrexi, ut et alii mecum resurgerent. *Quis resurget mihi?* Quando dicit *Quis*, cæteros provocat ad surgendum. Quomodo enim legimus in Isaia : Quem mittam ad populum istum, et quis ibit nobis (*Isai.* VI)? etc. Sicut Isaias ipse se offert : sic et Dominus provocat nos dicens : *Quis resurget mihi adversus malignantes?* Quicumque resurrexerit, mihi resurget : de meo exercitu est. *Adversus malignantes*, adversus diabolum, et exercitum ejus. *Aut quis stabit mecum?* Videte ordinem : Non dixit primum, quis stabit, et quis resurget : sed, *quis resurget et quis stabit.* Primum enim surgimus, deinde stamus. *Aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?* Quasi imperator stetit et dicat : Quis venit in exercitu meo?

Nisi quia Dominus adjuvit me, paulominus habitavit in inferno anima mea. Propterea, Domine, resurgo, quia tu fuisti ad inferos, et resurrexisti. Detenta fuisset anima mea apud inferos, si non tua anima de inferis resurrexisset.

Si dicebam : motus est pes meus. Considerans fragilitatem meam, et imbecillitatem humanam, non putabam pedem meum firmo stare gradu : ubicumque ponebam pedem, lapsum timebam. Rursum cogitabam nomen tuum, et firmo stabam pede.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo; consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Hoc ipsum et Apostolus loquitur : quoniam secundum labores, et miserias quas in isto sæculo patimur, habemus mercedem apud Deum in cœlis (I *Cor.* III). Magnitudo tribulationum, magnitudo præmiorum est. Quot patimur vulnera, tot meremur et coronas. Hoc est quod dicit : Quotiens egi pœnitentiam, totiens me consolatus es. Unam fudi lacrymam : unam merui consolationem. Decem fudi lacrymas : decem merui consolationes. Quantum-A cumque fuit pondus pœnitentiæ, tantus fuit et consolationum numerus.

Qui fingit laborem in præcepto. Nemo dormiens coronatur, nemo securus possidet regna cœlorum; nemo, referto ventre, potest digne de jejuniis disputare. Vides ergo quid dicat : *Qui fingit laborem in præcepto.* Omnia præcepta Domini laborem habent. Sine labore non possumus possidere regna cœlorum. Vultis scire quia ita est? Si vis, inquit, perfectus esse, vade, vende omnia quæ possides, et da pauperibus, et veni sequere me (*Matth.* XIX). Qui vult, inquit, consequi regna cœlorum, diebus et noctibus oret, vigilet, jejunet, jaceat in sacco, non in pluma, non in serico. Pœnitentia non amat B delicias. Quia cinerem, inquit, tamquam panem manducavi : et potum meum cum fletu miscebam (*Psal.* CI). *Qui fingit laborem in præcepto : captabunt in animam justi.* Videte quomodo non videtur esse consonans. Quæ enim est consequentia : *Qui fingit laborem in præcepto : captabunt in animam justi?* Sed quod auris carnea non intelligit, auris spiritualis intelliget. Quid ergo dicit? *Qui fingit laborem in præcepto.* Propterea, inquit, laboramus in præceptis Domini diebus ac noctibus, vigilamus, oramus jejunamus, quoniam multos habemus adversarios, qui captant animam justi. Videte quid dicat : justi captant animam; non injusti. Non enim volunt eos decipere qui decepti sunt, sed justos. Unde dicitur in Abacuc : Escæ ejus electæ (*Abac.* I). *Et sanguinem in-C nocentem condemnabunt.* Solent aliqui dicere : Ille qui occisus est, non occideretur, nisi fornicator esset, aut aliquod peccatum habuisset. Ruina illum non occupasset, nisi fuisset peccator. Naufragium illum non oppressisset, nisi peccator fuisset. Videte ergo quid dicat sancta Scriptura : *Et sanguinem innocentem condemnabunt.* Quamdiu in isto sæculo sumus, omnia in commune patimur. Justus et peccator æqualiter naufragantur : Æqualem habent carnem, et æquales conditiones carnis. Justus et peccator æqualiter pereunt. Similis exitus, sed diversa præmia justus et peccator habent. Alius ducitur ad gehennam : alius ducitur ad regna cœlorum. *Et sanguinem innocentem condemnabunt.* Sufficit tibi, o juste, conscientia tua. Et si condemnatus fueris, D sit sanguis tuus innocens, et clamabit ad Dominum.

Et factus est mihi Dominus in refugium. Locus iste contra Arianos facit. Quoniam enim contradicunt Domino Salvatori, quod factus dicitur : ecce nos dicimus : *Factus est mihi Dominus in refugium.* Nulli dubium, quin de Patre hoc interpretemur. Si autem de Patre dicitur : *Dominus factus est mihi in refugium*, hoc sensu intelligendum est : Dominus qui semper erat, mihi factus est in refugium. Sic et Salvator qui semper erat, mihi Salvator factus est.

PSALMUS XCIV.

Laus cantici ipsi David. Iste psalmus vocem conti-

A net prophetæ, cohortantis homines ad Deum de toto corde transire.

Venite, exsultemus Domino : jubilemus Deo salutari nostro. Intelligamus quia ipse est Dominus, et ipse morte sua contulit nobis salutem.

Præoccupemus faciem ejus in confessione. Priusquam nobis aversa facie irascatur, confiteamur peccata nostra. *Et in psalmis jubilemus ei.* Psallentes in cordibus nostris, Deo gratias agentes.

Quoniam Deus magnus Dominus. Nullus enim æquatur magnitudini, id est potentiæ ejus. *Et rex magnus super omnes Deos.* Ipse enim omnia regit.

Quoniam non repellet Dominus plebem suam; quam proprio cruore redemit.

Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ. Pugillo B enim id est, potestate, concludit omnem latitudinem terræ. *Et altitudines montium ipsius sunt.* Prædicationes apostolicæ, quas ipse inspirat.

Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud. Hæc et de sæculo intelligenda sunt, et de isto vero mari, ad confutationem eorum qui dicunt aquas a Deo non esse creatas. Nam et Salomon ex persona sapientiæ, qui est Christus, ait : Priusquam produceret fontes aquarum, ego eram (*Prov.* III). *Et siccam manus ejus formaverunt.* Sive arva, sive humana corpora.

Venite, adoremus, et procidamus et ploremus coram Domino qui fecit nos : quia ipse est Dominus Deus noster. Coram illo prosterni, et ipsi peccata cum fletu et lacrymis confiteri, iterum atque iterum propheta hortatur, quem sciunt esse Deum omnium sæculorum. *Et nos populus pascuæ ejus et oves manus ejus.* Cujus sanguine vel redimimur, vel alimur.

Hodie si vocem ejus audieritis, etc. Evidentissime hæc pandit Apostolus ad Hebræos : nec aliam interponere præsumimus expositionem. Qui ita ait : Quidam enim exacerbaverunt; sed non omnes, qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen (*Heb.* III). Quibus autem offensus fuit quadraginta annis? nempe illis qui peccaverunt : quorum et corpora prostrata sunt in deserto. Quibus autem juravit non introire in requiem, nisi illis qui increduli fuerunt? Et vidimus quia non potuerunt introire propter incredulitatem. Timeamus ergo : ne forte accepta pollicitatione introeundi in regnum ejus, existimetur aliquis ex nobis deesse. Etenim nobis nuntiatum est, quemadmodum et illis. Igitur exhibeamus nos sanctos, ut introire mereamur per crudelitatem in illam requiem, quam speramus accipere. Per Christum Dominum nostrum : cui est cum æterno Patre, et Spiritu sancto, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XCV.

Quando domus ædificabatur post captivitatem, canticum David. Iste psalmus hoc titulo prænotatur. Totum mysterium in titulo est. Totius vitæ nostræ sacramentum, et salus in titulo est. *Quando domus ædificabatur post captivitatem Canticum David.* Judæi locum istum sic intelligunt. Quando post Babyloniæ captivitatem, sub Ezra et Zorobabel et Jesu filio Josedec rursum ædificatum est templum, David in spiritu ante quingentos annos sciebat rursum ædificandum esse templum. Hoc illi dicunt. Si hoc ita est, o Judæe, ut interpretaris, quid sibi vult quod sequitur : *Cantate Domino canticum novum :* et deinde : *Annuntiate inter gentes gloriam ejus?* Quod est istud canticum novum : quæ sunt istæ gentes? Videtis ergo quoniam secundum litteram interficientem penitus stare non potest. Ergo mystice interpretandum est : quando domus ædificabatur post captivitatem. Multi de nobis capti sunt : multi ducti sunt in Babyloniam : multi jugum Nabuchodonosor suis portavere cervicibus : multi missi sunt in caminum ignis, et arserunt : multi templum perdiderunt, et in illis domus Dei subversa est. Infelix Judas quando apostolus erat, domus Dei erat. Venit diabolus, et accepit buccellam, et statim intravit Satanas in illum (*Joan.* XIII), et domus ejus subversa est, et non est instaurata : quia non egit pœnitentiam. Si quis vero post peccatum agit pœnitentiam; istius domus post captivitatem reædificatur. Oremus ergo et nos Dominum, primum quidem, ut non subvertatur domus nostra, ne veniat Chaldæus et Assyrius, et templum Christi in nobis subvertat. Si autem subversum fuerit quasi naufragio, secundo solatio per tabulam possumus salvari. *Quando domus ædificabatur post captivitatem.* Quotidie domus ista Christi in pœnitentibus instruitur. Denique non dixit : quando domus ædificata est : ne tantum videretur fuisse præteritum; sed, *ædificabatur*, ut quotidie hoc fieri demonstret. Hoc interim diximus de anima nostra. Cæterum possumus et aliter dicere : quando Ecclesia Christi instruebatur post ruinam. Videamus ergo post istum titulum quid sequatur.

Cantate Domino canticum novum. Felix pœnitentia : licet rueris, tamen si egeris pœnitentiam nova domus C Dei diceris. *Cantate Domino canticum novum.* Nova domus, novum meretur canticum. *Cantate Domino canticum novum.* Cui cantate? *Cantate Domino, omnis terra.* Si de templo Jerosolymæ dicitur, o Judæe, quomodo omnis terra provocatur ad laudem? *Cantate Domino, omnis terra.* Iste locus et Judæum vincit, et Novatianum. *Cantate Domino, omnis terra.* Non Jerusalem, sed omnis mundus. Hic Judæus occiditur. *Cantate Domino, omnis terra.* Novatianus occiditur. Quomodo? Dicit enim Novatianus : Sunt aliqua peccata, pro quibus debemus agere pœnitentiam. Ac si dicat : De mendacio, de perjurio, de furto. Cæterum qui fornicatus fuerit, qui homicidium fecerit : iste agere non potest pœnitentiam. Audi quid dicat : *Cantate Domino, omnis terra.* Omnis autem terra, et adultera D est, et homicida, et omnia peccata terrena sunt. Si autem universa peccata terrena sunt : qualiacumque peccata habueris, age pœnitentiam et salvus eris.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus. Nomen Domini Salvator est, ex eo quod in nobis factus est. *Cantate Domino. Annuntiate de die in diem salutare ejus.* Quid vult dicere : *Annuntiate de die in diem salutare ejus?* Qui simplex est : sic intelligit : Omnibus diebus laudate Dominum, hoc est, diei succedat dies, hoc est, laudasti hodie, lauda et crastino. Videtur quidem sensus esse simplex : sed mihi videtur aliquid sacramenti latere. *Annuntiate de die in diem salutare ejus.* Non potest laudari Salvator, nisi in die. Debuerat enim dicere : Laudate Dominum die ac nocte,

si de ista die diceretur. Debemus enim dicere hoc, A si secundum litteram intelligimus. Si ergo in die laudamus Dominum iterum in nocte laudare non possumus? Videte ergo quid dicat : Quandocumque laudatis Dominum, semper illum in luce laudate : non in tenebris peccatorum, sed in luce virtutum. Semper in anima tua sol Christi oriatur : ut semper in te nascatur lumen novum. *Annuntiate de die in diem salutare ejus.* Dicamus et aliter : Duo sunt dies, non tres, non quatuor, non quinque. Duo sunt dies, vetus Testamentum, et novum. Et in illo Christus lucet, et in isto Christus lucet. Nolite eum tantum laudari in veteri Testamento, ne sitis Judæi : nolite eum tantum laudare in novo Testamento, ne sitis Manichæi. Laudate illum de die in diem, hoc est, in veteri et in novo Testamento : quæ duo dies unam B lucem faciunt. Propterea scribitur et in Levitico : Omne autem animal quod findit ungulam et ruminat, mundum est (*Levit.* XI). Hoc est, si duas ungulas habet, et ruminat, mundum est. Si ergo unam habet ungulam, non est mundum. Judæus habet unam ungulam, et propterea immundus est. Manichæus unam habet ungulam, et propterea immundus est. Et quia unam habet ungulam, non ruminat cibos suos : nec id quod semel in ventrem miserit, rursum educit ad guttur, et ruminat illud, et tenue facit : ut quod grossum fuerat, rursum tenue mittatur in ventrem : hoc quidem pertinet ad sacramenta divina dicere. Omne animal quod findit ungulam, ruminat, mundum est. Judæus unam ungulam habet : in unum enim tantum credit Testamentum, et non ruminat. Legit C enim tantummodo litteram, et nihil considerat : nihil quærit intrinsecus. Ecclesiasticus vero ungulas findit et ruminat, hoc est, in utrumque credit Testamentum, et in utroque Testamento sæpe requirit. Et quodcumque latet in littera, in spiritu profert. Hoc totum quare dixi? Quia scriptum est : *Annuntiate de die in diem salutare ejus.* Propterea et apostoli bini mittuntur : propterea non habemus unum oculum, sed duos. Propterea duas habemus aures, propterea duas nares, propterea duo labia, propterea duas manus, duos pedes. Nihil in nobis unum habemus, nisi quod turpe est. Et corporis nostri membra duorum Testamentorum sacramenta testantur.

Afferte Domino, patriæ gentium : afferte Domino gloriam et honorem. Si de templo Jerosolymæ dicitur; quid sibi nunc vult, *afferte Domino patriæ gentium : afferte Domino gloriam et honorem?* Gentium multitudo, vocatio gentium, et Ecclesiæ congregatio est. *Afferte Domino gloriam et honorem.* Quando honoramus Dominum in corpore nostro, gloriatur Dominus in nobis. *Afferte Domino gloriam nomini ejus.* Gloria servi, gloria Domini est. Qui vos recipit, me recipit (*Matt.* X). Felix servus, propter quem Dominus gloriatur.

Tollite hostias, et introite in atria ejus. Hostiam sanctam, vivam, placentem Deo (*Rom.* XII, *et Philip.* IV). Tollite hostias. Vos ipsi afferte hostias. Quas hostias? Vos ipsi estote hostiæ. Virginitas, holocaustum Christi est. Universa castitas, sive in virginitate, sive in viduitate, sive in continentia, hostia Christi est. Rem novam loquor, hostia castitatis ipsa se portat. *Tollite hostias, et introite in atria ejus. Adorate Dominum in atrio sancto ejus.* Video plura atria : video unum atrium. *Tollite hostias, et introite in atria ejus.* Ecce plura atria. Rursum : *Adorate Dominum in atrio sancto ejus :* ecce unum atrium. Videte ergo quoniam non potest de uno atrio veniri ad plura atria : sed de plurimis atriis venitur ad unum atrium. Vultis scire hoc ipsum mysterium? Ecce in alio loco negotiator ille qui habebat plurimas margaritas : vendidit plures, ut emeret unam (*Matt.* XIII). Et in Michæa dicitur : State, inquit, in viis Domini, et inquirite, inquit, viam Domini (*Mich.* IV). Nisi steterimus in viis plurimis, unam viam invenire non possumus. Quæ sunt istæ margaritæ plures? Quæ sunt viæ plures? Quæ sunt ista atria plura : ut inveniamus unam margaritam, et unam viam, et unum atrium? Abraham, Isaac, et Jacob, Moyses, Jesu Nave, Isaac, Jeremias, Ezechiel, duodecim Prophetæ, David, Salomon fuerunt atria, hoc est, atria nostra sunt. Primum in illa intramus, de illis atriis postea venimus ad atrium Evangelii, ubi invenitur Christus.

Commoveantur a facie ejus universa terra. Videte quid dicat : Cœlum non movetur a facie Dei : sed quicumque terrenus est, ille respicit Dominum : et commovetur, et tremiscit. *Dicite in gentibus quia Dominus regnavit.* Nisi terra commota fuerit, et a suo terreno opere recesserit, Dominus non regnabit in gentibus.

Etenim correxit orbem terræ qui non commovebitur. Numquam corrigitur, nisi quod ante rectum fuit, et postea depravatum est. Sic igitur et nos, et omne humanum genus naturaliter intelligit Deum. Nullæ enim gentes sunt, quæ naturaliter non intelligant Creatorem suum. Licet enim lapides, et ligna venerentur : tamen intelligunt aliquid majus esse quam ipsi sunt, et in errore suo indicant se habere sapientiam, hoc est, nulla gens est quæ naturaliter non intelligat Deum. Denique gentiles idola colunt : hoc est, lapides et ligna venerantur : et si forte rixam fecerint, et si juramentum aliquod inter illos venerit, non dicunt lapides isti vident, ligna vident : sed Deus videt, et Deus audit. Videte ergo quid dicat : D *Etenim correxit orbem terræ qui non commovebitur.* Ideo venit Christus, et correxit genus humanum, quod ante fuerat depravatum, ut in æternum non moveatur. Crux enim ipsius columna est generis humani. In ipsa columna ædificata est domus ejus. Ego crucem dico, non lignum, sed passionem. Cæterum crux ista et in Britannia est, et in India est, et in universo orbe terrarum. Denique quid dicit et Dominus in Evangelio? Nisi tuleritis crucem meam, et quotidie secuti fueritis me (*Luc.* IX). Videte quid dicat : Nisi anima vestra ita ad crucem fuerit præparata, sicut mea fuit pro vobis, mei discipuli esse non potestis. Felix qui crucem, et resurrectionem, et locum nativitatis Christi, et locum ascensionis portat

in pectore suo. Felix est qui Bethlehem habet in corde suo : in cujus corde Christus quotidie nascitur. Denique quid dicitur Bethlehem? Domus panis. Simus et nos domus panis ejus, qui de cœlo descendit. Quotidie nobis Christus crucifigitur : nos mundo crucifigimur : et Christus in nobis crucifigitur. Felix est, in cujus corde quotidie Christus resurgit : si quotidie pro peccatis suis, etiam levibus, agit pœnitentiam. Felix est qui de monte Oliveti ascendit ad regna cœlorum : ubi sunt olivæ Domini uberes, ubi lumen Christi nascitur : ubi sunt oliveta Domini. Ego enim quasi oliva uberis in domo Domini. Accendamus ergo et nos lucernam nostram de ista oliva, et statim cum Christo ibimus ad regna cœlorum. *Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur*, qui prius pro peccatis tortuosus erat. *Judicabit populos in æquitate.* De futuro hoc judicio dixit : in quo iterato adveniet judicare de vivis et mortuis.

Lætentur cœli. Apostoli, vel reliqui sancti. *Exsultet terra.* Corpora scilicet cœlestia. *Moveatur mare, et plenitudo ejus : orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.* Sæculum utique ut in melius commutetur. *Gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.* Animæ sanctæ, et præsertim virgines, quæ diversis florum suavitatibus pollent.

Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini. Quia non sunt obnoxia combustioni. *Quoniam venit.* Primo adventu ad redimendum. *Quoniam venit judicare terram.* Iterato ad judicandum.

Judicabit orbem terrarum in æquitate, et populos in veritate sua: ut peccatores subdat pœnis : justos præmiis muneret æternis. Qui nobis timorem nominis sui tribuens, præstare dignetur ut in illo tremendo judicii tempore non collocemur in sinistro numero : qui nos redemptos ejus sanguine confitemur ipsi gloria cum æterno Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XCVI.

Psalmus ipsi David quando terra ejus restituta est ei. Legimus in Regum et Paralipomenon libris, quoniam David bellicosus vir fuit, et universas gentes in circuitu subjecerit, et in suam redegerit potestatem. Hoc interim secundum litteram intelligamus hoc modo : Psalmus David quem cecinit Domino : quando victis adversariis reddidit terræ suæ, hoc est, Judææ pacem. Hoc secundum historiam. Cæterum si David interpretatur *fortis manu :* fortis autem manu nemo est, nisi ille qui vicit omnes gentes, noster David, ad quem clamabant dæmones : Quid venisti torquere nos ante tempus, fili David (*Matt* VIII)? Iste psalmus ab eo compositus est, quando restituta est terra. Et egregie dixit quidam : quoniam terra ista quæ restituitur, corpora nostra sunt. Vere enim eo tempore debemus cantare Domino, quando terra nostra composita est. Dicamus autem nos et aliter : Non enim nocet, si eamdem rem duobus, et tribus modis intelligamus. Scriptum est enim in Salomone : Assumes, inquit, ea in tabula cordis tui tripliciter (*Prov.* III *et* VII). Non nocet diversum aliquid dicere, cum uno spiritu dicitur : Quando terra ejus constituta est. Terra ista antequam David noster omnes vinceret, non habebat pacem; sed ubique erat discordia. Alia gens colebat Jovem, alia Mercurium, alia Junonem, et omnes gentes diversa idola habebant. Vexillum crucis elevatum est, et omnis terra constituta est.

Dominus regnavit, exsultet terra. Universa terra, et omnis orbis, qui dæmonibus et idolis fuerat ante subjectus, Deo nostro regnante lætetur. *Dominus regnavit. Dominus*, Creator qui nos fecit, ipse regnavit. O vos qui ante subjecti eratis sub dominio diaboli, nunc subjecti estis sub Domino creatore. *Lætentur insulæ multæ.* Bene dixit de animabus nostris: quæ variis cogitationibus, quasi variis hinc inde tunduntur fluctibus. Nos autem dicamus, et insulas Ecclesias. Denique dicitur, et in alio loco : Convertentur ad me insulæ multæ. Vultis scire quoniam insulæ dicantur Ecclesiæ? Dictum est in propheta ex persona Domini : Loquere, inquit, habitatoribus insulæ hujus. *Lætentur insulæ multæ.* Quomodo enim insulæ in medio mari positæ sunt : sic et Ecclesiæ quasi in medio mari sæculi istius positæ sunt : et ita persecutionibus, quasi diversis tunduntur fluctibus. Verum istæ insulæ tunduntur quotidie, sed non subruuntur. In mari quidem sunt, sed habent fundamentum Christum qui moveri non potest.

Nubes et caligo in circuitu ejus. Ego puto nubem istam esse, de qua dicitur in Evangelio : Et operuit, inquit, eos nubes lucida (*Matt.* VII). Eo tempore quando transformatus est Dominus, et apostoli ceciderunt, operuit eos nubes lucida. Ego puto istas esse nubes, quibus mandavit Dominus ne pluant super Israel imbrem (*Isai.* V). Ego puto istas esse nubes, de quibus in alio loco dicitur : Veritas tua usque ad nubes (*Ps.* XXXV). Veritas Domini illa, quæ dicit in Evangelium : Ego sum via, veritas et vita. (*Joan.* XIV). Veritas Dei, Christus est. Veritas Domini usque ad nubes. Nubes apostoli sunt et prophetæ : istis mandatum est, ne pluant super Israel imbrem. Ex quo enim, secundum historiam, quod scriptum est in libro Judicum, vellus illud siccatum est (*Judic.* VI): pluvia in universo orbe discurrit. Quod dicitur, hoc est, Israel siccatus est, et pluvia super omnem orbem discurrit. *Nubes et caligo in circuitu ejus.* Dominus venit in Ægyptum super nubem levem (*Isai.* XIX). Videte quid dicat. Dominus venit : Dominus atque Salvator in Ægyptum istam in qua nos sumus : In locum tenebrarum ubi Pharao est, Dominus venit. Non venit, nisi in nube levi. Nubes ista levis, quæ est? Videtur mihi sancta Maria nullo humano semine prægravata. Ista nubes levis venit in mundum, et secum portat mundi creatorem. Et quid dicitur ibi in Isaia? Dominus venit in Ægyptum super nubem levem : et confringentur idola Ægypti. Venit Dominus, et idola Ægypti commota sunt, et concussa, atque destructa. Nubes ista destruxit Serapim in Alexandria : non imperator homo mortalis; sed nubes ista quæ venit in Ægyptum, *Nubes et caligo in circuitu ejus :* Diximus de nube : dicamus de caligine. Dominus in caligine est. Dominus aut in lumine est, aut in caligine. In lumine incipientibus est. Incipientibus enim simpliciter loquitur : qui

vero perfecti sunt, illis mystice loquitur. Denique apostolis non loquebatur quasi turbis, sed intrinsecus loquebatur : et quid dicit? Qui habet aures audiendi, audiat. Ergo hoc quod dicit? *et caligo in circuitu ejus.* Hoc est, et mysteria in circuitu ejus : Propterea dicitur et in Exodo : Et omnis, inquit, populus stabat deorsum : Moyses autem solus ingressus est in montem Sina in caligine (*Exod.* XIX). Non enim poterat omnis populus Dei scire mysteria, quæ solus poterat nosse Moyses. Dicitur de Deo : Posuit tenebras latibulum suum (*Ps.* XVII). *Justitia et judicium correctio sedis ejus.* Quid vult dicere, *correctio sedis ejus?* Debuit dicere stabilitas sedis ejus. Quando ergo dicitur, *correctio sedis ejus*, ostenditur quodcumque corrigitur, pravum fuisse antequam corrigeretur. Judicium ergo Dei antequam veniat ad judicandum, quasi pravum videtur. Nunc videtur injustum, et pravum esse judicium. Quando enim iniqui homines ditantur, et sancti pauperes sunt : nonne videtur judicium Dei esse pravum? Quando autem venerit ad judicandum, ut reddat unicuique secundum opera sua, eo tempore quasi corrigetur sedes ejus. Denique vultis scire quia de die judicii dicitur?

Ignis ante ipsum præcedet : Ignem istum qui sanctus est, timeat : qui peccator est, timeat. Ignis iste sanctos purgat : peccatores consumit. *Ignis ante ipsum præcedet.* Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem ardentem (*Ps.* CIII). Ego puto istos esse ignes, hoc est, angelos ejus. Isti ergo angeli, hoc est, ignis ejus, præcedent ante eum. Iste ignis quos consumit? Quicumque est lignum, fenum, stipula. Qui autem aurum, argentum est, et lapides pretiosi, mittitur quidem in ignem, sed mundior invenitur.

Alluxerunt fulgura ejus orbi terræ, vidit et commota est terra. Dicunt philosophi, quod fulgura ex nubium collisione generentur. Nisi enim prius sonitus auditus fuerit, fulgura non prospiciuntur. Hoc dicitur et de lapide ignario : qui, nisi collisus fuerit, medius ignis non egreditur. Hoc dicimus secundum historiam, et parvuli adhuc loquimur. Diximus ergo naturam rerum : ut ex natura rerum spirituale aliquid proferamus. Lapis qui vulgo vocatur ignarius, si solus est, ignem non potest mittere : sin autem cum alio lapide collisus fuerit, medius ignis excutitur. Fac mihi esse nubem Jeremiam, Isaiam, Eliam : nubem autem, et Paulum et Petrum, et cæteros apostolos. Istæ ergo nubes quando collisæ fuerint inter se, emittunt medium ignem, et lucet orbi terræ. *Alluxerunt fulgura ejus orbi terræ ; vidit et commota est terra.* Apostolorum fulgura alluxerunt in toto orbe terrarum. *Commota est.* Illi loquebantur, et tonitruum vocis eorum universus mundus audiebat. Duo habebant pariter et grandem vocem, et splendida fulgura. Hæc fulgura credentes illuminabant : non credentes comburebant.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini. Mihi videntur isti montes esse dæmonum potestates. Sive certe montes, superbi quique homines. Ignis iste

A non consumit humiles, sed quicumque montuosi sunt: Denique quando fulgur emittitur, difficile illos percutit, qui in valle sunt; sed semper illos qui in monte sunt.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus. Isti sunt cœli, de quibus, et in octavo decimo psalmo dicitur : cœli enarrant gloriam Dei. Cœli annuntiant justitiam ejus : terra non annuntiat. Quicumque cœlum est, non timet justum Deum. Quicumque de cœlis est, non timet ejus annuntiare justitiam. Quicumque sanctus est et cœlum est, iste justum Deum non timet. Peccator autem misericordem quærit Deum.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus : evangelistæ scilicet. *Et viderunt omnes populi gloriam ejus.* Quia etiam, quibus non est annuntiatum de eo, intellexerunt Deum in carne venisse.

B *Confundantur omnes qui adorant sculptilia. qui gloriantur in simulacris suis.* Ut dum in spe vana confunduntur, ad illam veram valeant pervenire

Adorate eum omnes angeli ejus. Annuntiatores regni illius. *Audivit et lætata est Sion.* Ecclesia quæ gloriam ejus speculabatur.

Et exsultaverunt filiæ Judæ. Animæ confessorum. *Propter judicia tua, Domine.* Quia custodierunt ea.

Quoniam tu Dominus Altissimus super omnem terram : nimis supcrexaltatus es super omnes deos. Et non solum super deos, sed etiam super cœlos cœlorum.

Qui diligitis Dominum, qui solus est bonus; *odite*

C *malum*, diabolum. *Custodit Dominus animas sanctorum suorum : de manu peccatoris liberabit eas.* Ne eis aliquid noceat.

Lux orta est justo. Christus refulget in corde ejus. *Et rectis corde lætitia.* Quia quem exspectabant, cernere meruerunt.

Lætamini justi in Domino, et confitemini memoriæ sanctitatis ejus. Qui eum in recti cordis lumine contemplamini, jugiter collaudate, vel sanctitatem ejus : quia vestrum memor fuit, ut sanctificaret : vel pietatem, qua vos in regno suo ascivit. Qui nobis præstare dignetur, ut, ejus lumine nostris cordibus oriente, mereamur ab eo de præsentibus erui : cujus sumus baptismo a noxiis originalibus liberati. Ipsi gloria cum æterno Patre et Spiritu sancto in sæcula

D sæculorum. Amen.

PSALMUS XCVII.

Psalmus David. Iste psalmus vocem prophetæ continens, potentiam narrat Dominici nominis ac virtutis.

Cantate Domino canticum novum. Canticum novum, est Dei Filius crucifixus, quod numquam auditum fuerat. Nova res, novum habet canticum. *Cantate Domino canticum novum.* Homo quidem est, qui passus est : sed vos cantate Domino. Passus est quidem quasi homo, sed salvavit quasi Deus. *Cantate Domino canticum novum. Canticum novum*, mereatur nomen novum. Propterea dicitur et alibi : Et vocabitur, inquit, nomen novum (*Isai.* LXII). Novum nomen, novum meretur canticum. Et in Apocalypsi dicitur :

Qui vicerit, inquit, dabo ei calculum, et nomen novum scribam super eum (*Apoc.* III). Nomen novum Christianorum est. *Cantate Domino.* Quare? Quid enim fecit? Quare enim novum mereatur canticum? *Quia mirabilia fecit.* Signa fecit in Judæis : paralyticos sanavit : leprosos purgavit : mortuos suscitavit. Hoc et alii fecerunt prophetæ. Vertit panes paucos in plures, et pavit infinitum populum. Hoc fecit et Eliseus. Quid ergo fecit novi, ut mereatur novum canticum? Vultis scire quid novum fecerit Deus? Quasi homo mortuus est, ut homines viverent. Filius Dei crucifixus est, ut nos levaret ad cœlum. *Quoniam mirabilia fecit.* Vultis scire quoniam mirabilia fecit? Filius viduæ jacebat in cœnaculo : venit Eliseus et contraxit se, et os ad os posuit, et manus ad manus, et pedes ad pedes (IV *Reg.* IV). Si enim expandisset se, non reversus esset filius viduæ. Ideo se contraxit, ut vivificaret. Cum esset in forma Dei : ideo accepit formam hominis (*Philip.* II) : ideo se contraxit, ut nos faceret altiores.

Salvavit sibi dextera ejus. Quod dicit, hoc est : Salvavit homines, non alienum, sed suum opus, hoc est, quod fecerit sibi, sibi ipse salvavit. Fecerat hominem in salutem, qui vitio suo perierat. Iste mortuus est, ut salvaret sibi hominem dextera sua. Dextera hic pro virtute ponitur, et brachium pro robore. *Et brachium sanctum ejus.* Licet et brachium, et dextera Christus dicatur : Dextera Domini fecit virtutem, et brachium Domini cui revelatum est (*Psal.* CXVII), tamen hic de Christo dicitur.

Notum fecit Dominus salutare suum. Non dixit, ostendit, sed, *notum fecit.* Quod dicit, hoc est : quod ante noverant Deum, et suo vitio obliti sunt. Ergo Deus veniens, sua gratia hoc quod perdiderant, manifestavit eis. Ergo hoc dicit : Ille quem noverat Adam, quem noverat Seth (*Gen.* IV) : quem noverat Enoch : qui invocavit Dominum, et speravit in eum : et noverat Noe : et postea oblitus fuerat humanum genus, venit iterum in mundum, ut homines qui postea obliti fuerant, iterum cognoscerent. *Notum fecit Dominus salutare suum.* In Hebraico legitur : *Notum fecit Dominus Jesum suum.* Ubicumque enim Salvator dicitur, in Hebraico Jesus ponitur. *In conspectu gentium revelavit justitiam suam.* Nequaquam in sola Judæa, sed, *in conspectu gentium.* Justum enim erat, ut Salvator salvaret creaturam suam. Revelavit justitiam suam, quæ incredulitate hominum fuerat obscurata.

Recordatus est misericordiæ suæ. Conclusit omnia sub peccato, ut omnibus misereatur (*Rom.* XI). *Et veritatis suæ domui Israel.* Misericordiæ recordatur : veritatem implet. *Recordatus est misericordiæ suæ*, hoc est, in gentium populo. Et veritatem suam domui Israel. Hoc opere complens, quod patriarchis promiserat.

Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Non solus Israel vidit et Juda, sed, *omnes fines* : simulque secundum mysticum intellectum, *fines terræ.* Quamdiu in medio terræ sumus, Deum videre non possumus. Quando ergo quasi relinquimus terram, et in summitate sumus, tunc meremur videre Deum. Vultis scire quomodo fines terræ videant Deum? Legimus in Ezechiel : Et rotæ, inquit, illæ quæ volvuntur, dicebatur eis, *Gelgel*, quod dicitur *revolutio* (*Ezech.* I). *Gel* enim *volutio* : *Gelgel, revolutio.* Rotæ ergo illæ audiunt, revolutio. Quoniam rota quasi parvo quodam spatio terram tangit, et tota festinat ad cœlum. Ideo dicitur et in alio loco : Sancti lapides volvuntur super terram (*Zach.* IX). Et quid dicitur in Ezechiele? Quocumque, inquit, ibat spiritus, illuc sequebantur et rotæ. Et nos sequamur Spiritum sanctum, ut dicamur rotæ. Et quid dicitur ibi? Et non, inquit, ibant retrorsum, sed semper ibant ante se. Simulque considerate quid dicat : Non, inquit, revertebantur, sed semper ante se ibant. Præteritorum enim obliviscebantur, et ad priora se extendebant (*Philip.* III). Et plena erant, inquit, oculis. Omnia enim rotarum istarum plena erant lumine Dei. Non est istius temporis, ut de rotis, et de Cherubim, et de animalibus Ezechiel disputemus.

Jubilate Deo, omnis terra. Non solum Judæa, sed, *omnis terra, jubilate Domino.* Signa mittite victoris exercitus. *Cantate, et exsultate, et psallite. Cantate*, cogitatione : *psallite*, verbo, hoc est, omnibus membris vestris. Psallat manus in eleemosyna : psallat pes vadens in opere bono.

Psallite Domino in cithara. Omnes cordæ vestræ vocales sint. Non potest esse cithara, si una corda defuerit. Quid tibi prodest si sis castus, si sis largus in eleemosyna, et invidiosus sis? Quid tibi prodest, si sex cordas integras habueris, et unam ruptam? Si una corda defuerit, perfectus citharæ sonus esse non poterit. *In tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.* Legimus in Numerorum libro, duo genera esse tubarum : unum genus esse tubarum ductile ex argento; aliud esse genus tubarum cornearum (*Num.* X). Ergo hic utrumque dicitur : *In tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.* Quod dicitur, hoc est? Tuba ductilis ex argento, sermo Dei est, et eloquia Domini, eloquia casta : argentum igne examinatum, purgatum septuplum (*Ps.* XI *et* XIV). Rursum, *in voce tubæ corneæ*, hic regnans inducitur vir Dei. In Scripturis proprie cornu pro regno dicitur, et pro potentia : sicut ibi scriptum est : Erexit cornu salutis nobis (*Luc.* I). Et in alio loco scriptum est : In te inimicos nostros ventilabimus cornu (*Ps.* XLIII). Ergo videte hic quid dicat : Duas habetote tubas, et argenteam, et corneam. Argenteam, ut habeatis sermonem : corneam, ut habeatis virtutem. Vultis scire quoniam cornu semper in bonam partem ponitur. Legimus in Levitico : Nullum : animal offeratur, nisi quodcumque cornutum est. Tria genera animalium offeruntur : bos, qui cornu habet, et aries, qui cornu habet, et hircus, qui cornu habet. Sine causa putas dicitur, ut nullum offeratur animal, nisi quod cornutum est? Et nos ergo quamdiu habemus cornu, meremur victima esse Dei. Si autem cornu nostrum fuerit excussum, quasi debiles sumus, et inter sacerdotes Dei venire

non possumus. *Moveatur mare et plenitudo ejus. Moveatur mare*, et amaræ aquæ mutentur in dulces. Denique et Mara mutata est et facta est in dulcem saporem (*Exod.* XV). Aquam illam amaram non fecit aliud dulcem, nisi lignum crucis, quod missum erat in eam. Mihi videtur amarum mare, lex esse Moysi. Hoc est quod dicitur mara, hoc est, amara. Hæc amara aqua legis veteris, accepit lignum crucis, et effecta est dulcis.

Flumina plaudent manu simul. Interrogemus Judæos, qui secundum litteram intelligunt : flumina ventrem habent : flumina voces habent : flumina pedes habent : flumina manus habent. Dicat aliquis : Non est scriptum de ventre, de pedibus. Sed dico tibi : ex uno membro intelligimus et cætera. Non enim possumus intelligere manus sine pedibus, sine B ventre, sine membris cæteris. *Flumina plaudent manu simul.* Flumina quæ biberunt de fonte Jesu. Me, inquit, dereliquerunt fontem aquæ vivæ (*Jerem.* II). Flumina ipsa de fonte Christi currunt. Ille fons est; nos flumina sumus : si tamen meremur esse flumina. Christus, fons est : sancti, flumina sunt. Qui autem inferiores sunt, rivuli sunt. Alii vero torrentes sunt. Qui sunt torrentes? Qui ad horam habent aquas, et, tentatione veniente, siccantur. *Flumina plaudent manu simul.* Non est unum flumen, plura sunt flumina. Quot sancti sunt, tot et flumina sunt. Sed ista flumina non habent inter se dissensionem. Quoniam sunt flumina Christi, propterea habent inter se concordiam. *Flumina plaudent manu simul. Plaudent*, quia opera sanctorum, laus Dei est. Chris- C tus non voce laudatur, sed opere. Non audit vocem, sed opera. *Flumina plaudent manu simul.* Propterea dicit et ipse in Evangelio : Qui sitit, veniat et bibat, et fluent, inquit, flumina de ventre ejus (*Joan.* VII). *Montes exsultabunt in conspectu Domini.* Quid simile flumina et montes? Sed quoniam de perfectis sanctis dicit, non dixit, rivuli plaudent manu simul : sed, *flumina plaudent manu simul.* Videte ordinem : *Moveatur mare*, et totus orbis. *Flumina plaudent manu simul.* Montes nihilominus, qui ad summam justitiam pervenerunt. Dicam et aliter : *Moveatur mare*, quod ante fuerat immotum, moveatur in adventu Christi. *Moveatur mare*, jam diximus, hoc est, lex Moysi. *Flumina plaudent manu simul*, hoc est, prophetæ. *Montes exsultabunt a conspectu Domini*, hoc est, apo- D stoli, *Quoniam venit judicare terram.* Nequaquam venit humilis tantum in carne, sed gloriosus venit in majestate sua. *Quoniam venit judicare terram.* Non dixit, perdere : sed, *judicare. Venit judicare*, ut zizaniam separet a frumento (*Matth.* XV). *Venit*, ut pisciculos malos separet a bonis.

Judicabit orbem terrarum in justitia, et populos in æquitate. Justitia ponitur et æquitas. Primum justitia ponitur, et postea æquitas, εὐθύτης proprie dicitur, quæ pravum rectum facit. Venit ergo judicare in sua justitia, ut quod pravum est, in illo rectum fiat. Cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XCVIII.

Psalmus David. Iste psalmus vocem continet prophetæ sacerdotis Domini, commonentis ad Dei omnipotentis gratiam referendam.

Dominus regnavit, irascantur populi. Tres psalmi idem habent principium : nonagesimus secundus, et nonagesimus sextus, et nonagesimus octavus. Sed cum idem habeant principium in versiculo, in fine diversi sunt. Quando enim dicitur in nonagesimo secundo : *Dominus regnavit, decorem indutus est;* in nonagesimo vero sexto : *Dominus regnavit, exsultet terra;* in nonagesimo autem octavo : *Dominus regnavit, irascantur populi :* videtur quasi ordo sibi esse contrarius. Debuit enim primum dicere : *Dominus regnavit, irascantur populi;* et postea dicere : Dominus regnavit, exsultet terra; et in ultimo : Dominus regnavit, decorem indutus est. Verum diversus ordo dat nobis aliquam intelligentiæ suspicionem. Dominus regnavit, decorem indutus est. Dominus regnavit, et indutus est patriarchis, et prophetis, et populo credenti. Decorem indutus est, quia patriarchæ et prophetæ, quasi Christi vestimentum fuerunt. Illud est perizoma, quod in Jeremia scribitur : illud est perizoma, quod habuit, circa lumbos suos, Jeremias. Vultis scire quoniam sancti quasi perizoma, vestimentum Dei sunt (*Jerem.* XIII, 11)? Propterea ipse Deus loquitur ad Jeremiam : Sicut tu, inquit, posuisti lumbare istud ad lumbos tuos : ita et ego applicavi populum meum ad me. Quomodo ergo vestimentum circa hominem : sic populus circa Deum. Verum quia hoc perizoma, verum quia hic decor, quo Dominus fuerat indutus, trans Euphraten expositus est in foramine petræ, et ibi computruit, et ab Assyriis ductus est in captivitatem : Dominus quid facit? Non est nudus, non potest esse sine lumbari, et non potest esse sine veste; priore populo perdito, facit sibi vestem de populo gentilium. Et quid dicitur : Dominus regnavit, exsultet terra. Exsultet terra universa, hoc est, credentium populus. Denique, vultis scire quoniam secundum lumbare de gentium populo dicitur? Dominus, inquit, regnavit, exsultet terra : lætentur insulæ multæ. Non una insula Judæa, sed insulæ multæ, hoc est, totus mundus. Dicat mihi aliquis : Da mihi exemplum de Scripturis, ubi Judæa sola insula dicta sit. Omne quod loquimur, debemus affirmare de Scripturis sanctis : In ore enim duorum et trium testium stabit omne verbum (*Deut.* XVII, 6). Non habet tantam auctoritatem sermo dicentis, quantum Domini præceptum. Legimus in propheta Ezechiel : Et tu, inquit, fili hominis, loquere ad habitatores insulæ hujus (*Ezech.* XXVII), hoc est, Judææ. Quoniam ergo una insula dimissa est, nunc dicitur : Lætentur insulæ multæ. Ergo lumbare dicitur in priori populo : Dominus regnavit, decorem indutus est. In secundo populo de gentibus congregato : Dominus regnavit, exsultet terra; lætentur insulæ multæ. Nunc in tertio dicitur : *Dominus regnavit, irascantur populi.* Sive de Gentibus, sive de Judæis sunt : quicumque non credunt : irascantur,

Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania (*Psal.* II)? *Dominus regnavit, irascantur populi.* Dominus passus est : Dominus crucifixus est : Dominus mortuus est : Dominus resurrexit : Dominus ad cœlum victor ascendit. *Dominus regnavit, irascantur populi.* Qui sunt isti populi? Dicamus exemplum de Evangelio : Quidam paterfamilias ivit accipere sibi regnum de longe (*Luc.* XIX). Quid longius, quam cœlum a terra? Dereliquit terram : ivit ad cœlos, ut acciperet sibi regnum. Et cives, inquit, illi qui oderant eum, miserunt legationem, dicentes : Nolumus eum regnare super nos. Verum ille accepit regnum, et venit ad cives pessimos. Venit ad illos, qui regem eum nolebant habere. Et nunc dicit Spiritus sanctus ad cives malos : Velitis, nolitis, *Dominus regnavit, irascantur populi.* O clementia Spiritus sancti : non dixit, pereant : sed, *irascantur.* Vitium voluit significare, non pœnas. Illi irascuntur, et Dominus deprecatur. Et quid dicit? Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis (*Matt.* XI). Regnum accepi a Patre, immo homo quem suscepi, do quasi Deus, accipio quasi homo. *Qui sedes super Cherubim, moveatur terra.* Quamdiu terra immobilis est, sanari non potest Non de terræ motu loquitur, quo videmus terras concuti, et omne mortalium timere genus; sed de nostra terra loquitur. Quæ quamdiu immota fuerit, sanari non potest. Quando vero mota fuerit, et intremuerit, tunc recipiet sanitatem. Super quem, inquit, requiescam, nisi super humilem et quietum, et trementes sermones meos (*Isai.* LXVI)? Quoniam terra tremens commota est : propterea ille qui sedet super Cherubim incipit sedere in terra tremente. Felix est qui solium Dei est. Felix est in quo Deus semper sedet. Diversa sunt schemata. Aut enim sedemus, aut stamus, aut ambulamus, aut jacemus. Infelix est ille cui jacet Deus : jacet etenim cum jacente. Quomodo plangit cum plangente, et ridet cum ridente : ita et jacet cum jacente. Quomodo sitit cum sitiente, et esurit cum esuriente, et nudus est cum nudo, sic et jacet cum jacente. Qui ergo vulneratus est, et jacet; et ipse quodammodo jacere dicitur cum eo. Qui autem ambulat, et ille ambulat cum eo. Qui ambulat, videtur quidem melior esse ab eo qui jacet, tamen necdum venit ad ejus felicitatem qui stat. Denique et Adam quando se abscondit a facie Dei : ambulabat ei Deus post meridiem (*Gen.* III). Dicat aliquis : Si Adam offenderat, et de paradiso fuerat ejectus : ergo imperfecta felicitate est cuicumque ambulat Deus. Et ego dico : Si Adam penitus occisus fuisset, et non ei datus fuisset locus pœnitentiæ, jacuisset ei Deus. Nunc vero quia datur ei locus pœnitentiæ : propterea ambulat ei Deus.

Dominus in Sion magnus, et excelsus super omnes populos. Ascendens ad cœlos, excelsior est omnibus factus : unde nos actusque nostros per singulos dies speculatur.

Confiteantur nomini tuo magno : quoniam terribile et sanctum est. Præparent se sancti ad confitendum nomini tuo : quod est sanctum, siquidem tu dixisti : Sancti estote : quia ego sanctus sum (*Levit.* XIX et XX). *Et honor regis judicium diligit.* Debet se prius homo dijudicare, et proprio judicio condemnare mala sua, et sic honoret æternum regem Deum.

Tu parasti dilectiones in populis. Sed proprio vitio depravati sunt. *Judicium et justitiam in Jacob tu fecisti.* Non solum in patriarchis : sed etiam in populo Christiano, qui meruit primogenita senioris.

Exaltate Dominum Deum nostrum. Ut sit excelsus in cordibus vestris. *Et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Multæ de scabello opiniones sunt : sed hic propheta corpus Dominicum dicit, in quo majestas divinitatis tamquam super scabellum stat. Sanctum enim eum dici sæpe docuimus. Quod autem adorari debeatur, eo ascendente apostoli docuerunt, cum adorantes regressi sunt in Jerusalem (*Act.* I). Sed et ad crucem Dominicam, et ad animam sanctam hæc referenda sunt.

Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus. Quamquam unus legis, alter sacerdotii regulam teneat : tamen uterque adventum Domini sacerdotali præconio, vel in legalibus tubis, vel in tintinnabulis nuntiavit. *Et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus.* Samuel Levitici ordinis regulam tenet : quod Ephod illud lineum atque candidum figuravit (II *Reg.* VI) : ostendens candidum effici posse, qui per pœnitentiam nomen Domini invocans, lacrymis nigredinem peccati diluerit.

Invocabant Dominum. Apostoli. *Et ipse exaudiebat eos : in columna nubis loquebatur ad eos.* Locutus est Dominus de nube filiis Israel (*Exod.* XVI et XIX) : sed et deinceps affatus est apostolos de velamento carnis assumptæ : in quo divinitas obumbrata latebat.

Custodiebant testamentum ejus : et præceptum quod dedit illis. Nihil de his ad irritum deduxerunt.

Domine Deus noster, tu exaudiebas eos; Deus, tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum. Omnia enim quæ agere studuerunt, ad perfectum deduxisti : quia placita erant tibi.

Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus : quoniam sanctus Dominus Deus noster. Sanctos vos exhibete in Ecclesia ejus, sicut ipse eam exhibuit sanctam, non habentem maculam aut rugam (*Ephes.* V). Qui nobis præstare dignetur, ut modum sacerdotalis ordinis cum sanctitate perfecta tenentes, quæ studemus agere de bono, ipse perducere dignetur ad effectum.

PSALMUS XCIX.

Psalmus pro confessione. Iste psalmus vocem prophetæ continet, qui fideles provocat in laudibus Dominicis incessabiliter exercere.

Jubilate Deo omnis terra, servite Domino in lætitia. Qui, excusso a cervicibus vestris legis jugo, non in mœrore veteris servitutis, sed in libertate novi hominis exsultatis.

Introite in conspectu ejus in exsultatione. Non jocis turpibus dissolvimini : sed omnia quæcumque facitis, in gloriam Dei facite.

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus : ipse fecit

nos, et non ipsi nos. Ab eo enim sumus non solum corporaliter facti, sed etiam in novum hominem recreati. Et hoc non nostro merito, sed suo dono.

Nos populus ejus, et oves pascuæ ejus. Ipse est pastor bonus, qui animam suam pro ovibus suis posuit (*Joan.* x). Nos autem sumus oves, qui eum sequimur, et vocem ejus audivimus. *Introite portas ejus in confessione.* Sicut enim ipse porta est Patris cum dicit: Per me si quis introierit salvabitur (*Ibid.*), ita et apostoli portæ sunt ejus per quas ad eum acceditur: quas nemo potest ingredi, nisi se peccata confitendo purgaverit. *Atria ejus in hymnis confitemini illi.* Dilatatas ei mentes cum hymnis spiritualibus canticisque deferte.

Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus. Nihil enim acerbum habet: *In æternum misericordia ejus.* Quia nos redemit, et jugiter salvat. *Et usque in generationem, et generationem veritas.* Qua populos judicabit. Qui nobis præstare dignetur, ut ab ipso facti, ab ipso redempti, mereamur et in lætitia sempiterna jubilum exsultationis cum gratiarum actione concinere. Ipsi gloria cum æterno Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS C.

Psalmus ipsi David. Iste psalmus vocem continet prophetæ, Dei misericordias enarrantis.

Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine. Misericordiam audiant peccatores qui desperant de sua salute, qui sunt in pœnitentia. Judicium audiant contemptores, qui dicunt: Misericors est Dominus: peccemus, indulgebit nobis. *Psallam et intelligam in via immaculata.* Ut intelligat quis quod psallit, et sensus ipsius contempletur psalmum, ut non vagetur mens ejus foras, et corpore quidem videatur psallere, mens autem sine fructu sit. *In via immaculata:* ut ambulans in hoc mundo juste agam, et maculam non habeam.

Quando venies ad me. Quando autem intellectum recepero, et juste egero: tunc cum fiducia dico ad Dominum: *Quando venies ad me? Venies* autem, de secundo ejus adventu accipiendum est.

Perambulabam in innocentia cordis mei: in medio domus meæ. Nihil sic placet Deo, ut simplicitas et innocentia. Denique Spiritus sanctus in aliis volatilibus non complacuit nisi in columba, propter simplicitatem, et in quadrupedibus in ove, propter mansuetudinem.

Non proponebam ante oculos meos rem injustam. Non anteponebam aliquid Domino, neque consentiebam iniquitati: sed totus ad Deum eram.

Facientes prævaricationem odivi. Sive pater meus erat, sive mater, sive frater, aut soror, sive amicus, tamen si declinasset a timore Domini: hunc odio habebam, et omnino ad eum non accedebam. Non anteponebam propinquitatem aut amicitiam pietati Domini.

Non adhæsit mihi cor pravum. Non erat in me aliquid difficile, aut perversum aliquid: sed æquitas et justitia. *Declinantem a me malignum non cognoscebam.* Hoc est, si erat mihi amicus aut proximus, sive episcopus aut presbyter, sive in quacumque dignitate constitutus: tamen si pervertebat vias suas, sic eum fugiebam, ut penitus ejus memoriam non facerem.

Detrahentem proximo suo, hunc persequebar. Intantum non oportet consentire detrahenti, ut etiam quantum in nobis est persequamur talem, providentes in utroque utilitatem, ut nec libenter audiamus, nec illum permittamus peccare. Tanta enim distantia est inter fornicantem, et detrahentem: ut ille qui fornicatur, se tantum occidat: ille autem qui detrahit, et se et illum qui audit demergat.

Superbo oculo, et insatiabili corde, cum hoc non edebam. Si quis erat superbus aut avarus, cum hoc penitus non edebam.

Oculi mei super fideles terræ, ut sedeant mecum. Non dixit divites, aut imperatores, aut episcopos, aut presbyteros, aut diaconos: sed fideles: cum istis sedebam. Potest hoc dicere, et episcopus sanctus vir, quoniam non ordinabam presbyterum illum qui mihi obsequebatur, aut propinquum meum, sed eum quem sciebam fidelem. Et iterum idem potest dicere: Quoniam omnes clericos meos, et laicos fideles habebam. Potest ex persona Domini dici iste versiculus: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Quoniam non ordinabam eos qui mihi propinqui erant, sed justos et fideles.

Qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum. Intantum enim declinabam ab eo qui detrahebat proximo suo, ut nec illi crederem, nec audirem talem.

In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, bene dixit, *peccatores terræ.* Peccatores enim terreni sunt. Hoc vult dicere, quod immissiones diaboli quas mihi suggerebat, ejiciebam de corde meo, et non suscipiebam. Cogitationibus enim malis ejectis, dæmones occiduntur. Judæi hunc versum audientes, et sequentes litteram occidentem, et desiderantes sanguinem fundere, si quis prævaricatus fuerit de lege, interficiunt eum. Siquidem non sunt contenti occisione prophetarum: sed et ipsum Dominum crucifixerunt. *Ut disperderem de civitate Domini omnes qui operantur iniquitatem.* Utinam et nos disperdamus de civitate Domini operantes iniquitatem. Civitas Domini est Ecclesia sanctorum, congregatio justorum. Disperdam, hoc est, arguam, increpem eum qui peccat, ut pœnitentiam agat, et disperdat iniquitatem de corde suo. Non enim dixit, ut abjiciatur, sed ut salvetur.

PSALMUS CI.

Oratio pauperis cum anxiaretur, et in conspectu Domini funderet precem suam. Iste psalmus in principio vocem prophetæ continet ex persona peccatoris: dein laus in ea Dominici nominis continetur.

Domine, exaudi orationem meam, etc. Quia de toto corde profertur.

Non avertas faciem tuam a me. Si quis in corde

mundo orat, et non arguitur sua conscientia : hoc potest dicere : Peccator enim non audet dicere : *Non avertas faciem tuam a me*, sed magis dicit : Averte faciem tuam a peccatis meis. *In quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam : In quacumque die invocavero te : velociter exaudi me.* Pro præsentibus pressuris orat, ut ab his contemplatione divina eripiatur.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei. Ac si dicat : Infantulus fui, et dum nescio, veni in juvenilem ætatem, et iterum in perfectam ætatem, et dum nescio, senui. *Et defecerunt sicut fumus dies mei.* Quidam autem putant se esse sempiternos, et perseverant in suo peccato. *Et ossa mea sicut cremium aruerunt.* Ossa dicit ipsam fortitudinem. Si ergo quod est in me forte, hoc aruit, et infirmum factum est : quanto magis quæ per naturam infirma est caro?

Percussus sum ut fenum, et aruit cor meum. Sicut et alibi scriptum est : Homo sicut fenum dies ejus. Sic enim vita hominum viret, et cito arescit. *Quia oblitus sum manducare panem meum.* Non dixit, non desideravi manducare, aut contempsi manducare. Intantum mihi venit memoria peccatorum meorum, et talem pœnitentiam egi, ut etiam obliviscerer manducare : desiderium Dei habens, et ipsum solum considerans.

A voce gemitus mei : adhæsit os meum carni meæ. Discant qui agunt pœnitentiam, quomodo debeant agere pœnitentiam. Ita enim exsiccavi memetipsum ut sine carne essem, et pelles meæ cohærerent ossibus meis. Carnem pro pelle dixit.

Similis factus sum pellicano solitudinis. Duo genera dicuntur esse horum volatilium. Unum in aquis est, et esca ejus pisces sunt : et unum in solitudine, et esca ejus venenata animalia, hoc est, serpentes, et crocodili, et lacertæ. Dicuntur autem ista volatilia Latine *onocrotali.* Illi ergo similis factus sum qui est in solitudine : qui comedit venenata animalia, hoc est, esca mea quasi venenum erat mihi. *Factus sum sicut nycticorax in domicilio.* Scimus quia corvus niger est : et nihil habet in se album. Hyperbolice voluit dicere : quia, *Factus sum sicut nycticorax.* Sic ergo in die niger est : quanto magis in nocte? Sic ergo factus sum propter peccata mea, memetipsum considerans.

Quia cinerem tamquam panem manducavi. In cinerem intingebam panem meum : et sic comedebam. Si ergo propheta hoc dicit, nos quid facimus? *Et poculum meum cum fletu miscebam.* Nihil mihi erat suave, neque panis, neque poculum : sed tantum cœlestem panem desiderabam, id est Christum.

A facie iræ indignationis tuæ. Et hæc omnia faciebam, considerans adventum tuum et futurum judicium. *Quia elevans allisisti me.* Hoc dicant qui aliquando fuerunt sancti, et ceciderunt. Exaltati enim in virtutibus, postea ceciderunt. Siquidem sancti dicunt : quia elevans tenuisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt. Si dies, quanto magis noctes? hoc est, si lumen, quanto magis tenebræ? *Et ego sicut fenum arui.* Quoniam sicut fenum, sic pertransit homo, et siccatur.

Tu exsurgens, misereberis Sion. Ex hoc versiculo manifestum est quod ex persona Sion dictus est iste psalmus : et non ex persona prophetæ. Sion autem est quæ in specula posita est, et ea quæ veniunt de longe prospiciens. Hæc ergo Sion, quæ in alto posita est, in sublime cecidit. Ergo qui stat, videat ne cadat (I *Cor.* x). *Quia tempus miserendi ejus : quia venit tempus.* Aut propter pœnitentiam tempus est miserendi : aut secundum adventum Salvatoris significat. Confidat ergo qui agit pœnitentiam : quoniam venit tempus salvandi. Misericors est enim Dominus (*Psal.* LXXVII *et Eccl.* II).

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus. Lapides sancti sunt. Terra autem, hoc est, peccatores, misericordia Domini indigent. *Et terræ ejus miserebuntur.* Ut fructum exhibeat sanctitatis.

Timebunt gentes nomen Domini : et omnes reges terræ gloriam tuam. Quæ prius idola metuebant, et dæmoniorum nomina invocabant : nunc nomen tuum venerentur et timeant.

Quia ædificabit Dominus Sion. Ecclesiam suam super fundamentum apostolorum et prophetarum : *Et videbitur in gloria sua.* Cum omne corpus ejus glorificaverit ad similitudinem imaginis gloriæ suæ.

Et respexit in orationem humilium : et non sprevit preces eorum. Sed adventu suo visitavit mundum : qui olim desiderabatur.

Scribantur hæc in generatione altera. In novo Testamento. *Et populus qui creabitur, laudabit Dominum.* Christianus utique, qui prius peccatis mortuus, in eo est recreatus.

Quia prospexit de excelso sancto suo : Dominus de cœlo in terram aspexit. Ut audiret gemitus compeditorum : ut solvat filios interemptorum. Respexit ut misereretur. Descendit ut vincula, quibus nexi eramus, absolveret.

Ut annuntient in Sion nomen Domini, et laudem ejus in Jerusalem. Semper bonus nuntius, nova exhibet gaudia : sicut Angelus ad Mariam : Spiritus, inquit, sanctus superveniet in te (*Luc.* I). Et iterum pastoribus : Ecce ego annuntio vobis hodie gaudium magnum : quia natus est vobis Salvator (*Ibid.*, II). Sic et nunc in Sion vel in Jerusalem nuntiatur : quia natus est in terris is qui mundo peccatis mortuo vitam afferret.

In conveniendo populos in unum : et reges ut serviant Domino. Convenient in una credulitate, ut serviant Redemptori.

Respondit ei in via virtutis suæ : paucitatem dierum meorum nuntia mihi. Respondit Dominus Jerusalem in die virtutis, id est, cum ad passionem accederet : et annuntiavit paucitatem dierum suorum, dicens : Quia venient dies cum circumdaberis ab inimicis, et eradicaberis (*Luc.* XIX), et reliqua.

Et ne revoces me in dimidio dierum meorum : in generatione et generationem anni tui. Iniqui nec dimidiant dies (*Ps.* LIV). Iste vero orat, ut non revoce

tur a dimidio dierum, scilicet ut ad perfectum veniens virum perennitate temporum cum Domino perfruatur.

Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli. Sicut enim in principio ista creasti : ita et nunc vel terram corporis nostri in novum reparas hominem : vel mentes nostras cœlorum dignitate componis. Sed de prioribus cœlis ait :

Ipsi peribunt, tu autem permanes. Juxta illud : Cœlum et terra transibunt : verba vero mea non præteribunt (*Matth.* XXIII, *et Marc.* XIII). *Et omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur : tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Hoc est, qui eras in cœlis, ipsum te ostendis in terris. Idem in utero virginis : ipse in infernum descendens. Idem resurgens a mortuis : ipse regressus es in cœlum.

Filii servorum tuorum habitabunt. Quia tibi per apostolos sunt renati. *Et semen eorum in sæculum dirigetur.* Vel prædicatio, vel virtus eorum in omni gente distenditur. Nos vero deprecemur Dominum, ut exaudiat orationes supplicum, mentibus nostris inserat lumen suum : ut ejus magnificentiam enarrantes, mereamur sanctis ejus consortes effici in cœlestibus regnis. Cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CII.

Psalmus David. Iste psalmus maxime circa pietatem atque misericordiam Dei commoratur : ait enim :

Benedic, anima mea, Domino : et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Dicitur et in alio loco : Et scitote, quoniam Dominus ipse est Deus (*Ps.* XCIX). Et nunc dicitur : *Et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.* Si dixerimus, *Benedic, anima mea, Domino :* et Dominus, Dominus est : quod nomen hic quærit Dominus? Si Dominus, Dominus appellatur : quid dicit : *Et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus?* Adventus Filii, nomen Patris est. Ante adventum Christi sciebatur Deus : Pater ignorabatur. Denique ipse dicit in Evangelio : Pater, revelavi nomen tuum hominibus (*Joan.* XVII). Non possumus in singulis versiculis immorari : quoniam longus est psalmus : sed breves sententiolas debemus singulis versiculis coaptare, magis sensum exponentes, quam verba texentes.

Benedic, anima mea, Domino : et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Multas retributiones nobis præstitit Dominus : grandia nobis beneficia præstitit : quia cœlum, quia terram, quia elementa omnia pro nobis fecit.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. Ut eas quasi nubem deleat. *Qui sanat omnes infirmitates tuas.* Peccata quibus infirmaris. Multas infirmitates habet anima nostra. Quot peccata, tot infirmitates. Denique et illa mulier, in Evangelio, quæ decem et octo annis habebat spiritum infirmitatis, et caput sursum erigere non poterat (*Luc.* XIII). Videte quid dicat : Quando aliquis habet spiritum infirmitatis, contractus est, deorsum conspicit, terram intuetur, cœlum videre non potest.

Qui redimit de interitu vitam tuam. Pretio, inquit, redempti estis : nolite fieri servi hominum (I *Cor.* VI *et* VII). Quod est majus pretium quam Creatorem pro creatura sua sanguinem fundere? *Qui coronat te in misericordia et miserationibus.* Præcurrente misericordia dat victoriam, tribuit palmam.

Qui replet in bonis desiderium tuum. Conjungens te sanctis in cœlesti Jerusalem.

Renovabitur ut aquilæ juventus tua. Ut a veteri in novum hominem muteris.

Faciens misericordias Domini, et judicium omnibus injuriam patientibus. Ut, oppressis impiis, erigat pauperes suos.

Notas fecit vias suas Moysi : filiis Israel voluntates suas. Ei qui legem spiritualiter intelligit, vel ei qui eum mentis oculis contemplatur.

Misericors et miserator Dominus : patiens et multum misericors. Quia cito flectitur ad misericordiam.

Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur, etc. Meliora enim quam merebamur, indulsit.

Quoniam secundum altitudinem cœli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se. Distat multum cœlum a terra; sed divina misericordia jugiter suos et protegit, et confirmat.

Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. Ubi Deus appropinquat, elongantur delicta : ut, juxta Apostolum, ubi abundat peccatum, superabundet et gratia (*Rom.* V).

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se. Miseretur pater filio, cum eum verberat ut emendet. Ita et Dominus corripit nos interdum ut salvos faciat : non tamen in perpetuum derelinquit ut perdat.

Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. Scit enim propheta genus humanum tamquam testam figuli de luto formatam, in honorem filiorum ascitum : ideoque considerans ei judicium mortis pro delictis appropinquare, ait misericordiam deprecans :

Recordatus est quoniam pulvis sumus, homo sicut fenum dies ejus. Ac si diceret : Non irasceris, ut conteras; sed recordaris quod vasa figuli sumus : quæ semel confracta, reparari non possunt; sed protinus decidunt et arescunt. *Tamquam flos agri sic efflorebit.* Ad tempus.

Quoniam spiritus pertransiit in illo, et non subsistit : et non cognoscit amplius locum suum. Transeunte autem spiritu, omnis jucunditas viriditatis ejus traditur oblivioni.

Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum. Quia cum peccatores arguit, justis misericordiam præbet.

Et justitia ejus in filios filiorum his qui servant testamentum ejus, et memores sunt mandatorum ipsius

ad faciendum ea. In operibus utique bonis : quibus mandata Dei jugiter memorantur, ut custodiantur ab ipsis.

Dominus in cœlo paravit sedem suam, et regnum ipsius omnibus dominabitur. Ascensionem Dominicam prædicit, quæ post reparationem hominis facta est : per quam Christus Dominus universos mundi fines suæ dominationi subegit.

Benedicite Dominum, angeli ejus. Nuntii veritatis. *Potentes virtute, facientes verbum illius.* Illico quæ fuerit locutus, explentes. *Ad audiendam vocem sermonum ejus.* Hoc est, intelligere quæ præceperit.

Benedicite Domino, omnes virtutes ejus, ministri ejus qui facitis voluntatem ejus. Qui, virtute illius roborati, verbum Ecclesiis ministratis.

Benedicite Domino, omnia opera ejus. Vos utique qui in eo vivitis. Quia omne opus quod factum est in eo vita est (*Joan.* I). *In omni loco dominationis ipsius.* Nihil enim reperitur ubi non dominetur. Omnia continet, et se ubique diffundit. *Benedic, anima mea, Dominum.* Hæc autem propheta non de sua tantum anima, sed et ad nostras quoque animas loquitur, ut eum jugiter benedicant qui bona largitur, qui peccatis propitiatur, qui de interitu redimit; qui in bonis omne desiderium complet : qui nunc nobis misereri dignetur ut pater filiis, delictorum molibus hic remissis; cui est cum æterno Patre et Spiritu sancto honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CIII.

Psalmus David. Iste psalmus ipsius creaturæ vocem continet laudantem ac benedicentem Deum. Sed hoc ipsum spiritualiter debemus advertere.

Benedic, anima mea, Domino. Ut dum benedicis illum, tu benedicaris ab illo. Provocat semetipsum propheta in benedicendo Deo. Benedicere autem Domino, hoc est, qui laudat Dominum, semetipsum benedicit. *Domine Deus meus.* Omnibus quidem es et Deus, et Dominus; sed mihi proprie, quia non sum servus peccati. *Magnificatus es vehementer.* Vel in me, vel in reliquis sanctis tuis. Qui omnium Deus, meus specialiter Deus : quia non sum servus peccati, quia merui vocari servus tuus. Magnificatus es vehementer.

Confessionem et decorem induisti. Induisti confessionem dicens : Confitebor tibi, Domine, Pater cœli et terræ (*Matth.* XI). *Induisti decorem,* illo de nube splendida respondente : Hic est Filius meus dilectus in quo bene complacui : ipsum audite (*Matth.* XVII). Confessio dupliciter intelligitur. Aut in pœnitentia, aut in gloria Dei : Hoc est, gloriam induisti. quemadmodum in Evangelio ipse Salvator dicit : Confitebor tibi, Pater; hoc est, glorifico te; aut quia confitemur peccata nostra Domino. In eo enim quod confitemur Deo peccata nostra, glorificamus eum. *Et decorem induisti.* Videte ordinem. Primum aliquis confitetur, et sic accepit pulchritudinem, et decorem, et postea lumen. Hoc enim sequitur : *Amictus lumine sicut vestimento.* Contrarius videtur hic ver-

A siculus illi qui ait : Posuit tenebras latibulum suum : Vel illi qui dicit : Nubes et caligo in circuitu ejus. Sed sciendum quia de occultis mysteriis ista dicuntur : nam de istius lucis plenitudine tota terra refulget.

Extendens cœlum sicut pellem. In modum enim libri cujusdam, sive voluminis, cœlum, cum majestas Dei voluerit, vel extenditur, vel plicatur : sicut Evangelica testatur fides. *Qui tegis aquis superiora ejus.* Superiora cœli, juxta Genesim, ab aquis teguntur (*Gen.* I) : quia aquas super firmamentum positas dicit : quas multitudinem angelorum intelligimus : juxta illud : Aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini (*Psal.* CXLVIII).

Qui ponis nubem ascensum tuum. Dominus enim
B Jesus, benedictis discipulis, elevatus est, et nubes suscepit illum, et intuebantur eum euntem in cœlum (*Act.* I). *Qui ambulas super pennas ventorum.* Super omnem alacritatem ventorum Dominus incedit. Sed et super sanctorum animas quæ ad cœlestia tendunt, et inambulat et quiescit.

Qui facis angelos tuos spiritus. Ut inspirent hominibus ejus facere voluntatem : quia carnalis homo non capit ea quæ sunt Dei. *Et ministros tuos ignem urentem.* Ut in aliis lumen veritatis infundant : in aliis peccata consumant.

Qui fundasti terram super stabilitatem suam, etc. Discordare videntur hæc cum illo, ubi ait : Cœlum et terra transibunt. Sed hæc visibilis terra præterit : corporis vero terra quæ fructum exhibet san-
C ctitatis, mysteriorum cœlestium pallio circumdatur.

Super montes stabunt aquæ. Super excelsam superbiam insipientes populi commorantur. *Ab increpatione tua fugient : a voce tonitrui tui formidabunt.* Vox enim tua est cum dicis : Pœnitentiam agite : appropinquabit regnum cœlorum (*Matth.* III). Tamquam tonitruum vero, ut hi timeant, cum minaris, cum ais : Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis (*Luc.* XIII).

Ascendunt omnes. Sancti in spiritualem proficiunt intelligentiam. *Et descendunt campi.* Populi eorum doctrinis subditi, ut virtutum floribus repleantur. *In locum quem fundasti eis.* In conventum Ecclesiasticum.

Terminum posuisti quem non transgredientur. Ca-
D tholicam utique fidem, quam usque ad terminum præsentis vitæ custodiunt. *Neque convertentur operire terram.* In flagitiis quibus prius vixerant.

Qui emittis fontes in convallibus. Inter deserta gentium, baptismi gratiam tribuit. *Inter medium montium.* Id est, Ecclesiarum. *Pertransibunt aquæ.* Ipsius lavacri, sive doctoris : irrigando donis cœlestibus populum.

Et potabunt omnes bestiæ agri, exspectabunt onagri in siti sua. Ut omnibus hæc gratia æqualiter ministretur : sicut ait Paulus : Sapientibus et insipientibus debitor sum (*Rom.* I).

Super ea volucres cœli habitabunt. Qui excelsiorem ad intelligendum meruerunt sensum. *De medio pe-*

trarum. Id est, Ecclesiarum. *Dabunt vocem suam*. Ad collaudandum Deum.

Rigans montes. Hoc est, apostolos. *De superioribus suis*. De cœlestibus, effundens super eos Spiritum sanctum. *De fructu operum tuorum satiabitur terra*. De beneficiis largitionis tuæ.

Producens fenum jumentis, et herbam servituti hominum. Unicuique secundum propriam tribuens necessitatem.

Ut educas panem de terra, et vinum lætificet cor hominis. A terreni corporis agro quem a nobis assumpsit, mysterium proferens cœlestis panis ac poculi salutaris, quo reficiatur Ecclesia.

Ut exhilaret faciem ejus in oleo. Exhilaratur enim oleo misericordiæ, justorum facies coram Deo. *Et panis cor hominis confirmat*. Ipse panis ipsa corda nostra confirmat? qui descendens de cœlo vitam tribuit mundo.

Saturabuntur ligna campi. Sive rationabiles, sive irrationabiles homines, sicut superius de bestiis atque onagris exposuimus. *Et cedri Libani*. Excelsiores merito sancti. *Quas plantavit*. In unitate Ecclesiasticæ fidei. *Illic passeres nidificabunt*. Sapientes ædificant.

Erodii domus dux est eorum. Erodius major est omnibus volatilibus, qui aquilam vincit et comedit. Igitur talis homo, qui in domo Dei habitat, ducatum præbeat ad vincendum diabolum, quia aquila sæpe pro diabolo ponitur. *Montes excelsi cervis*. Hoc animal serpentes occidit, et ipsos comedit. Ergo bene in montibus habitat, qui interficit intelligibilem serpentem: qui sapientior erat in paradiso præ omnibus bestiis, qui decepit Evam (*Gen*. III). *Petra refugium herinaciis*. Qui timidus est, refugium habet petram: petra autem Christus est.

Fecit lunam in tempore. Aiunt quando crescit luna, crescere fructus omnes, et quando minuitur, iterum fructus minui. Ergo bene dixit: *Fecit lunam in tempore*. Aut aliter intelligamus lunam Ecclesiam. In proficiendo enim Ecclesiam, proficimus et cum ipsa, et cum persecutionem patitur, et minuitur, et nos cum illa minuimur, et persecutionem patimur. *Sol cognovit occasum suum*. Si sol occidit: nos putamus nosmetipsos sempiternos esse? In hoc autem mirandum est: quomodo tantum lumen, et tanta claritas quæ operit universum mundum lumine suo: in momento occidit. Oremus autem ut non nobis occidat sol justitiæ.

Posuisti tenebras et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ. Et secundum litteram ordinem habet: quoniam ideo facta est nox, ut homines requiescerent ab operibus suis, et bestiæ egrederentur ad pastionem. Secundum tropologiam autem: quando nobis occubuerit sol justitiæ: omnia nobis tenebrosa sunt, et tunc in nos pertranseunt bestiæ: et leo rugiens, volens rapere et devorare nos.

Catuli leonum rugientes, ut rapiant et quærant a Deo escam sibi. Bene dixit, *a Deo*: quoniam sanctos

A cupit decipere: ac si dicat, Judam, David, Salomonem, Petrum: sicut scriptum est: escæ ejus electæ (*Abac*. I).

Ortus est sol, et congregati sunt. Ne tristetur ille qui cecidit, sed pœnitentiam agat. Oritur illi sol justitiæ, et fugiunt ab eo omnes bestiæ et peccata, et efficitur talis, qualis, et antea fuit. Iterum enim ortus est sol justitiæ.

Exibit homo ad opus suum et ad operationem suam usque ad vesperum. Postquam autem ortus fuerit sol justitiæ: iterum eximus ad operationem nostram usque ad vesperum, hoc est, usque ad consummationem. Oportet ergo nos omni tempore operari justitiam.

Quam magnificata sunt opera tua, Domine. In ex-
B cessum mentis venit propheta. Non inveniens quomodo laudaret Dominum, dixit: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine*. Excedunt humanum sensum tua opera. *Omnia in sapientia fecisti*. In Domino nostro Jesu Christo. Ipse enim est sapientia Dei secundum Apostolum dicentem: quod in ipso creata sunt omnia (*Rom*. XI). *Impleta est terra possessione tua*. Et revera omnia opera Domini plena sunt sapientia. Quando enim videmus formicam scire quando hyems venit; et reponit sibi escam, et iterum culicem tam minutum, habere oculos, ventrem et universa membra sicut et nos habemus, et pulicem et alia. Videmus autem elephantem tam magnam bestiam habere oculos, nares, pedes, ventrem sicut et nos in ipsis locis. Similiter autem et
C apem, quomodo faciat mel et ceram. Nonne sunt hæc miratione digna, et sapientia plena?

Hoc mare magnum et spatiosum manibus: illic reptilia quorum non est numerus. Animalia pusilla cum magnis. Nonne est hoc miræ sapientiæ quomodo in mari sunt reptilia, quorum non est numerus? Et pisces tam majores quam minores: quomodo sint in profundo, et inde resumunt vitam, ubi si homo ceciderit, moritur, et ipsi si venerint in terra, moriuntur? *Illic naves pertransibunt*. Quis ex nobis est navis fortis qui possit istud sæculum fugere et non submergatur aut offendat in petram: sed habeat sensum qui eum gubernet, ut possit salvus fieri.

Draco iste quem formasti ad illudendum ei. Judæi
D dicunt, draconem magnum fecit Deus, qui dicitur Leviathan, et est in mari: et quando, aiunt, recedit Oceanus, draco vertitur. Nos autem dicamus: Iste est draco, qui de paradiso ejectus est, qui decepit Evam: et datus est in hoc mundo ad illudendum nobis. Quantos enim monachos et clericos præcipitavit. *Omnia a te exspectant ut des illis escam in tempore*, etc. Quia omnia Dei nutu vivunt.

Auferes spiritum ipsorum et deficient, et in pulverem suum revertentur. Consummationem mundi significat: quando præcepto Dei omnia exterminantur, sicut scriptum est: Terra es et in terram ibis (*Gen*. III).

Emitte spiritum tuum et creabuntur. In die con-

summationis. Si spiritus creat: ergo Deus est. Ita A enim creat, quomodo et Pater.

Sit gloria Domini in sæculum. Ergo et nos qui glorificamus, sempiterni erimus. *Lætabitur Dominus in operibus suis.* Lætitia est enim Domini, quando nos creatura ipsius, benedicimus eum in die resurrectionis.

Qui respicit terram, et facit eam tremere. Tremet enim terra nostra in die judicii. Significat autem peccatores terrenos. *Qui tangit montes et fumigant.* Si montes fumigant, quanto magis terra? Sancti fumigant: quoniam omnes per ignem salvabimur. Non enim haberent fumum, nisi ignis esset.

Cantabo Domino in vita mea: psallam Deo meo quamdiu sum. Quemadmodum et alibi dixit: Dimitte me ut refrigerer priusquam abeam, et amplius non B ero (*Ps.* XXXVIII). Dimitte me paululum temporis, ut agam pœnitentiam pro peccatis meis: quoniam in inferno non est qui possit confiteri peccata sua.

Jucundum sit ei eloquium meum. Jucundum sit ei ut merito aliquis possit laudare et benedicere Deum. Optativo modo dixit, non imperativo. *Ego vero delectabor in Domino.* Beati qui post judicium hoc dicunt.

Deficiant peccatores a terra. Non dixit ut peccatores pereant, sed ipsum peccatum, ut non appareat. Peccato autem non apparente, utique jam non sunt peccatores: sed omnes justi invenientur. *Et iniqui ita ut non sint.* Scilicet iniqui, sed justi.

PSALMUS CIV.

Alleluia. Iste psalmus maxime patrum replicat his- C toriam: sed spiritualiter debet intelligi. Omnia enim quæ contingebant antiquitus, in figura contingebant, ut nos erudiremur (II *Cor.* X).

Confitemini Domino, et invocate nomen ejus. Confitemini et dicite: quoniam peccatores sumus. Tu autem misericors, et misereris nobis. *Et invocate nomen ejus.* Ut non fingamus idola in cordibus nostris, sed Dominum nostrum invocemus, et ipse erit redemptio nostra. *Annuntiate inter gentes opera ejus.* Erubescant Judæi qui dicunt in Israel tantum facta esse mirabilia et opera ejus.

Cantate ei, et psallite, ei. Qui intelligit sanctas Scripturas, et in lege Domini meditatur jugiter, et mens ejus contemplatur cœlestia, hic canit Deo. Qui autem habet in se omnes virtutes, hoc est, D operarius est boni operis, hic quasi cytharam componens virtutum, psallit Domino. *Narrate omnia mirabilia ejus.* In centesimo sexto psalmo dicit: Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis. Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo. Si in navi nostra corporali transierimus illæsi, et nusquam nos tempestas opprimat: nec in petram offenderimus et frangamus navem nostram, possumus narrare mirabilia Dei. Et revera grande miraculum est, transire mundum istum sine macula. *Laudamini in nomine sancto ejus.* Prophetat enim de populo gentilium. Hoc est, ut simus et vocemur Christiani, ex nomine Domini nostri Jesu Christi.

Lætetur cor quærentium Dominum. Gaudeant monachi: quoniam quærentium Dominum lætantur corda. Si quærentium: quanto magis eorum qui inveniunt eum? Qui enim eum inveniunt, immobiles sunt. *Quærite Dominum et confirmamini.* Antequam quæreremus Dominum, infirmi eramus. Nunc autem quærentes, firmi et fortes sumus. Si autem et invenerimus: quanto magis perfecti erimus? *Quærite faciem ejus semper.* Hebræis quidem scriptum est, ut ter in anno appareant coram Domino (*Exod.* XIII). Et quæ justitia hæc erat: quid autem grande aliquid faciebant, ter in anno apparere in conspectu Dei? Ibi ad parvulos loquebatur: hic autem propheta dicit credentibus in Deum, semper eum quærere, quemadmodum et in Evangelio scriptum est: Sine intermissione orate (I *Thess.* V).

Mementote mirabilium ejus quæ fecit. In Ægypto, et in mari Rubro, et in deserto.

Semen Abraham servi ejus: filii Jacob, electi ejus. Si quis est semen: non jam filius, secundum quod in Evangelio scriptum est: Si filii Abraham essetis, opera patris vestri faceretis (*Joan.* VIII). Ergo quod gloriantur non sunt, et si semen sunt. Servi sunt sub timore constituti: non habentes perfectam charitatem quæ foras mittit timorem (I *Joan.* IV). Nos filii sumus Jacob, ejus qui supplantavit fratrem suum, et tulit primitiva ejus. Multi autem vocati, pauci vero electi.

Et pertransierunt de gente in gentem. Multi putant quod de captivitate dicat Judæorum. Non est ita. De Abraham enim dicit. Exiit de terra Chaldæorum, et venit in Mesopotamiam, et de Mesopotamia in terram repromissionis, et iterum in Ægyptum. *Et de regno ad populum alterum.* Multa regna transimus, ut perveniamus ad terram repromissionis.

Non permisit hominem nocere eis. Pharaonem, ut noceret Abraham in Sara, nec Abimelech Isaac in Rebecca (*Genes.* XII *et* X). *Et corripuit pro eis reges.* Et idipsum dicit, Pharaonem et Abimelech.

Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari. De ipsis patriarchis dicit: Erubescant ergo Judæi, qui dicunt, quoniam si non aliquis ungatur regali unguento, non potest Christus vocari. Hoc enim dicunt quoniam Dominus noster non est Christus: quia non est unctus unguento regali. Ecce ante legem patriarchæ non uncti regali unguento, Christi dicuntur: Christi autem sunt qui Spiritu sancto unguntur. Ergo et Dominus noster juste vocatur Christus. Quod illi negant, euntes contra Scripturas.

Et vocavit famem super terram. Sæpius evenit ut quæ putantur contraria esse, hæc providentia Dei pro utilitate fiant. Nisi enim fratres Joseph zelati fuissent eum, si non vendidissent eum: quomodo descenderet in Ægyptum? Si non fames facta fuisset, quomodo patriarchæ descenderent in Ægyptum, et cognoscerentur a fratre suo? Quomodo Pharao percuteretur decem plagis? Quomodo exirent de Ægypto? Quomodo in eremo de petra exirent aquæ: quomodo mysteria quæ in deserto facta sunt in fi-

gura, nos ea spiritualiter intelligeremus? Si non Judas Dominum prodidisset: quomodo nos salvaremur? Si non Judæi crucifixissent, et increduli fuissent: quomodo nos crederemus? Joseph ergo ivit in Ægyptum, præparare hospitium et alimenta fratribus suis.

Misit ante eos virum. Ipsum dicit Joseph. *In servum venundatus est Joseph.* Bene natus et sanctus vir venditur.

Humiliaverunt in compedibus pedes ejus. Quia noluit consentire dominæ Ægyptiæ. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus*, sed non potuerunt justitiam humiliare: sedecim enim annorum cum esset, adamatus est a domina, et in tali ætate constitutus, quæ magis voluptati dedita est, noluit consentire iniquitati, sed magis timuit periculum animæ. *Ferrum pertransiit animam ejus.* Ferrum ipsum dicit peccatum, quod occidit animam. Aliter. Quia in periculo erat, accusatus a domina in tali crimine. Ardebat enim domina in eum, sicut scriptum est: Omnes adulterantes, sicut clibanus corda ipsorum (*Ose.* VII). *Donec veniret verbum ejus.* Verbum ipsius Domini dicit, qui eum liberavit.

Eloquium Domini inflammavit eum. Nisi enim inflammatus esset Spiritu sancto, non poterat libidinem vincere. Spiritus enim Domini inflammavit eum, et exstinguit ignem libidinis. *Misit rex et solvit eum.* Secundum litteram Pharao misit, et solvit eum. Aliter: Si aliquis tentatur a libidine, nisi Dominus apparuerit et solverit eum: non potest effugere peccatum. *Misit rex, et solvit eum: princeps populorum, et dimisit eum.* Rex ac princeps, pater accipitur, ut illud: Rex magnus super omnem terram, et illud: Dominus princeps noster: Dominus judex noster (*Psal.* XLVI). Ipse ergo misit angelum suum qui revolvit lapidem ab ostio monumenti, et dissolvit sudaria funeris ejus (*Marc.* XV). Ipse quoque paterna virtute, devicta morte, ab inferno remissus est. Nihil hic negligenter sentiendum aut putandum: quia ab angelis suscitatus est. Minoratus est enim paulo minus ab angelis: cum ut homo suscepit mortem (*Psal.* VIII). Nam in resurrectione ut Deus verus, angelico usus est ministerio. Regnum hoc ad principatus nec ad Pharaonem pertinebit, qui exterminator est, nec ad illum qui tantum princeps coquorum est.

Constituit eum Dominum domus suæ. Ecclesiæ ejus sanguine acquisitæ. *Et principem omnis possessionis suæ.* Quam a diaboli abstraxit potestate.

Ut erudiret principes suos sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret. Principes ac seniores erant populorum apostoli, et sui a proprietate dicti, non a principatu, quos ipse sacris erudivit eloquiis. Nam et ipsos sacerdotum principes ac populorum seniores sæpius docens, erudivit in templo, cum eis divinas aperuit Scripturas.

Et intravit Israel in Ægyptum, et Jacob incola fuit in terra Cham. Omnis qui cœperit Deum videre mente, vel vitia supplantare, in tribulationem descendit, et inter gentes adversas inhabitat.

Et auxit populum suum vehementer, et firmavit eum super inimicos ejus. Quoniam in septuaginta quinque animabus descenderunt in Ægyptum, et sexcenta millia exierunt de Ægypto (*Deut.* X). Vide mysterium. Qui quondam erant numero brevi: nunc aucti, et firmati dicuntur. Augentur autem, et confirmantur justi a Domino, ne eis adversæ prævaleant potestates.

Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, et dolum facerent in servis ejus. Scilicet, ut contemplarentur iniquitates eorum.

Misit Moysen servum suum, Aaron quem elegit ipsum. Legem utique et sacerdotium.

Posuit in eis verba signorum suorum et prodigiorum in terra Cham. Attende, o Judæe, qui secundum litteram dicta intelligis: Numquid Moyses et Aaron in terra Cham acceperunt mandatum de signis, et non potius in terra Madian? Aut in terra Cham fecerunt prodigia, et non in Ægypto? Sed ut intelligas hæc per legem et sacerdotium usque hodie inter gentes incredulas agi: ideo propheta terram posuit Cham.

Misit tenebras et obscuravit eos. Cœperunt ei exponere arcana mysteriorum Dei, et claritas mundanæ sapientiæ obscurata est. Sic enim alibi: Comprehendam sapientes in astutia eorum (II *Cor.* I). *Et exacerbavit sermones ejus.* Quia duri eis erant: sicut quosdam Evangelium dixisse refert: Durus est hic sermo: quis eum audire possit (*Joan.* VI)?

Convertit aquas eorum in sanguinem. Ut qui seducendo sanguinem effuderant parvulorum, ipsi deinceps pro aquis cruorem haurirent. Sed maxime hic versiculus hæreticos respicit. *Et occidit pisces eorum.* Qui inter fluctuosas hujus mundi felicitates regnum esse putabant.

Et dedit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum. In ranis, poetarum [a] carmina designantur, qui a catholica regula discrepantes, regum terrenorum corda deceptionum fabulis replent.

Dixit, et venit cynomyia. In cynomyia, id est, canina musca, quæ in cœno ac stercore volutatur, luxuriam indicat: quæ plerumque compressa pullulat. Sicut Petrus, inquit, apostolus: Canis reversus ad vomitum, et sus lota a squalore cœni (II *Petr.* II). *Et cinifes in omnibus finibus eorum.* In cinife, dialecticæ artis stimulus intelligitur: quæ licet parvum videatur habere seductionis aculeum, gravissime tamen sauciat mentes humanas.

Posuit pluvias eorum grandinem. Ut divinis arguerentur verberibus. *Ignem urentem in terra eorum.* Non illuminantem, sed urentem: quia sanctus ignis justos illuminat, peccatores exurit.

Et percussit vineas eorum, et ficulneas eorum, et

[a] Recole quæ paulo superius in psalm. LXXVII ad geminum istius locum observamus. De *cynomyia*, quæ subsequitur, atque hic auctor contra veri Hieronymi sententiam vertit in *caninam muscam*, vide quæ in præfixa admonitione perstrinximus.

contrivit omne lignum finium eorum. In vineis ficulneisque ac reliquis lignis, omne humanum genus ostendit plagis cœlestibus verberatum, ob emendationis causam.

Dixit, et venit locusta et bruchus : cujus non erat numerus. Et comedit omne fenum in terra eorum, et comedit omnem fructum terræ eorum. In feno fructuque reliquo terræ, castigationem humanam docet. Datur enim potestas adversæ parti, ut noceat hominibus qui nolunt agere pœnitentiam, sicut Apocalypsis docet (*Apoc.* IX).

Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti primitias omnis laboris eorum. Principalia vitia : quæ homines ceu primogenitos diligebant.

Et eduxit eos in argento, et auro, et non erat in tribubus eorum infirmus. His plagis Ægyptum, id est, vel hoc sæculum, vel humanam carnem verberat. Sed educuntur animæ in argento confessionis lucidæ, et auro puritatis splendidæ, sublata omni infirmitate peccati.

Lætata est Ægyptus in profectione eorum : quia incubuit timor eorum super eos. Cohabitante enim luce, non poterant opera tenebrarum exercere : quia omnis qui male agit, odit lucem (*Joan.* III).

Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem ut luceret eis per noctem. Nubem et ignem, Spiritum sanctum dicit : qui nos et ab æstu diei defendit, et in nocturnis tenebris illuminat.

Petierunt carnem, et venit coturnix. Ex hac enim coturnice satiatus Israel nauseat. Unde cavendum est, ne qui se sentit liberum ex Ægypto, illuminatum a Spiritu sancto, rursum desideret ollas Ægypti, id est, concupiscentias carnis, quæ ei generant fatuitatem vel vitia. Quia nemo ponens manum in aratro, et respiciens retro, aptus est regno Dei (*Luc.* IX). *Pane cœli saturavit eos.* Sicut enim illi de cœlis fluente manna refecti sunt : ita nos hodie in Ecclesia corpore agni accepto reficimur.

Disrupit petram, et fluxerunt aquæ, et abierunt in sicco flumina. Percussus est enim ille lapis pretiosus angularis, et immensos nobis protulit fontes, qui nostros errores abluunt, et ariditates irrigant.

Quoniam memor fuit verbi sancti sui quod habuit ad Abraham puerum suum. Implevit enim non de seminibus ; sed de semine ejus, id est, de Christo promissionem suam. Nam Deus natus ex Virgine : sua morte devicit mortem : per quam nunc quod Abrahæ promissum erat in spe, Ecclesia suscepit in specie.

Et eduxit populum suum in exsultatione, et electos suos in lætitia. Semper enim victores ac liberi, canticum in lætitia et exsultatione concelebrant : sicut Moyses, Maria, vel Debbora.

Et dedit eis regiones gentium, et labores populorum possederunt. Animas sanctas et corpora, in quibus prius peccatum regnabat.

Ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant. Ut cum justitia vivant, et mysteria legis diligenter intelligant. Et nos Dominum deprecemur, ut deletis gentibus noxiis coram facie nostra, ipse dux nostri fiat itineris : ut in eo jugiter exsultantes, in terram repromissionis mereamur induci, et in regno ejus asciti, valeamus cum sanctis ejus lætitia sempiterna gaudere : quia ipsi est cum æterno Patre et Spiritu sancto honor et gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CV.

Alleluia, alleluia. Iste psalmus pœnitentes roborat, negligentes arguit, misericordiam repromittit. Hanc regulam debemus tenere, ubicumque duo *Alleluia* præscribuntur in psalmo, ut unum de fine sciamus esse prioris psalmi, et alterum ejus qui sequitur.

Confitemini Domino, quoniam bonus. O vos qui graviter peccatis, et desperatis de vestra salute, et putatis quoniam propter magnitudinem peccatorum non potestis veniam adipisci : ego vobis præcipio, hoc est, propheto : *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Grandia sunt peccata vestra : sed magnus est Dominus, qui miseretur vestri. Confitemini ergo Domino. Pœnitentiam agite : nolite desperare de salute vestra : benignus est Dominus. *Confitemini Domino*, qui habetis grandia peccata. Nolite confidere in vestra virtute ; sed in misericordia Domini. *Quoniam in sæculum misericordia ejus.* Videte quid dicat, *in sæculum.* In inferno autem quis confitebitur Domino (*Psal.* VI)? Nemo est enim qui possit in inferno agere pœnitentiam. Cum estis in hoc sæculo, hortor vos agere pœnitentiam. Confitemini ergo Domino, quoniam in isto tantum sæculo misericors est. Hic misereri potest pœnitenti : quia ibi judex est, non est misericors. Hic misericors est, ibi judex est. Hic porrigit manum cadenti : ibi sedet judex. Hoc autem totum dixi ad eos qui dicunt, quoniam in inferno est pœnitentia.

Quis loquetui potentias Domini. Nemo dignus est prædicare potentias Patris, nisi Filius. Nemo potest potentiam Patris loqui, nisi ille qui et ipse potens est, potentias potentis ipse qui potens est, potest prædicare et loqui. *Auditas faciet omnes laudes ejus.* Antequam Dominus noster in Evangelio prædicaret, laudes Patris non erant auditæ in mundo. Omne quod in lege veteri scribitur, si spiritualiter intelligatur, hoc potest de Patre intelligi.

Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore. Recte David id dicere poterat, et ipse judicium fecerat, et justitiam : sed quoniam non fecit in omni tempore; propterea cecinit. Quid enim dicit? *Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore.* Quid enim prodest alicui viginti annis esse in continentia, et postea cadere? Secundum quod scriptum est in propheta : non proderit justitia justi in quacumque via erraverit : non eum liberabit, nec salvabit (*Ezech.* XXXIII). Et peccatum peccatoris non ei nocebit in quacumque die convertatur et agat pœnitentiam. Neque justus debet esse securus, neque peccator desperare debet de sua salute. In utroque enim eorum et timor est, et spes. *Qui facit justitiam.* Justitia Dominus noster est. Justitia enim Domini, Dominus noster dicitur, et

Salvator. *Beatus* ergo *qui facit justitiam*, hoc est, qui facit Christum. Quomodo ergo facimus Christum, hoc est, justitiam? Si juste agamus, concipitur in nobis justitia, et paritur ex nobis justitia, et sumus mater justitiæ. Felix est et beatus qui omni tempore et pater, et mater est justitiæ.

Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui. Quod dicit beatus David, hoc est: Scio, Domine, veterem legem: Beatitudo perfecta non est in veteri Lege, sed in Evangelio. Scio quoniam prior populus offendit te, et novus populus creatur, qui serviat tibi. Scio quia veniet filius tuus, et salvabit omne genus humanum, et credent in eum, qui electi erunt. Propterea ergo rogo quoniam ego prius natus sum in veteri Lege, ut imputes mihi mercedem cum novo populo. Videtur nostra esse sententia hæc. Legamus ipsos versiculos, et inveniemus ipsum sensum esse quem diximus. *Visita nos in salutari tuo.* Hoc est, in Filio tuo, quando venerit.

Ad videndum in bonitate electorum tuorum. Hoc est, da nobis partem cum apostolis. Quoniam nos quidem antecessimus eos in tempore: Illi vero antecedent nos in spiritualibus: hoc est, ut videamus bonitatem tuam, quam facturus es cum electis tuis. *Ad lætandum in lætitia gentis tuæ.* Gens Domini nos sumus; si tamen gens ipsius sumus. Populo, inquit, qui nascetur, quem fecit Dominus. *Ut laudemur cum hæreditate tua.* Hoc est, ut cum Evangelio et nos habeamus partem, qui in veteri lege facti sumus (*Joan.* VIII). Abraham enim pater noster vidit diem tuum, et gavisus est. Videamus ergo et nos, et gaudeamus cum hæreditate tua.

Peccavimus cum patribus nostris. Filii secuti sumus patres. Hoc fecimus quod et patres nostri fecerunt. Omnes enim sub peccato conclusit, ut omnibus misereretur (*Galat.* III). *Injuste egimus: iniquitatem fecimus.* Diligenter animadvertite quid dicat: *Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus.* Numquid dixit, impie egimus? aliud est peccatorem esse et injustum, aliud est esse impium. Peccator frequenter vincitur infirmitate corporis: impius autem negat Deum. Propterea ergo quoniam ego non sum impius, sed peccator, propterea audeo rogare pro peccatis meis.

Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua. Viderunt, et non viderunt. Viderunt carnalibus oculis, et spiritualibus oculis non viderunt. Non dixit, non viderunt: sed, *non intellexerunt.* Illi enim viderunt mirabilia, et non intellexerunt. Non enim ea spirituali contemplabantur intuitu. *Et non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.* Qualiter eos de manibus inimicorum eripuisti. Sed hodie quoque mirabilia facis, Domine: cum nos a tenebris mundi ereptos dignaris illuminare.

Et irritaverunt ascendentes in mare Rubrum: et salvavit eos, etc. Facta sunt enim hæc in Israel. Sed animadvertendum est quia, quod ibi fuit umbra, in Ecclesia veritas est completa. Igitur baptismum vel crux Christi pereuntibus stultitia est. Irritatur ergo ab his Deus, cum non intelligunt. Eruditi autem tunc cognoscent potentiam Dei. Mare autem duas habet intelligentias: baptismum scilicet et sæculum.

Increpavit mare Rubrum, et exsiccatum est. Desistit coram populo Dei procellosum sæculum, cum cognoverit fontem vitæ. *Et eduxit eos in abyssis sicut in deserto* (*Exod.* XIV.) Tamquam si per sicca deserti gradiantur, ita nullis sunt fluctibus occupati.

Et salvavit eos de manu odientium, et redemit eos de manu inimici. Liberatio ac redemptio hominis per passionem Christi facta est.

Et operuit aqua tribulantes eos: unus ex eis non remansit (*Ibidem*). Sic et nunc in nostro baptismo fit. Abluitur homo aquis, et perit diabolus cum satellitibus suis.

Et crediderunt in verbis ejus, et laudaverunt laudem ejus. Quia victores erant.

Cito fecerunt, obliti sunt operum ejus. Multi enim in Ecclesia male vivendo et non recte sentiendo de Deo, perdunt baptismi gratiam. *Non sustinuerunt consilium ejus.* Ut custodirent vitam, quam prius elegerunt.

Et concupierunt concupiscentias in deserto. In solitudine istius sæculi. *Et tentaverunt Deum in inaquoso.* Siccitas enim eis erat, quia non cognoscebant sancti Spiritus irrigationem, in columna nubis quæ præcedebat eos.

Et dedit eis petitiones eorum, et misit saturitatem in animas eorum. Ut spirituali cibo poculoque reficerentur.

Et irritaverunt Moysen in castris, et Aaron sanctum Dei. Legem utique et sacerdotium stulti irritant: cum Dei præcepta, per eos nuntiata, non audiunt.

Aperta est terra, et deglutivit Dathan, et operuit super congregationem Abiron, et exarsit ignis in synagoga eorum, et flamma combussit peccatores. Facta sunt hæc secundum litteram. Sed et nunc eos devorat terra et exardet ignis, qui terrena sapiunt et recedunt a mandatis Dei, quos non illuminat gratia Spiritus sancti; sed accendit flamma peccati.

Et fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile, et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum. In Deo enim debuerat esse gloria eorum; sed relicto eo, simulacro muto et surdo dantes gloriam, dicebant: Hi sunt dii tui, Israel (*Exod.* XXXII). Sic et nunc si quis, relicta Ecclesia, sortes pythonesque consulit, mutatur gloria ejus, et similis pecudi fit: sicut quondam Nabuchodonosor (*Dan.* IV).

Obliti sunt Deum qui salvavit eos: qui fecit magnalia in Ægypto. Ut ea plagis verberata populum liberaret. *Et mirabilia in terra Cham.* Cum, derelictis gentibus, ipsos in eorum terra plantavit. *Et terribilia in mari Rubro.* Ut Pharaone exstincto, siccum populis præberet incessum (*Exod.* XIV).

Dixit ut disperderet eos si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus, etc. Attende hæc, o sacerdos: perierat enim populus, nisi

Moyses confregisset iram omnipotentis Dei, et tu cum videris populum Dei delinquentem, cane tuba : annuntia eis delicta eorum, et sta in confractione ad Deum, ut avertatur furor ejus ab eis.

Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. Quia istam transitoriam diligebant. *Et non crediderunt in verbis ejus.* Quibus promisit regna cœlorum.

Et murmuraverunt in tabernaculis suis. De murmuratione enim Apostolus docet, dicens : Nolite murmurare sicut quidam ex ipsis murmuraverunt, et a serpentibus perierunt (I *Cor.* x). Non ergo murmuremus, ne nos dæmones venenosis morsibus saucient ac depascant.

Elevavit manum suam super eos : ut prosterneret eos in deserto. Et ut dejiceret semen eorum in nationibus, et dispergeret eos in regionibus. Dispersi sunt enim Judæi in diversis partibus. Sed et ille dispergitur per diversa, qui circumfertur omni vento doctrinæ, et in Deum firma non consistit statione.

Et initiati sunt Beelphegor, et comederunt sacrificia mortuorum. Qui Deo se consecrare debuerant, idolo consecrati sunt. Et qui panem vivum esurire debuerant, mortuorum sacrificia comederunt.

Et irritaverunt eum in adinventionibus suis. Quia perversi erant. *Et multiplicata est in eis ruina.* Ruina est cum parietes domorum ruunt : quæ tunc multiplicatur cum fuerint a fundamentis eversi. Ergo isti cum fundamento, id est, cum ipsa legis littera in qua se putabant stare, diruti sunt : quia stabiliti non fuerunt super petram.

Stetit Phinees, et placuit, et cessavit quassatio. Et reputatum est ei ad justitiam, etc. Superius dixit Moysen in confractione stetisse : hic autem Phineen exorasse dicit (*Num.* xxv). Quod diligenter ausculta, sacerdos, cui animæ commendatæ sunt : evagina gladium : interime fornicatores, hoc est, profer verbum, insta importune, opportune ; argue, increpa, obsecra cum omni patientia et doctrina (II *Tim.* iv) : ut tibi reputetur ad justitiam. Quia qui reddiderit pretiosum ex vili, sicut os meum erit, ait Dominus Deus.

Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis, et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus. Aquæ contradictionis, aquæ baptismi accipiuntur : ad quas diabolo contradicitur et operibus ejus. Post quas si quis se coinquinaverit vitiis, vexatur sacerdos, pro eo quod exacerbaverit spiritum Dei per quem ille prædicat : sicut Paulus dicebat : Quis uritur, et ego non uror (I *Cor.* xi)? De hoc etiam spiritu testabatur dicens : Nolite contristare Spiritum sanctum Dei : in quo signati estis in die redemptionis (*Ephes.* iv).

Et distinxit in labiis suis. Ut jugiter supplicaret pro eis. *Non disperdiderunt gentes quas dixerat Dominus illis.* Idololatriam vel diversa facinora.

Et commixti sunt inter gentes et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum. Sicut enim sacerdoti exoranti pro populo ad justitiam reputatur; ita his qui in desideriis fanaticis convertebantur, in scandalum.

Et immolaverunt filios suos et filias suas dæmoniis. Sensus et animas suas.

Et effuderunt sanguinem innocentem, et sanguinem filiorum suorum, et filiarum suarum quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan. Tunc enim animæ sanguis effunditur : quando homo idolis deditus a Deo, cultura recesserit.

Interfecta est terra in sanguinibus, et contaminata est in operibus eorum, et fornicati sunt in adinventionibus suis. Tabe enim iniquitatis inficitur : cum diversis fornicationibus corpus hominis inquinatur. Ideo et ira Dei in impios sævit : unde sequitur :

Et iratus est furore Dominus in populum suum et abominatus est hæreditatem suam. Quia reliquit eum. Et qui quondam fuerat plebs Dei, facta est caterva diaboli.

Et tradidit eos in manus gentium, et dominati sunt eorum qui oderunt eos. Et tribulaverunt eos inimici eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum. Sed dices tu, o homo : Non est recta via Domini, qui nos in tantis malis inclinari permittit. Sed, quæso, perspice : quia pro suis peccatores criminibus inclinantur, et Deus tanta pietate præditus est, ut semper dignetur impartiri præsidium : sicut loquitur : *Sæpe liberavit.* Semper ille liberat, et tu non corrigeris? Adhuc plaga illata in januis astat : et tu non emendaris?

Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo. Quod habuerunt, ut, relicto eo, idola sequerentur. *Et humiliati sunt in iniquitatibus suis.* Jam hi non a Deo, sed a suis delictis humiliantur. Sed præcurrit solita miseratio, dicente propheta :

Et vidit cum tribularentur, et audivit orationem eorum. Docet enim et te quod si conversus ingemueris : protinus appropinquant celsis auribus ejus preces humilitatis tuæ.

Memor fuit testamenti sui. Quod cum Abraham initium fidei nostræ pepigit. *Et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ, et dedit eos in misericordias in conspectu omnium qui ceperant eos.* Super pœnitentes enim pœnitet Deus de malitia quam locutus fuerat, ut faceret, et non fecit, constituens te in sinu Abrahæ patris cujus es fidem secutus. Ideo et propheta exsultans ait :

Salvos nos fac, Domine Deus noster. Ne nobis vitia dominentur. *Et congrega nos de nationibus.* Quia gens Hebræorum in regionibus est dispersa.

Ut confiteamur nomini tuo sancto, et gloriemur in laude tua. In Filio utique : quia nomen Filii laus tua est.

Benedictus Dominus Deus Israel, a sæculo et usque in sæculum, etc. Merito benedictus in sæcula, per quem facta sunt sæcula, et non solum facta sunt, sed etiam redempta. Qui et nunc nos recreare dignetur in salutari, id est, in Christo Jesu Domino nostro, cui est cum ipso et Spiritu sancto honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS. CVI.

Alleluia. Iste psalmus omnem causam conditionis humanæ, quam vel delinquendo sumpsit, sive pœnitendo suscepit : sive multitudinem misera-

tionum Dei (ut in præsenti ait : quis sapiens, et custodiet hæc ; et tunc intelliget misericordias Domini) narrare dignoscitur : sed et repulsionem Judæorum et vocationem gentium evidentissime pandit.

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Ideo confitemini ei peccata vestra : quia bonus est et peccata dimittit. Si autem bonus non esset, non vobis diceret, *confitemini*; et, *confitemini ei : quoniam in sæculum misericordia ejus.* Hic est misericordia : cæterum supra justitia est. *Quoniam in sæculum misericordia ejus.* Quamdiu estis in sæculo, confitemini.

Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici. Proprie de vocatione gentium loquitur. Iste enim psalmus eorum habet sacramentum : qui redempti sunt in Domini passione. *Dicant* B *qui redempti sunt.* Ipse est enim Salvator et Redemptor et pretium. *Dicant qui redempti sunt.* Ipse redemit : ipse dat pretium sanguinem suum. Quare autem dedit pretium sanguinem suum ? Ut redimeret nos de manu inimici. Captivi enim tenebamur in manu diaboli. Propterea autem ille venit et redemit nos, ut liberaret de diaboli manu. *Quos redemit de manu inimici*, ut destruat inimicum et defensorem. Inimicus homo superseminavit zizania. Inimicus autem diabolus est. Inimicus est ipse et possessor. Propterea manu sua nos tenet : non quia diligit, sed quia odit. *Quos redemit de manu inimici.* Grandis majestas et grandis potentia sanguinis Domini, qui solvit manum diaboli. Quomodo enim sunt aliqua animalia quæ stringunt aliquid intra se in- C clusum, quod dicunt et medici, et physici, ut nisi fractum fuerit, a se non dividitur, nec dimittit illud quod intrinsecus clausum tenet : si autem missum fuerit oleum, statim dissolvitur, et quod strictum fuerat dissipatur et dividitur in partes : sic et manum durissimam diaboli solvit sanguis Christi. Nolebat nos dimittere diabolus. Sanguinem suum fudit Dominus, quasi oleum misericordiæ, et per ipsum nos liberavit. *De regionibus congregavit eos.* Vide quam grandis sit manus diaboli. *Quos redemit de manu inimici.* Hos autem quos redemit de manu inimici, in cunctis regionibus tenebantur in manu inimici. *De regionibus congregavit eos.* In toto orbe manus diaboli possidebat nos.

A solis ortu et occasu, ab aquilone et mari. Videtur D quidem quatuor dixisse climata : Orientem, Occidentem, Meridiem, et Boream : hæc sunt quatuor climata mundi. Sed non ita psalmus continet. Hic enim habet : *A solis ortu et occasu :* Ecce duo climata : *Ab aquilone*, hoc est, a septentrione : Ecce tria climata. *Et mari.* Mare utique in occidente est. Ergo videte quoniam occidentem his nominavit, et meridiem nec semel. Quare igitur tria climata nominavit, et unum noluit nuncupare ? Legimus in Abacuc : Deus ab austro veniet (*Abac.* III). De Salvatore dicitur : quoniam Deus natus est in austro. A situ enim Jerusalem, Bethleem in austro posita est. Propterea dicitur, Deus ab austro veniet. Si autem Deus ab

A austro veniet : quomodo nunc dicitur, *A solis ortu et occasu, et ab aquilone ?* Auster et notus tacitus est. *A solis ortu et occasu.* Amen, amen dico vobis, quia multi venient ab oriente et occidente, et recumbent in sinu Abrahæ : filii autem generationis hujus longe erunt (*Matth.* VIII). *A solis ortu et occasu :* utique alienigenæ. Et ab aquilone. Aquilo durissimus ventus est : nomine autem dexter vocatur. Ab aquilone, inquit, exardescent mala super terram (*Jerem.* I). Mare legitur in Numeris, et in Exodo, et in omni Scriptura sancta, et ubicumque mare auditis, secundum climata semper intelligitur occidens. A situ enim Jerusalem mare hoc magnum, quod dicitur, in occidente est. Videte igitur mysterium Scripturarum. In isto loco bis occidens nominatur, et nec semel notus. Hoc quare dicitur ? Quoniam populus Judæorum in isto psalmo non scribitur vocandus, sed tantum gentium. Denique quid dicit ?

Erraverunt in solitudine in inaquoso : viam civitatis habitaculi non invenerunt. Esurientes et sitientes. Et ut sciatis quia proprie de vocatione gentium scribitur, et de expulsione Judæorum, in sequentibus ipsius psalmi scriptum est : Posuit flumina in desertum, videlicet Judæorum. *Erraverunt in solitudine in inaquoso.* Diximus quæ essent aquæ, diximus quæ essent flumina. *Viam civitatis habitaculi non invenerunt, esurientes et sitientes.* Exponamus quomodo gentium populus fuerit in deserto, ubi non erant aquæ, hoc est, in inaquoso, et quomodo viam civitatis habitaculi non invenerunt, esurientes et sitientes. De quibus dicitur, *non invenerunt*, manifestum est, quod quæsierunt viam civitatis habitaculi, sed non invenerunt. Quæsierunt ergo viam per quam venirent ad civitatem : esurientes quæsierunt et sitientes. *Anima eorum in ipsis defecit.* Defecerunt scrutantes scrutinio (*Psal.* LXIII). Defecerunt, quæsierunt, et non invenerunt, et in esurie sua et siti, *viam civitatis habitaculi non invenerunt. Esurientes et sitientes.* Multi fuerunt qui repromitterent istam viam quæ deduceret ad civitatem. Promisit Socrates, promisit Plato, promisit Aristoteles. Hæmorrhousa quæ fluebat sanguine (*Luc.* VIII), multos quæsivit medicos, et a nullo sanari potuit. *Viam civitatis habitaculi non invenerunt.* Doctrina illorum magis famem faciebat veritatis, quam saturitatem. Hæmorrhousa totam substantiam suam impendit in medicos. *Esurientes et sitientes, anima eorum in ipsis defecit.* Sed quoniam perdiderat suam universam substantiam, hoc est, Ecclesia de gentibus congregata : quia anima ejus in ipsa defecit, clamavit ad Dominum cum tribularetur. Tactus fimbriæ Domini, clamor credentis fuit.

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum eripuit eos. Ad Dominum, inquit, cum tribularer clamavi, et exaudivit me (*Psal.* XI). Tunc exaudimur a Domino, quando non simplex vox, sed tribulatio clamat ad Dominum.

Et eduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis. Quia viam civitatis habitaculi non inve-

nerunt, propterea deduxit eos in viam rectam. Ergo ostendit, quia ante invenerunt quidem vias, sed pravas, et non rectas. *Et deduxit eos in viam rectam.* Via deduxit eos in viam. Ipse Dominus atque Salvator deduxit eos in viam rectam : fecit eos, ut in se ambularent : ipse et ductor, et via. *Et deduxit eos in viam rectam*, ut per hanc viam, hoc est, per Dominum Salvatorem irent in civitatem habitationis, in Ecclesiam ejus quæ fundata fuerat super ipsum, et petram, et viam atque ductorem. Simulque considerandum, quia in isto psalmo tertio dicitur :

Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. Quia satiavit animam inanem, et animam esurientem satiavit bonis. Eos qui inanes erant a gratia sua, et famem verbi patiebantur, bonis cœlestibus satiavit.

Sedentes in tenebris et umbra mortis : vinctos in mendicitate et ferro. Vinctum enim erat genus humanum catenis criminum, et carceri diaboli mancipatum. Et cur hoc accidit? Vide quid sequitur.

Quia exacerbaverunt eloquium Domini. Quæ mandaverat, non custodientes. *Et consilium Altissimi irritaverunt.* Quod dederat ut eligerent vitam.

Et humiliatum est in laboribus cor eorum. Quia non exaltabantur in operibus Dei. *Infirmati sunt nec fuit qui adjuvaret.* Eo quod in Deum firmi non essent : nec eum requirerent, qui verus est medicus.

Et clamaverunt ad Dominum dum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos. Defecit post originale peccatum humanum genus : iterata vice non observans legem traditam per Moysen, sed et de hac necessitate illud eripuit.

Et eduxit eos de tenebris, etc. Et ob id :

Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. Et cur ejus vel misericordiæ confitendæ sint, vel mirabilia prædicentur, sequentia docent.

Quia contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit. Visitavit enim nos oriens ex alto (*Luc.* I), et illuminavit errorum tenebras, disrupitque catenas legis, ut libero arbitrio serviremus.

Suscepit eos de via iniquitatis eorum. Obseraverat igitur diabolus validissimis seris suarum ædium æreas valvas, ne ab ejus jure egredi valeret genus humanum. Quæ omnia, ut diximus, sua Dominus visitatione contrivit, suscipiens eum in se. *Propter injustitias enim suas humiliati sunt.* Ut exaltarentur in eo.

Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos. Sed vide qualiter eos liberaverit : quia omne verbum vitæ, quod prophetæ prænuntiaverunt, abominati sunt et appropinquaverunt morti.

Tunc misit verbum suum, et sanavit eos. Ipsum Filium, qui in principio erat Verbum : qui in Evangelio sanat omnem languorem et omnem infirmitatem in plebe. *Et eripuit eos de interitionibus eorum.* In quibus se ipsi demerserant.

A *Confiteantur Domino misericordiæ ejus.* Quibus excelsus se humiliavit, quibus Deus homo factus est : quibus immortalis pro mortalium vita subditur morti. *Et mirabilia ejus filiis hominum.* Quia inferni æreas portas vectesque confregit : quia rediit victor ad superos : quia remeavit ad cœlos.

Et sacrificent sacrificium laudis. Cessent hirci et vituli : quia Deus sacrificium de puro corde requirit. *Et annuntient opera ejus in exsultatione.* Cum gaudio cunctis choris annuntient : qualiter eos sua visitatione salvarit.

Qui descendunt mare. Id est, sæculum. *In navibus.* In Ecclesiis, quæ Christum portant, et a fluctibus hujus mundi tunduntur. *Facientes operationem in aquis multis.* In populis. Sed et ad apostolos hæc B referenda sunt : *Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo.* In profunda enim caligine, per eorum prædicationem lumen veritatis illuxit, et viderunt, operante Domino, in tenebris densissimis clarere lumen verissimæ Trinitatis.

Dixit, et stetit spiritus procellæ. Cessavit mundana tentatio. Sic et in navi dormiens Dominus, cum excitatus a discipulis fuisset, imperavit vento, et mare siluit (*Matt.* VIII). *Et exaltati sunt fluctus ejus.* Suspensi sunt, ne nocerent : id est, hujus diabolicæ tentationis motus, quos iniqui commoveant super justos.

Ascendunt usque ad cœlos. Elevantur in superbiis suis, ad sanctorum injuriam. *Et descendunt usque ad abyssos.* Humiliantur in confessione. Et ut intelli- C gas figuraliter hoc de malis hominibus dici, sequitur : *Anima eorum in malis tabescet.* Fluctus enim aquarum animam non habent. Sed tabescit anima : cum verberata plagis cœlestibus, se peccasse et sanctis injuriam intulisse cognoscit.

Turbati sunt, et moti sicut ebrius. Nihil enim lætum, nihil stabile, nihil sobrium eorum sensus habebat. *Et omnis sapientia eorum devorata est.* A sapientia veri Dei : sicut quondam draco Moysi deglutivit dracones Ægyptiorum (*Exod.* VII).

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos. Ut relinquentes luxuriosam ebrietatem, Dei sapientiam sequerentur.

Statuit procellam ejus in auram. Ut jam non cum igne et grandine, sed cum suavi sancti Spiritus fla- D mine adveniret. *Et siluerunt fluctus ejus.* Pœnitentiam agentes, in tranquillitatem conversi sunt.

Lætati sunt quia siluerunt. Illis quiescentibus, hi lætantur. *Et eduxit eos in portum voluntatis eorum.* De his quiescentibus fluctibus, apposuerunt integram voluntatem ad eum deduci : qui mitigans fluctus, verus est portus. *Et de necessitatibus eorum liberavit eos.* Ne ab his æstibus quaterentur.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus. Quibus protegit genus humanum. *Et mirabilia ejus filiis hominum.* Quia mirabiliter hos compescuit fluctus.

Exaltent eum in Ecclesia plebis. In congregatione fidelium. *In cathedra seniorum laudent illum.* Non in illa cathedra in qua Scribæ et Pharisæi sederunt.

qui legentes legem, non intellexerunt in ea Dominum nuntiatum, sed in illa in qua eum, vel prophetæ, vel patriarchæ, spirituali oculo contemplantes, cognoverunt in miraculis, vel oraculis cecinerunt.

Quia posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim: terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea. Merito exaltandus, merito laudandus, qui in Ecclesia quæ prius fuerat deserta, et odio habita, posuit apostolos, qui eam et consolarentur alloquio, et alluvio fœcundarent. Dedit et in animas sitientium suum verbum, exitus prædicationum, et terram corporis, quæ prius spinas amaritudinis protulerat, fructibus replevit æternis.

Posuit desertum in stagna aquarum. Præbens in Ecclesia baptismum. *Et terram sine aqua in exitus aquarum.* Prædicatores in nationum ariditate constituens.

Et collocavit illic esurientes. Ut bonis cœlestibus reficerentur. *Et constituerunt civitatem habitationis.* Animas suas exhibuerunt ab incentivis vitiorum tutas: in quibus fructus spiritus habitaret.

Et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum nativitatis. Ad apostolos ista referuntur, qui jecerunt semen in corda credentium, de quibus fructum æternitatis accipiant, hoc est, centesimum, sexagesimum, et tricesimum (*Matt.* XIII).

Et benedixit eis, et multiplicati sunt nimis. Quia quæ erant placita ei, faciebant. Sic et in manu Joseph benedixit omnia Deus, quia se a pravis cogitationibus et concupiscentiis custodivit (*Gen.* XLI *et seqq.*). *Et jumenta eorum non minoravit.* Irrationabiles inter eos homines non sunt minorati in inferius, sed in melius reparati. Igitur explicita vocatione ac redemptione gentium, redit ad expulsionem Judæorum, dicens:

Pauci facti sunt. Eo quod non fuissent in bis multiplicata opera Dei. *Et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore.* Quia insontem iniqui sunt persecuti.

Effusa est contentio super principes eorum. Ut qui Dominum contempserant, ipsi contemnerentur. Et seduxerunt eos vana ipsorum simulacra, utique quæ adorabant. *Et deduxit eos in invio, et non in via.* Seducentes eos a via Domini, deduxerunt eos in invio Satanæ. Denique, deductis istis in invio, videamus quid fecerit Deus plebi suæ.

Et adjuvit pauperem de inopia. Populum Christianum dapibus satiavit æternis. *Et posuit sicut oves familias.* Ut audientes vocem veri pastoris, fide sequerentur.

Videbunt recti, et lætabuntur. Quorum sunt prædicatione conversi. *Et omnis iniquitas opilabit os suum.* Diabolus, vel Judæi, sive hæretici: qui in excelsum iniquitatem loqui præsumpserant.

Quis sapiens et custodiet ea, et tunc intelliget misericordias Domini? Si enim sapienter consideres et

A spiritualiter intelligas, videbis in hoc psalmo quarto misericordias petitas et clementer indultas: quas et nobis pietate proflua dignetur quæsitas indulgere, pulsatas aperire, petitas non negare. Ipsi gloria cum æterno Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CVII.

Canticum Psalmi ipsi David. Canticum semper refertur in sensum: psalmus vero refertur in corporalia. Ut autem manifestius dicamus, canticum in [a] theoriam refertur: psalmus autem in practicen, hoc est, in opera. Quoniam ergo in titulo scriptum: *Canticum psalmi:* recte et consequenter in secundo versiculo ait: *Cantabo et psallam in gloria mea.*

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Pa-B ratus sum non solum opere, sed etiam corde et sensu. *Paratum cor meum*, in sensu: *paratum cor meum*, in opere, hoc est, in practice. Quoniam non solum corde et sensu, sed et in opere paratus sum. Propterea et secundo dico: *Cantabo et psallam in gloria mea. Cantabo*, hoc est, in corde meo, *et psallam.* Sicut psalterium ex multis chordis compositum est, et si una chorda fuerit rupta, exterminatur psalterium, ita et in actibus nostris, si unum mandatum prætergressi fuerimus, psalterium nostrum rumpitur. Ideo dixit: *Cantabo et psallam in gloria mea.* In aliis codicibus legitur, *in gloria tua.* Sed melius est secundum Hebraicum legere, *in gloria mea.* Quod dicit, hoc est: *Cantabo et psallam in gloria mea:* Hoc, Domine, quod tibi psallo, quod tibi canto, non C tibi gratiam facio, sed mihi. In alio enim psalmo dicit: Quoniam bonorum meorum non eges (*Psal.* XV). Quod ergo facio, pro me facio. Quod ergo servio tibi, gloria mea est. Jejunamus: numquid aliquid Deo donamus? Pro peccatis nostris hoc facimus. Jacemus in sacco. Quid ex hoc præstamus Domino? Hoc tantum illi præstamus, ut salvemus animas nostras. Ipse enim hoc desiderat. Sicut bonus et misericors medicus: si aliquem sanaverit, gaudet quidem et ipse et ille qui sanatus est: ita et Dominus noster.

Exsurge, psalterium et cithara. O psalterium, o cithara, facta es et creata es, ut psallas Deo: exsurge et psalle, quare jaces? O monache, qui stas corpore, quare jacet anima tua, et non psallis Domino? Ma-D ledictus homo qui facit opus Dei negligenter (*Jerem.* XLVIII). Si psalterium es, si cithara es, quare surdus es, et non glorificas Deum? *Exsurgam diluculo.* Deus in tenebris benedici et laudari non potest: sed in luce benedicitur. Item dico miram: Et si nocte surgimus, Deum in luce benedicimus. Numquam Christiano nox est: semper Christiano sol justitiæ oritur. Et hæc quidem secundum Judæos dicimus. Cæterum secundum altiorem sensum, Dominus est qui canit: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* Paratus sum hic: paratus sum in futuro. Salvo et in terris; salvo et in cœlis, hoc est, et an-

[a] Vide quæ sub initium epist. in nostra recensione 30, ad Paulam, observamus, not. [e], col. 441.

gelos salvo et homines. *Exsurge, psalterium et cithara.* Loquitur Dominus suo corpori : *Psalterium et cithara*, qui descendisti in infernum et jacuisti, exsurge et lauda Dominum. Et vides quid dicit : Non ipse qui movet citharam et psalterium laudat ; sed ipsa cithara et psalterium, ipsa benedicunt Patrem. Ille enim Deus est, et ab aliis benedicitur et laudatur. Corpus autem ejus et homo quem suscepit, ipse laudat Dominum. Ut autem sciatis quoniam propheta ex persona Domini loquitur, et non ex memetipso hoc loquor, videte quid sequitur.

Confitebor tibi in populis, Domine. Populos autem intellige Judæos. *Et psallam tibi in nationibus.* De nobis dicit. Judæos enim illos dicit, qui primi ex Judæis crediderunt. Et videte ordinem : Primum laudat Deum in populis, et postea laudat Dominum in nationibus. Primum enim ex Judæis crediderunt, et postea crediderunt ex gentibus.

Quia magna est misericordia tua super cœlos. Non est creatura quæ non indigeat misericordia Dei. Universi misericordia Dei indigemus. Gabriel, Michael, Seraphim, Cherubim, Potestates, Dominationes sunt quidem sanctæ, sed indigent misericordia creatoris sui. Non detraho angelis, sed creatorem prædico, siquidem ipsi angeli libenter audiunt prædicari eorum creatorem. Et aliter possumus dicere, Quoniam misericordia tua de terra levat ad cœlos. *Et usque ad nubes veritas tua.* Ubi sunt Judæi, ubi sunt similes Judæorum, qui secundum litteram tantum sunt intelligentes? Quomodo usque ad nubes est veritas Dei? Filius Dei dicit : Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* XIV), et descendit in terris, et cum hominibus conversatus est (*Baruch.* III). Et quomodo, *usque ad nubes veritas tua?* Manifestus est sensus, quod de apostolis loquitur et de sanctis, ut imbrem suum non pluant super Judæos, sed super gentes, sicut scriptum est : Mandabo nubibus meis, ne pluant super Israel imbrem (*Isai* V). In istis ergo nubibus veritas Dei est. Si autem in istis nubibus veritas Dei est, quomodo Montanus dicit, et Cataphrygæ dicunt : quod non est revelatum apostolis, nobis revelatum est.

Exaltare super cœlos, Deus. Deus non exaltatur, nisi super cœlos : non exaltatur super terram. Quando terreni sumus, non exaltamus Deum. Si autem de terrenis facti fuerimus cœlestes, tunc exaltamus Deum, et Dominus noster quando erat in terra, non nos exaltavit. Dicat aliquis : Temerarie loqueris. Siquidem ipse dicit in Evangelio : Quando exaltatus fuero, omnia traham ad me (*Joan.* XII). Vide quid dicat : Quando exaltatus fuero in cœlo, tunc omnia traham ad me. Prius quidem est iste sensus, sed ego aliud intelligo. Quando exaltatus fuero, quando crucifixus fuero, tunc omnes traham ad me. *Ut liberentur dilecti tui.* O mira intelligentia ! Propterea crucifigitur Dominus, et exaltatur, ut liberentur dilecti ejus. *Ut liberentur*, inquit, *dilecti tui. Exaltare super cœlos, Deus.* Factum est quod petivimus. Ille exaltatus est, et nos liberati sumus. *Deus locutus est in sancto suo.* Sive in templo, sive in unoquoque sanctorum, sive in propheta. Auditur in Moyse, auditur in apostolo ; et verius dico : Locutus est in Filio suo. Quid ergo locutus est Deus ? Hæc quæ sequuntur.

Exaltabor et dividam Sicimam. Propterea, inquit, crucifigor, ut dividam Sicimam. Sicima interpretatur in nostra lingua, *humeri.* Humeri autem interpretantur, *opera.* Sensus ergo iste est : Propterea crucifigor, ut opera mea dividam sanctis meis. Propterea crucifigor, ut jugum meum suave, et onus meum leve imponam super cervices hominum. Fecisti, Domine, quod pollicitus es. Exaltatus es et divisisti Sicimam. *Et convallem tabernaculorum dimetiar.* Vere Dominus et Salvator noster in hanc convallem lacrymarum, in locum humilitatis nostræ subintravit, hoc est, in istum mundum : in quo, quantumvis quivis sanctus fuerit, necdum cognoscit secundum quod oportet nosse. Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus (I *Cor* XIII).

Meus est Galaad, et meus est Manasses. Gaudet Dominus noster atque Salvator, habens plures divitias. Galaad interpretatur, *transmigratio.* Gaudet ergo quando populus ex gentibus migravit et venit ad eum. Manasses interpretatur, *ex oblivione.* Videte igitur quid dicit : Filius ille qui accepit substantiam, et comedit eam, et oblitus mei erat, nunc memoratus est mei (*Luc.* XV). Et dicitur Manasses, hoc est, *ex oblivione :* quia non est oblitus, sed remeavit ad suum patrem. *Et Ephraim susceptio capitis mei.* Ephraim interpretatur, *fructifer. Ephraim*, inquit, *susceptio capitis mei.* Susceptionem posuit nunc pro corona. Quod enim in capite ponitur, corona est, et in Scripturis diversis nominibus vocatur. In alio loco habet : Scuto circumdabit te veritas ejus (*Ps.* XC). Et in alio psalmo : Qui coronat te in misericordia et miserationibus (*Ps.* CII). Sicut enim ibi posuit scutum pro corona, ita et hic susceptionem posuit pro corona. Videte ergo quid dicit : Factus es Galaad, factus es Manasses, hoc est, migrasti ad Dominum, et post oblivionem remeasti ad patrem tuum. Esto Ephraim, esto fructifer. Habeto opera bona, et postea eris corona Domini.

Juda rex meus. Videte, in quanta gloria est qui agit pœnitentiam. Judas enim, *confessio* interpretatur. *Moab lebes spei meæ.* Grande mysterium in paucis verbis agnoscitur. Rogo vos, diligenter animadvertite. Siquidem et mihi qui loquor, et vobis qui auditis, prodest. Moab interpretatur, *ex patre.* Ab, dicitur *pater :* Mo, *ex.* Quis est iste ex patre? Qui perdidit patrem suum, qui reliquit suum patrem : qui non remeavit ad patrem proprium, nec est dignus vocari Manasses. Quis est iste Moab? Inimicus Domini, de cujus genere usque ad quartam generationem et decimam et usque in sæculum non intrabit in Ecclesiam Domini. Quis est iste Moab? Qui ex immunda commixtione nascitur in spelunca tenebrosa. Ex Lot enim et filiabus illius nati sunt

duo, Moab, et Amon, et Moab major est filius (*Gen.* XIX). Videte ergo quomodo in littera mysterium absconditur. In tenebris, in spelunca : non in sole, non in luce. Moab ergo *diabolus* interpretatur : qui oblitus est patris sui. Denique et Abessalon, qui persecutus est patrem suum, interpretatur diabolus. Iste ergo Moab, quomodo lebes spei Domini est? Lebes interpretatur, *olla*. Quomodo olla spei Domini est? Ergone credibile est, ut Moab qui interpretatur, *diabolus*, lebes spei Domini sit? Quomodo spes Domini est? Dicat Apostolus : Quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare (I *Tim.* I). Diabolus quasi quæstionarius Domini est. Qui non recte ambulant ad Deum, traduntur diabolo. Quare? Ut pereant in æternum. Et ubi clementia Dei? ubi misericors pater? ubi est qui facit solem suum oriri super justos et peccatores, et pluit super peccatores et justos (*Matth.* V)? Quod dicit, hoc est : Tradidi, inquit, peccatores diabolo, ut ab ipso cruciati, convertantur ad me. Dicitur et in Jeremia : Quid vides tu, Jeremia? Ollam succensam, inquit (*Jerem.* I). Videte ergo quoniam in ista olla mittuntur carnes. Hoc scriptum est in Ezechiel : Et mitte, inquit, carnes in ollam, ut molles fiant (*Ezech.* XXIV). Ut dura convertantur ad Deum : ut ex corde lapideo fiat cor carneum. Et ubi prius non poterat scribi propter duritiam : postea scribatur propter mollitiem. Succendam, inquit, hanc ollam, et excoquam carnes et ossa, usque dum amittant omnem humorem et illuviem. Et videte postea quid dicatur : Et discant, inquit, quia ego Dominus. Magna misericordia, et magnum sacramentum. Mittuntur carnes in ollam, ut excoquantur et discant quia Dominus est. Multa sunt quæ dicantur de Moab et olla, sed nunc longum est.

In Idumæam extendam calciamentum meum. Idumæa interpretatur, *terrena* et *sanguinea*. Misericors Deus, non solum cœlestia vult possidere, sed et terrestria. *Mihi alienigenæ amici facti sunt.* De nobis dicit, qui ex gentibus credidimus.

Quis deducet me in civitatem munitam? Nemo, Domine. Tu es enim qui dicis : Torcular calcavi solus, et de gentibus vir non fuit mecum (*Isai.* LXIII). Omnes enim declinaverunt, simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (*Psal.* XIII). *Quis* ergo *deducet me in civitatem munitam?* Nemo, Domine. Siquidem et Petrus, qui promiserat pro te mori, postea te negavit. Quæ est ista civitas munita? Infernus, ubi includuntur impii : unde exire non licet. Et vere ex ista civitate, nisi Dominus victor non exiit alter. Et vere civitas munita est ista. Moyses de ista civitate exire non potuit. Jacob similiter intravit in hanc civitatem, et non est reversus. Denique dicit ad filios suos : Lugens descendam ad inferos (*Gen.* XXXVII). Ad inferos autem descendit : quia necdum erat paradisus a latrone apertus. Munita est ista civitas ad egrediendum : aperta est autem ad introeundum. *Quis deducet me usque in Idumæam?* Ubi locus est pœnarum, et sanguinis. Idumæa enim interpretatur, *sanguinea.* Locus occisionis animarum, ubi multæ interficiuntur animæ. Nemo enim victor descendit in infernum, nisi tu solus, Domine.

Deus, qui repulisti nos. Non dixit, Qui repellis nos, sed, Qui aliquando repulisti nos. *Et non exibis Deus, in virtutibus nostris?* Hæc interrogative legenda sunt. *Et non exibis, Deus, in virtutibus nostris?* Qui passus es pro nobis, quare non adjuvas nos : sed pateris conculcari nos a diabolo crudelissimo? *Et non exibis, Deus, in virtutibus nostris.* Videte quid dicat : Non dixit, non existi : sed, *non exibis, Deus, in virtutibus nostris.* Hoc vult dicere : Quando laboramus, tunc adjuvat nos Deus. Non est enim volentis neque currentis, sed miserentis est Dei (*Rom.* IX). Videte quid dicat : Non ait : non est jacentis, neque dormientis, sed miserentis est Dei. Sed vide quid dicit : Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Si non ergo voluerimus et cucurrerimus, Deus nobis nihil proderit. Nostrum est velle et currere, et postea Deus miseretur. Athleta enim dormiens perdit victoriam.

Da nobis auxilium de tribulatione. Non dixit, da nobis auxilium de deliciis : sed, *de tribulatione.* Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me (*Psal.* CXIX). Non dixit : cum essem in deliciis clamavi, aut dormiens clamavi. Vis exaudiri a Domino? Esto in tribulatione : clama, et exaudieris. Si quis ergo non est in tribulatione, auxilium Domini invocare non potest. *Quia vana salus hominis.* Maledictus homo qui spem habet in homine (*Jer.* XVII). Non est necesse hoc interpretari. Hæc sententia omnibus patet. Aliquis speravit in imperatore, speravit in principe, in patre, aut matre : in aliquo negotio subito subtractus est spiritus ejus in quem ille speravit, et evanuit salus ejus. Non dixit, *vana salus hominis*; sed, salus ejus qui sperat in homine.

In Deo faciemus virtutem. Non habeamus spem, nisi in Domino tantum. Non dicamus : si illud mihi eveniat, aut illud, unde habeo vivere? Respondeo tibi quod majus est. Si persecutio fiat, unde habes vivere? Semper Christiano persecutio est, semper nuditas proposita est. Nemo ergo debet de vita ista desperare, nemo timeat, nemo debet dicere : Si senuero, unde habeo vivere? si infirmus factus fuero, unde vivo? Christum habes, et times? Si volatilia cœli pascit, dubitas quod possit te pascere? Diabolus pascit suos homines, et Christus non pascet suos servos? Diabolus facit judices hujus mundi divites, et Christus non potest facere, ut non mendices? Diabolus dat aurum et gemmas, et Christus panem non potest dare? Nos omnem sollicitudinem projiciamus de cordibus nostris, et dicamus : *In Deo faciemus virtutem.* Ipse erit virtus nostra : ipse panis noster : ipse erit rector noster. *Et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.* Ipse nos coronat : ipse pugnat nobiscum : magis autem ipse vincet in nobis. Quid enim dicimus? *In Deo faciemus virtutem.* Quando enim fortes fuerimus, *ipse ad nihilum de-*

ducet inimicos nostros. Non dixit : pugnabit, aut occidet : sed, *ad nihilum deducet*. Ideo eos ad nihilum deducet, ut, si voluerint, fortes eos faciat, et glorificet eos. Benedicamus ergo Deum : cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CVIII.

In finem, Psalmus David. Quod dicit, *in finem* : intelligamus non de præsenti dici, sed de futuro. Si autem de futuro dicitur, prophetia de Christo est.

Deus, laudem meam ne tacueris. Hoc est, Judas me tradidit, Judæi persecuti sunt, et crucifixerunt, et putaverunt me in finem perdere. Tu autem, Deus, laudem meam ne tacueris. Universa Ecclesia per singulos dies laudat Dominum, et completa est oratio Domini dicentis : *Deus, laudem meam ne tacueris*. Vide cujus dignitatis sunt sacerdotes. Sacerdotes loquuntur, et in sacerdotibus Deus laudem Filii sui non tacet. *Quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est*. Videamus quomodo os Judæ proditoris apertum est in Dominum. Venit ad Dominum, ut eum tradat, et dicit : Rabbi, hoc est, magister (*Marc*. XIV). Ecce *os peccatoris*, *et os dolosi*. Ego eum mea clementia volo salvare, et osculum illi porrigo, et volo vincere malitiam ejus, et ille permanet ad malefaciendum, ut me tradat. Specialiter intelligitur de Juda : generaliter autem de Judæis, in eo tempore quo dicebant : Crucifige, crucifige (*Joan*. XIX). Tale os peccatoris in Dominum apertum est. Ut autem videatis quod de omnibus Judæis dixit, ex consequentibus cognoscetis. Quid enim dicit ?

Locuti sunt adversum me lingua dolosa. Ego pro ipsis crucifigebar, et illi insultabant mihi. Vulnera mea medicina eorum erant, et videbar illis in derisum. *Et sermonibus odii circumdederunt me*. Non ut credant, sed ut expugnent. *Et expugnaverunt me gratis*. Dupliciter intelligitur *gratis*, hoc est, sine causa. Nec enim peccaveram, et non merebar ut debellarent me. Quæ autem digna causa erat, ut expugnarent me ? Quia sanaveram ægrotos eorum, quia mortuos resuscitaveram, quia alia signa feceram. Videte ergo quoniam gratis expugnaverunt eum. Et aliter intelligitur. Voluerunt extinguere et delere nomen meum, et tamen non potuerunt. Quando aliquis aliquem persequitur, et nihil proficit : et non implet desiderium suum, gratis persequitur.

Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi : ego autem orabam. Pro beneficiis, quæ eis contuleram, ipsi contumelias mihi faciebant. Ego autem quid faciebam ? *Orabam*. Hæc sunt arma Domini : hæc sint et nostra arma, oratio. Si quando ergo nos persequitur aliquis, et odit nos, dicamus : *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi*. Ego autem quid faciebam ? *Orabam* : ut eos vincerem ? Absit. Dominus non orabat, ut vinceret. Sed quid dixit ? *Ego autem orabam*. Quid dicebam ? Pater, ignosce eis : quod enim faciunt, nesciunt (*Luc*. XXIII).

Et posuerunt adversum me mala pro bonis. In cruce positus, rogabam pro crucifigentibus me, et illi dicebant : Vah ! qui solvis templum, et in tribus diebus illud reædificas. Salva temetipsum (*Marc*. XV). Si diligit te Pater, veniat nunc, et liberet te (*Matt*. XXVII). Ego pro ipsis ex mortuis resurrexi, et illi dicunt : Discipuli illius venerunt nocte, et furati sunt eum (*Luc*. XXIII). *Et odium pro dilectione mea*. Considera, o Christiane; considera, o monache; si Dominus persecutorem suum et proditorem osculo suscepit, et pro crucifigentibus eum orat : nos pro fratribus nostris quid facere debemus ?

Constitue super eum peccatorem. Quoniam rogavi pro ipsis in cruce, et viderunt vulnera mea. Dedi eis locum pœnitentiæ, et non agunt pœnitentiam, et me nolunt habere regem, habeant regem diabolum : nolunt habere regem Jesum, habeant regem Barabbam, qui interpretatur, *filius patris*, hoc est, diaboli. Barabbas iste quis fuit ? Seditiosus et latro. Et vere Barabbam habent regem, et usque in hodiernum diem seditiosum et latronem, qui occidit ipsos Judæos. Barabbas latro, qui sanguine delectatur, antequam Dominus crucifigeretur : antequam eum crucifigerent Judæi, inclusus erat. Negaverunt Dominum, et Barabbas dimissus est (*Joan*. XVIII). Ex eo enim tempore Barabbas cœpit in eos habere potestatem, et ille dæmon qui ejectus fuerat de homine, et de illa generatione, et perambulabat in deserto, et locum invenire non poterat, adduxit secum alios septem dæmones pejores se (*Luc*. XI), et intravit in synagogam, et facta sunt novissima hominis illius pejora prioribus. Denique et Synagoga Judæorum antequam crucifigeret Dominum, erat quidem peccatrix, sed unum tantum habebat dæmonem. Crucifixit Dominum, et octo simul in eam dæmones ingressi sunt. Impletum est ergo quod dixit : *Constitue super eum peccatorem*, *et diabolus stet a dextris ejus*. Quoniam a dextris ejus stetit, propterea Synagoga siccam habebat manum dexteram, sicut scriptum est in Evangelio. Nos autem oremus, ut Dominus stet a dextris nostris, diabolus autem a sinistris (*Luc*. VI). Scriptum est in Zacharia : Et ostendit mihi Dominus Jesum Sacerdotem magnum, stantem coram angelo Domini, et Satan stabat a dextris ejus, ut pugnaret cum eo (*Zach*. III). Si ergo a dextris diabolus stat, quomodo nunc de Juda dicit, *et diabolus stet a dextris ejus ?* Sed videte quid dicit : Stabat diabolus a dextris Jesu, ut adversaretur ei, hoc est, dexteræ ejus adversari volebat. Hic autem non dicit, quia pugnare vult; sed quia jam vicerat Judam. Diabolus ibi contra dexteram desiderat pugnare : hic autem dominatus est dexteræ Judæ. Sed et hoc considerandum. In illo tempore stabat a dextris Domini, ut adversaretur ei, quando Jesus habebat vestimenta sordida. Sic enim et ibi scriptum est : Et Jesus habebat vestimenta sordida. Quamdiu habet Dominus Jesus vestimenta sordida, tamdiu stat diabolus a dextris ejus, quamdiu portat peccata nostra : in peccatis nostris adversatur illi diabolus. Quando autem dicitur in Zacharia : Tollite vestimenta ejus sordida, et induite

eum mutatoriis, continuo dicit Jesus ad diabolum : Increpet Dominus in te, Satanas, increpet te qui elegit Jerusalem. Hoc totum ideo diximus; quia scriptum est : *Et diabolus stet a dextris ejus.*

Cum judicatur, exeat condemnatus. Non veniat in judicium, sed in condemnationem. Ubi enim judicium est, ibi condemnatio : ubi autem condemnatio, jam manifesta est sententia. *Et oratio ejus fiat in peccatum.* Pœnitentia Judæ, pejus peccatum factum est. Quomodo pejus peccatum factum est pœnitentia Judæ? Ivit, et suspendio periit. Et qui proditor Domini factus est, hic et interemptor sui exstitit. Pro clementia Domini hoc dico : quia magis ex hoc offendit Dominum, quia se suspendit, quam quod Dominum prodidit. Oportebat orationem ipsius esse in pœnitentiam, et versa est in peccatum. Vides hæreticum orantem, vides Judæum, vides Manichæum : licet jejunent, licet orent, tamen oratio ipsorum vertitur in peccatum.

Fiant dies ejus pauci. Dies ejus pauci facti sunt : noctes vero creverunt. Receptus est enim in dimidio dierum suorum. Sol ab ipso recessit, et ecce tenebræ ei multiplicatæ sunt. *Et episcopatum ejus accipiat alter.* Hoc et in Actibus apostolorum manifestius interpretatum est (*Act.* I). Non solum autem in illo tempore de Juda dictum est; sed usque hodie dicitur, et usque in diem judicii. Si ipse Judas apostolatum perdidit, custodiant se sacerdotes et episcopi, ut non et ipsi suum sacerdotium perdant. Si apostolus cecidit, facilius monachus potest cadere. Virtus non perit, licet homo cadat et pereat. Tamen Dominus denarios suos dat sub fenore. Si ille non duplicaverit, accipitur pecunia ejus, et datur habenti. Pecunia Domini otiosa esse non potest.

Fiant filii ejus orphani, et uxor ejus vidua. Videte quia sacramenta sunt quæ dicuntur. Filios Judæ quos putas? Judæos. Et Judæi dicuntur non ab illo Juda sancto, sed ab isto proditore. Ex illo sancto nos sumus Judæi spirituales : ex illo autem proditore, isti sunt Judæi carnales. Denique duo sunt apostoli, qui vocantur Judæ vocabulo. Undecimus apostolus est, qui dicitur Judas Jacobi. Duodecimus autem est, et novissimus, qui vocatur Judas Iscariotes. Ex illo ergo Juda Jacobi, nos dicimur Judæi spirituales, ex isto autem Iscariote, illi dicuntur Judæi carnales. Ille Judas pater noster dicitur Jacobi, hoc est, Judas filius supplantatoris. Nos enim supplantavimus populum Judæorum et accepimus primitiva illorum, illi autem ex Iscariote dicuntur, quod dubium est, an patrem significet, an villam ejus. Cæterum quomodocumque interpretatus fueris, merces interpretatur et pretium. Igitur Judas qui proditurus erat Dominum, et pretium accepturus, de pretio nomen accepit. Licet reddiderit pretium sacerdotibus Judæorum, sed tamen illi condemnant eum, quoniam nolunt recipere pretium sanguinis. Videte dissensionem Pharisæorum et infelicitatem Judæ. Si bene emistis sanguinem Jesu, quare non recepistis pecuniam vestram? Si autem non vultis recipere, quoniam pretium sanguinis est : ostenditis vosmetipsos injuste et inique effudisse sanguinem. Sed vide quid faciunt. Ipsam, inquit, pecuniam non mittunt in corbonam, sed emunt ex ipsa agrum, et appellant eum Acheldemach, quod interpretatur, *pretium sanguinis* (*Matth.* XXVII). Quare illum emunt? In sepulturam peregrinorum. Nos beati quibus de pretio sanguinis Domini ager emitur. *Et uxor ejus vidua.* Synagoga, quæ prima facta est uxor Dei, de qua dixit : Et dedit illi libellum repudii (*Deut.* XXIV). Et iterum : Recepi eam, et dixi illi : Convertere ad me (*Jer.* III). Illa ergo Synagoga repudium accepit a Salvatore, et facta est uxor Judæ proditoris. Denique quid fecit? Non accepit dotem, sed dotem marito suo dedit. Iterum autem ille miserrimus Judas qui prodidit Dominum, non vult accipere malam dotem; sed reddidit meretrici uxori malam dotem, quam accepit ab illa. Et quid dicit? Displicuisti priori tuo marito, repudiavit te, et projecit, et dedit tibi libellum repudii. Ego nolo te habere in uxorem. Dedisti mihi pretium, et decepisti me. Et quæ interfecisti Dominum Deum tuum, interficies et me. Non possum enim in Scriptura invenire, quod Judas [a] habuerit aut uxorem, aut filios.

Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent. Diligenter considerate : siquidem difficilia sunt quæ sequuntur. Ex illo tempore ex quo Dominus crucifixus est, ex tunc semper moventur Judæi, non stant in suo loco. Denique dicitur et de Cain : Et exiit, inquit, Cain a facie Dei, et habitavit in terra Nod (*Gen.* IV) : Nod autem interpretatur *commotio.* Quia egressus fuerat a facie Dei Cain : recte non stetit, sed habitavit in terra Nod, hoc est, in commotione. Ita igitur et isti, quoniam crucifixerunt Deum et Dominum suum, nutantes transferentur. Non enim sunt in suis locis; sed in toto orbe divisi sunt. Mendicitatem hic dicit divitiarum spiritualium. Non enim habent prophetas, non habent Legem, non habent sacerdotium, non habent sacrificium, sed vere mendici facti sunt.

Scrutetur fenerator omnem substantiam ejus. Dedisti illi pecuniam, Domine : dedisti illi sicut et aliis. Ille autem quid fecit? Non ligavit in sudario, et non infodit terræ, et negligens fuit; sed ubi habuit talentum et pecuniam Domini, accepit pretium ab inimicis Domini, et vendidit Dominum suum (*Luc.* XIX). Propterea tibi dico : Domine, exige ab illo fenus pecuniæ tuæ. *Et diripiant alieni labores ejus.* Feneratur Dominus, manifeste exigit, et quid factum est? Alieni diripient labores ejus. Sive de omnibus Judæis generaliter intelligimus : quia vastati sunt a Romanis. Sive specialiter, quod a dæmonibus direptus est Judas, et ipse populus.

Non sit illi adjutor, nec sit qui misereatur pupillis

[a] Juvabit recoluisse quæ tradit Euthymius in hunc locum.

ejus. In illo tempore non habuit populus Judæorum adjutorem. Respondete mihi, o Judæi. Fuistis in Babylonia: habuistis ibi prophetas, Daniel, Ezechiel, et revera idololatræ eratis. Septuaginta annis fuistis in captivitate, et postea venistis in propria. Ecce nunc quadringenti [a] anni, quare non est missus ad vos propheta? In illo tempore idola colebatis, et miserebatur vestri Deus. Nunc autem non colitis idola, quare dereliquit vos Dominus? Ecce quadringenti anni sunt. Sed tunc dereliquistis Dominum, et idola colebatis: nunc autem Dominum crucifixistis et interfecistis, et ideo non erit vobis adjutor.

In generatione una deleatur nomen ejus. O prophetia, o sacramentum prophetiæ! *In generatione una deleatur nomen ejus*. Post passionem Domini, quadraginta duo anni transierunt, et populus ille deletus est. Siquidem perfecta ætas quadragesimo anno venit. Post passionem ergo Domini, quadragesimo secundo anno deleta est Jerosolyma. Videte ergo quoniam in generatione una deletum est nomen ejus. Sed et in hoc clementia est Domini. Crucifixerunt eum, et quadraginta duos annos dedit eis ad pœnitentiam. Ego simpliciter dico: Propterea interfecit eos post quadraginta duos annos, quia ex illis qui crucifixerunt Dominum, nemo remanserat ex eis. Judas maledicitur, ut in Juda Judæi maledicantur.

In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini. Peccaverunt in deserto, dimisisti eis. Nunc reputat illis quod tunc peccaverunt, quoniam Dominum crucifixerunt. Sive aliter interpretemur: Et reputat illis crudelitatem homicidiorum eorum, et nihil eis dimittit. *Et peccatum matris ejus non deleatur*. Quæ est mater Judæ? Jerusalem, quæ in sanguine gaudet, quæ occidit prophetas et ipsum Dominum suum.

Pro eo quod non est recordatus facere misericordiam. Videtis quanta clementia Domini est. Videt eum cum ministris venientem; videt eum venientem cum fustibus, et porrigit illi osculum. Ille venit ad prodendum, et Dominus osculum dat, ut qui magistrum non timuit, vel clementia vinceretur.

Et persecutus est hominem inopem et mendicum. Qui cum esset dives, propter nos pauper factus est (I *Cor*. VIII). Dominus inopem se dicit et mendicum, et quis in divitiis suis gloriatur? Habetis consolationem, pauperes, et Dominus vobiscum pauper est. *Et compunctum corde mortificare*. Quid est quod dixit, *compunctum corde mortificare?* Quod in Evangelio dixit: Tristis est anima mea usque ad mortem. Et iterum quando dixit: Pater, si possibile est, transeat a me calix iste (*Matth*. XXVI). Aliter: Hoc dolebat mihi, et contristabar pro persequentibus me: quia nolebant pœnitentiam agere. Ego in cruce pendebam, et sanguine meo lavabam sordes eorum, et ipsi nolebant agere pœnitentiam. Hæ erant lacrymæ, hæc compunctio: quoniam persequentes me non potui salvare.

Libera me, quia egenus et pauper sum ego. Dominus se pauperem dixit, ut pauperes consolaretur. Cum hominibus pauper factus est, ut saltem nemo pauperem despiceret. *Et cor meum conturbatum est intra me*. Videte quid dicat: *Et cor meum conturbatum est intra me*. Ipsum est quod alibi dicit: Turbatus sum, et non sum locutus. Quod turbor, hominis est: vincere autem turbationem et iram, hoc magnæ virtutis est. Propterea dicit et propheta: Irascimini, et nolite peccare (*Psal*. IV). *Irasci hominum est:* non remanere in ira, Christiani est.

Excussus sum sicut locustæ. Ego quidem veneram, ut protegerem populum meum, et dixi: Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt: quotiens volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas (*Matth*. XXIII)! Ego veneram ut gallina ad protegendum eos: illi autem inimicissima mente susceperunt me. Ego veneram ut mater, et illi quasi homicidam suum me interfecerunt. *Excussus sum*. Quid est hoc? persecuti sunt me, projecerunt me. Persecuti sunt me de Nazareth. Veni in Capharnaum, persecuti sunt me. De Capharnaum ivi in Bethsaidam, et inde me persecuti sunt. Veni in Jerusalem, nolebam recedere a populo meo, et inde me persecuti sunt, et sic me habebant quasi locustas. Et quid feci? Iratus sum, defendi memetipsum, maledixi eos, et dereliqui illos? Nec unum horum feci; sed quid feci? Oravi pro ipsis.

Genua mea infirmata sunt a jejunio. Habete consolationem, o monache, jejunando: siquidem et Dominus hoc fecit. Ego dico quod quando jejunat monachus, fortior fit jejunio. Et quando infirmantur genua ejus jejunio, tunc maxime roboratur. *Et caro mea immutata est propter oleum*. Rem videor difficilem dicere, et secundum litteram interpretor, ut ædificem audientes. Ædificat enim me littera. Bonum est jejunare: bonum est fugere delicias. Antequam veniam ad spiritualem intelligentiam, miror in littera, quod dicit oleum se manducare. Longe est a cæteris desideriis. Hoc totum dixi, quia dixit: *Et caro mea immutata est propter oleum*. Hoc aliter interpretatus sum. Cæterum quod dicit, hoc est: Oleum, imago claritatis est: oleum quasi esca est luminis. Ita igitur et Judæi acceperunt a me oleum, acceperunt vitam, acceperunt lumen. Ne quis existimet, quod oleum dicat pro misericordia: in Hebræo significat, intelligibile oleum. Immutatus est, non in gaudium, sed in tristitiam: non ut pulchrior inveniatur, sed ut fœdior appareat. Propterea dicit: Vidimus eum, et non habebat pulchritudinem (*Isai*. LV). Quare? Quia caro ipsius immutata est propter oleum. Non habebat delicias corporis, sed Dei spiritus. Et nos ergo quando jejunamus, quando

[a] Quod sequior ista Hieronymi ætate sit, reum ementiti nominis tractatorem hunc agunt eruditi. Est tamen hic locus et in Aquicinctensi ms. apud Martene Anecdotor. tom. IX, ubi Hilario Pictaviensi, seniori scilicet Patri, opus ascribitur. Vide quæ in præfixa Admonitione observamus.

facies nostræ pallidæ sunt : quando fœdi videmur, A cognoscamus nosmetipsos tunc pulchiores apparere Christo. Tales diligit milites Christus, qui jejuniis vacent. Annona nostra et esca jejunium est. Quare? Quia in jejunio victoria est, et in victoria triumphus. Denique et Apostolus : Non in saturitate, sed in infirmitate gloriatur (I *Cor.* IV). Quando enim infirmor, tunc fortior sum (II *Cor.* XII).

Et ego factus sum opprobrium illis. Vocabant enim me Samaritanum, et dicebant : In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia (*Joan.* VIII). Nonne hic est filius Joseph fabri? Nonne fratres ejus et sorores omnes apud nos sunt (*Luc.* XI)? Et iterum : Qui solvis templum, et in tribus diebus ædificas illud (*Marc.* XV). Et iterum : Videamus si venit Elias salvare eum. Ille vocabat : Eli, Eli : quod est, Deus B meus, Deus meus (*Matth.* XXVII), et illi Eliam putabant. Videte inerudiios Judæos. Filius Dei Eliæ auxilium petebat? *Viderunt me, et moverunt capita sua.* Quare moverunt capita sua? Quia et pedes jam moverant.

Salvum me fac propter misericordiam tuam. Dicit et in Evangelio : Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum resumendi eam (*Joan.* X). Et iterum : Nemo tollit eam a me. Et quomodo misericordiam petit? Ipse misericordiam petit, et ipse tribuit. Ipse ut homo rogat, et ut Deus tribuit.

Et sciant quia manus tua hæc, et tu, Domine, fecisti eam. Quid est quod dicit : *Et sciant quia manus tua hæc, et tu, Domine, fecisti eam?* Intelligant Judæi quoniam ipsi non prævaluerunt in me : sed mea et tua voluntas facta est ut patiar, et ego volui pati : C propterea dico secundum quod homo sum : Deus meus, ut facerem voluntatem tuam, volui : et tua voluntas erat et mea ut patiar, non illorum. Ergo non insidiæ et fortitudo fecit : sed ego et tu voluimus ut patiar. Tu enim percussisti pastorem tuum, et oves dispersæ sunt. Hoc scriptum est in Zacharia : Percutiam pastorem, et dispergentur oves (*Zach.* XIII). Quod ut patiar, mea voluntas fuit et tua. Quod tu voluisti, et ego volui. Oportebat venire scandalum, sed væ per quem venit (*Matth.* XVIII).

Maledicent illi, et tu benedices. Usque hodie hoc fit : Illi maledicunt in synagoga, et Dominus benedicit in Ecclesia. *Qui insurgunt in me, confundantur : servus autem tuus lætabitur.* Illi insurgunt in me : ego autem servus tuus lætabor. Quare autem servus tuus? D Quoniam qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed exinanivit semetipsum, formam servi accipiens (*Philipp.* II).

Induantur qui detrahunt mihi pudore. Valde nobis prodest intelligere quod dicimus : Clementia Dei in hoc apparet, in dicendo, *induantur.* Non dicit, pereant : non dicit, deleantur in æternum. Sed quid dicit? Confundantur, hoc est, intelligant errorem suum, et confundantur, et deficiat in pœnitentia. Qui induitur pudore, prope est saluti : si quis enim vere confunditur, incipit pœnitere. Considerate, o monachi, si aliquando habueritis aliquid contra fratrem vestrum, semper pro ipso rogare debetis Dominum. Dominus crucifigitur, et pro crucifigentibus rogat. Vos autem, si audieritis verbum malum, ne teneatis iram? Sol non occidat super iracundiam vestram (*Ephes.* V). *Et operiantur sicut diploide confusione sua.* Diplois genus est pallii. Denique et in Hebraico MAIL (מעיל) dicitur. Diplois ideo, quia duplex est pallium. Propterea ego dico tibi : Domine, inimici mei sunt Judæi : persecuti sunt me, crucifixerunt me, fecerunt mihi omnia mala, blasphemaverunt me. Indulge illis : quoniam ego qui passus sum, rogo pro ipsis. Et quid rogo? Erubescant et confundantur, et sic salventur. Nudaverunt me tunica mea, et suam perdiderunt. Da illis confusionem, da illis ignominiam, et habeant duplex pallium, hoc est, ne simplicem habeant confusionem, sed duplicem, ut magis agant pœnitentiam. Non dicit contra Judæos, sed pro ipsis dicit. Creator enim est, et illorum, et noster, non enim eos omnino eradicavit. Vultis scire? Petrus ex ipsis erat, et omnes apostoli ex ipsis erant. Nos in radicem ipsorum inserti sumus. Nos rami sumus, illi radix. Non debemus maledicere radicibus, sed debemus orare pro radicibus nostris. Qui inserti sumus in radicem, deprecemur Dominum, ut sicut hi rami salvi facti sunt, sic et radix salvetur. Forte aliquis dicat : Tu pro Judæis oras blasphemis? Oro Dominum pro ipsis. Si enim ipse persecutorum suorum miseretur, quanto magis mei miseretur?

Confitebor Domino nimis in ore meo. Hoc post resurrectionem dicitur, et de futura Ecclesia cantatur. *Et in medio multorum laudabo eum.* Non enim in Judea solum, sed in universo orbe, in Ecclesia laudabo te.

Quia astitit a dextris pauperis. Diabolus ad dexteram Judæ stetit. Cæterum mihi *Dominus* stetit ad dexteram. *Ut salvam faceret a persequentibus animam meam* (*Matth.* XXVI). Animam, inquit, salvabit. Et alibi dicit : Tristis est anima mea usque ad mortem. Qui tristis est, sensum habuit. Insensibilis enim anima sensum non habet. Insensibilis anima non habet sensum, neque dolorem. Ubi enim dolor est et tristitia, ibi sensus est. Si ergo habuit tristitiam, si habuit dolorem, ergo habuit et sensum doloris. Si ergo voluerint nobis dicere : Propterea non dicimus eum habuisse sensum, ut non videatur habere peccatum. Nos illis respondeamus : Habuit corpus sicut et nos, aut non habuit? Si dixerint, Habuit : respondeamus illis : Ergo habuit et passiones corporis nostri. Intelligat unusquisque quod dico. Si autem negaverint eum habuisse passiones corporis, ergo dicimus illis, quod nec corpus habuit. Et nos dicamus illis : Sicut corpus habuit verum, sicut et nos, et non habuit peccatum corporis, ita et animam veram habuit, et peccata animæ non habuit. Nos ergo confiteamur verum corpus eum habuisse, et veram animam. Si enim non suscepit Dominus cuncta quæ hominis sunt, non salvavit hominem. Si autem suscepit corpus, animam autem non suscepit, ergo corpus salvavit, animam autem non salvavit. Nos autem volumus magis salvari animam nostram quam corpus. Suscepit ergo Jesus, et corpus, et animam,

ut utrumque salvet, ut perfectum hominem salvet, sicut et eum condidit. Si ergo dicunt illi : quia ideo Dominus non accepit sensum, ut non peccaret : et hoc putant, quod quicumque sensum habuerit humanum, vincere enim non potest. Dicant nobis : Joannes Baptista habuit sensum, an non habuit? Illo tempore quo erat in deserto, peccavit? Utique dicunt, quia non peccavit. Denique et Dominus noster dicit : Amen dico vobis, non fuit inter natos mulierum major Joanne Baptista (*Matth.* XI). Petrus habuit sensum, an non habuit, et cæteri sancti apostoli? Si ergo apostoli vicerunt sensum humanum : Dominus timuit accipere sensum, ne vinceretur ab illo? Et dum volunt glorificare Dominum, detrahunt illi. Quomodo illi detrahunt? Ut videatur timere Dominus, quod apostoli non timuerunt. Nos ergo gratias agamus omnipotenti Deo, et dicamus : In sensu tuo non habuisti peccatum. Et venit princeps hujus mundi, et invenit in te nihil (*Joan.* XIV). Ita ergo præstes nobis, sicut in tuo sensu vicisti diabolum, et in sensu nostro vince diabolum, ut quemadmodum perfectos nos creasti, perfectos et salves nos. Tu enim es Creator, tu es Magister, tu es Dominus, tu es et qui pro nobis passus es : qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CIX.

[a] *Psalmus ipsi David.* Iste psalmus vocem vatis continet de Christo loquentis. Ait ergo propheta :

Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis. David est qui loquitur, propheta, vir sanctus, rex. Rex ergo quid dicit? Rex et propheta quid dicit? *Dixit Dominus Domino meo.* Istum locum Salvator in Evangelio exposuit, dicens : Si Christus est, inquit, filius David : quomodo in spiritu vocat eum Dominum (*Matth.* XXII)? Vides ergo quid dicat : Si filius est David, quomodo vos dicitis : Quomodo in spiritu vocat eum Dominum? Dicat aliquis : Ergo non est filius David? Hoc dicebat de Pharisæis, qui simplicem filium David confitebantur Christum. Ego ad Judæum et Photinum hoc ipsum dico : Si filius est David, quomodo vocat filium suum Dominum? Qui autem Dominum Deum confitetur, et Dei Filium (verbi gratia Manichæus, qui negat illum filium David), apud illum probo quod filius David est. Nobis ergo qui Filius Dei est, ipse est et filius David. Non alius Filius Dei, et alius filius David. Non facio duas personas in Deo et homine, sed ipse qui Filius Dei, ipse est et filius David. *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis.* In Hebræo primum nomen (יהוה), Domini, his litteris scribitur : quibus de Deo tantum scribitur. Secundum vero nomen Domini (אדני) his litteris scribitur, quibus solent homines Dominum vocare : quomodo et a quibusdam vocatur Dominus a servo, et reges vocantur Domini. Vide ergo quid dicat : *Dixit Dominus Domino meo.* Huic Domino, cui præcipitur ut sedeat, Deus non sedet, assumptio corporis sedet. Huic ergo præcipitur ut sedeat qui homo est, qui assumptus

A est. Hoc adversus Arianos dicimus, et adversus eos qui dicunt : Major est pater qui jubet ut sedeat, quam ille cui jubetur. Omnia Evangelia personant de persona hominis, et nunc non necesse est approbatio : quia omnia quæcumque vilia videntur, referuntur ad hominem, referuntur ad carnem. Nunc de Psalmo dicamus :

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Virgam in Hebræo non tam habet, quam sceptrum, hoc est, insigne regiæ potestatis. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Ex Sion enim egreditur lex, et verbum Domini ex Jerusalem (*Isai.* XXIII). *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Non dixit : Interfice inimicos tuos : sed quid? *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Inimicis tuis fac, ut qui alieni fuerant, tui esse incipiant. *Dominare in medio inimicorum tuorum :* B inimici tui, de quibus scriptum est in sexagesimo septimo psalmo : Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Isti sunt inimici, qui in aliena erant potestate. Nunc ergo hoc precatur Psalmista : Inimicis tuis dominare, dignare esse Dominus inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum. Versiculus obscurus. Videamus diem virtutis Domini : ut cum scierimus diem, tunc sciamus quod sit principium, et hoc principium quomodo cum eo sit, et cum eo fuerit : quomodo hoc ipsum principium in die virtutis ejus, in splendoribus sanctorum est. Hoc ergo principium quod est cum Domino in die virtutis ejus, ideo est cum Domino, ut splendeant sancti. *Tecum principium in die virtutis tuæ.* In principio erat Verbum, et Verbum erat C apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I). Hoc erat in principio apud Deum. Pater principium, sed et Filius principium. Principium enim non habet principium. Si enim habuerit aliud principium, jam ipsum desinit esse principium. Quidquid ergo dederimus Patri, hoc damus et Filio. Si enim Pater in Filio, et Filius in Patre, et omnia Patris, Filii sunt, et omnia Filii, Patris sunt, et principium Patris, principium Filii est. Ergo quod dicit, hoc est, eo tempore quo patiebaris et dicebas : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII) : quasi de hominis loquebaris affectu, non quasi imbecillis rogabas. Tecum enim erat principium, tecum enim erat divinitas, sed propterea deprecaberis auxilium, ut, accepto auxilio, dares sanctis tuis, et illi splen- D derent. Hoc quod dicitur : Accipiens dares, nulli scandalum faciat : secundum hominem loquitur. Si enim hominis corpus assumpsit, necesse est ut et hominis verba suscipiat. Homo est Christus, et vere homo est : secundum assumptionem carnis dicimus. Si ergo homo est secundum corpus, vides corpus, et non scandalizaris, et miraris, si hominis verbis loquitur? Si autem te scandalizat vilitas corporis, et crux, et injuriæ, et alapæ, et flagella, et omnis injuria crucis : si te hoc scandalizat, revertere ad principium, et non scandalizaberis. Dicit enim Pater ad Filium : *Ex utero ante Luciferum genui te.* Miraris

[a] Confer verum Hieronymum initio libri IV, pag. 181, Comment. in Matth.

si Dominus noster atque Salvator, qui vere homi- A nem assumpsit, loquitur secundum hominem : cum ipse Deus Pater, qui non assumpsit hominem, loquitur quasi homo : *Ex utero ante Luciferum genui te.* Non habeo uterum : sed non possum me aliter indicare Patrem, nisi hominis verbis locutus fuero. *Ex utero ante Luciferum genui te. Ex utero*, de mea substantia. *Ex utero.* Audi, Eunomi : audi, Arri. Si creatura est Dominus, si factura : numquid artifex generat opus suum? Numquid artifex filium vocat opus suum? Artifex carpentarius fecit scamnum : numquid de utero illius generavit? numquid dicit ei : De utero meo genui te, o scamnum? Non utique hoc dicit. Sed quid dicit? Ego te feci manu mea. Quando autem uterus dicitur, filius significatur, et filius non adoptatus. Vocantur enim et filii B adoptati. Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I). Ibi dedit eis potestatem. Hic vero de utero generavit : de sua natura, de suis visceribus, de sua substantia. *Ex utero*, hoc est, de medullis divinitatis suæ. Totum quidquid Pater est in divinitate, dedit Filio quem generavit. *Ex utero ante Luciferum genui te Ante Luciferum.* Hoc schema, Græce dicitur συνεκδοχή, quod dicunt grammatici a parte totum. Quando ergo dicitur, *ante Luciferum*, unam creaturam nominat, et omnes indicat creaturas. Quando dicit, *ante Luciferum :* nos sic intelligamus, quasi dixerit, ante lunam, ante solem, ante omnem creaturam. *Ex utero ante Luciferum genui te. Ante Luciferum.* Ante istum Luciferum qui videtur in mundo, vera lux genita est. Unde di- C cit in alio loco psalmus : In lumine tuo videbimus lumen (*Psal.* XXXV). Sermo est ad Patrem : O Pater in lumine Filii, videbimus lumen Spiritum sanctum. *Ex utero ante Luciferum genui te.*

Juravit Dominus et non pœnitebit eum. Juravit Dominus. Hoc quod dicit, *juravit :* non ei qui ante Luciferum genitus est : sed ei juravit, qui post Luciferum natus ex virgine est. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Superfluum est nos de isto versiculo velle interpretari, cum sanctus Apostolus ad Hebræos plenissime disputavit. Ipse enim ait : Iste est Melchisedec, sine patre, sine matre, sine generatione (*Hebr.* VII). Et interpretatur ibi diligentissime, quare sine patre, sine matre, sine generatione. Et ab omnibus ecclesiasticis dictum est, D quoniam sine patre dicitur secundum carnem : sine matre dicitur secundum Deum. Hoc solum ergo interpretemur : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Hoc solum dicamus, quare dixerit *secundum ordinem. Secundum ordinem :* nequaquam sacerdos eris secundum victimas Judaicas ; sed eris sacerdos *secundum ordinem Melchisedec* (*Gen.* XIV). Quomodo enim Melchisedec, rex Salem, obtulit panem et vinum : sic et tu offeres corpus tuum et sanguinem, verum panem, et verum vinum. Iste Melchisedec ista mysteria quæ habemus, dedit nobis. Ipse est qui dixit : Qui manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum (*Joan.* VI). *Secundum ordinem Melchisedec*, tradidit nobis sacramentum suum.

Dominus a dextris tuis. Rem novam video. Dicitur in principio : *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis :* et nunc dicitur ad eum, *Dominus a dextris tuis.* Si ipse ad dexteram Patris sedet, quomodo rursum Pater sedet ad dexteram Filii? Quando enim dicitur : *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis :* manifestissime dicitur, quod ad dextram Patris sedet Filius. Quando autem dicitur : *Dominus a dextris tuis*, hoc dicitur, quod ad dexteram Filii sedeat Pater. Hoc totum propterea dicitur, ut æqualis sit Filius Patri. Multa sunt quæ dicantur. Peccatori autem diabolus stat a dextris. Cæterum illa disputatio alia est. Quicumque peccator est, diabolus ei stat ad dexteram. Sed dicet aliquis : Quomodo et Jesu filio Josedec in Zacharia dicitur stare diabolus a dextris ejus : et diabolus stetit a dextris Salvatoris (*Zach.* III)? Videtis quia quæstio est. Sed eo tempore quando stabat diabolus ad dexteram Salvatoris : Jesus, inquit, habebat vestimenta sordida. Nostra peccata portabat, nostris vitiis involutus : propterea diabolus stabat a dextris ejus. *Confregit in die iræ suæ reges.* Hæc omnia tradita sunt mihi. In momento, inquit, horæ monstravit ei universa regna terræ. Regna mundi, diabolus monstrat. Et quid dicit? Hæc omnia mihi tradita sunt. Si cadens adoraveris coram me, erunt tua omnia (*Matth.* IV). In die ergo belli, in die certaminis, confringet reges iræ suæ.

Judicabit in nationibus. Videte differentias : reges confringuntur, judicabit nationes. *Implebit ruinas.* Dominus noster ascendit in crucem, et multæ ruinæ factæ sunt. Iste positus est in ruinam, et resurrectionem multorum, et in signum cui contradicetur (*Luc.* II). *Implebit ruinas.* Non credentium, qui non crediderunt exploratoribus apostolis (*Num.* XXI, *et* XXII). Et Moyses enim misit exploratores in mundum ; et quia non credidit populus exploratoribus, propterea ceciderunt in deserto. Usque hodie corpora non credentium cadunt in deserto istius sæculi. *Conquassabit capita in terra multorum. Implebit ruinas*, non credentium : *conquassabit capita*, eorum qui dubii sunt : eorum qui non habent perfectam fidem. *Conquassabit capita in terra multorum :* non omnium. Si enim dixisset, omnium, nullus de nobis spem haberet. *Multorum*, dicitur, ut alii relinquantur.

De torrente in via bibit. Quis bibit de torrente, in via? Iste, cui dictum est : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis.* Iste, qui audivit : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Iste, *Qui confregit in die iræ suæ reges : implebit ruinas : conquassabit capita in terra multorum.* Iste quid facit aliud? *De torrente in via bibit.* Videamus ante viam, ut postea videamus in via torrentem. Via, sæculum istud dicitur, per quam ambulavit. Denique scriptum est in Evangelio : Esto consentiens adversario tuo dum es in via (*Matth.* VI), hoc est, dum ambulas in isto sæculo, et per viam vadis ad eum, qui vera est via. Unde dicitur et in centesimo decimo octavo Psalmo : Beati immaculati in via.

Beati sunt, qui in ista sæculi via immaculati sunt, habet in isto mundo. Ergo sacerdos secundum ordinem Melchisedec : quoniam venit in via sæculi, et ambulavit in via nostra, bibit et ipse de torrente, qui erat in sæculo. Torrens non habet aquas naturales, non habet aquas quæ semper perfluunt : sed habet aquas de tempestatibus, de pluviis, de turbine, de procellis. Torrens numquam est in montibus, sed semper in vallibus, in præcipitibus locis. Alienas aquas concipit, et parturit, et tumens vadit. *De torrente in via bibit.* Torrens numquam habet mundam aquam, sed semper turbidam. Hoc dicitur : quoniam sæculi istius aquæ semper turbidæ sunt, semper plenæ tempestate. Vultis scire quomodo de torrente turbido biberit? Et ipse dicit : Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI). Et dicitur in Evangelio : Et cœpit, inquit, contristari, et conturbari (*Ibid.*). Bibit ergo etiam Dominus noster de torrente istius sæculi aquas turbidas, aquas tristes, aquas quæ non habent lætitiam. Tulit calicem, et implevit de torrente mundi, et quoniam turbidæ erant aquæ, dicit : Pater, si possibile est, transeat calix iste a me. Bibit ergo de torrente mundi istius : sed non bibit quasi in domo sua, sed in via ad alia ire festinans. *Bibit de torrente in via.* Propterea bibit de torrente, quia in via erat. *De torrente bibit.* Si Dominus bibit de torrente mundi istius, quanto magis sancti? Vultis scire quoniam sancti de torrente bibunt. Dicit et in alio loco : Torrentem pertransivit anima nostra (*Psal.* CXXIII). *De torrente in via bibit.* Diximus de torrente, dicamus etiam et testimonium. Torrentem pertransivit anima nostra. Vultis scire et alium torrentem? Elias sanctus propheta quando persequebatur eum Jezabel : quando accepit cibum, et quadraginta diebus transiens perrexit in eremum : Erat, inquit, in deserto, et bibebat de torrente Chobar (III *Reg.* XIX). Verum audientes torrentes istius sæculi, nolite desperare. Frequenter hic torrens deficit. Videtur quidem tumescere : videtur habere aquas multas : sed cito deficit, si sustineas. Et Elias bibit quidem in deserto aquam, eo tempore quo erat in tristitia, quo erat in angustia (*Ibid.*). Dimiserat Judæam, et perrexerat in montem Sina : persequebatur enim eum Jezabel, et propterea bibebat de torrente Chobar. Verum quia perseveravit usque in finem, propterea defecit aqua torrentis. Et dicitur ad eum a Domino, quoniam defecerat aqua torrentis : Vade, inquit, ad viduam in Sarepta Sidoniorum, etc. Ecce bibit et Elias de torrente. Sed ipse Dominus atque Salvator bibit, et calicem de torrente Cedron. Sic enim Scriptura refert, quando venerunt et comprehenderunt eum. Venerunt, inquit, et comprehenderunt eum in torrente, etc. (*Joan.* XVIII). Videtis quam humilis sit locus torrentis, quam confragosus. Cedron lingua Hebræa interpretatur *tenebræ.* Videtis igitur quoniam torrentes istius sæculi in tenebris sunt. Dominus ergo cum traditur, non traditur rursum in monte Oliveti, non traditur in templo : sed traditur in torrente, et torrente tenebrarum, hoc est, Cedron. Omnes enim qui odio habent lucem, amant tenebras. *De torrente in via bibit.* Quia ergo bibit Dominus de torrente, et gustavit mortem, propterea exaltavit eum Pater, et dedit ei nomen quod est super omne nomen. Deinde nunc dicitur : *De torrente in via bibit.* Et quia bibit de torrente in via, *Propterea exaltavit caput.* Et quid dicit? Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me (*Joan.* XII). Ille est exaltatus, et nos exaltavit. Istius caput exaltatum est : cæterum draconis capita conquassavit, et confracta sunt in mari. *Propterea exaltavit caput.* Non dixit : propterea exaltatum est caput ejus, hoc est, ab alio exaltatus : sed qui se humiliaverat, ipse exaltavit. Ipse enim dicit in Evangelio : Potestatem habeo animam meam ponendi, et potestatem habeo resumendi eam (*Joan.* X). *Propterea exaltavit caput.* Seipsum exaltavit, qui caput est omnium. Aut certe quod dicit : *exaltavit caput,* non seipsum exaltavit. *Propterea exaltavit caput.* Semper enim ille altus fuit. Sed quando dicit : *exaltavit caput,* nostrum exaltavit caput : qui curvi non poteramus aspicere ad cœlum, sed ad terram. Vultis scire quoniam ipse exaltavit caput? Et illam mulierem quam ligaverat diabolus, ipse liberavit (*Luc.* XIII). Exaltavit caput ejus, quæ semper incurvata fuit : et adoravit eum. Cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CX.

Alleluia. Psalmus iste, primus secundum ordinem scribitur litterarum : licet multi vigesimum quoque quartum psalmum, et trigesimum sextum scriptum putent in Hebræo, secundum ordinem litterarum : sed in illis, vel desunt aliquæ litteræ, vel supersunt, et nonnumquam quia cum unus versus brevis sit, alius infinita longitudine major est. Ex quo puto magis observatione hoc legentium, quam studio Scriptoris effectum. Denique et Septuaginta interpretes, quia aliquis in eis scrupulus nascebatur, in translatione Hebræas litteras ponere noluerunt.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. Si non fuisset simplex David, et habuisset dolum, non dixisset : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.* Non labiis tantum, sed toto corde. *In consilio justorum et congregatione : magna opera Domini.* Rectorum dicit eorum qui ante peccatores erant, nunc vero justi. Non est enim mirari. Videtis elephantem et camelum, similiter et muscam, et culicem, eamdem mobilitatem habere, et spiritum, et membra.

Escam dedit timentibus se. In fame pavit Eliam : in deserto, populo Judæorum manna pluit (*Exod.* XVI), et completum est quod dicitur : *Escam dedit timentibus se.* Hoc secundum litteram. Escam autem dedit panem qui de cœlo descendit (*Joan.* VI) : quo si digni sumus, pascimur. Quanti enim martyres fame corrupti sunt, et nunc sunt cum Domino?

Sanctum et terribile nomen ejus. Sanctum, sanctis; *terribile,* peccatoribus. *Initium sapientiæ timor Domini.* Qui non timent Dominum, non est in eis sapientia. Aut qui non habent sapientiam, non habent timorem.

Laudatio ejus manet in sæculum sæculi. Quoniam in titulo *Alleluia* prænotatum est, juste in laudatione finit psalmus. Siquidem *Alleluia* interpretatur, *laudate Dominum.*

PSALMUS CXI.

Alleluia. Iste psalmus provocat nos per timorem Dei in æternæ domus habitatione fundari.

Beatus vir qui timet Dominum. Frequenter dixi, quoniam omnia quæ in persona justi interpretantur, referuntur ad Christum. Si enim sancti, typus et figura Salvatoris sunt : si quis vere sanctus est, verbi causa : Isaac typus Domini Salvatoris est, Joseph, Salomon, David, et cæteri sancti. Ergo et iste beatus vir qui nunc describitur, refertur quidem ad virum justum. Et vere de viro justo dicitur : sed iste vir justus, typus est viri justi. *Beatus vir qui timet Dominum.* Interim dimisimus psalmum, nunc dicamus de viro justo : *Beatus vir qui timet Dominum.* Psalmus centesimus undecimus alphabeticus est. Siquidem et centesimus decimus, et ipse sub alphabeto est. Primus versiculus ex aleph scribitur : *Beatus vir qui timet Dominum.* Secundus, ex beth : *In mandatis ejus cupiet nimis.* Tertius, ex gimel : *Potens in terra erit semen ejus*, et usque ad vicesimam secundam litteram thau. Singulos igitur versiculos, vestris orationibus disseramus. *Beatus vir qui timet Dominum :* principium psalmi est : nondum dicit : Beatus vir qui diligit Dominum. Virorum enim incipientium est timere perfectorum vero diligere (I *Joan.* IV). Siquidem perfecta dilectio, foras mittit timorem. Ergo de principio dicit, hoc est, incipiente viro sancto. Videamus ergo ordinem *Psalmi : Beatus vir qui timet Dominum.* Qui timet Dominum, quid facit? Audit verba Dei, doctus in lege est? Non hoc dicit. Quid dicit? *In mandatis ejus cupiet nimis.* Qui timet Dominum : qui beatus est : mandata ipsius libenter facit. *In mandatis ejus cupiet nimis.* Videte quid dicat : Non dixit, mandata ejus facit. Multi enim et timore faciunt, et mercedem non habent. Qui enim gehennam timet, et propterea non fornicatur, non habet tantam mercedem, quantam ille qui propter dilectionem Dei facit. In mandatis ejus volet, hoc est, vult nimis, hoc est, mandata ejus facere desiderat. Quomodo aliquis, si in æstibus sit, sitit : ita ille desiderat mandata Domini. In mandatis Domini volet nimis. Anxie mandata ejus non facit, sed vult : et vult non transitorie, sed, *nimis.* Tertius versiculus est:

Potens in terra erit semen ejus. Qui mandata Dei feci voluntate, dignus sum ut fiam pater sanctorum. Breviter dicimus, ne longius trahatur oratio. *Generatio rectorum benedicetur.* Præstet Dominus, ut et vos qui me auditis, generatio rectorum sitis.

Gloria et divitiæ in domo ejus. Gloria et divitiæ. Putamus gloriam et divitias sæculi dici? Ideo quis facit voluntatem Dei et mandata ejus, ut divitias mundi istius consequatur? Et certe non facit mandata Dei nisi divitias mundi contempserit (*Psal.* CXI). *Gloria et divitiæ in domo ejus.* Gloria credentium est, sicut dicit Apostolus : Nonne vos gloria mea estis et

A divitiæ? Divitiæ, de quibus dicit ipse Apostolus : quod divites facti sitis in omni scientia et justitia. *Et justitia ejus manet in sæculum sæculi.*

Exortum est in tenebris lumen rectis corde. Nos quondam errabamus in tenebris : sedebamus in tenebris et umbra mortis : sed lux orta est nobis, secundum Isaiam (*Cap.* LVIII) : *Misericors et miserator et justus. Misericors et justus.* Si peccator es, noli desperare veniam : misericors est. Si vero superbus es, et confidis tibi de clementia Dei, noli esse negligens, et justus est. *Misericors et miserator et justus.* Videte quid fecerit prudentia Psalmistæ : Justitia simplex est : misericordia duplex est. *Misericors et miserator et justus.* Quia misericors est Dominus et miserator, et vir justus imitetur Dominum suum, sit et ipse misericors.

B *Jucundus homo qui miseretur et commodat.* Putat aliquis quod de auro dicat et argento, et de pecunia? Justi intantum non habuerunt quod aliis commodarent, ut ipsi cibum ab aliis acciperent. Ergo si non habuero quod dem, jam non sum justus? Si non fecero eleemosynam, in justorum numero non habebor? Quanti sanctorum fecerunt eleemosynam, sed in sanctitate ruerunt. Perfecti non fecerunt eleemosynas, quia non habebant unde facerent. Eleemosynas non facere, crimen habentis est. Cæterum qui non habet unde faciat eleemosynam, liber est. Quantumcumque dare voluerit, tantum dedit : quia voto dedit. Tamen habent et sancti unde faciant eleemosynas. Dicit et Petrus : Argentum et aurum non habeo : quod autem habeo, hoc do tibi (*Act.* III). In nomine Domini Jesu, surge et ambula. Quid est majus, pecuniam dare, an debilem sanum facere? *Jucundus homo qui miseretur et commodat.* Quæ sunt istæ eleemosynæ, quid sit hoc quod commodat vir justus? secundus versiculus ostendit. *Disponit sermones suos in judicio.* Non dixit : aurum suum, et argentum, e pecuniam disponit in judicio : sed, *sermones suos disponit in judicio.* Ista est misericordia, si vir sanctus doceat alios qui non sunt sancti. *Disponit sermones suos in judicio.* Intelleximus ergo quæ sunt pecuniæ quæ commodentur. Verum hoc quod dicit, *disponit sermones suos in judicio*, hoc est quod dicitur in Evangelio, ne mittamus margaritas nostras ante porcos (*Matth.* VII). Hoc est, ut sciat unusquisque cui tribuit, quid possit accipere, quid non possit. Unde vir sanctus dicit : In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi (*Ps.* CXVIII). Non ea dedi quibus libuit. Non sanctum tuum misi canibus, et margaritas dedi porcis. Grande igitur periculum est doctoris, verba Domini porcis effundere. Multa sunt quæ dicantur de psalmo. Sed quoniam excludimur hora, benedicamus omnipotentem Dominum, et qui habet tales pecunias, tribuat non habentibus. Qui vero non habet, libenter accipiat. Præstet autem Dominus et mihi, ut et ego istas habeam divitias ; ut et non habentibus dem, et habentibus divitias cumulem, ut beatitudinem istam, et dicens habeam et audiens. Beatus est enim qui in aures loquitur audientis. Quid

enim mihi prodest loqui, si alius verba mea non suscipiat? Quid prodest mittere vinum, si statim quod mittitur, effundatur? Vides quod in Evangelio aqua illa in hydriam mittitur, et in vinum vertitur, et servatur ne pereat (*Joan.* II). *Miseretur*, id est, in corde, et credit in opere. Bonum est tribuere substantiam terrenam : sed melius est in annuntiandam misericordiam, id est, ut tradas in oblivionem, qui tibi male fecit, hoc est, ut indulgeas qui in te peccavit. *Disposuit sermones suos in judicio*, hoc est, judex suimetipsius est. Dicit apud semetipsum. Dominus dixit : Si dimittis, dimittetur tibi : si das, dabitur tibi (*Matt.* VI). Quia ille qui sic se judicat hic in præsenti, Deus illum coronat in futuro. *Quia in æternum non commovebitur*. Iste talis non commovebitur : quia supra petram fundatus est.

In memoria æterna erit justus. Ille justus semper in memoria Dei est. *Ab auditu malo non timebit*. Ab illo, discedite, o maledicti (*Matth.* XXV)!

Paratum cor ejus sperare in Domino. Hoc est, sua spes semper in Deo parata est. *Confirmatum est cor ejus*. Anima illius in fide. *Non commovebitur*. De ipsa fide ad infidelitatem : quia super petram fundatus est, id est, super Christum. *Donec despiciat inimicos suos*. Id est, vitia et peccata, omnes hæreses, vel potestatem inimicorum despicit.

Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. *Dispersit*, hoc est, partitus est. Non dixit ; Totum da uni homini, sed dicit : Vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus (*Marc.* X, *et Luc.* XVIII). Quia per multos illa partitus est, vel dispersit : quia plus est oratio multorum quam unius hominis. *Justitia ejus manet in sæculum sæculi*, hoc est, opera illius ipsa permanent. *Cornu ejus exaltabitur in gloria*. Hoc est, regnum ipsius *exaltabitur in gloria*, hoc est, cum Deo erit.

Peccator videbit. Quomodo videbit, quia Propheta dicit : Tollatur impius ne videat gloriam Dei. Tamen subsequitur : Videant et confundantur (*Zach.* XII). Et alibi. Videbunt in quem compunxerunt, id est, visuri erunt illam formam servi et hominis, quam dignatus est suscipere de nostra humanitate : sed illam gloriam quam sancti habebunt, nec habebunt, nec videbunt, et quantum videbunt, ad illorum pœnam videbunt. *Et irascetur*. Hoc est, contra seipsos; eo quod non fecerunt bona. Sera pœnitentia erit illis. Dicturi erunt : Isti sunt, quos in despectionem habuimus : ecce inter ipsos Dei servos sunt reputati. Nihil profuerunt nobis abundantiæ divitiarum : Sol non ortus est nobis. *Dentibus suis fremet et tabescet*. Per stridorem dentium, frigus intelligitur, ut illud : Ibi erit fletus et stridor dentium (*Matt.* V, *et Luc.* XIII). Quia et frigus et calor erit ibi, et nulla requies. *Desiderium peccatorum peribit* : hoc est, omnia bona quæ hic in præsenti habuerunt. Diligenter igitur audiamus verba Dei : cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXII.

Alleluia. Iste psalmus docet nos, ut, deposita veteri malitia, tamquam modo geniti infantes in Dei laudibus gloriemur. Ait enim :

Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini. Hic pueri provocantur ad laudem : de quibus in Isaia Salvator ait : Ecce ego et pueri, quos mihi dedit Dominus (*Isai.* VIII). Ex ore quippe infantium et lactentium, laus in Deum plena perficitur.

Sit nomen Domini benedictum. Cui omnis creatura benedicit. Forsitan non fuit antea benedictum? Fuit semper, sed tamen antea in una gente Judæorum tantummodo illi benedicebant et credebant : sed modo in omnibus gentibus et creditur, et benedicitur. *Ex hoc nunc et usque in sæculum*. *Ex hoc*, id est, quo inceperunt homines, et credere et laudare. Et *nunc*, hoc est, in præsenti : *et usque in sæculum*, hoc est, sine fine. Nam et antea semper fuit benedictum.

A solis ortu usque ad occasum. Id est, ab initio nativitatis nostræ usque ad mortem. *Laudabile nomen Domini*. Ut supra dixi.

Excelsus Dominus super omnes gentes. Numquid antea non erat excelsus? Erat in Judæa, modo super omnes gentes. Dicit per prophetam : Quoniam voluit reprobare Judæos, et eligere gentes. *Et super cœlos gloria ejus*. Hoc est, super Sanctos sua gloria.

Quis sicut Dominus Deus noster? Ac si dicat : Nullus talis. Ut illud : Quis similis inter filios Dei? Et alibi dicit : Non est similis tibi in diis, Domine (*Psal.* LXXXV). *Qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra*. *In altis*, hoc est, in sanctis. Numquid et in humilibus non habitat? *Habitat* : quia in humilibus respicit : ut illud : Super quem respiciam, nisi super humilem et trementem sermones meos (*Isai.* LXVI)? Quando sunt alti sancti? Quando contemplantur de cœlestibus. Et tunc sunt humiles in terra : quando se humiliant in activa, elevantur in contemplativa. Et illi qui hic in terra sunt humiles, apud Deum sunt alti. Quare non dixit, in humilibus habitat : sed dixit, *respicit*. Ideo quia ubi respicit, ibi habitat, et ubi habitat, ibi respicit.

Suscitans a terra inopem. Et de capite, et de membris intelligitur. *Suscitans*, hoc est, suscitavit Deus Pater Christum, qui inops et pauper pro nobis factus est. Et nos inopes, id est, sine patre diabolo, sine matre gentilitate, suscitamur a Christo. *Et de stercore erigens pauperem*. Quod dixit, *terra*, hoc est, et stercus, et quod dixit, *inopem*, hoc est, et pauperem. Quia de terra et putredine peccatorum nostrorum erexit nos ; ut illud : Quid superbis, pulvis et terra (*Eccli.* X)?

Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. Collocavit Deus Pater Filium suum in cœlestibus in dextera sua. Et dominabitur super principes, id est, super novem ordines angelorum, secundum illud : Princeps militiæ, vel princeps virtutum ego sum. Et insuper sanctos, et sua membra collocavit cum ipsis novem ordinibus angelorum.

Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum

lætantem. Sterilis, hoc est, sancta Ecclesia. Unde in propheta dicit: Lætare sterilis, etc. (*Isai.* LIV). Primitus sterilis fuit sancta Ecclesia: quia non generabat filios, nisi paucos: Synagoga habuit virum Deum, sed tamen paucos generavit (*Act.* II *et seqq.*). Postea Ecclesia, quæ ante sterilis fuerat, in uno die vel duobus, grandes partus fudit, quando generavit octo millia. Et in propheta dicit: Qui sunt isti, aut quis genuit illos mihi (*Isai.* XLIX)? Fac mihi spatium et urbes ubi habitem. Et Dominus dixit: Ego faciam (*Psal.* XVIII). In omnem terram exivit sonus eorum, hoc est, in toto mundo. *Qui habitare facit sterilem in domo*, hoc est, in Ecclesia. Et ipsa est sterilis, et ipsa est mater, et ipsi sunt filii, et in semetipsa habitat. Hoc est, unitas Ecclesiæ, una res est, et multa membra: sed unum corpus multi sunt, ut Paulus dicit, et ibi lætabitur in semetipsa, hoc est, in unitate (*Rom.* XII).

PSALMUS CXIII.

Alleluia. Iste psalmus vocem continet prophetæ, ostendentis ut quæ in eo historice narrantur, spiritualiter dicta intelligantur.

In exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro. Iste psalmus secundum historiam commemorat, quando filii Israel exierunt de Ægypto (*Exod.* XIII). Sed plus pertinet ad sensum, quando nos liberati fuimus de Ægypto, hoc est, de tenebris ignorantiæ peccatorum nostrorum per baptismum. *Domus Jacob de populo barbaro.* Liberati fuerunt illi Israelitici de populo barbaro, hoc est, de illis gentibus quæ in Ægypto habitabant. Et ad sensum. *Domus Jacob*, supplantatores vitiorum intelligunt. Liberati sunt isti, et nos spiritualis domus Jacob liberati sumus ab illis infidelibus, qui in infidelitate permanserunt (*Gen.* XXXII). *Domus Jacob.* Primitus fuit vocatus Jacob, postea Israel. Unde dixit: Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. Et Dominus dixit ad illum: Jam non vocaberis Jacob, sed Israel erit nomen tuum. Et nos primitus debemus esse Jacob, hoc est, supplantatores vitiorum: ut postea possimus esse Israel, id est, animæ videntes Deum, et oculis cordis contemplari Deum: secundum illud: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V).

Facta est Judæa sanctificatio ejus. In Judæa primitus fuit sanctificatio Dei. Sed Judæa, *confessio* interpretatur, id est, in illis qui confitentur fidem Trinitatis, et veniunt ad baptismum, ubi est sanctificatio Dei. *Israel potestas ejus.* Et potestas Dei est, ut Israel esse mereamur, id est, animæ videntes Deum vocemur. Israel regnavit in ea.

Mare vidit et fugit. Mare vidit et fugit, quando Moyses cum populo suo venit (*Exod.* XIV). Et quomodo vidit? Id est, intellexit voluntatem Creatoris, et donavit locum illi populo. Aliter, secundum sensum: Mare, gentilitas, vidit sanctos prædicatores, supplantatores vitiorum, et animæ videntes Deum fugerunt, id est, non potuerunt resistere apostolis, quia Deus in illis erat. *Jordanis conversus est retrorsum*. Jordanem conversum esse retrorsum non legitur in historia (*Josue* III), nisi quando cum arca in ipsum intraverunt: quasi retrorsum ambulasset illa aqua, sic stetit quasi murus, et illa alia aqua perambulavit in mare. Quid ergo intelligitur per hoc? Jordanis interpretatur, *descensio eorum*. Illi intelliguntur, qui veniunt ad baptismum. Quando viderunt Martyres pati persecutiones multas, conversi sunt in mare, hoc est, in gentilitate negaverunt. Postea Dominus per suos prædicatores vocavit illos: Convertimini ad me, et ego revertar ad vos (*Zach.* I). Et conversi fuerunt postea multi ad Deum. Illa aqua perambulavit in mare, id est, sunt infideles qui perambulaverunt in mare, id est, in mare perditionis.

Montes exsultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium. Exsultaverunt sancti prædicatores, quando viderunt illos conversos, qui antea blasphemi fuerunt. *Exsultaverunt ut arietes*, id est, principes gregum, qui generant filios, id est, sancti apostoli. Unde unus de illis dixit: Per Evangelium ego vos genui (I *Cor.* IV). Vel prædicatores altioris meriti intelliguntur, qui modo generant filios per prædicationem eorum. Unde Paulus dixit: Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis (*Galat.* IV).

Quid est tibi, mare, quod fugisti; et tu, Jordanis, quare conversus es retrorsum? Propheta per semetipsum interrogat, et ipse respondit, ac si dicat: Quid tibi fuit, gentilitas, quod fugisti? *Et tu, Jordanis*, hoc est, et vos, Christiani, quid fuit quod conversi fuistis retrorsum? Quare? Vidistis sanctos prædicatores, id est, montes: vidistis arietes, hoc est, supplantatores vitiorum, et animas videntium Deum Patrem, ideo fugistis?

Montes, exsultastis ut arietes, et colles sicut agni ovium. Repetitio est.

A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob. Exposuit hoc propheta alio loco cum dixit: Vidit, et commota est terra (*Psal.* LXIX). Et post paululum ait: *A facie Domini*, et reliqua. *Mota est terra*, hoc est, a præsentia Dei, quia Deus in suis prædicatoribus erat. Mota fuit gentilitas; *a facie Dei Jacob*, id est, a præsentia illius quem adoravit Jacob.

Qui convertit petram in stagna aquarum. Petra, Christus, et secundum historiam, de petra exierunt flumina (*Exod.* XVII). Antequam Christus veniret in carnem, non eruperant adhuc tantæ aquæ, hoc est, tanta doctrina: Postea exierunt de Christo quatuor flumina, quatuor Evangelia, et irrigaverunt totum mundum. *Et rupem in fontes aquarum.* Repetitio est. Rupes sunt, qui et petra. Petra, dicitur rupis. *Et rupem in fontes aquarum.* Doctrina multa de Christo. Mare Rubrum, quod ideo dicitur: quia sicut sanguis erat illa aqua maris, quæ figurabat baptismum.

Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam. Dicunt illi boni Judæi: Non nostrum meritum nos liberavit, sed tua potestas: ut nomen tuum glorificetur in omnibus gentibus. Vel prædicatores novi Testamenti similiter dicunt. Quando faciunt

virtutes, Deus per illos facit : ut nomen illius glorificetur, et laudetur per ipsum.

Super misericordia tua et veritate tua. Tua misericordia, et tua veritas hoc facit. *Ne quando dicant gentes, Ubi est Deus eorum?* Propter hoc facit Deus ista mirabilia, ut non dicant gentes, quod non potuisset Deus illos salvare. Vel modo in novo Testamento similiter facit in sanctis suis.

Deus autem noster in cœlo : omnia quæcumque voluit, fecit. Deus in cœlo sursum. Dicunt sancti ad illos infideles, qui idola adorant : Vos vestros deos manu tangitis, et oculis animalibus cernitis, sed noster Deus in cœlo est sursum. In cœlo et in terra, *omnia quæcumque voluit, fecit.* In his qui cœlestem vitam agunt, et adhuc terrena carne clauduntur, implevit voluntates suas.

Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum. Ideo dicitur simulacrum, quia ad similitudinem alicujus hominis mortui, factum sit. *Argentum et aurum.* Quare non dixit, lapidea, aut ærea, sed fictilia, aut lignea; sed argentea et aurea? Quia prævidebat Spiritus sanctus : quoniam cum exinde increpati essent, quale responsum darent. Ideo posuit aurum et argentum, quia dicerent illi : Non adoro, nec ligneum Deum, nec lapideum, nec æreum; sed Deum aureum et argenteum. Dicis illi : Si aurum et argentum adorasses, non esset talis error. Et dicunt illi : Non adoramus aurum, nec argentum. Ille respondit : Non aurum et argentum, sed Deum meum adoro. Quæ est ista imago, et illa potestas quæ in ipsa est? Dicis illi : Diabolus ibi est. Ille dicit : Absit. Non volo diabolum adorare. Quomodo non adoras diabolum, quia in alio psalmo legimus : Omnes dii gentium dæmonia (*Psal.* XCV)? Dicit ille : Nec hoc adoro. Quid ergo adoras? Ego solem, lunam, stellas adoro. Isti sunt mei dii, illi me salvant. Dicis illi ; Si sol est tuus Deus, quare non semper tibi lucet? Dicis ad alterum, qui lunam adorat, vel isti qui solem adorat : Sol integer est. Tu lunam adoras, quare crescit et decrescit tuus Deus, et de nocte lucet? Quare non semper tibi lucet? Et in mare quando mergeris, tua luna, et tuæ stellæ cur te non liberant, et super tibi lucem dant? Quare addit : *opera manuum hominum, argentum et aurum?* De terra fodiunt illud homines, et colunt illud, et colorant, et sic evenit pulchrum. Ergo de tuis manibus facis Deum tuum quem adoras. Ista ad revincendum malos dicta sunt.

Oculos habent, et non videbunt : aures habent, et non audient : nares habent, et non odorabunt. Manus habent, et non palpabunt : pedes habent, et non ambulabunt : non clamabunt in gutture suo. Neque enim est spiritus in ore ipsorum. Dicis illi : Vel si bestiam adorasses, licet malum erat, sed tamen vel oculos habet, vel pedes : sed istud quod adoras, nec videt, nec audit. Quare addit : *Non clamabunt in gutture suo?* Quia bestiæ clamant voce, sed confusus est clamor eorum. Non intelligis, neque potes per litteras, vel per syllabas comprehendere, quomodo vocem hominis comprehendis.

Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis. Similes, hoc est, si oculos non emendat, quia vidit illud aurum, illam imaginem. Sed et in anima similis efficitur, dum non emendat, quia nec videt, nec intelligit, nec discernit, dum plus errori credit. Ideo similis dicitur. *Et omnes qui confidunt in eis.* Non solum qui faciunt, sed etiam qui confidunt.

Domus Israel speravit in Domino. Domus Israel, duodecim tribus Israel. Aaron, tribus Levi non speravit? Non speravit in tales deos mortuos, sed in Domino. *Domus Israel*, animarum domus videntium Deum in Domino sperant. Et Aaron, mons fortitudinis, id est, qui fortes et alti sunt in merito, in Domino sperant. *Adjutor et protector eorum est.* Illi dii non prosunt, secundum Jeremiæ dictum : hominem non liberant de bello, regem non constituunt, sed iste illos defendit, et protegit, secundum Danielis dictum (*Dan.* II *et* III), vere ipse est Deus eorum, et ipse mutat tempora, et amovet reges, et constituit.

Domus Aaron speravit in Domino : adjutor eorum et protector eorum est. Qui timent Dominum, speraverunt in Domino. Exceptis istis, domus Israel, et Aaron, omnes qui illum timent et amant, protegit illos et defendit.

Dominus memor fuit nostri, et benedixit nobis. Memor fuit, quoniam liberavit filios Israel. Et nos, quoniam quod promisit, implevit opere. Misit Filium suum, qui carnem suscepit, et nos liberavit. Hoc dico, Deum memorare. *Et benedixit nobis*, hoc est, omni benedictione spirituali.

Benedixit domui Israel, benedixit domui Aaron. Benedixit omnes timentes Dominum, pusillis cum majoribus. Id est, altiores merito, et inferiores.

Adjiciat Dominus super vos. Alios prædicatores. Primitus pauci fuerunt, postea multi effecti sunt in mundo prædicatores.

Benedicti vos a Domino, qui fecit cœlum et terram. Benedicti : hoc est, vos sancti benedicti estis a Domino.

Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Cœlum cœli, sicut dicit canticum psalmi, et psalmus cantici. Istud cœlum subjectum est illi cœlo superiori, ubi est firmamentum, et inde habet lumen. Et terra iterum subjecta est ad illud cœlum aereum : exinde habet pluviam et omnem necessitatem. Secundum sensum, cœlum altius, sancti apostoli, qui ab ipso Christo audierunt prædicationem, et illuminationem Spiritus sancti acceperunt, et exinde fuerunt edocti. Cœlum iterum successores apostolorum, quibus illi prædicaverunt, et Dominus illos in anima illorum illuminavit. *Terram autem dedit filiis hominum.* Illi sunt illi simpliciores qui tantum incarnationem credunt, qui lac edunt, et nutriuntur per prædicationem, et ipsi qui terreni erant, cœli efficiuntur.

Non mortui laudabunt te, Domine. Hoc est, peccatores. Peccator enim cum venerit in profundum ma-

lorum, contemnit (*Prov.* XIII). *Neque omnes qui descendunt in infernum.* Hoc est, habitatores inferni.

Sed nos qui vivimus, benedicimus Dominum. Nos fideles qui vivimus, id est, qui fidem et opera habent, ipsi laudant Deum. *Ex hoc nunc et usque in sæculum. Ex hoc,* id est, quo incipimus intelligere. *Nunc,* modo. *Usque in sæculum,* sine fine.

PSALMUS CXIV.

Alleluia. Iste psalmus vocem continet fidelis animæ a Deo peregrinantis, quæ post longos labores ab eo suscipitur.

Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ. Non dixit : diligam; sed, *dilexi.* Non promisit se facere, sed testatur se fecisse. *Dilexi.* Quare dilexi? *Quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ. Dilexi,* transacti temporis est : *exaudiet* autem, futuri. Non enim dixit : quoniam dilexi quod exaudivit me Dominus; sed, *dilexi,* quod exaudiet me Dominus.

Quia inclinavit aurem suam mihi. Quoniam nos parvi sumus et humiles, et non possumus nos extendere et exaltare : propterea Dominus inclinavit aurem suam, et dignatur exaudire nos. Denique quia nos homines sumus, et dii non possumus fieri : Deus homo factus est, et inclinavit se, secundum illud quod scriptum est : Et inclinavit cœlos, et descendit (II *Reg.* XXII). *Et in diebus meis invocabo te.* Hic quæritur quomodo in diebus invocet, et non invocet in noctibus. Et quomodo dicit in alio loco : Media nocte surgebam ad confitendum tibi, cum sancti in nocte plus soleant orare (*Psal.* CXVIII). Et in alio loco dicitur : In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum (*Psal.* CXXXIII). Quomodo dicit, *et in diebus meis invocabo?* Non dixit, invocavi; sed, *invocabo,* in futuro. Dum enim in hoc mundo sumus, in nocte invocamus. In futuro in die invocamus Dominum : propterea dixit, *in diebus meis.* Peccatoribus enim nox est : mihi autem dies.

Circumdederunt me dolores mortis. Videntur mihi dolores mortis cogitationes esse fœdæ, quando anima cogitat, et peccare desiderat, quoniam parturit peccata, vicina est morti. *Et pericula inferni invenerunt me.* O nos infelices, et miseros, et lugendos : quia semper nos peccatum quærit! Si autem semper nos quærunt peccata, nos festinemus ut non nos inveniant. Hæc autem distantia est inter dolores mortis, et pericula inferni. *Dolores mortis,* malæ cogitationes sunt : *pericula inferni,* opera mala sunt. Ut est autem dicam : aliud in theoria, aliud in opere, hoc est, in practica. Ibi enim dolor et parturitio : hic autem periculum est vicinum morti.

Tribulationem et dolorem inveni. Novam rem dicit. Non dicit, Requiem inveni : non dicit, Saturitatem inveni. Si autem dixisset, Invenit me tribulatio, invenit me dolor, non erat quæstio. Nunc autem quid dicit? *Tribulationem et dolorem inveni :* quasi quærens sic invenit. Non enim invenitur nisi quod quæritur. Sanctus non quærit requiem, sed tribulationem. Novit enim quoniam tribulatio patientiam operatur : patientia autem probationem, probatio vero spem :
A spes autem non confundit (*Rom.* V). Tale quid et in Jeremia dicitur (*Jerem.* VI *et* XIV). Tribulationem, inquit, et miseriam invocavi. Quoniam, inquit, amaro tuo verbo ridebo, hoc est, in hoc sæculo, quid aliud volo nisi tribulationem, ut in futurum requiem habeam et felicitatem? Et propterea, inquit, nunc amaritudinem sustineo, ut postea dulciora promerear. Et populus Domini de Ægypto egrediens venit in Mara, quod interpretatur *amaritudo,* et de Mara in Sina, quod interpretatur *tentatio* (*Exod.* XV). Et iterum Jeremias : Solus sedebam, quoniam amaritudine repletus eram (*Jerem.* XV).

O Domine, libera animam meam. Proprietatem Hebraicæ linguæ Græcus et Latinus exprimere non possunt. Pro *o* in Hebræo habet ANNA (אנה). Anna autem
B interpretatur *rogo,* et *deprecor.* Et quod dicit, hoc est : Deprecor, Domine, libera animam meam. Non est enim vocantis, sed deprecantis affectus. In ingenti enim periculo constitutus est. *Misericors Dominus et justus, et Deus noster miserebitur.* Erige aures, peccator. Misericors est Dominus, sed noli esse negligens : sequitur enim, *et justus.* Si multum peccator es : audi, misericors est Dominus : si negligens es : audi, et justus est. Sed videtur quasi æquale esse, *misericors Dominus et justus.* Verbi gratia, decem partibus est misericors, et decem partibus est justus, et hoc propter simpliciores ita loquor. Dicat aliquis : Si pensentur peccata mea, nonne possum tanta habere bona, quanta habeo mala? Nunc autem dicitur, quod misericors est et justus. Est mi-
C sericors in peccatoribus, justus in bonis. Incipiunt me gravare peccata mea, et vincit in sua misericordia. Propterea semel justus posuit, et secundo, misericors. Poterat et de præterito dicere. *Et Deus noster,* inquit, *miseretur,* ut semper eum misericordem ostendat.

Custodiens parvulos Dominus. Si quis magnus est, et se exaltat, et superbus est, hunc non custodit Dominus. Si quis se magnum putat, hujus non miseretur Dominus; sed si quis se humiliat, hujus miseretur, et custodit eum Dominus. Siquidem dicit : Ecce ego et pueri quos mihi dedit Dominus. Et iterum : *Humiliatus sum; et salvavit me.* Dupliciter intelligimus : *Humiliatus sum, et salvavit me.* Sive peccavi, et salvavit me, sive, cum essem superbus, et humi-
D liavit me, et salvavit me.

Convertere, anima mea, in requiem tuam. Quando dicitur, *Convertere in requiem tuam :* ergo habuit ante requiem quam perdidit. Nemo enim convertitur, nisi qui pergit illuc ubi prius erat. Deus enim nos bonos creavit, et nostro arbitrio nos reliquit, et omnes cum Adam in paradiso posuit. Sed quia nostro arbitrio a beatitudine illa cecidimus, et venimus in vallem lacrymarum, propterea justus animam suam hortatur, ut convertatur illuc unde descendit. *Convertere, anima mea, in requiem tuam.* Locus enim iste, tribulationis locus est, terra pugnatorum est. Iste locus lacrymarum est, ubi non licet securum ambulare. Ubicumque enim aliquis fuerit, periculum est:

Si in deserto, scorpiones sunt : si in civitatibus, oculus meretricis pernicies est homini : si in mari, latrones et piratæ. Hæc omnia mystice loquor. Nec enim nunc periculum est sancto viro a latronibus interfici, siquidem martyres sanguine suo vicerunt. *Convertere, anima mea, in requiem tuam. Quia Dominus benefecit tibi.* Quo, inquit, converteris, o anima? In paradisum. Non quia digna es, sed misericordia Domini est. Ut exires de paradiso, tuo vitio factum est, ut autem redeas, misericordiæ Domini fuit. Et nos dicamus animæ nostræ : *Convertere in requiem tuam.* Requies nostra, Christus est Deus noster. Si quando fuerimus in angustia, et cœperit nos cogitatio captivare in peccatum, dicamus : *Convertere, anima mea, in requiem tuam.*

Quia eripuit animam meam de morte. Necdum rediit in paradisum, et jam se in securitatem redisse dicit. Dixit, *Convertere, anima mea, in requiem tuam*, et quasi securus dicit, *quia eripuit animam meam de morte.* Quomodo eripuit animam meam de morte. Pro me passus est Deus meus, pro me crucifixus est Deus meus, et dico : Ubi est, mors, victoria tua ; ubi est, inferne, stimulus tuus (*Osee* XIII ; I *Cor.* XV)? *Oculos meos a lacrymis.* Ploravi, ut rideam : luxi, ut in sempiternum gaudeam. Qui in præsenti non plorat, in futuro lacrymabitur. Beati enim qui lugent, quia ipsi consolabuntur (*Matt.* V). Econtrario autem dicitur : Væ! vobis qui ridetis, quoniam lugebitis. *Pedes meos a lapsu.* Quia non steterunt pedes mei super petram, propterea pene moti sunt pedes mei, pene effusi sunt gressus mei. Liberati sunt pedes mei a lapsu. Quare? Quia conversa est anima mea in requiem suam.

Placebo coram Domino in regione vivorum. Videor, inquit, hominibus esse justus, quare opera bona non habeo? Videor hominibus esse sanctus, quare verba bona non habeo? Hæc David dicit ; hoc sancti dicunt, hoc apostoli loquuntur : peccator enim hæc non loquitur. Quid loquitur justus? Quia verba et opera bona non habeo, et sanctus videor, et laudor ab hominibus. Ego autem novi conscientiam meam. Scio qualibus cogitationibus cor meum fluctuat : scio quantæ mihi libidines veniunt, et video aliam legem repugnantem menti meæ, et captivantem me in lege peccati (*Rom.* VII) : propterea dico : Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus (*Ibidem*)? Et propterea dico : Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo (*Psal.* XVIII). Ab alienis. Non est meum quod parturio. Nolo cogitare mala, et cogito. Nolo cogitare malum, et quasi invitus et captivus in malam cogitationem trahor. Sed quoniam in mea potestate non est, aut cogitare, aut non cogitare quæ sunt mala : propterea dico, aliena quidem sunt quæ veniunt in cor meum. Sed quoniam quasi necessitas mihi imponitur : propterea dico, Ab occultis

A meis munda me. Aliena quidem sunt peccata, sed quia suscipio ea : dico in alienis peccatis, Parce mihi servo tuo : Hoc autem quare dixi? Quoniam dixit propheta : *Placebo Domino.* Non dixit, Placeo, sed *placebo.* Hinc enim quod facio, non possum esse perfectus justus. Propterea dicit et Apostolus : Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus, et nunc per speculum videmus in ænigmate (I *Cor.* XIII). Propterea nunc longo sermone usi sumus : quoniam in præsenti sæculo perfectus justus nemo esse potest, neque David, neque apostoli, neque aliquis sanctorum. Nemo enim mundus a peccato, nec si unius diei fuerit vita ejus (*Job.* XV). Siquidem apostoli et sancti non ausi sunt dicere, Sancti sumus : nec ausi sunt dicere, Placeo ; sed *placebo.* Qui in futurum sollicitus

B est, de præterito quod non fecit, confitetur. *Placebo Domino :* Ubi placebo? *In regione vivorum.* Hæc enim regio mortuorum est : alia est terra vivorum. Siquidem et David in hac terra erat, et vere in terra repromissionis, dicens : *Placebo Domino in regione vivorum :* confitetur hanc regionem non esse vivorum, sed mortuorum. Vultis scire quæ est illa regio vivorum? Dominus dicit in Evangelio : Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, et erant mortui (*Luc.* XXIII). Et quid sequitur? Deus, inquit, non est mortuorum, sed vivorum. Igitur et justus quid dicit : *Placebo Domino in regione vivorum.* In regione Abraham, Isaac, et Jacob (*Luc.* XVI). Hoc est, quando vere fuero in sinu Abraham, tunc placebo Domino.

PSALMUS CXV.

C *Alleluia.* Hunc psalmum quinta et sexta editio cum superioribus copulant : Symmachus vero et Septuaginta interpretes dividunt.

Credidi, propter quod locutus sum. In Hebraico centesimus decimus quartus psalmus, et centesimus decimus quintus, unus est psalmus. Igitur dixit : *Credidi, propter quod locutus sum.* Quid credidisti? quod locutus es? Psalmus prior ita finivit : Placebo coram Domino in regione vivorum. Dicit ergo propheta : *Credidi, propter quod locutus sum.* Quid credidi? Quoniam placebo coram Domino in regione vivorum. Hoc credidi, et hoc locutus sum. Quid autem locutus sum? *Ego autem humiliatus sum nimis.* O magna intelligentia divini sermonis! Credidi, inquit, quoniam placebo Domino, quoniam ero angelus;

D quoniam ero in cœlis, et non fui superbus : non sum elatus, sed humiliatus sum nimis. Quoniam ero in regione vivorum, misericordiæ Domini est. Ego autem novi memetipsum, quia terra sum et cinis. Propterea dico : *Ego autem humiliatus sum nimis.* Quid autem est terra et cinis?

Ego autem dixi in excessu meo : Omnis homo mendax. In Hebræo aliter habet. *Ego dixi in excessu meo : Omnis homo mendacium :* quod dicitur [a] ZECAB. Placebo Domino in regione vivorum : sed ego scio

[a] Notatum Martianæo, hanc mss. codicum lectionem esse pro *chazab*, כזב quod editi præferebant. Ex quo et imperitiæ tractatorem hunc arguit, qui ultimam syllabam nominis כזב *chazab*, confuderit cum prima vocis sequentis מה *ma*, id est, *quid* : indeque effecerit dictionem *zecam*, vel *zecham*, legende כ *Caph*, pro ב *Beth*. Vide admon. nostram.

memetipsum, secundum conditionem corporis, nihil esse. Non est enim veritas in substantia nostra, sed umbra est, et quasi mendacium. In substantia corporali dico, non in anima. Et quod dicit, hoc est: Placebo Domino in regione vivorum. Sed cogitans humanam vitam, et considerans diversos errores, non invenio veritatem in hoc mundo. Siquidem ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus (II *Cor.* XI). Propterea dico: Omne quod videmus, omne quod intelligimus, mendacium est. Quomodo igitur mendacium est? Mendacium hic dixit, quasi umbram, quasi imaginem: quemadmodum dicitur in alio loco: Veruntamen in imagine pertransiet homo (*Psal.* XXXVIII). Eadem intelligentia et nunc dicitur: omnis homo mendax, hoc est, omnis homo umbra. Hoc autem dicimus secundum Hebraicam veritatem. Loquamur autem et secundum Septuaginta interpretes. Dicat enim aliquis, quid ad me quid habeatur in Hebraico? ego Ecclesiam sequor. *Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.* Verum dicit David, an mentitur. Si verum est, omnis homo mendax, et hoc quod dicit, *omnis homo mendax,* verum est, ergo et ipse mentitur, quia et ipse homo est. Si autem et ipse mentitur, ergo hoc quod dixit, *Omnis homo mendax*, non est verum. Quocumque verteris, in contrarium venit. Et quoniam ipse homo est, ergo ipse mentitur; quod omnis homo mendax est. Ergo alio genere mentitur. Videtis ergo, quia syllogismi sunt philosophorum. Denique secundum hanc sententiam texitur syllogismus Aristotelis. Denique tu dicis: Loquere ad alterum: si mentiris, et verum dicis quod mentiris: ergo mentiris. Videte quomodo in contrarium vertitur sententia. Quid enim dicit: O tu qui mecum loqueris: si mentiris, et verum dicis hoc ipsum quod mentiris: ergo mentiris, et in eodem sermone fit, ut verum dicat, et mentiatur. Propterea lectum est in Apostolo: Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam et vanam deceptionem hominum, secundum elementa mundi (*Coloss.* II). Invenerunt enim philosophi suas deceptiones ex propria arte: quomodo in eodem sermone, et vera quis dicat, et mentiatur. Nos autem dicamus David vera dixisse, quod omnis homo mendax. Quamdiu homines sumus, mentimur: quando autem fuerimus dii, desinimus mentiri. Ubi enim sunt æmulationes et contentiones in vobis, nonne homines estis, et secundum hominem ambulatis (I *Cor.* III)? Ego dixi, dii estis, et filii excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis (*Psal.* LXXXI). Si quis igitur sanctus est, Deus efficitur, et quando factus fuerit Deus, desinit esse homo, et jam mentitur. Quid enim dicit et Apostolus? Est autem omnis homo mendax, Deus autem verax (*Rom.* III). Interpretemur aliter: *Credidi, propter quod locutus sum.* Magister quando docet discipulum, nisi prior ipse crediderit quod docet, non potest alterum docere. Dicit ergo se primum credidisse, et sic alium docere. *Ego autem humiliatus sum nimis.* Quando autem adeptus sum gratiam Dei: non sum elatus in superbiam, non me inflavit notitia. Sed quid feci? *Humiliatus sum nimis.* Tamen quod docui sermone, potui et humilitate docere. *Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.* Docebam, inquit, discipulum meum, et considerans contemplationem cœlestem, et cogitans diviniora: intellexi omne quod homo novit, esse mendacium. Quid enim veritatis potest esse in hoc mundo, cum umbra sit vita nostra super terram? Si ergo qui docet discipulum, confitetur quod omnis homo mendax est: quanto magis discipulus non debet se extollere, et æstimare se aliquid esse?

Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Quoniam dixit, placebo Domino in regione vivorum, et hoc ipsum credidi, propter quod locutus sum, et humiliatus sum nimis, et dixi, omnis homo mendacium: omnis homo umbra, omnis homo imago? pro tantis beneficiis, quibus placebo Domino in regione vivorum, quid habeo dignum quod illi retribuam? Ego terra sum, ego cinis sum: promisit mihi, quia placebo illi in regione vivorum: fecit me magistrum. *Credidi, propter quod locutus sum.* Quid habeo dignum, quod illi pro tantis beneficiis retribuam? Quodcumque illi dedero, ipsius est, et magis illi reddo quam dono. Nihil aliud habeo, quod ipsi retribuam, nisi pro ipso sanguinem fundam, nisi pro ipso martyr existam. Hæc est sola retributio digna, pro sanguine sanguinem retribuere, ut liberati a Salvatore, pro Salvatore libenter sanguinem profundamus.

Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. In Hebraico ita habet: *Calicem Jesu accipiam.* Hoc ipsum et Angelus interpretatur. Et vocabis nomen ejus Jesum (*Luc.* I): ipse enim salvabit populum suum. Calicem ergo Jesu accipiam. Quis est iste calix Jesu? Pater, si possibile est, transeat iste calix a me (*Luc.* XXII). Et potestis, inquit, calicem meum bibere? Et continuo sequitur: Calicem quidem meum bibetis (*Matth.* XX). Hoc autem quare dixi? Ut intelligamus calicem passionis martyrium esse. Grandis res est martyrium. Quomodo grandis res? Quoniam retribuit Domino quod accepit a Domino. Christus pro ipso passus est, et ille pro nomine ipsius patitur. Quoniam diximus quod martyr nihil aliud habet quod retribuat Domino, et Dominus computat illi pro qualitate, quoniam videt servum suum nihil aliud habere quod retribuat ei. Quid enim simile est? Deus pro hominibus passus est, Dominus pro servo, justus pro peccatore. Quæ æqualitas? Sed quoniam nihil aliud habet servus quod retribuat Domino: Deus quasi clemens pro æquali accipit martyrium. Quasi si quis dives paverit aliquem pauperem: evenerit autem eumdem divitem venire cum sua familia, et veniat casu in domum pauperis et non habeat pauper quod illi apponat, et familiæ ipsius, et solum illi dicat, intra in domum clientis tui, et ostendat voluntatem, quoniam nihil aliud habet quod det, et plus faciat pauper, sicut illa vidua quæ duo minuta contulit (*Luc.* XXI). *Cali-*

cem salutaris, aut Jesu, *accipiam*. Et hoc ipsum martyrium, inquit, non est meæ virtutis, sed gratiæ Dei. Propterea non possum eum bibere, nisi nomen Domini invocavero. Jesus vincit, in suo martyre coronatur.

Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Respondeant nunc Judæi: quoniam omne corpus humanum dicunt esse immundum in lege. Denique si quis moriatur apud Judæos, sive propheta, sive qualiscumque sanctus, si quis eum tetigerit etiam sacerdos, usque ad vesperam immundus est (*Levit.* XIX *et* XXI). Hoc secundum litteram in lege scriptum est. Dicamus illis: Si mortui corpus immundum est, quomodo nunc dicitur: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus?* Si pretiosum est corpus sancti morientis, quomodo immundum est? Ergo hic de evangelista dicitur, de martyre prædicatur.

O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ. Et jam dixi in centesimo quarto decimo psalmo, ubi habet: O Domine, libera animam meam, quod in Hebraico habet: ANNA (אנה), quod interpretatur *rogo*, aut *deprecor*. Et hic ita habet in Hebraico: Rogo, Domine: *quia ego servus tuus, ego servus tuus*. Videtur humilitatis esse quod dicitur. Grandis dignitatis est, et meriti esse servum Domini, et non servum peccati. Quia non habeo, inquit, dominum hominem, quia non habeo dominum peccatum (*Rom.* VI). Non enim regnat peccatum in mortali meo corpore; propterea servus tuus sum. Grande meritum. Denique dicitur de Moyse: sed non sicut servus meus Moyses. Et Abraham, et Isaac, et Jacob dicuntur servi Domini. Propterea et Apostolus ita incipit: Paulus servus Jesu Christi.

Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis. Vere magnæ felicitatis est, ire ad Dominum: ut non habeat conscientiam inquinatam. Quicumque sanctus moritur sua morte licet, sit sanctus qui misericordias operatus sit, fecerit signa, dæmones ejecerit, non vadit ad Dominum securus: horrescit ejus conscientia, quando videt Dominum. Martyr autem si et post baptismum peccaverit, tamen secundo baptismate martyrii ablutus, securus vadit ad Dominum. *Dirupisti vincula mea*. Catenis autem suorum peccatorum unusquisque constringitur, sed in martyrio meo dirupisti vincula peccatorum meorum, et de vinculis plicasti mihi coronam victoriæ. Ubi enim abundavit peccatum, superabundavit et gratia (*Rom.* V). *Tibi sacrificabo hostiam laudis*. Post martyrium ubi sacrificat? In regione vivorum. Sacrificabo, inquit, tibi sacrificium. Quale sacrificium? Numquid hircum, aut vitulum? Illa Judaica erant, et transierunt. *Sacrificabo tibi hostiam laudis*. Hæc est laus martyrum. Sicut enim martyres laudant Dominum pure in regione vivorum, ita et monachi qui die et nocte psallunt Domino, debent eamdem puritatem habere martyrum, siquidem ipsi martyres sunt. Quod enim faciunt angeli in cœlis, hoc monachi faciunt in terris.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis po- A *puli ejus*. Quæ sunt orationes martyrum? Quæ sunt orationes sanctorum? Tenebo, inquit, et non dimittam te. Adorabo, inquit, Dominum, quem in Evangelio legens, et inveniens crucifixum: in cœlis video regnantem cum angelis. *In conspectu omnis populi ejus*. Coram omni cœtu sanctorum. *In medio tui, Jerusalem*. Ipsius cœlestis civitatis, quæ est mater nostra: cujus jam cives et domestici facti sumus. Per ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, qui est pax nostra. Qui nobis præstare dignetur, ut compresso bello carnali, ac charitatis suæ nobis pace largita: filiique effecti in Jerusalem cœlesti, sanctis suis mereamur adjungi pro meritis. Ipsi gloria cum æterno Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

B

PSALMUS CXVI.

Alleluia. Iste psalmus parvus habetur numero versuum, sed magnus est in spiritualis mysterii sacramento. Vocem tamen apostolicam tenet, qui juxta normam evangelicam in quatuor versuum numero continetur.

Laudate Dominum, omnes gentes. Qui, relictis simulacris, accessistis ad eum per fidem. Quod autem omnes gentes laudaturæ atque adoraturæ essent Dominum, hoc Magi ab Oriente venientes inchoaverunt, offerentes munera nato homini regique ac Domino, sicut Matthæus ait evangelista. *Et collaudate eum omnes populi* (*Matth.* II). Qui ex Judæis fuerunt conversi, quod titulus ille prænuntiavit, quem super crucem Dominicam Pilatus posuit, scriptum Hebraice, Græce, et Latine, Rex Judæorum, sicut Joannes evangelista testatur (*Joan.* XIX).

C

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus. Apud Deum futura jam facta esse sæpe testati sumus (*Act.* II). Ergo tunc misericordia Domini confirmata est, cum effudit super credentes Spiritum sanctum, juxta promissionem quam Lucas evangelista commemorat, dicens: Ecce ego mitto promissionem Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto (*Luc.* XXIV). *Et veritas Domini manet in æternum*. Permanet veritas Domini, cum justi in cœlesti Jerusalem tamquam lapides vivi ædificantur: vel impii æterno igni et vermibus, qui numquam moriuntur, his traduntur. Sicut Marcus evangelista ait: Ignis eorum non exstinguetur, et vermis eorum non morietur

D

(*Marc.* IX). Nos vero Dominum supplices deprecemur, ut se laudandi tribuat efficaciam, et confirmet super nos misericordiam suam: mittens in nobis Spiritum sanctum, qui exurens noxia, illuminet profutura. Ipsi gloria cum æterno Patre et Spiritu sancto in cuncta sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXVII.

Alleluia. Iste psalmus interdum vocem continet Ecclesiæ Christi vocatione fundatæ, vel populi interempti pro Christi nomine Deum magnificantis.

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Confessio hæc non ad peccatorum remissionem; sed ad laudem pertinet deitatis.

Dicat nunc domus Israel, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Illa domus, quæ prius cæcata erat delictis, nunc mente serena Dei gloriam contemplatur.

Dicat nunc domus Aaron quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Quæ ante idolis immolaverat: nunc autem Altissimi illecta bonitate, sacerdotium gerit animæ suæ.

Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Vos, qui prius simulacra muta et surda metuebatis, nunc omnipotentis Domini cum timoris reverentia misericordiam decantate.

In tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus. In angustiis tribulationum exaudivit me in latitudine gaudiorum.

Dominus mihi adjutor est, non timebo quid faciat mihi homo. Diabolus utique et homo et vir, sæpe in Scripturis ponitur.

Dominus mihi adjutor est, et ego despiciam inimicos meos. Vel hæreticos, vel Judæos.

Bonum est sperare in Domino, quam sperare in homine. In solo Deo debemus sperare, et non in homine, cujus salus vana est (*Psal.* LIX). Nam alius propheta ait: Maledictus homo qui ponit in homine spem suam (*Jerem.* XVII).

Bonum est confidere in Domino. Qui vitam largitur æternam. *Quam confidere in principibus.* Quorum potestas cum hoc mundo dilabitur.

Omnes gentes circumdederunt me, et in nomine Domini, quia ultus sum in eos. Gentes scilicet tribulationum vallabant me, sed in nomine Domini restiti eis.

Circumdantes circumdederunt me, et in nomine Domini, quia ultus sum in eos. Cujus eram vexillo munitus.

Circumdederunt me sicut apes. Sicut apes favum, ut auferrent dulcedinem quam in me Christus infuderat. *Et exarserunt sicut ignis in spinis.* Ipsi exarserunt in invidia sua dum me exurere non valuerunt. *Et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.* Cum ea quæ mihi intulerant, in eos refusa sunt.

Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me. Qui confidens in eum, ipsum solum adjutorem quæsivi.

Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Ipsi concinam, ipsum virtutem meam dicam: in ipso omnis laudatio mea consistit, qui mihi in hac tribulationis morte factus est in salutem.

Vox exsultationis et salutis, in tabernaculis justorum. In cordibus utique martyrum reliquorumque sanctorum, qui facti sunt tabernaculum Dei per inhabitantem Spiritum sanctum in eis.

Dextera Domini fecit virtutem. Ut mihi victoriam in passione tribueret. *Dextera Domini exaltavit me.* Ab humilitate diversarum passionum, virtute ejus elevatus sum.

Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini. Populus hæc martyrum loquitur: quorum victoriæ in omnibus Ecclesiis concinuntur.

Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me. Castigat nos Dominus ad emendationem in multis verberibus, ut probet et servet a perpetua morte.

Aperite mihi portas justitiæ, et ingressus in eas confitebor Domino. Beatus est ille Ecclesiæ vel martyrum populus, cui portæ aperiuntur justitiæ, id est, vitæ æternæ, in quibus jugiter Deum confiteatur et laudet.

Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam. Dominus Jesus Christus porta est Patris, per quam introitur ad eum, ipso Domino sic dicente: Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur. Et iterum: Nemo venit ad Patrem nisi per me (*Joan.* X). Per hanc ergo portam venitur ad Patrem, sed nemo in eam ingreditur nisi justus.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem. In qua vel vulnera peccati sanasti, vel adversus iniquum hostem, factus es in salutem.

Lapidem quem reprobraverunt ædificantes. Dominus noster Jesus Christus lapis verus inventus in legis littera, reprobatus est ab ædificantibus Judæis, hoc est, litteræ hærentibus. *Hic factus est in caput anguli.* In caput connectens duos parietes: unum de circumcisione, alium de præputio, in uno novo homine, hoc est, in semetipso.

A Domino, Patre. *Factus est.* Mediator noster et ejus. *Et est mirabilis in oculis nostris.* Non in illorum, qui eum reprobaverunt; sed in nostris, qui eum credendo suscepimus.

Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea. Hic lapis angularis ipse est dies salutis, in quo vel a morte surreximus, vel mœrore peccati deposito, in novitate vitæ lætamur.

O Domine, salvum me fac. Ad te venientem. *O Domine, bene prosperare.* Prosperum facito iter illud, quo ad te post multos labores revertar. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Christus Dominus in nomine Patris, sicut ipse ait: Ego veni in nomine Patris mei (*Joan.* v), etc.

Benedicimus vobis de domo Domini. Sancti de cœlesti Jerusalem parvulos Ecclesiæ benedicunt. *Deus Dominus et illuxit nobis.* Resurrectione enim sua illuminavit tenebras nostras.

Constituite diem solemnem. Exhibete vos templa et aras Deo, in quibus et sacras celebretis solemnitates. *In condensis.* In virtutibus multis: in quibus vel ipse Dominus, vel ejus angeli frequentantur. *Usque ad cornu altaris.* Usque ad ipsum Dominum, qui est fortitudo animæ, quam ejus altare fecisti.

Deus meus es tu, et confitebor tibi. Accepta remissione per confessionem peccaminum, nunc confitebor laudes tuas, *Deus meus tu, et exaltabo te.* Quia a te ab humilitate sum sublevatus.

Confitebor tibi, quoniam exaudisti me. Ut me cum sanctis tuis in cœlesti Jerusalem sociares.

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in

sæculum misericordia ejus. In his verbis psalmus accipit terminum, de quibus sumpsit exordium : videlicet ut ab initio credulitatis nostræ usque ad finem in Deum nostrum fiduciam habentes, ejus laudes perseveranter confiteamur, juxta illud Domini : Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* x *et* xxiv). Qui nobis fiduciam in se sperandi largire dignetur : ipsi gloria cum æterno Patre, et Filio et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXVIII.

Alleluia. Iste psalmus magnum in se mysterium continet. De quo quippiam in prologo prolocuti sumus, sed quoniam continentur in eo lex, mandata, justificationes, testimonia, judicia ac viæ : quid inter ea distet, discerni necesse est. Lex ergo, quæ per Moysen data est, in Christo spiritualiter debet intelligi : quia Apostolus cum illam sanctam vocet, umbram tamen eam futurorum esse describit (*Hebr.* x). Mandata sunt, in quibus præceptorum Dominicorum custodia deputatur, juxta illud : Non occides, non mœchaberis, et reliqua. Justificationes sunt, quibus Deus per suam dilectionem et proximi, zizaniam odii ab hominum corde jubet avelli. Testimonia sunt, in quorum præsentia nobis observationum sanctarum ordo committitur. Sicut Moyses cœlum et terram invocat testes (*Deut.* iv). Et Paulus ad Timotheum: Testificor tibi, inquit, in conspectu Dei viventis, et in conspectu electorum angelorum ejus, et reliqua (II *Tim.* iv). Judicia autem sunt, cum ant justos splendidis honorabit meritis, aut æternis damnabit suppliciis transgressores. Viæ enim sunt apostoli ac prophetæ, per quos venitur ad veram viam, qui est Christus. Sic ergo inchoat psalmus, *Beati immaculati :* quem pro prolixitate dictorum in tribus homiliis explanare Domino annuente decrevimus. Totus hic psalmus est scriptus secundum ordinem litterarum, ita ut ab una littera octo versus incipiant, et rursum a sequenti octo alii compleantur. Et hoc similiter usque ad finem texatur. Josephus autem refert in libris ἀρχαιολογίας hunc psalmum, et Deuteronomii canticum, uno metro esse compositum, et putat elegiacum metrum in utroque posse deprehendi : quod scilicet prior versus sex pedibus constet, inferior uno minus in pentametrum finiatur.

ALEPH.

Beati immaculati in via. Ista utique in sæculi via, per quam gradimur. *Beati immaculati*. Contra beatitudinem miseria opponitur. Beatus immortalis dicitur in nostra lingua, sive laudabilis vel gloriosus. Illi sunt beati, qui in vitam æternam merentur intrare ; et illi sunt miseri, qui in infernum descendunt. Quomodo dicit, *immaculati :* quia sine minutis peccatis homo esse non potest : sicut sanctus Joannes dixit : Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est (I *Joan.* i). Et propheta dicit : Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam (*Psal.* xiv). Sine macula, hoc est, sine mortalibus criminibus. Sed tamen discretionem facit inter maculam, et maculam, id est, quia etsi sine minutis esse non possumus : tamen in majora incidere non debemus. *In via : qui ambulant in lege Domini. In via*, in Christo, ut ipse ait : Ego sum via et veritas (*Joan.* xiv). *Qui ambulant in lege Domini*, hoc est, in mandatis illius. *Qui ambulant*, id est, perseverant. *Qui* A *ambulant in lege Domini*. Qui, carnis concupiscentiis edomatis, etiam terrenæ honorem gloriæ calcant.

Beati qui scrutantur testimonia ejus. Ut intelligant cum peccaverint, se coram testibus deliquisse. *In toto corde exquirunt eum*. Et non leviter, neque segniter.

Non enim qui operantur iniquitatem in viis ejus ambulaverunt. Viæ enim sunt apostoli et prophetæ, per quos venitur ad viam illam, quæ dixit : Ego sum via, veritas, et vita, sicuti jam diximus. In hac enim via impii non incedunt : quia Satanæ viam sequuntur.

Tu mandasti, mandata tua, Domine, custodiri nimis. Non tepido corde, nec dissoluto animo, sed fortiter et attente nos sua mandata edocet custodire.

Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justifica- B *tiones tuas*. Nisi enim ab ipso Domino dirigantur viæ nostræ : ad ejus custodiendas justificationes infirmiores erimus, propter fragilitatem carnis.

Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis. Non alia prætermittere, et alia observare est congruum : sed omnia æqualiter custodire oportet, ne in futuro judicio confundamur.

Confitebor tibi, Domine, in directione cordis mei. Quia non est perversus in parte hæreticorum. *In eo quod didici judicia justitiæ tuæ*. Ut te directo corde laudarem.

Justificationes tuas custodiam, non me derelinquas usquequaque. Et si ad tempus relinquimur, non tamen usquequaque relinquamur ut pereamus.

C

BETH.

In quo corrigit adolescentior viam suam : in custodiendo sermones tuos. Hic propheta non modo longævam ætatem corrigit : verum etiam adolescentiam edocet erudiri, et ita custodire divinos sermones, ut etiam si vetus culpa defleta sit : nunc ne cogitatio ad delinquendum ulla consentiat.

In toto corde meo exquisivi te, ne repellas me a mandatis tuis. Non ex parte, sed ex toto corde Deum se requisisse fatetur, ne ab ejus mandatis projiciatur : quia neminem projicit qui peccatores salvos facere venit.

In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. In cordis abdito Dei sacramenta recondit : cum hæreticum post duas correptiones devitat (*Ad Tit.* D iii), cum sanctum Dei canibus non exponit. Vel cum margaritas ejus non projicit coram porcis (*Matth.* vii). Nihil negligenter agit in his quæ sunt Dei : quia scit maledictum esse qui fecerit opus Domini negligenter (*Jerem.* xlviii).

Benedictus es, Domine, doce me justificationes tuas. Quia scio vanæ gloriæ justificationes tuas, quas Pharisæus proferebat in templo, a te non processisse (*Luc.* xviii).

In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui. Incomprehensibilia dicit Apostolus judicia Dei (*Rom.* xi). Ergo iste quæ audivit, et didicit a prophetis : ea tantum labiis nuntiavit, sed credentibus, et non indignis.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut A *in omnibus divitiis.* Sicut enim terrenus homo in agris vineisque delectatur: ita iste in testimoniis Dei jucundatur de conscientia pura, qui, contempto mundo, a Deo ditatus est.

In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas. Exercitatio assiduitas operis est. Et iste: nisi exercitatus in mandatis Dei fuisset, non poterat considerare vias ejus; id est, apostolicas propheticasque doctrinas.

In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos. Ea meditor, in his exerceor, ut illa oblivioni non tradens, possim ea integre perfecteque implere.

GIMEL.

Retribue servo tuo, vivifica me, et custodiam sermones tuos. B Constanter sibi retribui ob id quod Deo serviat, deprecatur. Et quia nescit servum se esse peccati: in ipso vivere, qui vita est, optat: sermonesque ejus dum vita præsens volvitur, custodire.

Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. Absterge ab oculis cordis velamen litteræ, et fac me spirituali sensu legis tuæ mirabilia contemplari. In lumine enim tuo videbimus lumen (*Psal.* XXXV).

Incola ego sum in terra, non abscondas me a mandatis tuis. Sic et Apostolus ait: Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (II *Cor.* V). Peregrinum se in corpore positum propheta dicit a cœlesti frequentia: quia scit hæc mandata in thronis et dominationibus contineri: quæ sibi ne occultentur, C implorat.

Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas, in omni tempore. Ut sive manducem, sive bibam, sive aliud quid faciam: eas semper desiderem, mediter, apprehendam.

Increpasti superbos. Ut eos ad humilitatem sanctam, quam docuisti, reduceres. *Increpasti superbos.* Sic fecit diabolo, et Adam, qui se elevaverunt in superbia. Vel modo per tuos doctores increpas adversarias potestates, membra diaboli, hæreticos vel malos homines, qui contra mandata Dei agunt. Increpasti illos per tuos sanctos. *Maledicti qui declinant a mandatis tuis.* Maledicti sunt illi qui a mandatis Dei declinant, sed tunc pleniter maledictionem accepturi erunt mali, id est, hæretici vel reliqui: quo- D niam dicturus erit: Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV).

Aufer a me opprobrium. Peccati et judicium. *Et contemptum.* Judicii mortalis. *Quia testimonia tua exquisivi.* Non otiose et somnolenter, sed strenue vigilanterque.

Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur: servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis. Quod in hoc versiculo propheta in se loquitur, futurum in apostolis reliquisque martyribus videt, qui multa coram regibus et præsidibus, Domino etiam hoc prænuntiante, perpessi sunt (*Matth.* X, *Marc.* XIII, *et Luc.* XXI). Qui licet sint diversis pœnis affecti, usque ad sectionem tamen cervicum semper se in Dei exercuerunt justificationibus.

Nam et testimonia tua meditatio mea est. In his utique pressuris. *Et consilium meum justificationes tuæ.* Quia vitam pollicentur æternam.

DALETH.

Adhæsit pavimento anima mea: vivifica me secundum verbum tuum. Corpori mortali animam conjunctam intelligo: ideo ne delictum invalescat, a te peto vivificari: sciens quia concupiscentia carnis mortem operatur.

Vias meas enuntiavi tibi. Quomodo dicit, *enuntiavi tibi,* cum alibi dicit, enuntia mihi. Numquid Deus aliquid nescit aut ignorat: quia ipse ubique est præsens, et omnia prævidet, et intrinsecus est? Sed quod dicit, *vias meas enuntiavi tibi,* hoc est, ac si dicat: Tu dic prius iniquitates tuas (*Isai.* XLIII), hoc est, tua opera: quod contra mandatum Dei egisti enuntia per confessionem vel pœnitentiam, ut justificeris in sermonibus Dei.

Vias meas enuntiavi, et exaudisti me: doce me justificationes tuas: Vias peccati mei confessus sum, et remisisti: nunc doctrinam indulge, quia in justificationibus tuis edocear.

Viam justificationum tuarum instrue me. Justificationes quas legis littera protulit, spiritualiter capiam. *Et exercebor in mirabilibus tuis.* In apostolis cæterisque doctrinis ecclesiasticis, quæ in ea sunt figuratæ.

Dormitavit anima mea. In hujus habitaculi mortalis statione. *Præ tædio.* Imbecillitatis corporeæ. *Confirma me in verbis tuis.* Ut ablato peccati somno, instanter in his vigilem.

Viam iniquitatis amove a me. Desiderium illud per quod ad peccandum venitur. *Et in lege tua miserere mei.* Apud te enim lex instituta est, ut semper miserearis.

Viam veritatis elegi. Christum Dei Filium, quem prævidens venturum in mundum audio dicere: Ego sum via, veritas, et vita (*Joan.* XIV). *Judicia tua non sum oblitus.* Illa judicia, quæ in Evangeliis proferens, ait: Hoc est judicium, ut omnis qui credit in Filium hominis, habeat vitam æternam (*Joan.* III).

Adhæsi testimoniis tuis, Domine, noli me confundere. Et quia his adhærens, anteriorum facinorum indulgentiam merui: quæso ne me patiaris de iteratione peccati confundi.

Viam mandatorum tuorum cucurri. Quando multa patiebar propter verbum ob spem futuræ beatitudinis. *Cum dilatares cor meum.* Cum in amplitudine sanctarum Scripturarum mysterium mihi beatæ Trinitatis insinuares. Vel dilatares cor meum: id est, in latitudine charitatis, in spe, in fide.

HE.

Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum. Propheta in persona Ecclesiæ dicit, *Legem pone mihi,* id est, temetipsum: quia lex Christus est. Ac si dicat: Temetipsum mihi pone, hoc est, dona. *Et exquiram eam semper.* Ipsam legem, hoc est, mandata, vel temetipsum.

Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam. Id est, tua mandata. *Intellectum*, ut non sim sicut equus et mulus, quibus non est intellectus (*Psal.* XXXI). Ecclesia rogat, ut intelligat discretionem inter bonum et malum, inter vitam et mortem, inter litteram et sensum. Ut intelligam et prædicem et opere impleam. *Et custodiam illam in toto corde meo.* Id est, ex tota dilectione.

Deduc me in semita mandatorum tuorum. Semita minor est quam via, hoc est, arcta, et angusta via, hoc est, altiora mandata quæ ducunt ad vitam: quia lata et spatiosa est quæ ducit ad mortem (*Matth.* VII). *Quia ipsam volui.* Vox Ecclesiæ. Ac si dicat Ecclesia: Non concupivi aliud, nec delectatus sum, nisi tua mandata. Ideo rogo ut me deducas in tua mandata, id est, intelligere facias.

Inclina cor meum in testimonia tua. Vox Ecclesiæ: Superbi non inclinant cor in testimoniis Dei, quia sperant se altiores esse, et melius intelligere de præceptis Dei, quam Ecclesia. *Et non in avaritiam.* Hoc est, vanitatem: quia illi superbi non inclinant cor in testimoniis Dei; sed in vanitate vel avaritia. Inclina cor meum, dicit Ecclesia, id est, in humilitate, ut illud: Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI).

Averte oculos meos ne videant vanitatem. Averte oculos meos, id est, sensus meos, *ne videant vanitatem*, id est, defectionem. Ac si dicat: Ut in ista vanitate, quæ est defectio, non habeam oculos meos, id est, sensus meos defixos. Sed quid, inquit? *In via tua vivifica me.* Hoc est, in temetipso. Vel in tuis mandatis vivifica me, in anima.

Statue servo tuo. Populo Christiano. *Eloquium tuum.* Tua mandata. *In timore tuo.* Id est, sancto.

Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum. Ecclesia dicit, id est, tolle, capula, seca, quod suspicatus sum ab aliis opprobrium. Opprobrium illud quod dicebant gentiles: Cultor es crucifixi: adorator es male mortui: venerator es occisi, et dicebant: Ecce Deus noster, quem vos dicitis manufactilem. Ubi est Deus vester? Veniat. *Quod suspicatus sum.* Quid suspicabantur illi? Quod fallaciam observaret Ecclesia, quoniam Christum adorabat. *Quia judicia tua jucunda.* Id est, clara: læta ad illos qui amant et desiderant, id est, non nolentibus, sed volentibus clara et jucunda sunt.

Ecce concupivi mandata tua: in æquitate tua vivifica me. Unum est, Domine, tuæ miserationis donum, ut eloquia sancta custodientes, in tua æquitate vivificemur, hoc est, cum æqualem te Patri Spirituique sancto fatemur.

VAV.

Et veniat super me misericordia tua, Domine. Ut delicta remittas. *Et salutare tuum secundum eloquium tuum.* Hoc est salutare, eloquium quod per alium promisisti prophetam, dicens: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* XXXIII). Hoc est, ut venias nos redimere: secundum quod

A Abrahæ promisisti, sicut dictum est: In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ (*Gen.* XXII).

Et respondebo exprobrantibus mihi verbum. Ecclesia dicit. Ac si dicat: Si veneris redimere nos, respondebo ad illos qui me exprobrant de mea fide quomodo credo, et dicunt: Ubi est Deus vester? Ecce Deus noster, vel idola illorum quæ colunt. *Quia speravi in sermonibus tuis.* Constanter his respondebo qui vanam dicunt spem meam quam in te habeo, quia illorum spes inanis est.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque. Non consentiam peccantibus, ne audiam: Quare tu enarras justitias meas (*Psal.* IX)? *Quia in judiciis tuis supersperavi.* In his sperans, semper ea protuli in Ecclesiis populorum.

B *Et custodiam legem tuam semper, in sæculum sæculi.* In, *semper*, omne tempus vitæ præsentis ostendit. In *sæculum sæculi* vero futurum sæculum monstrat.

Et ambulabam in latitudine. Dilatatus enim sum in custodia legis tuæ. *Quia mandata tua exquisivi.* Diligenter ea perscrutans. Ad hoc exquisivi, ut crederem et intelligerem.

Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar. Sciens quia qui te confitetur in sæculo, confiteberis eum coram Patre et angelis ejus (*Matth.* X). Nos vero si ante reges et præsides propter Dominum, sicut martyres fecerunt, stemus, sive verbum veritatis annuntiemus, sive pro justitia decertemus (*Ibid. et Marc.* XIII): non confusi, sed
C constantes esse debemus.

Et meditabar in mandatis tuis quæ dilexi. Ut opus meditationis, dilectionis perficeret fructum.

Et levavi manus meas. Id est, elevavi. *Ad mandata tua quæ dilexi.* A peccato mundas, et ab effusione innocentis sanguinis alienas. *Et exercebar in justificationibus tuis.* Ut quæ in his per litteram indicabantur, spiritualiter possim advertere.

ZAIN.

Memor esto verbi tui servo tuo, Domine: in quo mihi spem dedisti. Talem me digneris efficere, ut idoneus habear qui verbi tui memor, inter pressuras hujus sæculi, per spem æternorum bonorum, merear consolari, sicut sequitur:

D *Hæc me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum vivificabit me.* Cum in angustiis posito, æternæ vitæ pabulum subministrat.

Superbi inique agebant usquequaque. Qui, relicta humilitate præceptionis divinæ, in hujus sæculi vanitatibus extollebantur. *A lege autem tua non declinavi.* Quia illis damnationi appropinquantibus, erigebar in ea.

Memor fui judiciorum tuorum. Nihil in hac vita indignum gessi, metuens ne his condemnarer. *A sæculo, Domine.* Ab initio hujus vitæ. *Et consolatus sum.* Securum me sciens a judicio mortis. *Consolatus sum,* dicit ipsa Ecclesia: quod Deus venit sua membra redimere. Quasi dicat: Ab initio cognovi ego, et intel-

lexi per Spiritum sanctum, quod tu venturus eras A in carne.

Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Vox Ecclesiæ. Affectum miserationis ostendit, ut doleat super prævaricationes iniquorum, juxta illud Apostoli: Ob unius membri dolorem compatiuntur omnia membra (I *Cor.* XII). Ideoque non vult quemquam peccare, sed omnes cupit viam veritatis agnoscere (I *Tim.* II).

Cantabiles mihi erant justificationes tuæ: in loco peregrinationis meæ. Docet nos propheta, in hujus mundi peregrinatione, spiritualia cantica semel aure suscepta incessabiliter decantare, quia cum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (II *Cor.* V).

Memor fui nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam. Oportet enim, fragilitatem humanam, B ut cum semper, impensius tamen nocturno tempore memoriam faciat Dominici nominis (I *Cor.* V): cum aut recordatione divitiarum premitur, aut concupiscentiæ igne torquetur, et præcipue hoc exorare, ut si legem Dei custodire cœpit, ne ab eadem in aliquo divellatur.

Hæc facta est mihi: quia justificationes tuas exquisivi. Facta est mihi hæc lex consolatio, et non scandalum: ut diligentius justificationes tuas scrutari valerem. Nos quoque suppliciter exoramus Dominum: ut nobis justificationes suas insinuet, vias reseret, mirabilia declaret, et si quid legis umbraculum occultet, Paracleto illuminante, revelet, ut si beatitudinis palmam non adipiscimur, saltem vel pro delictis veniam consequamur. Per Dominum nostrum Jesum C Christum, qui est cum æterno Patre et Spiritu sancto, honor, et potestas, et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Justificationum, mandatorum, legum, viarumque discretionem jam in superiori homilia descripsimus (*homil.* II): nunc ad octavæ litteræ capitulum revertamur.

HETH.

Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam. Qui relinquit mundi superbiam, honorum fastigia, divitiarumque jactantiam, et in cœlo collocat thesauros, hujus portio efficitur Deus: sicut Petrus ait paralytico: Argentum et aurum non est mihi; sed quod habeo, hoc tibi do: In nomine Christi Jesu surge, et ambula (*Act.* III). O magnus thesaurus, o feli- D cium divitiarum egregius cumulus, ut qui legem Dei custodit, et cujus Deus est portio, morbida curet infirmitatum!

Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo. Bene propheta toto corde deprecatur faciem Dei, qui mundum cor se novit habere. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V). *Miserere mei secundum eloquium tuum.* Per quod promisisti ut peccatorem in morte non obrueres, sed misericordia consolareris.

Cogitavi vias meas. Quod rectæ erant. *Et converti pedes meos in testimonia tua.* Sensus meos in tua præcepta: ut observare debeam, et opere compleam.

Paratus sum, et non sum turbatus. Paratus sum, ad prædicandum: *non sum turbatus*, ad tribulationem sustinendam propter Christum. *Ut custodiam mandata tua.* Non me conturbaverunt iniqua exprobrantium jacula.

Funes peccatorum circumplexi sunt me, et legem tuam non sum oblitus. Ab improperiis peccantium se conseptum propheta dicit, nec tamen legis divinæ se ait immemorem: sciens oportere nos per multas tribulationes introire in regnum Dei (*Act.* XIV).

Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super judicia justitiæ tuæ. Scit enim medio noctis tempore vel pericula pati, vel præmia se assequi posse, quia sicut media nocte percussit angelus Ægyptum (*Exod.* XI), ita media nocte sapientes virgines introducuntur ad sponsum (*Matt.* XXV). Et multa sunt alia de media nocte testimonia. Ideo hic eo tempore surgit cum judicio ac justitia, ut quod posceret consequatur.

Particeps ego sum omnium timentium te et custodientium mandata tua. David particeps erat in regno ad omnes homines qui sustinebant tribulationem; et modo Ecclesia particeps est ad illos qui Deum timent timore sancto, et sua mandata implent. Particeps est cum illis in fide, spe, charitate.

Misericordia Domini plena est terra. Cum solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* V). *Justificationes tuas doce me.* Ne similis fiam his qui habentes scientiæ clavem, neque ipsi introeunt, neque alios introire permittunt (*Luc.* XI). Misericordiam fecit, quando venit nos redimere. Inde est plena terra, id est, sancta Ecclesia. *Justificationes tuas doce me.* Hoc est, tua mandata, ut illa intelligam et prædicem, et opere impleam.

TETH.

Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine. Vox prophetæ in persona Ecclesiæ. *Bonitatem fecisti*, quando in carne venisti, et nos redemisti; quando quod promisisti ad Abraham, et reliquos patres adimplesti, ut illud; et in semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XX). *Cum servo tuo*: populo christiano. *Secundum verbum tuum.* Verbum Patris Filius est. *Secundum verbum tuum*; ut peccantem me non in ira punires, sed misericordia consolareris. *Bonitatem et disciplinam, et scientiam doce me.* Vox Ecclesiæ. Ante debuerat dicere scientiam, et postea disciplinam; quia non potest homo bonus esse nisi scientiam habeat. Qualem bonitatem se dicit facere? Quia dat pluviam super terram, et facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. *Et disciplinam*, hoc est, ut primitus in se debeat mensurare, et facere disciplinam, et postea in aliis. *Et scientiam*, hoc est, ut discretionem habeat, et sciat discernere inter bonum et malum, inter vitam et mortem, inter corpus et animam. *Doce me*, ut intelligam tua mandata opere implere. *Quia mandatis tuis credidi.* Propterea doce me, quia in tuis præceptis credidi; id est, opere implevi.

Priusquam humiliarer ego deliqui, propterea eloquium tuum custodivi. Præcedente delicto humiliamur, et per hoc erudimur, ut eloquia divina custodiamus.

Bonus es tu, Domine. Quia nemo bonus nisi tu solus. *Et in bonitate doce me justificationes tuas.* Eo quod bonæ sint, sicut et tu bonus es.

Multiplicata est super me iniquitas superborum ; ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua. Cum enim verbera divina me arguerent, et superbi sæculi lacesserent, dicentes : Ubi auxilium, ubi spes tua, ubi est bonitas Dei tui ; ego mandata tua vehementius scrutabar, consolationem requirens in eis.

Coagulatum est sicut lac cor eorum. Lac cum natura suave sit, corruptum tamen vitio coagulatur et acescit. Ita et superbi, id est, hæretici, dulce cor sanctis Scripturis prius habuerunt ; sed pervertentes eas in ebrietate sensus sui, coagulati atque acerrimi facti sunt. *Ego vero legem tuam meditatus sum.* Per quam superbos humilias, per quam humilibus gratiam præstas.

Bonum mihi quod humiliasti me ; ut discam justificationes tuas. Vox Ecclesiæ dicit : Bonum mihi fuit quod me humiliasti ; quia per hoc didici tua mandata implere in operatione. *Bonum mihi quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* Quia non in superbia, sed in humilitate discuntur.

Bonum mihi lex oris tui, super millia auri et argenti. Lex oris Dei Christus est ; qui non venit legem solvere, sed adimplere (*Matth.* v). Quem prævidens propheta super omnes thesauros concupiscit ; quia non solum amicos diligi, sed etiam inimicis præcipit ignosci.

IOD.

Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me, da mihi intellectum ut discam mandata tua. Magnum est enim ut se homo intelligat manu Dei factum plasmatumque, et ad ejus imaginem esse compositum. Quod si cognoverit, scientiam poscere debet, ut mandata ejus intelligat atque custodiat ; ne recedens ab eis, qui fuit imago Dei incipiat imago esse diaboli.

Qui timent te videbunt me, et lætabuntur. Vox Ecclesiæ, hoc est, ut illi qui Deum timent, videant suum intellectum, et lætitiam habeant : quia Ecclesia quando videt alios mandata Dei observare, magnam lætitiam habet. Postea invicem sic lætabuntur, et hic, et in futuro. *Quia in verbo tuo supersperavi*, id est, in Christo habeo spem.

Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua et in veritate tua. Æquitas tua est, ut peccatores arguas pro delictis : Veritas, ut superbos humilies a prosperitatibus suis. Ergo quia me humiliasti, ut corrigeres :

Fiat nunc misericordia tua, ut consoletur me. Vox prophetæ in persona Ecclesiæ. Prævidebat propheta per Spiritum sanctum Christum venturum esse in carne, qui erat misericordia, ut nos redimeret secundum quod promiserat, et me consolaretur. Adimplevit quod promisit ; quia dicit in alio loco : Miserationes multæ sunt apud Deum, et nostra peccata multa sunt (*Ps.* CXLIII). Inde dicit : Miserationes tuæ multæ sunt. *Secundum eloquium tuum servo tuo.* Secundum quod promisisti, veni redimere servum tuum, populum Christianum, qui tibi servit specialiter. *Fiat nunc misericordia tua ut consoletur me, secundum eloquium tuum servo tuo.* Promisisti enim, ut post humilitatem afflictionis, tribueres præsidium consolationis.

Veniant mihi miserationes tuæ et vivam, quia lex tua meditatio mea est. Jam legem tuam meditor, sed in æternam vitam venire non possum, nisi a te inibi fuero commutatus.

Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me. Confundantur in peccatis suis, et cognoscant se inique gessisse adversus justum. *Ego autem exercebor in mandatis tuis.* Ostendens eis quæ oporteat agere. *Ego autem.* Vox Ecclesiæ. *Exercebor in mandatis tuis.* Dum isti supradicti sic fecerunt : ego in tuis præceptis ibi me exerceo.

Convertentur mihi timentes te, et qui noverunt testimonia tua. Hoc est ut, me docente, cognoscentes ea ad te conversi fiant.

Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar. Et quia de corde procedit numerositas vitiorum, sicut Dominus ait in Evangelio : ideo propheta immaculatum se fieri poscit in Dei justificationibus, ut cum in judicio damnationis sententia non confundat (*Ps.* CXVIII). Sic et nos premere debemus varias cogitationes, ne nobis confusionem præparent cum eas desideraverimus implere. *Fiat cor meum immaculatum.* Hic cor pro anima ponitur. Ac si dicat : Fiat anima mea sine peccato mortali. *In justificationibus tuis ut non confundar.* Hoc est, ut non habeam confusionem æternam.

CAPH.

Defecit in salutari tuo anima mea. In Jesu, quia venit salvum facere populum suum a peccatis eorum. *Et in verbum tuum supersperavi.* Quod in principio Deus erat apud Deum, ut veniat ad redemptionem humanam.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum ; dicentes, Quando consolaberis me? Attende. Hanc suscipio consolationem te advenire de cœlis in defectione spiritualium oculorum.

Quia factus sum sicut uter in pruina : justificationes tuas non sum oblitus. Dominus in Evangelio dixit : Nemo ponit vinum novum in utres veteres (*Marc.* II) : significans pectus humanum diuturnis repletum vitiis non posse continere mandata Dei. Ergo et nos si incalescamus naturali ardore ut peccemus : cum mandata Dei accipimus, repentinus exstinguitur hic calor, et erimus quasi uter in pruina, refrigerato in nobis ardore peccati.

Quot sunt dies servi tui ; quando facies de persequentibus me judicium. Pauci sunt dies hujus vitæ.

Tu, Domine, contere in judicio tuo Satanam cum satellitibus suis, sub pedibus nostris velociter, qui nos persequuntur.

Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. Audivit multa ab hæreticis ac gentibus quæ non conveniunt mandatis Dei. Ideo adjungit:

Omnia mandata ejus veritas. Nulla enim falsitate comprehenduntur. *Iniqui persecuti sunt me, adjuva me.* Gravia adversus principatus et potestates sustineo bella, et ideo non peto, ut amoveatur hoc certamen; sed ut adjuver, sciens neminem posse coronari nisi qui legitime certaverit.

Paulo minus consummaverunt me in terra; ego autem non dereliqui mandata tua. Valde me corporalia vitia in terra humiliassent: nisi custodissem mandata divina.

Secundum misericordiam tuam vivifica me. In æternam vitam; quia ego jam non mihi vivo: vivit autem in me Christus. *Ut custodiam testimonia oris tui.* Vel ea quæ in Lege mandasti; vel illa quæ in Evangeliis protulisti.

LAMED.

In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo. In homine illo cœlesti qui, relicta imagine terrena, factus est cœlum.

In generationem et generationem veritas tua. Una generatio est Legis et prophetarum: altera Evangeliorum. In his generationibus veritas permanet Dei: quia nihil mendacii protulerunt. *Fundasti terram, et permanet.* Non illam quæ cum cœlo præterit; sed illam in qua verbum Dei multiplicatur.

Ordinatione tua perseverat dies; quoniam omnia serviunt tibi. Qui, relictis mundi tenebris, in lumine Dei vivit; ille in Deum, qui dies verus est, perseverat. Et omnia quæ ex ordinatione ejus perficit, ei deputat serviendum.

Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea. Dat exemplum, ut etiamsi in diversis persecutionibus humiliemur, legem meditemur, ne pereamus.

In æternum non obliviscar justificationes tuas: quia in ipsis vivificasti me. Transferens me post certamina multa in vitam æternam.

Tuus sum ego, salvum me fac, Domine, quoniam justificationes tuas exquisivi. Ego tuus famulus, et tu Deus meus. A te posco salvari, quia venter non est mihi Deus, nec sum inani gloriæ deditus, sed justificationibus tuis.

Me exspectaverunt peccatores, ut perderent me, testimonia tua intellexi. Longo me certamine adversæ potestates impugnant, sed ego intelligens testimonia tua, consolationem recepi ex eis.

Omnis consummationis vidi finem. Christum utique, qui finis est Legis, et prophetarum consummatio. Propheta prævidit in spiritu consummasse eum omnia quæ scripta sunt de eo in Lege, et prophetis, et psalmis. Siquidem ipse in passione ait: Consummatum est (*Joan.* XIX). *Latum mandatum tuum nimis.* Spatiosum enim prævidit tempus illud ab eo quo se man-

A davit per Legem et prophetas venturum, usquequo procedat per Evangelium.

MEM.

Quomodo dilexi legem tuam, Domine: tota die meditatio mea est. In hoc apparet cum Legem Dei diligere: quia omne tempus vitæ suæ eam cognoscitur meditari. Die autem dixit, pro eo quod a splendore divinæ lucis eluceat.

Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est. Inimici prophetæ, Judæi sunt, qui spiritualiter non intelligunt. Quibus prudentiorem propheta se dicit, quia in his mandatis quæ in æternum servavit, venturum Dominum prævidit.

Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia
B *tua meditatio mea est.* Docebant tunc scribæ et pharisæi habentes scientiæ clavem: sed iste super his intelligit, qui mysterium unguentorum, et festivitatum atque holocautomatum, in Evangeliis vidit esse complendum.

Super senes intellexi: quia mandata tua quæsivi. Super sacerdotes et principes cuncta legis mandata requiro: quia in novo Testamento agi præstolor quod cerno in veteri figuratum.

Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua. A præcipitio cœni facinorosi me semper inhibui, ut facilius verbum mandatorum custodire valerem.

A judiciis tuis non declinavi, quia tu legem posuisti mihi. Legem mandatorum a te suscepi, quod si ab
C his declinarem judiciis: in æterno judicio condemnarer.

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel et favum ori meo. Transito melle, vel alio cibo palato, nullum ultra saporem habet: sed eloquia tua, Domine, sive in ore, sive in faucibus, vel in arcano abditi pectoris, semper dulcia sunt meditantibus ea. Nam sicut mel visibile amaritudinem arcet nostrarum faucium: ita eloquiis Dominicis amaritudines nostrorum criminum mitigantur.

A mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis. Supradictam mandatorum dulcedinem hauriens, iniquæ amaritudinis viam odivi.

NUN.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine. Si in
D hujus sæculi noctibus in nobis verbi Dei luceat lumen: non incidunt pedes nostri in laqueos funium ac præcipitia fovearum, quæ manus artis diabolicæ in nostris offendiculis præparant. *Et lumen semitis meis.* Ut hoc lumine præeunte, dum vitæ istius semitas gradimur: in eam quæ via vera est, perducamur.

Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ. Primum juravit, ut ab hac custodia non dissolvatur. Deinde statuit, ut quæ juraverat firmet, sciens nihil in Dei judiciis nisi per justitiam propalari.

Humiliatus sum usquequaque, Domine: vivifica me secundum verbum tuum. Didicit humilitatem quam Christus docuit: qui mitis est, et humilis corde.

Ideo nunc deprecatur, ut sicut ille post humilitatem formæ servilis exaltatus est in gloriam Dei Patris, ita et iste ab hac humilitate corporea in vitam transferatur æternam.

Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine. Vox Ecclesiæ. Ac si dicat : Vota mea quæ tibi offero, beneplacita tibi sint, id est, acceptabilia et delectabilia. *Et judicia tua doce me.* Hoc est, tua mandata, ut intelligam et impleam.

Anima mea in manibus tuis. Hoc est, sensibus tuis: quia paratus sum ut operer. Et in alio loco dicit : *Anima mea in manibus meis.* Quomodo dicit in manibus meis? Eo quod paratus sum martyrium sustinere propter Christum.

Posuerunt peccatores laqueos mihi. Vide quod laqueus secus viam ponitur, et si egressus fueris de via, cades in laqueum. Quid sunt isti laquei, nisi tendiculæ diaboli, vel suggestiones dæmonis? Vitia etiam et peccata possunt intelligi. *Et in mandatis tuis non erravi.* Vox Ecclesiæ. Non erravi a tuis mandatis, sed custodivi in operatione.

Hæreditate acquisivi testimonia tua. Tua testimonia et tua præcepta, hoc est mea hæreditas in æternum, et hic, et in futurum. *Quia exsultatio cordis mei sunt.* Tua testimonia, hoc est, *exsultatio:* quia Ecclesia in mandatis Dei delectatur et exsultat.

Inclinavi cor meum. Non fui superbus, sed humilis, et ideo *inclinavi cor meum,* ut te intelligerem : quia superbi non inclinant cor ad humilitatem. Ad quid inclinavi cor meum? dicit Ecclesia. *Ad faciendas justificationes tuas.* Hoc est mandata tua. *In æternum propter retributionem.* Vitæ æternæ, ut illam merear percipere.

SAMECH.

Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi. Vox prophetæ in persona Ecclesiæ. Quomodo dicit, *iniquos odio habui :* dum Dominus dicit : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt (*Luc.* VI)? Et alibi : Orate pro persequentibus et calumniantibus vobis (*Matth.* V). Et hic quomodo dicit, *Odio habui?* Sed secundum legem veteris Testamenti potest se defendere, sicut dictum est : Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum (*Levit.* XIX). Sed modo intelligendum est : *Odio habui :* vitia et peccata. *Et dilexi :* hoc est illam naturam, quia non licet odisse creaturam Dei, sed peccatum. Sicut alibi dicit : Perfecto odio oderam illos (*Psal.* CXVIII). Et odium non perfectum. Quare? Quia qui odit fratrem suum, homicida est (*I Joan.* XIII). *Et legem tuam dilexi,* id est, tuam legem quam tu præcepisti, dilexi, opere implevi.

Adjutor et susceptor meus es tu. Adjutor, in præsenti : *susceptor,* in futuro. *Et in verbo tuo spero.* Hoc est, in Christo, quia verbum Patris Filius est.

Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei. Vox prophetæ in persona Ecclesiæ : optando dicit : *Declinate a me, maligni.* Si volueris perfecte pœnitentiam agere: segregare te debes a consortio peccatorum vel omnium malorum hominum, et fu-

A gere in alium locum, ut perfecte eam agere valeas. *Declinate a me, maligni :* hi sunt dæmones, vitia et peccata : vel adversariæ potestates. Quia dum ipsi tendiculas tibi præparant, et suggestiones pessimas : non potes scrutari mandata Dei, ut illa bene intelligas. Sed si volueris pœnitentiam agere : segregare te debes ab illorum consortio.

Suscipe me secundum eloquium tuum. David dicit : Suscipe me a carne secundum quod promisisti, ut de mea carne carnem acciperes et me redimeres. *Et vivam.* Hoc est in anima si me redemeris, et hic, et in futurum. *Et ne confundas me ab exspectatione mea.* De hoc quod exspectavi eam salvationem, cum veneris non confundar, ut non habeam confusionem neque hic, neque in futurum.

B *Adjuva me.* Auxilium rogat. *Et salvus ero.* In anima, si veneris ut me adjuves. *Et meditabor in justificationibus tuis.* Id est, in tuis mandatis. *Semper.* Sine fine.

Sprevisti omnes discedentes. Id est, despexisti. *A justitiis tuis.* Quare? *Quia injusta est cogitatio eorum.* Ideo sprevisti : quia discedunt a tuis mandatis, et cogitatio eorum injusta est : hæreticorum, Judæorum vel omnium malorum, et contra Christum, et contra Ecclesiam.

Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ. Optando dicit propheta in persona Ecclesiæ : quia ante adventum Christi prævaricatores erant : qui sub debito tenebantur propter prævaricationem primi hominis Adæ, et omnes ad infernum descendebant : C etiam ipsi infantes ad infernum descendebant : quia propter illud debitum prævaricatores reputabantur : nisi per baptismum abluti fuissent. Et modo, qui non sunt baptizati, ad infernum descendunt. *Prævaricantes reputavi.* Quia non omnes peccatores, prævaricatores : sed, *omnes prævaricatores,* peccatores. *Ideo dilexi testimonia tua.* Ne in his prævaricator appaream.

Confige timore tuo carnes meas : a judiciis enim tuis timui. Metuo futurum judicium : ideo cruci tuæ configens omnes concupiscentias carnis, tibi convivere, tibi commori, tibi consepeliri paratus sum, ut in futuro tibi consurgere merear. Sed et nos, Domine, deprecamur, ut in timore tuo confixi, lucerna sacri luminis præeunte, a peccati funibus absoluti, et tua D portio facti : illam viam incedere valeamus, quæ nos a malorum liberatos suppliciis, angelis faciat cohæredes. Per ipsum Dominum Jesum Christum : cui est cum æterno Patre et Spiritu sancto honor et gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

Salubri nos semper consilio et sacro eloquio beatus hortatur propheta : ut justitiam quam ille custodivit in opere, nos debeamus fideliter exsequi et dissolubiliter retinere. Qui ut segnes et inertes animos ad hæc custodienda facilius excitet, quid meriti pro ipsius custodiæ justitia adipiscamur, edocet dicens :

AIN.

Feci judicium et justitiam : non tradas me calumniantibus me. Jugiter nos in hoc mortali corpore

vitiorum caterva persequitur: sed si mensura judiciorum ac justificationum Dei in nobis maneat, ut prudenti consilio ea quæ his conveniunt faciamus: horum persecutorum manibus non trademur.

Suscipe servum tuum in bono. Quia servire me peccato jam nescio. *Ut non calumnientur me superbi.* Diabolus et ministri ejus.

Oculi mei defecerunt in salutare tuum. In Jesum, qui Hebraice *Salvator* dicitur. *Et in eloquium justitiæ tuæ.* In Verbum illud quod erat in principio apud Deum: qui justitias legis non venit solvere, sed implere.

Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam. Ut ipse vota mea perficias. *Et justificationes tuas doce me.* Ut eas, sicut sæpius optavi, possim advertere.

Servus tuus sum ego: da mihi intellectum ut sciam testimonia tua. A te ea discam, et non ab hæreticis, vel Judæis: quia mihi nullum tempus est ab exercitatione tuæ servitutis otiosum.

Tempus faciendi, Domine: dissipaverunt iniqui legem tuam. Judæi utique qui eam spiritualiter non intellexerunt. Sed veniet tempus quando occulta illius, Dominus faciet prædicatione Evangelica reserari.

Ideo dilexi mandata tua: super aurum et topazion. Sicut enim aurum cunctorum metallorum præcellit pretium: ita topazius omnium gemmarum in se continens pulchritudinem, omnium vincit honores. Ideo propheta super hæc omnia Dei mandata diligit: quia in his adventum Domini, qui mundum redempturus est, nuntiatum intelligit.

Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui. Nihil de viis iniquitatis accessit: sed sicut perambulavi integre: ita omnia quæ in viis iniquitatis morabantur, odivi.

PHE.

Mirabilia testimonia tua, Domine: ideo scrutata est ea anima mea. Vidi in his aliud agi, aliud figurari. Ideoque quia mirum mihi est: diligentius perscrutatus, cuncta, te declarante, cognosco: sicut sequitur.

Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. Sermones Dei sunt scripta prophetarum et Legis quæ in Evangeliis declarantur: dum Verbum caro factum habitat in nobis, et multis virtutibus Deum ostendit. Sed horum intellectus parvitati nostræ, qui in innocentia renati sumus, tribuitur: Domino sic dicente: Confiteor tibi, Domine, Pater cœli et terræ: quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Matth.* x).

Os meum aperui et attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam. Cor mundum reseravi, et dignum me effeci desiderio mandatorum tuorum, in quem Spiritus sanctus diffunderetur.

Aspice in me et miserere mei: secundum judicium diligentium nomen tuum. Ut illo me judicio muneres quo reliquos qui diligunt nomen tuum.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. Et non secundum corporeas voluntates. *Et non dominetur mei omnis iniquitas.* Quia tuo sum famulatui mancipatus.

Redime me a calumniis hominum: ut custodiam A *mandata tua.* Calumniæ sunt, cum justis hominibus crimen impietatis objicitur. Et ex quibus se redimi deposcit a Deo, ut ejus mandata custodiat.

Faciem tuam illumina super servum tuum. Confirma me effigie imaginis gloriæ tuæ. *Et doce me justificationes tuas.* Ut quod in illis cerno per speculum, certa contemplatione conspiciam.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam. Veram semper agit pœnitentiam hic sanctus, et non cessat fluentis lacrymarum antiqua delicta diluere: ut intelligas, nisi veram pœnitentiam egeris, tibi facile non dimitti quæ gesseris. Vera est enim pœnitentia, jugiter fletibus commissa diluere et abluta non iterare.

SADE.

B *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum: mandasti justitiam testimonia tua, et veritatem tuam nimis.* Omnia quæ mandante te patimur, justa, recta, ac vera sunt: quia aut pro peccatis nostris ingruunt: aut ut probati manifestemur, eveniunt.

Tabescere me fecit zelus domus tuæ. Cum domus Dei, spelunca latronum efficitur a malis habitatoribus: vel cum videro corpora Deo dicata volutabris facinorum inquinari. *Quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Obliviscentes enim præcepta Legis, fecerunt domum tuam speluncam latronum.

Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud. Quia sicut peccatum consumit: ita et peccantem, si convertatur illuminat.

Adolescentior sum ego, et contemptus: justificationes C *tuas non sum oblitus.* Quamquam hæc David ex persona sua dicat, qui adolescentior cæteris fratribus quasi contemptus ad oves pascendas directus, dehinc in regnum electus est: tamen hæc ad populum Christianum referenda sunt, qui prius contemptus, et de domo patris ejectus, recolens justificationes Dei, acceptis prioris primogenitis, prior effectus est.

Justitia tua justitia in æternum. Quam non cognovit populus ille prior semper esse perpetuam. *Et lex tua veritas.* Illis fuit umbra: nunc est Ecclesiæ populo veritas. Sed propheta pro hac veritate multa perferens ait:

Tribulatio et angustia invenerunt me: mandata tua meditatio mea est. Quamlibet tribuletur in pœnis, D coarctetur in vinculis: vox semper libera Dei mandata meditatur assidue.

Æquitas testimonia tua in æternum: intellectum da mihi et vivam. Ut pro eorum intelligentia, vitam possim capere sempiternam.

COPH.

Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine: justificationes tuas requiram. Clamavi ad te, salvum me fac, ut custodiam mandata tua. Hunc clamorem non corporeæ vocis, sed mentis spiritualis esse, sæpe monuimus: per quem justi a Deo exaudiuntur: vel ille precibus eorum pium pandit auditum.

Præveni in maturitate et clamavi: quia in verbo tuo speravi. Vetera vitia pudicitia juvenili prævenit,

qui per maturitatem vivacis animi, spem suam numquam a verbis Dei removit. A

Prævenerunt oculi mei ad te diluculo : ut meditarer eloquia tua. Non eum lux soporatum reperit, sed vigilantem strenue, et circa divina eloquia oculorum spiritualium intentione meditantem.

Vocem meam exaudi, Domine, secundum misericordiam tuam, etc. Incessabiliter vocis spiritualis emittit gemitum, ut ab hac mortalitate in vitam transferatur æternam.

Appropinquaverunt persequentes me iniquitati : a lege autem tua longe facti sunt. Omnis enim qui inique sanctis appropinquat ut noceat, elongatur a lege Dei.

Prope es tu, Domine : et omnia mandata tua æquitas. Non teneris locis, sed per veritatem mandatorum cordibus sanctorum illaberis.

Ab initio cognovi de testimoniis tuis. Ab Adam in omnibus patriarchis ac prophetis. *Quia in æternum fundasti ea.* Evangeliis, in quibus et nos fundati sumus supra fundamentum memoratum : sicut dixisse Paulum apostolum sæpe meminimus.

RES.

Vide humilitatem meam et eripe me : quia legem tuam non sum oblitus. Tibi humilior, a te eripi me deprecor, ut exalter : quia memor sum legis tuæ qua dixisti : Qui se humiliaverit, exaltabitur (*Luc.* XIV).

Judica judicium meum, et redime me : propter eloquium tuum vivifica me. Judicavi me ego nihil scire, nisi Jesum Christum, qui ad redemptionem mundi venire promissus est. Juxta ergo hoc judicium ego a te vivificer in eloquiis tuis.

Longe est a peccatoribus salus : quia justificationes tuas non exquisierunt. Salus nostra, Christus est, qui a negligentibus Judæis elongatur : eo quod in justificationibus legis non intelligunt figuratum.

Miserationes tuæ multæ sunt, Domine. Quia de multis periculis eruunt. *Secundum judicium tuum vivifica me.* Ne inveniatur in me quod judicium mortis absumat.

Multi persequuntur me et tribulant me : a testimoniis tuis non declinavi. Sæviant odiis : impugnent injuriis : ego a testimoniis tuis erigor, non inclinor.

Vidi non servantes pactum, et tabescebam : quia eloquia tua non custodiebant. Pactum fuit Israeli cum Deo, quod dixit ad Moysen : Omnia quæcumque dixerit Dominus, faciemus (*Exod.* XXIV). Sed et nunc nos paciscimur in baptismo, ut abrenuntiemus diabolo et operibus ejus. Pro transgressoribus ergo hujus pacti propheta tabescit. Et Paulus qui dicebat : Quis uritur, et ego non uror (II *Cor.* XI)?

Vide quia mandata tua dilexi, Domine : in tua misericordia vivifica me. Dilexit ea : non per metum, sed per bonæ voluntatis affectum. Ideo se in his vivificari deposcit.

Principium verborum tuorum veritas. Ut novus homo renatus in Christo vivat. *Et in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.* Ut deinceps cognoscens se ad imaginem similitudinemque Dei creatum, nihil judiciis ac justitiis ejus gerat indignum.

SIN.

Principes persecuti sunt me gratis, et a verbis tuis formidavit cor meum. Formidavi a verbo illo quod ait : Qui me negaverit coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis (*Matt.* X). Ideo persistit fortis in passione.

Lætabor ego super eloquia tua : sicut qui invenit spolia multa. Alligato forti, et vasis ejus direptis (*Luc.* XI), lætor in illud eloquium evangelicum quod dicit : Cum vos persequentur et maledicent, et dicent omne malum adversum vos propter justitiam, gaudete et exsultate : quia merces vestra multa est in cœlis (*Matt.* V).

Iniquitatem odio habui, et abominatus sum : legem autem tuam dilexi. Dum iniquitatem odit, et Dei justitiam diligit : in majori se officio extendit, dicens: B

Septies in die laudem dixi tibi : super judicia justitiæ. Septies Deum per diem laudat ; quia mens ejus in pleno splendore perdurans, ad illum septimum diem, id est sabbatorum sabbatum, qui est requies æterna, festinat.

Pax multa diligentibus legem tuam, Domine : et non est illis scandalum. Qui Deum amat, pacem cum fratribus necesse est, habeat. Nam Deum falso amore diligit, qui scandalizatur in fratre.

Exspectabam salutare tuum, Domine, et mandata tua feci. Jesum Dominum omnium salutare exspectans : ea quæ in Lege et prophetis mandata fuerant, feci.

Custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit ea vehementer. Cum strenuitate custodiæ validam dilectionem apposuit. C

Servavi præcepta tua et testimonia tua : quia omnes viæ meæ coram te, Domine. Servat præcepta testimoniaque, qui vias Dei incedit : nec quidquam in actu, dicto, vel cogitatu agit, quod divinæ contemplationi habeatur indignum.

TAU.

Appropinquet oratio mea in conspectu tuo, Domine; secundum eloquium tuum da mihi intellectum. Proximam tibi fieri orationem meam deprecor, Domine, ut a te intellectum capiens, nihil aliud nisi quod oportet exorem.

Introeat postulatio mea in conspectu tuo, Domine : secundum eloquium tuum eripe me. Ut eam per odorem in nocte hujus vitæ dignanter assumens, ab hac corruptione concupiscentiæ carnalis eripiatur. D

Eructabunt labia mea hymnum : cum docueris me justificationes tuas. Si per puram conscientiam reserata fuerint a te labia mea, tunc dignum laudationis proferam hymnum : quem a tuis justificationibus imbutus edoceor.

Pronuntiabit lingua mea eloquia tua, quia mandata tua æquitas. Nihil est aliud in eloquiis tuis, Domine, nisi pax, nisi æquitas, nisi vita. Hoc corde credam, hoc labiis eloquar, hoc lingua pronuntiem.

Fiat manus tua, ut salvet me : quoniam mandata tua elegi. Cum dicit : *Fiat manus tua*, designat Dominum Salvatorem, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, per quem facta sunt universa, et

regantur. Manum hic debemus dexteram accipere. Postulat autem venire Salvatorem, per quem se noverat salvandum. Quod autem dicit : *elegi mandata*, omnia se pericula amore Domini postposuisse testatur.

Concupivi salutare tuum, Domine, et lex tua meditatio mea est. Ipsum videre concupiveram, quem de utero virginali illis adhuc temporibus credebam esse venturum. Et ut sibi banc scientiam de Scripturis divinis provenisse monstraret, sequitur : *Et lex tua meditatio mea est*. In prophetis enim concupiverat Christum Dominum nasciturum : de quo Lex et prophetæ loquebantur.

Vivet anima mea, et laudabit te, et judicia tua adjuvabunt me. Absorpta terrenæ corruptionis infirmitate, vivere se confitetur Deo, per adjutorium judiciorum ejus.

Erravi sicut ovis quæ perierat, require servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus. Fuisse, et jam non esse, ovem errabundam dicit : reportari se pastoris humeris deprecatur : ut nunc angelis de sua inventione gaudia tribuantur. Dominus autem non est missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel (*Matt.* xv). Quem supplices deprecamur, ut judiciorum ejus factores, mandatorum custodes, testimoniorumque scrutatores effecti, reperta perdita ove (*Luc.* xv), industria benigni pastoris restituta Ecclesiastico ovili, sacris ejus humeris reportati, sanctorum angelorum mereamur consortiis gloriari : ipsi gloria cum æterno Patre et Spiritu sancto in cuncta sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXIX.

Canticum graduum. Quindecim graduum Psalmi per quosdam provectus nos ad summam perducunt : ut in atriis Domini possimus dicere : Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini, in atriis domus Dei ejus (*Psal.* cxxxiii). Et quia a plerisque super his latissime disputatum est : stultum est parva dicere velle pro magnis.

Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me. Tres res in uno versiculo velociter explicantur : angustia, preces, exauditio : quia nemo tribulatur, nisi qui vivere in Christo pie desiderat. Oportet ergo ut non vocum elatione, sed cordis humilitate proclamemus ad Dominum, si cupimus exaudiri.

Domine, libera animam meam a labiis iniquis. A Judæis, qui Christum Dominum non solum non credunt, sed etiam immundis labiis blasphemare non metuunt. *Et a lingua dolosa*. Ab hæreticorum doctrina, qui nos a recta fidei linea exturbare nituntur.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Ad se fideliter proclamantem animam Dominus interrogare pietatis affectu dignatus est : ut quid ei detur, aut quid apponatur ad linguam dolosam ? Dicunt multi hoc in loco commutata præpositione : Quid detur tibi adversus linguam dolosam ? dicere volunt, ut quasi ex Dei doctrina anima illa audiat.

A *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis*. Pro *desolatoriis carbonibus* in Hebræo ἀρχευθίνοις habet. Desolatorem puto et in Isaia esse carbonem, qui ad labia ejus defertur (*Isai.* vi), ut purget vitia quæ loquendo, sive optima quæque tacendo, contraxerat. Et hic itaque carbonem similem deprecatur : ut detur ei carbo de altario Dei, qui in ejus labiis, peccatorum solitudinem faciat, id est, a vitiis eum præstet alienum.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Cujus conversatio in cœlis est, peregrinatur in hoc corpore, et hæc peregrinatio longa ei videtur, quia quod suscepit per spem, non contemplatur in specie. Ideoque quasi triticum inter paleas gemens ait : *Habitavi cum habitantibus Cedar*. Cedar *tenebræ* interpretantur.
B Habitat ergo iste cum habitantibus tenebras, sed non obscuratur a tenebris : sicut lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt (*Joan.* i). *Multum incola fuit anima mea*. Desiderabam enim dissolvi et esse cum Christo.

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. Implens illud Apostoli : Si possibile est, cum omnibus hominibus pacem habentes (*Philipp.* i, *et Rom.* xii). Est ergo cum odientibus pacem : pacificus idcirco, ut eis pacem liberius prædicaret. *Et cum loquebar illis, impugnabant me gratis*. Ille annuntiabat pacem ; sed pacis inimici non solum eam non recipiebant, verum etiam ipsum prædicatorem pacis, suis nequitiis impugnabant.

PSALMUS CXX.

C *Canticum graduum*. Iste psalmus secundam ascensionem continet, cujus titulus est : *Canticum graduum*. Plures enim sunt, significantes (ut jam in primo eorum audistis) ascensum nostrum, qui fit in corde ad Deum, a convalle plorationis, id est, ab humilitate contribulationis.

Levavi oculos meos ad montes. Spiritnales utique oculos extuli ad excelsa librorum : Prophetarum scilicet ac Legis. *Unde veniet auxilium mihi*. Unde Dominum auxiliatorem omnium venire suspicio.

Auxilium meum a Domino qui fecit cœlum et terram. Ab ipso auxilium præstolor, per quem Pater cœlum terramque locavit. Hinc jam pro fide sua vir iste a Spiritu sancto responsum accepit consolationis. Ait enim :

Non det in commotionem pedem tuum. Non patitur
D removere stabilitatem, qua in eo firmatus es. *Neque dormitet qui custodit te*. Deus enim in se manentem pervigili custodia protegit ac tuetur.

Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel. Sine ulla autem intermissione a Deo custoditur : qui eum spiritualium oculorum intentione perspexerit.

Dominus custodit te. Ipse qui cœlum fecit et terram, quia dii qui eam non fecerunt, pereunt ex ea.

Dominus protectio tua : super manum dexteræ tuæ. Ille te protegit, ne opus tuum dextrum, id est, bonum pars impediat inimica.

Per diem sol non uret te, neque luna per noctem. Justus nec in prosperis elevari potest : nec in tristi-

bus dejici. Quod in die et nocte, hoc et in sole significatur, et luna.

Dominus custodit te ab omni malo. Ab omnibus insidiis inimici. *Custodiat animam tuam Dominus.* Ne ei pars dominetur potestatis adversæ.

Dominus custodiat introitum tuum. Per quem ingressus es ad cognoscendum Patrem. *Et exitum tuum ex hoc nunc et usque in sæculum.* Ut cum a corpore recesseris, sua custodia protegaris : ne in chaos illud præcipiteris, ubi dives conspicitur ardens, sed in sinu Abrahæ cum Lazaro sempiterna requie perfruaris (*Luc.* XVI).

PSALMUS CXXI.

Canticum graduum. Iste psalmus tertius est ascensionis gradus, vocem hominis continens : cujus conversatio habetur in cœlis.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi. Dicta mihi fuerant per Legem, et prophetas atque apostolos. Sed et ego dico ea quæ per speculum contemplatus fueram, et nunc facie ad faciem video (I *Cor.* XIII). Et quænam, inquis? *In domum Domini ambulabimus.* Id est, in cœlestem Jerusalem, ut cives efficiamur sanctorum et domestici Dei.

Stantes erant pedes nostri, in atriis tuis, Jerusalem. Firmi in amplitudine ejus. Sed ne istam terrenam putares, audi quid subjecit :

Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas. Adhuc, inquit, non est expletum ædificium civitatis hujus : sed quotidie ædificatur de lapidibus vivis super fundamentum apostolorum et prophetarum, ab ipso summo angulari lapide Christo Jesu (*Ephes.* IV) : sicut ait Apostolus. *Cujus participatio ejus in idipsum.* In uno Ecclesiæ corpore, per Christum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini. Non peccato obnoxiæ, sed, *tribus Domini* : quæ cognoscentes Dominum sequi non distulerunt : quod ad gentes est referendum. *Testimonium Israel.* Ut eum condemnet : quia ille eum in multis ostensum miraculis non cognovit. Tribus vero gentium statim cognitum receperunt. Sic et regina Austri, vel Ninivitæ, in hujus testimonii judicio surgent, et condemnabunt eum (*Luc.* XI). *Ad confitendum nomini tuo, Domine.* Confitentur enim, quia in nomine tuo omne genu flectetur cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philip.* II) : et quia tu, Domine Jesu Christe, in gloria es Dei Patris.

Quia illic sederunt sedes in judicio. Sedes Dei, apostoli sunt : super quos Dominus requiescit. Hæ sedes sedebunt super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel : sicut ipse ait in Evangelio (*Matt.* XIX). *Sedes super domum David.* Super Ecclesiam Christi gubernantes atque monentes eam præceptionibus suis.

Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem. Interrogate quæ ad pacem pertineant civitatis hujus, et sequimini eam : ut per dilectionem pacis fructum consequamini æternæ beatitudinis. *Et abundantia diligentibus te.* Qui, relictis caducis, Deum super omnia A diligit : ipse abundantia bonorum cœlestium perfruitur.

Fiat pax in virtute tua. Dominus Christus est pax nostra : qui nos in uno vinculo charitatis astringit : cujus virtus, si convalescat in nobis, et ipse quoque pectoribus nostris illabitur. *Et abundantia in turribus tuis.* In his abundantiam bonorum cœlestium fieri propheta deposcit, qui supereminentes merito, tamquam turres fortissimæ, hanc civitatem et virtute muniunt, et proceritate decorant.

Propter fratres meos et proximos meos loquebar pacem de te. Ut scilicet, et ipsi ad consummationem hujus ædificii se perfectos exhibeant.

Propter domum Domini Dei nostri, quæsiri bona tibi. Prædicando pacem proximis fratribus, qui efficit B eos civitatem regis æterni, cui hæc bona quæsivit : ut ab universitate civitatis, in unam ejus transiret habitationem, qui ait : Pater, rogo ut ubi ego sum, et illi sint mecum. Ego in illis, et tu in me : ut videant gloriam meam : quia dilexisti me ante constitutionem mundi (*Joan.* XVII).

PSALMUS CXXII.

Canticum graduum. Iste psalmus quartum Canticorum graduum pandit ascensum : in quo vir ille fidelis, qui dudum ad montes sustollebat oculos, nunc proficiens jam in ascensu, ad ipsum cœlorum habitatorem eos erigit, dicens :

Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlo. Notandum quod per singulos psalmos quidam graduum sunt profectus. Qui in primo dixerat : Ad C Dominum cum tribularer clamavi, et in secundo oculos ad montes se elevasse narraverat : lætatus quoque fuerat, quia sibi ingressus in domo Dei fuerat repromissus : nunc ad majus profecit, ut ad ipsum Deum oculos levet. *Qui habitas in cœlo.* Ascendens quo levaturus erat oculos, nisi illuc quo tendebat, ascendere desiderabat?

Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, et sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ : sic oculi nostri ad Dominum Deum nostrum quoadusque misereatur nostri. Et servi sumus, et ancillæ sumus : ille Dominus et domina est. Attendat charitas vestra. Non mirum si servi sumus et ille Dominus est ; sed mirum si ancillæ sumus, et ille domina est. Sed neque hoc mirum, quia ancillæ sumus, Ec- D clesia enim sumus : nec illud mirum, quia et ipse domina est : quia virtus et sapientia Dei est. Audi ergo Apostolum dicentem : Nos autem prædicamus Christum crucifixum : Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam : ipsis vero vocatis Judæis et Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam (I *Cor.* I). Cum multis persecutionum generibus subjicimur, oportet nos semper in Dei auxilio oculorum intentionem sine ullo vitio continere defixam, quoadusque nobis misericordiam largiatur.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus contemptu. Id est, desperatione, quia sancti despiciuntur a malis hominibus.

Multumque repleta est anima nostra : opprobrium

abundantibus, et despectio superbis. Non tantum in A divitiis dicit, sed eos qui abundant in malitia, illi despiciunt pauperes Christi. Divites despiciunt pauperes, et superbi despiciunt humiles, et ipsi dicunt multa opprobria contra sanctam Ecclesiam.

PSALMUS CXXIII.

Canticum graduum. Iste psalmus quintus ascensionis est gradus, edocens virum illum fidelem proficere, qui per elevationem spiritualium oculorum ad cœlorum habitatorem evincens omnes diabolicæ immissionis insidias, ita exorditur dicens :

Nisi quia Dominus erat in nobis : dicat nunc Israel. Bene in nobis Dominus habitat, si eum sanctæ mentis contemplatione suspicimus. *Nisi quia Dominus erat in nobis, cum exsurgerent homines in nos : forsitan vivos deglutissent nos.* Non carnes nostras devorare conati sunt impii; sed animas per instigationem B scelerum deglutire; sed erepti sumus ab his per cum qui erat in nobis. Cui ob hoc gratiæ referendæ sunt : quia gratia ejus salvati sumus.

Cum irasceretur animus eorum adversus nos : forsitan ut aqua absorbuissent nos. Commotiones malarum mentium, qui sanctos Dei absorbere quærunt, aquis comparantur; sed habitante in sanctis Domino, deorsum defluunt et decurrunt.

Torrentem pertransivit anima nostra. Melius in Hebræo habet : *Torrens pertransivit super animam nostram :* quod scilicet multi tentationum turbines super animam ejus transierunt, nec potuerunt eam necare, justo dicente : *Nisi quia Dominus erat in nobis : dicat nunc Israel. Forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.* Verbum ἀνυπόστατον C apud Græcos ambiguum est : et potest sonare, quod subsistat, et quod intolerabile sit, hoc est, quod nemo ferre queat. Pro quo et Aquila et Symmachus, et Theodotio, et omnes interpretes pari voce consentiunt : superbas aquas et *arrogantes* pro ἀνυπόστατον transferentes.

Benedictus Dominus, qui non dedit nos in capturam dentibus eorum. Horum torrentium dentes, numerositas est vitiorum, a quibus ne capiamur, gratia Dei eruimur.

Anima nostra, sicut passer, erepta est de laqueo venantium. Tenduntur nobis laquei in concupiscentiis ac diversis diabolicæ astutiæ dolis; sed contrito Satana sub pedibus nostris, sicut passer a capiente evo- D lamus ab illis. Sic enim sequitur :

Laqueus contritus est, et nos liberati sumus. Si enim Dominus habitet in nobis : ipse (ut diximus) hos disrumpet laqueos, ne nos impediant.

Adjutorium nostrum in nomine Domini : qui fecit cœlum et terram. Hoc est nomen quod est super omne nomen. Hujus nominis adjutorio, mortis vincuntur laquei, si in illo maneamus affixi.

PSALMUS CXXIV.

Canticum graduum. Iste psalmus sextus habetur in canticis graduum, qui ex voce prophetæ nos hortatur, ut, relictis sæcularibus causis, in Deum tantum omnem confidentiam habeamus, dicens :

Qui confidunt in Domino sicut mons Sion : non commovebitur in æternum. Sion, Ecclesia : mons autem juxta Danielem, Christus Dominus (*Dan.* II). Ergo qui in eum totam spem ponunt, non commoventur in perpetuum : quia conformes efficiuntur corpori gloriæ ejus. *Qui habitat in Jerusalem.* In ipsa Ecclesia matre nostra, quæ sursum est, libera (*Galat.* IV).

Montes in circuitu ejus. Custodiæ sanctorum, angelorum, prophetarum, apostolorumque, quæ in modum proceritatis montanæ supereminent cunctis in sanctitate. *Et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc et usque in sæculum.* Sicut ipse polliceri dignatus est, dicens : Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi (*Matt. ult.*).

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum. Pro *virga* in Hebræo, *sceptrum* habet. Hoc est ergo quod petimus : ne nos inducas in tentationem, quam sufferre non possimus. *Ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.* Ut non cogitent : quid mihi prodest quod justus sum, si semper persequantur me iniqui? *Ut non extendant*, hoc est, ut sustineant malos, et non faciant mala.

Benefac, Domine, bonis et rectis corde. Qui vel boni sunt in opere, vel recti habentur in fide.

Declinantes autem in obligationes adducet Dominus. Pro obligationibus, [a] Aquila διαπλοκάς interpretatus est : Symmachus σκολιότητας, quinta editio διεστραμμένα. *Cum operantibus iniquitatem.* Hi qui a præceptis Dei declinant, adducuntur cum his qui Deum ignorant, ut simili sententia feriantur. *Pax super Israel.* Christus Dominus est pax nostra (*Ephes.* II), qui auferens maceriam inimicitiæ de medio Judæorum ac gentium, fecit utraque unum, quod erat ante divisum.

PSALMUS CXXV.

Canticum graduum. Iste psalmus septimus graduum, profert canticum vel ascensum in quo fidelis anima adversus criminum captivitatem in Dominum exsultat, et dicit :

In convertendo Dominus captivitatem Sion. Pervaserat enim universum mundum vetus captivitas vitiorum; sed lucescente nobis sole justitiæ, effugata est. Sic et Ecclesia, quæ specialiter Sion nuncupatur, apparuit. *Facti sumus sicut consolati.* Pro *consolati*, omnes pariter editiones, *somniantes* transtulerunt. Et pulchre somniantes; nondum est enim plena lætitia, in captivitate reliquis constitutis.

Tunc repletum est gaudio os nostrum : et lingua nostra exsultatione. A spirituali et infinita lætitia. Vel os nostrum, vel lingua repletur : quia non sufficit tantas explicare laudes pro gratia qua salvamur.

Tunc dicent inter gentes, Magnificavit Dominus facere cum illis. Si enim, relictis transitoriis, spem collocemus in sempiternis, tunc dicitur quia magnos nos fecit Dominus, captivitate depulsa, et sicut quon-

[a] Hoc loco non potuerunt editiones veteres restituere voces interpretum græcorum, quæ leguntur in mss. codicibus nostris paululum depravata. MART.

dam gentes timore territæ de Israelitico populo loquebantur dicentes : Siccavit Deus aquas maris et Jordanis ad ingressum filiorum Israel (*Josue* II). In hoc ergo gaudio confitemur.

Quia magnificavit Dominus facere nobiscum : facti sumus lætantes. Serviebamus prius Pharaoni, id est, exterminatori in duris operibus : nunc autem servimus regi cœlesti, cujus jugum suave est et onus leve (*Matt.* XI).

Converte, Domine, captivitatem nostram. Communem se captivitatem habere cum reliquo populo propheta fatetur : quia compatitur unum membrum cæteris membris. *Sicut torrens in austro.* Sicut enim flante austro solventur glacies; et impletis torrentibus, omnis horror cum impetu suo defluit : sic flante Spiritu sancto, solvuntur peccata nostra : scilicet, ut, accepta remissione, fiat nobis illud quod scriptum est : Sicut glacies in sereno, solvuntur peccata tua (*Eccli.* III).

Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent; euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Sancti igitur Dei seminaverunt in lacrymis confessionis, et in diversis cruciatibus, in gentibus verbum Dei : euntes et flentes super duritiam cordis eorum, quod in futuro cum manipulorum fructibus portabunt, dicente ad eos Domino : Amen dico vobis, quia flebitis vos et lamentabitis : mundus autem gaudebit, sed tristitia vestra in gaudium convertetur (*Joan.* XVI). Igitur et nos in tribulatione clamantes, elevemus mentis oculos ad auxiliatorem Deum, ut eruat nos a sævis dentibus invidorum : auferat a nobis sceptrum dominationis iniquæ, ut solita miseratione largita, dum a captivitate vitiorum absolvimur : cœlestis Jerusalem ædificio tamquam vivi lapides connectamur.

PSALMUS CXXVI.

Canticum graduum Salomonis. Ideo psalmus iste Salomonis titulo prænotatur : ut ipse fabricator templi doceat se non valere ædificationem ejus consummare sine Domini auxilio.

Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam. Nos sumus, secundum Apostolum, Dei templum : qui nisi per Dominum nostrum Jesum Christum ædificemur super fundamenta apostolorum et prophetarum (II *Cor.* VI), inanis erit philosophorum et reliquorum sæcularium doctorum ædificatio.

Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum laboraverunt qui custodiunt eam. Fidelis anima, civitas accipitur æterni Regis, quæ civibus bonis, id est, honestis moribus frequentatur, quam nullius potest tueri custodia, nisi illius qui non dormitans protegit Israel.

Vanum est vobis ante lucem surgere. Qui ante lucem surgit, nocturnas tenebras palpat. Sic et qui, relicto Evangelii lumine, ad superius dictum dogma transierit, in tenebris commoratur : nec potest Dominicæ resurrectionis perfrui claritate. *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.* Qui in humiliatione quiescitis, elevamini, vos qui in peccatis, vel natos esse, vel vivere meministis, et ad Deum transire desideratis. Vel, *qui manducatis panem doloris.* Pro *dolore*, Theodotio et quinta editio *idola* interpretati sunt : sexta vero, *errorem.* Sensus itaque juxta simplicem intelligentiam iste est : Sine causa diluculo ad templum curritis, et Deum adorare vos creditis, qui idola pariter adoratis, et immundo vescimini pane.

Cum dederit dilectis suis somnum : quasi aliquis interrogasset, quando hoc sit factum, ei dicitur : *Cum dederit dilectis suis somnum.* Dilecti sancti sunt, qui post somnum præsentis vitæ, hic dormitare videntur : ut in resurrectione ad vitam æternam mereantur pervenire. *Ecce hæreditas Domini filii merces fructus ventris.* Cum sancti ab hoc sæculo accepto quietis somno discesserint, tunc fient hæreditas Domini, quia jam non subjacent tentationibus. Sed et ipse Dominus natus ex Virgine, factus est fructus ventris. Cujus assumpta humanitas hanc accepit mercedem : ut gentes vocatæ in filiis, sint hæreditas ejus. Dedit eis, inquit, potestatem filios Dei fieri qui credunt in nomine ejus (*Joan.* I).

Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum. Excussos, expeditos et accinctos ad prælium vocat, quod verbum et in Esdræ libris Septuaginta interpretes transtulerunt.

Beatus vir qui implevit desiderium suum ex illis. Pro *desiderio* in Hebræo, *pharetram* habet. Ut quia sagittas præmiserat in comparationem sanctorum, consequenter pharetram sagittis inferat explendam. *Non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.* Porta, janua sive ostium : ipse est qui ait : Ego sum ostium : per me si quis introierit, salvabitur (*Joan.* X). Ergo qui de filiis excussorum fixus in Christo est, non confundetur in die judicii : cum exprobraverit inimicis Legis Dei inobedientiam, et perversitatem, vel omnem malitiam ipsorum.

PSALMUS CXXVII.

Canticum graduum. Iste psalmus in nono ascensionis gradu, vel cantico, timorem dilectionemque Dominicam insinuat, dicens :

Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. Qui cum timore jungentes se Dei dilectioni, exercentur in his quæ prophetæ, apostoli, evangelistæ prædicaverunt.

Labores fructuum tuorum manducabis : beatus es, et bene tibi erit. Labores fructuum sunt, cum homo exercetur in mundo, ut ad æternitatis fructum possit accedere. Nam laboriose per has Dei vias inceditur, sicut ipse ait : Arcta et ærumnosa via est quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII). Sed hic labor æternis fructibus adimpletur, cum homo pane illo cœlesti locupletatur. Hoc enim desiderio, et ille compungebatur, qui dicebat : Beatus qui manducaverit panem in regno Dei (*Luc.* XIV).

Uxor tua sicut vitis abundans : in lateribus domus tuæ. Uxor juxta Salomonem (*Prov.* VII), sapientia accipitur, quæ in animæ emundatæ domo tamquam

speciosa vitiis adducta, in lateribus operum nostrorum extenditur.

Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ. Actus bonorum in circuitu doctrinæ cœlestis assistentes, cum pinguedine pacis et obumbratione virtutis.

Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. Ilis utique locupletatur divitiis.

Benedicat te Dominus ex Sion. Qui in Ecclesia regnat. *Et videas quæ bona sunt Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.* In illa cœlesti matre, de qua in aliis exposuimus psalmis : in qua vitæ perpetuæ bona visuri sunt sancti.

Et videas filios filiorum tuorum. Retributionem captantes operum bonorum. *Pacem super Israel.* Pax nostra, Jesus Christus, jugiter super me itcm se videntem aspiciat.

PSALMUS CXXVIII.

Canticum graduum. Iste psalmus decimum nobis profert vel canticum, vel ascensum, qui ex voce prophetica inchoans docet incessanter resistere nequitiis impugnantibus, ne nos expugnent.

Sæpe expugnaverunt me a juventute mea. Dicit se impugnari ab initio ætatis suæ vir iste; sed a quibus impugnetur, silet : ut intelligatur quia pugna a diabolo mittitur. Poteris vel de probatione Job, vel de traditione Christi a Juda facilius hoc advertere.

Dicat nunc Israel, Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, etenim non potuerunt mihi. Ergo qui Israel est, ille potest dicere, quia impugnatur omnibus diebus vitæ suæ. Sed non ei prævalet hæc pugna : quia Dominus pugnat pro eo.

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem sibi. Jugiter ad Deum currenti et ad ampliora tendenti fabricantur a tergo nequitiarum machinæ, quia in aspectu exponi non possunt. Sed cum ad effectum non perveniunt, sibi ipsi prolongant : ob id invidendo, peccatum ultionemque divinam in se provocant. Sequitur enim :

Dominus justus concidet cervices peccatorum. Pro *cervicibus* in Hebræo habet, *vincula*, vel *catenas* ut sit sensus : Illi qui me suis insidiis, hinc inde vallaverant, etiam vinctum tenebant; sed, auxiliante Domino, omnes nexus soluti sunt.

Confundantur et convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion. Ecclesiam, quæ est corpus Christi, cujus nos membra sumus.

Fiant sicut fenum ædificiorum : quod priusquam evellatur, arescit. Non hæc de ædificiis in petra locatis dicuntur, sed his quæ quasi citius ruitura super arenam ponuntur : quod ad opera carnis respicit : in quibus non modo nullum granum bonitatis invenitur : verum etiam antequam ad incrementum aliquod veniant, exsiccantur.

De quo non implevit manum suam qui metet. Qui retributionem dignam operis sui mercedem non recepit. *Nec sinum suum qui manipulos colliget.* Qui per conscientiæ puritatem, et si minus habet, voluntatem tamen bonam adhibuit. Ideoque a Deo tamquam

A si multum dedisset, manipulos refert : sicut vidua de duobus minutis (*Marc.* XII).

Et non dixerunt qui præteribant : Benedictio Domini super vos. Non eos benedixerunt sancti Dei : qui pro nihilo habentes hunc mundum, pertransierunt ad cœlestia et æterna. *Benediximus vobis in nomine Domini.* Ut, relictis infructuosis aridisque operibus, ea seratis, quæ et messorum manum, et colligentium manipulos, repleant sinum.

PSALMUS CXXIX.

Canticum graduum. Ipse psalmus undecimum nobis ascensionis gradum pandit, et canticum : qui fidelis animæ conatum ad altiora tendentem proferens : dum se in profundo quasi immersum queritur, nos ad intelligenda cœlestia provocat, dicens :

B *De profundis clamavi ad te, Domine : Domine, exaudi orationem meam.* De profundis clamat, qui scit altitudinem divitiarum sapientiæ Dei : qui persecutiones patitur : qui eum misericordi suspirio deprecatur.

Fiant aures tuæ intendentes : in orationem servi tui. Non hic carnalem aurem propheta postulat : sciens Deum incorporeum esse : sed virtutem qua suos exaudire dignatur, exposcit.

Si iniquitates observaveris, Domine : Domine, quis sustinebit? Si enim transgrediens leges tuas, generis humani fragilitas ultione tua protinus feriatur, quis evadere poterit?

Quia apud te propitiatio est. Tu enim nos reconciliabis Patri per crucem. *Et propter legem tuam sus-*
C *tinui te, Domine.* Lex spiritualis est, et continens verba vitæ : quam sustinere debemus, ne peccantes in eam per legem dijudicemur (*Rom.* VII).

Sustinuit anima mea Dominum, etc. *A custodia matutina usque ad noctem.* Ab illa matutina hora qua in vineam Dominicam est locatus, spem suam in illam defixit horam : qua denarium mercedis accipiat. A vigilia matutina. *Speret Israel in Dominum.* Ab eo quod ei lumen veritatis illuxit, indeficienter cœlestia contempletur.

Quia apud Dominum misericordia. Cum pro nobis homo fieri dignatus est. *Et copiosa apud Deum est redemptio.* Cum non auro, neque argento, sed pretioso nos sanguine redemit.

Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus
D *eorum.* Ipse enim Filius, introeunte plenitudine gentium, reliquum Israel, remissa iniquitate, salvabit.

PSALMUS CXXX.

Canticum graduum. Iste psalmus duodecimus in hac ascensione, vel cantici, vel gradus habetur, qui nos ex persona prophetæ humilitatem quam Christus in carne gestaturus erat edocet, dicens :

Domine, non est exaltatum cor meum. Sed in contritione et humiliatione ejus obtuli tibi sacrificium acceptabile. *Neque elati sunt oculi mei.* Ut transitoria concupiscerent et caduca.

Neque ambulavi in magnis : neque in mirabilibus tuis super me. Quæ magna mirabilia videbantur hominibus, in his non incessi, ne me opprimerent.

Si non humiliter sentiebam : sed exaltavi animam meam. Humilis quidem est corde, sed excelsus est sensu. Humiliter sentiebam in sæculo : sed animam meam exaltavi in cœlo.

Sicut qui ablactatus est a matre sua : ita retribues in animam meam. Nihil in se puerile sentit : quia cibum lactis excedens, ad perfectum pervenit virum : illo nunc pane, qui de cœlis advenit, ali exorat.

Speret Israel in Domino : ex hoc nunc et usque in sæculum. Docet ut nullo fine temporis spes nostra claudatur : ut per spem præsentis vitæ bona futuri sæculi capiamus.

PSALMUS CXXXI.

Canticum graduum. Iste psalmus habetur in canticis tredecimus graduum : qui per ascensionem profectuum, de adventu Filii Dei ex voce prophetica nos edocet, dicens :

Memento, Domine, David. Filius omnipotentis Dei, assumpturus carnem pro redemptione populi, David se voluit nuncupari : ejus scilicet nomine vocitatus, de cujus genere assumpturus erat et corpus. *Et omnis mansuetudinis ejus.* Non contendit, neque clamavit : sed sicut agnus mansuetus deductus est ad victimam (*Isai.* LIII).

Sicut juravit Domino : votum vovit Deo Jacob. Juramentum ac votum propter firmitatem dictionis posuit, ne nos dubitaremus sequi : sed quid interim voluerit, dignum est contueri. *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. Sicut juravit Domino.* Pro eo quod est, *sicut :* in Hebræo habet, *qui :* ut sit sensus : Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus, qui juravit Domino, et votum fecit Deo Jacob.

Si introiero in tabernaculum domus meæ : si ascendero in lectum strati mei : si dedero somnum oculis meis, aut palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis : donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. Tabernaculum domus cœlestem sedem indicat : in strato vero lecti, in oculorum somno, in dormitatione palpebrarum, vel in temporum requie, æternam quietem, quæ numquam abrumpitur, demonstravit. In quibus non se rediturum pollicetur : nisi prius in homine dignum Deo Patri locum vel Ecclesiæ congregationem sua resurrectione construeret.

Ecce audivimus eam in Ephrata. Regio Bethleem usque hodie appellatur Ephrata. Hujus rei et aliæ Scripturæ testes sunt. Ephrata ipsa est Bethleem. Ubi primum Ecclesia est audita, id est, in qua Christus Dominus carnem assumpsit. In hac et Rachel Israel dilecta quievit (*Gen.* XXXV), quæ typum gessit Ecclesiæ. *Invenimus eam in campis sylvæ.* In gentibus, quæ prius diaboli erant cubilia : nunc autem campi, Dominum colentes fructiferi.

Intrabimus in tabernaculum Dei. Nos qui in una domo Ecclesiæ, per Dominum aggregamur. *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* In quo prædicationes Apostolicæ audiuntur : quæ ut pedes sustinent totum corpus Ecclesiæ.

Exsurge, Domine, in requiem tuam. Jam explesti juramentum, reddidisti votum : jam invenisti locum Deo : jam produxisti ex latere tuo Ecclesiam : exsurge nunc ab inferis, revertere in tabernaculum : abiens in requiem : de quibus superius es locutus. Et non solum tu, sed, *Tu et arca sanctificationis tuæ.* Corpus scilicet assumptum, quo divinitas tegebatur. A quo verba vitæ, a quo cœlestis panis, a quo via, veritas et vita nobis ostensa est.

Sacerdotes tui induantur justitia. Ut justitiæ lorica induti, non saucientur a jaculis inimici. *Et sancti tui exsultent.* In cœlestibus bonis.

Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui. Propter illum qui ex semine David formam servilem suscepit : non avertatur claritas imaginis tuæ a sanctis, in quibus ipse Christus inhabitat, sed illuminet eos.

Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum. Deo homini Pater jurat veritatem, quam non evacuat, sed adimplet dicens : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Nos sumus fructus ventris ejus, quos spiritualiter tamquam ex utero generavit. Qui si sequentia custodiamus, sedebimus super sedem ejus, et non solum nos, verum etiam et filii nostri. Ait enim :

Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea hæc quæ docebo eos, et filii eorum usque in sæculum sæculi, sedebunt super sedem meam. Si testamentum ejus custodiamus, sedere nos faciet in cœlestibus : sicut ait Apostolus (*Ephes.* I) : Sedebunt super sedem ejus. Sed et ipsi sedebunt super sedem ejus quibus dictum est : Sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX). Sedebunt et filii nostri, hoc est, rememorabuntur opera bona, quæ ob amorem illius operati sumus, in conspectu ejus.

Quoniam elegit Dominus Sion : præelegit eam in habitationem sibi. Concordantem sibi catervam ecclesiasticam, vel sanctificatas *sacramentis cœlestibus* tibi animas.

Hæc requies mea in sæculum sæculi : hic habitabo quoniam elegi eam. Animam quæ ei per resurrectionis gloriam et emundationem peccati, domus ac requies facta est.

Viduam ejus benedicens benedicam : pauperes ejus saturabo panibus. Pro *vidua, id est,* χήρα, et Hebræa volumina, et [a] ipsi Septuaginta θήραν habent : sed propter novitatem verbi, et unius litteræ demutationem, paulatim obtinuit, ut pro θήρα legeretur χήρα, maxime quia in sequenti versiculo pauperes seque-

[a] Verus Hieronymus, Quæst. in Genes. c. XLV : *Licet in plerisque codicibus pro vidua, hoc est, pro* χήρα, *nonnulli legant* θήραν, *in Hebræo habet Seda, id est, cibaria. Et* χήραν quidem cum Alexandrino quædam alia exemplaria habent, et S. Hilarius in hunc locum lectionem eamdem ex *translationis auctoritate* laudat. Vide Quæstion. in Genes., loco laudato : et quæ nos ibi observamus.

bantur. θήρα Symmachus et Aquila *cibaria* interpretati sunt.

Sacerdotes ejus induam salutari, et sancti ejus exsultatione exsultabunt. Ipse enim nos vel justitiam, vel salutare induit : cum nos conformes corpori suo efficit : qui est justitia salusque nostra, præparans nobis tabernacula sempiterna.

Illuc producam cornu David. Regnum Christi, quod in illis ostenditur, quibus dictum est : Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* v). *Paravi lucernam Christo meo.* Joannes Baptista sive præcursor Domini et Salvatoris nostri a Deo Patre dicitur præparata lucerna : qui eum in hujus mundi tenebras venturum annuntiavit : Sic enim et ipse Dominus vocitat eum, dicens : Ille erat lucerna ardens (*Joan.* v), et reliqua.

Inimicos ejus induam confusione. Judæos non credentes cum viderint Dominum in majestate sua. *Super ipsum autem florebit sanctificatio mea.* Pro *sanctificatione*, NESER (נזר) in Hebræo habetur : quod Aquila *consecratum* interpretatur, et significat laminam ex auro, quæ in fronte pontificis ligabatur : sculptum habens nomen Domini.

PSALMUS CXXXII.

Canticum graduum.

Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Duo dicit : bonum et jucundum. Bonum est martyrium, sed non est jucundum : habet enim supplicia et pœnas, et semper in cruciatibus dolor est, et utique in dolore non est jucunditas. *Ecce quam bonum et quam jucundum.* Rursum voluptas jucunda est. Ac si dicat : Cibum dulcem comedere, videtur jucundum esse, compellit enim ad libidinem. Hic ergo duo posuit, et quod sibi videbatur esse contrarium, bonum scilicet et jucundum, uno sermone conjunxit. *Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum.* Fratres mente, non corpore. Esau et Jacob fratres fuerunt, et quia simul habitabant, fuit eis causa discordiæ. Ergo quod dixit hic, fratres : non fratres dicit corpore, sed fratres spirituales. Fratres de quibus loquebatur et Salvator, et dicebat ad mulieres : Ite, nuntiate fratribus meis (*Matth.* xxviii). *Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum.* Proprie psalmus iste cœnobiis et monasteriis convenit. Licet enim et de Ecclesiis intelligatur, sed ibi propositi diversitate non videtur esse tanta concordia. Quæ est enim ibi fraternitas? Utique alius ad domum ire festinat : alius ad circum, alius in Ecclesia de usuris cogitat. In monasteriis autem sicut unum propositum, unus et animus est. *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.* Vere bonum, vere jucundum. Unum fratrem dimisimus, et ecce quantos invenimus. Frater meus [a] sæcularis (quod de meo loquor, de singulis loquor) non tantum me amat, quam substantiam meam. Cæterum fratres spirituales : qui sua utique negligunt, alia non quærunt. Sicut et legimus in Actibus apostolorum : quoniam multitudinis credentium erat cor unum, et anima una (*Act.* iv). Et erant, inquit, illis omnia communia. Recte erant eis omnia communia, qui unum Christum possidebant. Multa diximus, sed ad reliqua festinemus.

Sicut unguentum in capite : quod descendit in barbam, barbam Aaron. O si esset tempus, ut de singulis disputaremus, dies nobis sufficere non poterat. Legimus in Exodo, quomodo conficiatur unguentum sacerdotale (*Exod.* xxv, xxx). Deinde legimus quomodo aliud unguentum quo ungebantur reges, erat aliud unguentum quo ungebantur prophetæ. Et quid plura loquar? Omnia unguenta habebant diversitates et mysteria sua. Miramur de sanctis? Leprosus postquam purgatus fuerit, postquam hyssopo fuerit aspersus, et sanguine gallinæ, et dimittitur una gallina in eremum, et ipse habet unguentum proprium. Non sanctificatur aliquid, nisi per unguentum. Propterea dicunt et adolescentulæ in Cantico canticorum : Unguentum exinanitum nomen tuum. Post te in odorem unguentorum curremus (*Cant.* i). *Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Pulchre dixit, *in capite, quod descendit in barbam Aaron.* Barba virilitatis indicium est. Mulierem enim et virum hoc signo natura distinguit : barba igitur virilitatis indicium est. Caput ergo divinitas dicitur, hoc est, deitas. Barba vero virum indicat. Ut, inquit, perveniamus in virum perfectum, qui est Christus (*Coloss.* i). Vide ergo quid dicat : *Sicut unguentum,* sicut benedictio unguenti de capite, hoc est, de divinitatis sermone descendit in barbam, descendit in virum perfectum, qui est Christus, postea descendit ipsum unguentum in oram vestimenti ejus. Sic benedictio, et ros montis Hermon descendit in montem Sion. Unguentum vero hic pro benedictione ponitur. Dilexisti justitiam, inquit, et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis (*Psal.* xliv). Videte quid dicat : Dilexisti, inquit, justitiam, et odisti iniquitatem. Non sufficit diligere justitiam, sed econtrario odisse iniquitatem. Videte quid dicat : Et odisti iniquitatem. Pro his virtutibus, quid accepit? Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis. Hoc ad Christum dicitur : Ideo tu unctus es, ut cæteros ungeres. Unctus es oleo exsultationis præ participibus tuis, hoc est, plusquam Apostoli tui. Tu enim unguenti habuisti fontem : illi stillas habuerunt. *Sicut unguentum in capite.* Præstet et nobis Dominus hoc unguentum divinitatis : *quod venit in barbam*, hoc est, in virum perfectum Aaron, in Aaron sacerdotem. *Aaron* autem interpretatur *montanus.* Videtis quoniam iste sacerdos non est de vallibus, sed de montibus est. Barba, inquit, Aaron. Quod unguentum in capite, venit in barbam, a Verbo Deo venit ad hominem,

[a] Vide præfixam huic libro admonitionem nostram.

quem est dignatus assumere. Et quid nobis prodest A barba ista uncta, et vir iste perfectus? Videamus quos profectus habeat. Quod descendit in oram vestimenti ejus. Nos si vestimentum Christi sumus, nuditatem ejus nostra vestimus fide. Ecce nudus pependit in cruce: scandalum Judæis, gentibus stultitia (I *Cor.* I), et tamen nostra fide et sermone et confessione vestitur. Noe in domo sua nudus jacuit, et apparuit ignominia ejus: major filius irrisit, et minor texit (*Gen.* IX). Et hoc totum quare dico? Ut ostendam vestimentum nos esse Christi. Rem dico vobis novam: immo non novam, sed de Scripturis. Nos vestimentum Christi sumus, et cum illum nostra confessione vestierimus, rursum ipsum Christum induimus. Dicit enim et Apostolus, quod vestimentum nostrum, Christus sit (*Galat.* III). Quando enim B baptizamur, Christo induimur et vestimur. Vultis scire quomodo vestiamus Dominum? Legimus in Jeremia: Accipe, inquit, tibi lumbare, et vade, inquit, ad Euphraten, et pone illud in foramine petræ. Et feci, inquit, quod præceperat mihi Dominus. Et post dies aliquos reversus sum ad Euphraten, et ecce, inquit, putruerat lumbare, quod nulli usui esset utile. Et locutus est, inquit, Dominus ad me: diligenter animadvertite: Sicut, inquit, tu lumbare habuisti circa lumbos tuos, ita et ego habui populum istum circa me, dicit Dominus (*Jerem.* XIII). Hoc totum quare dixi? Ut ostenderem credentes vestimentum esse Christi. Quod descendit in oram vestimenti ejus: *quod descendit in barbam*, *barbam Aaron*. Non est hujus temporis de sacerdotalibus C dicere vestimentis. Siquidem pontifex octo habet species vestimentorum. Longum est nunc dicere de ephod, de tunica. Longum est dicere de rationali, de manifestationibus, de catenulis, de zona, de femoralibus, de fimbriis, de resti, de tintinnabulis, quibus virtutibus sacerdos debeat ingredi templum Domini, et in sancta sanctorum. Et nos ergo si volumus de vestimento esse sacerdotali, aut superhumerale sumus, quod interpretatur ephod, ut habeamus bona opera, et in humeris nostris Christi mandata portemus, aut certe tunica debemus esse interior: quæ tunica stricta est, et adhæret corpori: non est laxa: non funditur, sed hæret tota ad corpus. Vides ergo quoniam quicumque interior est, et interior tunica, vicinius jungitur corpori. Si quis D vero rationale est, quod dicitur λογεῖον: iste non est nisi in pectore constitutus. Animadverte Scripturæ ordinem: Quicumque rationale est, λογεῖον, et ratio est, et in pectore constitutus est. Cæterum fieri potest ut aliquis habeat prudentiam, ut habeat λόγον, ut habeat sermonem. Quicumque ergo vere sacerdos est, debet habere δηλώσεις, hoc est, *manifestationes*, hoc est, ut quodcumque mente conceperit, proferat, et omne doceat. Et hæc omnia frustra sunt, si castitas aucta et ornata non fuerit. Ideo zona est, et cingit lumbos, stringit et mortificat. Deinde dicitur, quod habeat femoralia, ut quodcumque in nobis ignominiosum est et sordidum, quasi hoc cingulo mundetur et mortificetur. Deinde dicitur quod debeamus habere poderem, quod ornet quasi pedes nostros. In ipso podere diversi flores sunt: sunt ibi malogranata, sunt ibi etiam fimbriæ. Ego puto quod illa mulier sanguine fluens istam fimbriam tetigerit, et sanata est (*Matth.* IX). Deinde et hæc considerate: quoniam ad extremos pedes, inter malogranata erant et tintinnulæ, et non ingrediebatur pontifex in sancta sanctorum, nisi illa tintinnabula personarent. Tintinnabula et illa malogranata, diversitates virtutum sunt quæ habent singulæ voces suas, et egressus ipse sancti sanctorum vocalis est. Sive enim manducemus, sive bibamus, omnia in nomine Domini facimus (I *Cor.* X). Minora promisimus, et majora diximus.

Sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion. Ros Hermon. Legimus in quodam libro [a] apocrypho, eo tempore quo descendebant filii Dei ad filias hominum, descendisse illos in montem Hermon, et ibi inisse pactum, quomodo venirent ad filias hominum, et sibi eas sociarent. Manifestissimus liber est, et inter apocryphos computatur, et veteres interpretes de ipso locuti sunt: nonnulla autem nos diximus: non in auctoritatem, sed in commemorationem. *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion*. Legi [b] in cujusdam libro, de isto libro apocrypho suam hæresim confirmantis. Quid enim dicit? Filii, inquit, Dei qui de cœlis descendebant, venerunt in Hermon, et concupierunt filias hominum. Angeli, inquit, sunt de cœlestibus descendentes, et animæ quæ desideraverunt corpora. Siquidem corpora filiæ hominum sunt. Vidistis quomodo Manichæi dogma consurgit? Sicut enim Manichæi dicunt animas desiderasse corpora humana, et sociatas esse voluptati corporum: sic et isti qui dicunt angelos desiderasse corpora, hoc est, filias hominum, nonne vobis videntur idipsum dicere quod et Manichæi? Longum est nunc contra illos dicere: sed tantummodo judicare volui, de quo volumine quasi per occasionem istius, suum dogma confirmant. Hermon in lingua nostra interpretatur, ἀνάθημα, hoc est, *condemnatio*. Ros ergo Domini ante fuit in populo Judæorum, qui postea anathematizatus est, et benedictio illa quæ ante descendebat in populo anathematizato, postea descendit in montem Sion, hoc est, in Ecclesiam. Nos, si tamen de Ecclesia sumus (Ecclesiam autem dico dogmatum veritatem, Christi confessionem), nos in ædificium sumus. Et quanti sancti in deserto sunt, quanti de nobis non sunt in Ecclesia, et illi qui non sunt de Ecclesia, versantur in Ecclesia Christi. Si ergo sumus in Ecclesia, si habemus fidem Ecclesiæ, fidem apostolorum, fidem Christi, dogmatum veritates, montes sumus Sion. Nolumus esse de Sion valles, sed montes Sion. Habet enim Sion valles suas, habet et campum. Quicumque peccater

[a] Facile hic est Egregorum lib.

[b] Puta Origenem, Commentar. in Job.

est, vallis est Sion : non est mons Sion. Dicat aliquis : De tuo sensu loqueris. Vocemus testem Isaiam, eo tempore quo peccaverat Sion, post multas visiones, ubi dicitur : visio contra Idumæam : visio contra Moab : visio contra Edom et filios Amon (*Isai.* XIII *seq.*), in ultimo ponitur : visio vallis Sion (*Ibid.* XXII). Quoniam enim de fidei sublimitate descenderat : propterea de monte in vallem corruit. Nos ergo primum fugiamus vallem Sion : veniamus ad campum, de campo veniamus ad colles : de collibus veniamus ad montes. Christum sequamur in montibus. Siquidem fratruelis noster quasi caprea, et hinnulus cervorum transilit colles, et salit per montes (*Can.* II). Unde et secundum ascensus veritatem, non ascendit in cœlum post resurrectionem de valle, sed de monte. Nos nisi in virtutibus montes fuerimus, ad cœlum non possumus ascendere. Illic enim, hoc est, in montibus Sion, in virtutibus, in fide, in confessione, in dogmatum veritate, illic est benedictio.

Et vitam usque in æternum. Vita nostra, Christus est. Qui confitetur Christum, vitam accipiet in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXXIII.

Ecce nunc benedicite Domino, omnes servi Domini. Extremus psalmus cantici graduum. Primus graduum psalmus fuerat : Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me; in secundo conscenderat : Levavi oculos meos in montes. In tertio : Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi; in quarto : Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlo. Videte quomodo paulatim ascendit per gradus, et ad sublimiora pervenit. Longum est, si velimus singulorum psalmorum horum graduum principia dicere. Venit ad tertium decimum psalmum, immo venit ad duodecimum, et post omnem virtutem, humilitatem posuit. Frustra enim habemus virtutes, si non ipsæ virtutes humilitate Domini coronentur. Quid enim dixit? Domine, non est exaltatum cor meum : neque elati sunt oculi mei. Quoniam ergo humilem se monstraverat, Christi adventum postulat. Et quid dicit? Memento, Domine, David et omnis mansuetudinis ejus. Et rursum in alio loco : Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui (*Psal.* CXXXI). Quoniam accepit Christum, post fidem Christi Ecclesiam congregat. Et quid dicit? Ecce quam bonum, et quam jucundum, habitare fratres in unum. Ecclesia Domini congregata est. Novissimus psalmus quid dicit? *Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini.* Quoniam bonum est, et jucundum habitare fratres in unum, et estis pariter congregati : *Ecce nunc benedicite Dominum. Nunc benedicite Dominum*, post adventum Christi : quia congregati estis in eo. Nunc benedicite in ultimo graduum psalmo : quia in summitate virtutum congregati estis. Antequam ergo perveneritis ad quintum decimum graduum, hoc est, ad excelsum, non poteratis benedicere Domino. Ergo nunc dico vobis : *Ecce nunc benedicite Domino.* Quando dicitur, *ecce :* quodammodo res digito demonstratur. *Ecce nunc benedicite Domino.* Qui benedicite Domino? *Omnes servi Domini :* qui non estis servi peccati, sed servi Domini. Putamus parum esse quod dicitur : Ergo servus Domini sum? Summa virtus est hoc mereri. Quomodo? Quasi dignitatem vindicat, qui dicit : Ergo servus imperatoris sum, et nemo audet accedere ad servum imperatoris : sic infinita dignitas se dicere esse servum Domini. Unde et Apostolus de servitute Domini gloriatur, et scribit in principio Epistolarum suarum : Paulus servus Christi. Et de Moyse dicitur : Et non sicut Moyses famulus meus : cui locutus sum facie ad faciem (*Exod.* XXXIII). Videte quid dicat : Cæteris locutus sum in visione et in ænigmate : sed non sicut Moysi famulo meo, cui locutus sum facie ad faciem (*Hebr.* III). Ponamus exemplum : Dicamus esse aliquem dominum ditissimum. Iste habet familiam : habet et servos qui sibi ministrent. Numquid tantam habent fiduciam servi qui in villis sunt : quantam illi qui quotidie ministrant? Illis magna dignitas est, qui faciem vident domini, et ministrant ei. Denique cæteri servi, qui faciem non vident domini sui, si voluerint aliquid impetrare, conservos petunt. Hoc totum quare dixi? Dominus noster Jesus habet et ipse multam familiam : habet quasi ad faciem suam, qui sibi ministrant : habet alios in agris. Monachos et virgines ego puto illos esse, qui ad faciem ministrant domino suo : sæculares autem, qui sunt quasi in agro, de familia sua. Denique illi qui sunt in agris, istos postulant ut rogent dominum, si quid necessarium habent. Quantam habent ergo dignitatem, qui quotidie vident faciem domini : tantam habent pœnam, qui negligunt ministerium domini. Solent enim mali servi, quando sunt in agris, magis timere dominum : quia non vident. Si autem quotidie cœperint videre, contemnunt, et familiaritas superbiam facit. Et nos igitur non debemus de consuetudine contemnere bonitatem Dei nostri. Benedicite ergo Dominum, omnes servi Domini : quia non estis servi peccati, sed servi Domini. *Omnes servi Domini*, qui solum Dominum habetis Deum. *Omnes servi Domini*, quibus ira non imperat : in quibus libido non regnat : in quibus alia peccata non regnant : quibus non dominantur vitia, illi dominantur a Domino. *Omnes servi Domini.* Videtur hucusque stetisse. Sed videte augmentum. Non sufficit solum servos esse Domini, nisi et ipsi servi stent. Alii enim sunt qui stant : alii qui cadunt : alii qui sedent : alii qui jacent. Ergo qui cadunt, qui sedent, qui jacent, illi non possunt laudare Dominum. Vos laudate qui statis. Sed dicat aliquis : Stant et alii. Multæ sunt Ecclesiæ : multæ sunt congregationes. Qui ergo stant? Ariani stant? Nominant Christum et Eunomiani, et cæteræ hæreses : ergo stant? Ne videretur ergo illis dare licentiam laudandi Dominum, videte quid dicat :

Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Ut secundum quod ait Apostolus : Donec, inquit, venio, ut scias quomodo disponas domum Dei,

quæ est Ecclesia (I *Tim.* III). Ecclesia non parietibus consistit, sed in dogmatum veritate. Ecclesia ibi est ubi fides vera est. Cæterum ante annos quindecim aut viginti, parietes omnes hic Ecclesiarum hæretici possidebant. Ante viginti enim annos, omnes Ecclesias has hæretici possidebant. Ecclesia autem vera illic erat, ubi vera fides erat. Ergo vos benedicite Domino, qui estis servi Domini. Non est pulchra laudatio in ore peccatoris (*Eccl.* XV). Ergo vos laudate, qui estis servi Domini, et qui estis servi, et statis. Qui statis? Statuit, inquit, supra petram pedes meos (*Psal.* XXXIX). Et ad Moysen : Tu vero hic sta mecum (*Exod.* XXXIV). Deus stetit in synagoga deorum. *Et qui statis*, non ubicumque : sed, *in domo Dei, in atriis domus Dei nostri.* In Hebraicis voluminibus non habetur, sed in sequenti psalmo est. Quomodo enim sequitur in ipso psalmo? *Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri* (*Psal.* LXXXI). Quoniam ergo iste psalmus habet : *Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri :* Propterea quidam putavit et in ipso psalmo qui præcessit : *Qui statis in domo Domini :* debere addere : *in atriis domus Dei nostri.* Quid autem significet, *in atriis domus Dei nostri*, et quæ sit differentia domus et atriorum, in sequenti psalmo cum lectus fuerit, dissseretur.

In noctibus extollite manus vestras in sancta. Mundus iste in maligno positus est (I *Joan.* V), et non est nobis pugna adversus carnem et sanguinem, sed adversus rectores tenebrarum istarum (*Ephes.* VI). Unde dicit et Apostolus : Nox præcessit : dies autem appropinquavit (*Rom.* XIII). Ergo hoc sæculum, nox est. Sæculum vero futurum, dies est. Unde dicit et Apostolus : Sicut in die, inquit, honeste ambulemus (*Ibid.*) Quomodo victuri sumus in die, hoc est, in futuro sæculo : si nunc vivamus. *In noctibus extollite manus vestras in sancta.* Velimus, nolimus, in noctibus sumus. Quamdiu in isto sæculo sumus, in noctibus sumus. Nox tenebras habet. Noctes autem istarum tenebrarum, peccata sunt hominum. Videte ergo quid dicat : *In noctibus extollite manus vestras in sancta.* Dum, inquit, estis in isto sæculo, et in istis noctibus, levate manus vestras. Nolite demittere, sed levate. Levate cum Moyse (*Exod.* XVII). Si levaveritis manus vestras, vincitur Amalec. Si autem demiseritis, superatur Jesus. Simulque considerate mysterium. Si nos levamus manus, vincit Jesus. Si levaverimus manus nostras in bonis operibus, per bona opera nostra Christus superat diabolum. Manus autem interpretantur in operibus. Unde scribitur : Factus est sermo Domini in manu Aggæi : Sermo factus est in manu Jeremiæ prophetæ. Utique sermo Dei non fit in manu, sed in ore fit. Sed videte Scripturæ mysteria : Deus non venit ad sermonem sine opere bono. Cæterum et homicida Christum confitetur, et non venit ad illum Dominus : quia manus ipsius Domini adventum non merentur. Unde scriptum est in alio loco : In manu linguæ, mors et vita (*Prov.* XVIII). Ergo lingua manus habet? Dicite, quare dicitur : In manu linguæ, mors et vita? Videte quid dicat : Deus non audit linguam, non verba, sed opera : ut quicumque aliquid loquitur, et faciat. Præcipitur ergo nobis in novissimo psalmo graduum : *In noctibus extollite manus vestras in sancta.* Levate, inquit, manus vestras : quia Jesus eas levavit in cruce. *In noctibus extollite manus vestras in sancta.* Quare voluit addere et dicere, in sancta? Et hæretici videntur levare manus, et gentiles videntur levare manus, et Judæi videntur levare manus : Faciunt enim et ipsi eleemosynas : si viderint pauperem, manum porrigunt. Quando Judæus dederit eleemosynam, nonne tibi videtur levare manum? Levat quidem manum, sed non levat in sancta ; quia Christum non confitetur. Vos autem qui estis in domo Domini, qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri : qui estis servi Domini, quibus dixerat : Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum (*Psal.* CXXXII) : sic levate manus, ut in sancto levetis, hoc est, ut confiteamini Christum, et quidquid facitis, pro Christo faciatis. Virtutes, pro qualitate facientis, diversæ sunt. Ac si dicat : Facit eleemosynam Christianus : facit et gentilis, facit et Judæus, facit et alius Christianus vir sanctus. Invenies aliquos de Christianis ideo dare eleemosynam, ut laudentur a populis. Si quando pauper rogat buccellam, huc illucque circumspiciunt, et nisi testem viderint, pecuniam non dant. Si solus fuerit, manus contrahit : non dat libenter. O tu, Christiane, rogat te pauper ut des ei pecuniam : quare non das in occulto, sed das in publico? Si testem Deum quæris : humanos oculos quid requiris? Eleemosyna tua apud imperitos videtur esse eleemosyna : cæterum apud Deum injuria est. Injuriam enim facis fratri tuo. Vis enim videntibus aliis mendicum ostendere. Quando ergo damus, non demus quasi de nostro, sed de dono Christi. Non debemus dare quasi mendico, sed quasi fratri. Nos damus carnalia ; ille dat spiritualia : plus dat pauper, quam accipit. Nos damus panem, qui in ipsa die consumitur ; ille pro pane reddet nobis regna cœlorum. Ergo hoc dico, ut quod facimus, faciamus in sancto : aut quod facimus, Christi causa faciamus. Cæterum multi gentiles qui faciunt eleemosynam, si viderint aliquem præcisam manum habere : si viderint pedem habere cancrosum et putridum, statim animus illis dolet. Vincitur humana anima naturali misericordia. Et quid dicit? Ecce ego si talis essem, quid miser facerem? Et fieri potest ut talis sim, quis mihi dabit? Et ego debeo ergo huic dare : ut et mihi det aliquis, si talis fuero. Iste quidem dat pauperi panem ; sed in paupere sui miseretur, non illius. Ista misericordia, non Christi misericordia ; sed sui misericordia est. Omne ergo quod facimus, Christi causa faciamus, faciamus in sancto. Sive manducamus, sive bibimus, omnia in nomine Christi faciamus (I *Cor.* X). Scripturas legimus. Psalmos edíscimus, Evangelia tenemus, prophetas edíscerimus : non debemus hoc ita facere ut gloriemur apud fra-

tres, sed ut Christo placeamus : ut sermo ipsius in ore nostro resonet. Solent et viri, solent et monachi, solent et mulierculæ hoc inter se habere certamen : ut plures ediscant Scripturas; et in eo se putant esse meliores, si plures edidicerint. Ille plus edidicit, qui plus facit. Cæterum si quod tu ediscis, ego facio : magis mea opera Scripturas tenent, quam tuus sermo qui vane resonat. *In noctibus extollite manus vestras in sancta*. Levate manus in crucem : levate vexillum. *In noctibus levate manus vestras in sancta*. Et cum levaveritis in sancta, et feceritis quæ sancta sunt, quasi medicamentum bonorum operum vestrorum Christus sit. *Et benedicite Domino*. Unde et Apostolus dicit : In omni loco levantes manus immaculatas (I *Tim*. II) : *et benedicite Domino*. Quodcumque facitis, referte ad Dominum. Manus leventur : os Christum resonet. Et in noctibus levate manus vestras. Da pauperibus eleemosynam, et benedic Domino : gratias age Domino, quia tibi dederit, unde des fratri. Magis tu agito gratias Christo quando dederis, quam frater qui a te acceperit, tibi agat gratias. Grande nobis beneficium præstant pauperes. Peccata, quæ jam aliter lavare non possumus, exstinguit eleemosyna. Quid scriptum est? sicut aqua exstinguit ignem : sic eleemosyna exstinguit peccata (*Eccli*. III). Hoc præstat eleemosyna, quod et baptisma. Quomodo baptisma nobis peccata dimittit : ita et eleemosyna nobis peccata dimittit. Sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit peccata. Peccatis enim gehennæ ignes præparati sunt. Hos autem exstinguit eleemosyna.

Benedicat te Dominus ex Sion : qui fecit cœlum et terram. Tu benedicis Dominum, et Dominus te benedicit. *Ex Sion*, de specula, de Ecclesia, de veris dogmatibus, de fide pia. *Benedicat te Dominus ex Sion*. Istum versiculum Spiritus sanctus loquitur, sive certe propheta in spiritu loquitur. Et quid dicit? O tu qui per quindecim gradus ad ultimum conscendisti, qui fecisti hæc, et hæc : qui benedicis Dominum : qui in noctibus extollis manus tuas, etc., et benedicis Domino, recipe et tu mercedem. *Benedicat te Dominus ex Sion*. Quod dedisti, recipe. Tu dedisti eleemosynam : tu fecisti virtutes, a Deo præmium et benedictionem consequeris. *Benedicat te Dominus ex Sion*. Sion de cœlesti Jerusalem in matre primitivorum, ubi sunt futura gaudia, ubi sunt archangeli, ubi virtutes cæteræ, ubi apostoli, ubi prophetæ, ubi sancti Martyres, ubi sequuntur Angelorum multitudines et Sanctorum, quocumque Agnus vadit (*Apoc*. XXI). Denique vidit et Joannes civitatem sanctam de cœlo depositam, gemmis exstructam duodecim habere portas. Tota aurea erat, muros habebat aureos : habebat et plateas de diversis gemmis. In hac civitate Christus regnat : in hac civitate habitantes ipsi sunt, et habitatores et portæ; ipsi et domus sunt, et habitatores. Vultis scire quoniam domus sunt? Christus habitat in eis : Christus deambulat in eis. Inhabitabo, inquit, in eis et deambulabo (*Levit*. XXVI; II *Cor*. VI). Vide anima sancta

A quam grandis sit : Christum capit, quem cœlum non capit. Vide quid dicat : Inhabitabo, inquit (*Ibid*.). Sed fieri potest, ut aliquis anguste inhabitet. Inhabitabo et ambulabo in eis. Ubicumque deambulat, utique lata domus est. Ubi deambulat? Vos estis, inquit, templum Dei, et Spiritus sanctus habitat in vobis. Præparemus templum nostrum, ut Christus veniat et habitet in nobis : ut anima nostra Sion sit, sit specula, ut sit in summitatibus constituta : ut sit sursum, non deorsum. Legimus in Zacharia propheta : Et angelus, inquit, qui loquebatur in me, dixit ad me (*Zach*. I). Si angelus loquebatur in propheta, quanto magis habitat in nobis! Ipse nos habet et domos, et confabulatores. *Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum et terram*. Si sanctus B es, audi quod dicit, *qui fecit cœlum*. Si peccator es, *qui fecit terram*. Et cœlum fecit et terram. Interim dicamus secundum litteram. Hoc dicit ad distinctionem idolorum. Dii, inquit, qui non fecerunt cœlum et terram, pereant de terra. Dominus autem cœlos fecit. Ad distinctionem hoc dicit idolorum. Hoc interim secundum litteram. Cæterum, secundum intelligentiam spiritualem, quomodo dicitur peccatori : terra es, et in terram ibis : sic et sancto dicitur, cœlum es, et in cœlum ibis. Hoc totum quare dixi? Ut sanctos cœlum probarem. Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum (*Psal*. XVIII). Et aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini (*Psal*. CXLVIII). Cœli cœlorum Domino : qui fecit cœlum et terram (*Psal*. CXIII). C Licet terreni simus, licet ambulemus in terra, tamen conversatio nostra in cœlis est. Ibi habemus municipationes nostras. *Qui fecit cœlum et terram*. Licet peccator es, noli desperare : Dominus omnia potest. Multi de terra, cœli fiunt; et multi de cœlo, terra. Infelix Judas cœlum fuit, et factus est terra. Paulus apostolus eo tempore quo persequebatur Ecclesiam (*Act*. VII), terra erat. Confessus est, et cœlum factus est. Nec qui cœlum est, debet esse securus : nec qui terra est, debet desperare de vita. Jacob eo tempore quando fugiebat in Mesopotamiam fratrem suum, venit ad Luzam : et ibi, inquit, posuit lapidem ad caput (*Gen*. XXXV). Sub capite ipsius lapis, erat Christus. Numquam sibi posuit lapidem ad caput; nisi eo tempore, quando persecutorem fugit. D Quamdiu erat in domo patris sui, et habebat refrigeria carnis, lapidem non habebat ad caput. Recessit de domo nudus, recessit in virga, et statim in ipsa nocte invenit lapidem, et posuit ad caput suum. Qui talem habebat pulvillum in quo refrigerabat, videte visionem ejus. Vidit, inquit, scalam de terra pertingentem ad cœlum, et vidit, inquit, angelos descendentes et ascendentes. Vidit angelos de cœlo venire ad terram, et alios de terra ad cœlos ascendere. Vultis scire quia lapis ille qui erat ad caput Jacob, Christus erat lapis angularis? Lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli (*Psal*. CXVII). Lapis ille qui scriptus est in Regnorum libro, Abenezer (II *Reg*. VII). Lapis iste, Christus

est. Abenezer autem interpretatur, *lapis adjutorii.* Consurrexit, inquit, Jacob mane. Et quid dixit? Hæc, inquit, domus Dei est. Et quid fecit? Tulit, inquit, oleum et unxit lapidem. Nisi mysteria intellexerimus Scripturarum; cujus rationis erat, ut ungeret lapidem oleo? *Benedicat te Dominus ex Sion: qui fecit cœlum et terram.* Denis quinis cantica graduum psalmis in benedictione concludens ex voce prophetica nos admonet dicens:

PSALMUS CXXXIV.

Laudate nomen Domini. Quod per fidem cognovistis esse super omne nomen. *Laudate, servi, Dominum.* Qui peccati famuli esse desiistis.

Qui statis in domo Domini: in atriis domus Dei nostri. Qui immobiliter in eo plantati estis.

Laudate Dominum, quia benignus est Dominus. Cito enim pœnitentibus veniam præstat: spem etiam nostram, sua adimplens benignitate. *Psallite nomini ejus, quia suave est.* Non enim processit ab eo aspera hæreticorum perversitas; sed per ipsam suavitatem a squalore gentilitatis eruti sumus.

Quoniam Jacob elegit sibi Dominus. Eum scilicet, qui supplantato populo, arripuit benedictionem ejus. *Israel in possessionem sibi.* Qui post multas luctas, Deum mente meruit videre.

Quia ego cognovi quod magnus est Dominus. Revelante Filio, cognoscimus Patrem, ipso dicente: Nemo novit Patrem, nisi cui voluerit Filius revelare (*Luc.* x). *Et Deus noster præ omnibus diis.* Super omnes sanctos angelosque, qui dii digni sunt vocari.

Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cœlo et in terra, in mari, et in omnibus abyssis. Pro voluntate bonitatis placuit Deo in excelsis animabus, in aridis mentibus, in sæculi fluctibus, in profunditate malitiæ facere mirabilia, sicut sequitur.

Educens nubes ab extremo terræ. Ab humilitate terrena elevans apostolos ac prophetas. *Fulgura in pluviam fecit.* Ut primum lumen cognitionis Dei, deinde imbrem doctrinarum infunderent.

Qui producit ventos de thesauris suis. Angelos sanctos de arcanis cœlestibus dirigens: qui his in nubibus imbribusque, robur atque incrementum ferrent. *Qui percussit primogenita Ægypti: ab homine usque ad pecus.* Principalia vitia atque crimina mundi.

Et misit signa et prodigia in medio tui, Ægypte. Terrens mundum in passione, vel in tenebris, vel in commotione terræ. *In Pharaonem, et in omnes servos ejus.* Affigens diabolum vel principatus ejus cruci suæ.

Qui percussit reges magnos, et occidit reges fortes. Innumera vitia, quæ mundum oppresserant.

Seon regem Amorrhæorum. Arborem infructuosam habens secum exsecratores Dei: qui simul percussi, in ignem projiciuntur æternum. *Et Og regem Basan.* Maceriam confusionis, quæ nobis ne Deum agnosceremus, obstabat. *Et omnia regna Chanaan.* Occidit regna commotionis, quæ nos commovebant a Deo, et dominabantur nobis.

Et dedit terram eorum hæreditatem: hæreditatem Israel populo suo. Hæc omnia delevit Deus atque subvertit: nosque per cognitionem suam in hæreditatem ascivit, ut ipsis qui non afflixerant dominaremur, indulsit.

Domine, nomen tuum in æternum. Illo in perpetuum permanente, hoc nobis sit hæreditas sempiterna. *Domine, memoriale tuum in sæculum sæculi.* Ut quod Legis veteris umbra præfiguravit: in altero sæculo, id est, in Evangeliis agnoscatur.

Quia judicavit Dominus populum suum. Judæos non credentes: qui nunc jam judicati sunt, cum non crediderint. *Et in servis tuis consolabitur.* In credentibus utique.

Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum, os habent et non loquentur, etc. Gentilium exsecranda commemorat irridens: quia cum nullius membri vegetationem habeant, auri argentique metallo, illos nobilitare voluerint. Ideoque adjecit:

Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis. Illi confundantur in his qui credunt: nos vero consolemur, qui ad imaginem Dei facti ipsum adoramus.

Domus Israel, benedicite Dominum. Congregationes sanctorum: Deum oculis mentis inspicientes. *Domus Aaron, benedicite Dominum.* Ministrorum ordo perfectus.

Qui timetis Dominum, benedicite Dominum: ut sicut majestatem metuitis, ita cum charitate laudetis.

Benedictus Dominus Deus ex Sion: qui habitat in Jerusalem. Ipse, Dominus noster Jesus Christus: cui est cum æterno Patre et Spiritu sancto honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXXV.

Alleluia. Iste psalmus Domini misericordias in diversis necessitatibus humano generi præstitas, pandit, dicens:

Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus. Confitemini peccata vestra, et laudate eum qui per misericordiam in se manenti indulget.

Confitemini Deo deorum. Illi qui credentibus in se dedit potestatem filios Dei fieri.

Confitemini Domino dominorum. Hoc refertur ad Filium, et Deo deorum, ad Patrem. Patri ergo et Filio confitemur. Pater enim in Filio, et Filius in Patre.

Qui facit mirabilia magna solus. Prius dixit, *Confitemini Deo deorum*, et iterum, *Domino dominorum:* et quoniam dixit duas personas: nunc dicit, *Qui facit mirabilia magna solus*, ut non dicat duos deos. Scriptum est enim: Unus est Deus, ex quo omnia, et unus Dominus Jesus per quem omnia, et nos per ipsum (I *Cor.* VIII).

Qui fecit cœlos in intellectu. Isti sunt cœli qui enarrant gloriam Dei: qui vestiti sunt imagine cœlesti et sunt cœli, qui non sunt vestiti imagine terreni in intellectu, in sapientia. Christus enim Dei

virtus, et Dei sapientia. Sicut et in Proverbiis dicit ipsa Sapientia: Quando faciebat cœlos, cum ipso eram (*Prov.* VIII); et cætera.

Qui firmavit terram super aquas. Licet dicatur terra super aquas pendere, hoc est, inani pondere: tamen terram nostram fundavit, et firmavit in baptismate. Non dixit sustollit, aut exaltavit, aut in cœlos fecit ascendere. Baptisma enim peccata dimittit, et quasi de carcere liberat: regna autem cœlorum non potest donare. Si non enim aliquis per opera, et fidem intraverit, non potest securus esse.

Qui fecit luminaria magna. Secundum litteram de stellis dicit: licet parvas eas conspiciamus, sed tamen magnæ sunt. Sicut enim nos si ascendamus in montem excelsum, et videamus in subjecta valle hominem, videtur nobis quasi parvum quiddam: ita et stellæ magnæ sunt, ex altitudine autem parvæ nobis videntur. Stella enim quæ videtur in Britannia, ubique et ipsa apparet. Hoc autem dicit ad eos quibus dixit: Vos estis lux mundi (*Matth.* V).

Lunam et stellas in potestatem noctis. Ecclesiam vel doctores ejus, sub nocte veteris Legis posuit: scilicet ut quod illa nuntiavit in littera, spiritualiter adimpleant et observent.

Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum, et eduxit Israel de medio ejus: in manu forti, et brachio extento. In virtute potentiæ suæ verberato mundo, eduxit nos ab operibus ejus.

Qui divisit mare Rubrum in divisiones, et transjecit Israel per medium ejus. In multis enim gradibus ascenditur per hujus sæculi fluctus, ut ad eum possit quem mente tuetur, accedere.

Et excussit Pharaonem et exercitum ejus in mari Rubro. Si Israel simus, Deus pugnat pro nobis, et nos tacebimus, et prosternit diabolum cum satellitibus suis: ne nobis nocere valeant.

Qui transduxit populum suum per desertum. Semper populus Dei per deserta hujus mundi transducitur, quoadusque in terram repromissionis introducatur. *Qui eduxit aquam de petra rupis.* A Christo Domino, qui est stabilis petra, vel Baptismum processit, vel poculum æternæ vitæ manavit.

Qui percussit gentes multas, et occidit reges fortes. Seon regum Amorrhæorum, et Og regem Basan, et omnia regna Chanaan occidit. Omnia regna peccati a Christo percussa dicit: Qui percussit reges magnos. Primum percussit Pharaonem, qui intelligitur diabolus, et sic exercitum ejus, sicut in superiori psalmo exposuimus.

Et dedit terram eorum hæreditatem: hæreditatem Israel populo suo. Christiano utique.

Quia in humilitate nostra memor fuit nostri Dominus: quoniam in sæculum misericordia ejus. Ut nos visitaret adventu suo.

Et redemit nos de manu inimicorum nostrorum. Fundens in pretio nostro sanguinem suum.

Qui dat escam omni carni. Præbens se panem vivum, et vitam dantem huic mundo.

Confitemini Deo cœli. Laudem ei debitam reddite: qui vos a terrenis in æterna commutat.

Confitemini Domino dominorum, Qui vos vel judices, vel dominos mundi constituit. Ipse Dominus noster Jesus Christus, cui est cum æterno Patre et Spiritu sancto honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXXVI.

Psalmus David propter Jeremiam. Iste psalmus ex voce prophetica prolatus, docet mentes hominum a peccatis capi: in exemplum illius terrenæ Jerusalem quæ a gentibus educta in captivitatem deflebat. Dicant ergo animæ, quæ post multos errores convertuntur ad Dominum:

Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus: dum recordaremur Sion. Si non aliquis ægrotat, nescit quantum valet sanitas. Et iterum claudus nescit quantum valet qui sanus est pedibus. Similiter et cæcus videntem. Hoc totum quare dictum est? Quoniam psalmus dicit: *Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion.* Babylon *confusio* interpretatur. Ergo Babylon hic mundus. Peccator ergo qui cecidit de paradiso, venit in vallem lacrymarum, hoc est, in Babylonem, in istum mundum. Magis autem propheta ex persona ejus qui cecidit dicit: *Super flumina Babylonis.* Flumen autem Babylonis, quando videris aliquem pulchrum ad horam, et ægrotans perdiderit pulchritudinem, et marcescat flos ipsius: hic sicut flumen transit, et aquæ succedentes sibi venientes, et recedentes pereunt, et iterum aliæ oriuntur, et ipsæ pereunt: ita et in hoc mundo quo ad momentum aut aliquod tempus, aut ditamur, aut fortes sumus, aut pulchri sumus, et post modicum transit sicut aqua et perit. Ibi ergo sedimus, et flevimus, dum recordaremur Sion. Licet quidem vitio nostro cecidimus de paradiso: tamen reminiscimur prioris felicitatis, et non obliviscimur. Et ille qui de Jerosolymis descendit in Jericho, quæ interpretatur *luna*, hoc est, quæ semper mutatur (hæc autem intelligitur præsens mundus), in latrones incidit, et Samaritanus tulit eum, et oleo et vino curat, miscens austeritatem cum misericordia (*Luc.* X).

In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra. Salix talem naturam habet: est quidem lignum infructuosum, et dicitur [a] quod si quis ex illa accipiat potionem aut manducet, filios non facit. Ibi ergo suspendimus organa nostra. Organum autem hominis corpus est. Sicut enim organum ex multis fistulis compositum est, una autem modulatione melos mittit, ita et organum nostrum habemus tactum; per ipsum, hoc est, per opera, melos, canticum et hymnum referimus Deo. Similiter et per auditum, et per odoratum, et per gustum, et per visum, et per has omnes virtutes quasi de uno organo hymnum et canticum referimus Domino. Dicitur ite-

[a] Id non de salice, sed de alia planta, quam *Agnum castum* vocant, veteres prodidere. In ea tamen sententia verus Hieronymus fuit lib. II, cap. XIV, commentar. in Zachariam.

rum salix radicem non habere. Sed si ramus abscinditur, et [a] plantatur secus aquam, statim virescit. Ita autem et peccator, licet peccaverit, licet ceciderit : tamen si sit secus aquas, hoc est, si legit sanctas Scripturas, et audit verbum divinum a sancto viro, viret ejus anima, et in pœnitentiam convertitur.

Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba canticorum, etc. Dæmones qui deceperunt nos, et captivos duxerunt, nunc quasi deridentes nos et gloriantes dicunt nobis : Reddite nobis verbum de fide vestra : quemadmodum quando eratis in Jerusalem hymnum dicebatis Deo. Respondent qui peccaverunt, et decepti sunt, et dicunt :

Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? In peccatis constituti, qui cecidimus de Jerusalem in Babylonem? Ergo non potest aliquis, si non sit sanctus, laudare Dominum. Peccator enim non debet cantare Domino, sed lugere peccata sua.

Si oblitus fuero tui, Jerusalem : oblivioni detur dextera mea. Ergo quia peccavit et cecidit, reminiscitur prioris conversationis et Jerusalem, proponitque sibi : quod nisi semper tui memor ero, et semper in mente habeam, *oblivioni detur dextera mea*, hoc est opera mea. Non dixit sinistra, sed *dextera*. Sinistra enim semper in oblivione est. Vis ergo semper in memoria Domini esse? dexteræ opera fac.

Adhæreat lingua mea faucibus meis : si non meminero tui. Hoc est, non habeam neque opera neque sermonem : si non jugiter memoria tui versetur in corde meo.

Memor esto, Domine, filiorum Edom, in die Jerusalem. Edom interpretatur *terrena* et *sanguinea*. Quis ergo est nisi diabolus? Vide ergo quid dicat. Hoc ex persona Adam dicitur : Domine, memento quemadmodum me decepit, et traxit me serpens diabolus, qui intelligitur Nabuchodonosor, et ejecit me de paradiso. Memento et retribue ei, et patiatur pœnam quam ipse sua malitia mihi induxit : trahens me, adduxit in Babylonem et in Assyrios.

Filia Babylonis misera. Filia Babylonis, anima est, quæ semper in motione est, et in confusione, et non habens statum, sed est in vitiis et peccatis, quæ vera misera est. *Beatus qui retribuet tibi retributionem quam retribuisti nobis.* Beatus est qui retribuet ei quod ipsa fecit. Verbi gratia : ejecit me de paradiso : ego illam per abstinentiam reduco ibidem. Decepit me per fornicationem : ego per castitatem reduco illam in Jerusalem, et ex vitiis in virtutem. Ergo non ut inimicus facio, sed ut amicus.

Beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram. Parvuli dicuntur cogitationes. Ac si dicat : Vidi mulierem, concupivi eam : statim si non abscidero concupiscentiam illam, et sicut pedem tenuero, et allisero ad petram donec parva est concupiscentia, non potest postea abscindi quando creverit. A Beatus ergo est qui statim abscidit, et allidit ad petram. Petra autem est Christus.

PSALMUS CXXXVII.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. Qualia sunt vulnera, tale et emplastrum. Quemadmodum enim corpus habet diversa vulnera : ita et anima habet suas passiones et sua vulnera, et diversa vulnera, et adversus peccatum talem et pœnitentiam debemus agere. Si quis pro omnibus peccatis suis confitetur : iste in toto corde confitetur Domino. Ac si dixisset : Fornicatus est aliquis, confitetur pro fornicatione. Sed quoniam est aut avarus, aut iracundus, aut detractor, aut blasphemus, et plurima vitia habet, iste non confitetur in toto corde. Si quis autem pro omnibus vitiis, et passionibus ani- B mæ suæ agit pœnitentiam, iste potest dicere : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. Quoniam audisti omnia verba oris mei.* Iste versiculus in Hebraico non habetur. Cæterum quod dicit, hoc est, propterea confitebor tibi in toto corde meo, hoc est, pro omnibus vitiis meis et peccatis : quoniam non pro uno vitio confessus sum tibi, et exaudisti me.

In conspectu angelorum psallam tibi. Vide provectionem pœnitentis, quia post confessionem, et pœnitentiam, cum angelis meretur psallere. Qui autem psallit, jam non agit pœnitentiam, sed gratias agit et benedicit. *Adorabo ad templum sanctum tuum.* Si hoc est templum quod nunc videtur desertum, in quo oportet adorare : ergo non debent Judæi adorare, quoniam eversum est templum. Templum autem dicit C sanctam et cœlestem Jerusalem.

Super misericordia tua et veritate tua. Peccator audiat misericordiam, justus autem et superbus audiat veritatem.

Multiplicabis in anima mea virtutem. Multiplicabis, hoc est, multis sollicitudinibus subjacentem animam.

Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ. Reges terræ sunt isti qui regnant peccato. Ergo ipsi confiteantur qui regnant peccato. Nec enim de regibus hujus mundi scriptum est : Cor regis in manu Dei (*Prov.* XXI). Putas cor Juliani impiissimi in manu Dei fuit? Absit; aut, Neronis, aut Maximiani, et Decii persecutorum? Absit. Sed illis dicit qui regnant peccato, quia isti qui vincunt vitia, et passiones animæ, et regnant peccato, cor eorum in manu D Dei est. *Quia audierunt omnia verba oris tui.* Quia custodierunt mandata tua.

Et cantent in viis Domini. Philosophi hujus sæculi non cantaverunt in viis Domini, sed nos cantamus in viis Domini, hoc est, in Moyse et in Isaia, et in Jeremia, et de viis istis venimus ad illam viam quæ dicit : ego sum via.

PSALMUS CXXXVIII.

Domine, probasti me, etc. *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Manifestius hoc Symmachus interpretatus est : *Prætergreditur me scientia tua*, id est, non

[a] Videtur ex S. Hilario delibasse, ubi ille, *lignorum*, inquit, *salicum natura ea est, ut arefacta licet, si modo aquis alluantur, virescant : deinde excisa, atque in humido fixa, radicibus sese ipsa demergant. Et sub hujus arboris natura sanctos, et fideles viros significari prophetica auctoritas est.*

possum tua scire secreta, et in profundum sapientiæ tuæ mens mea non potest introire.

Quo ibo a spiritu tuo? aut a facie tua quo fugiam? Quomodo autem tuam possum comprehendere notitiam, cum in te sint omnia, nihilque sit quod te fugiat, et ubique sit spiritus tuus? Ex quo intelligimus Deum esse qui totus ubique sit.

Si ascendero in cœlum, tu ibi es; si descendero ad infernum, ades, etc. Nulla altitudo te altior: nullum profundum te profundius: oriens et occidens in tua continentur manu.

Et dixi, Ergo tenebræ conculcabunt me, et nox lux mea in deliciis meis. In Hebræo sensus iste est: *Et dixi, Forsitan tenebræ conculcabunt me:* econtrario autem nox ipsa apud te lumen fuit: quia nihil celare te potest. Quod Symmachus melius interpretatus est dicens: *Et nox lux circum me sedet.* Sed et sequentes versiculi, hoc idem significant.

Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox quasi dies illuminabitur: sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus. Id est, tam clara sunt omnia, quæ a te putantur occulta, ut manifestiora sint luce.

Suscepisti me de ventre matris meæ. Quinta Editio ita transtulit: *Conflasti me de ventre matris meæ.*

Imperfectum meum viderunt oculi tui. Imperfectum hic pro incomposito posuit: quod etiam elementa hominis antequam formentur in utero, cognoscat Deus. *Ut in libro tuo omnes scribentur.* Et quod nullus absque voluntate nascatur Dei: ne quisquam ejus notitiam subterfugiat.

Dies formabuntur, et nemo in eis. Hunc locum Symmachus ita transtulit: *dies quibus formati sunt, ne una quidem ex eis deest.* Et est sensus: omne tempus ætatis cui jam ab exordio vitæ istius sunt curricula deputata, certo fine decurrit, nec una dies aut plus aut minus est quam tu conditor esse voluisti. Secundum Septuaginta autem interpretes, et altiorem intelligentiam, sensus est: Tu omnes in die formas, tu cunctos vis esse filios Dei, sed nullus est in hominibus qui non peccato obnoxius fiat, et per hoc filius noctis esse incipiat, nec quisquam eorum luce ipsius diei toto vitæ suæ tempore digna perficiat. Unde et Apostolus ad eos qui filii noctis esse cessaverant, loquitur: Nos autem, fratres, non sumus filii noctis, sed Filii Dei (*Thess.* v).

PSALMUS CXXXIX.

Eripe me, Domine, ab homine malo, etc. Non in tantum potest nos decipere diabolus, quantum per organum hominis: ab hoc deprecatur propheta liberari.

Qui cogitaverunt iniquitates in corde. De hæreticis dicit.

Venenum aspidum sub labiis eorum. Quoniam videntur amicitiæ verba habere, sed plena sunt veneno mortifero.

Juxta iter scandalum posuerunt mihi. Hoc est de Scripturis proferentes testimonia, quæ quasi videbantur rationem aliquam habere, tentabunt me decipere.

A *Dixi Domino, Deus meus es tu.* Si non es sanctus, non potes hunc versiculum dicere. Cui non regnat peccatum, hoc dicit: Pars mea Dominus (*Psal.* xv).

Non tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori. Dicit Scriptura: Quod si quis viderit mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matt.* v). Ergo dicit propheta: Ne de concupiscentia mea tradas me diabolo; sed bene mihi habet in opere judicare, et non in cogitatione.

Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos. Quemadmodum serpens quando viderit aliquem venientem ad percutiendum, circulum facit totius corporis sui, et in medio celat caput, ubi scit habere se vitam; ita et isti hæretici per sermonem philosophorum, et Aristotelis, et cæterorum B videntur se abscondere et quasi protegere, et defendere. Sed ecclesiasticus vir quasi in virga, hoc est in cruce, solvit circulum, et invenit caput latens, et ibi eum percutit, hoc est, testimonium profert de Scripturis.

Habitabunt recti cum vultu tuo. Vultus Dei quid est nisi Christus? Qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (*Philipp.* ii).

PSALMUS CXL.

Domine, clamavi ad te, exaudi me. Moyses stabat cum populo, et Pharao sequebatur post tergum ejus, et undique angustia illi erat. In illo tempore lacrymatus est ad Deum. Et continuo Deus ad eum: Quid clamas ad me? Dum cum silentio orabat, auditus est. Scriptura autem non meminit quod locu- C tus sit, sed tantum quod lacrymatus sit. Et sanguis martyrum semper clamat ad Dominum, et exauditur. Et Dominus locutus est Cain: Sanguis fratris tui clamat ad me (*Gen.* iv). Et in Apocalypsi Joannis, animæ justorum sub altari dicebant ad Dominum: Usquequo, Domine, non nos defendis (*Apoc.* vi)? Simul autem consideremus, quia animæ justorum altaria sunt Domini. *Intende voci meæ, cum clamavero ad te.* Hoc est, vide et considera, o Domine, quid peto: quoniam non peto corporali desiderio, aut aurum, aut tale aliquid hujusmodi: sed ut misericordiam tuam consequar. Propterea dicit, *intende*, hoc est, diligenter audi, quia nihil alienum peto.

Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Hoc est, recta ad te perveniat oratio mea, non D habens aliquas sordes, aut vitia, aut cogitationes diabolicas. Incensum autem orationes sanctorum sunt. Hoc autem cognoscimus de Apocalypsi: quando viginti quatuor seniores tenebant thuribula, et dicebant (*Ibid.* viii): Hæ sunt orationes sanctorum. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Elevatio manuum.* Dominum demonstrat. Et in elevatione manuum Creatorem videmus. Vide autem, quia non dixit, extensio manuum mearum. Extensio enim non est elevatio. Sed extendit aliquis, et post tergum, et in latus, hoc est, in vitia: quemadmodum dicit Dominus: Et quando extenderitis ad me manus vestras, non exaudiam vos (*Jerem.* xv). *Sacrificium vespertinum*, undecima hora, id est, in

Evangelio, levo manus meas. Et iterum Apostolus: Levate manus vestras ad orationes (I *Tim.* II). Et Moyses quando levabat manus, vincebat Jesus: quando deponebat, vincebatur (*Exod.* XVII). Si intelligo Scripturas secundum historiam, et secundum litteram: Moyses deorsum habet manus. Si autem spiritualiter, olevat manus suas in altum.

Pone, Domine, custodiam ori meo. Mors et vita in manibus linguæ. Et iterum: Amen dico vobis: quoniam de omni otioso verbo quod locuti fueritis, reddetis rationem in die judicii (*Matt.* XII). Hoc ergo postulat, Propheta, ut omne quod loquitur, non sit otiosum, sed sanctum et dignum Deo. *Et ostium circumstantiæ labiis meis.* Ostium circumstantiæ quasi murum in circuitu totius domus postulat, ut in nullo vincatur. Dicit enim Jeremias: Mors intravit per fenestras vestras (*Jerem.* IX). Fenestras autem habemus quinque, hoc est, visum, auditum, gustum, odoratum, et tactum. Si ergo videro mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus sum eam in corde meo (*Matt.* V), et intravit mors per fenestram meam, hoc est, per visum. Si tibia, aut organum, aut calamus quasi dissolvat me, mors intravit per auditum meum. Si autem aliquid molle tangam, et solvar corporis mollitie, mors intravit per tactum meum, et cætera similiter. Ergo deprecatur propheta ostium circumstantiæ, hoc est, ut muniatur tota ejus domus, ut non habeat adversarius unde ingrediatur, et dominetur hominibus. Dicitur enim in Epistola sancti Petri: Adversarius noster diabolus sicut leo rugiens circuit, quærens quem devoret (I *Pet.* V). Diabolus non pugnat cito contra aliquem per grandia vitia, sed per parva, ut possit quomodocumque intrare, et dominari homini, et postea eum in majora vitia impellit. Non per fornicationem, non per avaritiam: sed per minora vitia ingreditur.

Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. O infelicissimum humanum genus, qui peccata excusamus, dicentes: Victus sum a natura: cum in potestate nostra sit, et peccare, et Domino adjuvante, non peccare. Semper excusamus nosmetipsos et dicimus: Ego nolebam peccare: caro me vicit. Illa mulier venit ad me, ipsa misit, ipsa me tetigit, ipsa mihi illud dixit, ipsa me vocavit, et pro quo debueramus pœnitentiam agere, et dicere: Domine, peccavi: excusamus, et jungimus peccata peccatis. Æquale corpus habemus omnes, diversos autem labores. Non est personarum acceptor Deus. Vis ergo scire quod æquale habemus et nos et sancti corpus? Paulus Apostolus dicit: Video autem aliam legem repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati (*Rom.* VII). Et iterum post hæc: Propterea castigo corpus meum, et in servitutem subjicio, ne aliis prædicans, ipse reprobus inveniar (I *Cor.* IX). Et iterum: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus (*Rom.* VII)? Diversos ergo labores habemus. Et quantum quis laborat, tantum et præmium accipiet.

Et cum hominibus operantibus iniquitatem. Ex communi subauditur: non declines cor meum cum hominibus operantibus iniquitatem. *Et non communicabo cum electis eorum.* Sicut Dominus habet electos sanctos, ita et diabolus habet electos suos. Intellige mihi principes hæreticorum, et non dubitabis de electis eorum. Si enim dixisset electos, et non cum subdistinctione, eorum, exclusisset electos Dei. *Communicabo* dupliciter intelligitur: aut consentiam, aut secundus fiam, hoc est, immundus. Scitis enim Scripturam, duo immunda vocare. Dicit Apostolus: Ut confundat utrumque (*Ephes.* II), hoc est, duos homines in unum novum hominem. Duos, interiorem et exteriorem, hoc est, immundum faciam sanctum. Et iterum: Noe in arca, munda septena introduxit secum: immunda autem duo et duo (*Gen.* VII).

Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me. Quem diligit Dominus, corripit: castigat autem omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII). Beatus est qui corripitur, non retribuet Dominus bis in idipsum. Magna est ira Dei quando non nobis irascitur (*Nahum.* I). Reservat enim nos sicut vitulum in occisionem. Ad Jerusalem enim dicit: Multa sunt peccata tua, et multæ iniquitates: propterea non irascor tibi (*Jerem.* III), hoc est, quando adultera eras tantum, zelabam te quasi diligens te: quando autem multos habuisti amatores, contempsi te, et non irascor tibi (*Ezech.* XVI). Quemadmodum vir zelat uxorem suam quando eam diligit: si autem non zelat, odit eam, et non consequitur illius sermones qui dicit: Visitabo in virga iniquitates eorum (*Psal.* LXXXVIII). Et iterum: Et non visitabo filias eorum quando fornicatæ fuerint (*Ose.* IV). *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me.* Pone hic magistrum aliquem, aut patrem aut medicum. Si viderit medicus in corpore carnes putridas, et dicat, quid ad me pertinent? scias quia crudelis est. Si autem præcidat, et cauterium imponat, misericors est: quia sanat hominem. Similiter et magister si dimittit puerum, et non ab eo exigit disciplinam, odit eum. Si autem exigat, et medicus curet; quæ putatur esse asperitas, clementia est. Achab arguitur a Domino de Naboth (III *Reg.* XXI): quando occidit eum, et accepit vineam ejus, et effudit sanguinem justum. Elias propheta missus est ad eum qui dixit: Occidisti, et possedisti: statim conscientia percussus submisit cervicem et oculos, et hoc impius, et rex indutus purpura. Et postea dicit Scriptura: quod audiens induit cilicium subtus purpuram. Et videns Deus dixit: Quia reveritus est me Achab: non inducam mala in eum. Vide ergo quantum valuit cilicium, et jejunium, et modica lacryma quantum sanguinem lavit. Ita ergo oportet vestiri cilicio et jejunare, ut nemo videat. *Corripiet* dupliciter intelligitur: aut arguet, aut docebit. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Populus meus, qui vos beatificant seducunt vos (*Isai.* III). Laus hæreticorum, et oleum

ipsorum, quo ungunt capita hominum, et repromittunt eis signa cœlorum, impinguat eis caput. Omne autem pingue reprehendit Scriptura, sicut dicit : Et mundavit Jacob, et saturatus est, et calcitravit : dilectus incrassatus est : impinguatus, dilatatus est (*Deut.* XXXII, *et Jer.* V). Manna autem angelorum tenue est (*Exod.* XVI).

Quoniam adhuc, et oratio mea in beneplacitis eorum. Hoc dicit : Ipsi quidem sapiebant : ego autem pro ipsis orabam ut convertantur. *Absorpti sunt juncti petræ judices eorum.* Sicut alibi dicit : Beatus qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram (*Psal.* CXXXVI). Petra autem erat Christus (I *Cor.* XV). Parvuli autem minores, et parvæ cogitationes antequam crescant. Et nunc ipsi hæretici, licet per Aristotelem et Platonem videantur simplicitatem Ecclesiæ contemnere, tamen quando venerint ad Scripturas, statim absorbebuntur a petra, hoc est, a Christo, et convertentur ad eum. Absorptio enim pro victoria dicitur : sicut Apostolus dicit : Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? Ubi, inferne, stimulus tuus (I *Cor.* XV)? Victoriam autem dicit ipsam absorptionem, quam victoriam habebat in absorbendo.

Audient verba mea, quoniam potuerunt. Ipse Dominus dicit : Quia ad me venerunt, victi sunt, et delectati sunt meis verbis, et conversi sunt ad me, et sunt in Ecclesia mea. *Sicut crassitudo terræ.* Omne crassum vicinum est terræ. Et anima quæ peccat, terræ hæret. Dominus enim ex initio omnia tenuia fecit. Suo ergo vitio unusquisque incrassatur, et deducitur in terram. Demus exemplum : sicut vulnus in corpore tumens plenum est crassum, et quando venerit medicus secat ipsum, et sanat et tenue facit, et tunc redigitur in suam naturam, quomodo et creatum est. Ideo dicit : *Sicut crassitudo terræ erupta est super terram, et salvatur.*

Dissipata sunt ossa nostra secus infernum. In vigesimo primo psalmo dicit : Dissipata sunt universa ossa mea. Si secundum litteram intelligimus, non stat. Siquidem crucifixus est tantum. Quando videris Arium, Eunomium extra Ecclesiam; intellige dissipata esse ossa Domini secus infernum. Os quod forte est, ipsi majores sunt qui videntur aliquid esse : per multiloquium ipsorum, et per philosophiam, et contentionem inducuntur ab hæreticis.

Custodi me a laqueo quem statuerunt mihi. Semper nobis laqueos tendunt aut hæretici, aut dæmones. Vitia enim vicina sunt virtutibus. Laqueum mihi posuerunt in eleemosyna, si extendero manum meam, ut videant homines : et quasi bonum faciens, venio in vitium et in peccatum. Si autem dedero tunicam fratri, ut alter videat, laqueum mihi posuerunt. Semper cervis tenduntur retia, et laquei eis ponuntur, ubi vestigia eorum deprehenderit venator. Cervus autem accipitur in sancto : quia altus est, et cornua grandia habet, et interficit serpentes. Propterea dicit alibi : Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum (*Psal.* XVII). Talis enim dicitur esse virtutis, ut spiritu narium suarum protrahere serpentes de cavernis, et sic comedere valeat. Ipsi ergo serpentes ponunt nobis scandala, hoc est, dæmones in ipsis vestigiis nostris ubi gradimur : In virtutibus, in eleemosyna, ut coram hominibus faciamus propter vanam gloriam. In jejunio, in oratione, in vestiendo cilicium : et ostendere hominibus. Qui enim vestitur cilicio, debet lugere sua peccata : non gloriari, et ostendere hominibus. *Et a scandalis operantium iniquitatem.* Hoc est, ut non offendam.

Cadent in retiaculo ejus peccatores. Superius dixit, custodi me a laqueo quem statuerunt mihi, de multis, nunc autem de uno : *Cadent in retiaculo ejus peccatores.* Quemadmodum Dominus mittit rete, et comprehendit multitudinem piscium, et habet apostolos piscatores colligentes et afferentes ad eum, hos ipsos qui per eos credunt, ita et diabolus habet dæmones qui ei subjecti sunt, qui et decipiunt homines et afferunt illi. *Singulariter sum ego donec transeam.* Dicit Jeremias : Solus sedebam, amaritudine enim repletus eram (*Jerem.* XV). Hoc est, in pœnitentia, solus ego hos dolos caveo. Et Moyses dicit : Transiens videbo hanc visionem magnam (*Exod.* III). Si non transierit, hoc est, omnia vitia, non potest videre magnam visionem. Magna autem visio : quia rubus ardebat, et non incendebatur : Ardebant spinæ, hoc est, peccata. Hoc igne mundatur et Isaias : iste est enim carbo qui tetigit labia ejus : qui erat super altare (*Isai.* VI). Hujus carbonis meminit et propheta David : Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis (*Psal.* CXIX). Iste carbo desolator est, solitudinem facit, et peccatorem purgat.

PSALMUS CXLI.

Intellectus David, cum esset in spelunca, oratio. Præscribitur iste titulus secundum historiam quidem quando fugiebat David a facie Saul, in deserto Engaddi in spelunca absconsus (I *Reg.* XXIV). Et ingressus est ignorans Saul, quasi sua causa. Sed quoniam habet in præscriptione. *Intellectus David :* debemus spiritualiter intelligere psalmum. Accipitur quidem in Domino verus David, et intelligitur Saul in diabolo. Spelunca autem in hoc mundo : et quod diabolus non immittit in hunc mundum aliquid boni; sed stercus, et si quid putridum est. Spelunca autem intelligitur iste mundus, quia perfectum lumen non habet, quantum ad comparationem futuri, sed quasi lumen aliquod illuxit Dominus veniens in hunc mundum. Propterea dicit Apostolus : Qui est lumen gloriæ ejus (*Hebr.* I). Ergo sicut David introivit in speluncam abscondens se a Saul : ita et Dominus ingressus est in hunc mundum, et persecutionem passus est.

Voce mea ad Dominum clamavi : voce mea ad Dominum deprecatus sum. Effundo in conspectu ejus orationem meam. Omnia hæc in humilitate corporea loquitur, ut se verum hominem, sicut sæpe diximus, manifestet. *Tribulationem meam ante ipsum pronuntio : in deficiendo in me spiritum meum.* Neque tribulatio præsens, neque defectio spiritus impedit : sed jugiter spiritualis vocis oratione clamare non desinit. *Et tu cognovisti semitas meas.* Doctrinas quas doceo.

In via hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueos mihi. Sæpius ei a Judæis absconditos tenta-

tionum laqueos in via præsentis vitæ, et in aliis declaravimus psalmis.

Considerabam a dextris. Ut de sinistra ad dexteram adducerentur. *Et videbam, quia non erat qui cognosceret me.* Deum carne contectum.

Periit fuga a me. Periit fuga ejus, cum delatus a Judæis, sæpius ultro iterum obtulit, nec est agnitus ab eis. *Et non est qui quærat animam meam.* Corpus accipiunt ad crucifigendum: animam autem non requirunt, id est, non attingunt.

Clamavi ad te, Domine. De cruce. *Dixi, tu es spes mea.* Commendans in manibus tuis spiritum meum (*Luc.* XXIII). *Portio mea in terra viventium.* In sanctis qui in eam transferuntur, sicut et latroni ait: Amen dico tibi, quia hodie mecum eris in paradiso.

Intende in orationem meam: quia humiliatus sum nimis. Libera me a persequentibus me: quia confortati sunt super me, etc. A Patre se educi de inferni claustris postulat, ut resurrectio ejus paterni nominis honor sit. Quæ confessio a quibus sit confitenda ostendit, dicens: *Me exspectant justi.* Apostoli vel reliqui sancti, quorum exspectationi, cum resurrexero, satisfacio. *Donec retribuas mihi.* Claritatem illam quam habui, priusquam mundus fieret, apud te (*Joan.* XVII). Et nos humiliter deprecamur ac petimus, ut suscepta voce clamoris nostri, eductos ex inferni carcere, illuc nos jubeas transferri de morte, ubi pendenti latroni præparasti locum lucidum ac quietem: quia tibi est honor et gloria cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLII.

Psalmus David, quando persequebatur eum filius suus Absalon. Iste psalmus vocem continet illius qui pro humana redemptione seipsum exinanivit, accipiens formam servi, ut nos erueret a servitute (*Philipp.* II).

Domine, exaudi orationem meam. Humilia verba et plena humilitatis et misericordiæ. *Auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua.* Confidentis verba sunt. *In veritate tua,* hoc est, in Christo tuo. Ego sum via, vita, et veritas (*Joan.* XIV). *Et exaudi me in tua justitia.* Et in Christo tuo. Hoc est, non confido mihi, sed ego veritatem et justitiam tuam peto, ut ipsa mei misereatur.

Et non intres in judicium cum servo tuo. Ecce manifestissime demonstravit, quia misericordiam Dei præstolatur, dicens: *Et non intres in judicium cum servo tuo.* Hic quasi aliquis judicet inter Deum et prophetam, sicut et in quinquagesimo psalmo scriptum est: Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. Et propterea intrat in judicium Deus, ut juste puniat. Tale quid fecit et Cyrus, rex Persarum et Medorum, regi Armeniorum, quando transgressus est amicitias ejus. Vicit eum et captivum accepit: et proprios illius cognatos, et uxorem, et filios fecit judicare inter illos: ut juste aut misereatur, aut puniat. *Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob: Deus viventium, et non mortuorum (*Luc.* XX). Ergo nec

A ipsi patriarchæ justificabuntur in conspectu Dei. Stellæ enim non sunt mundæ in conspectu ejus (*Job.* XXV).

Quia persecutus est inimicus animam meam. Hoc interpretatione non indiget. Nulli dubium, quin diabolus: *Humiliavit in terra vitam meam.* Hoc est, quod dicit. Ante alas habebam, et volabam: nunc autem persecutus est inimicus animam meam: et apprehendit, et ligavit mihi pedes et manus, quemadmodum volatile ab homine comprehenditur, ut quasi videatur mortuum esse: quia non habet licentiam alarum suarum ut volet. Ita et me, inquit, inimicus ligavit conscientia peccatorum meorum.

Collocavit me in obscuris, sicut mortuos sæculi. Si sicut mortuos sæculi, adhuc necdum mortuus, quia

B in pœnitentia stat. Si quis autem peccans non agit pœnitentiam, hic mortuus est sæculi, et non, sicut mortuus, sed perfecte mortuus. Hoc ergo putavit inimicus, quia non ago pœnitentiam pro peccatis quæ ipse mihi suggessit ut faciam. *Et anxiatus est super me spiritus meus.* Tu dic prius peccata tua, et salvus eris (*Isai.* XLIII). Et iterum: Si solum suspiraveris pro peccatis tuis, salvus eris (*Ezech.* XVIII). *In me turbatum est cor meum.* Propter conscientiam meam, quia peccavi.

Memor fui dierum antiquorum. Dierum meorum priorum memor fui, quando habebam confidentiam: nunc autem mihi nox est.

Expandi manus meas ad te. Ligatus ab inimico, nihil aliud possum facere nisi pœnitentiam agere,

C et manus meas levare ad te. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Sicut terra sine aqua sitit et quærit imbrem: ita et anima mea desiderat et sitit te, Deum suum.

Velociter exaudi me, Domine: defecit Spiritus meus. Anima mea defecit, et caro mea defecit: spiritus tantum remansit in me, et ipse defecit; sed, *velociter exaudi me, Domine,* et miserere mei.

Notam fac mihi viam in qua ambulem. Christum tuum notum fac mihi, qui dixit: Ego sum via (*Joan.* XIV).

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Hic impiissimi Ariani proponunt nobis, et dicunt: Magister bone, quid faciam boni ut salvus fiam? Qui dicit: Quid me dicis bonum? Nemo est bonus nisi

D unus Deus (*Luc.* XVIII). Ergo si Filius non est bonus, sed Pater: major est Pater Filio. Ergo secundum tuum sensum, impiissime Ariane, quis major? Filius, an Spiritus sanctus? Utique dicis, Filius. Hic ergo dicit: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Ergo si Spiritus bonus est, qui minor est, sicut tu dicis: multo magis Filius bonus est, quem tu majorem dicis. In Evangelio autem ita habet: Et accedens unus de scribis tentans eum, ait: Magister bone, et ait: Quid me dicis bonum, et non confiteris (*Matth.* XIX)? Sicut si aliquis tentans episcopum suum, quem contemnit, dicat illi: Episcope, et ille respondet: Tibi non sum episcopus, recede a me. Alibi autem non legistis: Bonus pastor ponit animam

suam pro ovibus suis (*Joan.* x)? Quid autem melius Filio, qui carnem induit propter nos, et passus est, et descendens de sua majestate, novem menses in utero Virginis in sanguine fuit, in cunabulis fuit, passus est per momenta crescere, et verberari, et colaphizari, et crucifigi? Quid hoc melius?

PSALMUS CXLIII.

Propter eos qui ignorant Latinam linguam, licet multa de Evangelio dixerimus, tamen debemus et de Psalterio quædam dicere: ut aliis saturatis, alii jejuni non redeant. Quoniam autem longus est psalmus, et si voluerimus in singulis versiculis immorari, dies præterit: debemus breviter ad singula quæque sensus magis quam verba replicare.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum. Qui breviter interpretatur, hoc consequitur, ut ipse laudem non habeat, et tamen quodcumque in interpretatione est, retineant illi qui audierunt. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum.* Levemus manus in sancta sine cogitationibus et disceptationibus; levemus in omni loco. Et cum levaverimus manus nostras, orationes nostræ ad Deum arma sunt contra diabolum. *Qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum.* Hæc est lyra nostra, hæc cithara. In hac cantamus Domino.

Misericordia mea, et refugium meum, susceptor meus et liberator meus. Protector meus, et in ipso speravi. In tantis nominibus appellatur Deus. Quot beneficia, tot nomina. *Qui subdis populum meum sub me.* Hoc potest ex persona Christi dici, hoc est, ex assumpto homine. Potest autem ex persona apostolorum dici, quia dicitur: *Qui subdis populum meum sub me.* Dicit hoc et sanctus Pater in monasterio, et gratias referens Deo dicit: Benedictus Dominus Deus meus, *qui subdis populum meum sub me.* Non enim mihi subjicitur; sed tibi subjicitur. Ideo mihi servit, ut serviat tibi.

Domine, quid est homo, quia innotuisti ei: aut filius hominis, quia reputas eum? Hoc ipsum et in octavo psalmo dicitur: Quid est homo quod memor es ejus: aut filius hominis, quoniam visitas eum? *Domine, quid est homo, quia innotuisti ei?* De fragilitate corporis et humana conditione loquitur? Et quid dicit? Si carnem aspicias, quid est homo? Si Spiritum, grande quiddam est homo. Non despiciamus carnem, sed carnis opera contemnamus. Non despiciamus carnem, quæ cum Christo regnat in cœlo. Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt (I *Cor.* xv). Non caro et sanguis, sed carnis opera. Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, et quomodo in Christo regnant, et quomodo sedemus cum Christo in cœlestibus? *Domine, quid est homo, quia innotuisti ei: aut filius hominis, quia reputas eum?* Gratias agit Deo, et quod dicit, hoc est: Quantum ad humanam conditionem, homo nihil est. Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, dicit Ecclesiastes. Si omnia vanitas, ergo et cœlum, ergo et angeli. Si cœlum et angeli vanitas: homo quanta vanitas! Et si vanitas angeli, si cœlum vanitas: Deus ergo quare vanitatem operatus est? Vanitas ad comparationem Dei: cæterum per se non vanitas (*Eccles.* I). *Domine, quid est homo, quia innotuisti ei?* Grandis hominis felicitas scire creatorem suum. Hoc a bestiis distamus, quia nos intelligimus Creatorem nostrum; illa non intelligunt. Sed et ipse status corporis suum quærit artificem. Cætera animalia terram respiciunt, et ubi venter, ibi et oculi. Cæterum oculi nostri ad cœlum erecti sunt, et si mens fuerit obcæcata, tamen invictis oculis cœlum videamus.

Homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra prætereunt. Vere dies nostri quasi umbra. Fui infantulus, fui puer, fui adolescentulus, fui juvenis, fui vir, hoc est, fui ætatis perfectæ, fui mediæ. Dum nescio, senex sum. Senectuti mors subrepit. Mutor quotidie, et nihil me esse non sentio. Ne uno quidem momento horæ stamus in statu nostro, sed semper aut crescimus aut decrescimus. Ergo homo per momenta mutatur, et dum nescit, interit. Ego senex, recordor infantulus quid fuerim, quid fecerim, quomodo luserim, quomodo huc illucque discurrerim: nunc me video nimio pondere prægravatum. *Dies ejus sicut umbra prætereunt.* Vita nostra umbra esse videtur, et substantiam non habet. Quod autem substantiam non habet, cito perit. Quia ergo homo tam miserabilis est: quia sic est infirmus, quid inde precamur? quid rogamus? quid hic dicit propheta? quid est quod precatur?

Domine, inclina cœlos tuos, et descende. Non poteris servare istam hominis vilitatem, nisi ipse eam indueris. *Domine, inclina cœlos tuos, et descende.* Ovis tua erronea sanari non poterit, nisi tuis humeris reportetur (*Luc.* xv). *Tange montes, et fumigabunt.* Amen, amen dico vobis: si habueritis fidem ut granum sinapis: poteritis dicere monti huic: transi, et transferetur (*Matth.* xvii). Ibi de lunatico dicebatur: de illo monte, qui ab illis transferri non poterat. Scriptum est in Jeremia: Date Domino Deo nostro gloriam, antequam offendant pedes vestri ad montes tenebrosos (*Jer.* xiii). Hoc totum quare diximus? Quoniam et nunc sequitur: *Tange montes, et fumigabunt.* Montes qui regnant: montes qui erecti sunt per superbiam: qui dicunt: Mea sunt flumina, et ego feci ea. *Tange montes, et fumigabunt.* Non dixit, inflammabuntur; sed, *fumigabunt.* Habeant montes pœnæ indicium: non fulgoris, non splendoris.

Fulgura coruscationes, et dissipabis eos. Vide quid dicat. Non dixit, delebis eos; sed, *dissipabis eos.* Legimus in Genesi, eo tempore quo fabricabant turrem, dixit Deus: Venite, descendamus et confundamus linguas eorum, ne aliquando in se consensum habeant, sed dispergantur (*Gen.* xi). Prodest illis.

Emitte manum tuam de alto. Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est (*Isai.* LIII)? *Emitte manum tuam de alto. Domine, inclina cœlos tuos et descende.* Hoc ad Filium dicitur:

Inclina cœlos tuos et descende. Et quomodo dixit : *Emitte manum tuam de alto?* Si descendit, quomodo manum mittit de alto? Sed licet in terra sit, tamen de cœlo mittit manum : non enim recedit de cœlo. *Eripe me, et libera me de aquis multis.* Quoniam descendisti, quoniam inclinasti cœlos, et misisti manum tuam de alto, et humanam carnem dignatus es assumere, et multi crediderunt in te : pro una aqua plures aquæ esse cœperunt : Videas dispersas in toto orbe esse hæreses diversas. *Eripe me, et libera me de aquis multis* : et præsta mihi fontem viventem. Unus est enim Deus, una fides, unum baptisma (*Ephes.* IV). *Libera me de aquis multis.* Illæ enim aquæ multæ non generant filios tuos, sed filios alienos. Unde sequitur : *Libera me de aquis multis, et de manu filiorum alienorum.* Non sunt enim filii tui, qui nascuntur in multis aquis; sed alieni filii sunt.

Quorum os locutum est vanitatem. Scientiam sibi repromittunt, et erigunt os contra Creatorem suum. Posuerunt in cœlo os suum. *Quorum os locutum est vanitatem.* Scientia illorum, vanitatis scientia est. *Et dextera eorum, dextera iniquitatis.* Utrumque condemnatur, et os et manus, et scientia et opera. *Quorum os locutum est vanitatem,* hoc est, scientiam. *Et dextera eorum, dextera iniquitatis.* Dextera, in opere. Dexteram se habere dicunt : sed toti sinistri sunt. Dextera iniquitatis est, et non est æquitatis, Unde et tali sinistræ dicitur : Stet diabolus a dextris ejus. Qui talem habet dexteram, et iniquitatis dexteram, stat diabolus a dextris ejus (*Psal.* CVIII).

Deus, canticum novum cantabo tibi. Novus homo, novum canticum. *Deus, canticum novum cantabo tibi.* Cantate Domino canticum novum (*Psal.* XCV). Quam pulchre non dixit canto, sed *cantabo.* In futuro repromisit : in præsenti enim scit certamen esse, non canticum. Numquam cantat exercitus, nisi quando vicerit. Ergo quoniam in præsenti pugno : non mihi vacat cantare. Cum vicero, tunc cantabo : *In psalterio decachordo psallam tibi.* Tunc extendam utramque manum, et vitalibus tibi chordis canam, Oratio mea, psalterium tuum est.

Qui das salutem regibus, etc. Quibus regibus? Cor regis in manu Dei (*Prov.* XXI) : qui regnant in corpore suo, qui subjiciunt corpus suum, et servituti redigunt, ne aliis prædicantes, ipsi reprobi inveniantur (II *Cor.* IX). Isti sunt reges de quibus dicit Sapientia in Proverbiis : Dat regnum regibus (*Prov.* VIII).

Eripe me, et libera me de manu filiorum alienorum. Versiculi qui supra dicti sunt, iterum repetuntur. *Quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum, dextera iniquitatis. Quorum filii, sicut novellæ plantationes in juventute sua. De manu filiorum alienorum.* Hæreticorum filii, videamus quales sint. Quorum filii, sicut novellæ plantationes in juventute sua. *De manu filiorum alienorum.* Diligenter animadvertite quid dicitur de hæreticis.

Filiæ eorum compositæ : circumornatæ ut similitudo templi, etc. *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* A Illi hoc dixerunt. Ego quid dico? *Beatus populus cujus Dominus Deus ejus.* Singula igitur vestris orationibus breviter disseremus. *Quorum filii, sicut novellæ plantationes in juventute sua.* Plantatio eorum non est vetus, sed novella est. Non est enim de veteri lege : non est de prophetis : non est de apostolis, sed de novis magistris est. Filiæ eorum, sicut novellæ plantationes in juventute sua. In juventute sua : semper juvenes sunt. Licet multæ sint hæreses veteres, tamen quotidie mutantur, et novæ quotidie inveniuntur. Novæ sunt ipsæ hæreses, licet veteres sint : tamen cum quotidie doctrinas suas innovant, novæ sunt. Non enim sunt veterum magistrorum errore contenti, sed quotidie ipsi nova reperiunt : *quorum filii, sicut novellæ plantationes in juventute sua.* B De Ecclesia, quid dicitur : de timentibus Dominum? Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. Quid dicitur de illis? Filii tui, sicut novella olivarum in circuitu mensæ tuæ. Circa mensam Christi sunt illi filii : non longe sunt a mensa Christi. Ibi non dicitur, filiæ; sed tantummodo, filii. Cæterum hæretici habent et filias, habent et fragiliorem sexum, voluptates, delicias. *Filiæ eorum compositæ.* Sermo compositus est, et sensus sordidus. In scripturis sanctis cogitationes semper filii dicuntur : verba, filiæ. Vide ergo quid dicit : Cogitationes eorum, hoc est, filii novi sunt. Verba vero eorum, hoc est, hæreticorum, quæ habent de sapientia sæculari, composita sunt : habent enim verba composita, laudatum sermonem. *Filiæ eorum compositæ.* Videntur C quidem esse compositæ, sed quia filiæ sunt, et non filii, vires non habent. *Circumornatæ ut similitudo templi.* Pulchre dixit, *similitudo templi.* Non habent veram Ecclesiam, sed similitudinem Ecclesiæ.

Cellaria eorum plena : eructantia ex hoc in illud, Parati sunt ad contendendum. Si illos tenueris in uno testimonio, ad aliud transeunt. Si in Scripturis tenueris, ad Aristotelem fugiunt. Si Aristotelem tenueris, in Platonem transeunt. *Cellaria eorum plena : eructantia ex hoc in illud.* Cellarium proprie dicitur, quod divitias compositas habet, Hæretici cellaria habent. Habent enim præparata verba quibus contendant. Cæterum Ecclesiastici simplices sunt : nihil habent præparatum. Aperiunt os, et repletur a Domino: secundum quod dicitur : Aperi os tuum, et implebo D illud (*Psal.* LXXX). Et, Nolite cogitare quid respondeatis illis : dabit enim vobis Pater vester in illa hora quid dicatis (*Matt.* X). Videtis quoniam non habemus cellaria præparata : sed divitiæ nostræ subditæ sunt. Dicit aliquis : Da testimonium quomodo sancti cellaria non habent. Respicite, inquit, aves cœli, quoniam non habent cellaria neque horrea : et Pater vester cœlestis pascit illas (*Matth.* VI). Aves isti specialiter monachi sunt : non habent cellaria, non habent apothecas : sed habent apothecarum et cellariorum Dominum, ipsum Christum. Non habent horrea, sed horreorum Dominum. Non habent divitias diaboli, sed habent paupertatem Christi. Diabolus quid dicit? Hæc omnia mea sunt : si procidens

adoraveris me, dabo tibi ea (*Matth.* III). Christus quid dicit ad suos? Qui non vendiderit omnia sua quæ habet, et dederit pauperibus, non potest esse meus discipulus (*Matth.* XIII, *et Luc.* XII). Ille regna et divitias pollicetur ut occidat; hic paupertatem pollicetur ut salvet. Nihil grande facimus, si nostra relinquamus. Christus Patrem reliquit, et regna cœlorum propter nos. Nemo putet me blasphemare : quia dixi, Patrem reliquit. Secundum dispensationem loquor, secundum quod mittitur : secundum quod dicitur : Pater qui me misit, major me est (*Joan.* X, *et* XIV). Deus non mittitur : Deus non subjicitur servituti ; sed dispensatio mittitur. Si Deus ubique est, et omnia in Deo sunt : quomodo Deus ad aliquid mittitur, cum Deus sit omnia? Christus igitur pro nobis pauper factus est (II *Cor.* VIII). Hoc totum quare diximus? Quia nunc lectum est : *Cellaria eorum plena : eructantia ex hoc in illud.* Pulchre dixit, *eructantia :* de saturitate nimia. Illi eructant de saturitate, et pereunt : nos de jejunio, ut salvemur.

Oves eorum fetosæ. Multos habent filios. Multus enim numerus hæreticorum est. *Oves eorum fetosæ.* Unde dicitur et in Osee propheta : Domine, da illis (*Osee* IX). Quid dabis illis? Vulvam sterilem et ubera arentia. Hoc de quibus dicitur? De hæreticorum magistris : qui sibi in numero discipulorum applaudunt. *Oves eorum fetosæ abundantes in egressibus suis.* Non dixit in ingressibus suis, sed *in egressibus.* Non enim ingrediuntur in Ecclesiam, sed egrediuntur de Ecclesia, id est, ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. *Abundantes in egressibus suis.* Quotidie egrediuntur de Ecclesia ; *abundantes in egressibus suis.* De Ecclesia quid dicitur? Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus (*Psal.* XLIV). *Boves eorum crassi.* Vidit et Pharao in somnia boves crassos (*Gen.* XLI) : Israelitici populi tenues sunt, Ægyptii crassi. Videtis enim magistros hæreticorum nihil aliud facere, nisi studere divitiis. Divitiis student, et pauperem Christum contemnunt. *Boves eorum crassi.* Pulchre dicit, *boves crassi :* quorum Deus venter est, et gloria in confusione eorum (*Philip.* III).

Non est ruina maceriæ, neque transitus. Nonne videtur vobis obscurum esse quod dicitur : *Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum?* Difficile hæreticos invenies imperitos. Omnes enim magistri instructi sunt scientia sæculari. *Non est ruina maceriæ, neque transitus.* Si quando sunt in disputationibus, quando tecum cœperint disputare, sic verba eorum brevia sunt : sic artifici sermone conclusa, ut evadere inde difficile sit. Cum enim te ligaverint syllogismis suis, et te clauserint, et quasi maceriem syllogismum tibi texuerint et ædificaverint, non potes convertere : non potes transire : teneris inclusus. *Non est ruina maceriæ, neque transitus.* Cumque ibi te tenuerint quasi quodam gyro inclusum : tunc non eris in angusta via, quæ ducit ad vitam : sed in lata, quæ ducit ad mortem (*Matt.* VII). *Neque clamor in plateis eorum :* Clamor Jesu revocat ad se, et dicit : Qui sitit, veniat et bibat (*Joann.* VII). Clamor Jesu in via angusta est : in plateis hæreticorum non est.

Beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Multi nescientes, beatos tales putant. Cæterum nobis simplicitas Christiana est : nolumus eloquentiam Platonicam : sed volumus simplicitatem apostolicam. Piscator iste rete tenet, lutosos habet pedes, et manus ex opere callosas habet. *Beatus populus cujus est Dominus Deus ejus.* Beatus est populus, qui pro omnibus divitiis Christum habet. Illi habent filios et filias, et cellaria, et oves fetosas, boves crassos, et nitidos atque formosos. Cæterum nos non habemus multitudinem : sed scimus illud dictum in Evangelio : Ubicumque fuerint duo aut tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum (*Matth.* XVIII). Ne timeas, grex parvule; quia complacuit Deo habitare in te. Ne dicant monachi : Ecce tantæ multitudines, civitates plenæ sunt, omnis orbis; nemo ergo salvatur, nisi qui in monasteriis est? Ecce tantæ multitudines : nos ergo soli salvamur? Quando ergo hæc cogitaveris, audi : Ne timeas, grex parvule : dictum est in Evangelio, quod una anima salvatur : ut duo millia porcorum pereant (*Marc.* V). Hoc totum quare dico? Quoniam pretiosior est unius sancti anima, quam infinitæ multitudines peccatorum. De toto mundo duodecim elegit apostolos, de duodecim unus recessit : remanserunt undecim. Venit crux : decem fugerunt : remansit unus Petrus : unus cum uno. Et ipse unus fugit, atque utinam fugisset, et non negasset. Ergo dicamus, universum genus humanum periit : Quoniam perierat, propterea Dominus crucifixus ait : Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum (*Isai.* LXIII). Eo tempore completus est psalmus : Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus (*Psal.* XI). Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Ille qui promiserat, dicens : Si me necesse est mori, aut ire in carcerem, non te negabo : negavit (*Marc.* XIV). Hoc totum quare dico : Quia monachus non debet aspicere ad multitudinem peccatorum, sed ad conversationem et paucitatem sanctorum. Universa Judæa ducebatur in captivitatem. Venerat Nabuchodonosor, tanta hominum millia ducebantur captiva in Babylonem. Solus Jeremias erat qui confitebatur Deum, et ipse mittebatur in lacum luti, et tamen pretiosior erat unius illius anima, quam omnis populi (*Jerem.* XV). Vultis scire quid faciat unus homo? Jesus filius Nave cum universa terra habitaretur, solus erat. Utique erant infinitæ multitudines, et ille solus erat. Solus imperat soli et lunæ, et stat : homo jubet, et cœlum audit (*Jos.* X). Audit illum cœlum : quia ipse audiebat Dominum. Jeremias erat in captivitate : erant autem, et multæ multitudines. Et quid dicit? Solus sedebam, quia amaritudine repletus sum (*Jerem.* XV). Quomodo solus in civitate eras? Sed ideo solus : quia propositi mei socium habebam.

PSALMUS CXLIV.

Laudatio ipsi David. Iste psalmus ex voce pro-

phetica, Dei continet laudem : sicut ipse ad eum A eloquens ait :

Exaltabo te, Deus meus rex, et benedicam nomini tuo in æternum, et in sæculum sæculi. Exaltat Deum quia scit æqualem Patri : regem, quia novit judicem mundi.

Per singulos dies benedicam te, et laudabo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi. Et ob hoc maxime laudat : quia conformem sperat se fieri nomini illius : id est, Christo Domino, in sæculo futuro.

Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis. Quia sine fine magnus, sine fine laudabilis.

Generatio. Quam fides protulit. *Et progenies.* Quam Christi passio procuravit. *Laudabunt opera tua, et* B *potentiam tuam pronuntiabunt.* Cum vel a te facta sunt, vel a te proteguntur.

Magnificentiam majestatis tuæ, et sanctitatem tuam loquentur. Tu nos sanctos esse vis, dicens : Sancti estote, quoniam ego sanctus sum (*Levit.* XIX, XX). Hoc et nos cæteris loquimur. *Et mirabilia tua narrabunt.* Quæ quotidie in Ecclesia operaris.

Virtutem terribilium tuorum dicent, et magnitudinem tuam loquentur. Virtus est terribilis, cum in impios ulciscitur, ut in Pharaonem. Magnitudo est, cum justi eriguntur, ut Israel.

Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt. Quia eos fovere dignaris. *Et justitia tua exsultabunt.* Quia in impios ulcisceris.

Misericors et miserator Dominus : patiens et multum C *misericors.* Et sanctus in omnibus operibus suis : quia quod factum est in eo, vita est.

Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus. Miseratione enim sua omne opus facit et protegit.

Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, et sancti tui benedicant tibi. Ut per sanctos qui te jugiter benedicunt, intelligaris omnium esse creator et conditor.

Gloriam regni tui dicent. Ut ab omnibus desideretur. *Et potentiam tuam loquentur.* Ut ab omnibus timeatur.

Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiæ regni tui. Ne excusatio per ignorantiam adhibeatur.

Regnum tuum, Domine, regnum omnium sæculorum. Omnia enim sæcula regni tui dominatione volvuntur. *Et dominatio tua in omni generatione et progenie.* Ecclesiastica generatione in progenie futuri sæculi dilatata.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis. Cum omnia quæ per prophetas locutus est adimplevit. *Et sanctus in omnibus operibus suis.* Ut sicut ille sanctus est : ita et nos qui opera ejus sumus, sancti efficiamur in eo.

Allevat Dominus omnes qui corruunt. Ne in æterna ruina mergantur. *Et erigit omnes elisos.* Quos corporeæ voluptatis præcipitavit stimulus, si pœnitentiam agant.

Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das eis escam in tempore opportuno. Sanctorum interior aspectus in illo futuro retributionis suscipitur tempore.

Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. Quod maledictiones et improperia mundo pro nomine tuo sustinuit.

Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. Sicut jam superius dictum est.

Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Ipse quid ait? Ego sum Deus prope, et non Deus de longe (*Jerem.* XXIII).

Voluntatem timentium se faciet et preces eorum exaudiet, et salvos faciet eos. Dum eos eruit, vel ab instigatione diaboli, vel ab ardore peccati.

Custodit Dominus diligentes se, et omnes peccatores disperdet. Illos diligit, qui dilectionem ejus mundanis dilectionibus prætulerunt. Illos vero disperdit, qui amori ejus amorem sæculi proposuerunt.

Laudem Domini loquetur os meum. Nunc, et in futuro retributionis tempore. *Et benedicat omnis caro nomini sancto ejus in æternum, et in sæculum sæculi.* Quod ait : *Omnis caro,* non ad insensibilia referendum est : sed ad omne corpus Ecclesiæ, quod nos sumus, qui Deum laudare, benedicere, extollere, ac prædicare debemus, per quem vivimus, per quem alimur ac sumus. Cui est cum æterno Patre et Spiritu sancto honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLV.

Alleluia. Aggæi et Zachariæ. Iste psalmus ex nomine duorum prophetarum præscriptus ex unius voce loquitur, dicens :

Lauda, anima mea, Dominum. Psalmus iste titulum habet Aggæi et Zachariæ. Sed hoc primum scire debemus, quod in Hebraico non habetur, sed in Septuaginta interpretibus. Dicamus autem et de editione Vulgata Aggæi et Zachariæ. Quia instauratio hic dicitur Jerusalem : *Regnavit Dominus in sæcula Deus tuus, Sion, in generatione et generationem :* quasi de instauratione Jerusalem dici putant, quæ facta est sub Aggæo et Zacharia. *Lauda, anima mea, Dominum.* Non dixit, lauda, corpus : sed, *lauda, anima :* non quo corpus damnaverit, sed carnis opera condemnavit. *Lauda, anima mea, Dominum.* Anima ipsa se hortatur. Quomodo si dicat David : Lauda, David, D Dominum : sic et ipsa anima dicit ad se : *Lauda, anima mea, Dominum : laudabo Dominum in vita mea.* Vide quid dicat : Ipsa se hortatur, et ipsa respondet. Quid dicit? Dicit mihi, *Lauda, anima mea, Dominum.* Ego ipsa respondeo : *Laudabo Dominum, in vita mea.* Modo laudare non possum, peccatis premor. Quotiescumque labia in laudes Dei aperio : totiens illa conglutinat conscientia peccatorum. *Laudabo Dominum in vita mea.* Pulchre dixit, *laudabo :* non, laudo. Quando cum Domino meo fuero, tunc laudabo Dominum in vita mea. Nunc in morte sum, laudare non possum. *Laudabo Dominum in vita mea.* Vita nostra Christus est. Dominum laudemus in vita. *Psallam Deo meo quamdiu fuero.* Vide quid dicat :

Quando juste aliquid agimus, sumus : quando vero peccamus, esse desistimus. Multa sunt quæ dicantur : sed ad finem festinat oratio.

Nolite confidere in principibus, nec in filiis hominum, in quibus non est salus. Hoc generaliter ad omnes dicit : *Nolite confidere in principibus.* Non in imperatore, non in præfectis, non in judicibus sæculi.

Nolite confidere in principibus. Qui sunt principes? Filii hominum. Qui sunt filii hominum? Quibus non est salus.

Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam. Cum autem regressus fuerit in terram suam, quid fiet? *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Omnis principum confidentia periet, et peribunt omnes cogitationes eorum. *Nolite confidere in principibus.* Hodie fuit, cras non est. Hodie illum præcedit B exercitus, et sero in sepulcro jacet. Post tantam magnitudinem, tantam claritatem, nulla intercedunt tempora : in eodem momento Christi est operatio. *In filiis hominum, in quibus non est salus.* Qui sunt principes? Filii hominum. Si ipsi homines nihil sunt, quid sunt filii eorum? *Exibit spiritus.* Cujus? hominis. *Exibit spiritus.* Hic spiritum pro anima ponit. Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII). *Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam.* Non spiritus revertetur in terram suam : non enim est spiritus de terra, sed egreditur spiritus, et homo revertetur in terram suam. *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Nos ipsi qui nunc [*Al.* non] sumus principes, quanta quotidie cogitamus et dicimus, die crastina illud faciam, destruam horrea C mea, et rursum die crastina ædificabo illa! Dicitur mihi : Stulte, hac nocte rapietur anima tua ; quæ autem præparasti, cujus erunt (*Luc.* XII)? Hoc de illis dicit qui confidunt in principibus. Cæterum de sancto quid dicitur?

Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus. Hi in curribus et hi in equis, nos autem in nomine Domini invocabimus (*Psal.* XIX). Illi plures habent adjutores : sed principes sunt, sed homines sunt, sed corruunt. Nos unum habemus qui salvare potest. *Spes ejus in Domino Deo ipsius.* Videamus tres pueri quid dicant in fornace Babylonia : quoniam vocat eos Nabuchodonosor rex : Non necesse est nos de hoc verbo respondere tibi. Potest quidem nos Deus liberare de fornace ardenti. Sed si non liberaverit, D scito, rex, quia imaginem quam constituisti non adoramus (*Daniel.* V). Videte fidem. Credimus, inquit, quod liberare potest. Sed si forte peccata nostra prohibuerint : tamen credimus et in eum qui non vult liberare. Non enim credimus in hac vita, sed in futura. Non propterea credimus in illum, ne hic ardeamus : sed ne per ista incendia ad alia transeamus. Incende igitur, præpara caminum : iste ardor, A ista combustio, nostra purgatio est. *Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus.* Videte significantiam verborum. *Adjutor ejus :* et non poterat ibi ullum signum facere, propter incredulitatem eorum (*Matt.* XIII). Deus adjutor noster est. Volentes et laborantes liberat, et collaborat : dormientes, et tacentes, et nolentes, non liberat. *Spes ejus in Domino Deo ipsius.* Egregie dixit, *spes.* Et si in præsenti non liberat, tamen spes de futuro est. *Qui fecit cœlum et terram.* Iste Deus qui fecit cœlum et terram, *Mare et omnia quæ in eis sunt.* Ad comparationem cœli, et terræ, et maris, nos homines secundum conditionem carnis, sic sumus quasi formicæ et pulices. Qui ergo cœlum fecit et terram, hominem non potest liberare quem fecit?

Qui custodit veritatem in sæculum. Si nos opprimit mendacium, non contristemur. Custodit Dominus veritatem in sæculum. Nescio quis contra nos mentitus est, et magis illi creditur mentienti, quam nobis verum dicentibus. Non debemus desperare. Custodit Dominus veritatem in sæculum. Pulchre dixit, *custodit.* Custodit illam, et habet in thesauro suo : reddet nobis quod servavit. *Qui custodit veritatem in sæculum.* Christus est veritas. Veritatem loquamur, et veritas nobis servat veritatem. *Facit judicium injuriam patientibus.* Etiamsi tardaverit, non desperes. Veniens, veniet, et salvabit. *Facit judicium injuriam patientibus.* Hoc solum sit in nostra conscientia, quia juste patimur. Hoc habeamus in conscientia, quia nos propter peccata nostra patimur, et non facimus illud pro quo arguimur. *Dat escam esurientibus.* Et secundum litteram ædificat, et si simpliciter intelligatur, ædificat audientem. Respicite volatilia cœli : quia non serunt, neque metunt, et Pater vester cœlestis pascit illa. *Dat escam esurientibus.* Esurientibus dat, non eructantibus. Qui ergo non habet monachus, confidenter accipiat. Qui habet et eructans est, non accipiat. Scis quia esuris : scis quia non habes : si esurieris, et non habes : magis das beneficium, si accipias quod tribuitur tibi. Si autem habes, et non esuris, non debes cibum esurientium tollere, et accipere saturatus. Accipe quod in ventrem mittas, non quod in sacculum : accipe tunicam quæ corpus tegat, non quæ arcas impleat. *Dat escam esurientibus.* Hoc secundum litteram. Dicamus et aliter : Esuriamus Christum, et ipse nobis dat cœlestem panem. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie (*Matth.* VI). Hoc qui dicunt, esuriunt. Qui panem desiderant, esuriunt. Qui dicit, panem nostrum quotidianum da nobis hodie, utique esuriens loquitur. Dat escam esurientibus. Putat aliquis, quod panem cœlestem de mysteriis dicat. Et [a] hoc quidem accipimus, quia vere caro Christi est, et

[a] Locus insignis ad veritatem corporis Christi in mysterio Eucharistiæ comprobandam ex vetustissimo auctore ecclesiastico. Quamvis enim eam plane demonstrent editiones Erasmi et Mariani, ubi hoc modo legimus, *quia vera caro Christi est. Cæterum dicamus*, etc., auctior tamen est ac magis explicata lectio manuscripti codicis Corbeiensis n. 134, qui complectitur expositionem quinquaginta et octo psalmorum, quam maxima parte in suos commentarios transcripsit falsus iste Hieronymus veterum compi-

vere sanguis Christi est. Cæterum dicamus et aliter. Panis Christi et caro ejus sermo divinus est, et doctrina cœlestis. Quicumque panem istum acceperit, et saturatus fuerit, quid fiet? Quid?

Dominus solvit compeditos. Si animam nostram iste panis refecerit : hoc est, sermo divinus, et doctrina cœlestis : statim pedes nostri, qui colligati fuerant, solvuntur. *Dominus solvit compeditos.* Et Lazarus ligatus erat, et dixit : Solvite eum (*Joan.* XI). *Dominus solvit compeditos.* Et filia Abraham decem et octo annos incurvata fuerat et vincta, solvitur, et in cœlum respicit. Videte quid ibi dicitur in Evangelio : Ecce, inquit, quædam erat mulier quæ spiritum infirmitatis habebat decem et octo annis, et non poterat, inquit, elevare cervicem (*Luc.* XIII). Quoniam spiritum infirmitatis habebat, cervicem sursum levare non poterat. *Dominus solvit compeditos.* Ipsi sunt compedes quæ et opera : siquidem eadem peccata, quæ cervices nostras excipiunt, et ligant pedes. Quicumque compeditus est, currere non potest. Quicumque compeditus est, in stadio Christi currere non potest. Prægravantur enim pedes compedibus, et premuntur in terra, et configuntur in terra. *Dominus solvit compeditos.* Videte ordinem. *Dat escam esurientibus.* Primum esurimus : deinde accipimus cibum. Cum autem saturati fuerimus, solvuntur pedes nostri, qui compediti fuerant. Cum autem ambulare cœperint libere, quid sequitur? *Dominus illuminat cæcos.* Videte quid dicat : Si de cæcis istis loqueretur, debuit dicere : *Dominus illuminat cæcos.* Sed non dixit hoc, sed secundum Hebraicam et Græcam veritatem quid dixit? *Dominus sapientes facit cæcos.* Si de istis oculis loqueretur carnis, debuit dicere : *Dominus illuminat cæcos.* Nunc vero dicitur, *Dominus sapientes facit cæcos.* Si cæci, inquit, essetis, peccatum non haberetis. Cor nostrum obcæcatum est tenebris peccatorum. Insipientia et stultitia, tenebræ non oculorum, sed morum sunt. Cum ergo esurientes refecti fuerimus, et pedes nostri liberati fuerint : tunc incipient et oculi cordis nostri videre lumen quod aliquando perdiderunt, et habere sapientiam. Si effectus fuerit sapiens, quid sequitur?

Dominus erigit elisos. Et si jacebas : securus esto, Dominus porrigit manum. *Dominus diligit justos.* Res duas video : diligit, et custodit. Qui diligit, quasi suum diligit. Qui autem custodit, eum custodit qui in periculo constitutus est. *Dominus diligit justos.* Quicumque justus est et perfectus, ab illo diligitur. Quicumque autem peregrinus est, et venit ad servitutem Domini, ille servatur.

Dominus custodit advenas : pupillum et viduam suscipiet. Et secundum litteram prodest, *pupillum et viduam suscipiet.* O martyr, qui teneris, ut pro me fundas sanguinem : noli de filiis esse sollicitus, noli de uxore : me habent pro te. Dicamus et secundum spiritum : *Pupillum et viduam suscipiet.* Pupillum suscipiet, qui Patrem Deum perdiderat per peccata. *Et viduam suscipiet.* Viduam, hoc est, eam animam quæ Christum virum perdiderat. Sed vide quid dicat, *pupillum et viduam.* Non dixit, custodiet : non dixit, salvabit : sed, *suscipiet* : si revertatur ad Patrem, si redeat ad maritum. *Et viam peccatorum disperdet.* Non dixit, peccatores disperdet : sed secundum primum psalmum, et iter impiorum peribit. Si justorum via Christus est, peccatorum via diabolus est. *Et viam peccatorum disperdet.* Omnium ergo peccatorum via diabolus est, illum perdit : cæterum nos salvabit, qui ambulabamus per eam, et ambulare desivimus.

Regnabit Dominus in sæcula. Quoniam via peccatorum perierit, tunc regnabit Dominus in sæcula. Non dixit : in sæculum : sed, *in sæcula.* Quamdiu via non perit, Christus non regnat in nobis. Quamdiu via peccatorum non perit, Christus non regnat in nobis. Quamdiu pedes nostri ambulant in via diaboli, Christus non regnat in nobis. Irascor sine causa fratri meo : in via diaboli ambulo : Christus non regnat in me. Detraho fratri meo ; in via diaboli ambulo : Christus non regnat in me. In quocumque peccato ambulavero, in via diaboli ambulo : Christus non regnat in me. Mens mea vana est, et in diversa distrahitur. In uno loco sum, et mens mea per totum orbem vagatur. Angelos mundus capit, reges capit, exercitus capit, monachum unum non capit. Hoc totum quare dico ? propter eos qui in toto orbe vagantur, et in uno loco sedere non possunt. *Deus tuus, Sion, in generatione et generationem. Deus tuus, Sion.* Frequenter diximus Sion speculam aut Ecclesiam interpretari, aut animam contemplantem Deum. *Deus tuus, Sion, in generatione et generationem.* In prima generatione, Judæorum ; in secunda, ex gentibus. In omnibus Scripturis, et in omnibus psalmis generatio et generatio dicitur, ut duos populos significet. Dicere autem et aliter possumus : *Regnavit Dominus in sæcula Deus tuus, Sion* : in generatione ista et in generatione ventura. Regnet Christus in nobis, non regnet peccatum in corpore nostro. Cor regis in manu Dei (*Prov.* XXI). Simus reges : imperemus corpori nostro, et subjiciamus illud, et cor nostrum sit in manu Dei. Cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

---

lator, ut mox dicturus sum in admonitione proxime sequenti post præsentem Explanationem, seu Breviarium S. Hieronymo ascriptum. Igitur in supradicto ms. Corbeiensi hæc leguntur, *Et hæc quidem accipimus*, QUIA VERE CARO CHRISTI EST *et* VERE SANGUIS CHRISTI EST. *Cæterum dicamus*, etc. Quæ profecto invictissime demonstrant Christianis quarti sæculi persuasum fuisse omnino, verum Christi corpus et verum sanguinem in mysterio Eucharistiæ contentum, nobis in cibum et potum datum esse, et sumptum sub symbolis panis et vini. MART. — Veteres editiones alterum comma, *et vere sanguis Christi est*, solemni scribarum lapsu ob ejusdem verbi recursum prætermittunt. Martianæus, qui locum e ms. Corbeiensi restituit, animadverti præterea jubet insigne testimonium ad veritatem corporis Christi in Eucharistia comprobandam.

PSALMUS CXLVI.

Alleluia. Psalmus iste ut cœlestis civitatis laudemus ædificatorem, nos admonet, dicens :

Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus. Iste psalmus ALLELUIA titulo prænotatur. Solent hi qui Hebræam ignorant linguam, quando viderint in psalmorum titulo esse præpositum *Alleluia*, quærere quid significet. Psalmus igitur iste non solum in titulo, sed et in exordio psalmi habet *Alleluia.* Ubi autem dicitur, *Laudate Dominum*, in Hæbreo dicitur, ALLELUIA. Deus enim apud Hebræos decem habet nomina : dicitur SABAOTH : dicitur SADDAI : dicitur ELOIM : dicitur EL : dicitur etiam [a] IAO : dicitur ESERJAJA. Inter cætera autem nomina unum est nomen quod dicitur IA. IA autem interpretatur *invisibilis.* Ubi ergo dicitur *laudate*, in Hebræo dicitur *Allelu.* B Sic dicitur hic *Allelu ia* : quomodo si diceretur *Allelu sabaoth*, *Allelu saddai*, *Allelu eloim* : sic et nunc dicitur *Allelu ia.* Denique Theodotio, qui unus est de Interpretibus, volens interpretationis ediscere veritatem ait αἰνεῖτε τὸν Ἰά. Hoc totum quare diximus ? ut sciamus in isto psalmo *Alleluia* esse præpositum : *Laudate Dominum.* Hæc interpretatio est. Cum egressi fuerimus considerabitur in cordibus nostris. Cæterum sermo dilatabitur : *Laudate Dominum : quoniam bonum psalmus.* Non dixit, *bonus psalmus :* sed absolute, *bonum psalmus*, hoc est, bona res est psallere. Psallere autem non voce, sed corde. Quanti bonam vocem habent, et quoniam peccatores sunt, male psallunt. Bene psallit qui cantat in corde, qui cantat Christo in conscientia. C

Deo nostro sit jucunda laudatio. Jucunda sit laudatio non voce, sed conscientia. Denique et Noe obtulit hostias, et odoratus est Dominus odorem suavitatis (*Gen.* VIII). Multa sunt quæ dicantur, sed nos breviter debemus summa quæque perstringere, ut sensum magis indicemus, quam verba latiora.

Ædificans Jerusalem Dominus, dispersiones Israel congregabit. Quomodo ædificetur Jerusalem, quomodo congregetur, jam dictum est. Quoniam igitur de istis duobus versiculis dissertum est, et super alienum fundamentum non debemus ædificare, ad reliqua transeamus. Videamus igitur quomodo ædificetur Jerusalem. In reliquis enim propheticus sermo descripsit.

Qui sanat contritos corde. Cor contritum et humi- D litatum Deus non spernit (*Psal.* L). *Et alligans contritiones eorum.* Tu cor tuum contere, et Dominus colligit contritiones tuas. Samaritanus ille, qui descendebat de Jerusalem in Jericho, quando vidit vulneratum jacentem in itinere, colligavit vulnera ejus (*Luc.* x). Iste est de quo et nunc dicitur ; *Et alligans contritiones illorum.* Hoc dicitur de his qui agunt pœnitentiam. Cæterum de his qui non agunt pœni- A tentiam, dicitur : Non est malagma imponere, neque oleum, neque alligaturas (*Isai.* I).

Qui numerat multitudinem stellarum. Quæ consequentia juxta litteram ! et alligat contritiones eorum : *Qui numerat multitudinem stellarum ?* Sed quando sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum, illos qui ante contriti fuerant, et postea sanati, vertit in stellas. *Qui numerat multitudinem stellarum.* Multi enim fuerant qui peccaverunt : multi sunt qui curati sunt. *Qui numerat multitudinem stellarum.* Non numerat vulneratos, sed eos numerat qui jam in stellas versi sunt. Non numerat Deus, nisi qui numero ejus digni sunt. *Et omnibus eis nomina vocans.* Quia de Lucifero dicit, et de Orione quem videmus in cœlo. Et hoc quidem potest intelligi : Mirabilis Deus, qui fecit cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt. Cæterum sic intelligamus, ut nobis prosit quod quotidie fit. *Et omnibus eis nomina vocans.* Vultis scire quomodo de contritis stellæ fiant ? Scriptum est in Genesi : Quia eduxerit Deus Abraham, et ostenderit ei stellas, et dixerit ei : Sic erit semen tuum (*Gen.* XV). *Et omnibus eis nomina vocans.* De Abram vocat Abraham. Abram dicebatur in Chaldæa, et in cœlo vocatur Abraham. Eo tempore quo factus stella est, vocatur Abraham (*Ibid.* XVII). Qui antea erat Saulus, postea vocatur in cœlo Paulus (*Act.* IX). Joannes et Jacobus filii tonitrui (*Marc.* III). Tonitruum utique in cœlo est. Numerantur itaque stellæ : numerantur infiniti sancti, et Christus unus non potest numerari.

Magnus Dominus noster et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus. Magna virtus, Christus Dei virtus et Dei sapientia (I *Cor.* I). *Et sapientiæ ejus non est numerus.* Christus sapientia est. Et una sapientia non potest numerari.

Suscipiens mansuetos Dominus. Quæ sunt istæ stellæ ? *Suscipiens mansuetos Dominus.* Mansueti vertuntur in stellas. Justi autem fulgebunt quasi stellæ cœli (*Dan.* XII) : Daniel loquitur. *Humilians autem peccatores usque ad terram.* Videte differentiam rerum. Angeli in terram corruunt : homines ad cœlos vadunt. *Suscipiens mansuetos Dominus.* Mansuetudo ad cœlum vocat : superbia in terram detrahit. *Humilians autem peccatores usque ad terram.*

Præcinite Domino in confessione. Hoc implevit David ; qui nobis justitiæ exemplum præbuerat, præbuit et pœnitentiæ. Docuit enim nos quomodo debeamus agere pœnitentiam, ipse agens. Videte sanctum prophetam, quia non solum justitia ejus nobis profuit, sed et peccatum.

Psallite Deo nostro in cithara. Nulla virtutum chorda rupta sit. Tota virtutum chorda concinat. *Psallite Deo nostro in cithara.* Cithara multas chordas habet : si una rupta fuerit, sonus reddi non potest.

[a] Hoc nomen IAO Hebraice יהוה confundunt veteres editiones cum alio nomine Dei consequenti יה, IA. Quia Erasmus et Marianus Victorius nescierunt nomen tetragrammaton legi apud veteres IAO. Consule supra exemplaria Origeniani lexici Hebraicorum Nominum, ubi Ἰαὼ interpretatur κύριος, ὁ Θεὸς, ὁ Ἀόρατος, *Dominus, vel Deus, vel invisibilis.* MART. — Huc refer epistolium de decem Dei nominibus ad Marcellam in nostra recensione 25. Pro *Iao* veteres editiones *Ia* præferunt.

Sic et sanctus vir, quamvis sanctus sit, si una virtus defuerit, vocalem sonum reddere non potest.

Qui operit cœlum nubibus. Cœlum hoc quod cernimus, nubibus operiri non potest. Sed aliud est cœlum, et aliæ sunt nubes. Et veritas tua usque ad nubes (*Psal.* xxxv). Ergo veritas Dei usque ad istas nubes quæ, vento flante, cito dissolvuntur? Veritas Dei, Christus est. Ego sum via, et vita, et veritas (*Joan.* xiv); ergo veritas Christi in his nubibus est, quæ non habent in se substantiæ veritatem. Fieri ergo potest, ut ibi sit veritas, ubi ventus dissipandi potestatem habet? Mandabo, inquit, nubibus ne pluant super eos imbrem (*Isai.* v), hoc est, super populum Judæorum. Nubes prophetæ sunt. Mandavit illis Dominus ne pluerent super Israel imbrem. Ad nos prophetiæ sermo conversus est. Nubes istæ si ibi collisæ fuerint, tonitruum faciunt et fulgura. *Qui operit cœlum nubibus.* Si nubes prophetæ sunt, et apostoli; quomodo autem apostolis, et prophetis cœlum tegitur? Cœlum mysteria sunt divina. Quoniam igitur mysteria quæcumque divina sunt, cœlum appellantur: quicumque dignus fuerit, istum nubes protegunt. Si quis indignus est sacramenta accipere, non potest tegi a nubibus. *Qui parat terræ pluviam.* Indiget pluvia terra nostra, et nisi pluviam acceperit, id est, doctrinarum fontem, fructum non afferet. Terra cum humecta fuerit istiusmodi doctrinarum fonte, quid sequitur?

Qui producit in montibus fenum, etc. Si de solo feno loqueretur: utique fenum magis in convallibus nascitur, quam in montuosis. Ubicumque enim pluvia amplior fuerit, ibi magis fenum nascitur. De montibus defluunt aquæ in convallibus, et magis herba nascitur.

Et dat jumentis escam ipsorum. Scriptura ista quam legimus, quam tractamus, quam habemus in manibus, montes sancti dicuntur in Scripturis (*Psal.* xxxv). Mons vocatur Abraham; mons vocatur Isaac; mons Jeremias: montes sancti prophetæ. Montes isti habent et frumenta, habent et fenum. Si homo es: accipis ab ipsis frumentum: si pecus es, fenum accipis. Homines et jumenta salvos facies, Domine. Secundum fidem tuam salvaris. *Qui producit in montibus fenum, et dat jumentis escam ipsorum.* Si homo es, in Scripturis sanctis accipis spiritualem intelligentiam: si jumentum es, secundum litteram more Judaico. Rem magnam video. Deus qui tantis præconiis collaudatus est, deducitur ad viliora, et dicitur: *Et pullis corvorum invocantibus eum.* Si de avibus cœli diceret, magis aquilas nominasset aut vultures. *Et pullis corvorum invocantibus eum.* Nulla alia avis nuncupatur, nisi pullus corvorum, et non ipsi corvi, sed pulli corvorum. Non salvatur corvus, sed pullus qui de eo natus est. Nos pulli corvorum sumus. De parentibus enim idololatris nascimur. Legimus in Salomone, quoniam oculus qui irridet patrem, et sermonem matris, effodiant eum corvi de convallibus (*Prov.* xxx). Non dixit pulli corvorum, sed ipsi corvi. Qui enim corvus est, salvari non potest. Corvus A de arca dimittitur et non revertitur (*Gen.* viii). In diluvio cum cæteris est: post diluvium in infelicitatem projicitur, hoc est, eo tempore quando tranquillitas est non potest esse in arca Dei. Si quando diluvium est, corpus in medio est. Tranquillitas redit, et corvus fugit. Qui sunt isti corvi? Qui sunt pulli corvorum? Ego puto corvos nigri coloris, qui semper persequuntur cadavera mortuorum: qui semper voce raucissima rixas comparant, dæmones esse, et quicumque dæmonibus servierint, juxta corvos et ipsi colorem corvorum accipiunt. Igitur nostri parentes, sicut jam diximus, qui idolis serviebant, et dæmonibus, corvi erant. Non enim inveniuntur nisi ubi illuvies, et spurcitia, et cadavera mortuorum fuerint. Nos vero qui de corvis nati sumus, non ca-B davera exspectamus, sed rorem. Pulli enim corvorum dicuntur de rore vivere. Sic enim philosophi dicunt, quod de rore vivant pulli corvorum. Vultis et aliud scire mysterium de corvis? Elias interpretatur, *Deus Dominus.* Elias, hoc est, Dominus noster atque Salvator, a Judæis persecutionem patitur, et a corvis, id est, gentium populo pascitur. *Et pullis corvorum invocantibus eum.* Si invocas eum, pullus es: si taces, corvus es. *Et pullis corvorum invocantibus eum.* Legimus in propheta: et omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit (*Joel.* ii). Igitur si de corvis simpliciter accipimus: ergo et corvi salvi erunt? Responde, Judæe, responde qui Judaicam litteram tantum sequeris, dicis istos corvos vere corvos esse? Non interpretaris spiritualiter, sed carnaliter, C dicis enim scriptum esse de corvis. Si ergo de pullis corvorum scriptum est, et hic dictum est, *et pullis corvorum invocantibus eum.* Et scriptum est: Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit: ergo et pulli corvorum salvi erunt in resurrectione. Nos ergo pulli corvorum invocamus atque salvamur. Denique et Paulus apostolus scripsit ad sanctorum Ecclesiam, scripsit ad eos qui invocant nomen Domini (I *Cor.* i).

Non in fortitudine equi voluntatem habebit. Brevitatem promisimus, et necessitate compulsi sumus latius disputare: mentiti sumus, sed mendacium utilissimum est. Utinam Herodes mentitus esset et pejerasset (*Matth.* xiv). Et nos igitur minora promisimus, et orantibus vobis majora præbuimus. Hora D compellit, ut taceam: magnitudo mysteriorum compellit ut loquar. Non in fortitudine equi voluntatem habebit. Audio equum hinnientem, et non possumus præterire. Scriptum est in psalterio: Fallax equus ad salutem (*Psal.* xxxii). Et alio loco: Equum et ascensorem dejecit in mare (*Exod.* xv). Præcipitur et Israel, ne equos nutriant. Denique Salomon quia quadrigas adducebat ex Ægypto, voluptate superatus est (*Deut.* xvii; III *Reg.* x). *Non in fortitudine equi voluntatem habebit.* Equum et ascensorem dejecit in mare. Equi insanientes in feminas facti sunt mihi: unusquisque in uxorem proximi sui hinniebat (*Jerem.* v): loquitur Jeremias. Ergo super tales equos Deus non habet voluntatem. Diximus de equo:

equum et ascensorem dejecit in mare. Diximus qui A sunt equi: dicamus qui sunt equites. Ego puto equos homines esse peccatores, et equites dæmones qui equitant in eis. Si quando ergo viderimus aliquem fratrem persequentem et inimicum esse, sciamus quia ille equus est. Cæterum eques diabolus est, qui sua lancea nos percutit. Iste currit, et ille percutit. Sed et ipse equus calcaribus ducitur, confoditur, et invitus insanit. *Nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.* Videte quid dicat. Non dixit, in capite viri: non dixit, in manibus viri: sed, *in tibiis:* quæ deorsum sunt. *Nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.* Tibiæ hic sicut et femora, semper in libidine accipiuntur. Denique et in Ezechiel Deus videtur a lumbis usque sursum, electreus: a lumbis usque deorsum igneus (*Ezech.* I). Si quis sursum est, huic aureus est: si B quis deorsum, huic gehenna præparata est. *Nec in tibiis viri beneplacitum est ei.* Dicamus secundum litteram. Quoniam dixerat, *Non in fortitudine equi voluntatem habebit*, et quasi bellatorem virum descripserat: videtur mihi hic ubi dixit, *non in tibiis*, non vocare [a] tibias, sed περικνημῖδας. Videmus ergo quodcumque tibias texerit non placere Deo, sed illud quod sursum est. Non placet Deo in fortitudine, non placet in tibiis viri, placet autem in timore suo. Virtus non placet, timor placet. Bellantem destruit, rogantem elevat, humiles exaltat, superbos dejicit.

Beneplacitum est Deo super timentes eum. Unus timor plures timores projicit. Melius est unum timere, ut plures non timeas: quam plures timere, ut unum non timeas. *Et in eis qui sperant super misericordia* C *ejus.* Sperant non in operibus suis, sed in misericordia judicii. Laudate Dominum, quoniam bonum est psalmus: quoniam qui sperant super misericordia ejus, sola salvatione sanantur. Cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLVII.

Lauda, Jerusalem, Dominum: lauda Deum tuum, Sion. Modo audivimus sanctum prophetam prædicantem propter prævaricationem legis populum Judaicum esse desertum, et quomodo nunc dicitur: *Lauda, Jerusalem, Dominum: lauda Deum tuum, Sion.* Deinde quid sequitur?

Quoniam confortavit seras portarum tuarum. Ergo de ista Jerusalem loquitur, de ista Sion: *lauda Deum tuum, Sion.* Quare? *Quoniam confortavit seras* D *portarum tuarum.* Non sunt portæ, et quomodo seræ salvæ sunt? *Benedixit filios tuos in te.* Quomodo benedixit, qui dixit: Relinquetur vobis domus vestra deserta (*Luc.* XIII)?

Qui posuit fines tuos pacem. Ubi pax posita est, quæ bello subversa est? *Et adipe frumenti satiat te.* Frumentum adipem habet? O Judææ, responde. Frumentum adipem habet? Si ergo frumentum adipes non habet, et compelleris necessitate spiritualiter intelligere, secundum istum versiculum et cætera intelligenda sunt. *Lauda, Jerusalem, Dominum.* Jerusalem, *visio pacis. Lauda Deum tuum, Sion.* Sion *specula* interpretatur. Videtis ergo quid dicat. *Lauda, Jerusalem, Dominum.* Ubicumque visio pacis est, ubicumque contemplatio Dei: ibi laus Dei fit. Laudat ergo Ecclesia Dominum, quando cœperit in illum credere et habere pacem, et cœperit videre pacem, hoc est, Jerusalem visionem pacis. Qui prius eras servus idolorum, factus es servus Dei. Lauda ergo Deum tuum. Quando vero cœperis jam habere scientiam, et esse specula, hoc est, Sion: lauda Dominum, hoc est, tu lauda Jerusalem, tu lauda Sion: tu Ecclesiastica anima, tu Ecclesia. Non laudent hæretici, non laudent Synagogæ, sed tu lauda. Quare? *Quoniam confortavit seras portarum tuarum.* Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Jacob (*Psal.* LXXXVI). Portas Sion diximus prophetas. Quoniam ergo portas Sion novimus prophetas dici: videamus quæ sint seræ portarum. Veræ enim Ecclesiæ portæ prophetæ sunt. Sine prophetis Ecclesiam ingredi non possumus. Manichæus intrare voluit sine portis, et non intravit. Marcion non recipit vetus Testamentum, et sine portis veteris Testamenti in Evangelium intrare non potuit. Nos ergo recipimus portas prophetas, et per portas ingredimur. Sed videamus quæ sint seræ portarum. Multi latrones, multi fures cupiunt intrare per portas. Omnes qui ante me venerunt, fures fuerunt et latrones (*Joan.* X). O si et mihi concederet Dominus, ut sera essem de portis Sion! Si quis hæreticorum per illas in Evangelii dispositionem vellet intrare: ego starem in portis, et prohiberem illum. *Quoniam confortavit seras portarum tuarum.* Da mihi aliquem ecclesiasticum virum, Scripturis cœlestibus eruditum, si viderit venire Eunomium, venire Arium, velle tollere aliquid de prophetis contra nos: nonne stat quasi sera? nonne vincit quasi sera? *Quoniam confortavit seras portarum tuarum.* Pulchre dixit, *confortavit:* ut quando videris virum ecclesiasticum disputantem, non putes illum esse qui disputat, sed qui confortat ecclesiasticum. *Et adipe frumenti satiat te.* Nisi, inquit, granum tritici ceciderit, ipsum solum salvum erit (*Joan.*, XII). Si autem ipsum ceciderit, multos salvos facit. Dominus noster granum tritici in terram cecidit, et nos multiplicavit. Sed istud granum frumenti pinguissimum est, medullam habet, adipem habet. *Et adipe frumenti satiat te.* Felix est qui in frumento isto adipem intelligit. Legimus sanctas Scripturas. Ego [b] corpus Jesu, Evangelium puto: sanctas Scripturas, puto doctrinam ejus. Et quando

[a] Immo vero tibias ipsas, κνήμας nempe, non ocreas, seu περικνημῖδας intelligi opus est ex Græco textu, et Patrum interpretatione. Ambrosius in Psalter. habet *in tibialibus*.

[b] Huc refer interpolatorem Ignatianæ epist. ad Philadelphenos, ubi se ait, confugere ad Evangelium *tamquam ad carnem Jesu Christi*. Vide et Clement. Alexand. Pædag. l. I, c. 6; Origenem in Levitic. homil. 7, c. 10; Euseb. lib. III Theolog. Eccles. contra Marcellum Ancyranum. Alii libri habent, *Corpus Christi*, pro *Jesu*.

dicit, qui non comederit carnem meam, et biberit sanguinem meum (*Joan.* VI): licet et in mysterio possit intelligi: tamen verius corpus Christi, et sanguis ejus, sermo Scripturarum est, doctrina divina est. Si quando imus ad mysterium, qui fidelis est, intelligit, si in maculam ceciderit, periclitatur. Si quando audimus sermonem Dei, et sermo Dei, et caro Christi, et sanguis ejus in auribus nostris funditur, et nos aliud cogitamus, in quantum periculum incurrimus! *Et adipe frumenti satiat te.* Pinguissimus sermo divinus est. Omnes habet in se delicias. Quidquid volueris, ex sermone divino nascitur, sicut tradunt Judæi: quoniam manna quando comedebant, secundum voluntatem uniuscujusque, sic sapiebat in ore (*Sap.* XVI). Ac si dixisset: Qui manna comedebat, si desiderabat mala, si pirum, si uvam, si panem, si carnes, secundum qualitatem et voluntatem comedentis, ita et sapor in manna erat. Sic et in carne Christi, qui est sermo doctrinæ, hoc est, Scripturarum sanctarum interpretatio, sicut volumus, ita et cibum accipimus. Si sanctus es, invenis refrigerium. Si peccator es, invenis tormentum. *Et adipe frumenti satiat te.* Non dimittit aliquas reliquias. Benedixit filios tuos in te. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I). *Qui posuit fines tuos pacem*, in alio psalmo legimus: Et factus est in pace locus ejus (*Psal.* LXXV). Pacem meam do vobis: pacem meam relinquo vobis, non sicut mundus habet pacem (*Joan.* XIV): siquidem mundi pax, nostrum bellum est. Meam pacem do vobis. Bellum habetote cum mundo, et meam pacem habebitis. *Qui posuit fines tuos pacem.* Qui ergo non est in pace cum fratre, iste non est in finibus Jerusalem. Dicat aliquis: Quid facio? Non vult mihi reconciliari frater, ergo extra fines sum Jerusalem? Quantum, inquit, ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes (*Rom.* XII). Cum his qui oderunt pacem eram pacificus (*Psal.* CXIX). Tu habeto pacem, si alius irascitur. Ille bellum habet, et per bellum illius tibi pax nascitur. Vultis scire quomodo et bellum pax sit? Infelix Judas veniebat ad proditionem, et Dominus ei pacis osculum porrigit (*Luc.* XXII), ille osculo bellum creat.

Qui emittit eloquium suum terræ. Responde, Judæe: si de frumento dicebat, et adipe frumenti satiat te, quomodo nunc dicit: *Qui emittit eloquium suum terræ?* In principio erat Verbum (*Joan.* I). Hoc Verbum in carne mittitur. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Ibid.*). *Qui emittit eloquium suum terræ.* Eo tempore completum est: Terra dedit fructum suum (*Psal.* LXVI). *Qui emittit eloquium suum terræ.* De prædicatione loquitur Evangelica, et de doctrina apostolorum. Denique sequitur: *Velociter currit sermo ejus.* In omni enim terra auditus est sermo ejus, et in orbe terrarum, apostolica doctrina. Unus homo pauper, et jam senex prædicavit ab Jerusalem usque ad Illyricum, et *velociter currit sermo ejus.* Quoniam ergo venerat de Jerusalem, usque Illyricum, et *velociter cucurrit sermo ejus:*

A deinde sequitur, et dicit ipse sermo qui prædixerat, de Jerusalem usque ad Illyricum: volo autem ire et ad Hispanias. Hoc loquitur apostolus Paulus (*Rom.* XV). Videte velocitatem sermonis. Non est contentus ad orientem, ad occidentem currere desiderat.

Qui dat nivem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargit, etc. Videtis quanta sit difficultas, quam obscura sunt quæ dicuntur. *Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?* Cujus? Nihil dicitur. Deinde dicitur:

Emittit eloquium suum, et liquefaciet ea. De illo de quo dixerat: *Emittit eloquium suum terræ.* Emittit verbum suum. Quis emittit? Deus Pater. Et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Diximus B Patrem: diximus Filium: non possumus in duplo numero credere, nisi compleatur Trinitas.

Flavit spiritus ejus, et fluent aquæ. Videtis quoniam ubi Pater, et Verbum Dei, statim et Spiritus sanctus est. Videamus ergo ab initio quod dicitur: *Et adipe frumenti satiat te: emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus:* Repente quid sequitur? *Qui dat nivem sicut lanam.* Sermo Domini, qui velociter currit, sic datur quasi nix, et ipsa nix est quasi lana. Videte misericordiam Domini. Cibus Domini, nobis in vestimentum vertitur. Dixerat Joannes de Domino Salvatore: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi (*Joan.* I). Et in alio loco Isaias: Quasi ovis ad victimam ductus est (*Isai.* LIII). De isto igitur agno, et de ista ove, lana ista est quasi nix. Dicit Isaias: C Si fuerint peccata vestra quasi coccinum, quasi nivem dealbabo (*Isai.* I). Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor (*Psal.* L). *Qui dat nivem sicut lanam.* Tolle, Domine, sordes meas: tolle quodcumque vitii est. Nivem tuam, et puritatem tuam tribue mentibus Christianis. Nisi tu nobis nivem dederis munditiarum tuarum, vestimentum tuum habere non possumus. Christus vestimentum nostrum est. Si volumus Christi habere vestimentum, mundi simus quasi nix. *Nebulam quasi cinerem spargit.* Male interpretatus est Latinus nebulam. Quod enim ὁμίχλη dicitur in Græco: in Hebraico habet *pruinam* (כפור). Denique ita sequitur: *Pruinam sicut cinerem spargit.* Docet nos, et facit nobis vestimentum quasi nivem, et cum nos vestierit D vestimento suo, tunc nobis tribuit alimenta. *Pruinam sicut cinerem spargit.* Vide quid dicat: *sicut cinerem.* Vis esse mundus? age pœnitentiam. Panem meum sicut cinerem manducavi, et potum meum cum fletu miscebam (*Psal.* CI). Nonne vides quomodo pruinam suam sicut cinerem spargit? Grandis rerum mutatio. De cinere nix fit. De pœnitentia, mundus efficitur.

Mittit crystallum suam sicut buccellas. Quomodo panes franguntur, et buccellæ fiunt: sic et crystallus frangitur, et in buccellas vertitur. Crystallus naturam hanc habet, sicut aquæ quando congelantur: quod nos glaciem dicimus. Inter crystallum ergo et aquam hoc interest, quod est inter aquam

et glaciem : quoniam aqua latissime funditur : cæterum crystallus quasi compingitur in se, et in unam formam redigitur. Si quando aqua congelascit, crystallum efficit. Quoniam ergo nos in totum Verbi carnes capere non possumus, franguntur, ut per partes illas capiamus. Res sunt obscuræ, et interpretationis difficultas non nobis concedit latius loqui. *Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?* Cujus? Alii dicunt crystalli, alii Domini. Mihi autem videtur de Deo dici. *Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?* Quæ tormenta dicuntur in Scripturis sanctis peccatori præparata? Nihil gehenna calidius est, et tamen ipsa frigida est. Gehenna ex igne est. Sed si quis a charitate refriguerit, mittitur in gehennæ ignem. Scriptum est : quoniam in novissimis diebus refrigescet charitas multorum (*Matth.* XXIV). Quicumque ergo sic infriguerit, iste mittitur in ignem. Dominus nobis præstet ne quando frigus ingrediatur corda nostra; non peccamus, nisi ante refriguerit charitas. Denique quid loquitur Apostolus? Spiritu ferventes (*Rom.* XII). Et Deus noster ignis est. (*Deut.* IV). Si ergo Deus noster ignis est : propterea ignis est, ut frigus diaboli ejiciat. Aquilo ventus frigidissimus, nomine autem dexter vocatur. Pulchre dixit, vocatur. Assumpsit enim sibi nomen, cum sinister sit. Si cujus ergo anima refrixerit, ut Aquilo ventus frigidissimus est. Quando autem calor charitatis in corde nostro refrigescit? Si peccaverit, si refrixerit, si mortuus fuerit. Diligenter attendite quæ dico : Si refrixerit, si mortuus fuerit. Refrigescere autem mortuorum est, calere viventium. Si quis ergo refrixerit, et mortuus fuerit, mittet Deus verbum suum, et liquefaciet eum. Dominus præstet, ut et nostrum frigus liquefiat, ut crystallum illud solvatur, et molle fiat. *Emittet verbum suum, et liquefaciet ea.* Da mihi peccatorem quem Dominus non respicit : non habere calorem, sed totum esse frigidum, et mortuum. Si ad sermonem Dei compunctus fuerit, et cœperit agere pœnitentiam, et durissimum cor illius emollitum fuerit, eo tempore completur : *Emittet verbum suum, et liquefaciet ea.* Emittit Pater : Verbum mittitur : ungit Spiritus sanctus. *Flavit spiritus ejus :* spiritu ferventes. Frigus non expellitur, nisi calore Spiritus sancti. Ubi sunt Eunomiani, ubi Ariani, ubi Macedoniani, qui dicunt Spiritum sanctum non numerari cum Patre et Filio? Deus Pater mittit : Verbum mittitur, et tamen plena sanitas non est, nisi Spiritus sanctus flaverit. *Flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.* Aquæ quæ ante duræ erant, molles fient. Qui ante justitiam audire, vel dare non poterat, iste nunc discipulus est. Quoniam autem multa locuti sumus, et quæ sequuntur, manifesta sunt : oremus Dominum, ut nostra duritia mollescat, et nostra peccata purgentur, ut efficiamur quasi ignis : ut et frigus diaboli, quodcumque est, in cordibus nostris, expellatur, et caleamus Spiritu sancto. Est quippe et malus calor. Omnes adulterantes, quasi clibanus corda eorum (*Osee* VII). Sed ille calor, calore Spiritus sancti expellitur. Cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLVIII.

Alleluia Aggæi, et Zachariæ. Iste psalmus duo alleluia habet in titulo, et hoc multi putant, quoniam in titulo sint psalmi posita. Scire autem debemus, quoniam unum alleluia de fine superioris psalmi est : aliud alleluia initium sequentis psalmi est. Et hanc regulam debemus accipere et scire, quoniam omnes Psalmi qui in principio habent *alleluia*, et in fine habeant. Multi autem putant, quoniam alterius psalmi principium sit. Non est ita, sed ille psalmus qui in principio habet *alleluia*, ipse et in fine habet. Hoc totum quare dixi? Ut sciatis quare in isto psalmo duo alleluia præposita sint.

Laudate Dominum de cœlis : laudate eum in excelsis. Ad laudem Dei, sola hominum natura non sufficit, jungantur et cœli. *Laudate Dominum de cœlis.* Non dixit, laudate, cœli; sed vos laudate, qui estis in cœlis, hoc est, qui habitatis in cœlis, throni, dominationes, potestates, seraphim, cherubim, et omne nomen quod nominatur, non solum in præsenti sæculo, sed in futuro. *Laudate Dominum de cœlis,* Qui estis in cœlis, qui estis in excelsis, *laudate eum in excelsis.* Excelsi, laudate excelsum. Non dixit humilibus et deorsum positis, laudate; sed vos qui in sublimi estis.

Laudate eum, omnes angeli ejus. Videte in quo gradu sunt angeli? Primum throni dicuntur. Throni, sedes. Non putemus cathedras esse, in quibus Deus sedeat : sed virtutes aliquas in cœlestibus; in quibus Deus sedeat semper, quasi in quadriga sua. *Laudate eum, omnes angeli ejus.* Qui angelus est, laudat : qui dæmon est, laudare non potest. *Laudate eum, omnes virtutes ejus.* Quia ad laudes Dei angelos provocavimus, et homo cunctarum virtutum nomen scire non potest, generaliter dico : *Laudate eum, omnes virtutes ejus.* Hucusque de invisibilibus : laudate eum, qui estis invisibiles. Invisibilia humanus oculus non potest intueri. Nunc venit ad creaturas quas oculis cernimus.

Laudate eum, sol et luna. Videte, gentiles : videte, Manichæi. Sol laudat, non laudatur. *Laudate eum, sol et luna.* Vos solem Deum dicitis. Ecce post quanta laudat. *Laudate Dominum de cœlis : laudate eum in excelsis. Laudate eum, omnes angeli ejus. Laudate eum, omnes virtutes ejus.* Deus vester in quinto gradu laudans ponitur. *Laudate eum, sol et luna.* Non dixit luna et sol : sed, *sol et luna.* Quod majus in lumine est, prius laudat. Videte ordinem visibilium. *Laudate eum, sol :* post solem, luna : post lunam, *omnes stellæ.* Non tantum lucifer : non tantum majores stellæ, sed minores pariter laudent Dominum. Dicat aliquis : Quomodo sol, et luna, et stellæ laudant Deum? In eo quod a suo officio et servitio non recedunt. Servitium ipsorum, laus Dei est. Grandem honorem habes, humana anima. Sol, et luna, et stellæ pro te currunt, pro te serviunt. Angeli, throni, dominationes non habent solem necessarium, non lunam, non stellas. Super solem enim et lunam sunt

in cœlestibus. Sol enim et luna, et stellæ propter nos sunt : nobis serviunt. Dicit et Apostolus : quod ipsa creatura congemiscit, et parturit in liberatione servorum Dei (*Rom.* VIII). Quando autem filii Dei assumpti fuerint, et ipsa creatura de hoc servitio liberatur. Dicat aliquis : Quomodo sol servit, et liberatur? Quomodo luna? Quomodo stellæ liberantur? Sol liberatur, ne Judæos videat : nec gentiles, nec blasphemantes Dominum suum. Videt parricidas, videt homicidas, et tamen servit imperio ejus qui jussit. Solem enim suum oriri facit super justos et impios (*Matth.* V). *Laudate eum, omnes stellæ et lumen.* Dicat aliquis : Quod est lumen sine sole, sine stellis, sine luna? Dicere possumus inter noctem et diem, vel inter diem et noctem, quod absque sole lucet : licet multi putent ipsum splendorem solis esse. Dicit igitur. *Laudate eum, omnes stellæ et lumen.* Ut quomodo de invisibilibus dixerat, *laudate eum, omnes virtutes ejus :* sic et de visibilibus dicat, laudate eum, omne quod lucet.

Laudate eum, cœli cœlorum. Plures cœlos dicimus. Denique Apostolus usque ad tertium cœlum raptum se esse dicit (II *Cor.* XII). Videte igitur quantus fulgor est, ut cœlum cœli sit. Et cætera quæ sequuntur, dixit de visibilibus.

Quia ipse dixit, et facta sunt. Dei jussisse fecisse est : ejus imperium fabrica est. *Quia ipse dixit, et facta sunt,* secundum illud quod in Genesi scriptum est : Et dixit Deus, et fecit Deus (*Gen.* I). Hoc est, dixit Deus Pater; fecit Filius. Dicat aliquis : Ergo major est ille qui jubet, et minor est iste cui jubetur. Dicunt hoc Ariani, dicunt hoc Eunomiani, et dicunt Macedoniani. Respondeo tibi secundum sensum tuum : O hæretice, dicis, major est Pater qui jubeat, et minor est Filius in eo quod jubeatur ab illo. Si hoc secundum sensum humanum accipis : responde mihi, quid est majus, jubere, an facere? Dico : fiat domus, et alius facit domum. Dicere nihil grande est, facere difficile. Major ergo ille qui facit, quam qui præcipit. Sed et hoc impium est : Non enim Filius major est Patre. Sicut enim hoc impium est de Filio contra Patrem credere, sic et illud impium est de Patre contra Filium credere. *Quia ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt.* Una natura jubet et facit. Deus jubet, et Deus facit. Jubet pictor, ut pingat pictor : et pictor pingit, quod pingi præceperat.

Statuit ea in sæculum, et in sæculum sæculi : præceptum posuit, et non præteribit. Grandis est hominis honor, et grandis infelicitas. Sol tibi currit, elementa tibi serviunt : et tu ignoras Creatorem tuum? *Præceptum posuit, et non præteribit.* Præceptum soli posuit. Ecce per tantos annos præceptum Dei numquam præteriit. Intantum non præteriit, ut cursus ejus ex humana observatione comprehensus sit. *Præceptum posuit, et non præteribit.* Lunæ præceptum posuit, ut per triginta dies crescat atque decrescat. Numquid cursus suos aliquando mutat? In cœlo præceptum Dei servatur, et in terra non servatur. Mari præceptum posuit, ut littora sua non egrediatur. Venit oceanus tumens fluctibus, et in se redit, et præceptum Dei meminit. Totus mundus Deo servit, et præceptum ejus meminit, et homo solus non meminit. Ideo dicimus, et in Oratione Dominica : Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra (*Matt.* VI). Sicut in cœlo angeli tibi serviunt, et creatura servit, ita serviat et homo. O infelix hominum genus! Descendit ad te Deus : quoniam tu ad cœlum non vis ascendere. Non tibi sufficit, quod non suscipis : sed occidis, crucifigis, blasphemas, flagellas? Non tibi sufficit, quod occidis, sed nec pœnitentiam agis quod occideris. Dixit de invisibilibus : dixit et de visibilibus, sed de visibilibus cœlestibus : nunc etiam de terra. Videte ordinem laudantis. Primum laudant invisibilia, deinde visibilia. Et ipsa visibilia, dividuntur in duo : in cœlestia et terrestria. Dixit de cœlestibus, nunc dicit de terrestribus.

Laudate Dominum de terra. Quoniam laudaverunt angeli, laudavit cœlum : laudet et terra. Videamus de terra qui prius laudent. *Dracones et omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus : montes et omnes colles, ligna fructifera, et omnes cedri, bestiæ, et universa pecora, serpentes et volucres pennatæ.* Post tanta quid dicitur? Post dracones, post serpentes, post ignem, post grandinem, post bestias, et universa pecora : o homo, qui tibi grandis videris, de te dicitur, et non de simplici homine, sed de his hominibus qui inter homines majores sunt.

Reges terræ, et omnes populi : principes, et omnes judices terræ. Deinde quid sequitur?

Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius, et cætera quæ sequuntur. O quanta in istis mysteria continentur! Laudaverunt cœlestia, laudaverunt invisibilia : nunc ad terrena descendit, et ad laudationem Dei, primum dracones et abyssi concitantur. Ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia (*Rom.* V). Qui primum draco eras, qui habebas venena serpentis : o tu qui primum abyssus eras, et tenebræ super abysso ferebantur (*Gen.* I). Videte quid dicat : Ubi dracones, ubi venena, ubi abyssus, ubi tenebræ? Ne desperes igitur. O tu qui draco eras, qui tenebrosus eras, et Deum laudare non audebas : age pœnitentiam, et statim converteris. Licet in Hebræo non habeat *dracones*, sed habeat THANNIM, quod interpretatur, *cete*. Dicitur autem cete infinitæ esse magnitudinis. Denique ipse cete in abyssis esse dicitur. Dicamus ergo primum secundum litteram. Videte quid dicat : Laudate ea quæ in mari sunt, et laudate ea quæ extra mare sunt. Dracones et omnes abyssi. A parte totum synecdochicos. Deinde sequitur : *Ignis.* Videte concordantem discordiam aquæ et ignis : simul laudant Deum. *Dracones et omnes abyssi.* Universa quæ nascuntur ex aqua, nascuntur ex igne, hoc est, ex humore, et calore; nec ignis solus generare potest sine humore, nec humor sine igne. Nihil est tam contrarium,

quam humor calori, et calor humori. Tamen voluntate Dei, hæc quæ inter se diversa sunt, in nostra nativitate concordant. *Grando, nix, glacies, et spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.* Multa sunt quæ dicantur, et in singulis immorari non possum. *Grando, nix, glacies, et spiritus procellarum.* Omnia quæ videmus in mundo, nobis serviunt. Serpentes, abyssi, ignis, grando, nix, spiritus procellarum videntur sine rátione esse : sed nobis serviunt. Die hesterna tempestas fuit, videbatur nobis esse contrarium : erat frigus : erat humor : erant pluviæ. Hoc quod ad horam nobis videtur esse contrarium, pro nobis est : fructum enim nobis parit. Vide enim quid dicit : Illa et illa quæ faciunt verbum ejus. Erubesce, homo. Serpentes, abyssi, nix, pluviæ, tempestas, verbum Dei faciunt, et tu non facis. *Montes et omnes colles.* Nec montes mutantur in colles, nec valles in montes : servant naturam suam. *Ligna fructifera, et omnes cedri.* Lignum vides quasi siccum amissis foliis : æstas cum venerit, tibi mittit germen : tibi fructus parturit. Lignum tibi fructum parit, et tu Deo fructus non paris. *Et omnes cedri.* Imitare cedrum. Cedri nituntur ad alta : quasi ad cœlum ire festinant. Et tu imitare ligna irrationabilia. *Bestiæ et universa pecora.* Non mutant naturam suam. Omnia stant in ordine suo, absque solo homine, cui omnia subjecta sunt. *Serpentes et volucres pennatæ.* Neque ea quæ in cœlo sunt, ad terram veniunt : sed ibi Deo serviunt. Dicat aliquis, secundum historiam loqueris : non dicis allegorice. Si secundum historiam dicis : quare primum abyssi, et nix, et grando, deinde ligna fructifera, et cætera irrationabilia laudant Deum, et ad extremum homo? Legamus Genesim, et secundum ordinem nativitatis, et creaturarum, ita videbimus cuncta laudare. Ibi enim scriptum est, primum eas animantes factas esse, quæ in aqua sunt : deinde ea facta quæ in terra sunt : deinde facta volatilia, et postea hominem unum fecit. Igitur sicut primum factum est : sic laudat Dominum. Sed alius sensus est : O homo, universa ista quæ dixi, cujus causa facta sunt? Bestiæ, serpentes, ligna fructifera, volucres pennatæ : hæc universa in eo laudant Deum : quia non mutant naturam suam. *Reges terræ, et omnes populi, principes et omnes judices terræ. Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius.* Omnis ætas, omnis sexus, omnisque potestas illum laudet : cui Pater evacuatis potestatibus, dedit nomen excelsum : nec quisquam sibi quo utitur, revocet, sed ei de quo et sequitur :

Confessio ejus super cœlum et terram. Quia juxta Apostolum, omnia ei confitentur : non solum cœlestia ac terrena, verum etiam et inferna (*Philipp.* II). *Et exaltavit cornu populi sui.* Ecclesiastici utique.

Hymnus omnibus sanctis ejus, filiis Israel populo appropinquanti sibi. His deputatur cœlestis hymnus, qui in eo sancti effecti sunt : qui eum mente conspiciunt : qui ejus fidei appropinquant : quos ab eo perversitas iniqua non separat : qui nos dignetur tradere in regnum Deo Patri, et conformes efficere claritati corporis sui : ut jam non ei locali et transitorio cantu, sed perpetuo, et immobili cœlestis stationis hymno, jugi modulatione canamus : quia ipsi est cum æterno Patre et Spiritu sancto honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLIX.

Iste psalmus lectus est, qui habet in principio :

Cantate Domino Canticum novum. Quia et nonagesimus quintus psalmus, et nonagesimus septimus eadem habent principia. Nonagesimus quintus psalmus hoc titulo prænotatur : *Psalmus David, quando domus ædificabatur post captivitatem*, id est, post pœnitentiam, domus Christi ædificatur. Quoniam igitur dixit primo : *Cantate Domino canticum novum*, et novus populus cantat canticum novum, et benedixit : nos ad reliqua curramus.

Lætetur Israel in eo qui fecit ipsum. Ille lætetur, qui sensu videt Deum. Israel enim hic interpretatur, sensu videns Deum. *Et filii Sion exsultent in regè suo.* Filii Ecclesiæ, filii novi populi, exsultent in rege suo, in Christo, qui regnat in eis. Videtis quomodo leviter summa quæque perstringimus.

Laudent nomen ejus in choro. Ubicumque chorus est, ibi diversæ voces in unum canticum congeruntur. Quomodo enim diversæ voces, hoc est, cum simul fuerint congregatæ, chorum Domini efficiunt.

Laudent nomen ejus in choro. Ubi dissensio est, ubi invidia, ibi chorus non est.

Laudent nomen ejus in choro : in tympano et psalterio psallant ei. Chorus iste canticum habet, et tympanum, et psalterium habet. Crucifigamus corpora nostra Christo, et tali tympano canamus Deo. In tympano et psalterio psallant ei. Tympanum non habet carnem, sed pellem. Et nos quamdiu carnei sumus, non sumus tympanum. Tympanum non est, nisi quod non habeat carnes : nisi quod tenditur. Tympanum non potest esse contractum, sed extensum. Et nos peccata non contrahant, sed justitia dilatet. Ad reliqua percurramus. *In tympano et psalterio psallant ei.* Quod *in choro* dicimus, hoc dicamus in psalterio. Psalterium proprie genus organi est musici, quod est quasi cithara. Similitudinem habet citharæ, sed non est cithara. Inter psalterium et citharam, hoc interest : Cithara deorsum percutitur : cæterum psalterium sursum percutitur, quod verbo vulgari dicitur polyphthongum. Hoc est ergo psalterium. Hic ergo præcipitur nobis, ut in cantico novo canamus Deo : non deorsum de cithara, sed desursum, hoc est, in psalterio.

Quia bene placitum est Domino in populo suo, et exaltavit mansuetos in salutem. Beati mites : quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* v). Si ergò ibi dicitur, beati mites, hoc est, mansueti : quoniam possidebunt terram, et hic dicitur *exaltavit mansuetos in salutem* : et isti mansueti hæreditate possidebunt terram : ergo ista terra non est deorsum, sed desursum est. Quid enim dicit? Exaltavit mansuetos in sa-

lutem. Si enim mansueti istam terram possiderent, A quæ deorsum est: non diceret, exaltavit.

Exsultabunt sancti in gloria. In qua gloria? exsurge, gloria mea, exsurge psalterium et cithara: exsurgam diluculo. In qua gloria? Necdum enim erat spiritus datus: quia Jesus necdum erat glorificatus (*Joan.* VII), hoc est, non erat crucifixus. *Exsultabunt sancti in gloria.* Hoc ergo dico: exsultabunt sancti in cruce. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi (*Galat.* VI). Ecce voce Apostoli prophetia completa est. *Lætentur in cubilibus suis.* Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Illud peccatoris est: illud pœnitentis est. Hoc vero quod dicitur: Lætabuntur in cubilibus suis, ad sanctos pertinet, ad justos pertinet. Quis de nobis in cubili suo lætatur? Quis non pugnat cum carne sua? Ego cum e lectulo meo vigilavero, non lætor, sed pugno: non regnum cœlorum suspiro, sed cum carne pugno. Incendium carnis rigo lacrymis, et exstinguo. Propterea dicitur: Lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo (*Psal.* VI). Lectulus meus qui ardet libidine, exstinguitur lacrymis. Felices isti, de quibus dicitur: Lætabuntur in cubilibus suis.

Exsultationes Dei in gutture eorum. Utique qui clamat, non in gutture clamat, sed in labiis. Et quomodo dicit, *Exsultationes Dei in gutture eorum?* Clamantes in cordibus nostris, abba, pater (*Rom.* VIII). Vox quæ clamat ad Deum, non est labiorum, sed cordis est. Denique dicit Dominus ad Moysen: Quid clamas ad me (*Exod.* XIV)? Certe Moyses nihil dixerat. *Et gladii ancipites in manibus eorum.* Istud, qui exsultant in cubilibus suis, de sanctis dicitur, de perfectis viris dicitur, quid habent aliud? Et gladios ancipites in manibus suis. Gladii sanctorum ancipites sunt. Legimus in Apocalypsi Joannis, quæ in Ecclesiis legitur, et recipitur (neque enim inter apocryphas Scripturas habetur, sed inter ecclesiasticas), dicitur ergo ibi de Domino Salvatore: Et gladius, inquit, ex utraque parte acutus egrediebatur de ore ejus (*Apoc.* I). Vides ergo quod isti sancti gladios istos ancipites, quos habent in manibus, de ore Domini susceperunt? Dominus ergo gladios de ore suo donat sanctis suis. Gladium ancipitem, hoc est, sermonem doctrinæ suæ. Gladium ancipitem, et secundum historiam, et secundum allegoriam, et secundum litteram, et secundum spiritum. Gladius iste anceps, duo capita habet, et de præsenti sæculo loquitur, et de futuro. Et hic occidit adversarios, et in cœlo aperit regna cœlorum. Gladios istos quare habent sancti?

Ad faciendam vindictam, inquit, *in nationibus.* O si ego gladium istum ancipitem habere possem, ut vindictam facere possem in nationibus: gentes possem interficere: Arium possem: Eunomium possem: Manichæum possem: universas hæreses possem! Et videte quid dicat: *Ad faciendam vindictam in nationibus.* Ut occidantur, et pereant? Non hoc dicit. *Increpationes in populis.* Increpat, ut salventur populi. Salventur, qui inducti sunt a malis magistris. Non autem possunt populi liberari, nisi magistri obligati fuerint. Unde sequitur:

Ad alligandos reges eorum in compedibus. Vis populum liberare? magistros liga. *Ad alligandos reges.* Non vocavit magistros, sed *reges.* Regnant enim in peccatis, et miseriis eorum. *Ad alligandos reges eorum in compedibus.* Bene dixit, *in compedibus:* ne magistri multum currerent: ne multos deciperent: sed colligentur et stent. *Et nobiles eorum in manicis ferreis.* Nobiles eorum videas inter hæreticos dicere: Iste vir doctus est: ille signa facit: iste dæmones ejicit. Sancti Domini, quia habent gladios ancipites, hoc est, duorum capitum, et de veteri, et de novo Testamento, ligant illos magistros, et præpediunt B pedes ipsorum, ne possint currere. *Et nobiles eorum in manicis ferreis.* Ligant, non occidunt; non interficiunt, sed ligant. Vinciunt manus, et captivos ducunt ad Ecclesiam vinculis ferreis. Catenæ istæ non fiunt, nisi de testimoniis Scripturarum: dum testimonium jungo testimonio. Si vis ut non rumpantur istæ catenæ, non sint simplices, sed hinc inde contextæ: Funiculus enim triplex non rumpitur. Hoc autem totum quare fit?

Ut faciant in eis judicium conscriptum. Quid est judicium conscriptum? Ut qui primum negaverant Deum, revertantur postea ad pœnitentiam. Judicium conscriptum, ut captivos suos solvant, ut quos ligaverant, et quos ab Ecclesia duxerant, in Ecclesia postea dissolvant. *Ut faciant in eis judicium conscriptum.* C Verbis simplicioribus loquor, hoc est, ut sic eos judicent, quomodo in Scripturis sanctis digestum est. *Gloria hæc est omnibus sanctis ejus.* Vere non gloria est, ubi est aurum, ubi est argentum, ubi gemmæ, ubi vestimenta sunt serica. Quicumque habet istos gladios, quid habet aliud necessarium? Vide quid dicit: *Gloria hæc est omnibus sanctis ejus.* Rogemus Deum, ut hanc habeamus gloriam: ut gladius de ore nostri Salvatoris egrediens, armet nostras manus. Qui hanc romphæam habet, sæculi gladium non timet. Rem vobis dico novam: Frequenter gladius istius sæculi concidit illum gladium. Frequenter evenit, ut sæculi gladius donet nobis illum gladium. Si enim istum timuerimus, illum non accipiemus. Gratias igitur agamus ei qui habet istum gladium, et D benedicamus eum in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CL.

Alleluia. Iste psalmus tertii quinquagenarii continet sacramentum, id est, quod primus per baptismum et pœnitentiam ad innocentiæ nos regenerat bonum: secundus, post judicium fructum innocentiæ comprehendit; tertius, expleta divinæ civitatis ædificatione, et consummata omnium sanctorum spe, ad æternam gratulationem laudationemque nos exhortatur. Ait enim:

Laudate Dominum in sanctis ejus. Qui eos post celebratum judicium, in æternitatis gloria collocabit. *Laudate eum in firmamento virtutis ejus.* Eo quod omni infirmitate sublata, firmamentum his æternæ virtutis invexerit.

Laudate eum in virtutibus ejus. Pro eo quod mortem immortalitate potentialiter consumens, incommutabilis vitæ eis tribuerit gloriam : quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (I *Cor.* II). *Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.* Quia multifario honore distinctas cœlestium corporum deputat mansiones, sicut Dominus ait : Apud Patrem meum multæ mansiones sunt (*Joan.* XIV).

Laudate eum in sono tubæ. In quo bello occisi vicerunt : conterente Domino Satanam sub pedibus eorum. *Laudate eum in psalterio et cithara.* Eo quod eis vel de cœlo canticum legis implere præstiterit : vel post mortificatam carnem (*Rom.* XVI), quæ cithara accipitur, in se vivificaverit.

Laudate eum in tympano et choro. In tympano, quod mortificatum corpus sit immortalitate donatum. In choro, quod choris sit angelicis sociatum. *Laudate eum in chordis et organo.* Quod per ciborum abstinentiam retortis visceribus, concupiscentiisque evictis carnalibus, digni inventi sunt regno Dei, ad concinendas divinas laudes.

Laudate eum in cymbalis bene sonantibus ; laudate eum in cymbalis bene tinnientibus. Impletur hæc laus in cymbalis bene sonantibus exsultantibusque, eo quod corruptione carnis sanguinisque depulsa, conformati ad imaginem Creatoris, omni plenitudine spei completa, sicut sol resplendeant in regno Dei Patris omnipotentis. *Omnis spiritus laudet Dominum.* In hoc ergo regno non caro, non sanguis, non corruptio, sed homo jam spiritualis totus effectus : Deum in spiritu (qui est spiritus) laudare non desinat. Qui nobis præstare dignetur, ut in hoc sæculo factores legis effecti, in hujus vitæ agone probati, et fideles inventi, spiritualibus ditati fructibus, his mereamur adjungi concinentibus. Ipsi gloria et imperium cum æterno Patre et Spiritu sancto, et in cuncta sæcula sæculorum. Amen.

SECUNDA EXPOSITIO SUPER PSALMUM CXIX.

Veniamus ad psalmum qui post centesimum decimum octavum psalmum lectus est. Centesimus decimus octavus psalmus (ut frequenter diximus) litteratus est, hoc est, alphabetites est : ab ALEPH enim incipit usque ad extremam litteram Hebræam, quæ Hebraice dicitur THAU. Et singuli versus, a singulis litteris incipiunt. Viginti duæ sunt litteræ Hebraicæ, et octoni versus a singulis litteris incipiunt. Verbi causa, ab *a* littera, quæ dicitur ALEPH, octo versus incipiunt. Rursum cum illi finiti fuerint, a secunda littera quæ dicitur BETH, alii octo versus incipiunt. Et in tertio illis finitis, ab altera quæ vocatur GIMEL, alii octo versus incipiunt. Ergo centesimus decimus octavus psalmus alphabetites est. Si volumus legere epistolam, non possumus legere, nisi prius sciamus litteras. Sic igitur et nos non possumus Scripturas cognoscere, nisi primum alphabetum noverimus. Centesimus ergo decimus octavus psalmus alphabetites moralis est, et instruit vitam nostram. Et quia nunc non est temporis de universo psalmo dicere, dicamus nunc de primo graduum psalmo, qui sic incipit :

Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me. Propterea autem vocantur graduum psalmi, ut frequenter diximus, quoniam gradibus quibusdam ad majora conscendimus. Nunc non est temporis de omnibus psalmis graduum disputare, et dicere, quomodo per singulos psalmos gradus fiant, ut ad summa veniamus. Interim dicamus nunc de primo gradu, relinquentes mysterium quare decimus quintus gradus dicatur ; eamdem enim rem frequenter dicere, tædium est audientibus. Unde et Apostolus quindecim dies se testatur fecisse apud Petrum in Jerosolyma, ut conferret utrumque Testamentum, et septenarium, et octonarium (*Galat.* II). Multa sunt quæ dicantur. *Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me.* Quicumque adhuc in imo gradu est, respicit altissimum graduum decimum quintum. Quicumque in quinto decimo fuerit, jam juxta templum est, et istud templum, cujus nunc ruinas videmus, offendit Dominum suum. Et quid dixit Dominus? Surgite, abeamus hinc (*Joan.* XIV). Et quid dicit in alio loco? Relinquetur vobis domus vestra deserta (*Luc.* XIII). Dominus egressus est, et templum corruit. Hoc igitur templum in circuitu quindecim gradus habet. Signa aliqua videmus : numerate, et videbitis ita esse ut dicimus. Levitæ igitur, et sacerdotes, unusquisque secundum ordinem stabat in gradibus. Verbi causa : Qui pontifex erat, stabat in primo gradu, hoc est, in quinto decimo gradu sursum. In secundo vero gradu stabant sacerdotes, et in ipsis sacerdotibus erat diversitas. In tertio rursum minores stabant. In quarto rursum stabant Levitæ. Et inter Levitas erat multa diversitas : quicumque erat extremus, ille in novissimo gradu erat. Considerate quoniam terrenum hoc templum, cœlestis templi figura est : Stella enim a stella differt in claritate : ita et resurrectio mortuorum (II *Cor.* XV). Felix qui in quinto decimo gradu in cœlesti Jerusalem, et in templo esse meruerit. Tamen quia illud grande est, et illud puto esse apostolorum, martyrumque sanctorum : nos oremus, ut saltem in ultimo gradu templi Domini esse mereamur. In diversis quidem stant gradibus, sed unum psalmum in laudes Domini canunt. Diversa loca sunt : sed una laus Domini. Hoc quod diximus de cœlesti Jerusalem, nunc interim in isto sæculo constituti, puto diebus omnibus exerceri. Alius nostrum in primo gradu est, non

desperet secundum; qui in secundo gradu est, non desperet tertium. Felices martyres, quorum multi de novissimo gradu, in primum gradum ascendere meruerunt. Qui vivit in isto sæculo, non potest statim de primo ad summum conscendere. Non debemus igitur contenti esse primo gradu, semper debemus ad majora conari. Nec qui in novissimo est, desperet primum; nec qui in primo est, debet esse securus: potest enim cadere in ultimum. Ego puto illud esse quod significat etiam Jacob scala, quando fugit Jacob Esau fratrem suum. Et venit, inquit, in Bethel, et dormivit ibi, et posuit lapidem ad caput suum (*Gen.* XXVIII). Videte ἀσκητὴν nostrum, fugiebat hominem crudelissimum, fugiebat fratrem, et auxilium invenit in lapide. Lapis ille Christus est: lapis hic his qui persecutionem patiuntur, auxilium est. Cæterum Judæis incredulis, lapis offensionis, et petra scandali (I *Petr.* II). Et vidit, inquit, ibi Jacob scalam erectam de terra usque ad cœlum, et in cœlo, inquit, Dominum. Et vidit, inquit, angelos ascendentes et descendentes. Videte quid dicat: Vidit angelos conscendentes: vidit Paulum conscendentem. Vidit angelos descendentes: Judas proditor corruebat. Vidit angelos ascendentes: sanctos homines de terra ad cœlum pergentes. Vidit angelos descendentes: diabolum et dæmones cum exercitu suo de cœlo præcipitatos. Grandis est difficultas de terris ad cœlestia conscendere. Facilius ruimus quam conscendimus, facile ruimus: in ascendendo grandis labor est, grandis sudor est. Si fuero in primo gradu, quantum mihi restat usque ad cœlum! Si fuero in secundo, si in tertio, si in quarto, si in decimo, quid mihi prodest nisi ad summum pervenero? Fac mihi istam scalam quindecim habere gradus: veni usque ad quartum decimum; nisi quintum decimum tenuero, quid mihi prodest quod ad quartum decimum veni? Et si ad quintum decimum venero et corruero, major ascensus, major ruina est. Simulque considera sacramentum: quia grandis labor est, et grandis sudor, de terris ad cœlum conscendere. Vultis scire qui sunt isti gradus? Qui est primus gradus? Ego puto primum gradum esse jejunium: adhuc enim juxta terram est: recedimus de terra, conscendimus: tamen adhuc de terrenis, et corporalibus cogitamus. Dicat aliquis: quid mihi prodest jejunium? ego quæro, ut anima mea pura sit apud Dominum: quanti non jejunant, et sancti sunt! Ego non hoc dico. Si Paulus apostolus castigabat corpus suum, et servituti subjiciebat: ne aliis prædicans, ipse reprobus inveniretur (I *Cor.* IX); si dicit: Video autem aliam legem resistentem legi mentis meæ, et ducentem me in captivitatem; et postea dicit: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus! si ille insidias corporis timet, nos securi sumus? Si ille dicit: Quando infirmor, tunc fortior sum: infirmitas corporis, sanitas animæ est. Hoc totum quare dico: Quia abstinentia primus gradus est, et non statim putemus quod si jejunaverimus, concendamus ad regna cœlorum. Jejunia nos non ducunt

A ad regna cœlorum: sed sine jejuniis, non conscendimus ad regna cœlorum. Sola non prosunt, cum aliis prosunt. Hoc totum quare dixi? Quia quasi fundamentum est ascendentibus ad majora. Secundus vero gradus est: sæculo renuntiare, nihil de sæculo quærere, terrena contemnere. Aliquis dicat: Et hoc facere secundus est? Ego dico secundum. Nihil est terrena dimittere: vitia animæ dimittere, grande est. Si enim jejunavero, hoc est, si fuero in primo gradu: si dimisero possessiones meas, hoc est, si fuero in secundo gradu, quid mihi prodest, si rixosus sum, si iracundus sum, si detractor sum, si invidus sum? Nihil grande est terrena dimittere: majora sunt vitia, quæ dimittenda sunt. Sed dicat aliquis, difficile est: grande est: durum est. Et ideo grande est, B quia difficile est: athleta non coronatur, nisi legitime certaverit. Nulli faciat desperationem, arduus ascensus est, difficilis est: desperatio nascitur. Noli desperare, o homo, in quinto decimo gradu Dominus supra est: intuetur te: dat auxilium. Si in primo gradu es, et videtur tibi grande esse spatium inter primum, et quintum decimum: noli respicere gradum, sed cœlum aspice. Et vide quid dicat. Non dixit: Vidi Dominum stantem in quinto decimo gradu: nos enim ad stantem, et erectum Dominum pervenire non poteramus; sed vide quid dicat: Vidi Dominum innitentem super scalam (*Gen.* XXVIII). Vide quid dicat de eo qui stabat: Incurvavit se, et humiliavit se, ut nos possemus ascendere. Dominus incurvus est propter te, humiliavit se: securus C ascende. Iste igitur, qui nunc in primo gradu est, non est in tribulatione: jam enim recessit de tribulatione, jam in primo gradu posuit pedem. Non enim dicit: Nunc tribulor, nunc clamo; sed quia in primo gradu est, refert quid passus est. Et quid dicit? *Ad Dominum cum tribularer, clamavi, et exaudivit me.* Antequam in primo gradu pedem ponerem, tribulabar, quia non poteram terrena dimittere. *Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me.* Videtur iste versiculus nihil habere intrinsecus. Versiculus parvus est: sed tres sensus habet in se pariter conglutinatos. Quid enim dicit? *Cum tribularer*, ecce unum, *clamavi*; et post clamorem quid? *et audivit me.* In uno versu prior tribulatio, clamatio, exauditio. Non dixit: Quando securus eram, quando lætus D eram, clamavi, sed quando tribulabar, clamavi. Petitis, inquit, et non exaudimini: quia negligenter petitis (*Jac.* IV). *Ad Dominum cum tribularer, clamavi, et exaudivit me.* Quid me exaudivit? Fecit me stare in primo gradu? verum ad comparationem quinti decimi gradus, quid est esse in primo gradu? Dimisi terrena, necdum ad alta conscendi: ergo non debeo esse securus, in cæteris gradibus debeo auxilium Dei postulare.

Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa. Dicit, hoc, de omnibus hæresibus. Dicit de Judæis, dicit de Arianis, dicit de Manichæis, dicit de cæteris hæresibus. Quando dicit Arianus: Pater major, Filius minor, quid dicemus nos? *Domine, li-*

bera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa. Quando dicit Manichæus, et similis Manichæorum: Dominus non resurrexit in corporis veritate, et ut scias non fuisse verum corpus, clausis ingressus est ostiis (*Joan.* xx), nos quid dicemus? *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa.* Majora vulnera sunt linguæ, quam gladii. Gladius interficit corpus, animam non interficit. Lingua mala res est, malum magnum : modicum quidem membrum, sed magna exulcerat. Quanta mala habeat lingua, legite Epistolam sancti Jacobi (*Cap.* III). Lingua nihil medium habet; aut grande malum est, aut grande bonum. Grande bonum, si Christum Deum confitetur; grande malum, si Christum Deum negat. Ergo ne putet aliquis et dicat interim, opere non peccavi : si peccavi, lingua peccavi. Quod est majus peccatum, quam blasphemia in Deum? et tamen lingua peccat. Diabolus cur de cœlo cecidit? quia furtum fecit? quia homicidium fecit? quia adulterium commisit? Et hæc quidem mala sunt, sed diabolus non propter hoc cecidit, sed propter linguam suam cecidit. Quod enim dixit : In cœlum ascendam, super sidera cœli ponam thronum meum, et ero similis Altissimo (*Isa.* XIV). Non ergo putent monachi se debere esse securos, et dicant interim : Grandia crimina non facimus in monasterio, non adulteror, non furtum facio, non homicidium facio, non parricidium facio, et cætera quæ grandia vitia sunt. Grande scelus est, quando detraho fratri meo, lingua mea fratrem interficio. Qui enim odit fratrem suum, homicida est (*Joan.* III). Videte quid dicat Salomon : In manu linguæ, mors et vita (*Prov.* XVIII). Videte quid dicat : In manu linguæ. Vides quantum malum sit lingua : et manum habet. Quid enim dicit? In manu linguæ. Grande vitium est detrahere fratribus, tacere non posse, circuire cellas, aliis detrahere. Ego peccator sum : Iste peccator est, quid ad te? Teipsum considera ne cadas. Quid in alterius ruina exsultas? Numquid si ego cecidero, tu stabis? Licet ruina mea sit, ruina fratris, timor tuus esse debet, non exsultatio. Ille cecidit; lætaris, an tristis es? Responde mihi : Frater cecidit; aut lætus es, aut tristis. Si lætus es, utquid in alterius ruina lætus es? Si autem tristis es, quid circuis? quid aliis narras? tristitiam tuam Deus videat, et ipse frater sentiat, non fratrum aures audiant. *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa.*

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, ad linguam dolosam? Spiritus sanctus respondet prophetæ dicenti : *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa : quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, ad linguam dolosam?* Respondet ei, et dicit, tu qui dicis : *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa*, quid tibi vis dari? Et postquam datum tibi fuerit, quid tibi rursum apponi vis ad linguam dolosam? Videte quid dicat : Non dixit, contra linguam dolosam, sed, *ad linguam dolosam.* Si dixisset, contra linguam dolosam, videretur de adversario dicere. Videte quid sit sacramentum Prophetæ, immo sancti in primo gradu constituti. Dico simplicius, propter simpliciores. Quid dicit? *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa.* Verbi causa, a labiis adversarii mei, qui mihi detrahit. Sed Dominus aliud respondet. Et quid dixit? Non dixit, quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, contra linguam dolosam? hoc est, non dixit, quid desideras tibi fieri contra adversarium tuum? Sed quid dicit? *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, ad linguam dolosam?* Non dixit, contra linguam : sed, *ad linguam.* Videte quid dicat *ad linguam dolosam :* ad tuam linguam, non adversarii. Si enim adversarius tibi detrahit, nihil tibi nocet : tu te interficis, si alii detrahas. Verbi gratia : Si detrahat mihi frater, mihi quid nocuit? Si dicat me homicidam, si dicat me adulterum, si sceleratum, si mendacem, mihi quid nocuit? E duobus enim unum est : aut verum dicit, aut mentitur. Si verum dicit, non mihi illud nocet quod ille dixit : sed quia vere ego feci. Si autem mentitur, mendacium ipsius non mihi nocet : sed interficit animam loquentem. Infelices sumus, miseri sumus. Quando aliquem habemus inimicum : dum putamus quod contra ipsum facimus, contra nos facimus. Detrahimus illi, huc illucque circuimus, omnibus dicimus de eo : putamus quod illi noceamus? Illi non nocemus, sed nostras interficimus animas, quod mentimur. Os enim quod mentitur, occidit animam (*Sap.* I). *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, ad linguam dolosam?* Quasi bonus medicus, qui dicit : ad hanc infirmitatem, ad hoc vulnus, quid tibi vis imponi : quod tibi vis emplastrum imponi? Quomodo si dicat aliquis ad vulneratum aliquem : *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi*, ad vulnus quo doles? Interrogat Dominus, non quod ignoret, sed quod iste qui rogabat, sciat quomodo rogare debeat.

Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis. Sagittæ potentis acutæ. Nunc respondet ad Dominum, quid petat. Quia dixerat Dominus : *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi?* Nunc iste dicit, quid petat : Domine, hoc peto : sagittas potentis acutas, cum carbonibus desolatoriis. Videte quid dicat. Venenum linguæ meæ, et detractionem meam, nulla res potest foras projicere : nisi sagittæ tuæ, quæ solitudinem faciunt linguæ meæ. Lingua mea tumet, venenum habet intrinsecus : nisi sagittis tuis compuncta fuerit, et percussa, venenum non egreditur. Debemus exemplum dare : si quando in corpore vulnus est, et in ipso vulnere jam putridæ carnes sunt, et cancer est, et fuerit pus intrinsecus; nisi apertum fuerit, non egreditur pus. Et si egressum fuerit pus, nisi cauteriatum fuerit, rursum renascitur pus. Vide igitur quid dicat : Quia tumet lingua mea, et pus habet, et venenum habet, primum sagittis vulnera, ut pus possit exire : deinde carbones tuos, et ignem pone, ut quidquid malum fuerit, excoquat, et desertum faciat. Vide igitur, quid dicat : *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.* Utinam detur nobis iste carbo desolatorius. Utinam et nos dicamus : Nonne cor nostrum erat ardens in via, cum

aperiret nobis Scripturas (*Luc.* XXIV). Dicit et Isaias A ad Babylonem : Habes carbones ignis, sedebis super eos : hi erunt tibi in adjutorium (*Isai.* XLVII). Et Apostoli antequam acciperent Spiritum sanctum, habebant in lingua sua adhuc aliquos tumores humanos; propterea Spiritus sanctus descendit in specie ignis in linguas eorum (*Act.* II), ut quidquid puris habebant, Spiritus sanctus decoqueret. Dicamus et aliud exemplum : Isaias cum vidisset Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum, quid dicit? Væ mihi misero, quia compunctus sum, quia labia immunda habeo, et in medio populi immunda labia habentis, ego sedeo (*Isai.* VI). Vide, quid dicit? Væ mihi misero, quia immunda labia habeo. Et postea quid dicit? Quoniam labia habebat immunda, propterea mittitur unus de Seraphim, et tollit carbonem ignis B de altari, et tangit labia ipsius et linguam, et purgat eam. Et quid dicit? Ecce hoc tetigi labia tua, et mundavi linguam tuam. Et statim quid dicit? Quem mittam ad populum istum, et quis ibit? O mysteria Scripturarum! quamdiu habebat linguam dolosam, et labia immunda, non ei dicitur, quem mittam, et quis ibit? mundantur labia ipsius, et statim mittitur ad loquendum. Ergo qui labia immunda habet, non potest prophetare, non potest mitti in obsequium Dei. *Cum carbonibus desolatoriis.* Utinam præstetur nobis et ista solitudo, ut quodcumque malum est, tollat de lingua nostra : ut ubi spinæ sunt, ubi vepres sunt, ubi urticæ sunt, mittatur ignis Domini, et universa exurat, et fiat solitudo Christi.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! Hoc C sanctus dicit, qui corpus non desiderat, qui terram non quærit, qui cœlum cupit. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Quando ægrotamus ; quando febricitamus : quando suspicamur nos mori ; quando jactamus brachia ; quando timemus ; quando commeatum petimus, istum versiculum non possumus dicere. Iste sanus erat, non ægrotabat, et quid dicebat? *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est.* Quamdiu enim sumus in tabernaculo corporis hujus, peregrinamur a Domino (II *Cor.* V). *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Incolatus meus :* Non dixit, habitatio mea, sed *incolatus meus :* in sæculo enim præsenti non habemus habitationem, sed peregrinationem. Unde et Apostolus dicit : Quasi advenæ et peregrini. Advena ego sum, et pe D regrinus (I *Petr.* II). *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Quo dicit, hoc est : Infelix ego quamdiu sum in isto corpore. Quis nostrum hoc potest dicere? Si octogenarii fuerimus, timemus mori; et si centenarii sumus, et ægrotamus, tamen commeatum et spatium postulamus. Hoc totum quare facimus? Quia peccatorum nos conscientia remordet. Scimus enim, quia si recedamus de corpore, non imus ad Christum, sed ad gehennam. Apostolus quid dicit? Cupio dissolvi, et esse cum Christo (*Philipp.* I). Da mihi securitatem : quia post mortem futurus sum cum Christo : etiam nunc mori cupio. Ergo iste quia sanctus est, propterea dicit : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Habitavi cum habitantibus Cedar. Cedar* in lingua nostra interpretatur, *tenebræ.* Vide ergo quid dicat : In quo loca sumus : in quali mundo sumus? *Habitavi cum habitantibus Cedar.* Diu fui in tenebris : diu vixi in tenebris : diu fui in corpore mortis hujus. *Multum incola fuit anima mea.* Vide sanctus quid dicat : Et si decem annos vixi, multum incola fuit anima mea. Quæ enim beatitudo est, ad comparationem cœlestium, esse in terrenis? Multa sunt quæ dicantur : sed jam ad finem festinat oratio.

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus : cum loquebar illis, impugnabant me gratis. Infelices nos, linguam nostram continere non possumus non detrahere : si nos aliquis offenderit, quasi vultum ostendimus pacatum, cæterum cor habet venenum. Monachi dicimur, et licet non simus quales esse debemus, tamen dicimur. Hora tertia oramus : hora sexta oramus : nona, lucernarium facimus : media nocte consurgimus : deinde gallicinio oramus. Videte quibus horis semper ad obsequium Dei suscitamur. Videte quid dicat, hora tertia, sexta, nona, lucernarium, medio noctis, gallicinio, mane primo. Hoc totum facimus, et non consideramus, quia si inimicitias habet anima nostra contra fratrem, sine causa oramus. In Evangelio enim quid dicitur? Si offers munus tuum ad altare, et recordatus fueris ibi, quod aliquid frater tuus habet adversus te (*Matth.* V). Videte quid dicat : Non dixit, si habes aliquid contra fratrem tuum; sed, si aliquid frater tuus habet contra te. Rem quasi injustam videtur nobis imponere; si enim dixisset, si habes aliquid contra fratrem tuum, in nostra erat potestate quod habebamus. Nunc vero quid dicit? Si recordatus fueris, quod aliquid habet frater tuus adversus te. Respondeo ei : Domine, non est hoc in mea potestate, si frater meus habet aliquid contra me, ego nihil habeo contra eum. Si ille habet contra me, ad me quid pertinet? Et quare non vis suscipere munus meum, et dicis, si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quod frater tuus aliquid habet contra te : dimitte munus tuum, et vade prius reconciliari fratri tuo, et sic offeras munus tuum? Ecce ego nihil habeo; si ille habet, ad me quid pertinet? Respondet tibi Dominus : Et quid dicit? Male serve, intelligo animum tuum : Nihil habes contra fratrem tuum? nihil habes? amas illum? Quare ergo salvari eum non vis? Si amas illum, vade, roga eum ne ille contra te habeat, ut salvari possit. Sed ostendis quia non diligis eum; quia salvari eum non vis; vade, roga eum, mitte te ei ad pedes ejus, diebus et noctibus deprecare, dicito : munus meum dimisi ad altare, propter te victimas offerre non possum. Ille compungitur, et quid dicit? Si iste qui me rogat, non offert munus suum, ego qui rogatus sum, et non ignosco, quid facturus sum? Propterea dicit et Apostolus, ut inimicis nostris manducare demus, et bibere (*Rom.* XII). Et quid dicit? Hæc enim, inquit, faciens, carbones ignis congregas super caput ejus. Dicat aliquis, hoc

inimici faciunt; ideo bene faciunt adversario, ut carbones ignis congregent super caput ejus. Sed aliud dicitur : si tibi ille male fecerit, et tu ei bene feceris, carbones ignis congregas super caput ejus, hoc est, mundas vitia ejus, et excoquis malitiam ejus, ut ad pœnitentiam convertatur. Videte ergo quid dicat sanctus propheta. *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus*. Non dixit, qui volebant pacem : sed, *qui oderunt pacem*. Illi oderant pacem, et ego amabam eos qui oderant pacem. Ideo dicit et Apostolus: Quantum ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes (*Rom*. XII). Rogemus fratrem. Si inimicus noster est, rogemus et bis, et ter, et septies. Tamen et si peccaverit frater meus, quotiens dimittam illi, septies? Dico tibi, non septies, sed septuagies septies, hoc est quadringenties nonagies (*Matth*. XVIII). Si voluerimus computare de mane usque ad vesperam, tanta peccata facere non possumus, quadringenta nonaginta. Tamen quid dicit Dominus? Si septuagies septies peccaverit in die, et conversus rogaverit te, dimitte ei. Sed dicis, non ex toto corde convertitur, mentitur. Nos dimittamus Deo judicium; rogat me, deprecatur, non dicit hoc vere, Deus novit : Ego vocem audio, Christus cor intelligit : ego suscipio quod audio, suscipiat Christus quod novit. Deinde vide mercedem tuam : mentitur ille, tu verum suscipis; illius interfectio est, tua salus est. Hoc totum quare locutus sum? Quoniam in monasteriis, et maxime in cœnobiis, solent esse ista vitia. Non erubescimus, non dolemus: dimisimus matres, dimisimus patres, dimisimus fratres, dimisimus sorores, dimisimus uxores, dimisimus filios, dimisimus patrias nostras, dimisimus domos, dimisimus cellulas nostras, dimisimus cellas, in quibus nati sumus, et nutriti, et dimisimus servulos, cum quibus nutriti sumus : venimus in monasterium, et propterea hæc dimisimus omnia, ut propter rem frivolam rixam cum fratribus faciamus in monasterio? Dimisimus possessionem, dimisimus patriam, dimisimus sæculum, et propter calamum rixam facimus in monasterio? Si verbum amarum audiero, ferre non possum : æstuat in corde meo; scribitur in medullis meis diebus decem aut quindecim, non potest tolli de corde meo, loquor fratri meo, qui mihi injuriam fecerat, et pacem labiis promitto, et corde venenum teneo. Frequenter et oculi et vultus, mentis indicium sunt. Quando cor nostrum vulneratum est contra aliquem, non possumus eum aspicere rectis oculis : vultus ipse et oculi, quasi speculum animæ nostræ sunt. Quid dicit Scriptura? Et non poterant loqui ei quidquam pacificum (*Gen*. XXXVII), non poterat lingua mentiri, quod cor intus non continebat. Hoc igitur dico, vobis ipsis et mihi, neque enim ad hoc prædico, ut quasi me securum faciam : occasio istius versiculi compulit nos ita dicere. Grande malum est lingua. *Domine, libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa*. Non ab alterius lingua, sed a mea lingua libera. Nihil mihi nocet lingua alterius : mea lingua mihi inimica est. *Domine, libera animam meam :* Me libera a lingua mea, lingua mea gladius est : interficit animam meam. Puto quod inimico meo noceam, et nescio quod meipsum occido. Pugnant adversarii, quando loquor illis, et ego pacifica loquor. Illi habeant inimicalem animum, nos vero habeamus pacificalem animum, siquidem scriptum est et in Paralipomenon : Et egressi sunt, inquit, filii Israel ad pugnandum mente pacifica. Aliquis vadit ad pugnam, et mentem pacificam habet: sed Christianorum arma, pax est : pax Christi, quæ exsuperat omnem sensum (*Philip*. IV). Beati pacifici : non solum qui pacem faciunt inter rixantes, sed qui in seipsis pacem faciunt. Beati pacifici. Si alii rixam faciunt, et ego medius intercedam, et faciam inter eos pacem, et ipse non habeam pacem in mente mea : quid mihi prodest quod illi pacem fecerunt? Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur (*Matth*. V). Beati pacifici qui loquuntur his qui oderant pacem, pacifica. Beati pacifici. Christus pax est. Si enim Salomon interpretatur, Christus: Salomon autem interpretatur, *pacificus :* ergo Christus Deus noster, pax est. Vadens ad cœlum, nobis vexillum dimisit, dicens : Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis (*Joan*. XIV). Servemus quod Christus donavit : habeamus pacem : Servemus pacem, et illa nos servat in Christo Jesu : cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

LIBER
DE EXPOSITIONE PSALMORUM.

PROŒMIUM.

Psalterium ita est quasi magna domus, quæ unam quidem habet exteriorem [a] clavem in porta : in diversis vero intrinsecus cubiculis proprias claves habet. Licet amplior una clavis sit grandis portæ Spiritus sanctus; tamen unumquodque cubiculum proprias habet claviculas suas. Si quis igitur clavem

[a] Ex Origene sumpta comparatio, quam ipse præf. Comment. In psalmos ab Hebræo quodam traditam proponit, tametsi ad universam Scripturam aptet. *Dicebat enim*, inquit, *ille similem esse universam Scri-*

confusam de domo projiciat, si voluerit aperire cubiculum, non potest, nisi clavem invenerit. Sic singuli psalmi quasi singulæ cellulæ sunt, habentes proprias claves suas. Grandis itaque porta istius domus primus psalmus est, qui ita incipit:

PSALMUS PRIMUS.

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. Quidam putant istius psalmi clavem super Christi Domini nostri personam esse referendam : ut beatus iste vir secundum hominem Christus sit. Bona quidem voluntas, sed imperitia est. Si enim beatus vir Christus est, et Christus legem dedit, quomodo nunc de Christo dicitur : *sed in lege Domini voluntas ejus?* Deinde quomodo ligno alteri comparatur, et dicitur : *Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum?* Si enim ligno comparatur, omne autem quod comparatur, minus est ab eo cui comparatur, ergo majus lignum quam Dominus, qui ligno comparatur. Videtis igitur quia super Domini persona non potest interpretari psalmus. Sed generaliter de quolibet justo viro dicitur : licet multi putent [a] de Joseph dictum esse, illo ab Arimathia, qui non abierit in consilio Judæorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra Pharisæorum non sedit : tamen nos quod alii specialiter in illo interpretantur, generaliter in viro justo interpretamur. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.* Legimus in Genesi maledictum fuisse Adam quando dicitur, *maledicta terra in operibus tuis* (*Gen.* III, 17). Maledictio ergo primi hominis nunc benedictione solvitur. Quasi in vetere Lege una beatitudo ponitur : cæterum in Evangelio octo simul beatitudines nuncupantur (*Matt.* V). *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. Beatus vir,* non homo; sed *vir :* vir qui in perfectum virum pervenerit Christum, qui non abiit in consilio impiorum. Tria hominum generalia peccata descripsit : aut enim cogitamus, aut facimus, aut docemus. Primum cogitamus; deinde cum cogitaverimus, cogitationem in opera vertimus : cum fecerimus aliquid jam operis, fit etiam, ut alios doceamus quod ipsi feceramus. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum,* qui non cogitavit malum : *et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit.* Hoc est, qui nec alios docuit, *et in via peccatorum non stetit.* Difficile est ut aliquis non peccet. Denique dicit et Joannes et Evangelista : *Quia qui negat se peccatum fecisse, mentitur, et mendax est* (I *Joan.*, I, 8). Si ergo omnes peccamus, nemo autem beatus nisi qui non peccat : igitur quia omnes peccamus, nemo beatus est. Sed videte quid dicat, *et in via peccatorum non stetit;* non dixit, beatus vir qui non peccavit, sed beatus vir qui in peccato non perseveraverit, et in via peccatorum non stetit. Ego heri peccavi, non sum beatus. Si non stetero in peccato, si retraxero me, jam beatus sum. *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.* Quomodo ibi dixit, *stetit,* sic et hic, *sedit :* sicut ibi qui non perseveravit in peccato, beatus est : sic hic qui in doctrina mala non perseveravit et sedit, beatus est. Quid igitur? videtis ipsi, quomodo beatitudo tripliciter condonatur : si non cogitemus mala, si in peccato non perseveraverimus, si non doceamus ea quæ mala sunt. Hoc est quod dicit propheta : *Super tribus et quatuor peccatis non* [Al. *si*] *convertam eam, dicit Dominus* (*Amos* I, 9). Hoc octies dicit, Amos autem hoc loquitur. Id est cogitasti, ignovi : fecisti, ignovi : numquid mala etiam docere debeas? Hoc est quod dicitur : super tribus et quatuor peccatis non irascatur tibi, dicit Dominus. *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Dixit tria quæ facere non debuit, non abire in consilio impiorum, et in via peccatorum non stare, et in cathedra pestilentiæ non sedere : Dixit tria quæ facere non debemus : dicit duo quæ facere debeamus; non enim sufficit nobis mala fugere, nisi consequamur bona.

Sed in lege Domini voluntas ejus. Non dixit timor, sed, *voluntas ejus;* multi enim timore faciunt, sed timor facientis mercedem non habet. *Sed in lege Domini voluntas ejus,* ut velit facere quod Dominus imperavit. *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte :* Non potest sermo explicare quantum mens concipit. *Sed in lege Domini voluntas ejus.* Dicit aliquis : Ecce ego volo legem Dei facere, beatus ergo sum quia volo; sed vide quid sequatur : non sufficit velle legem Dei, sed, *in lege ejus meditabitur die ac nocte. Meditabitur die ac nocte.* Dicat aliquis : hoc humana natura non suffert, nam et ambulandum est, et bibendum est, et comedendum est, et dormiendum est, et ea quæ ad vitam necessaria sunt, comparanda. Quomodo in lege Dei meditabitur die ac nocte? maxime cum dicat Apostolus, *Sine intermissione orantes* (I *Thess.* V, 17). Numquid eo tempore quo dormio, orare possum? Meditatio ergo legis non in legendo est, sed in faciendo. Denique dicitur in alio loco : *Sive manducatis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia in nomine Domini facietis* (I *Cor.* X, 31). Si porrigo eleemosynam, legem Dei meditor : si ægrotantem visito, pedes mei legem Dei meditantur : si ea facio quæ præcepta sunt, quod alii ore meditantur, ego corpore meditor. Judæi igitur ore meditantur, nostra meditatio opus est. Dixit igitur tria quæ facere non debemus, dixit duo quæ facere debeamus : qui hoc fecerit, præmii quid merebitur?

Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus

pluram divinitus afflatam propter obscuritatem, quæ in ea est, multis domiciliis uno ædificio conclusis ; unicuique domicilio appositam clavim non ipsi convenientem, sicque dissipatas esse claves per domicilia, non respondentes singulas iis domiciliis, quibus appositæ sunt, etc. Quæ Judæi Commentatio etiam S. Hilario prologo in psalmos probatur.

[a] Verus Hieronymus Commentat. in Matthæum cap. ultimo : *In alio,* inquit, *Evangelista Joseph iste* Βουλευτής *appellatur, id est, consiliarius, et de ipso quidam putant primum Psalmum esse compositum, Beatus vir qui,* etc. Item Commentarius in Psalm. sub nomine Athanasii in Bibliotheca Justiniana Venetiis, inque Ambrosiana Mediolani, prorsus diversus ab edito, cujus initium, ἡ μὲν προφητεία πληροῦται εἰς τὸν Ἰωσὴφ τὸν Ἀρημαθαῖον.

decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium ejus non defluet. Mihi simpliciter interpretantur qui dicunt, quomodo lignum si plantatum fuerit juxta aquas, necesse est ut vireat, et non siccatur, quia habent radices ipsius humorem unde vivant, sic quicumque legem Dei meditatur, ipsa legis meditatio virorem et facit, et vitam. Hoc illi simpliciter interpretantur; nos autem spiritualibus spiritualia comparantes, legentes in paradiso plantatum esse lignum vitæ, et lignum scientiæ boni et mali, et lignum vitæ hoc plantatum esse in paradiso, et de ipso paradiso egredi fontem qui dividatur in quatuor principia (*Gen.* II). Legimus et in Salomone (si cui placet Librum recipere), de sapientia enim ibi loquitur : Christus Dei virtus, et Dei sapientia (I *Cor.* I, 24) : ergo ubi Salomon loquitur : *Lignum vitæ est omnibus comprehendentibus eam* (*Prov.* III, 18), ibi de Sapientia dicitur. Si autem sapientia lignum vitæ est, sapientia autem ipsa Christus est. Vides ergo quoniam qui beatus vir et sanctus est, huic ligno, hoc est sapientiæ comparatur. Videtis ergo quoniam beatus vir et justus iste qui non abiit in consilio impiorum, qui non fecit illa, et fecit ista, *et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.* Hoc est Christo similis erit, siquidem consedere nos fecit in cœlestibus, et conregnare (*Ephes.* II, 6). Videtis ergo quia cum Christo regnabimus in cœlo. Videtis quoniam lignum hoc plantatum est in paradiso, et nos omnès cum illo complantati sumus.

Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. De illo enim fonte procedunt omnia flumina, *quod fructum suum dabit in tempore suo.* Lignum hoc non omni tempore dat fructum, sed, *in tempore suo.* Lignum hoc non dat in præsenti sæculo, sed in futuro, hoc est, in die judicii. Lignum hoc nunc flores habet, lignum hoc nunc germinat, et promittit fruges futuras. Lignum hoc habet duo, habet et fructus, habet et folia. Fructum habet, sensum in Scripturis : folia, verba simplicia; fructus in sensu est, folia vero in verbis sunt. Quicumque igitur Scripturas sanctas legit, si secundum Judæos legit, tantum folia intelligit; si vero spiritualiter intelligit, fructus capit.

Et folium ejus non defluet. Tamen et folia istius arboris utilia sunt. Denique si quis et secundum historiam intelligit, utilitatem habet animæ suæ. Legimus in Apocalypsi Joannis (qui in istis provinciis non recipitur liber : tamen scire debemus quod in occidente omni, et in aliis Phœnicis provinciis, et in Ægypto recipitur liber, et ecclesiasticus est, nam et veteres ecclesiastici viri, e quibus est Irenæus, et Polycarpus, et Dionysius, et alii Romani interpretes, de quibus est et Cyprianus sanctus, recipiunt librum et interpretantur), legimus ergo ibi : *Et ecce,* inquit, *vidi thronum positum, et agnum unum, et arborem,* inquit, *secundum flumen, et ex utraque parte ripæ ipsam arborem* (*Apoc.* XXII). Hoc est, ex ista parte erat et ex illa parte erat. *Et habebat,* inquit, *fructus ipsa arbor, et in anno, mensibus singulis duo-*

A *decies fructus afferebat, et habebat,* inquit, *folia, et folia ejus ad sanitatem gentium erant.* Vidi, inquit, thronum positum unum : licet enim credamus in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, et Trinitas sit, tamen regnum unum est. Vidi, inquit, thronum positum unum, *et vidi,* inquit, *in conspectu throni stantem unum agnum.* De assumptione dicitur corporis Salvatoris : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et egrediebatur,* inquit, *fons de subtus medio throni.* Videtis igitur quoniam de medio throni fons egreditur gratiarum. Tamen non egreditur fons ille de throno, nisi agnus contra steterit. Nisi enim crediderimus incorporationem Christi, non accipimus istas gratias. Et arbor, inquit, una excelsa posita erat. Non dixit arbores, sed arbor una. Si arbor una

B est, quomodo ex ista parte ripæ est, et ex illa parte ripæ est? Si enim dixisset, vidi arbores, fieri poterat ut aliæ essent ex alia parte, et aliæ ex alia. Nunc vero una arbor ex utraque parte esse dicitur; unus fluvius egreditur de throno Dei, hoc est, gratia Spiritus sancti. Et ista gratia Spiritus sancti in Scripturis sanctis est, hoc est, in isto fluvio Scripturarum. Tamen iste fluvius duas ripas habet, et vetus et novum Testamentum. Et in utraque parte arbor plantata, Christus est. Hæc igitur arbor in anno, hoc est, singulis mensibus, duodecies fructus afferebat. Non possumus enim fructus de ista arbore accipere, nisi per apostolos. Si quis ergo per apostolos ad arborem venerit, necesse est ut fructus accipiat, fructus metat de Scripturis sanctis, hoc est, sensum divinum

C in littera commorantem. Si quis ergo venerit ad istam arborem per apostolos, fructus ejus capit; si quis vero non potuerit, adhuc infirmior est, necdum est discipulus, sed de turba est, sed deforis est, sed gentilis est. Qui fructus capere non potest, verba capiat, hoc est, folia ad sanitatem gentium : scriptum est enim : *Et folia ejus ad sanitatem gentium.* Si quis adhuc de gentibus est, si quis discipulus non est, et adhuc de turba est, iste folia ipsius accipiat, hoc est, verba simplicia accipiat pro medicamento. Denique scriptum est, folia ejus ad sanitatem gentium, hoc est, ad medicinam. Hoc totum quare diximus, et excessimus ad Apocalypsim? Quoniam scriptum est, quod *fructum suum dabit in tempore suo, et folium ejus non defluet, et omnia quæcumque*

D *faciet, semper prosperabuntur.* Diximus de beatitudine justi viri, diximus de præmio ejus. Quoniam qui tria non fecerit, et duo fecerit, ligno paradisi, hoc est, Christi sapientiæ comparatur. Diximus ergo de sancto viro, nunc de contrario viro videamus. Quid de peccatore et impio dicitur?

Non sic impii. Illa universa genera præmiorum quæ de justo diximus, impius non accipiet. *Non sic impii.* Non dixit, non sic peccatores; si enim de peccatoribus dixisset, omnes alieni eramus. *Non sic impii.* Inter impium et peccatorem hoc interest : qui impius est, negat Deum : qui peccator est, confitetur et peccat. *Non sic impii.* In quibusdam legitur, *non sic* hoc secundo. *Non sic impii, non sic.* Sed sciamus

quia in Hebraico semel positum est. Diximus de sancto viro, et comparatione ejus. *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Nunc econtrario de impio dicitur. Sicut justus vir comparatur ligno : sic impius comparatur pulveri, quem projicit ventus a facie terræ. Pulvis licet de terra sit, tamen desinit esse terra. *Sed tamquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ.* Videte quid dicitur, tam infelix erit impius, ut nec terrenus quidem sit pulvis. Videtur quidem non habere substantiam, sed habet suam substantiam. Nihil habet solidum ; sed quod habet, ad pœnam habet. Huc illucque dispergitur. Numquam in uno loco est. Quocumque ventus traxerit, illuc impetus ejus dirigitur. Sic et impius qui semel negaverit Deum, quocumque illum aura diaboli traxerit, illuc errore perducitur. Quoniam diximus quid sit justus, et cui comparetur : quid sit impius, et cui comparetur : et de præsenti sæculo diximus : nunc debemus de futuro et æterno cognoscere.

Ideo non resurgunt impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum. Legimus in Evangelio secundum Joannem, *quicumque in me credit, non judicabitur; quicumque in me non credit, jam judicatus est* (*Joan.* III, 18). Quis ergo judicandus est, si ille qui credit, non judicabitur, et ille qui non credit, jam judicatus est? qui in die judicii judicabuntur? Requiramus ergo medium inter credentem, et non credentem qui judicandus sit. Qui credit non judicabitur. Qui credit non peccat, qui vere credit non peccat, qui veram fidem habet non peccat. Demum quando peccamus, mens nostra in fide fluctuat; eo tempore quando peccamus, quando irascimur, quando detrahimus, quando homicidia facimus, quando fornicamur, ubi fides est? Ergo quod dicit, qui in me credit, non judicabitur, non enim necesse habet judicari qui jam beatus est. Qui in me non credit, jam judicatus est, jam enim prædestinatus ad pœnam est. Qui ergo judicatur? Qui credit quidem, sed peccatis vincitur; qui habet bona, habet et mala; qui eo tempore quo credit, benefacit, quo non credit, male facit. Videamus ergo nunc quid dicitur : *ideo non resurgunt impii in judicio.* Non resurgunt ut judicentur, quia jam judicati sunt. Qui enim non credit in me, jam judicatus est. *Neque peccatores in consilio justorum.* Non dixit, peccatores non resurgunt, sed *non resurgunt in consilio justorum.* Non merentur cum his resurgere qui non sunt judicandi. Si in me crederent, cum his resurgerent, qui non sunt judicandi.

Quoniam novit Dominus viam justorum, et iter impiorum peribit. Quoniam novit Dominus viam justorum. Et quid grande est, si novit Dominus viam justorum, si dicitur Dominus nosse eos, quos nosse dignatur? Denique de peccatoribus dicitur, *Recedite a me, operarii iniquitatis, non novi vos Dominus* (*Luc.* XIII, 27) : dicit Apostolus : [a] *Si quis cognoscit, cognoscetur. Quoniam novit Dominus viam justorum*

A (I *Cor.* XIV, 38). Qui peccator est, non novit eum Deus : qui justus est, notus est a Deo. Legimus in Genesi eo tempore quo prævaricatus est Adam, eo tempore quo magis audivit serpentem, quam Deum, quando se abscondit a facie Dei, venit Dominus post prandium in paradiso, et deambulat (*Gen.* III) : videte quid dicitur, requirit Deus Adam non meridie, sed ad vesperam : jam enim Adam solem perdiderat, quia meridiem non habebat : ad vesperam, hoc est, δειλινόν, et ambulabat, non enim stat Deus peccatori, sed ambulat. Sciebat illum esse in paradiso, et non ignorabat quod factum erat, sed quia peccaverat Adam, nescit eum Deus. *Et dixit Deus : Adam, ubi es?* Diximus de eo quomodo peccator ignoretur a Deo. Econtrario scire debemus
B quomodo justus sciatur a Deo. Dicit Deus ad Abraham : *Exi de terra tua, et de cognatione tua* (*Gen.* XII, 1). Venit in Palæstinam, fuit in Habranio, fuit in Geraris multo tempore; cum natus ei fuisset filius Isaac, et repromissionem acceperat, *quia in semine tuo benedicentur omnes gentes*, tulit Isaac, et obtulit eum Deo, et vox de cœlo audita est, *parce filio tuo*, et statim scribitur eo tempore quo obtulerat filium suum, quid dicit Deus Abraham? *Ecce cognovi quoniam tu times Dominum Deum tuum.* Qui tanto tempore locutus fueras, nunc cognovisti Abraham? Sed quoniam grandis fides fuerat offerendo filium suum, propterea nunc primum cœpit eum nosse Deus. Hoc totum quare dixi? quoniam scriptum est, *quoniam novit Dominus viam justorum.* Dicamus et aliter :
C via, et vita, et veritas Christus est : ambulemus ergo in Christum, et viam nostram novit Deus Pater. *Et iter impiorum peribit.* Non dixit, impii peribunt; sed si egerint pœnitentiam, et ipsi salvabuntur. Eo tempore quo apostolus Paulus persequebatur Christum, et Ecclesias, impius erat. Si ergo impii peribunt, non datur locus pœnitentiæ. Sed non dixit, impii peribunt, sed, *iter impiorum peribit.* Hoc est, peribit impietas; non impius, sed ipsa impietas; non homo peribit qui impius fuit, sed homine agente pœnitentiam, peribit impietas. Deus ergo hoc nobis præstet, ut tria non faciamus, et duo faciamus ; ligno vitæ comparemur, non simus impii, qui comparantur pulveri ; non simus peccatores, quoniam peccatores non resurgunt in consilio justorum, et via mala
D pereat : et benedicamus Deum, cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS V.

Quintus psalmus hoc titulo prænotatur. *In finem, pro ea quæ hæreditatem consequitur, Psalmus David.* Multi putant titulos ad psalmos non pertinere. Et hoc qua ratione æstiment, nesciunt. Si quidem non haberentur in Hæbreis, et Græcis, et Latinis voluminibus, recte putarent : nunc vero cum in Hebraicis habeantur libris, et maxime iste titulus qui in quinto psalmo est prænotatus, miror eos hoc velle dicere,

[a] Quod contrario sensu in sacro sit textu, εἰ δέ τις ἀγνοεῖ, ἀγνοείτω, *si quis ignorat, ignorabitur* : putat Martianæus, auctorem vel absque privativo *a* legisse, vel certe pro eodem atque γνοεῖ, accepisse. Potuit vero hæc esse veteris Latinæ interpretationis lectio.

quod aliquid in Scriptura sine causa sit. Si iota unum et unus apex non transiet de Lege, quanto magis tanta verba vel syllabæ! *In finem pro ea quæ hæreditatem consequitur, Psalmus David.* Hæreditas non in principio repromittitur, sed in fine mundi. Judæi in principio se obtinere putaverunt, nos in finem consequimur. Unde dicit et apostolus Joannes : *Filioli, novissima hora est* (I *Joan.* II, 18). In novissima ergo hora finis est. In finem hæreditas, *in finem pro ea quæ hæreditatem consequitur.* Quæ est ista quæ hæreditatem consequitur? Mihi videtur quod Ecclesia sit, ipsa est enim quæ hæreditatem consequitur. Psalmus David cantat in principio, quod Ecclesia accipiat in fine. Quintus ergo psalmus ex persona Ecclesiæ est. Alii multa interpretantur, multi dicunt secundum historiam de Israelis populo, quod vellet reverti de Babylone in Judæam. Hoc illi interpretantur, non sunt interpretati in finem *pro ea quæ hæreditatem consequitur.* Nos ergo spiritualibus spiritualia comparantes, orationibus vestris ex persona Ecclesiæ istum psalmum disserere nitimur.

PSALMUS VII.

Singulis rebus imponuntur nomina, ut ex nominibus et res cognoscantur. Sic et psalmi titulis prænotati sunt, ut ex titulis intelligantur et psalmi. Quintus psalmus etiam hoc titulo prænotatus est : *In finem pro ea quæ hæreditatem consequitur.* Sextus psalmus hoc titulo prænotatur, *In finem in hymnis pro octava, psalmus David.* In quinto dicitur, *pro ea quæ hæreditatem consequitur*, in sexto dicitur, *pro octava.* In septimo vero quia et ipse sub alleluia cantandus est, quia in illa alia Dominica die lectus est psalmus sextus, et nos præ ægrotatione interpretari non potuimus, nunc autem lectus est septimus psalmus. Habet autem titulum hujus modi, *Psalmus David quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Jemini.* Videte mysteria. Ergo ista sine causa scripta sunt? In quinto dicitur, *pro ea quæ hæreditatem consequitur*, in sexto dicitur, *pro octava*, in septimo dicitur, *pro verbis Chusi filii Jemini.* Videtis ergo quanta sint contexta mysteria, *pro ea quæ hæreditatem consequitur.* Quia in quinto psalmo disputavimus, interpretantes ex persona Ecclesiæ fuisse psalmum cantatum, quæ hæreditatem Christi consecuta est. Sextus vero psalmus proprie ad resurrectionem Christi pertinet, quæ dies octava est. Nos enim et diem primum habemus, et diem octavum. Nos enim in die octava accepimus regna cœlorum. Octava dies post sabbatum, prima in principio. Longum est, si nunc voluerimus dicere de octonario numero. Quoniam octo beatitudines sunt in Matthæo : quoniam in centesimo decimo octavo psalmo singulæ litteræ octonos versus habeant : quomodo quindecim psalmi sunt graduum, quomodo septem et octo sunt, quomodo Ecclesiastes dicat, *date partem septem, et date partem octo* (*Eccles.* XI, 2) : quomodo orientalis porta in Ezechiel habeat septem gradus et octo; longum est dicere, quomodo octavus est de filiis Isaii David, qui accepit regnum. Hoc est quod nunc di-

A citur pro octava, in octava enim nos accepimus regnum cœlorum, unde dicit : *Domine, ne in futuro tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Sed quoniam de duobus psalmis pariter interpretari non possumus, sufficit nobis de sexti psalmi titulo disputasse. Nunc veniamus ad septimi psalmi exordium quod ita incipit : *Psalmus David quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Jemini.* Multos scio et certe eruditissimos viros, hunc titulum ita interpretatos fuisse : Eo, inquit, tempore quo surrexit Absalon contra David patrem suum (quæso vos ut patientius audiatis, Scripturas enim interpretare volumus, non declamare). Eo igitur tempore quo surrexit Absalon contra David, unus de amicis David nomine Chusi voluit ire cum David, sed David remisit eum ad Absalon, ut
B Achitophel consilia dissiparet. Eo tempore quo Achitophel dedit consilium, ut Absalon statim persequeretur David imparatum, et interficeret eum : Chusi ergo dedit consilium, et dissipavit consilium Achitophel, et misit ipse nuntium Chusi ad David dicens, *Hæc et hæc præparat Absalon.* Et cœpit fugere David, et præparare; eo tempore quo Chusi mandavit verba ad David, David cantavit psalmum istum Domino, quoniam Achitophel consilia sunt dissipata. Hoc illi dicunt, et revera rationabiliter enarraverunt : sed diligenter legamus Scripturas, ibi enim ita scriptum est, quoniam iste Chusi filius sit Arachitæ. Inde ille Chusi per aliam litteram scribitur in Regnorum libro : ibi Chus per SAMECH scribitur, hic autem Chus per SIN litteram scribitur. Deinde ille *Chus* filius *Arachi :*
C unde multi Græcorum nescientes legunt, *Chusi amicus David.* Videtis ergo quoniam et in lectione errant Græci. Manifestissimum ergo est secundum regulam Scripturarum, quoniam ille Chusi filius est Arachi, iste vero Chusi dicitur Jemini. Quia diximus illum Chusi fuisse filium Arachi, quis est iste Jemini? Et debemus spiritualibus spiritualia comparantes invenire nominis istius regulam. Ubi invenimus in Scripturis, *Jemini?* Dubium non est quin tribus una sit de duodecim, nomine Benjamin. Interpretatur autem Benjamin, *filius dextræ.* Eo enim tempore quando mortua est Rachel in Ephrata (oculis nostris sepulcrum vidimus, exempla non quærimus). Eo igitur tempore quando moriebatur Rachel, peperit, inquit, infantem, et vocaverunt nomen ipsius mulieres, sive
D ipsa quæ moriebatur, *Benoni*, id est, *filius doloris mei.* Econtrario vero Jacob pater dolorem matris vertit in gloriam, et non eum vocat Benoni, hoc est, *filius doloris mei*, sed *Benjamin*, hoc est, *filius dextræ*, hoc est, *virtutis meæ.* Benjamin igitur ex duobus compositum nomen est, ex filio et dextra. *Ben* enim dicitur *filius*, *Jamin*, dicitur *dextera.* Sciamus igitur semper tribum Benjamin appellari Jemini. Legimus in Regnorum libro, eo tempore quo de Saul scribitur, *Et ecce*, inquit, *vir de tribu Benjamin nomine Saul, filius*, inquit, *Chis, filius Abihel, filius Jeila, filius Jether, filius Jera, filius Jemini.* Et statim ibi dicitur *vir Jeminæus*, hoc est, de tribu Jeminæa, hoc est, de tribu Benjamin. Demus et aliud testimonium ne du-

bitare possimus. Semei ille qui in monte Oliveti eo tempore quando David fugiebat filium suum Abessalon, dicit hoc Scriptura : *Et ecce*, inquit, *Semei de cognatione Saul de tribu Benjamin. Et lapides*, inquit, *jaciebat in David, et dicebat : Egredere, egredere, vir sanguinarius.* Eo tempore quando dicit unus de ducibus ejus nomine Abisai : *Vadam*, inquit, *et interficiam eum*, quid dicit ei David? *Quid mihi et vobis, filii Sarviæ?* Et ecce, inquit, qui de lumbis meis egressus est, pugnat contra me, et miramini si filius Jemini, hoc est, ex tribu Benjamin, de tribu Saul, qui fuit inimicus? Hoc totum quare dixi? ut ostenderem Jemini tribum esse Benjamin. Diximus quid sit Benjamin, diximus nomen patris, videamus quid sit Chusi filius Jemini. *Chus* lingua Hebræa interpretatur *Æthiops*, hoc est, *niger* et *tenebrosus*. Qualem habet animam, quale et corpus, de quo dicit Jeremias : *Si mutabit Æthiops pellem suam, et pardus varietatem suam* (*Jer.* XIII, 23). Ergo hic Chusi nigrum et Æthiopem, inimicum suum Saulem significat. Et dicit hoc, quomodo Æthiops mutare non potest pellem : ita et iste mores suos mutare non potest. Is venit in manus meas, potuit eum occidere, cujus potuit sanguinem fundere : volui eum superare beneficio, sed malitia ejus vinci non potest. Quomodo enim Æthiops pelles mutare non potest, ita et illius malitia mutari non potest. Denique quid dicit : *Domine Deus meus, si feci istud*, hoc est, si feci illi aliquid mali. *Si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala.* Vide quid dicat : Ego pro malis bona reddidi, ille pro bonis mala. Manifestum est igitur quoniam contra Saul psalmus est.

PSALMUS IX.

Jesus filius Nave pugnabat in eremo, et Moyse orante, superabat : alius pugnabat, alius in oratione vincebat. Ita et ego secundum illud quod scriptum est, *aperi os tuum et implebo illud :* ego quidem loqui videor, sed alii sunt quibus orantibus, loquor. Nonus psalmus quod a vobis cantatus est Domino, grandis in versibus, grandis est in mysteriis. Quoniam non possumus de omnibus disputare, sufficit interim de titulo dicere. Quoniam non possumus domum ingredi, grande est enim regis palatium, neque possumus omnia regis scire mysteria, interim quasi in titulo domus, in ipso vestibulo, cujus domus sit demonstremus. *In finem pro occultis filii psalmus David. In finem*, quod dicitur, non pertinet ad Judæos, sed ad nos qui in finem credidimus. Ille prior filius, nos novissimi. Nos ergo qui in finem sumus, psalmum istum debemus audire, quia ad eos qui in finem sunt pertinet. *Pro occultis filii.* Quæ sunt hæc occulta filii? mysterium quod omnibus retro sæculis fuerat occultum, nobis in finem apertum est. *Pro occultis filii*, in Hebraico aliter habet : in Hebraico enim habet ALMOTH, quod interpretatur, *pro morte : al* enim dicitur *pro*, *moth* dicitur *mors*. Ergo pro morte dicitur, pro morte ergo filii in Hebræo scriptum est. Videte igitur Septuaginta Interpretes qui Ptolomæo gentili regi interpretabantur, et durum erat dicere mortem filii, sciebant enim quod de Filio Dei diceretur. Videbant scriptum esse et tamen timebant Dei Filium dicere esse moriturum. Hoc interim de titulo disputatum sit, et universus psalmus de morte Salvatoris dicitur.

Dicitur de Judæis : *In laqueo isto quem tetenderunt, comprehensus est pes eorum :* deinde de vocatione Gentium, *omnes Gentes quæ obliviscuntur Deum.* Et novissimum contra diabolum : *non est Deus in conspectu ejus, sedet in insidiis cum divitibus.* Infelices divites cum quibus diabolus sedet. Denique videte quid dicitur de diabolo, *sedet in insidiis cum divitibus.* Quicumque enim dives est, nisi pauperem spoliaverit, dives esse non potest, propterea dixit, *sedet in insidiis cum divitibus.* Quandocumque divites persequuntur Christianos, dicamus : sedet diabolus in insidiis cum divitibus.

Insidiatur ut rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum. In laqueo suo humiliabit eum. Hoc impius, hoc diabolus. Pauperem non solum divitiis, sed et spiritu, beati enim pauperes spiritu. *In laqueo suo humiliabit :* quem? Subauditur pauperem. Videte quid dicitur? Humiliabit, non interficiet : cum autem humiliaverit pauperem, humiliatio pauperis ruina est diaboli. Quid enim sequitur? *Inclinabit se, et cadet dum dominatus fuerit pauperum.* Nonne vobis videtur diabolus in persecutione quando occideret Christianos, quando interficeret Martyres, in eo occidi quod interficeret? Inclinabit se et cadet dum dominabitur pauperum? Martyr occisus in cœlum vadit, ille occidens humiliatur et cadet. Hoc interim de psalmo breviter disputatum est pro occultis filii, et hoc dictum est in veteri Testamento : in veteri enim Testamento, de filio occulte dicitur, nunc in Evangelio legamus manifeste, de manifestis filii.

PSALMUS LXXVIII.

Quoniam pauperes facti sumus : quoniam tu pauper pro nobis factus es, propterea et nos pauperes facti sumus. *Oratio pauperis cum anxiatus fuerit, et effuderit orationem coram Domino.* Quoniam tu pauper factus es, cum esses dives, et nos pauperes facti sumus : *Adjuva nos, Deus salutaris noster.* In Hebraico habet : *Adjuva nos, Jesus noster :* ubicumque enim *Salvator est*, in Hebraico, *Jesus* habet. Denique Gabriel quando venit ad Mariam, *Et vocabis*, inquit, *eum Jesum, iste enim salvum faciet populum suum. Adjuva nos, Jesus noster.* Videte quid dicat, *adjuva.* Qui dicit *adjuva*, et ipse liberari conatur, neque enim dormientes nos adjuvat, sed laborantes. *Propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos :* quoniam vocatum est nomen tuum novum super nos, quod benedicitur in gentibus : *Et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.* Tu Salvator, ut Christus, et nos Christiani, miserere nobis propter nomen tuum.

Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum. Hoc solent dicere qui sequuntur Origenis dogmata, *gemitus compeditorum*, hoc est angelorum, qui com-

pediti sunt, inquiunt, in corporibus: quomodo enim si mittantur compedes in pedibus, degravant corpus, et currere non sinunt: sic et corpora nostra includunt animas, hoc est, angelos degravant in terra. Et hoc quibus verbis approbant? *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII, 24)? Et illud quod dicitur, *Cupio dissolvi et esse cum Christo. Reverti, et esse cum Christo* (*Philip.* I, 23). Videte, inquit, quid dicit Apostolus. Quicumque dicit, Cupio reverti: utique illuc dicit ubi ante fuerat. *Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.* Ego vero simpliciter, rusticana simplicitate et Ecclesiastica, ita tibi respondebo. Ita enim apostoli responderunt, sic sunt locuti, non verbis rhetoricis et diabolicis: *Melius est enim reverti et esse cum Christo.* Quia sic habet in Græco, non habet, *dissolvi*, sed *reverti. Reverti et esse cum Christo.* Ubi Adam fuit pater meus, ibi et ego esse desidero: unde ille ejectus est, ego reverti cupio. In Adam omnes nos de paradiso ejecti sumus, introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Quare enim hoc non simpliciter intelligam dictum esse de martyribus, qui inclusi sunt in carceribus? Quanti enim et in metallis missi sunt? Ego vero dico quia illorum compeditorum vere audiat vocem Deus.

Secundum magnitudinem brachii tui, posside filios mortificatorum. Nos omnes (si tamen meremur) filii martyrum sumus. Apostolus quando in carcere erat, compeditus erat: apostoli omnes quando in carceribus erant, compediti erant: omnes martyres qui interfecti sunt, in carceribus erant compediti. Propterea nunc dicitur: *Posside filios mortificatorum. Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum.* Mihi videtur quod non contra illos rogat, sed pro illis, hoc est, da illis sabbatum tuum: *sabbatum* autem interpretatur *requies.* Quod dicit hoc est: fac eos requiescere in malitia sua, aut certe aliter, hic eis redde, et non eis reddas in futuro.

Nos autem populus tuus et oves pascuæ tuæ. Ubi oves dicit, innocentiam significat. Oves non habent nisi pastorem. *Confitebimur tibi in sæculum. Confitebimur*, vel pœnitentiam agimus, vel certe quod melius est, glorificamus. *In generationem et generationem*, in primo populo et secundo populo. Licet secundum historiam aliter dicatur in Ezechiel: tamen secundum intelligentiam spiritualem hoc dicimus, quoniam istæ duæ gentes, hoc est, duæ virgæ junguntur in Ezechiel, et fit unum regnum. *In generationem et generationem annuntiabimus laudem tuam.* Apostolorum vox est. Petrus in populo circumcisionis; Paulus et Barnabas in gentibus.

PSALMUS CXXVII.

Beati omnes qui timent Dominum. Qui timent Dominum quod habent præmium, quam coronam? Videamus quam habeant laudem, quod præmium. *Beatus es, et bene tibi erit.* Jam dixi de beatitudine, quæro beatitudinem quæ sit. Qui timet Dominum quam habet beatitudinem? *Uxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ. Filii tui sicut novellæ*

A *olivarum, in circuitu mensæ tuæ.* Ego puto quod propitio Christo omnes timeamus Deum. Ergo hanc beatitudinem non habemus? Scriptum est enim, *qui timet Dominum*, hanc habet beatitudinem; *uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ; filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.* Ergo et qui unum habet filium et duos, non est beatus? Quid enim dicit, *filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.* Nisi tantos habuerimus filios, ut cingant mensam nostram, beatitudinem timentis Dominum non habebimus? Isaac hanc beatitudinem non habuit, habuit enim duos filios, unum pessimum Esau, qui multo melius fuerat si natus non fuisset. Habuit autem unum filium Jacob: ergo non habuit beatitudinem? Quia unus circumire mensam non
B potuit. Virgines ergo non timent Deum. Quid enim dicitur, quod qui timet Dominum intelligat beatitudinem? *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ; filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.* Hanc beatitudinem Joannes non habuit. Joannes utique, tam Evangelista, quam Baptista: uterque enim virgo fuit. Hanc beatitudinem Paulus non habuit qui dicit: *Volo autem omnes sic esse sicut me* (*I Cor.* VII, 7). Videtis ergo quoniam uxor et filii spiritualiter intelligendi sunt, alioquin nisi spiritualiter intellexerimus, angeli hanc beatitudinem non habent, quia filios nos habent. Revertamur ergo ad ordinem lectionis.

Beati omnes qui timent Dominum. Quomodo non potest dicere, Pars mea Dominus, nisi qui aliam
C partem in sæculo non habet; sic non timet Deum qui timet aliud aliquid extra Dominum. Denique ipse Salvator dicit: *Nolite timere eos qui possunt corpus occidere; sed eum timete qui potest corpus et animam occidere in gehennam* (*Matt.* X, 28). Videtis ergo quod aliud aliquid extra Deum timet, qui Deum non timet. *Qui timet Dominum*, quæ signa habet? *qui ambulat in viis ejus.* Multæ sunt viæ et multæ viæ ducunt ad unam viam. Denique dicitur et in Jeremia: *Et state in viis Domini, et interrogate semitas ejus æternas, et invenietis viam, et ambulabitis in ea* (*Jerem.* VI, 16). Videte quid dicat, et state in viis, et interrogate vias Domini æternas, et invenietis unam viam, et ambulate in ea. Videte quomodo per plures vias venimus ad unam viam. Hoc
D dicitur et in Evangelio aliis verbis sub alia significatione parabolæ de illo negotiatore qui habuit plures margaritas, qui vendidit eas, et emit unam pretiosissimam margaritam. Quod dicit hoc est, Habetote plurimas margaritas, et state in viis. Hoc est state in viis, et interrogate semitas Domini æternas. Pulchre æternas, ne putaremus adventu Christi, Legem et prophetas esse finitos. Sed vide quid dicat. State in viis, in Lege et prophetis, et state in viis. Nolite sic credere in via una, ut dimittatis vias plurimas; sed state in viis, interrogate semitas Domini æternas. Interrogate semitas Domini, quid dixerit Jeremias, Isaias, Ezechiel, quid cœteri prophetæ. Interrogate semitas: melius dicitur in Græco

τρίβους : semita enim dicitur ab eo quod calce gradientium trita est. Et quod dicitur hoc est, interrogate semitas, hoc est τρίβους, quia scilicet trivit pes Domini. Si quidem et Dominus ambulavit in eis. Cum autem interrogaveris semitas Domini æternas, et per illas semitas invenietis unam viam quæ dicit : *Ego sum via, veritas et vita*, ambulate in ea. Videte mysteria Scripturarum, videte in verbis simplicibus Scripturarum plurima sacramenta, in viis, in semitis, in Lege et prophetis. Non dixit, Ambulate, sed state. State, ne dimittatis Legem, nec prophetas. Tamen cum inveneritis illas vias, per istas vias, in ista una via ambulate.

Labores manuum tuarum manducabis. Multi non intelligentes interpretati sunt aliter istum locum : *Labores fructuum tuorum manducabis*. Denique Latina exemplaria ita habent, *labores fructuum tuorum manducabis*. Sed nos legimus in Hebræo ita scriptum, *labores manuum tuarum manducabis*. Quis enim labores fructuum manducat? Utique econtrario debet intelligi, quia aliquis fructum laborum suorum manducat, non labores fructuum. Quia igitur in Hebræo ita scriptum est, *labores manuum tuarum manducabis*. Ego [a] puto quoniam et Græce Septuaginta Interpretes in isto loco bene interpretati sunt; *manus* enim lingua Hebræa JAD dicitur ; in isto autem loco, non habent JAD, sed CHAAPH ; *Chaaph* autem interpretatur χαρπὸς, non χαρπὸς, sed pars aliqua manus; siquidem χαρπὸς dicitur Græce APEPA. Hoc modo de interpretatione diximus. *Labores manuum tuarum manducabis*. Unusquisque quod seminaverit hoc et metet. Ecce homo, et opera ejus. Ergo et nos labores manuum nostrarum manducabimus. In manibus, opera intelliguntur. *Labores manuum tuarum manducabis*. Dicat aliquis, ergo post resurrectionem manducaturi sumus. Hoc enim dicitur de beato viro : *Labores manuum tuarum manducabis*. Ego hoc dico simpliciter. Quoniam homo ex duabus substantiis compactus est, hoc est, de anima et corpore : anima immortalis est, corpus autem mortale. Quod mortale est, ut et mortales cibos habeat. Quod autem immortale est, hoc est, anima quæ immortalis est, et immortales cibos habet. Vultis scire quoniam et anima habet cibos suos? Dicit Dominus atque Salvator cum esuriret. Quid dicit? *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me* (*Joan*. IV, 34). Vultis scire quos cibos habet anima? Dicit nobis et propheta : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal*. XXXIII, 9). Quomodo enim corpus, nisi acceperit cibos suos, moritur : sic et anima nisi acceperit cibos spirituales, moritur. Hoc totum quare dico, quia solent aliqui

A dicere, Non habeo necessario Scripturam sacram, sufficit mihi tantum timere Deum. Et hoc propterea diximus, quomodo cibi sunt corporis, sic cibi sunt et animæ nostræ Scripturæ sanctæ.

Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Dicit Salomon quia voluerit sapientiam ducere scilicet sponsam (*Sap*. VIII, 2). Dicit et in alio loco de Sapientia : *Ama illam, et amplexabitur te. Circumda illam et servabit te* (*Prov*. IV, 6). Ducamus ergo et nos hanc uxorem, et habeamus illam in amplexibus nostris. Numquam eam dimittamus de sinu nostro. Numquam fugiat de manibus nostris. Si semper fuerit in amplexu nostro ista uxor, faciemus ex ea filios; non filias, sed filios. Denique et hic dicitur, *filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ*.

B Numquid non poterat dicere, *filiæ tuæ?* aut non poterat dicere τὰ τέκνα σου, ut possint intelligi et viri, et feminæ? Sed vide quid dicat, *filii tui*. Qui sapientiam uxorem habet non facit de ea filias, sed filios. Nihil molle, nihil delicatum, nihil tenerum, nihil effeminatum habet in mente sua. Putas quod sancti alia causa scribuntur non habuisse filias, sed filios? Legamus Genesim, ibi enim generationum ordo servatur. Sanctus Abraham habuit uxorem Sarram; habuit Agar concubinam ; habuit postea Cethuram. De duabus uxoribus filios creat. Filias non facit. Veniamus ad Isaac. Et Isaac duos filios facit, filias non habet. Sanctus enim erat et nihil habebat in se molle, et tenerum, et effeminatum, sed totum virile et rigidum. Beatus Jacob duodecim patriarchas

C habet filios. Et unam filiam habet nomine *Dinam*, quod interpretatur, causa jurgiorum, *rixam*. Denique unam habuit filiam et duodecim filios. Et propter unam filiam tanta in Sichem bella nascuntur. Jacob numquam dixerat, *Timeo, fecistis me odibilem*. Loquitur ad Levi et Simeon, *Levi et Simeon in concilio eorum non veniat anima mea* (*Gen*. XLIX, 6). Quare? Quia viri, causam voluerunt agere mulieris. Hoc totum quare dixi, quoniam sancti filias non habent, sed filios tantum habent. Rem vobis dico novam, novam nescientibus. Cæterum qui Scripturas legunt, et diligenter legunt, non novam; sed ea quæ sciunt. Jacob duodecim habuit filios patriarchas, Ruben, Simeon, Juda, Levi, Issachar, Aser et cæteros usque ad duodecimum. Legite in Generatione,

D et numquam invenietis de tantis duodecim patriarchis ullum fecisse filiam, sed totos filios. Dico vobis unum ne forsitan obliviscamini. Aser filiam habuit Saram. Jacob habuit duodecim filios et unam filiam. Sic inter duodecim patriarchas, unus patriarcha unam tantum filiam habuit. Hoc totum quare dixi?

[a] Locus in mss. exemplaribus depravatus a librariis propter ignorationem linguæ Græcæ. Nescio an primus auctor scripserat, *nam χαρπὸς est pars aliqua manus : Siquidem χαρπὸς dicitur Græce ἀπὸ κάω*. Ms. Corbeiensis, erasis aliquot verbis, ita legit : *Caaph autem interpretatur pars aliqua manus. Siquidem χαρπὸς dicitur Græce* APOPA. Forte ἄρουρα, *arvum ager*. Sed convenientius legeremus ἄρθρον, id est *articulus*, manus. MART. — Verus Hieronymus epist. in nostra recensione XXXV ad Marcellam n. 5 : *In hoc*, inquit, *loco non* LXX *Interpretes, sed Latini, de Græci verbi ambiguitate decepti*, χαρποὺς, fructus, *magis quam* manus, *interpretati sunt, cum* χαρποὶ manus *quoque dicantur, quod in Hebræo ponitur Chaphach*. Vide et S. Hilarium tractatu in hunc psalm., num. 4 et 5. Hic dubitat Martianæus an auctor scripserit : *nam χαρπὸς, est pars aliqua manus : siquidem χαρπὸς, dicitur Græce ἀπὸ κάω*.

ut filios et filias in Scripturis spiritualiter intelligere debeamus. *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Sicut vitis abundans plurimos botros habet, sic et uxor nostra, hoc est, sapientia uxor nostra, quæ sponsa est. Denique scribitur in alio loco : *Veni, soror, mea sponsa* (*Cant.* v, 1). Ne in eo quod dixerat, *sponsa*, turpe aliquid intelligeres, jungitur *soror;* ut omnis turpis amor excludatur. Veni, soror mea, sanctus enim amor sit, et propterea te sororem voco et sponsam meam. Propterea te sponsam voco, ut habeam uxorem, et de te filios faciam plures, filios plures quasi de vite botros. Quomodo vitis habeat diversos botros. Et una quidem radix est. Sed longe lateque huc atque illuc flagella diffundit, et ipsa flagella habent fructus suos, et in ipsis fructibus sunt botri, et alius botrus major est, alius minor, alia majora grana sunt, alia minora ; sic et de sapientia, quæ est uxor nostra : si tamen numquam eam dimiserimus, plures nascuntur botri, hoc est, virtutes plurimæ ; sanctæ cogitationes, opera præclara. *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Legimus in alio loco : *Et vinum lætificat cor hominis* (*Psal.* CIII, 15). Legimus et in Canticis Canticorum : *Venite, fratres, bibite et inebriamini.* Et vinum quod lætificat cor hominis. Hoc vinum non lætificat cor hominis ; sed obruit, et insanum facit. Denique scribitur, ut qui *potentes sunt, vinum non bibant* (*Prov.* XXXI, 4). Scribit et Apostolus, quoniam non debemus vinum bibere et carnem manducare (*Rom.* XIV). Rursum dicitur nobis : Et vinum lætificat cor hominis. Sed vinum dicitur spirituale, quod si quis biberit statim inebriatur. Vos omnes, ut dimitteretis possessiones vestras, et parentes vestros, et filios et affines, bibistis vinum, et inebriati pro Christo insanire cœpistis. Non vobis videtur esse ebrietas? non vobis videtur spiritualis insania, delicias contemnere, sordes appetere, fugere civitates, deserta sectari, nescire affectus, ignorare carnis propinquitatem, et solum nosse Christum? Denique apostoli hoc vino inebriati erant, et propterea dicitur eis : *Musto sunt pleni* (*Act.* II, 13). Non enim fuerunt inebriati de Lege veteri, sed de Evangelio. Nec ergo puto, quod ita inebriatus sit hoc vino. *Filii tui sicut novellæ olivarum.* Nulli alii comparantur filii nostri nisi novellæ olivarum. Non dixit olivæ veteri, sed novellæ olivæ. Quomodo et ibi de ebrietate apostolorum, non dicitur de vino veteri, sed de musto : sic et hic dicitur novella olivarum, quæ tota viret in Evangelii juventute. Novella olivarum plena luce. Oleum hanc naturam habet, ut cibos condiat, ut lumini fomenta præbeat, ut lasso longo itinere corpus unctum restituat quasi labori pristino et sanitati. Denique quicumque læsus fuerit et ungitur, quasi recipit pristinum vigorem. Putas sine causa nunc dicitur vinum et oleum? Non potuit mel dici, non alia aromata, non alia arbor, sed tantum vitis et oliva. Vinum et oleum. In vino austeritas, in oleo misericordia. Denique illi qui de Jerusalem Jericho descendebat, qui vulneratus fuerat, Samaritis, hoc est, *custos*, nihil ei infundit nisi vinum et oleum. Vinum austeritatem præceptorum, vinum typicum ; ut quodcumque mali humoris est excoquat et excomedat. Quoniam autem humana fragilitas non potest veritatem ferre. *Si enim iniquitates attendas, Domine, Domine, quis sustinebit* (*Psal.* CXXIX, 3)? Si enim tantum justus fuerit Dominus, nos vivere non possumus. Propterea justitiæ ipsius, hoc est, vino misericordiæ oleum adjunctum est.

Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum. Jam multa locuti sumus, festinemus ad finem. *Benedicat te Dominus ex Sion.* De ista Sion et quomodo dicit alius propheta : *Sion quasi ager arabitur* (*Jerem.* XXVI, 18). Dicit et Dominus : *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt* (*Matth.* XXIII, 37). Denique cum appropinquasset Dominus ad Jerusalem et vidisset, flevit. Quando autem deflevit eam? Ideo utique flevit ruituram, quasi perituram. Denique quid dicit? *Surgite, eamus hinc.* Et in alio loco quod dicit : *Relinquetur vobis domus vestra deserta.* Ergo hoc quod dicit, *benedicat te Dominus ex Sion*, non dicit istam Sion quam videmus esse desertam. Ipsæ portæ, et ipse ager, et ipsæ ruinæ iram Domini significant. Etiamsi nos ignoramus, oculi ipsi clamant iram Domini. *Benedicat te Dominus ex Sion. Sion* interpretatur *specula. Jerusalem* interpretatur *visio pacis.* Si anima nostra speculam habuerit. Si in sublime fuerit. Si non de terrenis cogitaverit, sed de sublimibus. Si anima nostra habuerit visionem pacis, hoc est, si Christus, qui vera pax est, habitaverit in ea : ipse nos benedicit. Si habitaverit in nobis Christus, et nos erimus Sion. Et nos erimus Jerusalem. *Et videas filios filiorum.* Ego vobis loquor. Si ex meo sermone vos instruxero, vidi filios meos : si vos alios instruxeritis, vidi filios filiorum meorum. Oremus igitur Dominum, ut habeamus filios, habeamus nepotes, et semper habeamus multam progeniem. Festinemus tales filios facere. Sancta ista est conjunctio. Rem vobis dico novam : sine uxoris complexu plures nascuntur tales filii. *Pax super Israel. Israel* interpretatur, *mens videns Deum.* Vide ergo quod dicitur pax super Israel. Super eos qui habent mentem videntem Deum. Mens mea si habuerit visionem Dei, si semper Christum videro, alios non videbo. Quicumque Christum habet in se, habet in se pacem. *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV, 27). Licet sint multæ persecutiones, licet multi sint qui persequantur, tamen in quo Christus habitat, ille semper Christum habet; cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXXVIII.

Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea. Duo dicuntur. Et sæpe expugnaverunt me, et a juventute mea expugnaverunt me. Ergo si in media ætate cœpero servire Domino, verbi gratia, quadraginta annorum, non possum dicere, *expugnaverunt me a juventute mea.* Sed quid dico? occiderunt me a ju-

ventute mea, vulneraverunt me a juventute mea, conculcaverunt me a juventute mea. Qui autem a pueritia incipit servire Domino : et sæpe expugnatur a diabolo et angelis ejus, et tamen non vincitur ; iste quid dicat ? *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea : etenim non potuerunt mihi.* Athleta nisi legitime certaverit, non coronatur, nisi pugnum acceperit, nisi faciem lividam, nisi de facie sanguis effusus fuerit. Livor meretur coronam, dolor meretur gaudium. *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea.* Dicat hunc versiculum virgo Domini. Dicat monachus qui a parva ætate cœpit servire Domino. Ego autem qui quadraginta vel quinquaginta annorum cœpi servire Domino, quomodo possum dicere : *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea?* Dicat ergo hoc virgo. Dicat monachus integer corpore et spiritu. Et quid dicat : *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea?* Dicat aliquis : O monache, quomodo te expugnaverunt dæmones et diabolus ? Videbantur quidem homines qui impugnabant, sed ego in hominibus diabolum intelligebam. Quando ergo eos persequuntur homines, non irascamur persequenti, sed condoleamus et plangamus eos : quia alius est qui persequitur in persecutoribus. Si dæmoniarius, qui habet dæmonem, venerit, et pugnum mihi dederit, et calce percusserit, numquid irascor ei ? Ille pugno percutit, et ego ploro et plango percutientem. Video enim quia pejus percutitur ab eo qui in se operatur, quam ego a manu ejus. Quoties ergo aliquid patimur, et tentationes aliquas sustinemus, illum intelligamus esse et illos, qui nobis tentationes generant, in hominibus. Dicat aliquis : Hoc ipsum de Scripturis affirma : non enim debemus aliquid loqui nisi de Scripturis fuerit adornatum atque approbatum. Judas proditor fuit, sed intravit in illum Satanas, et ipse in proditore prodidit. Uxor Putiphar eo tempore quando tenuit Joseph, servum suum, domina servum, ditissima pauperculum, civis peregrinum, illa tenebat Joseph, sed sanctus vir in manibus mulieris intelligebat esse diabolum retinentem. Hoc totum quare dico? Ut quando aliquid patimur ab hominibus, non irascamur hominibus : sed plangamus eos. Et illum videamus insidiatorem qui in ipsis operatur. *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea : etenim non potuerunt mihi. Expugnaverunt me*, in cogitationibus turpibus : *expugnaverunt me*, in iracundia. Ego acquievi cogitationibus ; sed [*Forte addendum* non] acquievi tentationibus ; sed aliquid feci quod me cogitatio compellebat. Si iracundia me superavit, et fratri feci injuriam, non possum dicere : *Etenim non potuerunt mihi.* Potuerunt enim mihi.

Super dorsum meum fabricaverunt peccatores. Diligenter animadvertite Scriptura quid dicat. Sanctus athleta est, et non coronatur nisi qui legitime certaverit : scitis enim quia athletarum multa sunt genera. Sunt enim alii athletæ : alii vero sunt quasi [a] Pammacharii, alii ad dies contendunt, alii vero sunt

A cursores, hoc est, qui currunt in stadio. Denique et Apostolus dicit se currere ut ad coronam perveniat I *Cor.* IX, 26). Et quid dicitur in alio loco : *Præteritorum obliviscens ad priora me extendo* (*Philip.* III, 13). Videte ergo Scriptura quid dicit. Supra dorsum meum fabricabantur peccatores. Sic semper cucurri, et tantum cucurri, ut adversarius meus numquam præcedat, sed semper post tergum inveniatur. Numquam venit contra oculos meos : neque enim potuit sustinere lumen oculorum meorum ; sed semper eam partem persequebatur quæ cæca est, quæ oculos non habet. Supra dorsum meum fabricabantur peccatores. Quandocumque aliquis fratribus detrahit, iste post dorsum fabricatur. Supra dorsum meum fabricabantur peccatores, sed ego non videbam insidias eorum ; illi fabricabantur post dorsum meum, et ego oculis paradisum conspiciebam. Illi mihi moliebantur insidias, et ego coronam videre cupiebam. *Prolongaverunt iniquitatem suam.* Quid dixit, *prolongaverunt iniquitatem suam :* Ego si peccavero, et post peccatum meum egero pœnitentiam, brevis est iniquitas mea et non longa. Si autem peccavero, quocumque die peccavero, funiculus peccatorum meorum longior fiet. Unde dicitur et in alio loco : *Funes peccatorum circumdederunt me* (*Psal.* CXVIII, 61). Vide quid dicat, Funes peccatorum circumdederunt me. Et in alio loco scribitur : *Funiculis peccatorum suorum unusquisque constringetur* (*Prov.* V, 22). Vide quid dicat, funiculis peccatorum suorum unusquisque constringetur. Funiculus peccatorum, nisi plura peccata habuerim, texi non potest. Si peccatum fecero, non tam funiculus est, quam quasi unum filum est. Si autem unum filum est, cito rumpitur, et tenere, et ligare non potest. Si autem plura peccata fuerint et prolongaverint iniquitates, de pluribus peccatis quasi de pluribus filis funiculus fit, et ligat, et non cito rumpitur. Hoc totum quare dixi? Quia legimus in isto versiculo, *prolongaverunt iniquitatem suam.*

Dominus justus concidet cervices peccatorum. Videte quid dicat, non dixit, concidat peccatores. Si autem hoc dixisset, nemo salvari poterat, omnes peccatores sumus. Sed quid dicit? *Dominus justus concidet cervices peccatorum.* Qui et peccatores sunt, et superbi sunt : quoniam superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam : ideo concidet cervices peccatorum.

PSALMUS CXXXI.

Memento, Domine, David et omnis mansuetudinis ejus. Multi putant ex eo quod scriptum est in Evangelio, *Miserere nostri, fili David* (hoc cæci dicunt qui sedebant in Jericho), istum *David*, qui interpretatur *fortis manu*, referri ad Dominum Salvatorem. Sed in isto psalmo si voluerimus referri, ut illi putant, multum nocet intelligentiæ nostræ. Si enim hoc quod dicitur, *Memento, Domine, David et omnis mansuetudinis ejus*, refertur ad Christum, quomodo

[a] Corrupte *Pammacharii*, quæ vox *felicissimos* potius, quam *pugnatores* notat, legi autumo. Malim rescribi *Pancratiarii*, quod nomen idem est atque illud potissimum *Pancratiastæ.*

dicit quasi de alio : *Donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob? Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ.* Et quomodo dicitur : *Propter David, servum tuum, non avertas faciem Christi tui?* Si enim, ut putant, Christus est David, quomodo dicit, propter David, servum tuum, non avertas faciem Christi tui? Non stat ordo. Si enim David Christus dicitur, sic incipimus intelligere, propter Christum servum tuum ne avertas faciem Christi tui. Hoc propter eos loquor, qui David in istum locum Christum interpretantur : Non quod negemus Christum interpretari David pro locorum qualitate ; sed in isto loco non recipit sensus. Et quare errent dico vobis, quia scriptum est : *Memento, Domine, David et omnis mansuetudinis ejus.* Et Dominus dicit in Evangelio : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Pro quidem sensu ; sed errantes David hic Christum interpretantur, et mansuetudinem ejus referunt ad Christum. Nos ergo interpretemur istum psalmum in David, ut qui nascetur ex David vere Christus intelligatur. Denique videte ordinem, quoniam enim grandis est psalmus, et jam multa diximus, debemus breviter sensus perstringere, non latius disputare : ut prudens auditor ex his quæ diximus, etiam ea quæ non loquimur, ipse a se intelligat.

Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob. In Hebraico non habet ὡ, hoc est, *sicut,* nec sic sensus est ; sed habet ὃς, hoc est, *qui,* et est sensus : *Memento, Domine, David et omnis mansuetudinis ejus,* qui *juravit Domino, votum vovit Deo Jacob.* Et hoc puto non tam vitio Septuaginta Interpretum factum, quam scriptorum errore.

Si introiero in tabernaculum domus meæ. David hoc dicit, nullam aliam requiem quæro nisi Christi, qui de meo semine nasciturus est, hoc est, quem promisisti, quia de meis lumbis nasciturus est.

Si dedero oculis meis et palpebris meis dormitationem. Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. Hoc multi putant dici de Ecclesia ; sed mihi videtur non tam de Ecclesia dici, quam de sancta Maria. Denique dicitur.

Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ. Legamus Scripturas sanctas, et diebus et noctibus singulas syllabas et litteras ventilemus. Dicat aliquis de Ephrata, hic Bethlehem dixit. Legimus enim in Genesi : *Venit in Bethlehem,* hoc est, *Ephrata.* Hoc dicitur de Jacob quando uxor ejus Rachel mortua est. Hoc est, Ephrata. Sed videamus Ephrata quare nomen acceperit. Scriptum est enim in Paralipomenon, quoniam Maria, soror Moysi et Aaron, habuerit maritum [a] Or : non Ur, sed Or (I *Par.* XI). Et postea ordo describitur, et dicitur : Maria, soror Moysi et Aaron, hæc est Ephrata. Hoc in Paralipomenon libris scribitur. Quærite et invenietis. Denique et hæc Ephrata nomen accepit. Videtur forsitan alicui verum non esse, quia novum est : sed eum remitto ad auctoritatem libri.

Ecce audivimus eam in Ephrata. In Hebræo non habet *eam,* sed habet *eum,* hoc est, *illum* qui nasciturus est de semine. *Audivimus eam in Ephrata* : quod de Maria sensus. Sed et simpliciter intelligere possumus, quoniam Ephrata, Bethlehem dicitur. Et Christus in Bethlehem natus sit. Felix igitur locus qui tanto ante tempore prophetarum voce cantatus est. Omnia quidem loca sancta, venerabilia sunt, et ubi natus est, et ubi crucifixus est, et ubi resurrexit, et ubi ad cœlos victor ascendit ; sed iste locus proprie venerabilior est. Vide quanta misericordia Dei hic natus parvulus infans. In præsepe ponitur ; non enim erat illis locus in diversorio. O monache, Dominus nascitur in terra, et cellam propriam non habet : *non erat illis locus in diversorio.* Universum genus humanum habet locum : Christus non invenit locum inter homines. Non invenit in Platone, non in Aristotele, sed in præsepe. Inter jumenta et bruta animalia et simplices quosque et innocentes. Unde dicit et Dominus in Evangelio. *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos. Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.*

PSALMUS CXLI.

Intellectus David, cum esset in spelunca. Oratio præscribitur. Iste titulus secundum historiam quidem est, quando fugiebat David a Saul in deserto Engaddi, in spelunca absconsus. Et ingressus est ignorans Saul, quasi sua causa, sed quoniam habet in sua præscriptione, *Intellectus David,* debemus spiritualiter intelligere psalmum. Accipitur quidem et in Dominum verum David iste psalmus, et intelligitur Saul in diabolo : spelunca autem in hoc mundo. Et quod diabolus non mittat in hoc mundo aliquid boni, sed stercus, et si quid putridum. Spelunca autem intelligitur iste mundus, quia perfectum lumen non habet quantum ad comparationem futuri, sed quasi lumen aliquod illuxit Dominus veniens in hunc mundum. Propterea dicit Apostolus : *Qui est lumen gloriæ ejus* (*Heb.* I, 3). Ergo sicut David intravit in speluncam abscondens se a Saul : ita et Dominus ingressus est in hoc mundo, et persecutionem passus est.

Effundo in conspectu ejus orationem meam. Significantius dixit, effundo totum cor meum in conspectu Domini : Quemadmodum aliquis confiteatur medico vulnus suum. Et omnes quas habet passiones dicit illi, ut ita adhibeat ei curam. *Tribulationem meam ante ipsum pronuntio,* hoc est, tribulatio quam Apostolus numerat, quæ numerata cum cæteris spem facit, spes autem non confundit.

In deficiendo in me spiritum meum. Si non ex nobis deficiat spiritus malus qui suffocabat Saul, non potest nosse semitas nostras Dominus. Quæ autem sunt

[a] Hebræorum ista opinio est. MART. — Falsus Hieron. in quæstionibus Hebraicis in lib. Paralipomenon : *Caleb duxit aliam uxorem nomine Ephrata, ex qua suscepit Hur, virum Mariæ, sororis Moysi, patrem Huri,* etc.

semitæ justorum? Justitia, opera bona, via recta, castitas, continentia et cætera his similia.

In via hac qua ambulabam absconderunt laqueum mihi. Prope sunt vitia virtutibus. In quacumque via voluerit aliquis ambulare, in ea ponunt laqueos. Aut in jejunio, aut in eleemosyna, aut in cæteris virtutibus.

Considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat qui cognosceret me. Si in Deum fecerimus psalmum, ipse Dominus loquitur. Omnes discipuli mei dereliquerunt me, et fugerunt. Unus remanserat Petrus qui se promisit dicens : Si oportet me pro te mori, non te derelinquam : et ipse negavit. Propterea dixit, Considerabam eum ad dexteram, et non dixit, ad sinistram, quoniam egit pœnitentiam Petrus.

Periit fuga a me. Quando comprehensus est a Judæis. *Et non est qui requirat animam meam.* Omnes A enim clamabant : Crucifige, crucifige (*Luc.* XXIII).

Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis. Si non aliquis humiliatus fuerit, non exauditur a Domino. Quid enim prodest aliquem verbis orare et cervicem erectam habere? Si autem in Dominum intelligimus : Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.

Libera me a persequentibus me, quia confortati sunt super me. Qui contra nos pugnant fortiores nobis sunt, hoc est, principes hujus mundi.

Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo. Id est, de isto corpore. *Ad confitendum*, id est, clarificandum. Sicut dicit : *Confiteor tibi, Pater.*

Me exspectant justi, donec retribuas mihi. Dominus B dicit: Me exspectant apostoli, donec resurgam a mortuis.

J. MARTIANÆI ADMONITIO

AD CONSEQUENTEM PRÆFATIONEM IN PSALMORUM LIBRUM.

In tribus mss. exemplaribus Canonis Hebraicæ Veritatis, quem tom. I hujus editionis novæ Operum S. Hieronymi nuper publici juris feci, constanter descriptam inveni consequentem Præfationem in librum Psalmorum ex Hebræo in Latinum sermonem translatum ab eodem Hieronymo, qui alia multum diversa præfatione versionem suam communiverat. Vir autem clarus Ludovicus Ferrandus hunc prologum edidit in fine voluminis Paraphraseως suæ in Psalterium Davidis; sed falsus est eruditus scriptor, cum existimavit eum fuisse scriptum a falso illo Hieronymo consarcinatore Commentarium in Psalmos : unde Joannes Baptista Coteterius in notis ad tomum III *Monum. Eccles. Græcæ, palam professus est jam dictam præfationem neutrius esse Hieronymi.* Quæ, *inquit*, nec Hieronymi, nec Hieronymiani illius consarcinatoris esse videtur. *Cujus porro fuerit, etsi non omnino mihi constet, vix tamen dubito quin hic prologus Eusebio Cæsariensi sit ascribendus : pars enim non minima de ejusdem hypothesibus in Psalterio derivata, id nobis renuntiare videtur. Sed quisquis præfationem Latinitate donavit, vix primis fuit imbutus litteris, ut in Latinum non Latine eam verteret. Cætera videsis in annotatiunculis meis.*

[a] PRÆFATIO DE LIBRO PSALMORUM.

In Hebræo libro Psalmorum citra numeri adjectionem descripti sunt omnes, et diverse quidem : quidam conjuncti, quidam autem divisi. Quapropter primus et secundus conjuncti sunt juxta Hebræum, et iterum septuagesimus septimus conjunctus est apud nos : in Hebræo autem partiti sunt in duos. In quinque vero libros dividunt Hebræi Psalmorum librum [*Al.* libros], quorum quidem primum a *Beatus vir*, usque ad finem quadragesimi. Secundum autem : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontem* [*Al.* fontes] *aquarum*, usque ad septuagesimi primi finem. Tertius vero est : *Quam bonus Israel Deus*, usque ad octogesimi octavi. Quartus autem, *Domine, refu-* C *gium factus est nobis*, usque ad centesimi quinti. Quintus vero : *Confitemini Domino*, usque ad novissimum.

Observandum autem, quia non secundum historiæ, seu temporum, psalmorum compositus sit ordo. Comminatus est vero minus multum temporibus [*Forte* minis multis temporibus], sicut liber Regnorum declarat. Multa enim idolorum cultura obtinens Judæorum gentem, oblivionem infecerat paternarum Scripturarum, ut nec pareret liber Mosaicæ legis, neque memoria patrum pietatis salva haberetur apud eos. Sic ergo et prophetas interfecerunt redarguentes illorum impietates, et horum causa primum Assyriorum

[a] In codice ms. Memmiano et in Sangermanensi nostro præfatio isthæc Hieronymo ascribitur : *Incipit præfatio Hieronymi presbyteri in libro Psalmorum.* Melius Carcassonensis codex, qui non retinet nomen Hieronymi. MART.—Diximus in præfixa huic appendici admonitione, conferendam hanc præfationem esse cum Eusebii Hypothesibus, quæ huc magna ex parte, tametsi parum felicibus auspiciis, ab auctore translatæ sunt. Duos laudat Martianæus codd. mss. Memmianum unum, alterum Sangermanensem, qui Hieronymo scriptionem hanc tribuunt. Nos cum uno Ambrosianæ Bibliothecæ 1 littera ac num. 6 prænotato contulimus, qui nullum habet auctoris nomen ascriptum, et sæpe melioris est frugis.

traditi sunt captivitati. Nihil igitur mirabile sub hujusmodi constitutione, et quæ illata sunt libro Psalmorum, deciderunt, oblivioni longis tradita temporibus.

Post hæc autem, [a] sive Ezram, sive quemdam virum prophetarum, circa congregationem eorum, festinasse cum cæteris et librum Psalmorum coadunasse, non liquido invenientes omnes, sed per varia tempora. Taxavere autem imprimis qui priores inventi sunt, propter quod nec ipsi ut David in ordine [b] jacere omnes. Deinde autem et filiorum Core, et Asaph, et Salomonis, et Moysi, et Ethan, et Heman, et Idithum, et iterum ipsius David inveniens mixtim in libro taxatos, non secundum quibus dicti sunt temporibus, sed quibus inventi. Hinc etiam provenit, ut qui temporibus erant novissimi primi inventi, reciperentur primi : et qui temporibus erant primi, postea inventi, secundo ordinarentur loco. Idipsum autem invenies factum et in prophetis.

[c] Libri Psalmorum hæc est divisio ipsorum, sicut certa scribentum diligentissima exempla priorum, et ipsum Hebraicum continent. Personæ quorum sunt psalmi sine inscriptione XVII; supra scripti CXXXIII; supra scriptorum divisio, ipsi David LXXII; filiis [d] Core XI; Asaph XII; Ethan I; Eman I; et Moysi I; Salomonis II; sine nomine XVII; Alleluiatici XVII; pro torcularibus III; Graduum XV; sunt autem sine nomine, quanti superscriptiones quidem habent, non tamen significant cujus sint, XVII, simul CL. Non sic suscipiat quis quia omnes sint David psalmi, sed et aliorum prophetarum ad psallendum prophetantium, propter quod hæc omnis Scriptura quæ apud Hebræos Psalterii nomine, [e] non ipsius David supra scribitur, sed individue liber Psalmorum nominatur.

[f] Sicut dicebat quidam quia hexametro scriptum est canticum Deuteronomii, apud Hebræos : trimetro vero et tetrametro scripti sunt psalmi versu. Ergo qui apud Hebræos, alii sunt qui apud nos.

Ipsi David, tertius, quartus, quintus, sextus, septimus, octavus, nonus, decimus, undecimus, duodecimus, decimus tertius, decimus quartus, decimus quintus, decimus sextus, [g] decimus octavus, decimus nonus, vigesimus, vigesimus primus, vigesimus secundus, vigesimus tertius, vigesimus quartus, vigesimus quintus, vigesimus sextus, vigesimus septimus, vigesimus octavus, vigesimus nonus; trigesimus, trigesimus primus, trigesimus secundus, trigesimus tertius, trigesimus quartus, trigesimus

A quintus, trigesimus sextus, trigesimus septimus, trigesimus octavus, trigesimus nonus; quadragesimus; quinquagesimus, quinquagesimus primus, quinquagesimus secundus, quinquagesimus tertius, quinquagesimus quartus, quinquagesimus quintus, quinquagesimus sextus, quinquagesimus septimus, quinquagesimus octavus, quinquagesimus nonus; sexagesimus, sexagesimus primus, sexagesimus secundus, sexagesimus tertius, sexagesimus quartus, [h] sexagesimus septimus, sexagesimus octavus, sexagesimus nonus; centesimus, centesimus secundus, centesimus septimus, centesimus octavus, centesimus nonus; centesimus vigesimus primus, centesimus vigesimus tertius; centesimus trigesimus, centesimus trigesimus secundus, centesimus [i] trigesimus

B tertius, centesimus trigesimus quartus, centesimus trigesimus quintus, centesimus trigesimus sextus, centesimus trigesimus septimus, centesimus trigesimus octavus; centesimus trigesimus nonus: centesimus quadragesimus, centesimus quadragesimus primus, centesimus quadragesimus secundus, centesimus quadragesimus tertius, centesimus quadragesimus quartus, simul LXXII. Non supra scripti sunt, primus, secundus, trigesimus secundus, quadragesimus secundus, septuagesimus, nonagesimus primus, nonagesimus secundus, nonagesimus tertius, nonagesimus quartus, nonagesimus quintus, nonagesimus sextus, nonagesimus septimus, nonagesimus octavus; centesimus tertius, centesimus decimus quintus, centesimus trigesimus sextus, centesimus quadragesimus septimus; simul XVII. Filiis Core, quadragesimus primus, quadragesimus tertius, quadragesimus quartus, quadragesimus quintus, quadragesimus sextus, quadragesimus septimus, quadragesimus octavus; octogesimus tertius, octogesimus quartus, octogesimus sextus, octegesimus octavus, simul XI. Sine nomine qui tantum superscriptiones habent, non tamen significant cujus sint, sexagesimus quintus, sexagesimus sextus, nonagesimus primus, nonagesimus octavus, nonagesimus nonus; centesimus primus, centesimus decimus nonus, centesimus vigesimus, centesimus vigesimus secundus, centesimus vigesimus tertius, centesimus vigesimus quartus, centesimus vigesimus quintus, centesimus vigesimus septimus, centesimus vigesimus octavus, centesimus vigesimus nonus; centesimus trigesimus, [j] centesimus trigesimus tertius, simul XVII. Alleluiatici,

C

D

[a] De Synagoga magna Judæorum, quæ floruisse dicitur circa ætatem Esdræ, aperte satis loquitur auctor hujus præfationis. Quod diligenter notari velim, quia solus est, ni fallor, inter scriptores veteres ecclesiasticos, qui Synagogæ Judæorum meminit : etsi ejus auctoritate consecratum velint recentiores Canonem Esdrinum sacrorum Bibliorum. MART.

[b] Codex Ambrosian., *in ordine ut jacere*, etc.

[c] Ex hoc loco et aliis consequentibus manifeste comprobari potest, Eusebium Cæsariensem scriptorem fuisse verborum hujus prologi : sunt enim Hypotheses ipsius in Psalterio, quæ Græce exstant tom. VI Polyglottorum, Londin. p. 137, et Latine apud Thomas. Carum præfationibus in Psalterium. At qui Eusebium in hoc prologo per pannos et segmenta Latinis tradit, ordinem Hypotheseων subvertere studuit, ne furtum agnosceremus. MART.

[d] Emendamus ex Ambrosian. ms. Antea in recto erat *Filii*.

[e] Negandi particulam cod. Ambrosianus ignorat.

[f] Scholiastes in psal. CXVIII, tom VI Polyglott. Hoc etiam Eusebius expresse dixit, Præp. Ev. lib. XI, cap. 5. MART.

[g] Addit cod. idem, *et decimum septimum*.

[h] Iterum addit cod., idem, *et sexagesimum quintum, et sexagesimum sextum*.

[i] Econtrario hic cod. *centesimum trigesimum tertium, quartum, quintum et sextum* reticet.

[j] Dicitur in Ambrosian cod., *centesimus trigesimus primus*.

centesimus quartus, centesimus quintus, centesimus sextus, centesimus decimus, centesimus undecimus, centesimus duodecimus, centesimus decimus tertius, centesimus decimus quartus, centesimus decimus quintus, centesimus decimus sextus, centesimus decimus septimus, centesimus decimus octavus; centesimus trigesimus quartus, centesimus trigesimus quintus; centesimus quadragesimus quintus, centesimus quadragesimus sextus, centesimus quadragesimus octavus, centesimus [a] quadragesimus nonus, centesimus quinquagesimus, simul XVII. Ethan LXXXVIII; Salmonis LXXI, CXXVI. Asaph, quadragesimus nonus, [b] septuagesimus nonus, septuagesimus secundus, septuagesimus tertius, septuagesimus quartus, septuagesimus quintus, septuagesimus sextus, septuagesimus septimus, septuagesimus octavus, septuagesimus nonus; octogesimus, octogesimus primus, octogesimus secundus, simul XII. Moysi, octogesimus nonus. Fiunt omnes psalmi CL. Pro torcularibus III, et Graduum XV, pro nominibus positi sunt. Extra CL non sunt.

[c] In quibus psalmis in superscriptionibus eorum [d] obulus jacet : hæc penes solos Septuaginta inferuntur. Neque vero apud cæteros Interpretes inveniuntur. [e] Quanta adjacentia in Hebraico et apud cæteros, non sunt inventa penes Septuaginta et Theodotionem, adjecimus cum asteriscis : quanta vero apud memoratos LXX aut Theodotionem invenimus. Neque autem in Hebræo, neque apud cæteros, obolo supposuimus. De supra scriptis vero, quia secundum quamdam dispensationem LXX interpretati sunt, *De morte filii*, pro *occultis filii*. Sicut ergo eduxit prius terra quadrupedia et quæ ex ea generata sunt, et sicut quodam pascimus lacte primum, sic ante Salvatoris adventum dispensata est interpretatio Scripturarum propter Ptolomæum : etenim interpretatæ sunt sub [f] apostolis, quoniam erat impossibile propter infidelitatem de Christo eas prophetari.

Nonum. *Confitebor tibi in toto corde meo*, pro eo quod, *gratias ago*. *Narrabo omnia mirabilia tua*. Moyses non omnia erat possibilis narrare, sed ex parte ea mirabilia quæ in Ægypto. Christus autem et quæ super cœlestia. *In avertendo inimicum meum retrorsum*. Diabolus erat inimicus, qui humanum genus obtinebat. *Increpasti gentes, periit impius*. Diabolus. *Quomodo annuntiem laudes tuas, in portis filiæ Sion*. Civitate Dei viventis, cœlesti Jerusalem, filia Sion. Octogesimus nonus. *Domine, refugium factus es nobis in generationem et generationem*. Refugium secundum generationem fuit Enoch, inde Abraham, et reliqua. *Terra*, habens apud se absconditos montes, novissime [g] sicut ea demonstravit aqua tum secundum tempora terram denudavit, et demonstrati sunt montes. *Et dixisti, Convertimini, filii hominum*. De gentium vocatione. *Quia mille anni*. Quæ fecit Moysi : *Mane sicut herba transeat*. Quæ secundum [h] David, et Salomonem, *Vespere decidat*. De consummationibus desolationum Jerusalem, hæc Moyses prophetavit Spiritu [i] Dei Israel.

Principium psalmorum David secundum historiam quæ in libro Regnorum continetur : CXLIII, adversus Goliath cum stetit; LVIII, cum misit Saul et custodivit domum ejus, ut interficeret eum; LVI, cum fugit a facie Saul in spelunca; XXXIII, cum venit ad Abimelech sacerdotem, et commutavit vultum suum coram Abimelech rege et dimisit eum, et abiit; CXLI, cum fugit de Geth, et venit in spelunca Modollam; LI, cum venit Doech Idumæus et annuntiavit Saul, et dixit ei : *Venit David in domum Achimelech*; LXII, cum esset in deserto Judææ; LIII, cum venerunt Zephæi, et dixerunt Sauli : *Nonne ecce David absconditus est penes nos*; LV, quando tenuerunt eum allophyli in Geth; XXVI, post mortem Saul priusquam ungeretur in regem; XCV, cum domus ædificata est post captivitatem, et arca Domini reducta est; XXVIII, in consummatione Tabernaculi, in quo arca posita est; XXIX, in dedicatione domus David; LIX, cum Joab percussisset Mesopotamiam Syriæ, et Syriam Soba, et vallem Salinarum, duodecim millia; L, cum venit ad eum Nathan propheta, et intravit ad Bethsabe; III, cum fugit a facie Absalon filii sui; VII, pro verbis Cusi filii Gemini; CXLII, cum eum persequeretur Abessalon filius suus; XVII, in die qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, et de manu Saul.

[a] Iste *centesimus quadragesimus nonus* in Ambrosian. ms. desideratur.

[b] Hic quoque *septuagesimus nonus* ab Ambrosian. ms. abest.

[c] Hoc etiam ab Eusebio mutuatus est imperitus interpres iste Latinus. MART.

[d] Intellige *obelum*, qui superflua jugulat.

[e] E margine in contextum irrepserant duo isthæc verba, *asteriscis obolus;* quod ante nos observavit vir eruditus J.-B. Cotelerius jam supra laudatus. MART. — Addit hic Ambrosian. liber *asteriscus et obolus*.

[f] Imperitissime dicit LXX interpretes sub apostolis Scripturas Græce transtulisse, cum trecentis plus minus annis ante Christum interpretatio LXX perfecta sit. MART.

[g] Interserit idem ms. adverbium *quando*.

[h] Rursum ex eodem ms. hic *David* nomen interseruimus.

[i] Idem ms., *prophetavit spiritu de Israel*.

INDEX

VERBORUM, SENTENTIARUM ET RERUM MEMORABILIORUM,

Quæ in hoc septimo tomo S. Hieronymi continentur.

A

B

D

N

O

P

ORDO RERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

FINIS TOMI VIGESIMI SEXTI.



